UAB Biblioteca de Ciències Socials

# BENEDICTI XIV.

## PONT. OPT. MAX.

OLIM

## PROSPERI CARDINALIS DE LAMBERTINIS

# OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

*ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR, ET MELIORI ORDINE DISPOSITA,*

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS, QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT,

*Et pluribus aliis factis luculentissimis accessionibus, quas Præfatio Tomo primo præfixa melius docebit.*

## TOMUS DECIMUS

*CONTINENS*

## INSTITUTIONES ECCLESIASTICAS.




IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

# BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR,
ET MELIORI ORDINE DISPOSITA,

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS,
QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT.

*Et pluribus aliis solis luculentissimis excessionibus, quas Præsens Tomo primo præfixa melius docebit.*

TOMUS DECIMUS

CONTINENS

INSTITUTIONES ECCLESIASTICAS.



IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

# EDITORIS MONITUM.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*Ecce tibi, Amice Lector, editionem novam Institutionum Ecclesiasticarum* BENEDICTI XIV. *Prodiere primum Bononiæ singulæ seorsim quo quæque tempore proponebantur, cum Auctor Archiepiscopali illi Ecclesiæ præesset. Deinde in eadem Urbe simul omnes collectæ, & in quinque Tomos dispertitæ. Iterum Venetiis anno* 1740. *ad normam editionis Bononiensis, sed unico Tomo in* 4. *comprehensæ.*

*Quarto Romæ anno* 1742. *in duos Tomos distinctæ in* 4.

*Quinto pariter Romæ in fol. typis Sac. Congregationis de Propaganda Fide in Latinum sermonem versæ cura atque studio eruditissimi viri Idelfonsi a Sancto Carolo Scholarum Piarum, Collegii de Propaganda Fide Rectoris.*

*Sexto similiter Romæ* 1750. *in usum Accademiæ Liturgicæ Conimbricensis. Quoniam vero in præcedentibus editionibus ordo aliquantulum variatus fuit, ita ut non eodem sitæ loco, eademque serie in qualibet editione legerentur, consultius visum tunc est Italicam numerorum partitionem restituere, in reliquis vero versioni latinæ editionem illam conformare; secundo quia hoc opus citatur ab aliis modo* Institutionum Ecclesiasticarum *nomine, aliquando* Notificationum, *frequentius etiam* Edictorum; *ne varietas hæc negotium faceſſeret, operæ pretium ductum est seriem qua digestæ sunt hujusmodi Institutiones in aliis Editionibus, ibi præponere.*

*Demum præteritis annis Venetiis typis Remondinianis una cum aliis ejusdem Pontificis Operibus in folio.*

*Sextæ quidem editioni, veluti cæteris omnibus anteponendæ, novissimam hanc nostram conformavimus, idque vehementer curavimus ne vel aliquantulum in ea cudenda ab illa discederemus. Hoc unum optamus, ut diligentiam nostram, quam in Operibus* Benedicti XIV. *usque adhuc a nobis editis impendimus, atque in cæteris inposterum edendis sumus impensuri, Litterati Viri commendent; atque ut ii, quibus ejusdem Pontificis nomen & fama cordi est, & Operum utilitas ac eruditio probe perspecta, editionem hanc nostram benigne excipiant, nobisque qui eam curamus, animos addere non dedignentur.*

*Ne vero Lector fraudetur nitidissima præfatione, qua in Latina versione SS. Pontifex compellatur, ea integra ibi apponitur.*

Series Institutionum Ecclesiasticarum Editionis Bononiensis numeris Arabicis distincta; additis Romanis numeris, qui eandem seriem designant prout in Latina editione leguntur.

| TOMUS I. Edictum sive Notificatio. | TOMUS II. Edictum sive Notificatio. | TOMUS III. Edictum sive Notificatio. | TOMUS IV. Edictum sive Notificatio. | TOMUS V. Edictum sive Notificatio. |
|---|---|---|---|---|
| 1. I. | 1. XXI. | 1. XLII. | 1. LXVIII. | 1. LXXXIX. |
| 2. II. | 2. XXII. | 2. XLIII. | 2. LXIX. | 2. XC. |
| 3. III. | 3. XXIII. | 3. XLIV. | 3. LXX. | 3. XCI. |
| 4. IV. | 4. XXIV. | 4. XLV. | 4. LXXI. | 4 XCII. |
| 5. V. | 5. XXV. | 5. XLVI. | 5. LXXII. | 5. XCIII. |
| 6. VI. | 6. XXVI. | 6. XLVII. | 6. LXXIII. | 6. XCIV. |
| 7. VII. | 7. XXVII. | 7. XLVIII. | 7. LXXIV. | 7. XCV. |
| 8. VIII. | 8. XXVIII. | 8. XLIX. | 8. LXXV. | 8. XCVI. |
| 9. IX. | 9. XXIX. | 9. L. | 9. LXXVI. | 9. XCVII. |
| 10. X. | 10. XXX. | 10. LI. | 10. LXXVII. | 10. XCVIII. |
| 11. XI. | 11. XXXI. | 11. LII. | 11. LXXVIII. | 11. XCIX. |
| 12. XII. | 12. XXXII. | 12. LIII. | 12. LXXIX. | 12. C. |
| 13. XIII. | 13. XXXIII. | 13. LIV. | 13. LXXX. | 13. CI. |
| 14. XIV. | 14. XXXIV. | 14. LV. | 14. LXXXI. | 14. CII. |
| 15. XV. | 15. XXXV. | 15. LVI. | 15. LXXXII. | 15. CIII. |
| 16. XVI. | 16. XXXVI. | 16. LVII. | 16. LXXXIII. | 16. CIV. |
| 17. XVII. | 17. XXXVII. | 17. LVIII. | 17. LXXXIV. | 17. CV. |
| 18. XVIII. | 18. XXXVIII. | 18. LIX. | 18. LXXXV. | 18. CVI. |
| 19. XIX. | 19. XXXIX. | 19. LX. | 19. LXXXVI. | 19. CVII. |
| 20. XX. | 20. XL. | 20. LXI. | 20. LXXXVII. | |
| | 21. XLI. | 21. LXII. | 21 LXXXVIII. | |
| | | 22. LXIII. | | |
| | | 23. LXIV. | | |
| | | 24. LXV. | | |
| | | 25. LXVI. | | |
| | | 26. LXVII. | | |

# BEATISSIME PATER,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ECclesiasticæ Institutiones BENEDICTE Pontifex Maxime, quarum Parens, & Auctor fuisti, latinitate donatæ, amplissimo tuo Nomini consecrantur. Servant eæ quidem pristinam naturæ vim, & præstantiam admirabilem, quam sibi ex ingenio tuo singulari, summaque rerum eruditione compararunt. Italica dumtaxat lingua, quæ necessaria fuerat, cum populum Bononiensem sacris disciplinis institueres, cum Latina commutata est, ut hæc præclarissima doctrinæ monumenta, non una tantum Civitas suspiceret, sed omnis Christianus Orbis miraretur. Neque porro dissimulandum est, vernaculam dicendi rationem, licet aliis bene multis elegantia, suavitate, copia excellentem, angustis tamen spatiis circumscribi; Latinam vero iisdem, quibus Solis cursus, finibus contineri. Siquidem nullus ferme ubique gentium inter Ecclesiæ Ministros cooptatur, qui Latinis litteris operam non contulerit, quibus Patrum fere omnium commentaria, ipsius Ecclesiæ leges, & instituta, Religionis arcana mysteria, scriptumque Dei verbum consignantur. Itaque cognoscent universi, BEATISSIME PATER, quam curam totius vitæ cursu, quosve labores pro communi omnium salute semper impenderis. Quippe in has eximias Institutiones congesta perspicient omnia, quæ possint Ecclesiasticam disciplinam in pristinum revocare, & morum corruptelas evellere; hoc est, pulcherrimam antiquitatis imaginem excitare, quam non mediocriter, neque uno in loco hominum negligentia, & ignorantia diuturnitate temporis deformaverant. Ea vero libentius intueri, atque imitari debent, quod nihil temere, nihil inconsulto proferatur; sed omnia certissimis ex sacra antiquitate documentis, ac testimoniis, & Ecclesiasticæ eruditionis incredibili copia confirmentur. Neque sane id mirum cuipiam videtur. Nihil enim, quod sive ad humanum, sive divinum jus pertineat, eum latere potest, quem ab ineunte adolescentia suo veluti sinu sapientia educavit, & suis inde muneribus ornatum, cumulatumque, per omnes honorum gradus ad Summum Pontificatum evexit. Testantur hoc alia ingenii tui præstantissima monumenta, omnium consensu ita probata, ut, qui judicium ferre possunt, multiplicem in illis doctrinam admirentur cum summa pietate conjunctam. Sed præsertim in ore omnium versantur Libri sapienter a Te conscripti de ratione Canonizationis Sanctorum instituendæ, quam difficilem prius, implicatamque vetustas omnis querebatur, nunc vero sapientia tua, tuisque laboribus, adeo planam, ac tutam effecisti, ut sublatis impedimentis omnibus nihil arduum, nihil dubium supereſſe videatur. Ista quidem omnia vim admirabilem intelligentiæ tuæ, susceptosque pro augenda sacrorum majestate labores plane nobis ostendunt, & posteris amplissime commendabunt. At vero, si mihi, quod sentio, dicere concedatur. Libri Institutionum, quos adhuc Cardinalis viris Ecclesiasticis exhibuisti, doctrina sana reliquos exequant, sed illos fortasse superant utilitate. Ex his nempe vitæ rationem ineundam, morumque disciplinam, velut ex uberrimo fonte, desumunt ii, qui militiæ Ecclestasticæ nomen dederunt, ex quorum virtute, ac sanctimonia, quanta rebus sacris amplitudo, ac dignitas, quantus Ecclesiæ ordinibus splendor, quanta Christiano populo utilitas ventura sit, facili conjectura perspicitur. Quamobrem reliquas tuas virtutes admirabitur quidem posteritas, sed potissimum hanc publicæ salutis curam, studiumque augendæ Religionis, tanquam aliquid Tibi proprium, ac singulare, summis laudibus celebrabit. Utinam vero, BEATISSIME PATER, ea scribendi facilitate, & elegantia præditus essem, ut nihil ex interpretatione mea tuis sapientissimis Institutionibus detractum videretur. Æquare certe Latino sermone non poteram candorem, gratiam, & vim sane eximiam, qua illas lingua hac nostra vernacula perfecisti. Voluntas quidem non defuit; sed quod vehementer expetebat, assequi non potuit, partim ob negotii magnitudinem, qua res Ecclesiasticas Latini sermonis puritate complecti difficile est, partim quia molestum id Tibi, ingratumque suspicabar, qui eo consilio Latinas Institutiones a Te probandas solum intelligebam, ut illas disjunctissimæ a nobis etiam gentes facile perciperent, & fructum ex his haberent maximum. Equidem, quod semper optavi magnopere, consecutus sum, ut pateret aliquis aditus ad prædicandam summam liberalitatem, qua me tuis singularibus beneficiis ornatum voluisti. Nam, cum multi præstantes ingenio has institutiones Latine reddere magno studio deposcerent, ut tanto Principi industriam suam ostenderent, ejusque sibi gratiam promerentur; mihi præ cæteris ob tuam benignitatem contigit, ut hanc provinciam honoris plenam sustinerem. Sed quonam orationis genere complectar incredibilem pene humanitatem, qua laborem meum, licet exiguum, liberaliter excepisti, & non una voluntatis tuæ significatione prosecutus es? Quibus verbis prædicabo beneficentiam illam eximiam, ob quam gravissimo, amplissimoque judicio tuo, mihi in curam tradidisti Collegium veteri institutione, studiis, ac disciplina florentissimum, in quo frequentes Juvenes ex remotissimis Orbis terræ partibus ad Fidem propagandam litteris omnibus imbuuntur? Hæc longe superant omnem ingenii vim, ac dicendi facultatem. Quod est reliquum, a Deo Optimo Maximo precari nunquam desinam, ut Pontificem virtute, doctrina, omnique laudis genere clarissimum, pro reipublicæ felicitate, & sacrorum ornamento diutissime nobis servet, & incolumem tueatur.

# INDEX INSTITUTIONUM

## INSTITUTIO PRIMA.


De Fontis Baptismalis benedictione, origine, & institutione: Quibus diebus fieri consueverit, & quinam ad illam convenire teneantur. Pag. 1

II. De Sacra Ordinatione; quanti referat delectum in conferendis Ordinibus habere. 2

III. De Rogationibus Majoribus, ac Minoribus, veteri ipsarum Institutione, Auctore, & Loco, ubi primum cœperunt; quo pacto initio gererentur, quam ob causam inductæ fuerint, & qua religione sint peragendæ; item de Origine Imaginis B. Mariæ Virginis per S. Lucam depictæ: ex quo loco, & quo tempore in hanc Urbem delata fuerit; Postremo de cultu eidem Sac. Imagini præstando. 3

IV. De Jejunio quatuor temporum; qua de causa institutum sit ab Ecclesia; quinam primus hoc jejunium indixerit; quo tempore id evenerit, & qua pietate servari debeat; Item de Jubilæi promulgatione, quod Sanctissimus Pontifex concessit; cur illud Fidelibus, & qua ratione comparandum proposuerit: De usu facultatis, quæ per Pontificem tribuitur immutandi vota, absolvendi a censuris, ab externa hæresi, & criminibus reservatis: Pontificum consilium, & mens, dum facultates ejusmodi largiuntur. 4

V. De solemni pompa, qua Sacra Mysteria in supplicatione Corporis Christi, & singulis per annum Dominicis diebus circumferuntur: De institutione, ac propagatione harum supplicationum, qua ætate, quove loco celebrari primum cœperint: De cultu in ipsis exhibendo: Tandem pravæ consuetudines arguuntur, & alia, quæ non sine piorum hominum offensione in his supplicationibus committi solent. 6

VI. De Sacra Visitatione, & Confirmationis Sacramento in singulis Urbis Parochiis administrando; quosnam dies hujusmodi administrationi mos majorum attribuerit. De variis hujus Sacramenti nominibus, ac rationibus. Quandonam a Christo Domino fuerit institutum; de Donis, quæ ab ipso in nos dimanant. Qua animi innocentia, & corporis modestia suscipiendum sit; An Dei præcepto ad illud teneamur, & quonam tempore hoc præceptum fideles obstringat. Qua ratione priscis temporibus per majores nostros idem Sacramentum conferretur. 8

VII. De conferendis Parochiarum Ecclesiis, quodnam sit judicium Sacrorum Canonum super hac re. De variis corruptelis, quæ inductæ fuerant, quave ratione Sacra Concilii Congregatio remedium illis attulerit: quibus meritis, præter doctrinam, præditi esse debeant, qui ad examen se cum aliis offerunt, ut Parochiales ejusmodi obtineant. Quæ partes sint Laicorum, cum aliquem ad eas Ecclesias nominant, quæ ad ipsos jure pertinent. 12

VIII. De obstetricibus, quæ pro conferendo Baptismo, si necessitas postulet, satis peritæ esse debent: quid plane scire teneantur: suo munere perfungi illas non posse, nisi prius in examen veniant, ac probentur. Quid agendum sit Sacerdoti Baptismum pueris conferenti, qui jam domi per obstetricem eumdem Baptismum acceperunt. Quæ pariter norma servanda sit cum pueris expositis, qui schedam collo pendentem gerunt, in qua de suscepto Baptismo testimonium habetur. 13

IX. De tradendis Fidei rudimentis. A singulis Parochis suos Parochianos ad hæc instituendos esse. Quidam mali usus improbantur, qui in aliquas hujus Civitatis Parochias obrepserunt. De ratione, & diebus, quibus Parochi hujusmodi munere perfungi debeant. 15

X. De obligatione, qua Parochi obstringuntur singulis diebus Festis de rebus divinis ad populum verba facere, & pro Parochianis Sacrificium applicare; qua de causa, quove mandato id facere jubeantur. 17

XI. De Christi Domini Adventu, & Novemdialibus, quæ Christi Domini Natalem diem antecedunt: quo auctore, quo loco, quo tempore Adventus Domini sit institutus; quid per ipsum Ecclesia significare voluerit; & ad quid referatur divinum Officium, & Missa, quæ ejusdem temporibus celebratur. 19

XII. Quid Vicarii Foranei expendendum proponere debeant iis, qui præditi sunt jure nominandi ad illas Ecclesias, quæ ad ipsos pertinent. De corruptelis, quæ hoc in negotio contingere solent. Quid Vicariis agendum sit cum Presbyteris, qui Ecclesias petunt, & cum illis, qui nominandi jus obtinent, ut magis idonei rite deligantur. 21

XIII. De Tabella Auroræ, Orientis Solis, meridiei, & dimidiæ noctis: quantum conferat eam dignoscere: quid mali eveniat, nisi eadem Tabella observetur. Qua hora sacrificium indici absolvique possit. Item de Jejunio, & dierum Festorum observantia. 23

XIV. De Septuagesima, & Feriis usque ad diem Cinerum; qua ratione ab Ecclesia sint institutæ. Quid in ipsis nobis exhibere velit Ecclesia. De quadraginta Horarum institutione per tres dies Quinquagesimæ. 27

XV. De jejunii Quadragesimalis observantia; quisnam primus hoc jejunium indixerit; quo tempore, & qua de causa id evenerit; quo pacto initio gereretur; quid sibi velint abstinentia a carnibus, & unica comestio. Utrum, qui immunes sunt abstinentia, liberi etiam ab unica comestione judicentur. De aliquibus corruptelis, quæ jejunii causa inducuntur. 29

XVI. De facultate, qua Summus Pontifex lacticiniis uti per Quadragesimam permisit: id Quadragesimæ tempore simul cum esu carnium interdici; ex quo fonte ab ovis, & lacticinii abstinentia dimanaverit; quam ob causam pluribus in locis minime servetur; quo pacto concessa facultate uti debeamus. 32

XVII. De residendi lege illis indicta, qui Beneficium possident cum animarum cura conjunctum; utrum jure Divino id decernatur; quid senserint, & statuerint Sacra Tridentina Synodus, SS. Pontifices, & plures Episcopi: hoc non intelligi de materiali solummodo residentia: cujus naturæ sit hoc præceptum; causæ veræ, ac stabiles, ut quis residentiæ lege liberetur; Sac. Congregationis Concilii judicium de absentibus, & de illis, quibus hæc facultas immerito denegetur, licet jam postulaverint, vel legitimis de causis postulare non potuerint: quid ipsi agere debeant, ut suo muneri satisfaciant; quomodo Parochi suis administris, & Tridentini Concilii æquitate uti debeant. Quid a Parochis tum Civitatis, tum Diœcesis perficiendum sit, si forte discedere cogantur. De Parochis prope Civitatem degentibus; de frequentibus, & incongruis facultatibus, quas sibi usurpare solent: quo pacto Parochus mulctari debeat, qui absque facultate extra Parochiam deprehendatur. De diebus, quibus illis nunquam est recedendum. 33

XVIII. De obligatione, quæ singulos Fideles obstringit, ut Sacram Eucharistiam die Paschatis sua in Parochia percipiant: Absque expressa facultate sui Ordinarii, & Parochi hoc præceptum ab illis non adimpleri, qui alia in Ecclesia, licet Cathedrali aut Metropolitana, Sacram Eucharistiam susceperint. 36

XIX. De Sacra Missione indicenda in hac Metropolitana S. Petri per Patres Congregationis B. Vincentii de Paulo. 37

XX. De Campanis pulsandis Sabbato majoris Hebdomadæ: De illarum vetustate: Cuinam primo earumdem usus tribuatur: De disciplina, ob quam majori Hebdomada Campanarum pulsatio interdicitur: Item qua norma sonitus Campanarum repetatur. 38

XXI. *De Benedictione, quæ Sacris Indumentis, & Vasis tribuitur, sive Sacra Unctio sit necessaria, sive minime requiratur. Origo ejusdem Benedictionis; & quo pacto administrari debeat.* 39

XXII. *De obligatione, qua Medici debent ægrotos ante omnia monere, & inducere, ut Pœnitentiæ Sacramentum suscipiant. De veteri Ecclesiæ disciplina pro absolvendis in mortis articulo, qui gravibus delictis tenentur. Utrum Medicus ægrotum per se, vel per alium monere debeat. Utrum possit ad illos infirmos accedere, qui intra constitutum tempus delicta confiteri recusaverint. Ob quam morbi speciem Medicus ægrotantem monitum facere teneatur.* 42

XXIII. *De Sacris Regularium Ordinationibus. Utrum Regulares privilegio suscipiendi Ordines extra tempora generatim gaudeant, ita ut singuli Regulares Ordinandi peculiarem a Sancta Sede facultatem obtinere minime debeant. Romæ in præsentia nullum aliud privilegium, nisi illud PP. Societatis Jesu admittitur. Regulares ab Episcopis, in quorum Diœcesi morantur, Ordinibus esse initiandos. Quænam causæ Regulares ab hac lege immunes faciant.* 45

XXIV. *De hora, qua Matutinum privatum recitari potest. De antiqua Divini Officii denominatione, & ethymologia. Ex quo fonte hoc Breviarii nomen, illudque Horarum Canonicarum dimanaverit. Officium constitutis horis esse recitandum. De culpa, quam illi contrahunt, qui absque vera, & legitima causa huic muneri non satisfaciunt. De tempore, quo horæ Canonicæ, Matutinum, & Laudes persolvendæ sint.* 48

XXV. *De Missa Sancta, quæ ineunte quolibet mense in Metropolitana sub Auroram celebratur. De Anni Jubilæi institutione. De Indulgentiis illis concessis, qui ad primam mensis ineuntis Missam in Metropolitana conveniunt.* 51

XXVI. *De initiandorum pensione, seu Patrimonio. Pro ordinatione titulus ab Ecclesiastico Beneficio deducitur; titulus vero patrimonii in subsidium conceditur. Utrum inter Beneficii proventus Missæ stipendium referri debeat. Patrimonium bonis stabilibus, & fructiferis constare debet. De illis Patrimoniis, quæ charitatis, & benevolentiæ causa constituuntur; ac de illis, quæ liberorum jure non salvo decernuntur, vel addita conditione, ut Patri alimenta præbeantur. De illis, qui sub falsi Beneficii nomine ad Sacros Ordines promoventur. De formulis, quæ in Patrimonii constitutione servantur. De illis, qui Ordinibus initiantur sub Beneficii titulo, interjecta promissione de fructibus minime percipiendis. De alienatione, & Patrimonii permutatione. De Cautionibus & Sponsionibus, quæ pro Patrimoniis intercedunt. De Beneficiorum abdicatione, quorum titulo aliquis ad Sacros Ordines pervenire contendit.* ibid.

XXVII. *Pro Archipresbyteris, & Parochis Diœcesanis, atque Concionatoribus, qui tempore Quadragesimæ ad tradendum Dei Verbum in illorum Ecclesiis designantur. Quid Parochis agendum sit antequam tempus Quadragesimæ devenerit. De ratione excipiendi Concionatores. Quonam loco sint collocandi, quoque pacto adventus, ac reditus Concionatoribus apparari oporteat. Quid præstandum sit Regularibus Concionatoribus in templis proprii Ordinis. De vitæ probitate, quam tempore Quadragesimali Concionatores præseferre debent. Quid ipsis gerendum sit, si forte lethalem culpam contraxerint. Quid evitari, vel declarari per conciones opus sit. Quale detrimentum in Fideles dimanet ex eo, quod Concionatores non insectentur vehementius ea crimina, quæ frequentius a populo patrantur. De mercede solvenda Concionatoribus, quamve ob causam ipsis concedatur.* 56

XXVIII. *De Processione, quæ fieri consuevit in festo S. Marci. Quidnam decreverit Sacrorum Rituum Congregatio, si forte in diem Dominicum Paschatis eadem supplicatio inciderit. De Missæ Sacrificio, quod eadem die celebratur.* 58

XXIX. *De Sacra Visitatione Monialium Cœnobiis indicenda. De auctoritate Episcoporum in Monasteria, & Sanctimoniales Regularibus subjectas, & in illas, quæ aut simul commorantur absque ulla Clausuræ lege, aut disjunctim in propriis ædibus vitam traducunt. De vetustate, atque origine Monialium, ac de Clausuræ instituto: Utrum Episcopus invisurus Cœnobia Monialium Regularibus subjecta, diem certam prius indicere debeat. An teneatur Vicarium Generalem, Monialium Confessarium, ac Priorem secum adducere. An vero Monasterium ingredi possit cum illis tantum, quos ad Visitationem peragendam sibi comites elegit. De pia, veterique consuetudine educandi Puellas in Cœnobiis Sanctimonialium. De usu censuum, qui Monialibus permittuntur. De Dote, quæ a Parentibus solvitur, cum vota solemnia nuncupantur a Monialibus. An hujus pecuniæ solutio Simoniam præseferat. De immoderatis sumptibus, qui a Monialibus fieri solent, cum Cœnobii munera ipsis demandantur.* 59

XXX. *De Divina Eucharistiæ expositione, ac de benedictionibus, quæ cum ipsa concluſa in Sacra Pyxide populo tribuuntur. De disciplina Ecclesiæ pro SS. Sacramenti expositione, ac de processionibus, quibus ea circumfertur, veterique illarum institutione. Non posse Eucharistiam publice exponi, nisi aliqua causa publica interveniat, quæ Ordinarii auctoritate probetur. De expositionibus SS. Sacramenti, quæ singulis diebus aliqua in Ecclesia juxta impressam tabellam per urbem alternatim haberi solent. De aliis expositionibus, quæ diebus per tabellam minime designatis etiam in Regularium Ecclesiis absque Ordinarii facultate instituuntur. Usus expositionis hujusmodi improbatur, cum dies festi Sanctorum celebrantur; & cuinam rationi hoc consilium innitatur. De privatis expositionibus, & quo pacto fieri debeant. Quibus cæremoniis publicæ expositiones indicendæ sint. De oratione quadraginta horarum; & quis auctor illam induxerit. De consuetudine, ob quam pluries in diem benedictio cum Sacra Pyxide populo impertitur, quod sane nullius ritus auctoritate probatur. Quo ratione in posterum id perficiendum sit.* 64

XXXI. *De interventu Clericorum, & Sacerdotum, qui Beneficium aliquod obtineant, vel ipso careant, ad solemnem Corporis Christi Processionem, quæ in Oppido Centensi in Cathedrali S. Blasii fieri solet. Posse Beneficiis præditos obstringi, ut ad illam conveniant, licet nec residere, nec inservire Ecclesiæ teneantur. Idem ab Episcopo præcipi posse Clericis nullum Beneficium obtinentibus, eo quod adscripti sint Parochiis, ut illis inserviant.* 67

XXXII. *De cœtibus, ad quos Clerici Bononienses convenire debent, ubi quæstiones Theologiæ Moralis examinantur. Quid scire, & intelligere debeant illi, qui Confessarii munere perfungi utiliter velint. Nunquam dimittendum esse studium earum rerum, quæ necessariæ sunt, etiamsi prius auditæ, perceptæque fuerint. Convocandos esse cœtus hujusmodi pro examinandis Moralis Theologiæ quæstionibus, qui si recte habeantur, magnam afferunt utilitatem. Qua ratione ipsi fieri debeant.* 68

XXXIII. *Cujusnam Parochi in matrimoniis contrahendis præsentia requiratur. Vana, & irrita esse matrimonia, quibus neque Parochus, neque testes intersunt. Parochum proprium eum nuncupari, in cujus Parochia matrimonium initur. Parocho domicilii, non autem originis, titulum proprii Parochi esse tribuendum. Non appellari proprium Parochum eum, in cujus ditione aliquis obtinet sedem ruralem. Irritum esse illius matrimonium, qui locum deserit, ubi moratur, domicilio tamen non dimisso, & in alium locum proficiscitur, ubi nullo contracto domicilio matrimonium celebrat. Quisnam sit proprius vagantium hominum Parochus. Quisnam judicetur proprius illorum Parochus, qui peculiari aliquo nomine ad hanc Civitatem incolendam veniunt. De Parocho proprii*

ad

*ad perficienda eorum matrimonia, qui carceribus detinentur. De matrimoniis, quæ fiunt in Xenodochiis, cum extremum mortis periculum impendet. De matrimoniis, quæ contrahunt Puellæ publicis hujus Civitatis hospitiis, seu Conservatoriis inclusæ. De aliis matrimoniis Puellarum, quæ in septis Monialium educantur. Postremo de iis, quæ fiunt a servis Dominorum ædes habitantibus.* 70

XXXIV. *De Sacro Missæ Sacrificio. Quid agendum sit erga Sacerdotes exteros, & incognitos, qui in hac Civitate, vel Diœcesi Missam celebrare deposcunt; quidve erga Presbyteros, non quidem luminibus captos, sed tantum cæcutientes. De hora, & loco, quibus Sacrificium Missæ indici debet. De Sacris Indumentis, quibus uti debent Sacerdotes ad Altare rem divinam facturi, ac illis, quæ in Sacro agendo prohibentur. De celebratione quarumdam Missarum peculiarium: De pietate, ac religione, quibus Sacrum confici necesse est. Aliqua demum proponuntur circa tempus pro Missæ Sacrificio insumendum.* 73

XXXV. *De Indulgentia in forma Jubilæi per Summum Pontificem promulgata. De illis diebus, quibus indictum jejunium servari debet. De causis, ob quas hujusmodi dies potissimum designantur.* 79

XXXVI. *De efferendis Defunctorum corporibus, ac de Missis pro illorum expiatione celebrandis. Veterem esse, & Canonicum ritum decantandi Psalmos, dum cadavera ad tumulum feruntur. Vetustissimum haberi institutum faciendi Sacrum præsente cadavere, antequam sepulturæ mandetur. Improbantur pravæ consuetudines, quæ inductæ sunt in efferendis cadaveribus. De facibus, quæ adhibentur in ducendis funeribus, ac de veteri ipsarum institutione. De privatis funeribus, ac postremo de iis Defunctis, qui ad sepulturam curru deducuntur.* 80

XXXVII. *De Bacchanalibus, ac Larvis. Nulli unquam licuisse eas larvas induere, quæ Sacrum aliquod indumentum, aut speciem Ecclesiasticam præseferrent. Nulla unquam contraria consuetudine abrogatos fuisse eos Canones, qui id vetant. Nullis Clericis cujusvis Ordinis permitti, ut larvati incedant, sive ut choreis, ludisque indulgeant, vel ipsis præsentes intersint.* 83

XXXVIII. *De Sacra Eucharistia a Clero percipienda Feria V. majoris hebdomadæ, non licere ullum privatum Sacrum conficere Feria V., Feria VI., ac Sabbato majoris hebdomadæ. Antiquum haberi ritum, quo Clerus universus Feria V. ejusdem hebdomadæ Divinam Eucharistiam sumit, quem plures Ecclesiæ insignes adhuc retinent.* 84

XXXIX. *De Missæ Sacrificio quod Sabbato majoris hebdomadæ celebrari solet, ac de benedictione ignis, cereique Paschalis eadem die peragenda. In singulis Parochiis Paschalem cereum esse consecrandum. Ritum hunc ab omni antiquitate probari. Hæc autem omnia non seorsim facienda, neque in alium diem protrahenda.* 86

XL. *De jurisdictione fori Ecclesiastici. Causas civiles, ac profanas, in quibus Ecclesiastici rei personam gerunt; ad forum Ecclesiasticum sine ulla dubitatione primo referendas esse. Easdem causas ob vetustissimam consuetudinem in hac Civitate, ac Diœcesi ad idem forum pertinere, etiamsi Ecclesiastici Actores fuerint. Utrum ex hoc forum sæculare penitus excludatur ab iis causis cognoscendis.* 87

XLI. *Instruuntur Parochi Urbani, ac Diœcesani de locali Ecclesiarum immunitate. De causa, & occasione hujus institutionis promulgandæ. De asylo, seu immunitate locali Ecclesiarum, & sacrorum locorum. De criminibus, ob quæ hac immunitate minime gaudent rei juxta commune jus, & veteres Pontificum Constitutiones. De aliis criminibus, ob quæ rei carent eadem immunitate juxta Constitutionem Gregorii XIV. Item de aliis criminibus, quæ reis adimunt hanc immunitatem juxta Constitutiones Benedicti XIII. & Clementis XII. De quæstionibus, quas definiverunt iidem Pontifices, circa immunitatem locale Ecclesiarum, ac locorum sacrorum. De extrahendis reis a locis immunibus, cum ea crimina patraverunt, quibus localis immunitas non permittitur. De pœnis, quæ irrogantur reis ob crimina immunitate carentia. De reis, quibus jus asyli in sacris locis conceditur. Postremo qua ratione uti debeant Parochi hac præsenti Institutione.* 89

XLII. *De studiis suscipiendis ab Ecclesiasticis sæcularibus, antequam ad Ordines assumantur.* 93

XLIII. *De observandis diebus Festis. Barbitonsores, rerumque venditores vehementer improbantur, qui hoc præceptum summopere negligant. Certum tempus, atque hora præscribuntur ipsis, ut operibus suis vacent absque ullo scandalo, seu offensione.* 96

XLIV. *De publicis Sacellis in Diœcesi positis. Quibus diebus minime liceat Sacrum in illis perficere. De illis Sacellis, in quibus permitti potest Missæ Sacrificium, antequam in Parochia celebretur.* 98

XLV. *De illis, qui Sacram Eucharistiam in Paschate minime perceperunt. De præcepto, quo Fideles obstringuntur semel in anno divinam Eucharistiam sumere; quo fundamento hoc præceptum innitatur. Qua ratione uti debeant Parochi, ut populus omnis huic Paschali præcepto satisfaciat.* 99

XLVI. *Quid cavere debeant Parochi Urbani, ac Diœcesani circa Sponsalia, & quosdam ritus nuptiales. De iis, qui sponsalibus initis Patriam deserunt, & neminem sui certiorem faciunt. De iis, qui fidem suam pluribus præstant. De Corruptelis, quæ accidunt, cum Sponsi in eadem domo commorantur post inita sponsalia. De illis, qui pro mutua fide magis confirmanda, assensum præbent de præsenti coram Deo, præsentibus quidem testibus, sed absente Parocho. De alia corruptela, ob quam peracta tertia promulgatione Sponsus in ædes Sponsæ concedit, ibique nuptiæ celebrantur.* 101

XLVII. *Ritus præscribitur Benedictionis impertiendæ bestiis, & implorandæ opis divinæ contra vermes, atque insecta, interposito S. Antonii patrocinio. De Benedictione agrorum. Utrum adhiberi queant Imagines Sanctorum, ac Sacræ Reliquiæ, cum benedictio traditur. De sonitu campanarum, cum nimbus, aut procella impendet. De illarum Benedictione. Quisnam primus campanam Benedictione sacraverit. Quanam de causa campanis nomen tribuatur, & ipsarum benedictio Baptismus nuncupetur.* 106

XLVIII. *De Missæ Sacrificio, quod indici consuetus sub ortum Solis prima die cujusvis mensis in Metropolitana Ecclesia S. Petri. De plenaria Indulgentia, quæ conceditur iis, qui ad eamdem Missæ celebrationem convenient. Qua ratione interesse debeant fideles eidem Sacrificio absque lethali culpa, ut hanc Indulgentiam assequantur.* 110

XLIX. *Excitantur Fideles, ut triduum pie suscipiant in honorem Sanctæ Annæ in templo eidem nuncupato, ubi Calvaria ipsius publice exponetur, quæ sane certissimis documentis comprobatur. Quo pacto, quo tempore Corpus S. Annæ ab Oriente in Galliam venerit. Quisnam Calvariam Sanctæ Annæ Beato Cardinali Albergato dono dederit, & quonam pacto Bononiæ asservetur.* 111

L. *De concessione Summi Pontificis, per quam carnium esus permittitur tempore ineuntis Quadragesimæ. De origine, atque institutione ejusdem Quadragesimæ. Quibus de causis abstinentia a carnibus dissolvi per Quadragesimam possit. De piis operibus, quæ Pontifex præscribit in sua concessione. Quæ ratio tenenda sit in iisdem operibus faciendis, ut Pontificis concessio magno cum fructu jungatur.* 112

LI. *Monentur Ecclesiastici, ut conveniant ad spiritualia exercitia S. Ignatii. De ipsorum origine, & maxima utilitate quam illa pluribus attulerunt. Quam magni semper fecerint, & quantum commendaverint easdem exercitationes Summi Pontifices, & alii Ecclesiæ Præsules.* 113

LII. *Proponitur omnibus Ecclesiis, Monasteriis, & Locis*

cis Piis Urbanis, ac Diœcesanis, ut deferant in Officinam monetariam vasa argentea superflua, vel ne cessario alienanda, ut æs alienum contractum dissolvant. Quam ob causam id proponatur. De ratione, ob quam initio Ecclesiæ, sola Episcoporum facultate interposita, vasa prætiosa Ecclesiarum distrahebantur. Quomodo pro hac re gerenda Sedis Apostolicæ auctoritas nunc requiratur. 114

LIII. Promulgatur Indulgentia Plenaria, quam Pontifex elargitur in forma Jubilæi. Quo pacto præscriptis operibus satisfaciendum sit, ut eadem Indulgentia comparetur. Quo etiam pacto temporariæ pœnæ ob hanc Indulgentiam dimittantur. Quas ob causas hujusmodi Indulgentia a Summis Pontificibus concedi soleat. 115

LIV. De Conviviis, quæ parari solent in Diœcesi, cum Officia pro Defunctis indicuntur. Quam magnum discrimen inter veteres Christianorum Agapas, & recentia convivia intercedat. Quot detrimenta, & quam gravia ex his dimanent. Eadem convivia vehementer improbantur. Ratio præscribitur conservandæ pecuniæ, quæ confertur, dum Officia celebrari debent. 117

LV. De Paschali præcepto in propria Parochia adimplendo, Eidem præcepto minime illum satisfacere, qui Sacram Eucharistiam percipit extra suam Parochiam. Quid statuendum sit de iis, qui in Monasteriis Regularium inserviunt; quid judicandum etiam de Sacerdotibus. Quæ ratio tenenda sit cum pervicaeibus, cum monentur obtemperare Paschali præcepto. De pœnis, quas subeunt illi, qui Interdicto obligati jam fuerunt. 118

LVI. De Missæ stipendio; de parte pecuniæ, quæ retineri potest pro utensilibus, ac de Altaribus privilegiatis. Quam ob causam stipendium pro Missæ Sacrificio Sacerdotibus conferatur. De corruptelis, quæ ex hoc veluti fonte in Ecclesiam dimanaverant; qua ratione, & quo auctore illæ pœnitus sublatæ fuerint. Non licere recenti Sacerdoti oblationes ex Altari suscipere. Quinam teneantur ad celebrationem tantum, non vero ad applicationem Missæ. De stipendiis pro Missis perpetuis, atque adventitiis. De illis, qui tribuunt, aut capiunt stipendium consueto majus. Quibus de causis Sacrarii Custodes elicere queant partem stipendii pro utensilibus. Utrum nova stipendia pro Missis celebrandis recipi possint, cum multis aliis satisfaciendum adhuc supersit. Quo pacto Defunctis prosit Indulgentia in sacrificiis Missarum, quæ ad Aras privilegiatas fiunt. An pro Aris privilegiatis obtinendis satis sit intra spatium totius hebdomadæ implere numerum Missarum, quæ in singulos dies statuuntur. 120

LVII. De publico examine indicendo pro vacatione Canonicatus Theologalis in Metropolitana Ecclesia, qua de causa, & quo tempore in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis lectiones Theologales institutæ fuerint. Non esse idoneum ad obtinendas præbendas Theologales, qui Doctoris lauream in probata Academia consequutus antea non fuerit. De munere Canonici Theologi. Diversa in hac re plurium locorum esse instituta, & quare id eveniat. 124

LVIII. Epistola encyclica Vicariis Foraneis inscripta, qui testimonia obsignant de meritis Ordinandorum, & illis etiam, qui hujusmodi testimonia accipiunt. Quid observandum sit erga Diœcesanos, qui in Civitate diu versati fuerint, & postea in agrum redierint, si petant, aut proferant sola testimonia a ruralibus Parochis comparata. De Testimoniis ad probandam necessitatem, atque utilitatem Ecclesiarum, ad imperandam facultatem, ut solvantur interstitia tam pro Clero Sæculari, quam pro Regulari. 126

LIX. De Seminario Archiepiscopali. Quam magnam utilitatem afferant Diœcesibus Seminaria: de ipsorum origine. Duas species Seminariorum antiquitus fuisse. De laudibus Bononiensis. Quid decernant Sacri Canones pro Seminariis. Leges, ac norma recentis Seminarii Bononiensis. ibid.

LX. De Fidei professione elicienda ab iis qui obtinent Canonicatum, aut Beneficium cum animarum Cura conjectum; id expresse a sacris Canonibus præcipi. De corruptela, quæ super hac re in hanc Diœcesim inducta est. Teneri ad Fidei professionem emittendam eum ipsum, qui Beneficium assequutus fuit, & quo potissimum præsente id fieri debeat. Non adversari quamcumque contrariam consuetudinem. Utrum, qui omisit hujusmodi professionem, lucrari queat distributiones quotidianas. Quibus tantum pœnis obnoxius censeatur, qui Canonicatum, aut Beneficium cum animarum Cura obtinuit, etiam a Sede Apostolica. Utriusque proponitur ratio sibi consulendi, si Fidei professionem facere prætermiserint. 129

LXI. Promulgatur Indulgentia, quam Summus Pontifex elargitur illis, qui ad certum signum Campanarum sub horam primam noctis recitaverint Psalmum De profundis, aut semel Pater, & Ave, addito Requiem &c. pro Defunctis. Quid Fidelibus observandum sit in præmissis operibus implendum, ut propositam Indulgentiam lucrentur. 131

LXII. De Triduo celebrando, & exponenda Sac. Eucharistia in Basilica S. Petronii, ut animos præparent Fideles ad diem Natalem Domini recolendum, & beneficium obtineant, ut armenta liberentur tabida lue, qua finitima devastantur. Utrum Deus implorari possit pro bonis hujus sæculi comparandis. Utrum peccatores suis precibus aliquid a Deo consequantur: Quid agendum sit, ut per intercessionem Sanctorum nobis conciliemus beneficia, quæ superius memoravimus. ibid.

LXIII. De spirituali opera præstanda infirmis, qui jacent in Xenodochiis hujus Civitatis, De ipsorum origine, & quo sæculo inceperint. Quonam tempore Xenodochia primum Bononiæ instituta fuerint. Plures Bononienses Cives ob peritiam, & insignem charitatem a Summis Pontificibus accitos fuisse, ut munus Commendatoris exercerent in valetudinario, quod Romæ a Sancto Spiritu in Saxia nuncupatur. De necessitate augendi Sacerdotum numerum, qui ægrotantibus pie assisterent. Quo pacto incitati fuerint animi Sacerdotum Sæcularium, ac Regularium, ut operam suam præberent. Quod agendum sit Sacerdotibus, qui in posterum ad invisendos infirmos designati fuerint. De norma præscripta in his muneribus obeundis. 132

LXIV. De Cadaverum sectione facienda in publicis Academiis. Utrum Constitutio Bonifacii VIII. sectioni humanorum cadaverum adversetur. Revera cadavera reorum concedi pro utilitate, & commodo facultatibus Anatomicæ. De corruptelis, quæ contigerunt, cum deessent cadavera, quo tempore ipsorum sectio instruenda fuerat. Quo pacto consulendum sit, ne in posterum id eveniat. 135

LXV. Epistola encyclica ad universos Archipresbyteros, & Parochos Diœcesanos, in qua sermo est de operibus ruralibus, quæ die Festo exercentur. De corruptelis, quæ in diebus festis observandis inductæ sunt. Certissimum esse non licere per dies Festos servilibus operibus vacare; id tamen permitti aliquando, si necessitas postulet; utrum ipsa cognosci, ac probari debeat auctoritate Episcopi. De consilio, quod initum fuit, ut dies Festi rite excolantur; ac de norma pro hac observatione obtinenda. 136

LXVI. Epistola encyclica Præfectis Hospitiorum, in quibus Puellæ expositæ, sive spuriæ detinentur. Item Præfectis aliarum Domorum ubi honestæ Puellæ servantur, quæ pia domicilia a Baracano, a S. Maria, a S. Cruce, & a S. Josepho in hac Bononiensi Civitate nominantur. De causa hujus Epistolæ scribendæ. Confessarium extraordinarium Puellis hujusmodi bis, vel ter per annum esse concedendum. Consentaneum videri maxime, si aliquis Sacerdos designetur quotannis, qui Puellas easdem spiritualibus exer-

exercitiis detineat. Magnum illarum valetudini detrimentum inferri ex eo, quod nulla ipsis extra domicilium deambulatio permittatur. Id omnino necessarium esse. Quæ ratio, aut norma tenenda sit; ut aliquando extra Hospitium deambulent absque ulla mali suspicione, vel periculo. 138

LXVII. De consecratione novi Altaris excitati in hac Metropolitana Ecclesia. Quonam tempore, quove Auctore eadem Ecclesia primum consecrata fuerit. De veteri Ecclesia Metropolitana nihil in præsentia superesse; tamen primæ Dedicationis Officium esse recitandum. Intercedere certum discrimen inter consecrationem Altaris, & Ecclesiæ. Monentur fideles ad hanc consecrationem frequentes convenire, ut propositam Indulgentiam consequantur. 140

LXVIII. De Processione, quæ indicitur die Festo Ascensionis Domini, ac præcedenti Dominica, in qua Beatæ Virginis effigies a Sancto Luca depicta circumfertur. Antiquissimum esse hoc Institutum. Describitur hora, certusque locus, ubi præsto esse debeant illi, qui eidem Processioni interesse consueverunt, ut ipsa majori ordine, ac majori pietate peragatur. Improbatur tempus parum consentaneum, quo solent inchoari, & absolvi Missarum Sacrificia, quæ ante Sacram effigiem celebrari mos fuit. Aliud tempus magis aptum constituitur. ibid.

LXIX. De Sacra Supellectili Ecclesiarum, ac Locorum Piorum, quæ ad Montem Pietatis in pignus defertur. Id vetitum esse a Sac. Canonibus; licere tamen interposita facultate Episcopi, & ob causas necessarias. Præfecti Montis Pietatis, & cæteri omnes monentur, ne Sacram Supellectilem in pignus unquam accipiant. 142

LXX. De Sodalitiis, ac numero Sacerdotum, qui invitantur ad associanda mortuorum cadavera. Quo pacto Sodales a suis Oratoriis proficisci debeant, ut se ad Parochias conferant. Quisnam designare debeat vias, per quas cadaver efferendum sit, & quis eligere Sacerdotes, si ipsos acciri oporteat. 144

LXXI. De Habitu Clericali: Vestem oblongam Clericis aptissime convenire. Quonam tempore Clerici tanquam propriam hanc sibi vestem assumpserint. De corruptelis, quæ novam formam, & colores vestibus Clericorum tribuerunt. Soli Episcopo facultatem inesse, ut in sua Diœcesi Clericalem habitum decernat; Ipsius forma, & color indicitur. 145

LXXII. Epistola Encyclica universis curam animarum habentibus in hac Diœcesi. Ad eliciendum actum fidei necessarium ad salutem, non satis esse fidem præstare iis omnibus, quæ S. Mater Ecclesia credit tanquam a Deo revelata. De lege, qua tenentur Fideles repetere actus virtutum Theologalium. De norma, qua Divina eloquia tradenda sunt per explicationem Catechismi. De testimoniis, quæ fieri solent pro Clericis ordinandis. Quis initio Ecclesiæ hæc testimonia redderet. Nunc munus hujusmodi Parochis tribui. De veritate, quæ inesse debet his testimoniis. De eleemosynis, atque oblationibus impendendis juxta intentionem offerentium. De summa cura, & studio, quo perpetuo Ministri Ecclesiæ oblationes, & eleemosinas custodire soliti fuerunt. De quibusdam corruptelis circa ipsorum usum inductis. Proponuntur certæ leges pro his corruptelis in posterum evitandis. 147

LXXIII. De Effigie S. Crucis, atque Sanctorum, quæ in muris Domorum pingi solet. Hoc institutum esse commendandum, & probari ab Ecclesia. Non licere juxta Sac. Canones, & leges Civiles, ac potissimum statuta peculiaria hujus Urbis Crucem, vel Sanctorum Imagines coloribus exprimere in locis immundis Civitatis. Norma præscribitur, ob quam decenter Sacræ Imagines habeantur. 153

LXXIV. De solemni Festo S. Petronii, ac de supplicationibus consuetis, in quibus Sacrum ipsius Caput circumfertur. De Inventione Corporis S. Petronii, ac de genuinis actis, quibus res ab illo gestæ ad nos pervenerunt. De causis, ob quas pietas, ac religio in ipsum magis augeatur. 154

LXXV. De Eleemosynis, quæ a Græcis expostulari solent. De summo studio, ac diligentia, quam semper contulerant Romani Pontifices, ut Schismaticos ad bonum consilium traducerent. Qua magnam perniciem, ac damnum ipsi Schismatici intulerint Catholicis in Oriente. Quam male impenderent ipsi eleemosynas, quas in his Provinciis congesserunt. Qua de causa vetitum fuerit illis tradere eleemosynas; & quibusnam tribuendæ sint illæ quæ jam congestæ fuerunt. 155

LXXVI. Epistola Encyclica Archipresbyteris, Vicariis Foraneis, & Parochis Diœcesanis. De Choreis; Utrum natura sua culpæ obnoxiæ sint. An illis Laicus interesse possit sine ullo crimine. Quænam pœnæ præscribantur viris Ecclesiasticis, qui saltationes ducere non erubescunt. ibid.

LXXVII. De vino, quod in Missis celebrandis adhibetur. De veteris Ecclesiæ disciplina in eo seligendo, ac diligenter expurgando. De accusationibus illatis in eos, qui vinum parum conveniens suppeditarunt. Quæ vini species ad Sacrum conficiendum inepta videatur. De vino, quod medium & longum nuncupatur. De vino communi. Quodnam hoc nomine significetur in hac Diœcesi. Tutiorem opinionem tenendam esse in hac re, ne gravetur conscientia. 158

LXXVIII. Epistola Encyclica Archipresbyteris, Vicariis Foraneis, & Parochis ruralibus. De dissidiis inter Ministros Monialium Sancti Lucæ, & Curatores ædificii ejusdem Ecclesiæ ob eleemosynas, quæ conferuntur ab Oppidis ditionis Bononiensis. Quænam peragere debeant Parochi priusquam populus sibi subjectus iter Bononiam suscipiat, ut suum offerat munus. De sorte divitoria, & quas ob causas licita judicetur. Quæ ratio tenenda sit a quolibet Oppido pro congerendis eleemosynis, ut Beatæ Virgini Sancti Lucæ munus offeratur. 160

LXXIX. De Indulgentia, quam Summus Pontifex concessit omnibus, qui felicia, ac fausta precentur Copiis Christianorum contra Infideles decertantibus. Quo animo preces ejusmodi solvendæ sint. De Victoriis, quas Fideles ob intercessionem B. Virginis ex Turcis retulerunt. Copulari bene posse Mariæ Virginis intercessionem cum mediatione Christi Domini, & etiam intercessionem Sanctorum cum intercessione Beatæ Virginis. De Piis Operibus, quæ Pontifex indicit ad comparandam Indulgentiam. 162

LXXX. Epistola encyclica universis curam animarum gerentibus tum in Civitate; tum in Diœcesi de iis matrimoniis, quæ vetitis temporibus contrahuntur. Quocumque tempore iniri posse matrimonia. Solemni pompa carere debere matrimonia, quæ veteris temporibus statuuntur. Quid hujus pompæ solemnis nomine intelligatur. Quid velit Ecclesia dispensare, quoties iniri matrimonia vetitis temporibus permittit. Quænam fuerit perpetua hujus Diœcesis consuetudo in his matrimoniis celebrandis. 164

LXXXI. De Sacris Oleis quæ distribui, tradique Parochis consueverunt. De ipsorum origine. Debent Episcopi ea consecrare, ac deinde Parochi illa ab Episcopo accipere. De quibusdam corruptelis, quæ ratione Olei Infirmorum contigerunt. Utrum Parochus graviter peccet, qui administrans Infirmis Extremam Unctionem utitur Oleo superioris anni. Proponuntur remedia, & consilia ad eas corruptelas evitandas. 167

LXXXII. De Parochis, ac Sacerdotibus, qui habitant cum mulieribus vel consanguineis, vel servitio sibi addictis. Quinam gradus consanguinitatis requirantur. Quibus de causis induci posse videantur mulieres ad servitium rei domesticæ præstandum. Quibus dotibus excellere debeant viri Ecclesiastici, ac mulieres, quæ ipsis inservire permittuntur. 169

LXXXIII. Epistola encyclica Parochis Diœcesanis, qua præcedens Institutio fusius explicatur. De occasione scan-

*ſcandali, quod oriri poteſt ex eo, quod mulieres ſimul habitent cum Parochis. De variatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ in hac re. Quoſnam gradus conſanguinitatis attigerit. Qui vero gradus in hac Diœceſi requirantur. De mulieribus introductis, extraneis, & Agapetis. Quænam ſerio perpendi debeant, antequam Parochis concedatur commune domicilium cum his mulieribus habere. Nullam ineſſe huic diſciplinæ ſeveritatem. Reſponſa reddunturcauſis excuſationum, quæ afferri poſſent.* 170

LXXXIV. *Reſponſum redditum Vicario Foraneo, qui nonullas quæſtiones propoſuit. Utrum facilius videatur generatim decernere, quod Infantes privatim domi baptizati in Diœceſi iterum Baptiſmo abluantur* ſub conditione, *cum ad Eccleſiam deferuntur. De illis Sacerdotibus, qui in aliena Diœceſi ad confeſſiones Fidelium excipiendas probati, tempore Jubilæi in hac noſtra Diœceſi Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrarunt. Item de iis Sacerdotibus, qui in hac Diœceſi Bononienſi ad certum tempus probati, eo temporis ſpatio jam peracto; tamen Jubilæi tempore Confeſſiones audire non dubitarunt, utrum ſicut illicite, ita invalide Sacramentum Pœnitentiæ contulerint.* 174

LXXXV. *Epiſtola ad Joannem Antonium Caſtelvetri Parochum Sanctæ Margaritæ, & Monialium Confeſſarium tradita. Veterem eſſe Monialium conſecrandarum ritum. Decere maxime hujuſmodi ritum in Monaſteriis promovere. Quænam ſint Moniales conſecrationi idoneæ. Quænam requirantur in iis quæ conſecrandæ ſunt. Eſſe aptas Moniales S. Margaritæ, ſicut eas, quæ S. Benedicto nomen dederunt. Utrum hæc conſecratio neceſſario ſpectet. De loco huic rei peragendæ magis accommodato, deque variis modis, & quinam ſit conſuetudini, Sacriſque Canonibus magis conſentaneus.* 176

LXXXVI. *De iis, quæ ſpectant ad facultatem Confeſſionum excipiendarum. Juxta Sacros Canones nemini licere abſque approbatione Ordinarii Fidelium Confeſſiones excipere. Nulli Sacerdoti, cæteroquin idoneo, tribui ſolere poteſtatem audiendi in hac Diœceſi Confeſſiones, niſi prius publicum ſubierit examen. Quomodo a Sacris Canonibus hujuſmodi conſuetudo ſancita ſit. Hanc facultatem nulli concedi, niſi ad præfinitum tempus, ſive Regularis, ſive Sæcularis ſit. Utrum ea conſuetudo Sacrorum Canonum auctoritate ſemper invaluerit, in eo quod ad Regulares attinet. Penes Epiſcopum eſſe iterum examinare doctrinam eorum Presbyterorum, qui acceptam facultatem ſibi provogari cupiunt.* 179

LXXXVII. *Inſtruuntur Parochi, & Confeſſarii, quemadmodum confugere debeant ad Cardinalem Pœnitentiarium, & executioni mandare, quæ ab illo præcipiuntur, præſertim in difficultatibus ad Matrimonium pertinentibus.* 181

LXXXVIII. *Reſponſum redditum dubio a Viro Religioſo propoſito circa Inſtitutionem XXXIII. Iterum oſtenditur matrimonia exterorum, quæ celebrari Bononiæ ſolent, & eorum pariter, quæ in Monaſteriis educantur, contrahenda eſſe præſente Parocho, cujus ditione Monaſterium, aut domus ſubjecta ſit. Contrahi debere matrimonia eorum, quæ educari conſueſcunt, coram Parocho, in cujus Parochia paterna, materna, aut fratris domus conſtituta eſt. Hoc idem ſtatuendum eſt de famulis Bononienſibus, qui domicilium in alia Parochia habent.* 191

LXXXIX. *Cum viæ campeſtres publicæ præruptæ, ac viatoribus admodum difficiles ſint, & cum Parochis onus incumbat, vel Viaticum infirmis miniſtrandi, vel mortuos efferendi; agricolæ, & vicinorum prædiorum domini liberum illis tranſitum per eadem præbere tenentur. Semitas hujuſmodi non eſſe inter vias publicas recenſendas ob delata per eas cadavera, Cruce prælata. Quænam requirantur, ut via conſtituatur publica. Quomodo ſe gerere debeant Parochi, ſi id forte contigerit.* 194

XC. *Invitantur Fideles ad Eccleſiam Metropolitanam promulgata ibidem in Nativitate Domini centum dierum Indulgentia ob recenter detecta Altaria duo, quorum alterum S. Apollinari, alterum S. Ambrosio dicatum eſt. Indicantur cauſæ, quæ excitare debent fideles, ut ea, qua poſſunt, animi devotione religioſum cultum prædictis Sanctis exhibeant.* 195

XCI. *Ad Canonicum Joannem Baptiſtam Scarſelli Cancellarium Archiepiſcopalem Epiſtola, qua oſtenditur, duo vel plura beneficia, quæ ſimplicia nuncupantur, niſi juſta de cauſa, ab eodem retineri non poſſe. Utrum abſque diſpenſatione Apoſtolica Epiſcopus poſſit alicui tertium, quartum, & qintum beneficium ſimplex idcirco conferre, quia prima duo Beneficia ad vitam honeſte ſuſtentandam ſatis eſſe non videntur. Utrum aliqua intercedat diſcrepantia inter beneficia liberæ collationis, & ea, quæ ad jus Patronatus ſpectant. Quid circa hanc rem decerni ſoleat a Sacra Congregatione. Utrum nepos illius, qui Parochiam abdicavit, impediri poſſit, quominus ad eandem obtinendam candidatus interveniat. Senſus Conſtitutionis S. Pii V. quæ ad hoc ſpectat, indicatur.* 196

XCII. *De Miſſarum eleemoſynis, quæ celebrari ſolent in peculiari aliqua Eccleſia Diœceſis. Sacerdotibus omnino vetitum eſſe Miſſam applicare pro iis, a quibus deinde ſtipendium fortuito invenient. Utrum liceat Confeſſariis Miſſas pœnitentibus injungere a ſemetipſis, vel in ſuis Eccleſiis celebrandas. Utrum ſibi, vel ſuis Eccleſiis aliquid tribuere poſſint earum rerum, quæ a pœnitentibus reſtitui ſolent, cum ignoratur ad quem Jure pertineant.* 197

XCIII. *Epiſtola ad Vicarium Generalem habita. Utrum Simoniæ labe afficiatur is, qui pecuniam largiter impendit, ut ſe lite eximat, in cauſis beneficialibus. Quænam requirantur, ut hoc jure fieri poſſit. De Arbitris cauſarum ad Beneficia ſpectantium & cuinam præcipue rei animum, mentemque adjungere ipſi debeant.* 198

XCIV. *Epiſtola encyclica Vicariis Foraneis, & Parochis Urbis, ac diœceſis. Facultatem ineſſe Epiſcopo cogendi Parochos, & Eccleſiæ Rectores, ut ſuis impenſis plures adminiſtros auxilio ſibi accipiant, ubi unus tantum minime ſufficiat ad fidelium confeſſiones excipiendas. Non eſſe immunem a gravi culpa tum Sacerdotem, qui ſemel probatus ad Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandum, deinde (poſtquam deſiit facultatis acceptæ deſignatum tempus) recuſat Confeſſarii munus exercere, ne cogatur ad novum examen accedere.* 199

XCV. *Epiſtola Vicario Generali reddita. Utrum Simoniæ labes inuratur ei, qui Beneficium Eccleſiaſticum eo jure, ut ipſe, quoad vitam agat ſuam, deinceps ejus conſanguinei fructus percipiant. An ad id perficiendum Sedis Apoſtolicæ auctoritas intercedere debeat. Utrum Simoniæ macula careat is, qui divitiis auget Canonicatum jam fundatum, ea tamen ratione, ut ad eumdem obtinendum nominetur. Utrum, qui Jurepatronatus Beneficii præditus ſit, Beneficium idem in ſe conferri poſſit petere, & quo pacto.* 202

XCVI. *De coma fictitia, & capillorum circulis. Utrum Miſſa tecto capite ſine gravi peccato celebrari poſſit. Non poſſe, abſque facultate Pontificis Pileolum, & Comas adſcitias in celebratione Miſſæ adhiberi, licet breves ſint, & tonſura clericalis appareat. An liceat Epiſcopis copiam facere Presbyteris, ut comis fictitiis utantur, quo tempore, quave conditione. De forma, & uſu hujuſmodi circulorum.* 203

XCVII. *Epiſtola ad Vicarium Generalem data. Utrum Canonicus Lateranenſis, retenta eadem vivendi ratione, Beneficio, quod ſimplex nuncupatur, frui poſſit. An Canonici Lateranenſes Beneficia, quæ curam animarum adjunctam habent, ſibi comparare queant. Utrum facultate opus ſit, & a quo impetrare illam debeant.* 206

XCVIII. *De Baptiſmo conferendo. De temporis ſpatio, quo*

dicantur causæ, quæ excitare debent fideles, ut ea, qua possunt, animi devotione religiosum cultum prædictis Sanctis exhibeant. 235

XCI. Ad Canonicum Joannem Baptistam Scarselli Cancellarium Archiepiscopalem Epistola, qua ostenditur, duo vel plura beneficia, quæ simplicia nuncupantur, nisi justa de causa, ab eodem retineri non posse. Utrum absque dispensatione Apostolica Episcopus possit alicui tertium, quartum, & quintum beneficium simplex idcirco conferre, quia prima duo Beneficia ad vitam honeste sustentandam satis esse non videntur. Utrum aliqua intercedat discrepantia inter beneficia liberæ collationis, & ea, quæ ad jus Patronatus spectant. Quid circa hanc rem decerni soleat a Sacra Congregatione. Utrum nepos illius, qui Parochiam abdicavit, impediri possit, quominus ad eamdem obtinendam candidatus interveniat. Sensus Constitutionis S. Pii V. quæ ad hoc spectat, indicatur. 236

XCII. De Missarum eleemosynis, quæ celebrari solent in peculiari aliqua Ecclesia Diœcesis. Sacerdotibus omnino vetitum esse Missam applicare pro iis, a quibus deinde stipendium fortuito invenient. Utrum liceat Confessariis Missas pœnitentibus injungere a semetipsis, vel in suis Ecclesiis celebrandas. Utrum sibi, vel suis Ecclesiis aliquid tribuere possint earum rerum, quæ a pœnitentibus restitui solent, cum ignoratur ad quem Jure pertineant. 238

XCIII. Epistola ad Vicarium Generalem habita. Utrum Simoniæ labe afficiatur is, qui pecuniam largiter impendit, ut se lite eximat, in causis beneficialibus. Quænam requirantur, ut hoc jure fieri possit. De Arbitris causarum ad Beneficia spectantium, & cuinam præcipue rei animum, mentemque adjungere ipsi debeant. ibid.

XCIV. Epistola encyclica Vicariis Foraneis, & Parochis Urbis, ac diœcesis. Facultatem inesse Episcopo cogendi Parochos, & Ecclesiæ Rectores, ut suis impensis plures administros auxilio sibi accipiant, ubi unus tantum minime sufficiat ad fidelium confessiones excipiendas. Non esse immunem a gravi culpa eum Sacerdotem, qui semel probatus ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum, deinde (postquam desiit facultatis acceptæ designatum tempus) recusat Confessarii munus exercere, ne cogatur ad novum examen accedere. 240

XCV. Epistola Vicario Generali reddita. Utrum Simoniæ labes inuratur ei, qui Beneficium Ecclesiasticum constituit eo jure, ut ipse, quoad vitam agat suam, deinceps ejus consanguinei fructus percipiant. An ad id perficiendum Sedis Apostolicæ auctoritas intercedere debeat. Utrum Simoniæ macula careat is, qui divitiis auget Canonicatum jam fundatum, ea tamen ratione, ut ad eumdem obtinendum nominetur. Utrum, qui Jure patronatus Beneficii præditus sit, Beneficium idem in se conferri possit petere, & quo pacto. 243

XCVI. De coma fictitia, & capillorum circulis. Utrum Missa tecto capite sine gravi peccato celebrari possit. Non posse, absque facultate Pontificis Pileolum, & Comas adscititias in celebratione Missæ adhiberi, licet breves sint, & tonsura clericalis appareat. An liceat Episcopis copiam facere Presbyteris, ut comis fictitiis utantur, quo tempore, quave conditione. De forma, & usu hujusmodi circulorum. 245

XCVII. Epistola ad Vicarium Generalem data. Utrum Canonicus Lateranensis, retenta eadem vivendi ratione, Beneficio, quod simplex nuncupatur, frui possit. An Canonici Lateranenses Beneficia, quæ curam animarum adjunctam habent, sibi comparare queant. Utrum facultate opus sit, & a quo impetrare illam debeant. 248

XCVIII. De Baptismo conferendo. De temporis spatio, quo deferendi sunt infantes ut baptizentur. Illos irregularitati omnino esse obnoxios, qui Sacramentum Baptismi (nisi urgeat necessitas) infantibus privatis in domiciliis conferant. Eos pariter arguendos magnopere, qui tempus protrahunt, & infantes domi baptizatos ad Ecclesiam asportare negligant, ubi omissæ cæremoniæ rite perficiantur. Legibus adversari Parochum, aut alium quempiam Sacerdotem, qui Baptismi in privatis ædibus collati fidem facere renuat. 249

XCIX. Epistola Encyclica Parochis diœcesis: cautum esse tum a Sacris Canonibus, tum etiam a legibus civilibus, ne quis Ecclesiam armatus ingrediatur: discrimen ostenditur inter enses, aliaque id genus arma, quibuscum Ecclesias ingredi fas est, & inter scopletos, aliaque ejusmodi, quibuscum ingredi vetitum est. 252

C. Epistola Encyclica Parochis diœcesis. Quomodo & a quonam reparari debeant Ecclesiæ & Parochorum ædes, si necessitas id postulet, sive sint liberæ collationis Episcopi, sive Juris patronatus. Utrum Parochus (nisi vetus aliqua obstet consuetudo) teneatur eas reficere, & quibusnam impensis. Utrum qui gaudet Ecclesiasticis fructibus in aliqua Ecclesia, quæ instauvari debeat, pecuniæ partem conferre adstringatur. Quo in casu Dominus teneatur, in quonam populus, & quomodo in aliis circumstantiis agendum sit. 253

CI. Epistola Petro Francisco Peggio Philosophiæ publico Professori, utrum Clericus gerens Magistratum sæcularem, qui capitalem sententiam pronunciavit, Irregularitatem contraxerit, etsi non fuerit illa executioni demandata. An Clericus, qui militiæ nomen dedit, & manum cum hoste conseruit, irregularis habendus sit, quamvis certo sciat nemini mortem, vel mutilationem sua manu intulisse. Quid statuendum sit, si bellum justum, aut si injustum habeatur. Discrimen bellorum, quæ causa sui defendendi, aut alterius offendendi suscipiuntur. 256

CII. Epistola Encyclica Archipresbyteris, & Parochis diœcesanis, teneri singulos Archipresbyteros indicere cœtum, in quo morales quæstiones examinandæ proponantur. Omnes autem Parochos, & Confessarios ad eosdem cœtus convenire debere. Transmittenda esse ad P. Pœnitentiarium responsa propositis quæstionibus reddita. Muneri suo deesse illos omnes, qui gerunt curam animarum, nisi scripta exhibeant eorum nomina, qui Paschali præcepto minime paruerunt. 260

CIII. Norma quædam præscribitur pro cœtibus Ecclesiasticis, qui in hac Metropolitana Ecclesia haberi consueverunt, ut quæstiones Theologiæ Moralis discutiantur. De his, qui cœtibus hujusmodi interesse tenentur. Utrum omnes, qui Canonici dignitate insigniti sunt, convenire de-

*debeant. An Canonicus Pœnitentiarius intervenire adstringatur. Utrum Confessarii Regulares ad excipiendas Laicorum Confessiones approbati, hosce Ecclesiasticos conventus adire teneantur.* 262

CIV. *De exercitiis spiritualibus, quibus vacare debent, qui ad Sacros Ordines promovendi sunt. De militaribus, quæ ex illis dimanant. Quamobrem initio hujusmodi exercitationes fuerint excogitatæ. Et a quo præscribantur & quo tempore. Ostenditur hoc Institutum observari tum Romæ, tum in aliis Italiæ Civitatibus. Rejiciuntur futiles excusationes, quæ adduci solent ab iis, qui sese ab hac pia consuetudine expedire velint.* 264

CV. *Leges quædam constituuntur tum in Urbe, tum in diœcesi circa testamenta, quæ sine Notario, vel a Parocho, vel ab alio Sacerdote conscribi solent. De iis, quæ in associandis deferendisque ad tumulum cadaveribus eveniunt, aliisque hujusmodi. De Tertiariis, quæ privatis in ædibus, & quæ conjunctim vitam agunt. De dissidiis quæ inter Parochos, & Sodalitates quotidie oriuntur, ubi explicantur Decreta generalia Congregationis Sacrorum Rituum habit. anno 1730., quibus inscribitur* Urbis, & Orbis. 267

CVI. *Epistola ad Canonicum Joannem Baptistam Scarselli Cancellarium Archiepiscopalem data, de illo, qui ad Ordines diebus profestis promoveri desiderat, acceptis Apostolicæ Sedis litteris, quibus permittitur ei* extra tempora *initiari: ac de eo, qui Ordines minores, & Subdiaconatum uno eodemque die suscipere contendit. Nullius ponderis esse rationes ab iis, qui similia expostulant, adductas. Utrum inter Festos referendi sint dies, quibus duplex Officium præscribitur, quamvis populus a servili opere minime sese abstineat. Quibusnam ex his diebus juxta Apostolicæ Sedis sententiam Ordines tribui debeant? Veritum omnino esse, Ordines minores, & Subdiaconatum eadem die accipere, & quibus indictis pœnis.* 289

CVII. *Congeruntur, ac subjiciuntur oculis Canonicorum Ecclesiis tum Metropolitanis, tum Collegiatis urbis, ac diœcesis inservientium quæcumque sancita fuerunt a Sacris Canonibus, a Tridentino Concilio, a Sacra Congregatione ejusdem Concilii interprete de servitio, quod præstare debent choro (ad quem convenire tenentur) ipsi Canonici, & Mansionarii Cathedralibus, & Collegiatis addicti. Postremo admonentur observare diligenter ejusmodi decreta, quæ ipsorum quoque Constitutionibus optime congruunt.* 291

*Epistola Pastoralis Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Prosperi de Lambertinis Bononiensis Archiepiscopi, & Principis, tunc Archiepiscopi Theodosiensis ad Clerum Populumque Anconitanum, cum eorum Episcopus renuntiatus est. Rationem reddit, quare hæc Epistola non statim ab adepto Episcopatu data sit. Fusesibi de illo gaudet. Ait se ejusdem muneribus imparem; ob idque preces omnium apud Deum exposcit.* 312



PRO-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

# INSTITUTIONUM ECCLESIASTICARUM

## *PARS PRIMA.*

### INSTITUTIO PRIMA.

*De Fontis Baptiſmalis benedictione, origine, & inſtitutione: Quibus diebus fieri conſueverit, & quinam ad illam convenire teneantur.*



I. NTER ea, quæ ſapienter inſtituta ſunt, ut ſacro majoris hebdomadæ tempore (1) Chriſtianorum pietas, ac Religionis cultus magis excitetur, Baptiſmalium Fontium conſecratio adnumeratur.

II. Baſilius quidem Magnus Cæſarienſis Epiſcopus, (2) qui ab Eccleſia condita Seculo quarto doctrina, & ſanctitate maxime floruit, hanc conſuetudinem ab Apoſtolis traditam, & in poſteros derivatam teſtatur; quam Deus etiam certiſſimis ſignis palam comprobavit, ut in egregiis Commentariis de gloria Martyrum a S. Gregorio Turonenſi ſexti Seculi Scriptore exaratis (3) luculenter continetur.

III. Gregorius etiam Pontifex ob virtutem, ac ſapientiam cognomento Magnus hujus veteſtiſſimi ritus ordinem accurate, diligenterque complectitur in Sacramentario (4) quod Hugo Menardus ex Ordine Benedictino vir ſapientiſſimus in lucem edidit (5) præclaris notis exornatum. Hanc vero Fontis conſecrationem non tantum Sabbato majoris hebdomadæ celebrari ſolitam accepimus, ſed etiam in pervigilio Pentecoſtes, quibus diebus (6) Baptiſmus conferri more Inſtitutoque Eccleſiæ, (niſi aliter neceſſitas expoſceret) unice conſueverat. Nam quod traditur a Gregorio Nazianzeno (7) die feſto Epiphaniæ luſtralibus undis recentes Fideles etiam expiatos, id ſolum in paucis quibuſdam Locis uſu receptum fuiſſe conſtat.

Deinde, quum poſteriori tempore frequentius, ac plane quotidie Baptiſmus impertiretur, ut aliquid ſaltem primi Inſtituti retineret Eccleſia, fontes iiſdem diebus conſecrari voluit, quibus antea ſalutari lavacro eos luſtrabat, qui Chriſti Domini religionem, ac diſciplinam ſuſceperant (8). Id autem cum plurimis Teſtimoniis (9) liquido apparet, tum præcipue ex jure Pontificio (10), in quo Sabbatum majoris hebdomadæ, & pervigilium Pentecoſtes, omiſſo Epiphaniæ ſolemni Feſto, potiſſimum nominantur.

IV. Novus autem in Sacris Litteris, ac peregrinus eſſet, qui Baptiſmum fuiſſe initio Eccleſiæ a ſolis Epiſcopis collatum ignoraret. Quippe Gregorius Magnus ad Romanum Italiæ Præfectum ſcribens, illum iis (11) verbis admonuit, ut Blandum Hortanum Epiſcopum dimitteret, quem ille Ravennæ detinebat: *Eccleſia ſine Rectore, & Populus, quaſi ſine Paſtore Grex, deperit, & ibidem Infantes ſine Baptiſmate moriuntur.* Plurima in hanc rem afferri poſſent documenta ex omni antiquitate deprompta, niſi ex veteri conſuetudine, quæ & in præſentia conſtans eſt, ſatis ſuperque confirmaretur. Nam in plurimis Urbibus, Civium licet multitudine affluentibus, in Eccleſia tantum principe, aut prope ipſam, Fons Baptiſmi conſtruitur, ad quem univerſi deferri ſolent, ut rite abluantur. Apud Martenem vero, (12) qui plura de antiquis Ritibus erudite ſcripſit, hæc leguntur: *Primum eſt, olim in ſolis fere Cathedralibus Eccleſiis Baptiſteria. Nam cum ſoli priſcis temporibus baptizarent Epiſcopi, ſolæ etiam, in quibus reſidebat Epiſcopus, Eccleſiæ Baptiſteria habebant.*

V. Sed præſertim Chriſtianus Lupus vir clariſſimus (13) eamdem ſententiam ante Martenem poſteris commendavit. Cum deinde Chriſtianorum numerus ſingulari Dei beneficio magis in dies propagaretur, factum eſt, ut Baptiſmum, vel nulla urgente neceſſitate, liceret omni tempore conferre, & pluribus etiam, præter Epiſcopos, illum adminiſtrandi poteſtas fieret; & fontes pariter in multis Urbium partibus, ac potiſſimum in agris a Civitate longe diſjunctis pro commoditate Populi collocarentur. Illi vero, qui huic muneri præfecti eſſent (14), Decani Chriſtianitatis ſunt nuncupati.

Inficiari tamen minime poſſumus hujus antiquæ diſciplinæ veſtigia, & ſuperioribus temporibus retenta fuiſſe, & nunc etiam religioſe obſervari: quippe Seculis XII., & XIII., poſtquam Pontifex Sabbato majoris hebdomadæ cum ſacro comitatu Templum ingreſſus erat, ut Baptiſmi Fontem conſecraret, Cardinales, qui aderant, Pontificis facultate accepta, ad Eccleſias, quarum titulis prædíti erant, profecti, Baptiſmi Sacramentum miniſtrabant. Ita commemorant Cencius, qui Seculo XII., & Benedictus Canonicus, qui XIII. Seculo floruerunt, quorum ſcripta in Bibliotheca Capituli Vaticanæ Baſilicæ diligenter ſervantur, cui Nos etiam per 14. annos Cuſtodes præfecti fuimus, quum in eadem Baſilica Canonici locum, ac dignitatem obtineremus. Sed jam ad hæc poſteriora tempora deveniamus. Quum Cle-

(1) *Jo. Chryſoſt. Hom. 30. in Gen.* (2) *Lib. de Spiritu S. c. 27.* (3) *Lib. de Glor. Martyr. c. 23.* (4) *Pag. 71.* (5) *Anno 1742.* (6) *Siricius Pont. in Epiſt. ad Himerium Epiſcop. Tarrac. S. Leo Magn. in Epiſt. 4. & 80. Gelaſius Pont. Epiſt. 1. cap. 12.* (7) *Orat. 4. de Baptiſ.* (8) *Catechiſ. Rom. cap. 2. de Sacrament. Baptiſ. num. 61.* (9) *Franc. Amat. Pouget. in ſuis Cath. Inſtit. editis 1725. pag. 850.* (10) *Can. Duo tempora & aliis ſeqq. de Conſecr. diſt. 4.* (11) *Lib. 1. Epiſt. 32.* (12) *De antiq. Eccleſiæ ritib. editionis Rotomag. lib. 1. pag. 11.* (13) *Lib. 1. obſervat. in Decreta, & Can. Conciliorum pag. 855.* (14) *Thomaſſin. de vet., & nova Eccleſiæ diſciplina part. 1. lib. 2. cap. 6. ſub n. 2. pag. 228.*

Clemens VIII. expeteret maxime, ut omnes Ecclesiæ in Sacris Ritibus exequendis omnino conformarentur, Cæremoniale Episcoporum imprimi jussit, quod deinde Innocentius X., & Benedictus XIII., novis quibusdam additis, quæ prorsus necessaria videbantur, sua auctoritate confirmarunt. Itaque in iis Libris (1) cautum fuit, ut Baptismi Fontes Sabbato majoris hebdomadæ ab Episcopo de more sacri fierent; & Catechumeni, si qui adessent, Sacrum ab ipso Lavacrum acciperent, vel si aliquo impedimento detentus Episcopus, id perficere minime posset, alium ipse sufficeret, qui suo nomine, & facultate rem totam administraret.

VI. Sed quo magnificentius, ac pro rei dignitate id geratur, merito sancitur, ut Canonicorum Collegium, cæterique Ecclesiæ Administri simul intersint. Postremo ne aliquis contentioni locus superesset, non semel eos, qui ad fontem consecrandum debeant omnino convenire, Sacræ Congregationes declararunt; videlicet, si in Ecclesia Cathedrali id fiat, non Canonicos modo, & Clericos universos, qui fidem suam, ac nomen ipsi Ecclesiæ dederunt; sed alios quoque Presbyteros, Parochos, & Clericos, quos Episcopus acciverit, licet in ipsius locum ab alio consecratio peragatur. In aliis vero Ecclesiis, ubi fons hujusmodi servatur, præsentes esse debent Parochi eidem subjecti, & reliqui Sacerdotes, & Clerici, qui fuerint ipsis adscripti. Postremo in iis Ecclesis, quæ unius Sacerdotis potestate, ac regimine curantur, fons minime consecrari potest, nisi cum ipso alii quoque Presbyteri simul operentur. Hæc omnia complectitur accurate Braschius (2); & nuper etiam a S. Concilii Congregatione Patrum consensu, judicioque responsum fuit, Parochos in Ecclesiis Cathedralibus, quibus subjiciuntur, adesse debere, cum fontis solemnis consecratio quotannis renovatur, uti memorat Cardinalis Petra (3), qui per plures annos ejusdem Congregationis a Secretis præclarum munus cum laude sustinuit.

VII. Illud profecto certum est in Urbe Bononiensi, aliisque Italiæ civitatibus Baptismi fontem veteri consuetudine in Ecclesia principe solum retineri, ibique non Civium modo Infantes, sed Oppidorum ad Civitatem proxime pertinentium salutari Lavacro expiari. Id etiam in more positum perpetuo fuit, ut Sabbato majoris hebdomadæ, & in pervigilio Pentecostes hujusmodi fontes magno Parochorum omnium concursu sacrarentur. Ita enim in Synodicis Sanctionibus Laurentii Campegii Cardinalis amplissimi clare dignoscimus (4): *Insuper præcipimus omnibus Cappellanis Civitatis Bononiensis, ac suburbiorum, ut Sabbato majoris Hebdomadæ, atque in pervigilio Pentecostes conveniant ad Baptismum, qui in Ecclesia Cathedrali instituitur. Qui parere recusaverint pœna solidorum 40. absque ulla spe condonationis omnino plectentur.* Id etiam auctoritate (5) præstantissimi viri Cardinalis Gabrielis Palæotti magis deprehenditur. In ea quippe oratione, cujus est argumentum: *Sermo de Baptismi Sacramento in Sabbato magno Paschæ, aut Pentecostes, cum convenit Clerus ad Benedictionem Fontis.* Sermonem his verbis exorditur: *Sacrosanctum istud Catholicæ Ecclesiæ Institutum priscis temporibus pia fidelium traditione, perpetuaque observatione ad Nos perductum, ut hoc ipso die, qui Dominicæ Resurrectionis, aut Pentecostes celebritatem præcedit, inter multas, ac religiosas Benedictiones, quæ intra atrium Ecclesiæ fiunt, hæc Sacri Fontis Consecratio, accersitis Parochis, adstanteque Clero solemniter perficeretur, admonet Nos dilectissimi, ut nonnulla, ac cum iis pertertim, quos in Animarum curatione socios, atque administros habemus, de singulari hoc Dei beneficio agamus, quod per Baptismi Lavacrum Nobis collatum est.*

VIII. Satis exploratum non habemus, utrum, postquam Cardinalis Palæottus vita decessit, nonnulli Fontis Consecrationi interesse ob negligentiam prætermiserint; id tamen eveniisse suspicamur ex iis, quæ leguntur in Synodo ab Hieronymo Cardinali Boncompagno coacta (6): *Parochi Civitatis, & Suburbiorum intersint Benedictioni & renovationi Fontis Baptismalis faciendæ in hac nostra Metropolitana: Alii vero Parochi Diœcesani in Plebaniis, quibus subduntur, prædictæ intersint functioni sub pœna duorum aureorum.*

Nos interim satis cognita, perspectaque Parochorum probitate, confidimus neminem in posterum huic publico muneri defuturum, nisi forte gravi aliqua causa impediatur, qua Nobis, vel Vicario nostro producta, facultatem ea conditione facile impetrabit, ut alius Sacerdos ejus loco sufficiatur. Id vero a singulis etiam Parochis, qui longe ab Urbe in agris constituti sunt, integre, ac religiose observandum minime dubitamus. Attamen, ut in officio contineantur universi, propositas a Cardinali Boncompagno pœnas iterum infligimus in eos, qui Fontis consecrationi statutis diebus non adfuerint, vel alium minime subrogaverint, si necessario aliquo impedimento, ut supra diximus, plicati, vacationem obtinuerint.

Equidem fatemur longius, quam ab initio statuimus, protractam esse hanc Institutionem, cujus Nos minime pœnitet, ut facilius quisque deprehendere possit, Nos rerum novarum minime cupidos, id solum magnopere expetere, ut, quæ olim graviter, sanctequa majoribus nostris proposita sunt, in pristinum locum, ac dignitatem mitius, & commodius restituantur.

## INSTITUTIO II.

*De Sacra Ordinatione; quanti referat delectum in conferendis Ordinibus habere.*

I. QUamquam a præclarissimo Decessore nostro in generali Decreto pro Sacra Ordinatione indicenda, & a Nobis pariter accurate declaratum sit, quid ad primam Tonsuram, Ordinesque rite conferendos, vel suscipiendos omnino requiratur, tamen deprehendimus pravas aliquas consuetudines irrepsisse, quæ Edictum hujusmodi, & quod caput est, Sac. Concilii Tridentini Constitutiones non mediocriter labefactant. Hinc rato, atque firmo priori Decreto, novum hoc proponendum necessario duximus, ut traditam a majoribus disciplinam ab omni labe immunem prorsus, ac liberam tueremur. Neque sane animo commovebimur, si perpauci ad Sac. Ordinationes in posterum confluant, & pauci etiam in Civitate Clerici numerentur. Nam magnopere Nos recreat, magisque in proposito confirmat, quod Lateranen. Concilii Patres sub Innocentio III. scriptum reliquerunt. Satius est enim, maxime in ordinatione Sacerdotum paucos bonos, quam multos malos habere ministros. *Conc. Lat. 4. sub Inn. 3. Cap. 27. de Instruct. Ordinandorum ex Collect. Hard. tom. 7. col. 42.* Illud etiam perpendendum subjicitur (7) *Melius est Domini Sacerdotium paucos habere Ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant.* Insuper satis exploratum habemus, quod ad Timotheum scribit Apostolus: *Nemini cito manum imposueris*, uti Carthusianus declarat, *Aliquem facile ordinando.* Terret Nos etiam vehementer, quod Joannes Moschus Seculi septimi Scriptor Posterorum memoriæ commendavit in eximio, ac sane perutili Commentario, (8) quod in septima Synodo ad fidem faciendam prolatum fuit, & libro septimo Bibliothecæ veterum Patrum continetur. Is enim commemorat, cum ad sepulcrum Beatorum Petri, & Pauli Leo Magnus pro suorum criminum venia, & expiatione suppliciter exoraret, S. Petrum illi subito ante oculos adstitisse, iisque verbis alloquutum: *Oravi pro te, & dimissa sunt tibi omnia peccata tua, præterquam impositionis manuum. Hoc enim solum abs te requiretur, sive bene, sive fortasse aliter id egeris.*

II. Novum porro non est, sed in Generali Concilio Calcedonen. sancitum atque iterum in Tridentino; (9) ne temporis diuturnitas aliquam excusationis causam afferret, videlicet: *Ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur.* Igitur, qui dignus aliquo Ordine judicabitur, impressam schedulam accipiet, inscriptumque nomen Ecclesiæ, cui omnino debeat inservire: sed ut re potissimum, non autem verbis id perficiatur, uti Sac. Concilium illis verbis loco supra citato declarat, *ubi suis fungatur muneribus*, ideo omnia in ea schedula describentur, quæ singulis aptissime convenient, ut ejusdem Sac. Concilii sententiæ conformentur. Siquis vero perfectis etiam reliquis omnibus, quæ ad ordines recipiendos exiguntur, id unum, de quo sermo est, negligenter prætermiserit, ad altiorem gradum ascendere nulla ratione illum permittemus.

III. Eos quoque a Concilio Tridentino longe discedere judicamus, qui postquam rite ordinati fuerint, vel muneri suo non satisfaciant, vel satisfeciisse temere arbitrentur, videlicet si vel Diaconi, aut Subdiaconi superinduti linea veste Sacram Eucharistiam comitati fuerint, cum ad Infirmos defertur, vel cum ipsa per Urbem quolibet mense solemni pompa circumgestatur. Id prorsus alienum est a Sac. Concilio, in quo de Diaconis, ac Subdiaconis ita decernitur: (10) *Ecclesiis quibus adscribentur inserviant, sciantque maxime decere, si saltem diebus Dominicis & solemnibus, cum Altari ministraverint, Sacram Communionem*

(1) *Lib. 2. cap. 27.* (2) *In Promptuario Synod. cap. 5. num. 29. In Causa Savonen. 17. Novembris 1691.*
(3) *Lib. 3. pag. 53. n. 19.* (4) *In Decret. Synodal. editis anno 1535. pag. 6.* (5) *Lib. de administr. Ecclesiæ Bononien. pag. 92.*
(6) *Anno 1654. ad Tit. de Fonte Bapt.* (7) *In Cap. Tales, distinct. 23.* (8) *Pratum Spirituale inscribitur cap. 149.*
(9) *Sess. 23. cap. 16. de Reform.* (10) *Sess. 23. cap. 13.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*nionem perceperint*. Pro Clericis vero in Minoribus Ordinibus conſtitutis hæc tradunt: (1) *Decernit ut in poſterum hujuſmodi Miniſteria non niſi per conſtitutos in dictis Ordinibus exerceantur*. Quoniam vero excitantur querelæ, nempe a Diaconis, & Subdiaconis munera ſua expleri non poſſe, eo quod in Parochiis Sacra diebus Feſtis ſolemnia minime celebrentur, intelligent ſinguli ex ſchedula, quibus Miniſteriis exercere ſe debeant; quæ ſi omittantur, viam ſibi pro certo teneant perpetuo ad alios Ordines interclusam.

IV. Non ſemel declaravimus neminem ad Sac. Ordines aſſumendum, niſi prius Theologiam Moralem ſedulo percurrerit. Neque tamen eorum ſtudium, ac voluntatem improbamus, qui Theologiæ Scholaſticæ operam præſtant, aut in jure Pontificio verſantur. Sed ut majori in omnes uteremur indulgentia, Theologiæ Moralis ſtudium cæteris facilius, atque uſitatius propoſuimus amplectendum, quod qui ante Diaconatum ſuſcipient, & ad Sacerdotium uſque fuerint non interrupte proſecuti, eoſdem doctrina ſatis inſtructos fore non dubitamus. Quippe a Concilio Tridentino ſtatuitur, ut qui Sacerdotes fieri peroptant, præter cætera (2) *etiam ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac ad miniſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur*.

V. Illud in hac re taciti præterire non poſſumus, in peculiari multorum Cardinalium Congregatione ab Innocentio XIII. inſtituta (in qua Nos ipſi a ſecretis delecti per annum integrum ſupra modum elaboravimus, materiam ordinemque comparantes Conſtitutionis, quæ incipit *Apoſtolici Miniſterii*; quæ primum ab eodem Pontifice ad Clerici Hiſpanici reformationem fuit evulgata, & cæteris omnibus Epiſcopis, veluti exemplar propoſita, deinde a Benedicto XIII. Apoſtolica Auctoritate confirmata) in illa, inquam, peculiari Congregatione poſt diligentiſſimam inveſtigationem verba Tridentini Concilii mitius, aut benignius explicari non poſſe declaratum fuit, quam ſi de Moralis Philoſophiæ ſtudio intelligerentur.

VI. Parochi, qui in Civitate conſtituti ſunt, Nobis utique literis ſcriptis teſtantur, Ordinibus initiatos ſuis Conventibus aſſiduos, & frequentes adeſſe, de quo ſingulares ipſis agimus gratias, & habebimus perpetuas. Sed cum ii Conventus noſturno plerumque tempore, & non niſi ſemel quolibet menſe haberi ſoleant, Convivio plane comparari poſſunt, ad quod aliqui ſymbolam conferunt optimam, & lautam, alii vero ſatis mediocrem, nonnulli etiam ſine ullo ſumptu conveniunt. Eam ob rem monemus univerſos inania prorſus, ac nullius momenti fore hujuſmodi teſtimonia, niſi pariter in illis frequentia, indoles Clericorum, & quinam fructus percipiatur, aperte declarentur. At vero pro ſtudiorum teſtimonio, ac fide eorum, qui in Civitate degunt, volumus, ut Profeſſor ad tradendam Moralem, aut Scholaſticam Theologiam, vel etiam jus Pontificium publice conſtitutus, affirmet, an ſedulam cum fructu operam aſſidue impenderint.

VII. Inſuper cum ad examen accîti venient, qui Ordinibus initiandi ſunt (quod donec ſalvi, & incolumes erimus, Nobis ſemper præſentibus, habebitur) priuſquam inquiramus, quæ ad Ordines pertinent, ut de eorum ingenio, ac doctrina certi ſimus, plurima etiam circa facultates, ac diſciplinas, in quibus ſinguli verſantur, exacto judicio perſcrutabimur. Poſtremo cum Sac. Concilium Tridentinum jubeat, ut qui Minores Ordines expetunt (3) *ſaltem Linguam Latinam intelligant*, quantum in ea profecerint univerſi palam coram Nobis experientur; ob quam cauſam aliud Edictum ſimul promulgandum curavimus, in quo ratio, ac norma in Clericis examinandis ſervanda contineatur.

VIII. Commendamus autem ſummopere eorum diligentiam, ac fidem, qui de more hujus Diœceſis colligendis, ac probandis Clericorum meritis præpoſiti ſunt. Caveant tamen, ut in poſterum, qui ordinandi ſunt, illud etiam plane comprobent, nuſquam alicujus criminis reos coram Sæculari, aut Eccleſiaſtica poteſtate in jus vocatos fuiſſe. Verum ne ipſos majori labore, ac moleſtia afficiamus, Congregationem nuper conſtituimus, cui Nos, aut Vicarius noſter nunquam deerimus; ibique accurate dijudicandum erit, an ſingula, quæ in hoc Decreto præſcribuntur, diligenter fuerint obſervata.

## INSTITUTIO III.

*De Rogationibus Majoribus, ac Minoribus, veteri ipſarum Inſtitutione, Auctore, & Loco, ubi primum cœperunt; quo pacto initio gererentur, quam ob cauſam inductæ fuerint, & quæ religione ſint peragendæ; item de Origine Imaginis B. Mariæ Virginis per S. Lucam depictæ: ex quo loco, & quo tempore in hanc Urbem delata fuerit: Poſtremo de Cultu eidem Sac. Imagini præſtando.*

I. CUm die Feſto S. Marci ſolemnis per Urbem ſupplicatio de more peracta fuerit, quo tempore Nos ad inviſendam Diœceſim profecti longe ab Urbe detinebamur, proximis diebus 19. 20. 21. menſis Maji, Deo juvante, reliquæ ſupplicationes Nobis præſentibus publice indicentur, quæ *Minores Rogationes* nuncupantur, cum altera *Majoris Rogationis* nomen acceperit (4). Id autem eveniſſe ob eam cauſam putamus, quod S. Gregorius Magnus ipſam primus excogitaverit, cæteras vero S. Mamertus Epiſcopus Viennæ in Gallia longe ante induxerit, uti Durandus advertit (5), vel ſaltem, quia idem Sanctiſſimus Pontifex illam propagaverit, cum de eadem tanquam a Majoribus accepta ipſe loquatur: *Solemnitas annuæ devotionis Nos, Fratres Dilectiſſimi, admonet, ut Litaniam, quæ Major ab omnibus appellatur, ſollicitis, ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare* (6). In qua ſententia præclariſſimi quoque Viri, Baronius, ac Martenes verſantur (7).

II. Veteſtiſſima æque, ac pia Minorum Rogationum Inſtitutio omnes ad ſinceram cordis pœnitentiam, atque ad Divini Numinis opem implorandam ſummopere excitare debet, ut impendentes undique calamitates a noſtro capite depellat, & poſt hujus vitæ curſum in Cæleſtis Regni ſocietatem excipiat. Nonnulli profecto piam hanc Inſtitutionem S. Mamerto antiquiorem exiſtimant, & S. Auguſtinum teſtem adducunt (8); quibus Nos libenter aſſentiremur, niſi illam ipſam concionem, qua id confirmant, S. Cæſario Arelatenſi potius, quam Auguſtino tribuendam præſtantium Virorum auctoritate ducti merito ſuſpicaremur.

III. Itaque Mamertum Auctorem arbitramur, qui Seculo quinto Sanctitatis gloria maxime floruit, quod etiam clare teſtatur S. Avitus in Concione de *Sac. Rogationibus*, quam Joannes Gagnæus in lucem edidit, ac deinde Menardus iterum Typis evulgavit (9). Id etiam præclaro Sidonii Apollinaris teſtimonio comprobatur: *Quidquid illud eſt*, inquit, *quod otio, vel negotio vacas, in Urbem tamen, niſi fallimur, Rogationum contemplatione revocabere; quarum Nobis ſolemnitatem primus Mamertus Pater & Pontifex reverentiſſimo exemplo, utiliſſimo experimento invenit, inſtituit, invexit*. Et quamquam ſubjiciat: *Quippe prius, quod ſalva fide, pace ſit dictum; vagæ, infrequenteſque, utque ſic dixerim oſcitabundæ ſupplicationes*, illud ſolum ex his deprehendi poteſt, ante Mamertum publicas ſupplicationes haberi conſuevîſſe, non illas tamen, quæ per triduum ante Feſtum Aſcenſionis Domini peculiari quodam ritu celebrantur.

IV. A Gallia ſacrum id Inſtitutum in alias Regiones promanavit; ac primum ſub Leone III. a Romana Eccleſia receptum memorat Anaſtaſius Bibliothecarius, vel quicumque ſit Auctor, qui res ab eodem Pontifice præclare geſtas poſteritati commendavit: *Ipſe vero a Deo protectus & Præclarus Pontifex conſtituit, ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ Litaniæ celebrentur*. Mirabitur ſane, ac merito, qui in mentem revocaverit pietatem egregiam, qua olim Chriſti Fideles ſolemnes hujuſmodi dies proſequebantur. In Moguntino Concilio (10) præcipitur, ut nulla utantur veſtium pompa, nullumque eo tempore præferant ornamentum. Concilio autem Arelatenſi (11) Jejunium religioſe obſervandum proponitur. Tandem ex antiquiſſimis Rituum libris a Martene editis (12) intelligimus in more poſitum fuiſſe, ut ſacro cinere (quod nos primo Quadrageſimæ die facere conſuevimus) ſingulorum capita adſpergerentur. Illud poſtremo memoria dignum, quod a S. Cæſario Arelaten. traditur in ea concione, cujus Auctor S. Auguſtinus, ut paulo ante diximus, ab aliquibus nuncupatur, nempe Divinum Officium, quod hiſce diebus perſolvebatur, in variis Templis recitari ſolitum fuiſſe, in quibus per ſex horas ſtationes Chriſtiani producebant: *Qui in iſtis ſex horis de conventu*

*Ec-*

(1) *Seſſ.* 23. *cap.* 17. (2) *Seſſ.* 23. *cap.* 14. (3) *Seſſ.* 23. *cap.* 11. (4) *Cæremon. Epiſ. lib.* 2. *cap.* 32. (5) *Durand. lib.* 6. *Ration. cap.* 202. *n.* 4. (6) *S. Greg. initio lib.* 2. *Regeſt.* (7) *Baron. ad Martyrol. Rom.* 25. *Aprilis*; *Marten. lib.* 4. *de Divin. Offic. cap.* 27. *n.* 1. (8) *In Serm.* 173. *de Tempore in pervig. Aſcen.* (9) *In notis ad Sacramentar. S. Gregor. lib.* 7. *Epiſt.* 14. (10) *Cap.* 33. (11) *In Can. Rogationes de conſecr. diſt.* 3. (12) *Tom.* 4. *cap.* 27. *num.* 4.

*Ecclesiæ non subducit se, magnum remedium animæ suæ nosci-tur providere.*

V. Hæc autem in medium non ideo protulimus, ut adspergendi super capite Fidelium sacri Cineris usum, vel Jejunii per hoc triduum consuetudinem renovaremus, quod in ordinem Religionis S. Joannis Hierosolymitani cooptatis singulari lege præscribitur. Non ignoramus pariter ex communi Ecclesiæ disciplina a Festo Paschatis usque ad Pentecostem nullum Jejunium adhiberi; & cum Mediolanen. Ecclesia veterem jejunandi morem Rogationum tempore retinuerit, illas post Festum Ascensionis Domini solemniter indicit, ut in actis Concilii Provincialis, quod primum S. Carolus Mediolani celebravit, aperte continetur, *Ut triduo Rogationum post Ascensionem Domini, ex veteri Instituto in Mediolanensi Ecclesia Jejunium adhibeatur.*

VI. Ea igitur de causa prisca Ecclesiæ Instituta in memoriam adduximus, ut sanctissimis Majorum exemplis, qui Nos longe virtute, ac meritis superarunt, concitati, omnes curæ nostræ commendati ad pietatem vehementius incenderentur. Siquis autem ex his, quæ hactenus commemoravimus parum animo moveatur, sibi ante oculos proponat funestam luem, ac pestem, quæ jampridem in armenta grassatur, ut meritas violato Numini pœnas exsolvamus: cogitet etiam has supplicationes initio a S. Mamerto propositas fuisse, ut crudelissimas feras, quæ hominum cervicibus, ac fortunis imminebant, longe propulsaret; Deumque populi luctu, & precibus commotum Viennæ Urbem, universamque Diœcesim a vastitate, ac ruina tunc eripuisse. Id S. Avitus in concione, quam superius memoravimus, & S. Gregorius Turonen. (1) testatum nobis reliquerunt. Quamobrem in libro, qui *Sacerdotale* inscribitur, illud posterorum memoria dignum refertur, *In aliquibus Ecclesiis solent portari Dracones, & Lupi super perticas ad denotandum, quare instituta fuerit hæc Processio.*

VII. Cum Cæremoniale Episcoporum decernat, ut Sacra aliqua effigies per Urbem deferatur, Sacris Ritibus omnino consentaneum videtur, id quod in hac Civitate Rogationum tempore pridem usu receptum fuit. Etenim Beatæ Virginis Imaginem a S. Luca depictam, quæ Seculo XII., Gherardo tum Bononiensium Episcopo, in hanc Urbem ab Æde Constantinopolitana S. Sophiæ delata fuit, & in Montem Guardiæ collocata, a Seculo XV. (cum Beatus Nicolaus Albergatus Bononiensem Ecclesiam administraret) transferre consueverunt in Civitatem sodales a Morte nuncupati, cum proxime Rogationum dies celebrandi essent, eandemque Sacram Imaginem solemni Populi supplicatione circumgestare. Hæc Sigonius memorat in eleganti Commentario, quo Bononienses Episcopos recenset.

VIII. Igitur in hac Tabula Dei Parentis Effigies exhibetur, ob quam, ait S. Bernardus, omnia in genus hominum cælestia munera, Deo sic volentes, copiose dimanant, (2) *Quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Sanctus autem Petrus Damiani in ipsius cultum animos his magnopere verbis incendit (3): *Dignum quippe est, ut, quæ laudum præconia meretur ab Angelis, obsequiis etiam frequentetur humanis, eique post Deum totus Orbis exhibeat laudem, per quam suscepit propriæ salutis auctorem. Optima sane spes est apud eam habere confugium, quæ scilicet inter omnes Cælestis Curiæ Senatores impetrandi apud Deum primum obtinet locum.*

Tandem satis exploratum est maximis sæpe beneficiis cumulatos fuisse, qui ad sacram hanc B. Virginis Imaginem pie confugerunt, quæ omnia Ascanius Persius satis accurate complectitur.

IX. Quamquam annos 40. Romæ immorati non interfuimus, cum Rogationum tempore hæc sacra Effigies circumferretur, tamen in mentem veniunt Populi concursus, & incredibilis lætitia, qua vultu, oculis, ac toto corpore gestiebant universi. Itaque eandem in omnium animis religionem fore confidimus, plurimumque commendamus, ut maximus iis præsertim Templis honos tribuatur, in quibus sacra solemniter fient, ac B. Virginis Imago per id tempus asservabitur; quæ deinde sub quartam & vicesimam diei horam omnino, uti mos est, debeant obsecrari, illud etiam decernimus, ut dato tormenti bellici signo Tintinnabula ex Turribus universa personent, cum sacra Tabula in Urbem deportatur.

X. Verum iis externis significationibus minime acquiescimus, quippe omni labe rite expiatus, & Sac. Synaxi refectus unice potest B. Virginis tutelam, ac fidem apud Deum sibi comparare, ut ipsius opem nos miseri, & egentes experiamur. Ipsa quidem Parens est amantissima eorum, qui peccati vinculis ita adstringuntur, ut tamen ab illis dissolvi maxime cupiant, & se a turpi servitute vindicare, uti S. Birgittæ olim declaravit: *Ego sum Mater omnium peccatorum se volentium emendare.* Idem admonet S. Gregorius VII. (4) *Pone finem voluntatis peccandi, & invenies Mariam promptiorem Matrem in tui dilectione.* Quod etiam vir eximiæ virtutis P. Segneri uberius comprobavit (5): Qui se integre, ac sincere Virgini devoverit, ejus pariter virtutem, & exempla sibi imitanda proponit; ac pro maximo in Deum amore voluptatum illecebras falsaque rerum blandimenta fortiter contemnit (6).

Si a nobis id sedulo perficiatur, B. Virginis ope, ac præsidio detrimenta, & pericula, quæ in nostra parantur capita, longe depulsa vicissim gratulabimur, nosque aliquando de hoc terrestri carcere evocati novam, beatamque in Cælis vitæ rationem auspicabimur.

## INSTITUTIO IV.

*De jejunio quatuor temporum; qua de causa institutum sit ab Ecclesia; quisnam primus hoc jejunium indixerit; quo tempore id evenerit, & qua pietate servari debeat: Item de Jubilæi promulgatione, quod Sanctissimus Pontifex concesserit; cur illud Fidelibus, & qua ratione comparandum proposuerit: De usu facultatis, quæ per Pontificem tribuitur immutandi vota, absolvendi a censuris, ab externa hæresi, & criminibus reservatis: Pontificum consilium, & mens, dum facultates ejusmodi largiuntur.*

I. NEminem latere arbitramur quarta, & sexta Feria, ac Sabbato post Pentecostem, videlicet diebus 4. 6. 7. mensis Junii, servandum esse Jejunium.

II. Quod inter quatuor solemnia numeratur, quæ statis anni temporibus celebrari plurimis de causis consueverunt. Primum quidem ne Judæi, qui publice indictum Jejunium quater in anno religiose servabant (7), Christianos temperantiæ virtute superarent. Deinde, cum a veteri Ecclesiæ disciplina recedendum fuerit, ob quam sacræ ordinationes mense Decembri tantum haberi solebant, ob idque alia tria tempora (8), vere scilicet, æstate, ac autumno ineuntibus, ad illas peragendas constituta fuerint, omnino rationi consentaneum visum est, ut Jejunium pariter adhiberetur, quemadmodum ex Sacris Litteris deprehenditur, dum Barnabæ, ac Sauli ordinationem commemorant: *Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos* (9). Tertio, ut pro frugibus Deo gratias persolvamus, cum iis præcipue temporibus vel terræ mandentur, vel maturescant, vel delectæ in horrea congerantur.

Denique, ut Jejuniis, aliisque piis operibus nostra crimina sine ulla intermissione expiemus; quæ omnia a Venerabili Dei famulo Cardinali Roberto Bellarmino fusius, & luculentius explicantur (10).

III. Sancto Calliste Pontifici, qui initio tertii sæculi martyrii palmam est assecutus, hujusmodi institutio tribuitur, vel saltem, cum Jejunium ter in anno fieret veteri consuetudine, quartum ipse traditur adjunxisse. In Pontificali Libro, cujus Auctor Anastasius Bibliothecarius nuncupatur, cum de rebus gestis S. Callisti agitur, hæc memorantur: *Constituit Jejunium quater in anno fieri, frumenti, vini, & olei gratia secundum Prophetiam.* At in vetustissimo ejusdem libri exemplari servato in celebri Bibliotheca Colbertina (a quo nihil omnino dissentit alterum, quod in Reginæ Svecorum Bibliotheca exstabat), ita scriptum invenimus: *Hic constituit Jejunium die Sabbati ter in anno fieri, frumenti, vini, & olei gratia secundum Prophetam, quarti mensis, septimi, & decimi:* Utrumque testimonium in hanc sententiam Isidorus Mercator conjunxit: *Jejunium quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor Tempora fieri decernimus.* Id autem Callisti decretali Epistola ad Benedictum Episcopum confirmari plane videtur.

IV. Hanc porro Calliste minime tribuendam contendit Petrus Constant (11), qui Romanorum Pontificum Epistolas collegit, ac Parisiis anno 1721. typis mandavit: *Calliste* (inquit) *Isidorus Mercator duas supposuit Epistolas, genuino parenti aliquando cum reliquis ipsius fœtibus reddendas.* Cum tamen in

(1) *Lib. 2. Historiar. cap. 34.* (2) *In Sermone de Nativit. B. V.* (3) *Lib. 6. Epist. 29.* (4) *Lib. 1. Epist. 47.* (5) *Christ. Instruct. part. 3. Serm. 34.* (6) *Theob. Rayn. in Diptychis Marianis tom. 7. sub. num. 29.* (7) *Zachar. cap. 8.* (8) *Amalar. Fortunat. lib. 1. cap. 1. de Offi. Eccl.* (9) *Cap. 13. Act. Apost.* (10) *De bonis operibus in partic. lib. 2. cap. 19.* (11) *Petr. Constant lib. 1.*

dubium veritas hujuſce monumenti revocetur, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ princeps ipſe Baronius (1) anceps, incertuſque rei fuiſſe videatur, cum ſatis modeſte inquit: *Nam ipſe, ſi qua de his ſcripſit*: illud ſtatuendum eſt (ſalva ſemper libri Pontificalis, quam ſupra memoravimus, fide), quod, cum Judæi quater in anno Jejunio addicti eſſent, non ritu quodam, aut ſolemni cæremonia, quæ Salvatoris adventum indicaret, ſed virtutis potius, ac temperantiæ cauſa, hinc Apoſtolica traditione hujus Jejunii conſuetudo recenti Eccleſiæ propoſita ad nos uſque dimanaverit, ut S. Leo Magnus quinti Seculi ſcriptor teſtatur (2), cujus ſententiam Cardinalis Baronius iis verbis complectitur (3): *Ipſa quidem quatuor anni temporum jejunia, quæ in Eccleſia ſervari ſolent, ex Apoſtolica Inſtitutione ſumpſiſſe principium S. Leo abſque ulla dubitatione confirmat*. In hanc opinionem ſcripſit etiam Thomaſſinus, cum de Jejunio ſatis copioſe, atque erudite diſſereret (4). Cum deinde aliqua ex parte vetus diſciplina immutata eſſet, & nonnullæ Eccleſiæ vernum Jejunium menſe Martio, æſtivum vero in hebdomada, quæ poſt Feſtum Pentecoſtes ſequitur, quodam more celebrarent, Sanctus Gregorius VII. Quadrageſimæ initio primum Jejunium fieri, alterum vero in hebdomada Pentecoſtes perpetua lege conſtituit. Ita commemorat Micrologus ſcriptor S. Gregorio coævus (5); & Concilium pariter Claromontii habitum ſub Urbano ſecundo decernit, ut, *jejunium ſecundum ſemper in hebdomada Pentecoſtes celebretur*. Quæ omnia præſtantium Virorum Orderici Vitalis (6), & Muratoris auctoritatibus (7) confirmantur.

V. Quamquam vero nefarius Dallæus ſummopere contendat ab Apoſtolis traditum, indictumque minime fuiſſe Jejunium, cujus meminit Zacharias, cum ingratum Deo, inviſumque ex ſacris litteris fuiſſe liquido appareat (8): *Cum jejunaretis, & plangeretis in quinto, & ſeptimo per hos ſeptuaginta annos, numquid jejunium jejunaſtis mihi?* doctiſſimi tamen Viri id eveniſſe jure aſſerunt, quod hujuſmodi jejunium cum pietate, & religione minime conjungeretur. Id etiam Zachariæ ipſius teſtimonio deprehenditur. *Et factum eſt verbum Domini ad Zachariam dicens: Hæc ait Dominus exercituum dicens: judicium verum judicate, & miſerationes facite unuſquiſque cum fratre ſuo; & viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari, & malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo* (9).

Itaque impudentiſſimus ſane eſt, qui Jejunium ſuapte natura Deo minime acceptum fuiſſe divulgat, cum voluntatem ipſe ſuam aperte ſignificaverit (10): *Hæc dicit Dominus exercituum: jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit Domui Juda in gaudium, & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras, veritatem tantum, & pacem diligite*. Egregios de Jejunio libros conſcripſit Laurentius Cardinalis Cozza (11), quibus Dallæi audacia perfringitur, ac mendacia refelluntur.

VI. Quare illud ex Zacharia ſolum intelligitur, nullius meriti Jejunium fore, niſi pariter animus criminum maculis expurgetur, quod ex Iſaia clare perſpicitur, ubi Judæis querentibus nullum ſe ex Jejunio fructum percepiſſe, iis verbis reſpondetur (12): *Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra; & omnes debitores veſtros repetitis: Ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie. Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter*. Denique populo ſuo Dominus, ut pie, ſancteque jejunent, ſiam denuntiat: *Sanctificate jejunium* (13), quod ſic potiſſimum a S. Gregorio declaratur: *jejunium quippe ſanctificare eſt, abjunctis bonis aliis, dignam Deo abſtinentiam carnis oſtendere* (14).

VII. Nos ſane confidimus hac ratione, & ſanctitate Jejunium, quod proxima Pentecoſtes hebdomada indicetur, ab omnibus celebrandum. Atque, ut univerſi, quorum ſalus nobis commendata fuit, vehementius ad pietatem inflammentur, Jubilæum, quod Pontifex Maximus pro tota Italia, Inſuliſque adjacentibus die 29. Februarii liberaliter indulſit, publicum facimus; & quo facilius hoc divinum munus, ac beneficium aſſequantur omnes, Jejunium Feria 4. 6. & Sabbato in hebdomada Pentecoſtes omnino præcipimus, vel Feria 4. 6. & Sabbato hebdomadæ poſt Pentecoſtem, ideſt diebus 11. 13. 14. menſis Junii; nempe ſi quis antea morbo, vel alia gravi cauſa forte impeditus ſalutarem abſtinentiam exercere non potuerit; aut fortaſſis pro criminum expiatione ſecurius obtinenda Jejunium, & alia ſancta opera, de quibus paulo poſt ſermo erit, renovare velit in proxima hebdomada juxta Conſtitutionem Bonifacii VIII., quæ incipit: *Antiquorum: De pœnitentiis, ac remiſſionibus*; ubi hæc leguntur: *Unuſquiſque tamen plus merebitur &c.*

VIII. Summus Pontifex Clemens XII. his Apoſtolicis Litteris pro Reipublicæ incolumitate, his præſertim difficillimis temporibus, Dei opem ſuppliciter exorat. Deinde ſingulos hortatur, ut quo poſſunt, maximo ſtudio divinum præſidium implorent. Tandem vetuſtiſſimo Romanæ Eccleſiæ exemplo, & conſuetudini conſtantiſſime inhærens, cum cæterarum Parens ſit, ac Magiſtra, cæleſtia munera ſumma liberalitate proponit, & omnium criminum remiſſionem, ſicut magni Jubilæi tempore fieri conſuevit, univerſis, qui ſaltem unum ex iis Templis quæ a Nobis infra deſignantur, ſemel inviſerint, ibique pro Sanctæ Eccleſiæ amplitudine, & pro removendis a Chriſtiana Republica graviſſimis incommodis, quæ hoc tempore impendent, Deum enixe rogaverint; præterea Jejunium ſervaverint Feriis 4. 6. ac Sabbato, ut ſupra oſtendimus; & poſtquam animum peccati labe rite expurgaverint, die Dominico vel alio quolibet in eadem hebdomada ad cæleſtem menſam acceſſerint ſacra myſteria cum utilitate percepturi; poſtremo illos, qui in egeſtate verſantur ſtipe aliqua pro ſuis opibus, & pietate levaverint; quæ omnia in Apoſtolicis Litteris, ut antea diximus, fuſius continentur.

IX. In iiſdem Pontifex omnibus, cujuſcumque ſint ordinis, vel conditionis, clementer indulget, quemlibet ſibi ex approbatis Sacerdotem deligere, cui peccata rite confiteantur. Ipſi vero Sacerdoti maxima per id tempus facultas permittitur, ut ſcelera omnia remittere & condonare valeat, licet Epiſcopis, vel Summi Pontificis auctoritati reſervata, vel in Apoſtolicis Litteris, quæ Feria quinta Majoris Hebdomadæ recitari ſolent, vel in aliis Sanctitatis Suæ, aut deceſſorum Pontificum decretis contineantur. Inſuper, ut illos, qui cenſuræ cujuſcumque vinculis, ſive a jure Pontificio, vel Judicum ſententia damnati, adſtringuntur, eadem poteſtate diſſolvere, ac liberare queat. Poſtremo vota, quæ Deo nuncupata fuerint, ſanctis aliis operibus, ac ſalutari pœna pro voluntate Sacerdotis impoſita, Pontifex immutari permittit, cujus tamen privilegii participes minime ſunt, qui ſe Caſtitatis, & Religionis voto ſemel obſtrinxerint.

X. Illos vero, qui canonico aliquo impedimento, ſeu palam cognito, ſive occulto impliciti ſint, qui inhabiles quacunque de cauſa, & incapaces exiſtant, in priſtinum ſtatum nullo modo reſtitui poſſe declaravit; nec non qui Pontificis ſententia, vel alterius Judicis Eccleſiaſtici extra fidelium communionem ejecti, vel ſuis a muneribus ſuſpenſi, aut Eccleſiæ aditu prohibiti fuerint, aut ſe excommunicatos, ſuſpenſos, interdictoſque eſſe alio modo perceperint, aut palam iis pœnis obnoxii declarati fuerint, niſi præſcripto, ut ſupra, tempore jure ſatisfecerint.

XI. En vobis integre enuntiavimus, quæ in Apoſtolicis Litteris exhibentur. *Pœnitentiam ergo agite: Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*, inquit S. Joannes, cujus exemplo ſingulos magnopere hortamur, ne hoc opportunum tempus negligenter prætermittant, quo maximos ad æternam ſalutem fructus Deo juvante comparabunt.

XII. Sed ne muneri noſtro deeſſe videamur, cum pro votis immutandis poteſtas a Pontifice facta ſit, S. Caroli Borromæi ſententiam in hac re optimum duximus Sacerdotibus in memoriam revocare (15): *Si quis Sacerdos facultatem, & auctoritatem acceperit eorum vota permutandi, qui peccata confiteantur, in alia pietatis opera ſolum convertat, quæ vota ſuperent, vel ſaltem cum ipſis adæquentur, Deoque magis grata videantur; inſuper ſedulo perpendat expenſas, labores, & alia incommoda, quæ perferre debuerint, ut conceptis votis plene ſatisfacerent*.

XIII. Inſuper cum alias in hac Civitate diſputatum ſit, an ob ampliſſimam facultatem, de qua ante diximus, a cenſuris omnibus, & criminibus, licet fœditate, ac magnitudine graviſſimis, liberandi Fideles, qui ad pedes Sacerdotis abjecti peccata ſua rite confiteantur, cum inquam, perſæpe diſputatum ſit, an illos etiam, qui hæreſeos jam palam cognitæ labe contaminati ſunt, pœnitentiæ medicamento poſſint expiari; & cum ad Nos pervenerit tanto in utramque partem ſtudio diſceptatum,

(1) *Ad ann. 57. n. 206.* (2) *Serm. 7. de jejunio ſeptimi menſis: & ſerm. 4. 6. 7. de jejun. decimi menſis.*
(3) *Ad annum. 57. n. 209. Tom. 1.* (4) *In tractatu de Jejunio part. 1. cap. 21. n. 7.* (5) *De Eccleſiaſt. obſerv. cap. 42. & 25.*
(6) *Lib. 9. de Hiſt. Eccleſiaſt.* (7) *In Anecdot. lib. 2. in diſſert. de Jejuniis quatuor temporum.* (8) *Zachar. c. 7. v. 5.*
(9) *Zach. cap. 7. v. 8. 9. 10.* (10) *Zach. cap. 8. v. 19.* (11) *Part. 2. art. 12.* (12) *Iſaiæ cap. 58. v. 3. 4.* (13) *Joel. Proph.*
(14) *S. Greg. Homil. 15. ſuper Evang.* (15) *S. Carol. Borromæus monit. 16. ad Confeſſarios.*

tum, ut nonnulli se id facturos, cum primum res, & occasio postularet, libere affirmaverint; ideo hac nostra Constitutione declaramus (licet Theologi (1), & Pontificiæ Legis periti plurimum inter se opinionum varietate dissentiant) rem totam a Pontificum voluntate, atque arbitrio dependere.

XIV. Quare, cum ipsi Jubilæum indicentes palam significaverint se potestatem hujusmodi nemini permittere, illud consequatur necesse est, ut hæreseos crimen, quod supra cætera gravissimum, & peculiari nota dignum habetur, dimitti nullo modo possit, nisi aliter perspicue & singularibus verbis in Apostolicis litteris explicetur. Itaque imprudenter, fluteque ageret, qui per id tempus falsis commentis adductus, hujusmodi facultate uteretur, quæ summi Pontificis decreto apertissime non traditur, sibique exitialem peccati maculam contraheret, nec ullam afferret confitenti hæretico salutaris medicinæ utilitatem, quod jampridem a Clemente VIII, Paulo V., & Urbano VIII. Maximis Pontificibus in eos sancitum fuit, qui nulla accepta facultate a censuris, & criminibus Sedi Apostolicæ reservatis absolverent.

XV. Plurima afferri possent de hac re Pontificum decreta; sed illud tantummodo, quod ab Alexandro VII. in Congregatione Sanctæ Romanæ inquisitionis constitutum fuit, oculis subjiciemus: *Sanctissimus Dominus Noster Alexander Papa Septimus sub die 23. Martii 1656. inhærendo declarationibus alias a Prædecessoribus suis factis ad removendam omnem dubitandi occasionem, & ne circa id in posterum ullo tempore hæsitari contingat, cum crimen hæresis præ cæteris gravissimum speciali nota dignum sit, decrevit facultatem absolvendi ab hæresi in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi.*

XVI. Neque sane hæc Constitutio in Urbis Tabulariis latuit, sed in lucem edita fuit a Cardinali Albitio in eo libro, quem *de incostantia in Fide* erudite conscripsit, in quo pariter observandum proponitur veterem hujus rei controversiam post illud Decretum penitus esse diremptam, neque in dubium amplius revocandam. Si quis vero Commentarium Cardinalis Albitii non omnibus satis cognitum pro excusationis causa diceret; in manus tamen omnium versantur Sancti Caroli monita, quæ simul cum Decretis ad confessionum Ministros pertinentibus conjunguntur, & Romæ quater Innocentii XII. auctoritate impressa fuerunt (2). Communis est sane omnibus Institutio, auctore Presbytero Congregationis, ut ajunt, Missionis, pro Sacerdotibus, qui primum ad confessiones audiendas designantur, quæ Lucæ, & Ticini typis excusa est (3). Nemo pariter ignorat, quæ a Francisco Vanrast Theologo Casanaten. (4), & a Matthæuccio tradita (5) fuerint, qui Vir, dum Romæ ageret, in plures Sacras Congregationes fuit cooptatus. Tandem nota maxime, & explorata sunt Cardinalis Petra eximia Commentaria (6). Hi sane scriptores omnes Alexandri VII. Decretum commemorant, omnique disceptationi finem impositum esse unanimi suffragio conveniunt. Cum vero istius rei cognitio Monachium (7), Dilingam (8), & Ingolstadium (9) usque pervasisset, singuli in ea Universitate Magistri sublatam penitus omnem disputationem, quæ ante Decretum Alexandri Pontificis haberi consueverat, miro voluntatum consensu affirmarunt. Quæ cum ita sint, minime suspicari possumus aliquem in nostra Diœcesi versari, qui cognita Summi Pontificis voluntate, atque Decreto, aliam sententiam ita tueatur, ut potestatem, quæ a Pontifice non tribuitur, usurpari adhuc posse impudenter existimet.

XVII. Finem facimus, sancta opera omnibus præscripta, & tempus quo potissimum ipsa exerceri oporteat, declarantes, ut hanc amplissimam criminum remissionem merito consequantur.

XVIII. Ac primum hæc Templa invisenda, prout singulis commode evenerit, potissimum designamus.

Ecclesiam Metropolitanam S. Petro nuncupatam.

Ecclesiam a Corpore Christi appellatam.

Ecclesiam Sanctæ Mariæ Pietatis Mendicantium.

Ecclesiam SS. Jacobi, & Philippi ad Moniales conversas pertinentem.

XIX. 1. Quoad Diœcesim. Parochialem Ecclesiam proponimus.

XX. 2. Jejunium diebus 4. 6. 7., vel 11. 13. 14. observabitur.

XXI. 3. Cætera vero, scilicet peccata confiteri, Dominicum Corpus sumere, Ecclesiam invisere, stipem præbere, a prima die usque ad 15. Junii integre perficiantur.

In Diœcesi, statim ac Parochi has nostras Litteras acceperint, ac die Dominico Populo promulgaverint, sancta opera de quibus modo dictum est, quindecim dierum spatio singuli exequantur.

XXII. Qui in Mari, vel alio itinere longe a Patria detinentur, si omnibus, quæ supra exposita sunt, post reditum pie satisfecerint, eandem criminum indulgentiam assequantur.

XXIII. Postremo si qui regulares cujuslibet conditionis Claustris perpetuo inclusi, sive alii quicumque sæculares, & Ecclesiastici in carceribus, aut servitute constituti, vel alia honesta causa impediti, minime explere possint, quæ supra memoravimus, Sacerdos ad Confessiones audiendas approbatus, vel post hoc Decretum approbandus in proximum tempus ea prorogabit, si ita opportunum duxerit, vel etiam immutabit, & singulis tribuet, quæ magis convenire arbitrabitur.

## INSTITUTIO V.

*De solemni pompa, qua Sacra Mysteria in supplicatione Corporis Christi, & singulis per annum Dominicis diebus circumferuntur: De institutione, ac propagatione harum supplicationum, qua ætate, quove loco celebrari primum cœperint: De cultu in ipsis exhibendo: Tandem prævæ consuetudines arguuntur, & alia, quæ non sine piorum hominum offensione in his supplicationibus committi solent.*

I. NUllis verbis satis explicare possumus maximam voluptatem, qua solemne Festum Corporis Christi in hac Urbe celebravimus, & publicam ejus diei supplicationem prosecuti sumus. Singulari pariter cum gaudio accepimus reliquas supplicationes peractas esse, quæ octo dierum spatio fieri consueverunt. Festi apparatus, ac pompa, qua Sacra Mysteria per eos dies deferebantur, oculos, animumque in admirationem adduxerunt.

II. Quæ tamen omnia pro illius Sacramenti Institutione merito excogitata sunt, in quo Sacramentorum omnium Auctor revera continetur. Hæc sacra celebritas Leodii primum initium nacta est, cum B. Juliana a Monte Cornelione visum admirabile cælitus immissum Roberto Episcopo declaravit, qui etiam in frequenti aliorum Præsulum, ac præstantium Sacerdotum Conventu illud severe ad examen revocavit. Deinde, licet Urbanus IV., qui ex Archidiacono Leodiensi Pontifex Maximus renunciatus fuit, in Ecclesiam universam hunc Festum diem initio non propagaverit, id tamen constituit novo portento excitatus. Nam cum Urbem veterem secessisset, ut Saracenos effugeret, qui totam Italiam a Manfredo Siciliæ Tyranno acciti furenter invaserant, accidit, ut Sacerdos Volsinii Sacrum faciens, peracta jam consecratione, de præsentia Dominici Corporis dubitaret, & statim Corporalis Palla Sanguine intincta coram omnibus appareret, quam in Ecclesia Principe Urbis veteris religiose servatam non sine pia animi commotione Nos ipsi suspeximus.

Quare Urbanus ipse, ac post Clemens V. (10), Martinus V. (11) Eugenius IV. teste S. Antonino, ut Fideles ad hoc Festum summo studio, ac pietate celebrandum inflammarent, magna cælestium munerum copia eos liberaliter cumularunt. Tandem a Sac. Tridentino Concilio, velut annuus pro debellata hæresi triumphus, nobis proponitur (12).

III. Hæc omnia, quæ paulo ante diximus, Honuphrii Panvinii, Joannis Tritemii, Sancti Antonini, Gulielmi Lindani auctoritate, ac testimoniis confirmata in medium adduximus, atque eadem Christianus Lupus (13), Henschenius (14) Capevillius (15), Bartholomæus Fiseus (16), Martene (17), & Theophylus Raynaudus (18) aperte commemorant (19).

IV. Jure sane optimo, ac merito solemnes, publicique honores statuto tempore indicendi erant, quibus Sac. Mysteria quotannis celebrarentur. Nam, licet Salvator ipsa instituerit, cum postremam cum Discipulis suis Cœnam habuit, quo die a Sacer-

(1) *Diana lib. 5. tractat. 8. resolut. 29.* (2) *Pag. 289.* (3) *Par. 2. cap. 16. §. 1. n. 350.* (4) *De Indulg. & Jubil. pag. 149.* (5) *De Officiali Curiæ Eccles. cap. 1. n. 18.* (6) *Ad Constitut. Apostol. lib. 3. pag. 180.* (7) *Anacletus l. 1. in jus Can. tit. 7. de hæret. n. 405.* (8) *Pirhing. l. 5. in jus Can. tit. 7. sect. 2. §. 5. n. 44.* (9) *Schmalzgrueber in jus Can. l. 5. tit. 7. de hæret. n. 207. & seq.* (10) *In Clement. unica de Reliq., ac veneral. Sanctor.* (11) *Raynald. anno Domini 1429. n. 20.* (12) *Sess. 13. cap. 5. & Canon. 6. tit. de Eucharist.* (13) *Dissert. de S. Procession. lib. 11. pag. 340. recentis editionis.* (14) *Lib. 4. Apostolicis pag. 437.* (15) *De Leodiensib. Hist. pag. 542.* (16) *Lib. de Orig. Festi Corp. Chr.* (17) *De Antiq. Eccl. Discip. in Divin. celebr. Officii c. 29. num. 1. 2. 3.* (18) *Lib. 11. pag. 347.* (19) *Pag. 347. tom. 11.*

Sacerdotibus quidem ejus beneficii memoria recolitur, totum tamen illud tempus ab Ecclesia impenditur, ut pro acerbissimis Christi Domini cruciatibus, & morte dolorem suum, luctumque testetur. Hinc Urbanus IV. Feriam quintam post Hebdomadam Pentecostes decrevit, in qua Fideles Divinam illam, atque amoris plenam Institutionem singulari honore prosequerentur: Insuper, cum Fideles hoc cælesti alimento in æternam vitam totius anni cursu reficiantur, peculiares etiam honores deferendi erant, eo potissimum tempore, quo Paraclitus super Apostolos immissus divino eos lumine perfudit, ut altissimam hujus Sacramenti dignitatem intelligerent.

V. Ita scriptum reliquit S. Thomas (1), cujus auctoritas cum ob sanctitatem, & doctrinam valere plurimum debet, tum quia S. Urbano coævus officium pro hac celebritate Pontificis jussu composuit. Id sane initio falsum commentum asseruit Pabrochius (2), donec Natalis Alexandri super hac re dissertatione adductus contrariam sententiam amplexus est, ut ipse quidem iis verbis declaravit: *Ecce citius, & plusquam speraverat altro præsto in eorumdem sententiam totus transiens, & paratus fuissem satisfactionem quibuscumque aliis dare, sicut jam pluribus casibus dedi, quando pro iis viderim veritatem stare. Contra hanc nihil nec possum, nec volo* (3). At nullus profecto disputationi locus fuisset, si uterque (4) Litteras Apostolicas Sixti IV. in mentem revocasset, quas una cum aliis Pontificum Litteris ad Ordinem Dominicanum spectantibus sapientia simul, ac modestia præditus Bremond ejusdem Familiæ collegit, notisque eruditis plurimum exornavit. In illis itaque hæc leguntur: *Ac in ejus solemnitatem, & venerandam inde memoriam idem Urbanus Prædecessor statuit Festum tam gloriosissimi Sacramenti annis singulis, & temporibus perpetuis quinta Feria post Octavas Pentecostes a cunctis Fidelibus ubique solemniter celebrari, prosumque ejusdem solemnitatis Officium per Beatum Thomam de Aquino, tunc in ipsa Curia existentem compositum edidit.*

VI. Illud etiam accurate a Scriptoribus Ecclesiasticis investigari solet, an Urbanus IV. non modo diem Festum Corporis Christi, sed publicam quoque supplicationem indixerit; quod nonnullis difficile videtur, cum Pontifex ipse solemnem ejus rei celebritatem solum in suo Decreto commemoret, quod in Camerina, de qua supra diximus, integrum continetur (5). Contendunt igitur hoc Institutum ad Joannem XXII. referendum. Qui vero Urbanum IV. Auctorem ejus rei arbitrantur, Ptolemæi auctoritate sententiam suam plane confirmant. Tradit enim Pontificem jussisse, ut Corporalis Palla cruore intincta Urbem veterem a Volsiniis, publice indicta supplicatione, transferretur: *Attonitus Pontifex ad se ab Episcopo Loci cum Processione Urbem veterem transferri voluit, & illud solemnitate institutum in Ecclesia Urbe vetana recondidit.*

VII. Sed de hac disputatione satis sit. Interim Nos libere affirmare possumus (ut nihil de Orientis Ecclesia proferamus, ad quam Pontificiæ Constitutiones, cum de disciplina agitur, nisi aperte nominetur, minime pertinent) per totum Occidentem ab Ecclesia Festum Corporis Christi, & solemnem per Urbem supplicationem quotannis renovari. Hinc alia pariter supplicatio dimanavit, cum Divina Mysteria magno Populi concursu ad infirmos deferuntur. Ob eam rem Martinus V. in eo Decreto, quod paulo ante memoravimus, postquam largiora cælestis Thesauri munera in eos contulit, qui Dominicum Corpus pie comitati essent, cum redeunte celebritate, aut per octo sequentes dies singulis annis per Urbem solemni pompa circumferrent, eorumdem etiam bonorum participes eos decernit, qui idem facerent, cum ægrotis administraretur. Hac profecto de causa pietas in Fidelium animis aucta est, & sanctissima inducta consuetudo, ut quolibet mense in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, atque etiam in Parochiis hujusmodi publica supplicatio haberetur. Nonnulli autem pietatis causa Romæ simul convenerunt in Ædem S. Mariæ supra Minervam, ut Christo Domino, cum in Urbe circumgestaretur, operam, honoremque debitum sedulo præstarent; & plurima inter eos constituta sunt, quæ non modo Pauli III. auctoritate probata fuerunt, sed etiam sodalitas a Corpore Christi nuncupata tunc temporis exordium habuit; cui Pontifex, ut universos ab hoc pium opus incitaret, (6) cælestia bona largiter impertivit. Illud etiam se expetere magnopere ostendit, ut in aliis Civitatibus hæc sodalitia instituerentur, ut magna frequentia præditus semper esset, qui humili veste superinduti, cereis fanalibus accensis, Psalmosque canentes Sacra Mysteria per Urbem comitarentur.

VIII. Sanctus Carolus Borromæus hujusmodi supplicationes, quæ unoquoque mense fieri solent, cum in Civitatem, tum in Provinciam jampridem inductas memorat in quarto Concilio, (7) quod Mediolani celebravit. Præclarissimus Cardinalis Palæottus primus Bononiensium Archiepiscopus, sodalitates, quas supra diximus, probavit magnopere; justitque, ut singulis diebus Dominicis ineunte mense, illius Parochiæ, in qua sedem haberent, consuetam supplicationem prosequerentur, sicut in Rituali ipsius Libro præscribitur. Cardinalis Columna hujus etiam Civitatis Episcopus in Synodo, quam anno 1634. convocavit, illud præsertim decrevit (8), *Unoquoque mense Processio fiat a Societate Corporis Christi, quæ, ubi non est erecta quamprimum instituatur a Parochis: quibus mensibus in Parochia Processionibus, & iis, quæ habentur in Hebdomada Sancta, a Parochis invitentur benigne Confratres in propria Parochiæ existentes, ut intersint, studeantque benigne se ipsi propria invitati frequentes interesse proprio amicti habitu, ut mos est in Ecclesia Metropolitana.* Denique graviter, sanctèque Cardinalis Jacobus Boncompagnus Decessor noster consuluit, (9) ut perhonorifice Clericorum, & sodalitatum frequentia nunquam deesset, cum de more singulis mensibus, vel ægrotantium causa Sacra Mysteria circumferuntur.

IX. Nolumus sane perscrutari, cur singulæ Parochiæ Sodalitates hujusmodi adscriptas non habeant (sicut a Decessoribus nostris merito præceptum fuit) nec super hac re novum aliquid definire: cum præsertim cognitum Nobis sit, quod aliæ Fidelium Societates, licet a Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento minime nominentur; omni tamen Religione, atque studio comitatum præstare, cum opus fuerit, non prætermittant: sed illud dissimulare haud possumus, quod Nos ipsi non semel advertimus, paucos admodum Sodales convenire, cum publica supplicatio in Parochiis quolibet mense instauratur. Hinc pro singulari amore, quo Salvatorem Crucifixum prosequi debent, universos vehementer hortamur, ut quoties Sacris Mysteriis inservire oporteat, frequentes congregentur. Admonemus etiam Parochos, qui Sodalitatem Ecclesiæ addictam non habeant, ut aliquam omnino sufficiant, quæ iisdem muneribus pie fungatur, omnesque magnopere suis verbis excitent, ut cœptum olim pietatis cursum, egregiamque consuetudinem majori in dies studio, ac frequentia sequantur; speciem virtutis optimam in ipsis mutatam aliquando redarguant, & ampliissima cælestis gratiæ munera a Pontificibus tradita, quæ ipsi per oscitantiam negligunt, sæpe ante oculos proponant. Si de gravissimo hoc negotio cum populo diligentius agant Parochi, uberrimos fructus, Deo præsertim juvante, consequentur. Ita accidit Antonio Albergati Bononiensi, qui Leodium, ut eam Civitatem, ac Diœcesim auctoritate Apostolica inviseret, Legatus missus, cum exiguum civium numerum ad Sac. Eucharistiam per Urbem honorifice deducendam, congregari videret, his verbis Parochos admonuit, & negligentes objurgavit: *Non est credibile, quin Populus monitus a Pastore de gravitate negotii non sit plene pariturus. Si etenim debitam adhibere voluerit diligentiam, certum est Pastores in hoc genere a populo libenter admodum omnia obtenturos esse.* Quod ita plane evenit (10), ut scribit Vanespenius, qui pariter cætera Apostolici Nuncii Decreta complexus est: *Verissime id prædixisse horum Decretorum Auctorem ostendit concursus Populi, atque luminis copia in delatione Eucharistiæ iis in locis, in quibus Pastorum zelus in excitanda Populi pietate, ac reverentia erga hoc augustissimum Sacramentum elucet.*

X. Sed non iis terminis concludi potest nostra Institutio, cum præter ea, quæ Nos ipsi vidimus, honestissimi etiam viri, quorum sane fides maxima est, plurima nobis detulerint, quibus consulere pro rei magnitudine, nostrique muneris ratione omnino debeamus. Novimus igitur rusticos, licet Sacrosancta Mysteria in via offenderint, minime cum plaustris subsidere; rhedarios autem neque ex jumentis descendere, nec ea paulisper retinere, & vix caput negligenter aperire; aliquos etiam, qui vel sella gestatoria inclusi, vel curru, vel equo per Urbem vehuntur, si forte Augustissimo Eucharistiæ Sacramento obviam deferantur, minime subsistere, nec in terram descendere, quod tamen officii gratia, & sæpe parum honesta de causa facere consueverunt. Nihil dicam de illis, qui porticibus inambulantes, si ex adverso sacra supplicatio casu prætereat, aperto capite, uno tantum genu submisso, statim Institutam deambulationem prosequuntur.

XI. Quare, ut hæc prava exempla, quibus nonnulli populum

(1) Opus 57. *in Offic. de Sanctis. Sacram.* (2) *In Actis Sanctor. mensis Ap.* (3) *In Propil. mensis Maji part.* 2. *p.* 53. (4) *In Bull. Domin. t.* 3. *p.* 555. (5) *In Bullar. Rom. lib.* 1. (6) *In Bullar. Rom. constitut.* 12. *t.* 10. (7) *Concil.* 4. *Tit. de peculiar. ad Sac. Eucharist.* (8) *Pag.* 35. (9) *In Ipsius Synodo pag.* 31. 32. (10) *In lib. Juris. Ecclesiast. lib.* 1. *p.* 470. *n.* 20.

lum graviter offendunt, de medio auferantur, volumus, ut plaustra, rhedæ, & Nobilium carpenta tandiu cursum sustineant, donec supplicatio transierit. Rustici vero poplites flectant, neque e terra assurgant, donec Sacerdos, qui Sacram Eucharistiam manibus gestat, e conspectu abierit. Tandem rhedarii detecto capite corpus humiliter inclinent, quoniam jumentorum cura impediti majora Religionis testimonia exhibere non possunt. Illi vero, qui sellis gestantur, vel curru feruntur, statim prosiliant, in genua pervolvantur, & Sancta Mysteria, si commode fieri queat, pie comitentur. Ob hanc rem Parochos omnes admonemus, & illos præsertim, qui vel in Templis, vel in foris sacras ad Populum conciones habent, ut parum religiosos homines ad meliorem frugem reducant, ne in Civitate, quæ pietatis laude potissimum commendatur, tam pernicioſa exempla versentur.

XII. Et quoniam summopere expetimus eorum vestigiis inhærere, qui in Ecclesiis administrandis veluti exemplar cæteris exhiberi possunt, testimonium S. Caroli Borromæi subjicimus (1): *Cum quis Sacerdoti Sanctissimi Domini Sacramentum ad ægros ferenti, aut cum eodem inde redeunti obviam fit, dum vel equo, vel jumento vehitur, ubi primum illum id ferentem viderit, inde statim descendat, humique flexis genibus, tandiu in adoratione permaneat, quoad ille cum Sacramento transierit. At vero omnis Sacerdos, sive Clericus, sive Laicus quicumque eidem Sanctissimo Sacramento obviam fiet, domum usque ejus, cui ministrandum est, & ad Ecclesiam quoque, quo reditur, pia veneratione prosequi, & comitari omnino studeat, nisi necessitate, causave urgenti vehementer impediatur. Id omne ut cuncti Fideles studiose religioseque præstent, illos unusquisque Parochus quam sæpissime, ac diligentissime commonefaciat.*

XIII. Alphonsus, & Joannes primus Hispaniarum Reges Legem promulgarunt, quæ in latinum sermonem reddita hanc continet sententiam: *Decernimus, ut Nos, hæres Regni Princeps, aliique Liberi nostri, quoties in via Sanctissimum Corporis Christi Sacramentum occurret, ad Templum, ex quo delatum fuerit, omnino prosequamur, fixisque humi genibus, donec Sacerdos transierit, debitum Religionis cultum exhibeamus; a quo nec lutum, nec ullæ aliæ sordes excusare possint. Qui hoc decretum violaverit sexcentis, ut ajunt, Maravedis pœnas dare mandamus, quorum binæ partes Clericis tribui debeant; tertia vero Iudici, qui pœnas exegerit.*

XIV. Nos certam iis, qui deliquerint, pœnam non constituimus, sed illam pro voluntate nostra juxta criminis rationem exposcemus, sine ullo tamen detrimento aliorum Magistratuum, qui in hac re possint easdem pœnas repetere.

XV. Confidimus tamen nullum fore tempus, quoad coercendos irreligiosos homines impelli debeamus; sed universi pie sanctèque omnibus, quæ præcepta sunt, omnino satisfacient, memoria repetentes a Sacro Tridentino Concilio Christum Unigenitum Dei Filium *Cultu Latriæ etiam externo* in Sacris Mysteriis adorandum, tanquam Fidei Dogma fuisse sancitum (2). Perpendant etiam externas hasce cultus significationes esse testimonia quædam, quibus Jesum Christum in Sacramento revera confitemur. Hinc etiam a Theologis contra Novatores pro vera Salvatoris præsentia afferenda, firmissima argumenta ducuntur. Cum vero nefarii homines in vulgus disseminarent hujusmodi cultum recentioribus solum temporibus inter Fideles excitatum esse, hinc propositis ex omni vetustate exemplis, ac testimoniis ab ipsis Ecclesiæ principiis relectis penitus fuerunt. Insuper cogitent singuli in Sacra Eucharistia eum ipsum contineri, de quo cælestis Genitor, cum in Orbem terræ ipsum demitteret, sic ait: *Adorate eum omnes Angeli ejus* (3). Quod etiam S. Paulus retulit, cum ad Hebræos scriberet: *Et cum iterum introducit Unigenitum in Orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei* (4) Cogitent etiam Magos ipsi Domino maxima, quæ poterant, Religionis signa dedisse (5). *Videntes autem Stellam gavisi sunt gaudio magno valde, & intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum.* Postremo in mentem adducant ab Apostolis in Galilæa summo cultu adoratum fuisse, cum de sepulcro in vitam fuit revocatus. Sicut S. Matthæi testimonio accepimus: *& videntes eum adoraverunt.*

## INSTITUTIO VI.

*De Sacra Visitatione, & Confirmationis Sacramento in singulis Urbis Parochiis administrando; quosnam dies hujusmodi administrationi mos majorum attribuerit. De variis hujus Sacramenti nominibus, ac rationibus. Quandonam a Christo Domino fuerit institutum. De Donis quæ ab ipso in nos dimanant. Qua animi innocentia, & corporis modestia suscipiendum sit. An Dei præcepto ad illud teneamur, & quonam tempore hoc præceptum fideles obstringat. Qua ratione priscis temporibus per majores nostros idem Sacramentum conferretur.*

I. Postquam officiis perfuncti sumus, quæ recens Episcopus accipere, & vicissim persolvere consuevit, illud primum in mentem venit, ut universam Diœcesim invisseremus. Itaque munus ab hac nostra Civitate auspicati sumus, ex qua tamen quindecim mensium spatio, postquam in hanc Sedem pervenimus, quinquies profecti, Diœcesim percurrimus, & loca magis ab Urbe disjuncta, ubi Confirmationis Sacramentum ministravimus, & juvantibus plurimum Administris, quos Nobiscum eduximus, omnem operam, studiumque pro nostrarum virium tenuitate, iis omnibus libenter impendimus, quæ pro divini cultu amplitudine, eorumque salute, qui Nobis commendati sunt, necessaria videbantur. Sed cum Diœcesis latissimis terminis concludatur, cujus magna pars in asperrimis montibus sita est, altera planitiem obtinet, postrema (quod gravius est) etiam inter aquas versatur, quæ fœdissima alluvie florentissimum agrum plurimis jam locis operuerunt (quæ sane calamitas pro criminibus expiandis nobis immittitur) eam ob causam (ne perlustrata primum Diœcesi nimis tarde ad Urbem rediremus) ineunte Novembri Urbanas Parochias invisere constituimus, totumque hyemis, & veris quoque tempus insumere, donec rem integre perficiamus. Sed ut copiosi fructus inde proveniant, nullaque perturbatione impediantur, singulos Parochos ante quindecim dies admonebimus, quo potissimum tempore eorum Ecclesias invisemus, ut præsto sint omnia, quæ necessario requiruntur. Festos dies pro re gerenda præsertim decernimus. Nam sicut eo tempore Christi doctrina, atque præcepta in Ecclesiis explicanda sunt, non sine incommodo, ac difficultate pueri, ac puellæ pro festis diebus convenirent. Hæc autem ratio, ac methodus constanter servabitur: mane ad Parochiam, de qua tunc agetur, una cum nostris administris statuta hora accedemus. Postquam de more in limine occurrerit Parochus, & consueta officia persoluta fuerint, divina Mysteria adorabimus, & recitatis pro Defunctorum expiatione precibus, indulgentiam de more promulgabimus: sacro deinde peracto, initium, atque operam iis tantummodo confirmandis dabimus, qui illi Parochiæ adscribuntur. Nam finem, quem Nobis unice propositimus, cum hujus Sacramenti administrationem in singulas Parochias divisimus, minime attingeremus, nisi confusio, quæ hominum multitudinem, & concursum necessario sequitur, de medio auferretur. Post hæc reliqua omnia, quæ ad Sac. Visitationem pertinent, conficiemus, & plerumque (licet breviores dies effluant) in eadem Ecclesia pueros Christianæ doctrina imbuendos ad consuetum usque tempus opperiemur. Severe tamen Parocho, aliisque omnibus mandamus, ut nihil, ne cyathum quidem frigidæ, cuilibet ex comitatu nostro, neque Nobis ipsis suppeditent. Tum quia curabimus diligenter, ut quæ necessaria sunt, commode afferantur, tum quia, cum Romæ variis pro Sede Apostolica muneribus fungeremur, primum instituimus, ut ea Decreta omnino servarentur, quibus nihil pecuniæ, vel etiam alimenti dono accipiendum præcipitur, quo tempore Sacra Visitatio in aliqua Civitate peragitur. Qua de re non mediocriter obnoxii culpæ videremur, si quæ aliis observanda magnopere contendimus, ea Nos ipsi parvi duceremus.

II. Ex vetustissimis Rituum Libris deprehendimus, diebus Festis Paschatis, ac Pentecostes Confirmationem impertiri consueviſſe. Nam cum illis potissimum temporibus Baptismus conferretur, ad quem rite suscipiendum Catechumeni instruebantur, rationi consentaneum erat, ut Confirmatio, quæ statim post Baptismum ministrari solebat, iis pariter diebus, quos supra memoravimus, traderetur. Ita scriptum invenimus in sexto Concilio, quod fuit Parisiis celebratum; *Sicut autem duobus temporibus, Pascha videlicet, & Pentecoste Baptismus, ita etiam traditio Sancti Spiritus per impositionem manuum Fidelibus*

(1) *In actis Eccles. Mediolan. lib. 1. pag. 180. editionis Lugdunen.* (2) *Sess. 13. Can. 6.* (3) *Psalm. 96. v. 7.*
(4) *Ad Hebr. cap. 1. v. 6.* (5) *Matth. cap. 2. 10.*

*fuit traditum* (1). Sic etiam refert P. Mabillonius in illis Commentariis quos de *Ordine Romano* conscripsit (2), ubi ritum accurate complectitur, quo statim post Baptismum Fideles confirmabantur. Cum deinde Ecclesiæ disciplina immutata esset, & propter eorum multitudinem, qui Christianam Fidem amplectebantur, inducta fuisset consuetudo, ut quotidie, si opus foret, salutari lavacro expiarentur, cum justis pariter de causis Baptismum alio tempore, ac Confirmationem conferre Occidentis Ecclesia in morem accepisset, inde factum est, ut pro confirmandis Fidelibus penes Episcopos facultas deligendi temporis relinqueretur. Illud vero aptissime convenire semper judicatum fuit, cum Sacra Visitatio indicitur, quod Nos maxime probantes, Confirmationis Sacramentum, ea ratione, & tempore, quod supra diximus, tradendum instituimus. In hanc sane opinionem S. Hieronymi auctoritate adducti sumus qui in Dialogo contra Luciferianos hujusce consuetudinis clarum affert testimonium: *Ecclesiarum esse consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus Urbibus, per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat*. Insuper Sac. Leges Episcopos admonent, ne, prævio saltem brevi sermone, Fideles hortari prætermittant, ut cum Sacramento fructum parites consequantur. Sed cum quinquaginta quatuor in hac Urbe Parocchiæ numerentur, & cum de rebus ad hoc Sacramentum necessariis breviter agendum tantummodo sit, eandem perpetuo sententiam usurpare cogeremur. Aliter sane eveniret, si Theologorum more de uberrima Confirmationis materia esset differendum. Plura enim Commentaria, quæ Parochias etiam numero superarent, facile confici possent, si Confirmationem ad juris Pontificii Leges, vel Scholasticæ, & Moralis Theologiæ disputationem revocaremus. Itaque, ut hujusmodi incommodo, ac molestia vindicemur, nostroque munere commodius fungamur, hanc generalem Institutionem evulgavimus, sperantes fore, ut quæ in ipsam congessimus, Parochorum voce, ac doctrina copiosius declarentur, puerique ad hoc Sacramentum accedentes ita imbuantur, ut ipsius dignitatem, ac fructus plane intelligant; ne forte ipsorum culpa eveniat, quod Paulo contigisse legimus. Nam cum a Fidelibus Ephesi quæsiisset, an Spiritus Sanctus de Cælo immissus in illos descendisset, *Illi responderunt ad eum: Sed neque, si Spiritus Sanctus est, audivimus* (3).

III. Res igitur, de qua agendum suscipimus, variis nominibus nuncupatur, videlicet manuum *impositio*, ob rationem, qui ab Episcopo confertur; *Chrisma* ob materiam, de qua conficitur; *Confirmatio* ob effectum, qui in animas derivatur. Sed magis usitato vocabulo Chrisma: quam loquendi consuetudinem Populo magis notam, & communem Nos etiam retinebimus. Sacramentum esse minime dubitandum est; & siquis aliter sentire audeat, a Tridentino Concilio diris devovetur: *si quis dixerit Confirmationem Baptizatorum otiosam Cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit* (4). Anceps vero, incertusque hujus veritatis esse non potest, qui historiam perpenderit, quæ in Actis Apostolorum commendatur (5): *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*.

Quatuor ad constituendum novæ Legis Sacramentum conditiones necessario requiruntur: quarum prima, ut signum sit nostris sensibus subjectum; altera, ut a Christo Domino institutum fuerit; tertia, ut vim, ac facultatem conferendæ spiritualis gratiæ contineat; quarta denique, ut cum Religione Christiana perpetuo conjungatur.

IV. Manuum impositio, necnon & oratio signa profecto sunt, quæ sensu percipiuntur. Quod autem Christus Dominus hujus Sacramenti auctor extiterit, in dubium revocari non potest, cum reipsa, & Apostolorum exemplo confirmetur. Siquidem id, quod Sac. Litteræ testantur, nunquam in Ecclesiam inducere ausi fuissent, ipsique velut hæreditatem relinquere, & ex Tertulliano accepimus, *Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo susceptit* (6). Illud etiam certum est spiritualem gratiam hoc Sacramento comparari, ut in Actis Apostolorum, quæ supra memoravimus, satis apparet. Legimus enim illos, qui in Samaria Baptismate lustrati fuerant, Spiritum Sanctum accepisse, cujus nomine, cum de Sacramentorum effectu sermo est, gratia justificans clare intelligitur. Postremo satis cognitum, perspectumque est in Ecclesia hoc Sacramentum perpetuo viguisse, quod nunquam intermissa consuetudine, & SS. Patrum auctoritate comprobatur. Quæ cum ita sint, nullus ambigendi locus supereſt, Confirmationi rationem veri Sacramenti aptissime convenire.

V. Supervacaneum hoc loco ducimus perscrutari, quonam tempore illud Salvator instituerit, vel quibusnam testimoniis perpetuus ipsius usus in Ecclesia potissimum ostendatur. Nobis satis erit innuere, Christo Domino eam potestatem, quæ *Excellentiæ* dicitur, traditam fuisse, cui Sacramentorum Institutio tribuitur. Ipse quidem res ipsas, quæ sensibus nostris subjiciuntur, in tantam virtutem, ac dignitatem efferre solus poterat, ut justificantem gratiam in nobis producerent. Itaque eam disputationem Theologis relinquimus, utrum id Sacramentum tunc primo induxerit, cum Sanctissimas manus super puerorum capita imposuit (7); utrum etiam illud constituerit non quidem administrando, sed facta solum Apostolis promissione, ut ex S. Joanne deprehenditur, *si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*. Denique utrum in ultima Cœna id evenerit; vel cum Apostolis inquit, *Accipite Spiritum Sanctum*; an vero die Pentecostes, cum Spiritu Sancto cælitus demisso confirmati fuerunt; an postquam a mortuis excitatus, quadraginta dierum spatio cum ipsis versatus fuit, & plurimos de Regno Dei (8), hoc est de statuenda, regendaque Ecclesia sermones habuit, ob quam causam S. Leo Magnus ita scriptum reliquit (9), *Non ergo ii dies, qui inter Resurrectionem Domini, Ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu, sed magna in his confirmata Sacramenta, magna sunt revelata Mysteria*. Congerant igitur sapientes Theologi omnia vetustatis testimonia, ut Sac. Confirmationis usum a primis Ecclesiæ Seculis ad nos usque perenni successione derivatum ostendant; nos salva, & integra aliorum Scriptorum laude, qui egregios in hac re labores susceperunt, Carolum Witassium (10) merito proponimus, qui singularem supra cæteros gloriam sibi comparavit. Ipse quidem nullum ex Conciliis, vel Sanctis Patribus monumentum præter misit, ut aperte demonstraret, quod revera assecutus est, perpetuam semper fuisse Confirmationis administrandæ in Ecclesia consuetudinem.

VI. Itaque cum Confirmatio Sacramentum vere sit, quod gignit gratiam, aliquid de illa dicendum supereſt, quam duplicem fuisse in iis, qui Confirmationem rite acciperent, ab initio Ecclesiæ Sac. Litteræ commemorant; videlicet aliam, quæ sanctificat animam, & aliam insuper edendi miracula, ut in Actis Apostolorum describitur (11): *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*.

Hinc Novatores, ac præsertim impius Dallæus, hoc Sacramentum de medio tollunt, cum nulla miracula ab iis patrari videant, qui rite ab Episcopo confirmantur. Neque perpendunt, non omnes initio nascentis Ecclesiæ, qui Sacro Chrismate delibuti essent, simul cum gratia sanctificante, efficiendi etiam portenta virtutem suscepisse: *Numquid omnes Apostoli*, inquit S. Paulus, *numquid omnes Prophetæ, numquid omnes virtutes, numquid omnes gratiam habent curationum, numquid omnes linguis loquuntur, numquid omnes interpretantur?* Plurimos sane hac admirabili virtute, singularique beneficio eam ob causam Deus cumulavit, ut Christianam Religionem in suo exordio confirmaret, novisque, & inusitatis prodigiis lucem, ac dignitatem conferret. Hinc tamen non sequitur, quod simul cum hac virtute gratia pariter sanctificans non conjungeretur, vel qui hoc tempore miracula non efficiat, gratia sanctificante destituatur. Præclare id S. Augustinus advertit (12), *Neque enim temporalibus, & sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis Fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter, & latenter intelligitur*

(1) *Tom. 2. Collect. Conc. Galliæ a Syrmondo editæ cap. 33. pag. 507.* (2) *Num. 15. tom. 2. Musæi Italici.*
(3) *Act. Apost. cap. 19. v. 2.* (4) *Sess. 7. Can. 1. de Confirmatione.* (5) *Act. Apost. cap. 8. v. 14. &c.*
(6) *Lib. de Præscrip. cap. 21.* (7) *Matth. cap. 19.* (8) *In Act. Ap. cap. 1.* (9) *In Serm. 1. de Ascens. Domini.*
(10) *Lib. 2. de Sacram. Confirm.* (11) *Act. Apost. cap. 19. v. 5. 6.* (12) *Libr. 3. de Baptism. cap. 16. Tom. 9. operum edit. Maurin.*

*tur propter vinculum pacis eorum cordibus Divina charitas inspirari.*

VII. Ex iis satis constat gratiam sanctificantem, etiam non tradita pro efficiendis miraculis virtute, ex Confirmatione comparari, quæ sane cum inter *Vivorum* Sacramenta adnumeretur, eos, qui confirmandi sunt, aut Baptismatis innocentiam servare, aut peccata, quæ admiserunt, Pœnitentiæ Sacramento expiare oportet, ut primam gratiam adipiscantur. Tunc illam Confirmatio non modo corroborat, sed etiam auget, novasque excitat vires, quibus hostium impetus, ac tela frangantur: *Spiritus S. in fonte Baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur* (1). Idem scripsit Innoc. III. *Per frontis Christmationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus S. ad augmentum datur, & robur* (2). Siquidem cum rationis usu perfruimur, duobus potissimum modis bellum nobis indicitur. Hinc enim secundæ fortunæ, ambitionis, voluptatisque illecebris magnopere incitamur; inde vero adversis casibus, ut ait S. Thomas (3), maxime permovemur. Quare cum Deus Optimus Maximus homines in hac misera conditione positos suo præsidio destitui non pateretur, postquam in Baptismo gratiam contulit, novam etiam Sacramento Confirmationis adjunxit, quæ tenuitatem nostram sublevaret in eo certamine, quod adulta jam ætate ad extremam usque senectutem nobis impendet: *Ergo Spiritus Sanctus* (inquit S. Eucherius Lugdunensis), *qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmationem augmentum præstat ad gratiam, & quia in hoc mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam, in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur* (4). Insuper, sicut in Baptismo character imprimitur, quo Fideles ab Infidelibus distinguuntur, & ob eam causam iterari non potest, idem de Confirmatione dicendum est. Nam cum nihil aliud sit character, quam potestas spiritualis ad quasdam Sacras actiones constituta, cumque, sicut naturali in vita, ita pariter in spirituali aliæ pueris recenter genitis, aliæ vero hominibus maturæ jam ætatis actiones diversæ conveniant; hinc sequitur, ut alius character post Baptismum etiam Confirmatione imprimatur, & eiusdem Sacramenti iteratio omnino denegetur: *De homine* (ita Gregorius II.) *qui a Pontifice confirmatus fuerit, denuo illi talis reiteratio prohibenda est* (5). Quibus sane verbis aptissime congruit Tridentinum Concilium (6). Tandem, uti S. Thomas declarat (7), etsi Confirmatio Fideles ab Infidelibus minime secernat, eos tamen, qui in perfectione Christiana magis profecerint, & eos, qui cursum tantummodo inceperint, satis superque distinguit: *Et ideo character Confirmationis est signum distinctivum non infidelium a Fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his, quibus dicitur, sicut modo geniti Infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite ut in eo crescatis in salutem.*

VIII. Ex iis omnibus, quæ superius dicta sunt, luculenter apparet, Confirmationem maximo studio, paratoque diligenter animo suscipiendam, ut hujus Sacramenti characterem, simulque gratiam assequamur quæ nos in bellum validiores efficit, & contra acerrimos hostes, qui nobis ad æternam salutem intercludere viam contendant, eximiam victoriam pollicetur. Quis tamen id persuasum haberet, quod muneris nostri ratione adducti monere debemus? Siquidem plures invenimus, cum Diœcesim perlustraremus, qui confirmari prope neglexerint ea potissimum de causa, quod immortalis vita sine hoc Sacramento possit comparari; quæ sententia licet falsa non sit, tamen illa pessime utuntur. Hinc nonnulli sæpius absque ulla modestia ad Confirmationem accesserunt animique interiorem habitum ab externis significationibus ita deprehendimus, ut ipsos aliquando præterire, vel graviter objurgare, & etiam, quod ægerrime fatemur, animo commoveri non semel coacti fuerimus.

IX. Itaque, si contra hanc opinionem differendum esset, latissimus ad excurrendum campus pateret. Nam proferri in medium possent disputationes, quas Anno 1630. inter Theologos Parisienses Facultatis, Doctoresque ex Anglia Catholicos fuisse accepimus a commentitio Petro Aurelio, qui cleri Gallici jussu ipsarum initium, progressus, & exitum, Parisiis Anno 1646. posteritati mandavit. Sed quoniam hæc uberrima materies pro dissertatione, a qua nunc alieni sumus, potius conferret, commodiorem viam ingrediemur, ut populum de his clare admoneamus, quæ ad Confirmationem minime negligendam accendere valeant, eumque magnopere stimulent ad eos fructus appetendos, qui in hoc Sacramento continentur.

X. Cum igitur Confirmatio, ut diximus, *vivorum* Sacramentum nuncupetur, & ideo primam gratiam minime producat, omnino sequitur, ut necessaria *necessitate medii* non sit, ac sine ipsa sempiterna felicitas possit obtineri. Sed certum est, adulta jam ætate homines vel *in re*, vel saltem *in voto* debere *necessitate præcepti* confirmari, quod etiam inter Dei præcepta numeratur; aut quum bellum a Tyrannis contra Fideles infertur, vel cum Dæmonis fraude de Religione anxii, sollicitique graviter jactamur, vel tandem cum in ultimum vitæ discrimen adducimur. Tunc autem Ecclesiæ præceptum dicitur, cum quis rationis usu præditus, si Episcopus hujus Sacramenti minister præsto sit, nulla legitima causa ad illud suscipiendum impediatur. Ita ferme universi Theologi sentiunt, & qui sapientiæ laude magis commendantur, eos gravi labe inquinari testantur, qui ob contemptum, vel oscitantem socordiam animam illius Sacramenti gratia munire prætermittant. Eamdem culpam Parochis, Parentibus, Dominis, ac Tutoribus inesse certum est, qui sibi subjectos non vehementer exstimulent, ut hoc Sacramento, cum fert occasio, confirmentur. Præclarus Hugo a S. Victore illud scriptum reliqui (8): *Propterea timendum est iis, qui per negligentiam amittunt Episcopi præsentiam, & non suscipiunt manus impositionem, idest Confirmationem, ne forte propterea damnentur, quia festinare debuerant, dum potuerunt.* Cujus rei eamdem causam adjungit, quam supra non etiam non semel memoravimus: *Quid prodest, si a lapsu erigeris, nisi etiam ad stadium confirmeris?* Angelicus Doctor (9) tradit omnia Sacramenta ad comparandam animæ salutem esse necessaria, ita tamen ut aliqua omnino requirantur, sine quibus salvi esse nullo modo possimus: alia vero ita necessaria sint, ut sine ipsis ad salutem quis valeat pervenire. Hinc postquam confirmationem hæc inter Sacramenta retulit, iis verbis utitur: *Et hoc modo Confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salvus, dum tamen non prætermittatur ex contemptum Sacramenti.* Sanctus etiam Bonaventura (10) de hac re in hunc modum scripsit: *Dicendum, quod est necessitas simpliciter, & necessitas conditionata; simpliciter non est gratia Confirmationis necessaria, sed necessaria ex conditione, scilicet pugnanti, & vincere volenti, sicut comedere necessarium est vivere volenti.* Et postquam sententiam suam plane comprobavit, hæc superaddit: *Ex institutione ergo Ecclesiæ est, quod nullus ab hoc Sacramento excipitur, sed omnes suscipere debent, ut sint strenui pugnatores; & ideo si quis, cum habet locum, & tempus, & opportunitatem negligendo contemnit, periculo se exponit.* Terrere summopere debet Novati exemplum, (11) qui, ut refert Eusebius, suscepto Baptismi lavacro, dum infirma valetudine teneretur, postea in sanitatem restitutus, confirmari neglexit: ob quam causam, ut asserit Cornelius Pontifex, mortis timore perculsus Fidem turpiter deseruit, & societatem cum schismaticis inivit: *Verum morbo tandem relapsus; neque cætera, quibus post Baptismum secundum Ecclesiæ Canonem imbui oportuerat, acquisivit, neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit. Quo quidem neutiquam potitus, quomodo, quæso, Spiritum Sanctum adeptus est? Ille persecutionis tempore metu debilitatus, & nimia vitæ cupiditate adductus se Presbyterum esse negavit &c.*

XI. Eamdem de Novato opinionem habuisset Cornelius, si ille ad Confirmationem imparatus accessisset. Tunc enim character, non autem gratia suscipitur, quam sane, qui percipere cupiunt, piis sanctisque operibus, & orationis studio se prius excerceant oportet, ut Apostolorum exemplo docemur, cum Spiritum Sanctum essent proxime accepturi (12): *Erant enim perseverantes in oratione.* Qua de re S. Carolus Borromæus his verbis Fideles ad Sacramentum Confirmationis instruit (13): *Atque in primis frequentiori, & ardentiori religiosæ orationis studio devote sese exerceant, exemplo Sanctorum Apostolorum; qui dum expectarent Spiritum Sanctum, perseverantes erant in oratione, & jejunio.* Insuper decernit, ut quibus per ætatem liceat, peccata prius confiteantur, quam ab Episcopo confirmentur; quod multo antea in sanctionibus Odonis Episcopi Parisien-

(1) *Can. de Consec. distin. 5.* (2) *Cap. cum venissent &c. de Sac. Unctione.* (3) *In Epist. S. Joan. cap. 5.*
(4) *In homil. Pentecost. ut habetur in Biblioth. Patrum lib. 6.* (5) *Epist. 13. ad Bonifac. cap. 4. Tom. 6. Concil.*
(6) *Sess. 7. Can. 9.* (7) *Part. 3. quæst. 72. art. 1.* (8) *De Sacrament. lib. 2. part. 7. cap. 3.* (9) *Part. 3. quæst. 72. art. 11. ad tertium.* (10) *In 4. sentent. dist. 8. art. 3. quæst. 2.* (11) *Euseb. lib. 6. cap. 35.* (12) *Act. Apost. cap. 1.*
(13) *Part. 4. Act. Eccles. Mediol. pag. 509. Tom. 1. edit. Mediol.*

risiensis fuit constitutum (1): *Si confirmandus adultus fuerit, confiteatur prius, & postea confirmetur*. Idem ab Anglicano Episcopo Seculo XIII. cautum fuit, cujus Decreta Spelmannus impressit (2): *Quod si adultus fuerit confirmandus, monendus per Sacerdotem loci, ut prius confiteatur*. Hæc sententia plurimis aliis legibus comprobatur, quas Martene ab omni antiquitate collegit (3). Illud etiam summopere expetit S. Carolus Borromæus, loco supra citato, ut qui Sacram Eucharistiam percipiunt, postquam animum expurgaverint, & confirmati fuerint, divinis pariter mysteriis reficiantur: *Hoc vero diligenter curabit Parochus, ut de peccatis confiteantur, confessique ad Sacramentum Confirmationis accedant, tum confirmati sacram Communionem sumant*. Quam necessarium sit Pœnitentiæ Sacramentum, satis re ipsa declaratur. Cum enim peccatum gratia simul esse nequeat, si quis forte turpi labe inquinatus ad Confirmationem accederet, charactere, non vero gratia præditus abiret, animæque novam, & gravissimam maculam inureret, ut fidem facit S. Antonius (4): *Qui renunciat gratiæ Baptismali, quod fit per mortale commissum, postea accedens ad Confirmationem cum eo, non confirmaretur in gratia, nec augeretur sibi gratia, immo mortaliter peccaret, & magis debilitaretur in anima, quamvis characterem reciperet indelebilem, & hoc, nisi restitueretur prius gratia amissa, quod non fit nisi per Pœnitentiam*.

XII. Sed jam ad externa Religionis signa, quæ hoc Sacramentum maxime decent, sermo convertatur. Vehementer optamus, ut præter totius Corporis modestiam, jejuni Confirmationem universi suscipiant: ideoque mane illam administrari semper curabimus. Nam ad XII. usque Seculum hunc morem constanter Ecclesia retinuit, quod Magistri sententiarum testimonio clare demonstratur. Post illud tempus, ut ait S. Thomas (5), hoc jejunium paulatim defuit: sed cum ex Canone, *Ut jejuni*, & ex alio, *Ut Episcopi* (6), quos sedulo Cardinalis Bellarminus expendit (7), satis intelligatur, decere maxime, ut Episcopus conferens hoc Sacramentum, & Fideles, quibus confertur, jejunium observent; cum etiam in Pontificali Romano habeatur, *Confirmandi deberent esse jejuni*; hinc proculdubio Nos præclarum consilium sequemur, aliisque plurimum illud commendamus. Veteri quoque disciplina pueris statim post Baptismum Confirmatio tradebatur; sed cum honestis de causis hac immutata consuetudine mos obtinuerit, ut confirmandi rationis usum attingerent, nisi forte gravi morbo detenti, de vita dimicarent; ideo, ne ab hujus Bononiensis Ecclesiæ, & Romani Catechismi institutis recedamus, illud palam monemus, neminem a Nobis confirmandum, qui septimum ætatis annum non excesserit. Mandamus insuper Parochis, ut ægrotos Nobis denuncient, qui in lethali periculo versantur, ne sine Confirmatione vitam absolvant, sicut etiam præcepit S. Carolus (8): *Ægrotos præterea nondum confirmatos designabit, eosque Archiepiscopo denunciabit, ut ne ingravescente morbo sine hoc Sacramento decedant*. Idem de pueris periculoso morbo laborantibus intelligendum est, cum Sancti Thomæ doctrina, & auctoritate certi simus (9), quod *etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequuntur, sicut & bi majorem obtinent gratiam*. Nos autem nullo impedimento retardabimur, ne infirmos domi invisamus, ipsosque in eo discrimine Sacramenti hujus virtute confirmemus.

XIII. Qui vero sani, & incolumes ad Ecclesiam se conferre possunt, eo die, atque hora convenire debent, quæ ipsis a Parocho statuetur; caveatque diligenter Parochus, ut mares a feminis distinctum sejunctumque locum habeant: & cum recentem hominum consuetudinem, ob quam in nocturnis cœtibus, aliisque publicis officiis feminæ viris præferuntur, Ecclesia minime receperit, a maribus primum Sacramenti administrationem auspicabimur: *Primum* (sicut in quinto Mediolanensi Concilio præscribitur) *mares in Ecclesia a parte sua, feminæ ab altera sint, sicque separatim distincti &c. & quod veteris ritus est, primum mares, deinde feminæ confirmentur*. Interfint eodem tempore Patrini, qui a S. Gregorio in Libro Sacramentorum, & ab Ordine Romano memorantur. Plures etiam sacras sanctiones adducit Gratianus (10), & hujus rei causam S. Thomas his verbis complectitur (11): *Hoc Sacramentum exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his, quæ pertinent ad conservationem vitæ, ita illi, qui sumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis*.

XIV. Qui nondum confirmatus fuerit, Patrini munere fungi nequaquam potest. Parentibus etiam erga liberos id præstare minime permittitur; cum spiritualis affinitas inter Patrinos, & recenter confirmatos, ipsius Sacramenti virtute, juxta Concilium Tridentinum, (12) contrahatur. Volumus insuper, ut maribus erga feminas, & e contrario feminis erga mares Patrini officium persolvere omnino denegetur, quod in Pontificali Romano, & in Concilio Mediolanensi Quinto cautum maxime fuit ea de causa, *quod minime hoc per ætatem conveniat*. Observandum quoque præcipimus, quod in eodem Concilio demandatur, *ut genibus flexis, manibus ante pectus junctis, suo quisque ordine pie, & religiose orent, in primisque ab omni vociferatione, & inani confabulatione caveant, sed silentio sancto stantur*.

XV. Ac primum, cum hoc Sacramentum confert Episcopus, certis precationibus Deum Patrem obtestatur, ut Spiritum Sanctum super eos immittat, qui sint proxime confirmandi; quæ precatio non solum pietatis plena est, sed etiam vetustissima, cum in Sacramentario Sancti Gregorii describatur. Postea confirmandum suo nomine compellat; & si aliquid in ipso, vel parum Christianæ Religioni accomodatum, vel ad risum concitandum prope factum advertat, plurium Conciliorum auctoritate, ac præsertim Mediolanen. decernitur, ut illud Episcopus immutet; qua facultate non semel usi sumus, cum Diœcesim invisentes Confirmationem traderemus. Postquam id perfectum fuerit, Episcopus verba, quæ Sacramenti formam constituunt, pronunciat. Ea verba Innocentius Primus in celebri Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum proferre noluit: *Verba vero*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere*. Severam hoc loco Arcani disciplinam satis ostendit, qua Religionis mysteria tunc temporis silentio tegebantur; sicut Petrus Constant (13) diligenter expendit: *Tum* (ut ipsis S. Gregorii verbis utar (14)) *Pontifex tincto pollice in Chrismate facit Crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim*. Sed etiam ante Gregorium Tertullianus (15) inter Ecclesiæ Sacramenta *signaculum frontium* adnumeravit. Confirmandus itaque Sacro Chrismate in fronte, illustriori scilicet parte corporis, ungitur, ut Christianum nomen, ac Religionem coram omnibus præferendam moneatur: *Et ideo linitur confirmatus Chrismate in fronte*, inquit Sanctus Thomas (16) *ut in manifesto demonstret se esse Christianum, sicut & Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in cœnaculo latebant*. Signum vero Crucis adhibetur, quo universi Ecclesiæ ritus, ac cœremoniæ perficiuntur, ut asserit S. Augustinus (17): *Quod signum, nisi adhibeatur, sive in frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo Chrismate unguntur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur*. Eugenius IV. quoque Pontifex in Decreto pro instruendis Armenis non frontem modo, sed etiam Crucis signum eodem sermone complectitur (18): *Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue Crucem ejus, qui Judæis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia secundum Apostolum; propter quod signo Crucis signatur*. Tandem pollice tincto in oleo, sive balsamo, signum Crucis imprimitur, eoque facto, dum formam, ac verba pronunciat Episcopus, materiam simul tradit, ex quibus Sacramentum constituitur. Hæc olei balsamique compositio feria sexta Majoris Hebdomadæ solemni Episcopi consecratione conficitur: *Secundum Sacramentum* (inquit Eugenius loco, quem supra diximus) *est Confirmatio, cujus materia est Chrisma ex oleo, & balsamo per Episcopum benedicto*. A primis usque Seculis oleo semper usa est Ecclesia, dum Confirmationis Sacramentum conficiebatur. Id vero apertissimis Dionysii Areopagitæ, Theophyli Antiocheni, Tertulliani, ac Cypriani testimoniis satis ostenditur. Quo tempore balsamum oleo permisceri inceperit, perscrutari supervacaneum in præsentia ducimus. Satis sit, quod Seculo Sexto certissima huius rei documenta proferantur. Nunc autem Occidentis, & Orientis pariter Ecclesiæ instituto balsamum

(1) *Cap.* 4. (2) *Lib.* 2. *Concil. Anglicanor.* (3) *Lib.* 1. *cap.* 2. *art.* 2. *num.* 2. *de antiquis Ecclesiæ Ritibus*.
(4) *Part.* 3. *tit.* 14. *cap.* 13. §. 1. (5) *Part.* 3. *quæst.* 73. *art.* 12. *ad secundum*. (6) *De Consecrat. dist.* 5.
(7) *Lib.* 3. *Controvers. lib.* 2. *cap.* 13. *in fin.* (8) *Loco superius allato*. (9) *Part.* 3. *quæst.* 72. *art.* 2. *ad quartum*.
(10) *Tit. de Consecrat. distinct.* 4. (11) *Part.* 3. *quæst.* 72. *art.* 10. (12) *Sess.* 24. *cap.* 2. *de Ref. Matrim.*
(13) *In notis pag.* 859. (14) *In Sacrament.* (15) *Lib.* 3. *contra Marcionem cap.* 22. (16) *Part.* 3. *quæst.* 72. *art.* 9.
(17) *Tract.* 118. *in Joann. Tom.* 3. *col.* 801. *edit. Maurin.* (18) *Tom. XIII. Concilior. pag.* 536.

mum oleo permiſceri inceperit, perſcrutari ſupervacaneum in præſentia ducimus: Satis ſit, quod Seculo ſexto certiſſima hujus rei documenta proferantur. Nunc autem Occidentis, & Orientis pariter Eccleſiæ inſtituto balſamum oleo componitur; ita tamen, ut triginta quinque diverſæ aromatum ſpecies, & exigua vini copia a Græcis adjungantur (1). Inſuper oleum pro hujus Sacramenti materia propoſitum fuit, quod Sancti Spiritus gratia in ipſo potiſmum ſignificatur: *Gratia Spiritus Sancti* (ait Sanctus Thomas (2)) *in oleo deſignatur; unde Chriſtus dicitur eſſe unctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit, & ideo oleum competit materiæ hujus Sacramenti.* De balſamo vero ita ſubnectit: *Admiſcetur autem balſamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios, unde Apoſtolus dicit ſecunda ad Corinthios cap. 2. Chriſti bonus odor ſumus Deo &c.; & licet multa alia ſint odorifera, tamen præcipue accipitur balſamum propter hoc, quod habet præcipuum odorem, & quia etiam incorruptionem præſtat. Unde Eccl. 24. dicitur, quaſi balſamum non mixtum odor meus.*

XVI. Patrini ex veteri ritu confirmandum dextra manu tenentes ad Epiſcopum adducebant, & ſi ipſe adultus eſſet, pedem ſuper Patrini dextrum pedem imponere debebat, ſicut præſcribitur in Ordine Romano, ac in Libro Sacramentorum Sancti Gregorii, quem jam toties in medium protulimus. Id vero Religione myſterioque non caret: *Adulti, ſeu alii majores ponant pedem ſuum ſuper pedem dextrum Patrini ſui* (3). Hunc morem integre ſervavit Benedictus XIII. cum primum Epiſcopus, ac deinde Pontifex Maximus Fidelium multitudinem pluries hoc Sacramento confirmavit. Eandem diſciplinam tenuit Sanctus Carolus Borromæus, qui in Mediolanenſi Concilio quinto præcepit, ut ante ipſum ſtarent, qui adulta jam ætate ad confirmationem accederent. Sed cum diuturna experientia cognitum a Nobis ſit, vix a Patrinis impetrari poſſe ut manum dextram ſuper humerum confirmandi pariter dextrum conſtanter teneant; ideo novam hanc conſuetudinem libenter ampleſtimur, ne præſertim in tanta hominum multitudine turbæ excitentur.

XVII. Ultimo Epiſcopus leniter genas confirmando percutit, ac deinde pacem impertit, & poſtquam Patrinus ipſi candida faſcia frontem obduxit, Epiſcopus ſolemni benedictione rem perficit, concionemque dimittit. Qui de Sacris rebus erudita poſteris commentaria reliquerunt, ſuſpenſi dubiique ſunt, quonam tempore conſuetudo cædendi leviter in maxilla confirmatum inducta fuerit: *Poſtquam Epiſcopus* (ait Martene) *formam pronunciavit, percutit leviter confirmati maxillam, cujus ritus nullam apud veteres Scriptores, aut Rituales mentionem vidi, nec ullum Durando Mimatenſi Epiſcopo antiquiorem, qui de illo loqueretur, Auctorem reperi* (4). Cauſam tamen hujuſce rei in Concilio Senoneſi coacto anno 1524. hanc fuiſſe accepimus: *Ut ea percuſſione infantes memoriam habeant ſe fuiſſe confirmatos, ne iterum confirmentur.* Sed alia, ac præſtantior in Libro Catechiſmi Romani memoratur: *Ut meminerit confirmatus ſe tamquam athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa invicto animo pro Chriſti nomine ferenda.* Inficiari quidem nemo poteſt precationis, pacis, faſciæque, quam modo diximus, morem ab omni antiquitate religioſe ſervatum fuiſſe. Certum pariter eſt hanc faſciam ideo fronti circumductam, ne ſacrum Chriſma in genas confirmati deflueret, & ſimul, ut Spiritus Sancti gratiam omni cura diligentiaque retinendam intelligere. Septem dierum ſpatio faſciam fronti circumligatam olim præſeferebant (5), nec verbis ſatis explicari poſſunt ſanctiſſima pietatis opera, quibus recenter confirmati per ſeptem dies exercebantur (6). Sed cum virtus in Fidelium animis remiſſa in dies langueſcat, nec jam proponi poſſint ea, quæ primis Fidei ſectatoribus facillima, ac jucunda videbantur; ideo præcipimus, ut ſaltem quo die Sacramentum acceperint, faſciam nunquam deponant. Confidimus pariter fore, ut illum diem honeſte ſancteque tranſigant. Hæc omnia pro noſtrarum virium infirmitate diximus, ut in animas Fidelium uberrimi fructus, & perpetua ſalus derivetur. Sed priuſquam finem imponamus, iterum Parochos ſtudio, quo poſſumus maximo, hortamur, ut pro ipſorum ſapientia, ac virtute, cum populum de more inſtituunt, univerſa illa, quæ nos ſimul inculte congeſſimus, clarius, ac diligentius declarent. Inſuper addant, quæ pro hujus Sacramenti dignitate vel utilitate explicanda magis opportuna judicabunt, & quæ Nos fortaſſe ob ingenii noſtri tenuitatem facile prætermiſimus.

## INSTITUTIO VII.

*De conferendis Parochiarum Eccleſiis. Quodnam ſit judicium Sacrorum Canonum ſuper hac re. De variis corruptelis, quæ inductæ fuerant, quave ratione Sacra Concilii Congregatio remedium illis attulerit: quibus meritis, præter doctrinam, præditi eſſe debeant, qui ad examen ſe cum aliis offerunt, ut Parochiales ejuſmodi obtineant. Quæ partes ſint Laicorum cum aliquem ad eas Eccleſias nominant, quæ ad ipſos jure pertinent.*

I. SAcra Tridentina Synodus juxta vetuſtiores Canones, (7) in quibus præcipitur, ut illi, *Qui majoribus & ſtudiis juvatur, & meritis* Eccleſiæ Parochiales gubernandæ tribuantur, Lateranenſi Concilio ſub Alexandro III. (8) pariter inhærens, ubi is Parochus eligendus ſtatuitur, *Quem Eccleſiæ magis utilem, & idoneum reputarent*, optimam conſuetudinem induxit, ut, cum Parochialis Eccleſiæ vacatio contingeret, publicum examen indiceretur; curamque animarum illi conferendam voluit, qui moribus, ætate, doctrina, prudentia, aliiſque rebus ad eam Eccleſiam regendam opportunis, ac neceſſariis reliquos omnes ſuperaret (9). Sanctiſſimus vero Pontifex Pius V. ex præclariſſimis ejuſdem Concilii ſanctionibus permittit (10), ut, ſi quis per injuriam ab accipienda Eccleſiæ illius procuratione ſe depulſum exiſtimet, cauſam ad Metropolitanum, vel etiam ad Sedem Apoſtolicam deferat, ibique ſuum æmulum in novum examen adducat, ex quo ſi virtute, atque ingenio ſuperior abierit, curam animarum, licet competitori antea collatam, pro victoriæ mercede conſequatur.

II. Sed ut inanes hujuſmodi ad novum Judicem provocationes impediret, decrevit juxta Concilium Pontifex, ut, qui probatus poſt examen ab Epiſcopo fuiſſet, ſtatim Eccleſiæ ſuæ regimen ſuſciperet, & ne ulla appellatio poſſeſſionem ſuſpenderet, atque impediret. Cum tamen pluribus exemplis compertum ſit, remedium a Pontifice tunc propoſitum non ſatis incommodo mederi; & cum Sac. Concilii Congregatio a præſtantibus viris admonita, pernicioſos uſus irrepſiſſe cognoverit, quos hujuſmodi provocationes, cum de conferendis Parochiis agitur, magno cum detrimento excitarunt; ideo Nobis, qui tum perhonorifico Secretarii munere fungebamur, anno 1710. mandavit, ut rem totam funditus perpenderemus, & opportuna malis remedia ſimul excogitaremus. Nam eadem Sac. Congregatio non modo Concilii Tridentini ſententias interpretari ſola poteſt; verum etiam diligentiam ſtudiumque adhibere maximum debet, ut per univerſum orbem Eccleſiaſtica Diſciplina integre conſervetur.

III. Itaque commiſſo muneri pro virium tenuitate, licet non ſine magno labore, ſatisfacere contendimus; & ſane provocationes, quas ſupra diximus, magno numero ad Judices delatas invenimus. Id vero quam gravem afferret perniciem, ex eo intelligi facile poteſt, quod Eccleſiæ per plures annos ſuo Rectore deſtituebantur. Nam cum ipſe in judicium a competitore vocaretur, ut novum ſubiret examen, longe a ſede immorari diuturno tempore cogebatur, donec judicium abſolutum foret, quod ſæpe ad quartam uſque ſententiam ſine ullo fructu protrahebatur. Quippe cum id examinandum eſſet, an reſtum Epiſcopi judicium fuiſſet, cum aliquem ad regendam Eccleſiam delegerat, aliumque velut minus idoneum rejecerat; ideo novum examen poſt multos menſes, & aliquando poſt multos annos proponi debebat. Hinc non ſemel contigit, ut eo temporis ſpatio plurimum laboris induſtriæque in excolendis ſtudiis æmulus impenderet, & coram novis examinatoribus maxime præ illo probaretur, qui antea virtutis merito ab Epiſcopo cæteris præpoſitus fuerat.

IV. Poſt hæc, cum præcipuam hujus incommodi cauſam, remediumque ſimul animo expenderemus, occurrit in Actis Sac. Congregationis Decretum, quo ab anno 1603. provocationes hujuſmodi conceduntur, quamvis ad offenſionem probandam nullum certum argumentum adhiberetur; ad quam ſententiam Supremum Rotæ Tribunal, Sac. Congregationi plurimum deferens, ſe penitus conformavit; neque aliter fieri poterat; nam cum examen ad conferendas Eccleſias haberi conſueverit, nemo ſe immerito gravatum oſtendere poterat, niſi ad novum Judicem pro novo indicendo examine provocaret. Qua-

(1) *In Euchologio impreſſo a Goario.* (2) *Part. 3. quæſt. 72. art. 2.* (3) *Pontif. Rom.* (4) *De antiquis Ritibus lib. 1. cap. 2. artic. 3. num. 13.* (5) *In ordine Rom. titul. de obſervanda unctione Chriſmatis. De Divinis Offic. cap. de Sabbato in Albis.* (6) *In auctoritibus Ritual. tom. 10. Biblioth. Patrum.* (7) *In Canon. ſi forte diſt. 63.* (8) *In Cap. Quoniam de jure Patronatus, & in Cap. Conſtitutis de Appellationibus.* (9) *Seſſ. 24. de Reformat. cap. 18.* (10) *In Conſtitut. 33.*

Quare si in posterum scriptis exarentur omnia quæ ad examen pertinent, ex illis satis superque cognosci posse visum est, aliquid injuste commissum fuerit; hinc etiam decerni hujusmodi provocationes minime admittendas, nisi acceptæ injuriæ argumenta ex actis publici examinis proferantur; & tandem hoc modo maxima detrimenta removeri, quæ paulo ante commemoravimus.

V. Hæc omnia satis longa oratione, quæ Typis excusa est, diligenter complexi sumus: & cum Cardinales die prima Octobris, & 16. Novembris rem totam sedulo examinassent, ea, quæ a Nobis proposita fuerant, summa humanitate, atque assensu confirmarunt, jusseruntque (si id probaret Clemens XI. tunc Pontifex Maximus) Epistolam nos conficere, qua moneremus Episcopos, ut cum deinceps pro vacatione alicujus Ecclesiæ examen fieret, scriptæ petitiones competitoribus traderentur, qui responsa quoque scripta reddere deberent. Igitur Epistolam sua auctoritate judicioque Pontifex approbavit, quæ Typis edita ad singulos Episcopos die 10. Januarii 1721. missa fuit, ac deinde inter Clementis XI. Constitutiones adnumerata (1).

VI. Paulo post nos ipsi a Benedicto XIII. Anconitanis in Episcopum declarati, ejus Epistolæ sententiam integre servatam invenimus. Sed cum Bononiæ (ad quam Civitatem a Clemente XII. translati fuimus) contrarium contigisset, rem ipsam statim observandam omnino curavimus. Nullam enim Ecclesiam administrandam permisimus, nisi prius indicto examine omnia, quæ ad ipsum spectarent, diligenter scriberentur. Itaque pro certo habeant universi, Nos haud aliter unquam facturos, donec præpositos huic Ecclesiæ, Pastoremque Civium Nos esse Deus patietur.

*VII.* Quoniam vero idoneus aliquando non est, qui reliquis doctrinæ laude præcellat; cum sæpius illi, qui sapientia cæteris comparari non possint, iis tamen rebus cumulatiores sint, quæ ad regendas Ecclesias magis necessariæ judicantur, quam rem copiose S. Thomas ostendit (2), eamdemque confirmat Tridentinum Concilium (3), a quo præter doctrinæ commendationem, optimi etiam mores, rerum prudentia & alia plurima requiruntur; ideo mandamus, ut singuli competitores ratum firmumque ætatis testimonium ad nostrum Cancellarium deferant, & quantum inserviendæ Ecclesiæ, & Fidelibus præsertim imbuendis temporis impenderint; quandiu Pœnitentiæ Sacramentum ministraverint si hac facultate præditi sint; an apud alios Parochos Cappellani munere perfuncti fuerint, vel aliqui Ecclesiæ Vicarii, aut Œconomi præfecti, ac tandem quibus olim Ministeriis operam studiumque contulerint, & cætera omnia palam exhibeant, quæ ipsos ad curam animarum suscipiendam satis utiles aperte demonstrent. Cancellarius autem scribæ, qui nostro Foro huic muneri præpositus est, hujusmodi documenta tradat, ut ex illis compendium in publicis Actis servandum, & alterum Nobis exemplar conficiat. Peracto examine, collatoque Ecclesiæ Parochialis regimine, si quis eadem documenta apud se retinere velit, quibus alio tempore utatur, volumus, ut ipsis omnino restituantur. Idem observandum præcipimus, siquis *favore certæ Personæ* Parochialem Ecclesiam in alium transferat, & a Nobis approbari requirat, ut nostrum testimonium ad Sedem Apostolicam transmittat. De illis vero, qui a Laicis proponuntur, ad quos Ecclesia jure pertineat (quorum Nobis pariter, an satis periti sint, exploratum esse debet; de quo sententia ferri nequit, nisi præter scientiam, de cæteris quoque necessariis conditionibus aperte constet) id statuimus, quod in Tridentina Synodo continetur (4): *Quod si jus Patronatus Laicorum fuerit, debeat, qui a Patrono præsentatus erit, ab iisdem Deputatis, ut supra, examinari, & an nisi idoneus repertus fuerit, admitti.*

VIII. Postremo, quoniam de Laicis verba facimus, qui Ecclesiarum Rectores nominare jure suo consueverunt, pro certo teneant integra prorsus eorum privilegia a Nobis conservanda: Monemus tamen, & per Viscera Jesu Christi vehementer obtestamur, ne aliquos ob eam potissimum causam nuncupent, quod de sua familia benemeriti fuerint, vel clientelis, & privatis officiis commendentur; sed unice ante oculos habeant utilitatem, ac salutem animarum, quæ ipsis committitur. Caveant, ne ingrati sint, atque immemores ampliſſimi beneficii, cujus nullum exemplum primis Seculis reperitur, ut nempe eos jure suo nominent, qui Ecclesiis gubernandis præficiantur. Nam, si pristini temporis memoriam repetamus, Templa a Laicis extructa, largisque proventibus cumulata Nobis occurrunt, quin tamen ullum hujusmodi privilegium sibi compararent. Consulant super hac re Pontificum decreta (5), & præsertim Concilii Tridentini verba sedulo perpendant (6), cum ad illos sermonem convertit, qui Episcopos jure nominare possunt. Siquidem habita dignitatis ratione fere cum illis conferuntur, qui Parochos ex privilegio nuncupant, cum utrisque animarum cura tribuatur: *Hortatur, & monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Nemo autem ignorat a Venerabili Dei famulo Innocentio XI. die 2. Martii 1679. damnatam eorum fuisse sententiam, qui Concilii verba hoc modo explicanda asserebant, nempe, ut hominem prorsus indignum excluderet, non tamen reliquis præstantiorem nominandum juberet; vel tunc solum vim habere Concilium, cum publicum examen indicitur. Si quis ergo ad Ecclesias saltem Parochiales, omisso magis utili, idoneum aliquem proponat, licet in Judiciali Foro improbari non possit, culpa tamen ipsum non carere S. Thomas testatur (7): *Ad tertium dicendum: quod quantum ad hoc, quod electio impugnari non possit in Foro Judiciali; sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam, sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem.* Idem ex multis præstantium Virorum auctoritatibus a Sacra Rota gravius, ac severius constitutum fuit, cum de Beneficiis simplicibus ageretur (8). Sed omissa hac disputatione, si ex Tridentino Concilio, licet publico examine Ecclesia Parochialis conferatur, melior semper eligendus est, sicut ex damnata sententia, quam supra memoravimus, clare intelligitur; ideo, si hoc pacto a Laicis Ecclesiarum Rectores proponuntur, necessario consequitur, ut digniorem seligere omnino teneantur. Hinc ait præclarus Theologus ex Societate Jesu Dominicus Viva (9), qui damnatas a Pontificibus Sententias egregiis Commentariis illustravit: *Puto Patronum etiam Laicum debere digniorem præsentare, præsertim ad Beneficia curata, cum eadem inconvenientia habeantur ex promotione minus digni, sive hæc promotio fiat immediate a Collatore, sive contingat per præsentationem a Patrono factam.*

## INSTITUTIO VIII.

*De obstetricibus, quæ pro conferendo Baptismo, si necessitas postulet, satis peritæ esse debent: quid plane scire teneantur: suo munere perfungi illas non posse, nisi prius in examen veniant, ac probentur. Quid agendum sit Sacerdoti Baptismum pueris conferenti, qui jam domi per obstetrices eumdem Baptismum acceperunt. Quæ pariter norma servanda sit cum pueris expositis, qui schedam collo pendentem gerunt, in qua de suscepto Baptismo testimonium habetur.*

I. QUamvis Parochus Baptimi Minister legitimus sit, sive alius Sacerdos ab Episcopo, vel Parocho delegatus (nisi fortasse mortis proximæ periculum immineat, quo tempore sine ullo ritu, ac cæremonia a quolibet etiam Laico, infideli, hæretico, vel excommunicato, & etiam a muliere Baptismus conferri potest, dummodo forma, materies, atque intentio rite conserventur, & qui ampliori dignitate præditi sunt, cæteris semper præferantur; & virorum potissimum præ mulieribus habeatur ratio, nisi forte modestiæ causa aliter faciendum videatur, cum proles ex utero matris non integre demissa magno in discrimine constituta est; aut si mulier pro Sacramento administrando magis apta, magisque perita judicetur) quamvis, inquam, Parochus Baptismi Minister legitimus nuncupetur, frequentissime tamen contingit, ut infantes, qui proxime morituri videntur, salutari lavacro expiare cogantur obstetrices.

II. Itaque, si Medici, qui servandæ corporis saluti præpositi sunt, nullam mulierem in eo ministerio versari patiuntur, quæ prius ipsorum judicio probata non fuerit; Nos præsertim, qui perpetuam incolumitatem, beatamque illorum vitam, qui no-

(1) *In Bull. Clementis XI.* (2) 2. 2. *quæst.* 63., *& quæst.* 185. *art.* 3. *& Quodlibeto* 7. *quæst.* 4. *art.* 3.
(3) *Loc. cit.* (4) *Sess.* 24. *cap.* 18. (5) *Can. Decretum Can. Regenda, Can. Noverint* 10. *quæst.* 1.
(6) *Sess.* 24. *cap.* 1. (7) 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 3. (8) *In Causa Camerinen. Beneficiat. habita die* 2. *Julii* 1708. *num.* 37. *coram. bon. mem. Molino Decano, edita post controv. Pitonis alleg.* 30.
(9) *In notis ad propos.* 47. *num.* 14.

nobis a Deo commendati sunt, maxime expetimus, omnem diligentiam, curamque impendere debemus, ut hujusmodi mulieres, a quibus tam crebro Baptismus impertitur, iis omnibus satis imbutæ sint, quæ ad rem bene gerendam necessario requiruntur.

III. S. Carolus Borromæus, qui Ecclesiæ disciplinam non mediocriter collapsam restauravit, præclarum hujus diligentiæ nobis reliquit monumentum (1): *Obstetrices tribus post hujus Decreti promulgationem mensibus pœna arbitratu Episcopi proposita officium ne præstent, nisi per Vicarium Foraneum, si in Diœcesi sunt, si vero in Urbe, per eum, cui Episcopus id curæ dederit, scripto probatæ sint idoneæ ad Sacramentum Baptismi, cum necesse erit, ministrandum. Quæ autem probata est, cum baptizabit, curet, quoad fieri potest, ut duæ saltem mulieres, ac mater præsertim, si potest, testes præsentes adsint, quæ in baptizando verba ab ea prolata audiant. Parochos vero cum perquiret ex Decreto Provinciali, an infans baptizatus sit, diligenter obstetricem, & testes etiam de verbis prolatis interroget, ut sibi constet, an Baptismi forma recte adhibita sit, an vero secus, quamobrem oporteat infantem a se baptizari.*

IV. Sanctissimi viri exemplo ducti Nos etiam decernimus, ut obstetrices, quæ in hac Civitate, vel Diœcesi versantur, hoc munus præstare omnino cessent, nec ulla alia deligatur, nisi prius in examen illæ vocentur, & pro conferendo Baptismo satis idoneæ reperiantur. Interrogari potissimum debebunt de materia, ac forma hujus Sacramenti, & qua ratione, simul ac materia traditur, verba pronunciari oporteat, & baptizandi intentio simul necessaria sit. Proponantur etiam illis eventus, qui in Rituali Romano continentur (2), ac præcipue, quid agendum sit, cum infans ex utero parentis caput, aut aliam corporis partem solummodo porrigit, ipsiusque vita in dubium magnopere revocatur.

V. Metropolitanæ Ecclesiæ Archipresbyter, qui duos ex quolibet ordine viros sibi eliget, ad urbanas obstetrices examinandas præficietur, & si aliquam probaverit, scriptum ratumque testimonium *gratis* impartiat. Sed pro Diœcesi obstetrices a Parocho, cujus Ecclesiæ adscriptæ sunt, diligenter examinentur: *Curare debet Parochus* (ita Rituale Romanum) *ut Fideles, præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant, & servent.* Et quoniam difficile est Religiosis Ordinibus devotos homines in Diœcesi paratos habere, qui Parocho suam operam præstent; volumus, ut examen etiam præsente Vicario Foraneo peragatur. Quod si Vicario, tamquam alicujus Ecclesiæ Rectori, mulieres obstetrices examinare contigerit, aliquis Parochus ipsi subjectus in examen focius advocetur. Testimonia pariter, quibus mulieres ad hoc ministerium deliguntur, *gratis* concedantur: examen quotannis habeatur; perfectumque significent Vicarii iisdem Litteris, quas dare Nobis singuli consueverunt. Pœnam arbitrio nostro infligendam reservamus, non modo Vicariis, qui in hac re negligenter se gesserint, sed mulieribus, quæ non obtenta prius facultate, quam supra diximus, obstetricis munus exercere minime dubitaverint.

VI. Interim infantes, qui obstetricum ministerio Baptismum acceperint, si a periculo incolumes evadant, ad Ecclesiam deferri debent, in qua Fons Baptismi conservatur, ibique cœremoniæ omnes, quæ ob necessitatem omissæ fuerunt, religiose perfici, de quibus Venerabilis Cardinalis Bellarminus ita scriptum reliquit (3): *Omnes ritus, quibus nunc utimur, antiquissimi sunt, & vel ex Apostolorum traditione manarunt, vel a Sanctissimis Patribus instituti sunt.* Caveat tamen Sacerdos, cui munus hujusmodi demandatum fuerit, ne Baptismi Sacramentum *sub conditione* infantibus conferat ea causa permotus, quod obstetricum manu lustrati tantum, expiatique privato loco fuerint. Quippe id solum permittitur, cum post sedulam inquisitionem ambigi potest, an rite Baptismus collatus fuerit: *De quibus* (4) (inquit Alexander III.) *dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis; si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.* Qui aliter fecerit, uti ex S. Carolo Borromæo, & Catechesi Tridentinæ Synodi deprehenditur, irregularis sit, & gravissimo sacrilegio implicatur. Insuper præclarissimus Cardinalis Albitius minime admittendas asserit eas Synodos, in quibus iteratio Baptismi *sub conditione* indistincte præcipitur, quoties obstetricum manu salutaribus undis communi labe infantes expurgantur (5).

VII. Pro confirmanda hac sententia adduci posset exemplum S. Athanasii, quem adhuc puerum Sozomenus (6), & Socrates memorant quibusdam (7) pueris Catechumenis Baptismum tribuisse, ut ingenua quadam simplicitate Alexandrum Episcopum Alexandrinum imitaretur. Cum postea res ad ipsum Alexandrum delata fuisset, eum Baptismum ratum firmumque judicavit: Sed cum Sanctus Hieronymus testetur (8) anno 321. Alexandrum Episcopum Alexandriæ declaratum fuisse; cum pariter Nicænum Concilium anno 325. coactum sit, in quo Athanasius non modo Diaconi partes egit, sed in Arianis confutandis Theologi præclarum nomen sibi conciliavit, cum deinde anno 326. post Alexandrum eam Sedem obtinuerit, inde clare apertequc dignoscimus, Athanasium in puerili ætate constitutum non fuisse, quo tempore illam Ecclesiam Alexander administrabat. Cum tamen aliqui hoc monumentum proferant, ac tueantur, ex ipso satis ostenditur, non ita facile Baptismum *sub conditione* tradendum esse, licet a mulieribus privatim collatum antea fuerit, sed rem totam diligentissime examinandam; sicut de Alexandro Episcopo narratur, qui postquam Athanasii intentionem, formam, & materiam, qua Baptismum pueris ludentibus contulerat, sedulo perpendit, eum rite administratum constituit, uti apud Cardinalem Baronium fusius explicatur (9).

VIII. Evenit quoque non semel, ut expositi infantes testimonium accepti Baptismi in schedula descriptum, colloque suspensum gerant, nonnulli vero hoc documento careant: & tunc in disputationem venit, utrum, & qua ratione Baptismus conferri debeat. Eam ob causam in tertio Mediolanensi Concilio his verbis antea consultum fuit (10): *Infans expositus licet appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen, re diligenter perquisita, quemadmodum in Catechismo* Romano *expressum est, adhuc dubium sit eum baptizatum esse, ea conditionis forma baptizetur: si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo, & si nondum baptizatus es, ego te baptizo.* Nihil prorsus dissentiunt Synodi Provinciales Aquisgranen. anno 1583. Tholosana anno 1590., & Narbonen. anno 1609. habitæ, quas Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarius Pontas fusius commemorat (11). Sed præsertim Sac. Concilii Congregatio, cum Nos Secretarii munus ageremus, hanc rem penitus investigavit, ut Parocho S. Spiritus in Saxia satisfaceret, ad quem singulis fere diebus infantes cum ea schedula, quam supradiximus, vel etiam sine ipsa deferuntur. Itaque die 18. Decembris anni 1732. ita propositum fuit: *Quomodo se gerere debet Parochus Sancti Spiritus in Saxia in collatione Baptismatis infantibus, qui ad Archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de Baptismo testantem, sive non habeant, & etiamsi ex colore, & cæteris corporis qualitatibus deprehendatur, esse constitutos in ætate sex, aut decem mensium, vel etiam unius anni cum dimidio.* Hinc die 15. Januarii anni 1724. in hanc sententiam fuit responsum, *esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis juxta institutionem. Instructio est, quod excipiatur a Baptismo sub conditione casus schedulæ, qua habeat certitudinem.* Nam cum ejusdem schedulæ auctor deprehendi possit, cui fides merito præstanda sit, unico illius testimonio Baptismus rite traditus satis comprobatur, uti ex communi Scriptorum opinione, & apertissime ex jure Pontificio declaratur (12); & præcipue in ea sanctione, quæ incipit, *Cum itaque*, Hanc etiam interpretationem additam legimus: *unius testimonio quandoque credendum est, & sic hoc casu tantum credendum esse Christiano, & non Pagano, vel Judæo testificanti* (13). Ita pariter illud caput, *cum nuper de testibus*, in hunc modum explicatum accepimus; *Quandoque tamen bene creditur uni; quando non fit præjudicium alicui, puta, utrum aliquis sit baptizatus, vel utrum esset Ecclesia consecrata.* Quæ cum ita sint, Baptismum rite collatum, nec sub ulla iterum conditionis formula conferendum procul dubio judicare possumus, quoties infantium collo scriptum appensum ejus naturæ, de qua mox sermonem habuimus, reperiatur.

IN-

(1) *In Actis Mediolanen. Ecclesiæ Lugduni impressis an. 1682. tom. 1. pag. 178. & pag. 221 edit. Mediolan.* (2) *De Sacram. Baptismi. tit. de baptizandis pueris.* (3) *De Sacram. Baptismi. lib. 1. cap. 24.* (4) *Cap. de baptismo, & ejus effect.*
(5) *Lib. de inconstantia in Fide cap. 33. a n. 14. usque ad num. 16.* (6) *Lib. 11. Hist. Eccl. cap. 17.* (7) *Lib. 1. cap. 14.*
(8) *In Chronic.* (9) *Anno Christi Domini 311. num. 16. & 62.* (10) *Tit. de Baptismo Infantium.* (11) *In Dictionar. ce suum conscientiæ tom. 1. pag. 388.* (12) *In Can. Pueros 110., & Can. Cum itaque.* (13) *Can. 112. de Consecr. dist. 4.*

## INSTITUTIO IX.

*De tradendis Fidei rudimentis. A singulis Parochis suos Parochianos ad hæc instituendos esse. Quidam mali usus improbantur, qui in aliquas hujus Civitatis Parochias obrepserunt. De ratione, & diebus, quibus Parochi hujusmodi munere perfungi debeant.*

I. VIX in hanc Sedem pervenimus, statim diligenter inquirendum duximus, an Fidei rudimenta in Civitate, ac Diœcesi pueri docerentur. Significatum fuit, quod Nos ipsi Parochias invisentes perspeximus, hoc institutum per universam Diœcesim Dominicis saltem diebus observari. In Urbe vero a plurimis Parochis nunquam hoc munus exerceri; pueros que illis subjectos alio se conferre, ut Christiana catecheſi perficiantur. Deprehendimus etiam aliquos Parochos instituendis unice puellis, etiam quæ diversis Parochiis adscitæ sunt, alios vero pueris similiter imbuendis curam solum impendere. Id sane a Concilii Tridentini sententia maxime alienum verebamur (1), in quo præter cætera illud quoque Episcopis demandatur, *iidem etiam saltem Dominicis, & aliis Festivis diebus pueros in singulis Parochiis Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, & si opus sit, per Censuras Ecclesiasticas compellent.*

II. Nulla interposita mora causas perscrutati sumus, ex quibus tam pernicioſi usus, quos supra memoravimus, velut ex fonte dimanassent; responsumque, scripto etiam exaratum, accepimus, illos ad Cardinalem Palæottum primum hujus Civitatis Archiepiscopum referendos, qui ita suis Decretis constituerat.

III. *Id* prorsus incredibile visum fuit, cum præsertim nullo documento confirmaretur. Hinc pueritiæ nostræ memoriam revocantibus ultimam, in mentem venit in illa ipsa Parochia, in quam nunc tantum puellæ, non modo illi Parochiæ, sed alteri quoque adscriptæ pro hac re diebus Dominicis conveniunt nos una cum aliis ingenuis adolescentibus Christiana catecheſi eruditi fuisse: ex quo satis aperte constat, eam consuetudinem in ea saltem Parochia a Cardinali Palæotto inductam minime fuisse.

IV. Deinde, cum animo taciti perpenderemus, eumdem Cardinalem, Virum præclarissimum, qui Concilio Tridentino præsens adfuerat, postquam hanc regendam Ecclesiam suscepérat, nihil magis cordi habuisse, quam ut Concilii sanctiones exequioni, mandaret, arduum sane, ac difficile videbatur ipsum auctorem ejus rei nuncupare, quæ a Concilio tantopere dissentiret.

V. Sed, ut certiores essemus, vitam, ac res gestas Cardinalis Palæotti, quas Augustinus Bruni posteris descripsit, & nuper PP. Benedictini Typis in Gallia commendarunt (2), diligenter percurrimus, ibique contrariam sententiam his verbis offendimus: *In hunc modum ad meliorem frugem redacto Clero, & populo, ut domini vineæ ita cultæ etiam novarum plantarum educatione fœcunditas augeretur, ad aliud opus aggreditur totis viribus perficiendum, jusseratque in Synodo a Parochis eruditi plebem, pueroſque Christiana Catecheſi, vetusque Ecclesiæ institutum, quod jam obsoleverat, restitui. Quare ipsemet, cum festis Sacerdotibus vicatim Festis diebus ad hoc Apostolicum munus obeundum accedebat; quo exemplo commoti Parochi, & alacriores facti, patres vero, matresque familias ita incitati sunt, ut filios citatis horis, in templa, ac loca, ubi Catecheſim edoceretur, sua sponte perducerent.*

VI. Tandem in nostro Tabulario Decreta Synodalia ejusdem Cardinalis Gabrielis Palæotti reperta sunt, quibus luce clarius veritas comprobatur. Quippe inter cætera sic constituit cum de Parochis ageretur (3): *Parochi omnes in Civitate, ac Diœcesi campanæ signo populum diebus saltem festivis statim a prandio convocent, vel aliquem constituant, qui Parochiam circumeat tintinnabuli sonitu pueros ad Ecclesiam invitet, ubi præcepta Christianæ Legis a suo Parocho addiscant ea ratione, quæ deinceps proponetur, sicut a Tridentino Concilio præcipitur.*

VII. Concilii vero Decretum, & Cardinalis Palæotti sententiam sequuti sunt, qui post ipsum Ecclesiæ hujus administrationem susceperunt. Nam in prima Synodo amplissimi Cardinalis Columnæ hæc habentur: *siquidem in quo Parochorum industria, & solertia desudare maxime debeat, illud certe præcipuum animadvertimus, quod puerilis, & juventuti ad Christianam vitam honeste jancteque traducendam, plurimum conducere rerum omnium magister usus, & experientia docet, Conciliumque Tridentinum præscribit. Festis igitur diebus, maxime Dominicis, a prandio brevi cum campana majori dato signo pueros, & puellas ad Ecclesiam invitent.* Insuper Cardinalis Ludovisius die 19. Augusti anno 1647. hanc legem promulgavit: *Parochi cum in Urbe, tum in Diœcesi, quibus potissimum hoc edictum commendatur, omnem curam, ac diligentiam, quam Deus a veris Pastoribus requirit, ipsi insumant, ut præcepta orthodoxæ Fidei, & mysteria pueris explicentur.* Tandem in prima Synodo a Cardinali Hieronymo Boncompagno ita statuitur: *Singulis saltem Dominicis diebus signo campanæ populum convocent Parochi ad doctrinam Christianam addiscendam, norintque præcipuam quamdam Parochialis ministerii hanc esse partem.* Decessor autem noster Cardinalis Jacobus Boncompagnus pariter decreverat, ut urbani Parochi omnibus tam feminis, quam maribus suæ Ecclesiæ adscriptis Fidei rudimenta traderent, licet postea, hoc Decreto abrogato, rem integram ad pristinum statum restituerit. Quæ cum ita se habeant, Parochos omnes in nostras ædes convocavimus, ut ipsis voluntas nostra, eorumque in hac re sententia palam declararetur.

VIII. Sæpius in eumdem locum convenerunt universi, quibus clare ostendimus a Concilio Tridentino, & Romæ consuetudine, aliarumque præstantium civitatum more prorsus alienum esse, quod aliqui Parochi ab instituendis pueris omnino liberentur; alii vero feminis tantummodo, alii maribus edocendis constituantur, qui alienis etiam Parochiis adnumerati sint. Qui sane, non sine animi nostri mœrore, se impares ferendo gravissimo oneri, hominumque multitudini quæ ad ipsos confluit testati sunt. Ingenue tamen fatemur maximam ex eo voluptatem percepisse, quod fere omnes ad suscipiendas, implendasque sui muneris partes incensos paratosque cognovimus, ut pueros loco a feminis separato, vel in eadem Parochia, sive distinctis locis ad Christianam legem informarent. Nonnullos pariter æquo animo audire non prætermisimus, qui contrariam sententiam tuebantur. Siquidem certum habemus pacem & charitatem opinionum varietate minime labefactari.

IX. Itaque, nullis licet rationibus persuasi, & licet cæteri Sacerdotes in conventu acciti (quorum virtutem, & doctrinam plurimi facimus) nobiscum in eadem sententia versarentur, habita tamen ratione Decessoris nostri, qui, sicut antea commemoravimus, edictum super hac re suum abrogaverat; ne illos pariter offenderemus, qui contrarii omnino videbantur, ad Sac. Congregationem Concilii, & ipsum Pontificem causam deferendam duximus, qui paulo ante Apostolicis Litteris universos Episcopos monuerat, ut pro instituendis Fidelibus magno studio laborarent.

X. Igitur totam rationem, qua in hac Civitate Christiana doctrina populo traditur, clare explicavimus; quæ contigerint sub Archiepiscopo Jacobo Boncompagno, & quæ perpauci, licet singulariter sentirent, quidve illis responsum foret, aperte significavimus. Has vero Litteras libentissime proferemus (si quis id postulet) quas etiam in appendice Synodi, quæ, absoluta Sac. Visitatione, si Deo placuerit, indicetur, typis imprimemus; Nobis autem a Sac. Congregatione die 9. Augustini hujus anni 1732. ita fuit responsum: *Ex litteris Eminentiæ Vestræ intellexit Sac. Cong. Concilii modum istic usitatum circa erudiendos pueros in doctrina Christiana; sed approbari profecto non potest, nec tolerari ea minus recta consuetudo, ut sive feminæ, sive mares in una Parochia degentes aliis Parochiales Ecclesias adeant, ibidem imbuendi rudimentis Fidei ab alieno Parocho. Sic scilicet inducta Parochianorum confusione, & pluribus etiam fortasse sæpius ad nullum, a quo doceri possit, adeuntibus; quin etiam aliquot ex Parochis sese omnino eximentibus ab onere tradendi fidelibus suæ curæ commissis præcepta Orthodoxæ Fidei, ejusque mysteria explicandi. De remedio igitur adhibendo sapienter cogitavit Eminentia Vestra pro sua in istius gregis gubernatione vigilantia, ac solertia. Itaque, Sanctissimo Domino nostro etiam laudante, Sacra Congregatio approbat, quod ipsius quoque auctoritate interposita, Eminentia Vestra mandet, efficiatque, ut juxta saluberrima Tridentinorum Patrum decreta oves suum agnoscant Pastorem, & vocem ejus audiant, ac vicissim Pastor suas agnoscat oves, adeoque unusquisque Parochus elementis Christianæ legis informet pueros propriæ Parochiæ, dispositis seorsum masculis, ac feminis, quemadmodum in hac alma Urbe, atque etiam alibi servari laudabiliter constat.*

XI. Ex sententia harum Litterarum, non solum nostra, sed etiam Sacræ Congregationis Concilii auctoritate (ut Summi Pontificis voluntati assentiamus, pœnis quoque nobismetipsis in delinquentes reservatis) præcipimus universis, quibus animarum cura tradita fuerit, ut singulis Dominicis, aliisque festis diebus pueros, ac feminas, quæ ad suam Parochiam spectant, Christianam legem edoceant, vel in Parochiali Ecclesia, loco, ut su-

(1) Sess. 24. cap. 4. de Reformat. (2) In Anecdot. Eccles. (3) Tit. de Parochis num. 37.

supradictum est, separatio, ne malis occasio præbeatur, vel in aliis Ecclesiis, quas in fine subjiciemus, ubi fidei elementis juventutem imbuere Parochi ipsi constituerunt. Sed cum universam hanc provinciam sustinere nequeant, eos potissimum, qui primam tonsuram, vel minores, aut majores Ordines expetunt, Sacerdotes etiam, qui ad obtinendas Parochiales Ecclesias publicum examen subire non dubitant, admonemus, ut Parochis in hac re operam suam præstent, quibus omnino subjecti sint, dum populus Christiana doctrina ab ipsis eruditur. Et sane pro certo habeant, qui diligenter id minime perfecerint, neque primam Tonsuram, neque Ordines a Nobis consequuturos: Sacerdotes vero, qui Parochiales Ecclesias adipisci summo studio contendunt, præcipuo sane merito carebunt, nisi Parochi testimonium afferant, in quo de ipsorum assidua diligentia in eruditendis pueris certum documentum exhibeatur. Insuper Patres Societatis Jesu iis Parochis administros proposuimus, qui laborem sibi aliquo subsidio levandum judicarent. Ob eam rem P. Rectorem Collegii a S. Lucia nuncupatum rogavimus, ut suos in Parochias de more distribuat, quarum indicem ipsi tradidimus, ubi illorum opera desideratur; ipsosque huic ministerio nunquam defuturos pollicitus est, quemadmodum superius exposuimus. Hic vehementer obtestamur Sodalitati Christianæ Doctrinæ Præfectos, ut sæpius cognoscere, & explorare curent, utrum sedulo, atque utiliter hæc perficiantur. Hortamur quoque magnopere viros, seu mulieres, quæ informandis ad Christianam legem pueris operam suam navant, ut ad arbitrium Parochi pie diligenterque hoc munere fungantur, amplissimosque fructus sibi comparent, quos Summi Pontifices pro hac re liberaliter indulserunt. Hujusmodi sodalitia, quæ explicandis fidei rudimentis instituta sunt, olim in hac Civitate, licet hominum numero minus fortasse afflueret, magis tamen frequentia, & virtute quoque præstantiora fuisse Augustinus Bruni Cardinalis Palæotti a Secretis testatur (1): *Hinc sodalitia per totam Diœcesim instituta virorum, & mulierum pietate, & Christiana charitate præstantium, ex quibus Operarii tam multi numerabantur, ut in sola Urbe &c. sexcenti amplius administri essent, qui sanctæ illi exercitationi suam operam eodem tempore navabant.* Et quoniam communis hostis ab hac præclara consuetudine nonnullos avocare conabitur, suadebitque, id parum sui generis conditioni, ac dignitati convenire, sibi ante oculos ponant Gersonem Parisiensis Facultatis Cancellarium, & sui temporis clarissimum lumen, cujus famam, & laudem perpauci assequentur; qui matura jam ætate Christianæ legis præcepta, mysteriaque festis diebus in Ecclesia pueris declarabat; & cum religui Theologiæ gloria superbi id valde improbarent, & palam indignarentur, ob celebrem ipsius Gersonis Apologiam fastum simul, ac sententiam deponere coacti sunt (2).

XII. Muneris nostri rationi plurimum deesse videbimur, nisi parentes, tutores, cæterosque, ad quos pertinet, moneamus ea necessaria conditione obstrictos esse, ut Dominicis, festisque diebus illos, qui sub eorum potestate constituuntur, ad Parochiam adducant, ubi Christianam legem addiscant. Initio rerum parentes erga liberos magistri officio pie, ac simpliciter fungebantur; & quæ tradita a majoribus acceperant, quæ Deus ipse significaverat, simul conjungentes, in posteros hæc clarissima lumina propagabant, atque ita Religionis monumenta, velut parrimonium in filios dimanabant, sicut habetur Deuteronomii cap. 6. *Eruntque hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis.* Sed postquam Deus populo suo certam legem proposuit, parentibus etiam edixit, ut ipsam liberis suis diligenter explicarent: *Quomodo ad nos pertinet* (ait S. Augustinus) *in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de iis, qui vobis sunt subditi* (3). Itaque si hoc gravissimo præcepto liberari velint, filios suos Parochis imbuendos committant, qui loco parentum destinantur. Quod si cum liberis ipsi quoque Parochum in Ecclesia docentem audiant, singularem ex ipsius voce doctrinaque utilitatem consequentur. Siquidem magnum quiddam, ac sublime continent in se Religionis nostræ mysteria, ut veritas divino quodam lumine eo magis detegatur, quo sæpius illa in animum, ac sermonem revocantur. Plurima insuper pueris traduntur, quæ tamen ipsi intelligentia complecti non possunt, nisi cum ad maturam ætatem pervenerint: *Tanta* (inquit S. Augustinus (4)) *est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere. Tanta non solum in verbis, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut hic contingat, quod Scriptura quodam loco dicit: cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Supervacaneum exist[illegible] exist[illegible]mamus Parochis (qui probitatis doctrinæque laude satis commendantur) in memoriam adducere propositiones 64. & 65. a Venerabili Dei famulo Innocentio XI. die secunda Martii anno 1679. damnatas. Neque monendi sunt, ut nemini pro accipienda Confirmatione, Divinoque Eucharistiæ Sacramento schedulam juxta præclaram consuetudinem impertiant, nisi antea Christianæ legis præceptis, atque mysterii satis institutum invenerit. Mandamus insuper, ne ulla matrimonia de more promulgent, cujuscumque conditionis, aut dignitatis sint futuri conjuges, nisi cum ipsorum voluntas exploratur, Fidei rudimenta satis perceperint (5). Ita profecto sancitum fuit ad normam quinti Concilii Mediolanensis in peculiari Congregatione coram Sanctissimo Pontifice Innocentio XII. die 11. Junii 1697. quod deinde auctoritate judicioque Clementis XI. die 13. Septembris anni 1713. fuit confirmatum.

XIII. Sed dum Parochos ad imbuendam Christianis præceptis juventutem officio devinctos ostendimus, id nullum afferre debet impedimentum, ne Patres Societatis Jesu, & seculares Presbyteri Scholarum Piarum in suis Ecclesiis, aliique probi viri in Templis S. Gabrielis, & S. Columbani pium hoc ministerium libere exerceant. Immo eorum Institutum magnopere commendamus, atque, ut constans perpetuumque sit, vehementer hortamur. Caveant solummodo, ut eorum nomina accurate describant, qui apud ipsos magis frequentes sunt, ne aliquis fraudi locus objiciatur, &, dum eorum conventus adire simulant, Parochos in errorem adducant. Sicut autem de Parochis, ita & de Ludimagistris statuendum est, quos a tradenda pueris Christiana doctrina liberos, & immunes minime judicamus. Id primum in Lateranensi Synodo sub Leone X. probatum fuit (6), ut in ejus Apostolicis Litteris explicatur. Archiepiscopus Salonæ novæ die 17. Julii anni 1688. Sac. Congregationi Concilii hæc examinanda proposuit.

*I. An Clericos tam minorum, quam majorum Ordinum ad Officium Ludimagistri exercendum a Communitatibus conductos cogere possit, ut pueros, rudesque scholares doctrinam Christianam edoceant.*

*II. An ad idem cogere possit Ludimagistros Laicos item a Communitatibus conductos.*

*III. An ad idem cogere possit Ludimagistros, sive Clericos, sive Laicos a nemine conductos.*

*IV. Qua pœna præfatos Ludimagistros cogere possit.*

XIV. Quibus eodem die, eodemque anno hæc breviter Sac. Congregatio respondit: *posse prius hortando, & deinde præcipiendo.* Ob hanc causam Clemens XI. eo decreto, quod non semel in medium adduximus Ludimagistris eam conditionem imponit, ut pueros Christianam legem edoceant, quod Nos etiam præcipimus, & volumus, ut, qui Ludimagistris examinandis præpositi sunt, nullum prorsus admittant nisi prius in illis omnibus, quæ ad fidem, ac religionem pertinent, se penitus instructos peritosque certo probaverint. Nonnullos eligemus, qui scholas repente invisant, ac sedulo explorent, utrum rem diligenter perficiant, ut jussa detrectantes, meritis pœnis coerceamus. Feminæ, quæ in hac Urbe docendi curam habent, examinari super hac re non consueverunt; sed, cum id omnino necessarium sit, & Romæ usitatum; & cum a Præfectis Scholarum Piarum nonnullæ ex ipsis ad officium nominentur, ideo mandamus, ut, qui de more ad exquirendam earum virtutem deliguntur, utrum pro eruditendis ad fidem pueris doctrinæ satis habeant, serio perscrutentur, & crebro earum scholas invisant, &, sicut antea de Ludimagistris diximus, earum diligentiam agnoscant. Eæ vero mulieres, quæ Scholarum Piarum Congregationi non subjiciuntur, ludos ad docendum aperire non audeant, nisi antea Parochi, in cujus ditione constituuntur, accurato judicio probentur. Hanc vero facultatem nullo modo obtineant, nisi ad docenda fidei rudimenta satis idoneæ existimentur. Non semel etiam ad earum scholas invisendas aliquos designabimus, uti superius dictum est, cum de Ludimagistris, iisque mulieribus, quæ Congregationis Scholarum Piarum subjectæ sunt, agemus.

XV. Nunc ad Parochos, qui in tota Diœcesi versantur, orationem convertamus, qui eandem puerorum institutionem suscipere, & Dominicis, ac festis diebus in suis Ecclesiis Christianam legem, ac mysteria populo declarare, (uti Urbis Parochi) omnino debeant, nisi pœnas arbitrio nostro imponendas subire velint. Hortamur pariter illos, qui primam Tonsuram, cæterosque Ordines appetunt, necnon Sacerdotes, ut Parochis in

(1) *In ejus vita.* (2) *Tom. 1. part. 2. de Parvulis ad Christum trahendis.* (3) *In Psalm. 50.* (4) *Epist. ad Volusianum.*
(5) *Tit. ad Matrimonium pertinent.* (6) *Constit. VII. §. 32.*

in hac re adjutores, atque administros sese præbeant sicut initio, cum de Urbanis Parochis sermo esset, fusius explicavimus. Caveant etiam Parochi in Diœcesi constituti, quod supra monuimus, ne ullum ad Sacram Synaxim primo sumendam admittant, neque pro accipienda Confirmatione schedulam de more impertiant, neque matrimonia palam in Ecclesia denuncient, neque illis celebrandis intersit, nisi prius doctrinæ Christianæ examen, ac testimonium habeatur. In Diœcesi quoque docendi munus nemo palam exerceat, quem Vicarius Foraneus in fidei mysteriis satis eruditum, atque idoneum non declaraverit. Sed quoniam in agris sæpe contingit, ut pueri in pascendis armentis potius, quam in audienda Christiana lege implicati tempus conterant, & cum nonnulli circum Templa strepitum turbasque excitare non dubitent, quo tempore divina Officia persolvuntur, vel Fidei mysteria populo dilucidantur, hinc volumus, ut Parochi gravibus solidisque argumentis parentibus ostendant in manifesto perpetuæ damnationis periculo versari, si liberos suos Religionis elementis erudiri negligant. Insuper persuadeant, ut suos quique liberos ad Parochialem Ecclesiam adducant, ibique Parochum fidei rudimenta explanantem & ipsi audiant, quæ fortasse non perceperunt, cum inter pueros agerent, vel percepta ex animo penitus exciderunt. Postremo universos admoneant sarta tecta permanere Decreta, quæ Nos, vel Decessores nostri in eos ediderunt, qui obstreperent, vel luderent circum Templa, in quibus Christi doctrina explanatur, vel Sac. Officia peraguntur.

XVI. Cum Diœcesim perlustravimus, magna cum voluptate Parochos doctrinæ, ac probitatis laude præstantes invenimus, qui ad propagandam Dei gloriam, instruendosque pie fideles omne studium, ac diligentiam libentissime devovebant; nonnulli vero mediocriter in iis rebus versati occurrerunt; sed quod magnopere Nos commovet, aliqui, ad quod nondum accessimus, plurimique, quos jam invisimus post discessum nostrum, negligentiæ, vel imperitiæ palam arguuntur. Ob quam rem licet nulli damnum inferre cupiamus, Deumque nostræ voluntatis testem invocemus, tamen memores extremi severique examinis, in quo Deus omnia perscrutabitur, ad implendas muneris nostri partes nihil intentatum relinquemus. Itaque si quis per otiantem socordiam sibi desit, populumque Christianis mysteriis imbuere prætermittat, ad meliorem frugem, atque sententiam statim revocetur; si quis autem ob inscitiam munus adeo necessarium contemnat, studiis iterum, ac libris operam navet. Nam hæc rerum ignorantia non Episcopis, qui istos homines Parochiis præfecerint, tribuenda est, sed Parochis ipsis, qui postquam eam provinciam assequuti sunt, librorum curas omnes penitus abjecerunt. Uberem ex hac nostra objurgatione fructus speramus. Si aliter contigerit, quid Tridentinum Concilium statuerit (1), ac deinde Sacra Congregatio ejusdem Concilii, non semel decrevit (2), satis memoria complectimur: *Sac. Congregatio censuit Episcopos Successores posse superveniente rationabili causa etiam ex officio, etiam extra visitationem, examinare Parochos ad Ecclesias Parochiales approbatos* (3). Insuper alio loco: *Sacra Congregatio respondit, Episcopos Successores superveniente rationabili causa posse etiam ex officio iterum examinare tam in visitatione, quam extra, Parochos, quamvis Regulares, approbatos tempore provisionis Parochialium.* Si de Parochis agitur, qui a Decessoribus præpositi fuerunt, re ipsa satis superque perpensa Sacræ Rotæ Tribunal constituit posse Episcopum *pro libito, & pro sola quiete conscientiæ suæ* Parochos in novum examen revocare (4). Cum tamen de illis sermo est, quos idem Episcopus Parochos in Ecclesiis collocavit, si velit novum examen indicere, hæc quoque decreta subjiciuntur (5): *Cum sub die 15. Januarii 1667. ad instantiam Episcopi Pampilonensis ab hac Sac. Congregatione resolutum fuerit: primo posse Episcopum examinare Parochos, & Rectores semel approbatos ad curam animarum, quando adest vehemens suspicio de illorum imperitia; secundo posse ad hujusmodi examen procedere etiam extra visitationem; tertio ad dictum examen faciendum haud necesse esse, ut judiciales probationes imperitiæ præcedant. Nunc supplicat Episcopus, per eandem Sac. Congregationem ulterius declarari, an in actu visitationis Diœcesis possit Episcopus examinare Parochos, quotquot visitat, etiam si contra illos, vel aliquot ipsorum non vigeat suspicio imperitiæ; Sac. Congregatio die 22. Septembris 1668. respondit negative.* Atque ita pro novo examine faciendo sola conscientiæ sedandæ ratio non sufficit. Insuper necesse est, ut is rumor palam in omnes emanaverit, Parochum eorum, quæ ad curam animarum gerendam pertinent, memoriam amisisse, & ob socordiam pro sustinenda tam gravi provincia esse imperitum, sicut Patres S. Rotæ accurate perpenderunt (6). Parochi etiam, qui a Laicis jure quodam nominati fuerunt, ab hac conditione minime liberantur. Nam cum Parochialem Ecclesiam sine publico examine obtinuerint, non idem judicium, atque opinio, ac de reliquis Parochis constituitur, quibus Episcopus post consuetum examen animarum regimen commendavit (7).

XVII. Postremo volumus, ut hoc edictum publice de more promulgetur, & in singulis sacrariis tam in Urbe, quam in Diœcesi figatur.

## INSTITUTIO X.

*De obligatione, qua Parochi obstringuntur singulis diebus Festis de rebus divinis ad populum verba facere, & pro Parochianis Sacrificium applicare; qua de causa, quove mandato id facere jubeantur.*

I. QUo tempore hanc nostram Diœcesim invisere cœpimus (quod etiam constanter prosequemur, si Dei beneficio salvi, & incolumes erimus) nonnullos Parochos deprehendimus, qui Dominicis, cæterisque festis diebus Sacras conciones ad populum habere negligunt, quid videlicet fugiendum ex Christiana lege, quidve amplectendum sit, accurate declarare, ut promissam in cælis gloriæ mercedem assequatur. Insuper præstantium virorum testimonio cognovimus id quoque prætermitti a quibusdam urbanis Parochis, licet virtute studioque Religionis plurimum commendentur, eamque afferri causam, quod usu receptum antea non fuerit; quod perpauci ad ipsos conveniant; quod in pluribus aliis templis hujusmodi conciones frequenter habeantur. Advertimus etiam non modo, cum Diœcesim lustraremus, sed præcipue cum publicum examen pro illis indictum esset, qui vel Ordines, vel confessiones audiendi facultatem, vel Parochiarum regimen petebant, Dominicis, aliisque festis diebus Missæ Sacrificium pro populo minime applicari ab iis, qui animarum curam susceperunt. Disputationes iterum, eorumque sententiam in medium proferunt, qui Parochos utique, cæterosque animarum saluti præpositos ad faciendam rem Divinam diebus festis obstrictos esse testantur, non ea tamen voluntate, atque intentione, ut Sacrificii fructus populo omnino tribuatur; & præsertim cum proventus Ecclesiæ sunt ita tenues, ut ad Parochum sustentandum vix satis esse videantur. Ita disputant, velut Apostolica Sedes de his antea non aperte judicaverit, & Sacræ Congregationis (quæ sola Tridentinum Concilium interpretari potest) Decreta, eo quod promulgata non fuerint, universos minime complectantur, vel forum externum solum respiciant, aut etiam internum, si tamen in lucem aspectumque publicum proferantur. His rationibus aliisque nullius momenti sententiam suam prædicant, ac tuentur.

II. Ex eo vero nos perculsos fuisse non inficiamur, quod Parochi salutaribus verbis populum sibi commissum instituere non modo contemnant, sed gravissimam culpam falsis etiam rationibus excusare contendant. Non hæc temere confingimus, sed ad Tridentinam Synodum conformamur, in qua sic decernitur (8): *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant;* & paulo post: *neque hujus decreti executionem consuetudo &c. impedire valeat.*

III. Illud solum in controversiam adducitur, utrum ex hac Concilii sanctione (quod sub Paulo III. contigit) Sacræ conciones reipsa haberi debeant, juxta ea, quæ sub Pio IV. ab eodem Concilio statuta sunt (9). Propositum id fuit Sacri Concilii Congregationi examinandum, & conventu habito die 9. Februarii anno 1576. nihil certi emanavit, uti ex Fagnano intelligi potest (10), qui fama æque, ac juris Pontificii scientia admirabili, non modo Romæ, ubi Sedi Apostolicæ ad nonagesimum usque annum præclaris muneribus occupatus, operam studiumque suum egregium præstitit, sed apud exteras etiam nationes omni commendatione dignus judicatur. Postea ve-

(1) *Sess. 21. cap. 6.* (2) *Lib. 13. Decretor. pag. 520.* (3) *Lib. 15. Decretor. pag. 146.* (4) *Decis. 257. part. 19. Recen. num. 5.* (5) *Lib. 26. Decret. pag. 108.* (6) *Decis. 527. num. 18. & seqq. part. 19. Recen.* (7) *Card. de Luca: De Parochis Serm. 16.* (8) *Sess. 5. cap. 2. de Reform.* (9) *Sess. 24. cap. 4. de Reform.* (10) *Cap. inter cætera n. 33. de Officio Ordin.*

vero, cum Nos perhonorifico Secretarii officio fungeremur, invenimus (1) eam sententiam in examen iterum revocatam fuisse, cum Sacræ Congregationi Cardinalis Carafa Præfectus esset; & Episcopo Melitensi, qui id postulaverat, his verbis responsum: *Satis esse, ut Parochi, etsi formaliter non prædicent, saltem Dominicis, & festis diebus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis.* Eamdem sententiam, ac normam amplexus est Innocentius XIII. in ea Constitutione, quam pro Regnis Hispaniarum ad Ecclesiasticæ disciplinæ commodum edidit post laboriosam diuturnamque inquisitionem, & examen in peculiari quadam Congregatione, cui pariter a Secretis fuimus. Id clare dignoscitur ex ipsius Apostolicis Litteris, quas deinde Benedictus XIII., ut ipsæ cæteris Episcopis, velut exemplar proponerentur, sua auctoritate confirmavit. Itaqua credimus non perpolitam, & elaboratam concionem a Parochis habendam, sed familiari facilique dicendi genere ipsos uti debere ad populi intelligentiam accommodato. Caveant tamen, ne se liberos, & immunes existiment, eo quod nullo unquam tempore hujusmodi consuetudo extiterit, vel quod hæc provincia aliis Ecclesiis satis superque demandata sit; neque tandem exiguum populi numerum pro causa excusationis afferant, qui plerumque ex negligentia Rectorum dimanat. Nam qui suo muneri recte satisfaciunt, de frequentia, populique multitudine nunquam queruntur. Insuper non modo Tridentina Synodus contrariam consuetudinem penitus abrogavit, sed etiam Innocentius XIII. in ea Constitutione, quam superius diximus, a Benedicto Pontifice confirmata, omnes excusationis causas de medio abstulit, & postquam ab eodem Concilio munus impositum explicavit (2), iis verbis utitur: *Nihilominus, nonnulli Parochialium Ecclesiarum Rectores hæc, quæ suarum partium adeo sunt, prætermittunt, culpam hujusmodi a se amoliri nitentes, vel prætextu immemorabilis, sed quidem pravæ consuetudinis, vel quia hæc ab ipsis præstari necesse non videatur, suppetente nimirum copia aliorum habentium Sacras conciones in aliis Ecclesiis &c. Ne itaque sub inani istarum, aliarumque similium excusationum prætextu tanta Christianæ Reipublicæ pernicies struatur, districte præcipimus &c.*

IV. Sed jam ad illud veniamus, quod secundo loco proposuimus, nempe Missæ sacrificium Dominicis, ac festis diebus pro populo offerendum. Sic enim præcipit Tridentinum Concilium (3): *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre.* Non ignoramus quidem disputationes, quæ excitantur, utrum ex Concilii verbis Parochus Sacrum tantummodo facere, an ejus quoque fructum (qui medius appellatur) pro populo ita offerre debeat, ut nec ipsum pro alio offerre, adeoque nec stipendium sumere possit. Attamen nos minime latet Concilii verba a Sacra Congregatione ita declarata fuisse, ut medium Sacrificii fructum pro populo applicare Parochus omnino teneatur, ut Fagnani testimonio plane constat (4). Novimus etiam illud Sacræ Congregationis Decretum anno 1681. jussu Cardinalis de Carpineo simul cum aliis pro Ecclesiasticorum commoditate fuisse impressum, in quo hæc statuuntur: *Cum præcepto Divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro Ovibus suis Sacrificium offerre, sæpe alias Sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festivis* (5). Illud quoque cognitum nobis est eamdem rem fuisse propositam, atque iterum examinatam; cum Sacrum quotidie pro populo celebrare, atque offerre, Parochis, licet copiosos proventus obtinentibus, grave nimis videretur ideoque die octava Februarii anni 1726. hoc pacto fuisse responsum: *Sacra Congregatio Concilii, propositis infrascriptis dubiis; primo, an Parochi non habentes Coadjutorem, teneantur applicare Missam pro populo saltem diebus Festis; ita sint cogendi in casu &c. Secundo, an Parochi habentes pingues redditus teneantur quotidie Missam applicare pro populo in casu &c. respondit ad primum affirmative, censuitque danda esse Decreta aliis hac de re edita; ad secundum, negavite, & hujusmodi dubia amplius non proponi mandavit.*

V. Hoc Decretum in Actis Sacræ Congregationis continetur, editumque fuit post Diœcesanam Synodum (6), quam Episcopus *Portalegren.* in Lusitania convocavit. Si quis autem percipere velit reliqua superiorum temporum Decreta, quibus hoc postremum ita conformatur, ut universi, qui curam animarum gerunt, ad offerendum pro populo Sacrificium obstringantur, Monacellum consulat, qui Romana Curia diu versatus, & ad plures annos Auditor Cardinalis Petrucci, plurima Sacræ Congregationis Decreta congessit (7). Qui prioris etiam temporis Decreta expeteret, scilicet promulgata annis 1692. die 10. Maji, & 1699. die 24. Aprilis, percurrat Litteras Apostolicas (8) Innocentii XII., quibus ipsa peculiari modo a Pontifice confirmantur. Postremo, si qui post annum 1716. Sacræ Congregationis sententiam exploratam habere velint, nos ipsi testari possumus, qui cum a Secretis essemus, rogatu Cardinalis Tanarii Decani, & Ostiensis Episcopi proposuimus (licet de hac re verba fieri vetitum antea fuisset) utrum Castri Romani, Porciliani, ac Decimi Rectores Ostiensi Episcopo subjecti diebus festis Sacrificium offerre pro populo deberent, cum exiguos solum proventus a Dominis Castrorum acciperent, & nihil ab egenis illis hominibus, inhospita fere loca colentibus, referrent, uti descripsimus in eo libello, qui imprimi, & Sacræ Congregationi solet exhiberi: *Id autem, quod speciali nota dignum esse videtur in præsenti, est, quod Parochi nihil a populo recipiunt, cum, id, quod habent, consequantur a Dominis Castrorum.* Responsum ita fuit die 29. Januarii 1724. *teneri, & ad mentem*, scilicet posse ab iis Parochis ad ægestantem sublevandam stipendium accipi, licet diebus festis præbeatur, & Sacrificium, quod pro populo celebrandum fuerat, offerri pro illo, qui stipendium tradiderit, ea tamen conditione, ut alio hebdomadæ die pro populo illud offerentes suo muneri satisfaciant.

VI. Qua de re exploratum satis arbitramur, id, de quo sermonem instituimus, si Pontificum, & Sacræ Congregationis Decreta sedulo perpendantur. Nos quoque affirmare possumus, quod plusquam centenis Epistolis, quas duodecim fere annorum spatio ad Episcopos per universum terrarum orbem vel dedimus, vel pro munere, quo tum fungebamur, nostro nomine obsignavimus (cum illi juxta præclaram Constitutionem Sixti V. suarum Ecclesiarum statutum Sacræ Congregationi exponerent), nisi festis diebus Sacrificium pro populo a Parochis applicari testarentur, eos monebamus, ut ab omnibus, qui animarum curæ præfecti essent, id impleri omnino curarent. Certum pariter est in publicis examinationibus, quæ Romæ instituuntur, vel ad Ordines suscipiendos, vel ad confessiones audiendas, vel ad Parochiales Ecclesias obtinendas, nullo modo approbari illos, qui Parochum exiguo censu instructum, ab offerendo Sacrificio pro populo liberum, & immunem existimant. Neque illæ excusationis causæ admittuntur, quas superius attulimus, nempe Sacræ Congregationis Decretis legem minime induci & sine culpa violari, cum promulgari non consueverint. Nam, cum lex aliqua jam palam innotuit, necesse non est, ut eodem pacto reliquæ sanctiones publice divulgentur, quibus eadem lex magis declaratur. Cum vero illam legem indicant, qui non modo auctoritate præditi sunt sed etiam soli possunt Tridentinum Concilium explicare, ideo utrumque forum jure complectitur. Item supervacaneum est ad eam rationem confugere, hujusmodi Decreta ad illos solum pertinere, pro quibus constituta sunt. Nam licet id non semel contingat, ea tamen, de quibus sermo est ad universos referuntur, licet viri alicujus singularis gratia emanaverint, quia ad explicandum, magisque intelligendum Concilium confecta fuerunt. Hinc si aliquis eandem rem quærat, his verbis responsum tribuitur: *Dentur Decreta*; ut in hac causa, quam agimus, sæpe evenit, sicut antea commemoravimus. Id tamen in usu non est, cum de illis Decretis agitur, quæ pro aliqua peculiari causa facta sunt, in qua nihil cum cæteris commune reperitur. Neque sane ad hæc cognoscenda requiritur, ut a Secretis Sacræ Congregationis eligi quis debeat, cum satis superque in Fagnano contineantur (9). Clericatus autem fusius, & erudite de ipsius Sacræ Congregationis Decretis scriptis, & præsertim etiam de illis, quibus offerre pro populo Sacrificium festis diebus Parochi jubentur (10).

VII. Quæ cum ita sint, poterant a nobis sine ulla dubitatione Parochi obstringi, ut Sacrum, diebus, quos designavimus, pro populo offerrent, & Christianæ legis præcepta, mysti-

(1) *Lib. 6. pag. 109. & seqq.* (2) *Sess. 5. cap. 2.* (3) *Sess. 23. cap. 1.* (4) *Cap. Fraternitatem n. 93. 94. de Sepulturis.* (5) *Tom. 3. Theologiæ Moralis Gennet. impress. Venet. pag. 317. Ita in supplem. Theolog. Moral. P. Sporrer. pag. 321.* (6) *Pag. 258.* (7) *Formul. Pract. Leg. part. 1. impress. secundæ 1713. pag. 32. num. 4. & seqq. tom. 2. pag. 219. num. 18. & seqq. tom. 4. pag. 101. num. 121.* (8) *Apud Anaclet. lib. 5. Decretal. tit. 3. n. 212. & seqq. in Clericato de discord. forens. discord. 29. de Beneficiis sub. num. 43. ita in suppl. Theol. P. Sporrer pag. 321.* (9) *Cap. Quoniam num. 6. de Constitutionibus.* (10) *Discord. forens. de Benefic. discord. 29.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſtoriaque explicarent; ſed cum falſam opinionem ipſi non deponerent, licet a Sedis Apoſtolicæ ſententia prorſus alienam eſſe non ſemel oſtenderimus, neceſſarium duximus, ne ullus in poſterum diſputandi locus ſupereſſet, cum ad Sacram Congregationem de populo ad Chriſtianam doctrinam inſtruendo ſcriberemus, aliquid etiam de cæteris rebus, de quibus nunc agimus, velut hiſtoriam exponentes, ſolum attingere, ne ipſius auctoritatis, & ſententiæ, eorumque omnium, quæ generatim, vel peculiariter ſtatuta ſunt, tam cito immemores videremur. Itaque die 9. Auguſti hujus anni in hunc modum reſpondit: *Cavendum præterea eſt, ut omnes Parochi diligenter muneri ſuo ſatisfaciant, & ſingulis diebus feſtis populo ſibi commiſſo ſacra eloquia, ſalutiſque monita exponant, facili ſermone denunciando vitia, quæ declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat. Ac denique admonendi ſunt iidem Parochi, teneri eos omnibus diebus feſtis Miſſæ ſacrificium applicare pro populo, etiamſi minus integra congrua ex parochialibus proventibus recipiant, quemadmodum pluribus hujus Sacræ Congregationis Decretis declaratum fuiſſe probe compertum eſt Eminentiæ Veſtræ.*

VIII. Obſervandum eſt prioris temporis Decreta a Sacra Congregatione in medium proferri, ex quo facile comprobatur ad univerſos ipſa ſpectare, licet aliquorum ſolum gratia prodierint, eo quod Concilii Tridentini intelligentiam, & explicationem præſeferant. Igitur non ſolum noſtra, ſed ipſius Congregationis, & ſummi Pontificis auctoritate (quo probante ipſæ litteræ ad nos ſcriptæ fuerunt) ſub pœnis a Concilio Tridentino in delinquentes propoſitis, mandamus omnibus, qui ad curam animarum in Civitate, ſeu Diœceſi conſtituti ſunt, ut feſtis diebus ad populum verba facere, & viam ſalutis declarare nunquam prætermittant, iiſdemque diebus Sacrificium pro ipſo offerant, niſi pœnas voluntate noſtra imponendas ſubire velint. Quamvis autem ipſorum probitas nullum ſuſpicionis locum nobis relinquat, quin hæc noſtra ſanctio penitus executioni mandetur: tamen, ut ſtudium noſtrum, eorumque obtemperantia palam innoteſcant, volumus juxta Decreta Sacræ Congregationis, quæ in Urbe a Viſitatione dicitur, ut quilibet Parochus Secularis, aut Regularis in Civitate, ac Diœceſi ab anno 1733. eos dies in peculiari libro deſignet, quibus pro populo Sacrificium obtulerit. Qui non paruerint, pro voluntate noſtra punientur. Braſchius *in Synodali* promptuario (1) non modo Decreta Sacræ Congregationis de offerendo pro populo Sacrificio, quemadmodum ſupra explicavimus, luculenter exponit, ſed etiam commemorat Parochos tum Seculares, tum Regulares ea lege teneri, ut in peculiari libro idem Sacrificium deſcribatur.

IX. Poſtremo jubemus, ut ſolito more hæc noſtra ſanctio promulgetur, & in ſingulis Sacrariis cum in Urbe, tum in Diœceſi fixa conſervetur.

## INSTITUTIO XI.

*De Chriſti* **Domini** *adventu, & Novemdialibus, quæ Chriſti Domini Natalem diem antecedunt: quo auctore, quo loco, quo tempore Adventus Domini ſit inſtitutus; quid per ipſum Eccleſia ſignificare voluerit; & ad quid referatur divinum Officium, & Miſſa, quæ eiſdem temporibus celebratur.*

I. FAlſa in vulgus imperitum, & pietati non valde addictum nimis libere pervaſit opinio, Adventum Domini pro viris tantum, ac mulieribus inſtitutum fuiſſe, qui Religionis vinculo ſe obſtrinxerint, ita ut illi dies a cæteris differre parum, aut nihil ipſi videantur.

II. Ut hæc ſententia temeritatis, atque ſcandali nota liberetur, de abſtinentia ſolum, ac jejunio intelligenda eſt; ne autem falſa ſit eadem ſententia, Orientalis Eccleſia ab Occidentali, & priora tempora a poſterioribus ſecernenda ſunt; poſtremo ut a majori labe, ac cenſura vindicetur, complecti omnino non debet pietatis opera, quibus ad celebrandum Domini Adventum Fideles Eccleſia cohortatur.

III. Ac primo jejunium in Adventu ſimul, cum abſtinentia ab Ordinibus Regularibus nunc obſervatur, quod aliqui incipiunt a die Feſto Sancti Martini, vel etiam Sanctæ Catharinæ, alii a prima Adventus Dominica, & nonnulli etiam a celebritate omnium Sanctorum, uti Cardinalis Cozza accurate perpendit (2).

IV. Nunc etiam Orientis Eccleſia temperantiam a feſto S. Philippi auſpicatur, quod die 14. Novembris ſolemni cultu celebrare conſuevit (& ideo S. Philippi Quadrageſimam nuncupat) eamque ad Natalem uſque Salvatoris diem proſequitur. Per id temporis ſe a carnibus, butyro, lacte, & ovis abſtinet; piſces tamen, oleumque adhibet, & vino utitur; quæ ſolemniori Quadrageſimæ tempore omnino vetantur. Septem dierum ſpatio jejunare ſolum jubentur Græci, licet pietatis cauſa univerſi jejunare ſoleant, uti Bailletii teſtimonio ſatis comprobatur (3).

V. Tandem (ut nihil de Religioſis Ordinibus loquamur, quibus peculiari lege temperantia præcipitur (ex conſuetudine Occidentalis Eccleſiæ abſtinentia, ſeu jejunium per Domini Adventum nemini indicitur: non tamen hic mos olim obtinuit. Nam, ut monumenta, quæ ad Eccleſias tranſalpinas pertinent, ſilentio prætereamus, ac de ſola Italia verba faciamus, diploma ab Aiſtulpho Longobardorum Rege anno 753. obſignatum conſervatur, in quo 40. Lucios a Monachis Nonantulæ pro S. Martini Quadrageſima quotannis exigit: Quadrageſimæ autem nomine Salvatoris Adventus intelligitur, uti Martene teſtatur. (4) Nicolaus Primus Pontifex; qui circa medium Seculum nonum floruit, cum jejunia, quæ ab Eccleſia Romana recepta erant, enumeraret; illud etiam Adventus recenſet (5): *Hæc jejunia Sancta Romana Eccleſia ſuſcepit antiquitus, & tenet.* B. Petrus Damianus, qui Seculo XI. vixit, cum de Canonicorum Veliternorum reformatione agit: Quadrageſimam commemorat, quæ ante diem Natalem Domini a Fidelibus obſervari ſolebat. Innocentius autem Tertius, qui initio Seculi XII. Pontificatum geſſit, Archiepiſcopo Bracharenſi reſpondens iis verbis utitur (6), *Jejunium apud nos in Adventu Domini agitur.* Poſtquam Avenionem Sedes Apoſtolica translata fuit, hæc diſciplina immutata eſt, eamque ad ſuos familiares, ac domeſticos omnes Urbanus V. redegit, uti Raynaldus de familia ejus Pontificis ſcribens luculenter exponit (7): *Generaliter, & indiſtincte in Adventu Domini, & duobus diebus quartam feriam Cinerum immediate præcedentibus ab eſu carnium abſtinerent, & dictis diebus Seculares, & laicos in Curia exiſtentes etiam voluit comprehendi.* Ut id magis confirmetur, teſtimonium Beleti (8) afferemus, qui ſecum expendens, qua ratione ab Eccleſia jejunium ante feſtum S. Thomæ Apoſtoli minime indicatur, hoc pacto reſpondet: *Quia Feſtum ejus eſt in Adventu, in quo quaſi continuum jejunium debemus obſervare*, quod etiam Martene explicavit (9).

VI. Sed jam ad ſancta pietatis opera deveniamus, quæ nunc etiam Fidelibus ab Eccleſia proponuntur, ut univerſi curæ noſtræ commiſſi ad copioſos fructus pro æterna ſalute comparandos vehementius excitentur. Itaque primum agemus de ſacri Adventus origine, deinde quam ob cauſam inſtitutus fuerit, & poſtremo de Ritibus, qui per hoc tempus excoluntur; ſic enim fore confidimus, ut majori ſtudio, ac religione, quod magnopere optamus, ſanctiſſimi dies celebrentur.

VII. Si fidem Durando præſtamus; Adventus Domini celebritatem S. Petrus Apoſtolorum Princeps induxit (10) Bailletius tamen ſtudio ſuæ Galliæ nimium adductus, Sancto Perpetuo Turonenſi Epiſcopo, qui circa medium Seculum V. vixit, illius inſtitutionem adſcribit (11): Jejunium per tres dies in ſingulis hebdomadis ante Feſtum S. Martini uſque ad Natale Domini ab eodem Sancto Perpetuo propoſitum teſtatur (12), Sed auctoritate Martenis (13) natione pariter Galli Adventus initium ad Seculum VI. referemus, & Sanctum Gregorium Pontificem auctorem affirmabimus; cum præſertim ad eandem ſententiam Amalarius (14), & Abbas Beno (15) ſe penitus conformaverint. Inſuper in *Sacramentario* S. Gregorii quatuor Dominici dies Adventus nominantur, quibus deinde in aliquibus locis quintus, & ſextus acceſſerunt, juxta Ritum Ambroſianum, qui a prima Dominica poſt Feſtum S. Martini celebritatem Adventus orditur: *Ambroſianum Adventus* (ait Rodulphus Tungrenſis *habet ſex ſeptimanas, & incipit Dominica poſt Feſtum S. Martini.*

VIII. Duos Salvatoris Adventus perpendere poſſumus, ob quos Sancta Mater Eccleſia hujuſmodi celebritatem conſtituit; alter jam præteriit, alterum expectamus. Primi Adventus nomine tempus illud intelligitur, cum mortalitatem noſtram Dei Filius induit, & acerbiſſimum mortis genus ſubivit, ut captivitatis vinculis, quibus diutiſſime tenebantur homines, vindica-

(1) *Cap.* 107. *a num.* 28. *uſque ad num.* 34. (2) *In Tractatu Dogmat. & Morali de jejunio part.* 2. (3) *De rebus geſtis Sanctorum impreſſ. Pariſ. anno* 1707. *in hiſtor. Feſtor. Mobilium pag.* 263. (4) *De antiqua Eccleſiæ diſciplina cap.* 10. *num.* 5. (5) *In Epiſt. ad conſult. Bulgar. cap.* 4. (6) *Cap. Conſilium de obſervat. Jejunii.* (7) *Anno Domini* 1370. *num.* 1. (8) *Lib. de Divinis Officiis cap.* 11. (9) *De antiq. Eccleſiæ diſciplin. num.* 6. *loc. cit.* (10) *Lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 1. (11) *Loc. cit. pag.* 259. (12) *Lib.* 10. *hiſt. cap.* 31. (13) *Loco ut ſup. cap* 10. *n.* 1. (14) *Lib. de Eccleſiaſt. Offic.* (15) *Lib. de Ritib. Miſſæ.*

caret: *Tempus* (ita Rupertus) *quod Dominicæ Nativitatis memoria antecedit, ideo Adventus nuncupatur, quia totus ejus Ecclesiasticus ordo juxta contemplationem Adventus Domini dispositus est. Advenire autem recte Dominus dicitur, qui ubique est incircumscribilis præsentia majestatis, dum assumpto, quod visibile est nostrum, usibus carnis, visibilem se ostendit* (1).

IX. Secundo iterum Salvator adveniet, cum ad formidabile Judicium universos homines convocabit. Eam ob causam (ut Pouget merito perpendit) die primo Dominico Adventus illud Evangelium recitatur, in quo majestas Christi Judicis describitur (2); cum scilicet nulla infirmitate circumdatus sicut in terras primo venienti contigit) sed cæli nubibus insidens, & immenso beati corporis majestatisque lumine circumfulgens ad genus hominum judicandum descendet. Id vero quam conveniens sit Esaiæ præclaris verbis ostenditur (3): *Qui inter duos mediatorem se interponit, dummodo huic, modo illi parti se adjungit, personam quodammodo mutat, eique assimilatur, cujus pro tempore partes agit. Quare, cum Christus mediator Dei, & hominum, qui in priori suo Adventu nostram agens causam apud Patrem, nostram sumpsit personam, quando venit in similitudinem carnis peccati, circumdatus infirmitate, & per omnia nobis assimilatus est absque peccato, consequens est, ut in altero Adventu, jam non hominum, sed Dei partes acturus, Dei personam sumat, idest in forma gloriosa appareat, in qua Deo similior fit, cujus formæ exhibitione simul & bonis securitatem, & malis terrorem afferat.* Hinc factum est, ut Ecclesia per hosce dies cum lætitia, ac voluptate, etiam mœroris signa præseferat: lætitiæ quidem indulget pro Christi Salvatoris priori Adventu, ob quem festivum *Alleluja* in Divinis Officiis non omittit, ac toto die Dominico Dalmaticam Diaconis, Tunicellam Subdiaconis iterum concedit: mœrorem autem ostendit, dum Christi Judicis Adventum contemplatur. Qua de re (ut nihil de peculiari quarumdam Ecclesiarum disciplina, vel piorum Ordinum consuetudine loquamur, qui olim tempore Adventus nigrum colorem in Sacris peragendis adhibere, & religiosas Imagines non secus, ac Passionis tempore fieri solet, obtegere consueverunt, sicut Martene (4) præclare ostendit,) nunc etiam *Gloria in Excelsis* in Missæ Sacrificio, ac *Te Deum* in Officio prætermittitur. A Diaconis vero Dalmaticæ, & Subdiaconis Tunicellæ deponuntur, qui Casulas complicatas assumunt, quas etiam non semel exuunt. Sapientissimus Cardinalis Bona (5) hujusce Ritus initium nulla diligentia se invenire potuisse testatur. Sed quod ad rem nostram pertinet, cum Sacræ vestes, quas modo diximus, lætitiam præseferant, ut ex Canone de jejunio dist. 76. clare deprehenditur: *Et tunc propter solemnitatem Sancti Spiritus Diaconi Dalmaticis utantur.* Cum etiam Adventus tempora mœrorem afferant, mirandum non est, si Diaconus, ac Subdiaconus Dalmaticas, & Tunicellas ponant, & Casulam induant, quam ante pectus complicatam gerunt, eamque sibi etiam detrahunt, cum Evangelium, aut Epistolam recitent; nempe ut significent tunc temporis ratione muneris ad ipsos Casulam minime pertinere, sed a Presbytero, veluti commodatam accipere. Ita sentiunt Quartus, & Gavantus (6), a quibus rubricæ, quæ ad Missæ Sacrificium spectant, fusius explicantur (7); sed etiam ante ipsos Rupertus (8) hanc sententiam tradidit: qui postquam a Diaconis, & Subdiaconis tristitiæ signo Dalmaticas, ac Tunicellas exui, Casulasque sumi declaravit, hæc inde superaddit: *Ut in ipsis legant, vel ministrent, sed lecturi, aut ministraturi illas exuunt, manifeste profitentes illam suam non esse vestem, nec propter suum Ordinem sibi debitam, sed propter Dominicæ, vel alicujus Festi reverentiam, se accipere accommodatam, ut inopem, atque indecentem consolentur expoliationem.*

X. Quæ cum ita se habeant, quisnam Christi Salvatoris, & postremo Judicis binos Adventus secum considerans, viris, ac mulieribus tantum, quæ claustris includantur, hos sanctissimos dies observandos audeat asserere, nullumque discrimen a cæteris anni temporibus intercedere? Permittite universi, qui nobis commendati estis, ut sermonem ad vos Sancti Ambrosii verbis convertamus (9): *Hoc tempore, Fratres carissimi, non immerito Domini Adventus vocatur, non sine causa Sancti Patres Adventum Domini celebrare cæperunt, sermones de his diebus ad populum habuerunt; id namque ideo instituerunt, ut se unusquisque fidelis præpararet, & emendaret, quo digne Dei, ac Domini sui Nativitatem celebrare valeret.* Sinite, ut vos majori quo possumus studio moneamus, ne unquam peccati sordibus, ac potissimum per hosce dies libidene ulla animum turpiter inquinetis. Equidem Decessorum leges in delinquentes hoc tempore evulgatas, hac nostra Constitutione renovamus, licet cum illis mulieribus deprehendantur, quarum impudentia reliquis anni temporibus dissimulanda est, ne gravius detrimentum, ac turbas Respublica patiatur. Incredibile sane est initio Ecclesiæ Fideles tanta religione, ac pietate incensos fuisse, ut sacro Adventus tempore conjuges ipsi ab omni commercio abstinerent, sicut auctor ejus Epistolæ testatur, quæ ad Bibianum data est, & S. Augustino adscribitur: *Apud nos* (de Festo S. Martini sermo est) *itaque ex ejus solemnitate abstinentia a carnibus, vel conjugali copula filiis Ecclesiæ indicitur, ut ad Natalem Domini securius communicent.* Idem sentit Raterius Veronensis Episcopus: *In Adventu Domini, nisi festivitas intercedat, quatuor hebdomadibus a carnibus noveritis abstinendum, & coitu* (10) Nunc autem vix timore, ac minis a luxuria, & maleficiis absterrentur. Iterum rediisse videntur infelicia tempora ætatis mediæ, cum fato misero nefandoque in Galliis mos obtinuerat, ut pro illatis sibi, vel consanguineis suis injuriis homines privata auctoritate gravissimas inimicitias gererent, pœnasque deposcerent; contra quam consuetudinem Du Cange ad Joinvillam, sapienter, atque erudite disseruit. (11) Tunc ipse Pontifex Alexander III. pervicacium hominum improbitate compulsus fuit ipsos obtestari, ut saltem aliquibus per annum diebus, ac potissimum in Adventu Domini usque ad octavam Epiphaniæ diem, animos ab intestinis odiis, funestisque bellis avocarent.

XI. Evitatis omnino criminibus singulos ad frequentem Sacramentorum usum, saltem diebus Dominicis in Adventu, S. Caroli exemplo, magnopere cohortamur; *Parochus autem*, (inquit) (12) *cum ad eum frequentissimum Sacramentorum usum Parochiæ suæ Fideles cohortatur, ut Provinciali tertio Concilio sancivimus, tunc crebris monitis illud, quod Silverius Pontifex Maximus statuit, in consuetudinem revocare studeat, ut, qui sæpius non communicant, singulis saltem Dominicis diebus in Quadragesima Corpus Domini sumant, ac præterea diebus Dominicis Adventus.*

XII. Sed pro animo recte, ac diligenter præparando ad Christum Dominum, cum judicaturus homines e cælo veniet, sæpius mentem, ac cogitationem unusquisque convertat, ut primum quoque ipsius in terras Adventum sedulo contempletur; *Vos circa ea* (ait S. Bernardus) (13), *quæ vere salutaria sunt, sedula cogitatione versamini, & diligenter pensate rationem Adventus hujus; quærentes nimirum quis sit, qui veniat, unde, quo, ad quid, quando, & qua.* Nam qui venit, *secundum Gabrielis testimonium* Altissimi Filius (uti Sanctus Bernardus prosequitur): *Venit utique de corde Dei Patris in uterum Virginis Mariæ, venit a summo cælo ad inferiores partes terræ.* Deinde subjicit: *Apparuit inæstimabilis dignatio, & penitus inexcogitabilis, quod in carceris hujus horrorem tanta dignatus est descendere dignata est celsitudo.* In terras descendit, ut genus hominum a servitute Dæmonis eriperet. *Propter nos venit, mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quæsita.* Et potissimum venit ad nos eo tempore, quo maximis in calamitatibus versabamur: *Vere sapienter disposuit Sapientia, ut, cum magis esset necessarium, tunc primo ferret auxilium &c. nimirum plenitudo, & abundantia temporalium, oblivionem & inopiam fecerat æternorum. Opportune enim tunc venit æternitas, quando magis temporalitas prævalebant.* Itaque; *Via, per quam venit, diligenter requirenda, ut possimus, sicut dignum est, ei occurrere &c. propterea dignum est, ut, si non valet infirmus in occursum tanti Medici procedere longius, saltem conetur erigere caput, & aliquatenus assurgere venienti &c. usque ad temetipsum occurre Deo tuo &c. usque ad cordis compunctionem, & oris confessionem occurre; ut saltem exeat de sterquilinio miseræ conscientiæ, quoniam indignum est illuc ascendere purissimum intrare.*

XIII. Postremo novemdiales preces, quæ ante diem Natalem Domini in Ecclesiis haberi solent, plurimum commendamus, ac Decretum, quod die 28. Novembris anni 1731. promulgavimus, iterum renovamus; & ne fores ullæ Ecclesiarum pateant ante signum Missæ, quæ in Templo Sancti Petri celebratur, sub pœnis voluntate nostra statuendis iterum prohibemus.

(1) *Lib. 3. de Divin. Offic. cap. 1.* (2) *Institut. Catholic. impressos Pariss. an. 1725. tom. 1. pag. 807.* (3) *4. Sententiar. dist. 48. §. 8.* (4) *Loco ut supra num. 12. 13.* (5) *In Tract. rerum Liturg. lib. 1. cap. 24. num. 19. impress. Romæ.*
(6) *Part. 1. tit. 19. num. 5. 6.* (7) *Ad rubric. Missal. part. 4. §. 1. n. 4.* (8) *Lib. 4. cap. 2.* (9) *In Append. serm. 7. n. 1.*
(10) *In Spicileg. tom. 2. pag. 164.* (11) *Cap. Treguas, de tregua, & pace.* (12) *In 4. Provinciali Concilio.* (13) *Serm. 1. in Adventu Domini.*

mus. Insuper mandamus, ut vespere hora vicesima tertia diei Sacra mysteria publice exponantur, benedictio impertiatur, dimissoque populo ad horam diei vicesimam quartam fores Ecclesiæ omnino claudantur.

## INSTITUTIO XII.

*Quid Vicarii Foranei exponendum proponere debeant iis, qui præditi sunt jure nominandi ad illas Ecclesias, quæ ad ipsos pertinent. De corruptelis, quæ hoc in negotio contingere solent. Quid Vicariis agendum sit cum Presbyteris, qui Ecclesias petunt, & cum illis, qui nominandi jus obtinent, ut magis idonei rite deligantur.*

I. A Postolici muneris ratio Nos magnopere impellit, ut has litteras universis, ad quos pertinent, scribamus. Constitutionem die 27. Septembris proxime elapsi promulgavimus pro examine, quod publice indicitur ad obtinendas Parochiales Ecclesias, cum vacatio aliqua contigerit, & pro illis pariter, qui a Laicis nominantur ad eas Ecclesias, quæ ad ipsos jure spectant. Nunc vero de Parochianis agendum statuimus, quibus ad regendas Parochias nominandi quemcumque velint, facultas permittitur.

II. Itaque, si aliqua hujus conditionis Ecclesia tibi subjecta, Parocho destituatur, tibi mandamus, ut universum populum, cui suffragium ferre liceat, in eandem Ecclesiam cogas, aut in alium locum, quem pro concione habenda magis idoneum judicaveris; ita tamen, ut rem totam absolvas quatuor mensium spatio, qui ad nominandos eos, quos elegerint, a jure Pontificio Laicis tribuuntur (1). Cœtum autem nostro nomine sic alloqueris.

III. Orationis initio demonstrabis nihil gravius toto vitæ curso ipsi evenire posse, quam probissimum hominem Parochiæ proficiendum suis suffragiis renunciare. Si rei magnitudinem spectet summi momenti negotium agi, cum eligendus, aut nominandus is sit, qui ipsis præesse debeat, animarum curam gerat, ac Divina Sacramenta, dum salvi, & incolumes sunt, tum cum vitæ in discrimine versantur, administrare. Ob eam enim non esse temere festinandum, sed assiduis precibus orandum Deum, ut cælestè lumen liberaliter impertiat; ipsumque gravissimas pœnas daturum esse, qui aliter fecerit, & a recta semita declinans ad Dei gloriam mentem unice non converterit, & nihil de Parochiæ, animarumque utilitate cogitans sine ullo consilio, vel prava etiam voluntate adductus alium dignum illi prætulerit, qui virtutis, ac doctrinæ laude, cæterisque rebus magis idoneus habeatur: *Non est hoc consulere populis* (2), *sed nocere, nec præstare regimen, sed augere ruinam; integritas enim præsidentium salus est subditorum.*

IV. Nam sicut detrimenta omnia, quæ ab imperitis medicis, nautis, atque imperatoribus dimanant, ad illos, a quibus adhibiti sunt, merito referuntur, ita, qui privatis suis cupiditatibus obsecundans Sacerdotem idoneum, omnique laudis genere præstantem negligit, aliumque suffragio suo nuncupat ad animarum regimen minus accommodatum, malorum omnium, quæ inde consequentur, velut auctor a Deo judicabitur. Bona vero, quæ præstantior Sacerdos excitasset, si ipsi Parochiæ administratio delata fuisset, ab iis severissime Deus exiget, qui suffragium impertiri recusarunt.

V. Hanc sententiam pietatis Magister Ludovicus Granatensis his verbis reliquit (3): *Præferens indignum reus est omnium eorum, quæ ob ejus indignitatem periclitantur; reus est omnium flagitiorum, quæ ex hoc crimine consequuntur; reus denique omnium, aut eleemosynarum aut aliorum bonorum, quæ boni Rectoris studio perficerentur. Quemadmodum enim qui aut imperitum Medicum, aut Nauclerum, aut Ducem, aut Pastorem præficit, reus est omnium damnorum, quæ ex horum ignorantia consequuta sunt; ita plane, qui indignum eligit in Ecclesiæ ministrum, omnium malorum consequentium reus est. Omnia enim hæc & nomina, & officia cuilibet Ecclesiæ ministro simili ratione conveniunt.* Idem Tridentina Synodus declaravit (4): *Eosque alienis peccatis mortaliter peccare, nisi, quos dixerit, & Ecclesiæ magis utiles judicaverint &c. præfici diligenter curaverint.*

VI. Post hæc peccati Simoniaci labem, & gravitatem coacto populo explicabis, de qua Paschalis II. hæc tradit (5): *Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur*; quod etiam Lucius Pontifex ita confirmavit (6): *Simoniaca pestis sua magnitudine alios morbos vincit.* Cum de nominandis animarum Rectoribus agitur, illos Simoniacos vere nuncupari ostendes, qui suffragio suo præmium aliquod assecuti sunt, vel in posterum sperant; haud dissimiles esse, qui Presbytero suffragantur ob eam causam, quod æs alienum antea contractum diminuere, vel solutionem in aliud tempus protrahere pollicitus fuerit; postremo ejusdem criminis reos haberi, si illi potissimum faveant, qui vel juri suo se partim cessurum affirmaverit, vel etiam omni sumptu, qui Parochis tribui solet, ipsos omnino liberaverit. Ita constituit Alexander III. (7), eumque velut Simoniacum damnat: *Qui promiserat unicuique Parochianorum quinque barillos vini remittere, qui Sacerdoti ibi pro tempore servienti consueverant pro beneficio dari.* Reliqua sane communi Theologorum opinione satis comprobantur. Sed quoniam pœnæ formidine a patrandis maleficiis nonnulli sæpe retardantur, libere expones, Simoniam tunc reipsa committi, cum aliquid ex iis rebus temporaneis, quas paulo ante diximus, ipsi obtinebunt; & statim excommunicatione illigari, quæ a Summo Pontifice tantum dimitti potest, ut inferius declarabimus: hujusmodi nominationes irritas atque inanes esse, & nullo pacto excommunicationis pœna dissolvi posse nisi prius quidquid dono acceperint, non indigno Presbytero, sed Ecclesiæ, vel egentium multitudini penitus restituerint. Sic enim Sacræ Pœnitentiariæ auctoritate, ac sententia decernitur, uti P. Thesaurus harum rerum peritissimus testatur (8).

VII. Sed paucos fore confidimus, qui hoc turpissimo crimine inquinari velint. Plurimi fortasse minus idoneum proponere audebunt (licet alium aptiorem ad regendas animas Sacerdotem agnoscant) omnemque operam, ac diligentiam impendent, ut cæteris omnibus præferatur, ne secundam occasionem prætermisse pro augenda illius dignitate videantur, cum quo vel amicitiæ, vel cognationis vinculo continentur. Nonnulli præterea fidem suam ac suffragium, præstantiori posthabito, pro eo obstringent, quem nobilium virorum commendatio extollit, quos offendere periculosum docent, ne ipsorum gratia, ac tutela (cui plurimum fidunt) in posterum destituantur.

VIII. Itaque maximo religionis studio incensus, ut tam perniciosas ex animis opiniones evellas, populum libere monebis, hujusmodi fidem, ac promissa nullam habere vim, quamvis nullum commodum, aut utilitatem (quæ si admixta essent, Simoniam efficerent) complectantur. Quod si fides data fuerit (ut plerumque accidit), cum nondum Ecclesia Parocho destitueretur, tunc promissa, quæ prius intercesserint, nullius ponderis esse liquidius apparet. Id apertissime Honorii III. testimonio confirmatur (9), qui sponsionem Joannæ Belgii Comitis, & Balduini Imperatoris Constantinopolitani filiæ gravissimis verbis improbat, quæ ad Sacerdotia sui jurispatronatus quosdam se nominaturam promiserat, antequam vacatio contigisset. Hinc subjicies non sine piaculo hujusmodi nominationes amicitiæ, aut cognationis habita ratione fieri, sed unice spectandum esse, an cum Dei obsequio, & Ecclesiæ utilitate conjungantur: *Non ex effectu carnali* (inquit Summus Pontifex), *sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare* (10). Illud peccati genus, quod *Acceptio personarum* dicitur, ante oculos pones, quod tunc committitur, cum omisso magis probato viro, minus dignus eligitur, ut cognationem, vel amicitiam palam testemur. Id solum ferri potest, ut amicus, vel consanguineus competitori præferatur, si, uti docet S. Thomas, in utroque meritorum ratio par omnino (11) judicetur. Insuper, *Qui dat ratione consanguinitatis* (inquit S. Doctor) *Prebendam, si intendit aliquod bonum in se ipsum redundans, sic quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua, vel quod ipse in consanguineis sit fortior, Simoniam committit, quia aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat.* Parochianis exemplum adducas, qui cum ex Josepho de patris, fratrumque ipsius adventu cognovisset, eosque custodiendis gregibus præpositos *Pastores Ovium fuisse*; non ideo tamen passus est, ut ob consanguinitatem cum Josepho suorum pecorum magistros ipse constitueret, sed eam conditionem imposuit, ut, si qui idonei essent, ad hoc munus deligerentur: *Quod si nosti in eis viros industriosos, constitue illos magistros pecorum meorum* (12). Postremo

(1) *Cap. unico de jure patronatus in 6.* (2) *Leo Magnus Epist. 1. al. 87. ad Episc. Afric. Tom. 1. Op. edit. Lugd.* (3) *De Offic. Pastorum.* (4) *Sess. 24. cap. 1. de Reform.* (5) *In Can. ult. 1. quæst. ult.* (6) *In Cap. Sicut de Simonia.* (7) *In Cap. Veniens de testib., & attestationib.* (8) *De pœnis Ecclesiast. part. 2. in verbo Simonia, cap. 2. num. 4.* (9) *Cap. Cum dilecta de concessione Prebendæ.* (10) *Cap. ut nostrum, ut Eccles. Benef. sine diminut. conf.* (11) *2. 2. quæst. 63. art. 2. ad primum, & in quodlibet. 4. quæst. 8. art. 4., & in 4. sent. dist. 25. quæst. 3. art. 3. ad septimum.* (12) *Genes. cap. 37.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſtremo ſingulos admonebis, ne in ferendo ſuffragio ullis commendationibus moveantur; non mediocrem quippe ſuſpicionis cauſam affert ſe parum idoneum eſſe, qui ad alienas commendationes confugit, vel ipſemet aliorum ſuffragia & voluntatem implorat: *Alius pro alio* (ait S. Bernardus) (1), *alius forte, & pro ſe rogat. Pro quo rogaris, ſit ſuſpectus, qui ipſe rogat pro ſe jam judicatus eſt, nec intereſt per ſe, an per alium qui roget.* Qua de re S. Carolus Borromæus in primo Concilio Mediolanenſi in ipſos ſic decernit: *Qui Beneficium Eccleſiaſticum vacans multis & ambitioſis precibus per ſe, vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut per biennium in eum, neque illud, neque aliud beneficium conferri poſſit.* Inſuper S. Thomas, cujus auctoritate jam toties uſi ſumus, eodem loco, quem ſuperius commemoravimus, cum ad quartum argumentum reſpondet, hæc affirmat: *Quando fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo potente, qui periculum comminatur, quæ preces armatæ dicuntur, manifeſte Simonia committitur, ſi propter hoc Beneficium Eccleſiaſticum datur; ſi autem pro digno fiant, quantum ad judicium hominum, probabile eſt, quod dans magis moveatur intuitu dignitatis perſonæ, quam favore precum, & ideo non reputatur Simonia: ſi tamen principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis, quantum ad divinum judicium, Simoniam committit & rogatus, & rogans, ſi hoc intendat, ſive aliquis pro ſe roget, ſive pro alio* (2), quod pariter inferius ipſe docet.

IX. Sed, ut hæc veritas altius in animis defigatur, familiari exemplo propones auditoribus, ut ſe fingant cæmentariorum præfectos, vel Architectum, cui domum extruendi cura demandata fuit, quæ validiſſimas trabes exigat, ut bene fulciatur. Si aliquis opibus, ac generis nobilitate conſpicuus his verbis ageret: maxima in animum meum pervaſit cupiditas, grave præterea officium acceſſit, ut loco hujus firmiſſimæ trabis iſtud exile tigillum, carie, ac vetuſtate corruptum, & oneri ſuſtinendo prorſus impar, ſufficias. Quis tunc ſe contemni non crederet quis indignationem cohiberet, ſtultamque, licet præpotentis viri, poſtulationem ſtatim rejiciendam non arbitraretur? Itaque ſi hunc animum præberent, cum de manufactis ædificiis ageretur, an non eandem virtutem oſtendent, cum de ſpirituali domo res eſt, & Eccleſiæ fulcimentum, Rectorque animarum nominatur? Neque vulgari nimis ineptoque uti exemplo tibi perſuadeas, quod prius a Guglielmo Pariſienſi excogitatum fuit (3). Ille poſtquam electores & nominantes ad regendas Parochias Architectis comparavit, qui pro ſuſtinendo vacantis Eccleſiæ pondere aptiſſimos viros eligere debent, acriter illos redarguit, a quibus indigni magnopere commendantur: *Architecto* (inquit) *nemo auderet hujuſmodi preces porrigere, ut pro columna forti feſtucam fragilem in ædificio, cujus fabrica fidei ejus commiſſa eſt, poneret: & ſi forte eo uſque aliquis inſaniret, ut præſumeret, & diceret, Magiſter, ego diligo feſtucam iſtam ultra modum, cariſſima mihi eſt, rogo te, quantum poſſum, honora eam, pone in loco honorabili, videlicet in loco columnæ fortis, & altæ, numquid ſubſannari ſe ab illo non adverteret, & in faciem ejus ſpueret?*

X. Plura tibi pietas, & doctrina ſuppeditabunt, quibus populum induces, ut pro Eccleſiæ utilitate ac bono, ſuffragii jure ſolum utatur, & illud unice ſpectet, ut animarum cura probo, atque idoneo viro committantur. Poſtquam has partes expleveris, alio die intra quatuor menſes, quos jam diximus, Eccleſiaſticos omnes, qui Parochiæ regimen expetunt in cœtum vocabis, eoſque ſincere, ac vehementer pro rei magnitudine alloqueris. Satis exploratum habemus hæc noſtra tempora cum illis vetuſtioribus conferri non poſſe, quibus Epiſcopatus, & Parochiarum adminiſtratio illis tradebantur, qui hæc munera declinarent, modeſtoque animo Eccleſiæ regimen, velut graviſſimum pondus formidarent. Non ignoramus a Tridentina Synodo publicum examen propoſitum ad illas Parochias obtinendas, quæ libere conferuntur, & Pium V. provocationes etiam admiſiſſe, cum quis immerito ſe alteri poſthabitum judicaret. Scimus quoque S. Thomæ auctoritate (4) rem præclaram, & honeſtam exiſtimari, ſi quis ingenii ſui facultatem, & rerum ſcientiam coram probare contendat. Inſuper cognitum perſpectumque eſt omnibus ex communi conſuetudine eos, qui Parochias petunt, in conſpectum venire, ſe ſe offerre, ſuas virtutes, ac merita palam exhibere, quibus vacantem Eccleſiam facilius aſſequantur; nunquam tamen impudentiæ, calliditati, nequitiæ, vel ad obſcurandos competitores apertum aditum intelligimus; nec illud ſequitur, ut importunas abjectaſque preces adhibere poſſint, vel ad amicorum præſidium, nobiliumque tutelam confugere; neque tandem, ut aliorum animos pactionibus ſibi concilient, eaſque (quod gravius eſt) re ipſa perficiant. Superbus, aut injuſtus merito appellandus eſt, qui Eccleſiæ alicujus procurationem virtuti ſuæ debitam inſolenter jactat, & principem dignitatis locum ſibi præ cæteris omnibus convenire. Ita ſuper hac re differit Angelicus Doctor (5). *Reſpondeo dicendum, quod hanc quæſtionem ſolvit Auguſtinus 16. de Civitate Dei, ubi dicit, quod locus ſuperior, ſine quo populo regi non poteſt, & ſi adminiſtretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. Cujus ratio eſt, quia qui appetit prælationem, aut eſt ſuperbus, aut injuſtus. Injuſtitia enim eſt, quod aliquis velit plus de honore accipere, aut de poteſtate, aut de aliis bonis, niſi ſit majoribus dignus, ut dicitur in lib. Ethicorum; quod autem aliquis æſtimat eſſe ſe magis dignum prælatione omnibus illis, ſuper quos prælationem accipit, ſuperbiæ, & præſumptionis eſt; unde patet, quod quicumque prælationem appetit, aut eſt injuſtus, aut ſuperbus, & ideo nullus ſuo appetitu debet ad prælationem pervenire, ſed ſolum Dei judicio, ſecundum illud Apoſtoli ad Hebr. 5. nemo ſibi aſſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

XI. Itaque in eo Sacerdotum conventu ſummopere contendes, ut hanc veritatem omnino percipiant, ne inſanis cupiditatibus abrepti incidant in graviſſima crimina, quæ paulo ante memoravimus. Admonebis, ut verecunde, divinique obſequii deſiderio, & ſalutis animarum cauſa ſolum adducti ſuæ virtutis teſtimonia proferant, & voluntatem obtinendæ Parochiæ declarent, ſi bene, atque utiliter eligentibus ita conſulatur; deinde curas abjiciant, omnemque rei exitum ad ſupremam Dei providentiam penitus referant. Hoc animo ad examen coram Nobis accedere paratus ſit, qui populi ſuffragiis nominationem conſecutus fuerit. Neminem ſane tam iguarum putamus, quem Simoniæ *mentalis*, *conventionalis*, & *realis* nomina lateant, & committi Simoniam ignoret, *per munus a manu*, *per munus a lingua*, & *per munus ab obſequio*: ut in Canone: *Sunt nonnulli*, & in altero: *Ordinationes* 1. quæſt. 1. aperte continetur, quibus Canon: *Salvator* 1. quæſt. 3. omnino congruit. Neminem quoque tam imperitum arbitramur, quem fugiat, ſi in petitione Parochiæ, amicitiæ, vel conſanguinitatis præſidio, vel optimatum clientelis utantur, deinde tanquam famulos illis ſubjici debere, qui ſibi ſuffragati fuerint, vel quorum auctoritate nominationem impetraverint: *Illud præ omnibus* (ait S. Gregorius) (6) *tibi curæ ſit, ut in hac electione nec datio quibuſque modis intercedat præmiorum, nec quarumlibet perſonarum patrocinia convaleſcant; nam ſi quorumdam patrocinio fuerit quiſquam electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, obedire reverentia exigente compellitur.* Illud etiam in concione notum facies, cum nominati, & peracto examine probati a Nobis fuerint, priuſquam Parochiæ regimen tradatur juxta S. Caroli Borromæi inſtituta, & hujus Diœceſis conſuetudinem, juſjurandum graviſſimum requiri, quo nulla promiſſa, aut munera, nullaſque pactiones interceſſiſſe, & omni Simoniæ labe cum *realis*, tum *conventionalis* ſe prorſus immunes eſſe fateantur. Ultimo tandem loco eorum calamitatem, & miſerrimam conditionem expones, qui alia pacto per ſcelus animarum curam ſuſceperint. Nam eſto iniquum pretium ante nominationem perſolvatur, vel etiam poſt illam pactiones executioni demandentur (quæ Simoniam realem conſtituunt); eſto pariter a Nobis, noſtriſque adminiſtris tantum crimen ignoretur, atque ob eam cauſam Parochiæ regimen conferamus; non ideo tamen ad finem triſtis tragædia pervenit, ſed tum potius agenda proponitur. Deteſtabile ipſorum ſcelus ſub Dei conſpectu verſatur; non illi tantum, ſed cæteri omnes, quibus in perficiendo negotio uſi ſunt, majori excommunicatione devinciuntur, quæ Summi Pontificis auctoritate ſolum diſſolvi poteſt: Beneficium retinere nequeunt, cum ad ipſos nullo jure pertineat. Nam, quæ antea geſta fuerunt, nihil ducuntur; & priuſquam Judex de ipſis ſententiam ferat, Parochia dimittenda eſt. Fructus, quos ab Eccleſia exegerunt, licet nullum decretum interceſſerit, reſtitui debent; criminis etiam adjutores pro Eccleſiæ utilitate, vel pro ſublevandis egenis eoſdem fructus in *ſuſidium* tenentur impendere. Qui lucrum aliquod inde conſequutus fuerit, illud Eccleſiæ, vel pauperibus exſolvere debet, licet nullum edictum Judex pronunciaverit. Idem pro interpretibus ſtatuitur, ſi aliquam ſibi ſceleris mercedem expreſſerint. Siquis Parochiæ regimen Simoniacis artibus obtinuerit, licet iterum vacatio contingat, ad ip-

(1) *Lib. 4. de conſid. cap. 4. Tom. 1. col. 1154.* (2) *2. 2. quæſt. 100. art. 5. ad 3.* (3) *In Tract. de Collat. Benefic.* (4) *In quodlibet. 3. art. 9.* (5) *2. 2. quæſt. 185. art. 1., & quodlibet. 2. quæſt. 6. art. 13.* (6) *Lib. 2. indict. 11. Epiſt. 22. ad Antonium Subdiaconum.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ipſam pervenire poſſe minime ſperet, omneſque ad cætera quoque Beneficia aditus intercluſos pro certo teneat, cum ad ea comparanda *ipſo jure* minime capax dijudicetur. Hæc non ipſi confingimus, ſed Pontifices hujuſmodi pœnas decreverunt (1), uti P. Theſaurus, de quo ſupra mentionem fecimus, luculenter exponit (2). Idem in eo libello, qui pro inſtituendis recentibus Confeſſariis Romæ a ſapiente Theologo impreſſus eſt, fuſius continetur (3).

XII. Neque graviſſimo vulneri remedium ſe inveniſſe putent, ſi ad Sedem Apoſtolicam, vel ad Sac. Pœnitentiariæ Tribunal ſuppliciter confugiant. Chriſtianus Lupus ex Academia Lovanienſi magna vocis contentione Eccleſiæ Romanæ ſeveritatem extollit; ſummiſque laudibus proſequitur (4), quæ neminem Simoniæ vinculo diſſolvit, niſi ſe Beneficio prius abdicaverit. Nos vero tutius affirmare iſtud poſſumus, qui per plures annos in eo Tribunali Canoniſtæ munus ſuſtinuimus. Si quis realem Simoniam condonari ſibi poſtulet, paucis reſpondetur, *Dimittat, moneat, & reſtituat*; videlicet *dimittat* Beneficium, quod malis artibus acquiſivit; *moneat* eum, qui pretium accepit, ut illud in Eccleſiæ, vel egenorum commodum convertat; *reſtituat* fructus omnes, quos ab Eccleſia perceperit. Sed quoniam Simonia non ſemel ab alio committitur, idque Sacerdos Beneficio præpoſitus ignorat (cui nihilominus rite collatum non fuiſſe teſtatur his verbis Cæleſtinus III. *Quamvis ipſe promiſſionis conſcius non fuerit, ejus tamen electio tamquam Simoniaca pravitate præſumpta, eſt penitus reprobanda* (5): ſi tamen ab eodem Tribunali ſupplex imploret, ut delatum ſibi Beneficium confirmetur, ſic breviter reſpondet *Dummodo ante poſſeſſorem*, nempe ita concedere, dummodo ante poſſeſſionem Simoniæ conſcius nullo modo exiterit. Nam, ſi aliquid hujus criminis antea deprehenderit, tunc ea ſtatuenda ſunt, quæ nuper explicavimus, cum de reali Simonia ſermonem haberemus.

XIII. Hæc a te vehementer expetimus, quæ ſingulis ad quos nominandi jus pertinet, vel qui nominari poſtulant, declarabis. Neceſſe vero eſt, ut non modo interſis, ſed etiam præſis, cum illi ad nominationem devenient: ob eam cauſam dies, & locus ad rem perficiendam indicetur. Dies quidem intra quatuor menſes ſtatuenda eſt; pro loco Templum ipſum, ſi pro univerſo cœtu ſatis ſit, ſin minus, alius pro voluntate tui loci decernatur. Ut lites de medio auferantur ad ſuffragium ferendum admitti debent, qui nominandi jus habuerunt, cum poſtremus Parochus in locum demortui ſuffectus fuit; ſed cum plerumque *ratione habitationis, ſeu domicilii* loci incolis nominatio contingat, ideo ſoli patres familias fere ad nominandum accedunt, non ita dicendum, cum *ratione fundationis, vel dotationis* parochianis jus nominandi conceditur; tunc enim nominatio fit *in capita*, atque ideo non viris modo, ut Patronus oſtendit (6), ſed etiam feminis, minoribus, viduis, ac virginibus tribuitur. Si res in Templo mane peragatur, tunc Sacrum coram populo celebrabis, ut cæleſti lumine in ferendis ſuffragiis illuſtretur. Sin autem extra Eccleſiam, & poſt prandium, piis precibus comitia auſpicaberis, ut ſupremi Numinis auxilium pro re gerenda concilietur. Qui nullum jus habent, ab eo cœtu ſummoveantur, in quo tu ſolus cum Scriba Foraneo, & nominantibus intereris. Poſt hæc comitia incipiant, & ad finem cum ſilentio procedant. Scriba vero nomina competitorum, & ſuffragiorum numerum, quæ ſingulis obtigerint, in actis deſcribet, quæ certo documento obſignata ad Nos deferenda ſunt. Si Deus propitium voluntati noſtræ ſe præbeat, & quæ nunc conſtituimus, recte perficiantur, graviſſimis malis, quæ ſuperiori tempore nimis invaluerunt, remedium aptiſſime propoſitum confidimus: atque ut reliqua præteream, illud ferri non poteſt, quod inſciis iis, qui præſunt, nominantium domos circumirent petitores, ut ſuffragia ab ipſis elicerent, eoſque in ſchedam referrent, qui ſuffragium polliciti fuerant. Illam deinde firmam ratamque facere curabant, ut ſuffragiorum numero reliquos competitores ſuperaſſe palam oſtenderent, nimirum in cauſa propria propriam aſſertionem afferentes. Hæc tibi ſignificanda duximus &c.

## INSTITUTIO XIII.

*De Tabella Auroræ, Orientis Solis, meridici, & dimidiæ noctis, quantum conferat eam dignoſcere; quid mali eveniat, niſi eadem Tabella obſervetur. Qua hora ſacrificium indici abſolvique poſſit. Item de Jejunio, & dierum Feſtorum obſervantia.*

I. COgnoſcenda omnino ſunt Auroræ, meridiei, mediæque noctis tempora, ut Eccleſiæ præceptis, qua fas eſt, diligentia, pareamus.

II. Primum quidem neceſſarium eſt, cum Miſſæ Sacrificium ante Auroram celebrari nequeat (7), niſi forte exiguum tempus interceſſerit, uti inferius dicetur, vel aliquis ab hoc præcepto Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ac privilegio liberetur, quo tamen cautiſſime uti debet, ſicut a Paulo III. Pontifice conſtituitur (8): *Quoque Indulto celebrandi, ſeu celebrare faciendi ante diem, parce utantur; quia, cum in Altaris miniſterio immoletur Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, qui candor eſt lucis æternæ, congruit, hoc non in noctis tenebris fieri, ſed in luce.* In pervigilio etiam Natalis Domini ex communi Eccleſiæ conſuetudine ante mediam noctem ſacrum non peragitur, uti Paſqualigus advertit (9); & Sanctiſſimus Pontifex Pius V. univerſa, licet vetuſtiſſima privilegia penitus abrogavit, ob quæ nonnulli ante mediam noctem eo celebritatis tempore ſacrum faciebant (10).

III. Inſuper meridiei cognitio prorſus requiritur, cum ex Tridentina Synodo Sacerdotibus certum debitumque tempus ad Miſſam celebrandam præſcribatur (11); illud vero in Rubrica, quam ſuperius diximus, ita explicatur: *Miſſa privata ſaltem poſt matutinum, & laudes quacumque hora ab Aurora uſque ad meridiem dici poteſt.* Clemens XI. in conventu plurimorum Cardinalium, ac Præſulum hanc rem ſedulo examinandam mandavit; & licet ipſis tertia pars horæ ante Auroram, & poſt meridiem permitti Sacerdotibus poſſe videretur, Pontifex tamen eam ſententiam probandam non cenſuit, ac Decretum his verbis promulgavit; *Mandamus, ne Miſſarum Sacrificia ante Auroram celebrentur, & uſque ad meridiem ſolum protrahantur.*

IV. Ita ſe res habuit omnino, donec Innocentius XIII. Pontificatum obtinuit. Tandem Benedicto XIII. Pontifice iterum res in examen adducta fuit, & facultas tertiæ partis horæ, de qua paulo ante ſermonem fecimus, novo Decreto permiſſa eſt, cui pariter Edictum Clementis XII. feliciter regnantis conformatur.

V. Quæ cum ita ſint, eandem poteſtatem noſtris Presbyteris in hac Urbe concedimus, ea tamen conditione, ut præſcriptos limites, neque ante Auroram, neque poſt meridiem omnino prætereant; niſi fortaſſe ex Apoſtolico Beneficio nuſquam abrogato aliquis Sacerdos, vel Eccleſia poſt elapſam horam a meridie, ad ſacrum perficiendum non impediatur; ſic enim Romæ Templum Gallorum a S. Ludovico, a SS. Apoſtolis, a S. Jacobo, Templum Luſitanorum a S. Antonio, a S. Carolo in via Flaminia, a Piis Operariis, a Capuccinis nuncupatum pro hac re Litteras Apoſtolicas obtinuerunt.

VI. Profecto ſi quis rem diſſimularet, atque oſcitanter ſe gereret, cum nullus jam a Secularibus temporis ordo ſervetur, iterum nocturna ſacra fierent, uti primis Seculis in more poſitum fuit, vel ſaltem veſpertina, quæ (ad exemplum Judæorum a quibus matutina, ac veſpertina Sacrificia offerebantur) initio Eccleſiæ celebrari conſueverunt; cum legales ritus, ac cæremoniæ, uti Cardinalis Cozza perpendit (12), non ita ſtatim de medio auferri potuerint.

VII. Eam pariter ob cauſam meridiei tempus agnoſci debet, ut Eccleſiaſticum jejunium integre, pieque obſervetur, Novus, ac peregrinus eſſet in ſacris rebus, qui duodecim Seculorum ſpatio Veſpere ſolum in Quadrageſima, ideſt tribus poſt Nonam horis, tempus ad capiendum cibum, ſtatutum fuiſſe ignoraret. Aliis autem jejunii diebus nonniſi poſt Nonæ Officium, ſcilicet tribus, & amplius poſt meridiem horis cibo aliquo recreari vetitum omnino erat, uti Micrologus teſtatur (13): *In hoc enim Quadrageſimale jejunium ab aliis differt diebus, quod in aliis poſt Nonam, in hoc autem poſt Veſperum refici de-*

(1) *In extravag. cum deteſtabile §. de electione, de Simonia, & in Bulla Pii V., quæ incipit. Cum primum §. 8.*
(2) *Part. 2. in verbo Simonia cap. 2.* (3) *Part. 2. cap. 17. num. 428.* (4) *Tom. 3. Suarum obſervat. in Concilia pag. 245. antiq. edition.* (5) *Cap. Nobis de Simonia.* (6) *De Controverſ. Patron. alleg. 100. num. 344. & ſeqq.* (7) *15. Rub. Miſſal. quacumque hora ab Aurora.* (8) *Bull. 22. tom. 1. §. 25.* (9) *De Sacrificio novæ legis tom. 1. quæſt. 405.* (10) *Bull. 4. tom. 2.* (11) *Decret. De obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ.* (12) *Rerum Liturgic. lib. 1. cap. 21. n. 3. Impreſſ. Rom.* (13) *De rebus Eccleſiaſticis cap. 49.*

*debemus*. Idem in canone *Solent de Consecratione dist.* 1. *continetur*. Seculo XIII. cibus in omnibus jejuniis ad horam Nonam adhiberi cœpit, ut ex S. Thoma (1) & Alexandro de Ales satis aperte intelligitur (2): Seculo tantum XIV. ad meridiem, hoc est hora Sexta consuetudo sumendi cibi invecta fuit, quæ tamen ad corporis vires restaurandas communi usu probatur. In Sacris Litteris hæc habentur (3): *Introduc viros domum & occide victimas, & instrue convivium; quoniam mecum sunt comesturi meridie*. In Evangelio pariter, postquam Joannes Salvatoris cum Samaritana colloquii tempus explicavit, nempe: *erat hora quasi Sexta* statim Discipulos accessisse scribit, ut ipsum ad manducandum hortarentur, *Rabbi manduca* (4).

VIII. Non minus autem mediæ noctis tempora Fidelibus percipienda sunt, ut Festos dies ab Ecclesia propositos rite colere possint, & a servilibus operibus penitus abstinere. Nam, licet ex Concilio Compendii habito sub Gregorio IV. anno 833., quod etiam in capite primo de Feriis describitur, a Vesperis pervigilii ad Vesperas insequentes Festi dies inciperent, atque absolverentur: *omnes dies Dominicos a Vespera in Vesperam cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstineri*: quod etiam Thomassinus luculenter ostendit (5), Alexander III. (6) sancivit, ut ex locorum consuetudine Festis diebus initium, ac finis tribuerentur: *Licet scriptum sit: de Vespera in Vesperam celebrabitis Sabbata vestra, Festorum tamen principium, & finis juxta eorum qualitatem, & diversarum regionum consuetudinem debet attendi*. Hinc per universam fere Europam, uti tradit Gonzalez (7) a media nocte in aliam mediam noctem sacri dies observantur.

IX. Item mediæ noctis horam callere plane necessarium est, ut celebrandis nuptiis decretum tempus intelligatur. Olim a Septuagesima ad Octavum diem Paschatis per tres hebdomadas ante Festum S. Joannis Baptistæ, tandem ab Adventu Domini ad Epiphaniam usque nuptiæ celebrari non poterant, sicut a Juvenino fusius demonstratur (8). Sed Tridentina Synodus dies tantum ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam & ab initio Quadragesimæ ad octavum diem post Pascha immunes, ac vacuos a celebrandis matrimoniis definivit (9), ita tamen, ut a media nocte Sabbati ante diem primum Dominicum Adventus usque ad mediam noctem post Epiphaniæ diem, & a media nocte ante diem Sac. Cinerum usque ad mediam noctem Diei Dominici in Albis, uti scribit Clericatus ex communi omnium sententia, nuptiarum celebratio interdicatur (10).

X. Postremo mediæ noctis tempus ignorari non debet, cum post ipsam nihil cibi omnino sumere possit, qui sequenti die sacrum facere, vel ad Sacram Synaxim accedere velit. Sed non modo ad naturalem jejunium rite servandum, sed etiam Ecclesiasticum ea cognitio plurimum confert, cum ex communi opinione juxta Azorium (11) a media nocte ad aliam mediam noctem carnes, aliæque jejunio contrariæ dapes prohibeantur: *Sexto quæritur, unde nam incipient dies jejuniorum quoad abstinendum a carnibus, & aliis cibis tali tempore prohibitis attinet, Respondeo incipere a media nocte usque ad mediam noctem*.

XI. Ultimo loco Auroram, Meridiem, ac Vesperam scire perutile valde est, ut B. Virginem, quæ tribus his temporibus pie a Fidelibus salutari consuevit; debito honore prosequamur. Religiosam hanc consuetudinem mane saltem, ac vespere ab Urbano II. primo excogitatam nonnulli affirmant, ut per universum orbem celeberrimo bello sub Crucis vexillo hostibus illato felicem a Deo victoriam Fideles precarentur. Cum deinde 139. annorum spatio constanter hoc institutum, religioseque observatum fuisset, paulatim in desuetudinem abiit, donec a Gregorio IX. fuit restitutum, qui Salutationem Angelicam ad meridiem recitandam pariter adjecit, si Arnoldo ex Ordine Benedictino fidem præstemus (12). Aliqui vero Ludovico XI. Gallorum Regi hujus postremæ Salutationis initium, alii Callixto III. referendum arbitrantur ad Fideles inflammandos, ut Christianas copias precibus adjuvarent, quæ pro Fidei defensione in Hungaria contra Barbaros decertabant (13). Qui tamen res sacras diligentius perscrutantur, recentesque Scriptores tunc solum amplectuntur, cum certa ex antiquitate monimenta depromunt, consuetudinem salutandi B. Virginem tribus diversis horis, quas antea explicavimus, nulli alio vetustiori documento probari posse existimant, quam ex decretis Francisci Putei Magnæ Carthusiæ Præsidis, qui initio Seculi Decimi Sexti inter mortales agebat. Quamobrem eruditissimus Mabillonius ita scriptum reliquit (14): *Ex quo intelligitur, hunc morem a Gallia incœpisse sub initium Seculi Decimi Sexti*. Eam vero consuetudinem Benedictus XIII. cælestium munerum thesauris large cumulavit.

XII. Decessores nostri Tabulam proposuerunt, in qua Auroræ, Meridiei, ac Vesperæ tempus, & ipsæ minutissimæ horarum partes accurato studio describuntur: sed cum pro Ecclesiæ præceptis observandis horas juxta proborum hominum opinionem metiri satis sit; & cum plurimos religio incesseret, & magnopere torqueret, eo quod Auroræ, Meridiei, ac Vesperæ tempus juxta minutissimas horarum partes exacte designaretur; cum insuper Romæ aliisque in præclaris Italiæ civitatibus res tota *in* quadrantes digeratur, hanc Tabulam in lucem edimus, quæ initium Auroræ, & Meridiei, mediæque noctis tempora moderetur. Operam, ac diligentiam præstantissimi civis adhibuimus, cujus ingenium, nomenque non per Italiam modo, sed per universam Europam eximiis laudibus commendatur. Volumus, ut in Urbe, ac Diœcesi in usum, ac legem recipiatur, & in omni sacrario palam exponatur, & in posterum Kalendarium hujus Ecclesiæ Metropolitanæ imprimatur.

---

(1) 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 7. (2) *Part.* 4. *Summ. Theolog. quæst.* 28. *membr.* 7, *art.* 2. (3) *Genesis cap.* 34. *vers.* 16. (4) *S. Joann. cap.* 4. (5) *In Tract. de Festis dieb. lib.* 3. *cap.* 5. (6) *Cap.* 2. *de Feriis*. (7) *Cap. omnes: Littera C. de Feriis.* (8) *De Sacram. dissert.* 10. *de Matrim. cap.* 13. *art.* 2. (9) *Sess.* 24. *de Reform. Matrimon. cap.* 10. (10) *De Sacram. Matrim. decis.* 38. *num.* 5. (11) *Instit. Moral. lib.* 7. *cap.* 26. *quæst.* 6. (12) *In lib., cui titulus: Lignum vitæ*. (13) *Macrius in notit. Eccles. in verbo Salutatio*. (14) *In præfat. ad Secul.* 5. *Bened. num.* 122.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

## JANUARIUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. | Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. | Qu. | Meridies. Horæ. | Qu. | Hora Matut. Horæ. | Qu. | Media nox Horæ. | Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 13 | 0 | 1 | 14 | 3 | 19 | 1 | 21 | 1 | 7 | 1 |
| 11 | 12 | 3 | 14 | 14 | 2 | 19 | 0 | | | 7 | 0 |
| 21 | 12 | 2 | 22 | 14 | 1 | | | | | | |
| 28 | 12 | 1 | 28 | 14 | 0 | 18 | 3 | | | 6 | 3 |

## FEBRUARIUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. | Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. | Qu. | Meridies. Horæ. | Qu. | Hora Matut. Horæ | Qu. | Media nox Horæ. | Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 12 | 0 | 3 | 13 | 3 | | | | | | |
| 9 | 11 | 3 | 9 | 13 | 2 | 18 | 2 | 21 | 0 | 6 | 2 |
| 15 | 11 | 2 | 14 | 13 | 1 | | | | | | |
| 20 | 11 | 1 | 19 | 13 | 0 | 18 | 1 | | | 6 | 1 |
| 25 | 11 | 0 | 24 | 12 | 3 | | | | | | |

## MARTIUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. | Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. | Qu. | Meridies. Horæ. | Qu. | Hora Matut. Horæ. | Qu. | Media nox Horæ. | Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 10 | 3 | 1 | 12 | 2 | 18 | 0 | 20 | 3 | 6 | 0 |
| 7 | 10 | 2 | 6 | 12 | 1 | | | | | | |
| 12 | 10 | 1 | 11 | 12 | 0 | 17 | 3 | | | 5 | 3 |
| 16 | 10 | 0 | 16 | 11 | 3 | | | | | | |
| 21 | 9 | 3 | 21 | 11 | 2 | 17 | 2 | 20 | 2 | 5 | 2 |
| 25 | 9 | 2 | 25 | 11 | 1 | | | | | | |
| 30 | 9 | 1 | 30 | 11 | 0 | 17 | 1 | | | 5 | 1 |

## APRILIS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. | Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. | Qu. | Meridies. Horæ. | Qu. | Hora Matut. Horæ. | Qu. | Media nox Horæ. | Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 9 | 0 | 4 | 10 | 3 | | | | | | |
| 8 | 8 | 3 | 9 | 10 | 2 | 17 | 0 | 20 | 2 | 5 | 2 |
| 12 | 8 | 2 | 14 | 10 | 1 | | | | | | |
| 17 | 8 | 1 | 19 | 10 | 0 | 16 | 3 | | | 4 | 3 |
| 21 | 8 | 0 | 25 | 9 | 3 | | | | | | |
| 26 | 7 | 3 | 30 | 9 | 2 | 16 | 2 | 20 | 0 | 4 | 2 |
| 30 | 7 | 2 | | | | | | | | | |

## MAJUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. | Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. | Qu. | Meridies. Horæ. | Qu. | Hora Matut. Horæ. | Qu. | Media nox Horæ. | Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 7 | 1 | 6 | 9 | 1 | | | | | | |
| 9 | 7 | 0 | 12 | 9 | 0 | 16 | 1 | | | 4 | 1 |
| 14 | 6 | 3 | 19 | 8 | 3 | | | | | | |
| 19 | 6 | 2 | 26 | 8 | 2 | 16 | 0 | 19 | 3 | 4 | 0 |
| 24 | 6 | 1 | | | | | | | | | |
| 30 | 6 | 0 | | | | | | | | | |

## JUNIUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. | Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. | Qu. | Meridies. Horæ. | Qu. | Hora Matut. Horæ. | Qu. | Media nox Horæ. | Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 5 | 3 | 7 | 8 | 1 | | | | | | |
| 22 | 5 | 2 | 12 | | | 15 | 3 | 19 | 3 | 3 | 3 |

UAB Biblioteca de Ciències Socials

## JULIUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 5 2 | 1 | 8 1 | 15 3 | 19 3 | 3 3 |
| 6 | 5 3 | 17 | 8 2 | 16 0 | | 4 0 |
| 13 | 6 0 | 25 | 8 3 | | | |
| 19 | 6 1 | | | | | |
| 25 | 6 2 | | | | | |
| 29 | 6 2 | | | | | |

## AUGUSTUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 7 0 | 1 | 9 0 | 16 1 | | 4 1 |
| 8 | 7 1 | 7 | 9 1 | | | |
| 13 | 7 2 | 13 | 9 2 | 16 2 | 20 0 | 4 2 |
| 18 | 7 3 | 18 | 9 3 | | | |
| 22 | 8 0 | 24 | 10 0 | 16 3 | | 4 3 |
| 26 | 8 1 | 29 | 10 1 | | | |
| 30 | 8 2 | | | | | |

## SEPTEMBER.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 8 3 | 3 | 10 2 | 17 0 | 20 1 | 5 0 |
| 8 | 9 0 | 8 | 10 3 | | | |
| 13 | 9 1 | 13 | 11 0 | 17 1 | | 5 1 |
| 18 | 9 2 | 18 | 11 1 | | | |
| 23 | 9 3 | 23 | 11 2 | 17 2 | 20 2 | 5 2 |
| 27 | 10 0 | 27 | 11 3 | | | |

## OCTOBER.

| Dies Mensis. | Initipm Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Mattut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 10 1 | 3 | 12 0 | 17 3 | | 5 3 |
| 6 | 10 2 | 7 | 12 1 | | | |
| 11 | 10 3 | 12 | 12 2 | 18 0 | 20 3 | 6 0 |
| 16 | 11 0 | 17 | 12 3 | | | |
| 22 | 11 1 | 22 | 13 0 | 18 1 | | 6 1 |
| 27 | 11 2 | 27 | 13 1 | | | |

## NOVEMBER.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 11 3 | 1 | 13 2 | 18 2 | 21 0 | 6 2 |
| 7 | 12 0 | 7 | 13 3 | | | |
| 14 | 12 1 | 14 | 14 0 | 18 3 | | 6 |
| 21 | 12 2 | 20 | 14 1 | | | |
| | | 27 | 14 2 | 19 0 | 21 1 | 7 0 |

## DECEMBER.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 12 3 | 8 | 14 3 | | | |
| 17 | 13 0 | 13 | | 19 1 | 21 1 | 7 1 |

## INSTITUTIO XIV.

*De Septuagesima, & Feriis usque ad diem Cinerum; qua ratione ab Ecclesia sint institutæ. Quid in ipsis nobis exhibere velit Ecclesia. De quadraginta Horarum institutione per tres dies Quinquagesimæ.*

I. SAncta Mater Ecclesia, ac mundus, diversis, planeque oppositis itineribus animos Fidelium ad celebrandos Quadragesimæ dies paulatim adducunt.

II. Ecclesia tribus Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ diebus antea propositis viam nobis ad Quadragesimam aperit; quæ ita nominantur, quod cum Quadragesimam a quadraginta jejunii diebus nuncupatam præcedant, necessario sequebatur, ut quæ longius ab ista distaret Septuagesima, media vero Sexagesima, postrema Quinquagesima diceretur; uti Carolus V. Alcuino respondit, a quo deinde hæc sententia tradita fuit, eamque recentiores Ecclesiasticæ antiquitatis studiosi magnopere comprobarunt (1). Nam si Septuagesimæ nomen ad Septuagenariam Judaici populi captivitatem referendum velimus, uti putant nonnulli, quos P. Theophilus Raynaudus adnumerat (2), nullo deinde pacto Sexagesimæ, & Quinquagesimæ nomina convenient.

III. Mundus quoque, Carnovalis, ut ajunt, profana celebritate, nos ad Quadragesimam deducit. Hujus quippe originem Italici Scriptores ex eo desumptam credunt, quod in fine ipsius carnes edere Fideles prohibentur: *Quidam Scriptores* (ait du Change (3)) *Itali carnevale dictum putant, quasi carne, seu caro vale.*

IV. Ecclesia, ut animos excitet ad ineundam pie sanctequeQuadragesimam, in Divinis Septuagesimæ Officiis primi parentis lapsum a paradiso voluptatis, ubi collocatus initio fuerat, miserum exilium, pœnæ gravitatem, quam Deo jubente luere debuit, spem denique jucundissimam Divinæ benevolentiæ iterum sibi comparandæ, nobis ante oculos proponit. Die Dominico Sexagesimæ genus hominum post diluvium in pristinam formam restitutum nobis exhibet, ut naturæ nostræ per peccatum infirmæ reparationem intelligamus. Tellus autem aquarum aluvie liberata, Noemoque tradita, ut iterum ad cultum revocetur, quæ in aliquibus locis feracissima, in aliis vero sterilis apparet, parabolam, quæ tunc in Evangelio legitur, satis aperte declarat, de fructu nempe, qui ex semine prodit juxta telluris conditionem, cui committitur. In Quinquagesima justissimum Dei judicium exponitur, quo ad gloriam electi a perditis corruptisque hominibus sejunguntur. Id vero vocatione Abrahæ recte explicatur, qui idololatriæ tenebris extractus a patriæ solo, & consanguineis longe proficiscitur, ut in externis regionibus Deo se totum devoveat. In eodem Evangelio, cum paucis ante diebus Lazarum ad vitam restituisset Salvator Dominus, præcipuos cruciatus, qui in seipsum parabantur, discipulis aperuit.

V. Bacchanalium diebus ad profana spectacula visenda convocamur, quibus vel inaudita crudelitas in tragœdiis exprimitur, vel amores in comœdia parum honesti, vel saltem qui cum periculo conjunguntur.

VI. Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ diebus mœrorem præsefert Ecclesia. In Divinis Officiis *Alleluja* non amplius utitur, cujus loco, *Laus tibi Domine &c.* subrogatur, quod humilitati nostræ & calamitati, quæ a Primo parente in nos derivata est, aptissime convenit, uti eruditissimus Martene (4), & Gavantus (5) recte perpendunt. Insuper per eos dies Psalmi, *Dominus regnavit*, & *Jubilate &c.*, qui plurima lætitiæ signa continent, minime recitantur; sed alii Psalmi, *Miserere*, & *Confitemini* sufficiuntur, qui ad tristitiam, & mœrorem concitandum prope facti videntur, sicut Sarnellius Epistola octava libri sexti primus omnium advertit. His tribus Dominicis Ecclesia maximo studio Fideles admonet, ut pietatis operibus se vehementius exerceant: *Satis constat* (inquit Thomassinus (6)) *tres istos Dominicos dies majori pietatis studio colendos.* Ab illis pariter initium superioribus temporibus jejunia sumebant: *Jejunium* (ita Petrus Blesensis (7)) *Quadragesimale Regulares Cœnobitæ incipiunt a Septuagesima; Græci vero Sexagesima; Clerici nostri auctore Telesphoro a Quinquagesima; universus exercitus Christianæ militiæ, juvenes, & virgines, senes, cum junioribus ab hac Quadragesima.* Cum tamen illi, qui antiquitatis monumenta magis accurata diligentia perscrutantur, haud levi conjectura dubitent, utrum sermo ille Petro Blesensi vere tribuendus sit, Nos, ut nihil, nisi probatum certumque asseramus, Dominicam Quinquagesimæ in Missa Mozarabica nuncupari affirmabimus, *Dominicam ad carnes tollendas*: & in historiis Matthæi Parisii *carnisprivium*, ob eam causam, quod initium ea die jejuniis statueretur. Hec autem consuetudo nostris quoque temporibus in Ecclesia Orientali, & a quibusdam Religiosis Ordinibus integre servatur. Poloniæ vero populi pietatis laude præstantes, ex quo tempore Catholicam Fidem susceperunt, a Septuagesima jejunium inchoarunt, eumque morem ad Pontificatum usque Innocentii IV. obtinuisse satis constat, qui ut contentionibus, ac dissidiis inter Episcopum, & populum hac de causa excitatis finem imponeret, esum carnium ad Feriam quartam Cinerum sua auctoritate protraxit, uti Raynaldus testatur (8).

VII. Per hebdomadas Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ mundus nos allicit, ut conviviis, histrionum larvis, aliisque Bacchanalium voluptatibus animum relaxemus.

VIII. Hic a nobis quærendum non est, utrum mundus, an Ecclesia vehementius hominum mentes commoveant, & uter principem locum obtineat; sed magnopere veremur, ne Ecclesia a Fidelibus indignissime posthabeatur. Quippe ex Sac. Annalibus exploratum habemus piam consuetudinem quadraginta Horarum per tres dies a Quinquagesima usque ad Feriam quartam Cinerum Seculo Decimo Sexto primum cœpisse, ut Fideles hoc pacto neglectis mundi illecebris ad sancta opera incenderentur, Deum Bacchanalium criminibus gravius iratum mitigarent: novimus etiam ex Baccio (9) S. Philippum Nerium postremis Bacchanalium diebus solemnem ad Septem Urbis Ecclesias magna populi frequentia supplicationem ob easdem causas instituisse: Patres denique in quinto Mediolanensi Concilio coactos ita loquutos esse: *Studeat Episcopus, ut quo tempore in Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ hebdomadis Ecclesia Mater, & officiorum ritu, & hymnis, canticisque fidelium mentes ad mœstitiam, atque ad pœnitentiam excitantibus, & omni denique tum vestimentorum, tum aliarum rerum apparatu populum Dei instruit, ac præparat tot diebus ad sancte recolendam Christi Domini Passionem, & Crucem, eo potissimum tempore fideles sibi in curam traditos, spectacula, ludos scænicos, & alia, quæ gentilitatis speciem præseferunt, tunc præsertim morum corruptelis introducta illa ipsa tanquam a Sanctissimis Ecclesiæ institutis abhorrentia omnino fugientes, ad pietatis Christianæ studia, & orationem attentiores sint, proposita omni Christianarum actionum exercitatione.*

IX. Quæ cum ita sint, eorundem Patrum consiliis adducti, utque hujus nostræ Civitatis consuetudo magis confirmetur, majori quo possumus studio universos curæ nostræ commendatos hortamur, ut, quæ inferius subjicimus, pietatis exercitia suscipiant ad impetrandam tot criminum veniam, quæ per hosce dies in supremam Dei majestatem committuntur.

X. Tribus ante Cineres diebus Eucharistia publice adoranda exponetur in Templo S. Luciæ Societatis Jesu, in Templis S. Pauli PP. Barnabitarum, & Sanctæ Mariæ Lacrymosæ Patrum Carmelitarum Excalceatorum.

XI. In Templo S. Mariæ vulgo *e Gallicra* pro festis diebus post Vesperas ad virtutem, & pietatem excitandam frequentes sermones erunt; in eumque locum populus conveniet Feria V. post Sexagesimam, ut ad Septem Ecclesias supplicatio instituatur.

XII. Diebus Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ conciones in Metropolitana, aliisque præcipuis Ecclesiis peragentur.

XIII. Insuper triduo ante Cineres in eodem templo S. Luciæ sacra eloquia populo tradentur. A prandio Feriæ V. post Sexagesimam Sodales Congregationis a Bona Morte appellati, & Sodales etiam Studentium, ac Pœnitentium ad quatuor Cruces pie compositeque instituta, uti moris est, supplicatione procedent.

XIV. Mane autem Quinquagesimæ Sodalitia S. Mariæ Coronatæ, & Sanctissimo Suffragio adscripta ad Quatuor Cruces supplicter ordinateque se conferent, ubi quatuor hominum Novissima Religiosus vir coram populo explanabit. Post prandium in eodem Templo Sacra mysteria adoranda exponentur, quo tempore habebitur concio.

XV. Die Dominico Septuagesimæ, prima nempe Februarii ad

(1) *Baillet. De Festis mobilibus tom. 4. de vit. Sanctorum §. 2. n. 4. pag. 4. impress. Paris. 1707.* (2) *Tom. 10. pag. 492.*
(3) *In Glossar. in verbo Carnelevamen.* (4) *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis Officiis tom. 4. cap. 16.*
(5) *Ad Rubricas Brev. sect. 6. cap. 9.* (6) *Lib. 2. cap. 13. num. 4.* (7) *Serm. 13.* (8) *Ad annum Christi 1248. n. 49.*
(9) *In vita S. Philippi Nerii lib. 2. cap. 14. num. 7.*

ad S. Synaxim pie ſumendam in Eccleſiam S. Bartholomæi in Porta, quæ ad Patres Theatinos pertinet, univerſi convenient: mane etiam in Templo Patrum S. Annæ in S. Iſaia Sacra Calvaria ejuſdem S. Matris Beatiſſimæ Virginis in conſpectu publico per integrum diem exhibebitur. Sodales autem *Triginta tres* nuncupati curabunt, ut ibi Sacrificio Miſſæ, Veſperis, pioque ſermone habito ea dies celebretur; & inde ſub noctem accepta S. Euchariſtiæ benedictione populus dimittetur.

XVI. In Sexageſima, nempe die 8. Februarii in Templo S. Pauli Patrum Barnabitarum generalis conventus Fidelibus indicetur, ut ſacro Chriſti Corpore reficiantur.

XVII. Idem proponitur in Eccleſia Patrum Carmelitarum Excalceatorum Feria V. poſt Sexageſimam pridie idus Februarias, & pariter in Templo S. Mariæ *de Galliera*, quo tempore magna populi frequentia cum Patribus Oratorii Septem Eccleſias inviſit.

XVIII. Eadem generalis Communionis celebritas die 13. Februarii in Templo S. Iſaiæ renovabitur, ex quo ordinatim procedant Sodales *Agonizantium*, & quatuor Cruces ſuppliciter adibunt: mane in ipſo Templo piam concionem audient, & poſt reditum Sacerdos Sacroſancta Euchariſtia benedictionem impertiet.

XIX. Tandem die Quinquageſimæ XV. Kalendas Martii in Templum S. Luciæ Societatis Jeſu pro generali Communione frequentes convenient; & Feria tertia ante Cineres Templum Spiritus Sancti Patrum Clericorum Minorum ad id pariter eligetur.

XX. Die 2. Februarii, ideſt primo poſt Septuageſimam ſolemne Feſtum Præſentationis Chriſti in Templo, & Purificationis Beatæ Virginis hoc anno celebratur. Omnes primogeniti juxta legem Moyſis Domino offerri debebant, ut illius inuſitati prodigii memoriam proſequerentur, cum eorum majores Dei beneficio ab Ægypti captivitate vindicati fuerunt, atque interfectis Ægyptiorum primogenitis ab Angelo, Judaicæ gentis primogeniti ab ea cæde liberati (1). Præſcriptum quoque Judæis fuit, ut quæ mulier *ſuſcepto ſemine* puerum in lucem edidiſſet, ſeptem dierum ſpatio duceretur immunda, die octavo puer circumcideretur, & ne ipſa per triginta dies ad Sanctuarium accederet. Deinde agnum, & columbæ, ſeu turturis pullum, vel duos ſaltem turtures, aut duos columbarum pullos Domino offerret (2).

XXI. Beatiſſima Dei Mater huic præcepto ſubjici non poterat, cum ad illas mulieres ſolum pertineret, quæ ex virili conſortio conceperant, uti S. Bernardus advertit (3): *Patet itaque, quod lex iſta Matrem Domini non includit, quæ non ſuſcepto ſemine Filium peperit.* Deinde poſt multa ſic proſequitur, *vere, o Beata Virgo, vere non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione.* Ob hanc cauſam ab Alexandro VIII. hæc ſententia die 7. Decembris anno 1690. proſcripta fuit: *Oblatio in Templo, quæ fiebat a B. V. M. in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus eſſet ſecundum verba legis.* Nihilominus B. Virgo maximæ humilitatis gratia legis præceptum ſponte obſervavit; & cum Salvator in ſumma egeſtate mortalem vitam ingredi voluiſſet, non agnum cum pullo columbæ, aut turturis, ſed duos turtures, vel duos columbarum pullos offerri pro ſe voluit, uti S. Auguſtinus ſcriptum ſapienter reliquit (4): *Advertendum eſt, quam pauper Dominus naſci voluerit, ut non pro illo offerretur agnus, & pullus columbinus, aut turtur, ſed par turturum, aut duo pulli columbini ſicut in Evangelio legitur, quod ſatis eſt in agnum.* Cum igitur puerum Jeſum ad Templum ſanctiſſimi Parentes detuliſſent, tunc Simeon ſenex, qui *reſponſum acceperat a Spiritu Sancto non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini*, ipſum ulnis ſuis complexus eſt, Deo gratias egit, Puerique futuros cruciatus, & mortem, ac Genitricis acerbiſſimas pœnas aperte prænunciavit. Tunc quoque Anna, quæ ad octogeſimum quartum ætatis annum pervenerat, & quæ noctem, ac diem obſecrationibus impendens a Templo nunquam diſcedebat, omnibus redemptionem Iſrael expectantibus de Chriſto Domino aperte loquebatur, uti S. Lucas fuſius commemorat (5).

XXII. Hæc porro ſunt myſteria, quæ in Feſto diei ſecundæ Februarii maximo cultu proſequi debemus. S. Bernardus hanc celebritatem, ejuſque diei ſolemnem Cleri pompam, qui cereos accenſos manibus gerens ſuppliciter incedit, primis Eccleſiæ Seculis inſtitutam aſſerere videtur (6): *Hodie Templi Dominum* (ait) *in Templum Domini Virgo Mater inducit. Joſeph quoque ſiſtit Domino non ſuum, ſed ejus Filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoſcit juſtus quem expectabat. Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primo hodierna proceſſio celebrata eſt, quæ poſtmodum exultatione univerſæ terræ in omni loco, & ab omni gente celebraretur.* Eandem ſententiam uſurpavit, cum de Virginis Purificatione ſecundum ſermonem haberet. Quidquid de hac re ſit, Cardinalis Baronius (7) in fine Seculi quinti ad hoc Feſtum celebrandum viam patuiſſe affirmat; cum Gelaſius Pontifex inhoneſta lupercalia de medio ſuſtulit; quæ ineunte Februario Romani cives peragebant. Hanc ſententiam ampleſtitur Thomaſſinus (8); Nicolaus vero (9) Serarius eodem die publicam ſupplicationem cum cereis accenſis indictam a Sergio teſtatur, qui anno 688. ad Pontificatum pervenit; ſed Tillemont (10) ex antiquis monumentis oſtendit circa dimidium quinti Seculi Hieroſolymæ hoc Feſtum celebratum fuiſſe, quin etiam ante illud tempus ipſius initium repetendum.

XXIII. Hanc diſputationem dirimere Apoſtolici muneris parum intereſt, ſed potius gregem nobis traditum hortari, ut ſimul cum Chriſto ſe Deo penitus devoveat, ejuſque voluntatem libentiſſime ſequatur; ut Beatæ Virginis eximiæ humilitatis exemplum ſibi ad imitandum proponat, declaretque ſe nullam a communi omnium lege immunitatem expetere; utque flagrantiſſimo Simeonis ſtudio Domini videndi & ipſe teneatur; ut tandem Prophetiſſam Annam imitetur, inviſatque frequenter Eccleſias, ac de Jeſu Chriſto crebros ſermones inſtituat: intelligat etiam myſterio non carere, quod accenſæ candelæ hac die manibus præferantur: *Cereorum geſtatio*, inquit Serarius (11), *nos admonet, ut vere lumen Chriſtum Jeſum, lumen de lumine, lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, lumen mundi, lucem ineffabilem mente interius apprehendamus, manibuſque noſtris exterius feramus.*

XXIV. Edictum pro Bacchanalibus, ſi agi noſtra hac in Civitate concedantur, de more promulgabitur, in quo conſuetæ leges præſcribentur, ut pernicioſi uſus impediantur. Cum tamen omnium in ore libere verſetur, choreas, ludoſque a S. Franciſco Saleſio pro ſingulari ipſius lenitate ſecure permitti; illiſque tantum inhiberi, qui peculiari quodam inſtituto, aut Religionis voto ſe obſtrinxerint, nos aperte fatemur, hujus Sanctiſſimi Viri conſiliis omnino conformari; ſed magnopere rogamus, ut capita 33. 34. Inſtitutionis ad piam vitæ rationem ingrediendam accurate perpendantur. Ibi S. Vir choreas ſuapte natura nihil mali præſeferre teſtatur, ſed, ut plerumque contingit, ad vitium declinare, & cum periculis, atque incommodis conjungi. Choreas fungis ſimiles affirmat, quorum optimi nullius pretii æſtimantur, uti aſſerunt Medici; & licet ſcitiſſime conditi in menſa apponantur, ſi quis gulæ nimis indulgeat, teterrimi ſunt, ac veneno comparantur. Eos qui ſibi remiſſiones hujuſmodi frequentius tribuunt, vehementer improbat, non vero, ſi illas præſens occaſio requirat. Modeſtiam, gravitatem, mentemque rectam, ac piam ſummopere commendat. Poſt hæc fungorum exemplum proſequitur, quibus comeſis generoſum vinum ſuperinfunditur; eodem pacto poſt choreas ad ſanctas cogitationes converti debemus, ne vitiorum illecebris, quæ animum fortaſſe concutere poſſunt, magno cum damno corrumpamur. Poſtremo quid expendere valde utile ſit ipſe declarat, illos nempe, qui perpetuis ignibus addicti pœnas criminum exſolvunt, quæ ex choreis miſere contraxerunt; quot ex Religioſis Ordinibus viri illud chorearum tempus in concinendis divinis laudibus magna cum utilitate traduxerint: quot denique per eandem horam vel lectulo defixi, vel in compitis, aut in Xenodochiis jacentes acerbiſſimis morbis torquerentur. Igitur choreæ, ſaltuſque ab illis, quibus fas eſt, inſtituantur: ſed eæ leges una ſerventur, quas Auctoris ſanctitate, & gloria ducti, maxime probamus, & libenter ampleſtimur.

IN-

(1) *Exod. cap. 13. & S. Lucæ cap. 2. num. 22.* (2) *Levit. cap. 12. num. 2.* (3) *Serm. 3. de Purific. B. Virg. num. 1. tom. 1. oper. col. 133.* (4) *Lib. 2. quæſt. in Levit. quæſt. 40. num. 4. tom. 3. oper. edit. Maur. col. 509.* (5) *Cap. 2.* (6) *Serm. 1. de Purific. num. 1.* (7) *In notis ad Martyrol. Rom.* (8) *Lib. 2. de Feſtis cap. 11.* (9) *Lib. 2. de Proceſſion. cap. 3. num. 4.* (10) *Lib. 1. adnot. 7. ad Vitam Jeſu Chriſti.* (11) *Eodem loco num. 5.*

## INSTITUTIO XV.

*De jejunii Quadrageſimalis obſervantia; quiſnam primus hoc jejunium indixerit; quo tempore, & qua de cauſa id evenerit; quo pacto initio gereretur: quid ſibi velint abſtinentia a carnibus, & unica comeſtio. Utrum, qui immunes ſunt abſtinentia, liberi etiam ab unica comeſtione judicentur. De aliquibus corruptelis, quæ jejunii cauſa inducuntur.*

I. PArum, ac fere nihil Quadrageſimæ jejunium a Fidelibus obſervatur, quod licet a Chriſto Domino inſtitutum affirmari nequeat, uti Thomaſſinus oſtendit (1); nemo tamen inficiari poteſt ad normam ejus jejunii propoſitum fuiſſe, quod Moyſes, Elias, & Salvator ipſe auſtere adeo quadraginta dierum ſpatio peregerunt: *Quadrageſima ſane* (ait S. Auguſtinus (2)) *jejuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moyſis, & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit demonſtrans Evangelium non diſſentire a Lege, & Prophetis.*

II. Hoc porro jejunium, licet ad Teleſphorum Pontificem (qui circa dimidium Seculi II. floruit) referatur in eo libro, qui Anaſtaſii nomine circumfertur; cum tamen ex ſacris monimentis exploratum ſatis habeatur a priſcis Fidelibus receptum fuiſſe, priuſquam ulla Concilia cogerentur (nam primum Nicænum Concilium Quadrageſimam tanquam omnibus cognitam aperte commemorat) illud inter Apoſtolicas traditiones recenſendum omnino eſt, uti S. Auguſtini judicio (3) comprobatur: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime creditur*, cui teſtimonium S. Hieronymi aptiſſime convenit (4): *Nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anni tempore nobis congruo jejunamus.* Eandem ſententiam amplectitur S. Leo Magnus (5): *Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum jejuniis impleatur, non ciborum tantummodo parcitate, ſed privatione maxime vitiorum.*

III. Vetuſtioribus Seculis hoc jejunium non tantum unica cibi refectione, abſtinentia a carnibus, vinoque continebatur, ſed etiam aquæ potus legi vetitus erat, niſi cibi ſumendi legitimum tempus adeſſet, uti ex S. Fructuoſi Epiſcopi Tarraconenſis, ac Martyris hiſtoria deprehenditur; qui (ſicuti Prudentius hymno ſexto teſtatur) cum ad mortem raperetur, hauſtum frigidæ conſtanti animo recuſavit, eam ob cauſam, quod illo die jejunium ageretur, cujus ſolvendi nondum tempus advenerat. Alia plurima Baillet (6) congerit argumenta, quibus id ſapienter oſtendit. Superioribus autem Seculis non meridies jejunio (uti nunc in more poſitum eſt), ſed veſpera finem ſtatuebat. Quare S. Bernardus, cum de jejuniis Monachorum extra Quadrageſimam loquitur (7); *Hactenus* (inquit) *uſque ad Nonam jejunavimus ſoli, nunc uſque ad Veſperam*, cum vero de Quadrageſimali jejunio verba facit, hæc habet: *Jejunabant nobiſcum ſimul univerſi Reges, & principes, clerus, & populus, nobiles & ignobiles, ſimul in unum dives, & pauper.*

IV. Tandem hæretici bellum acerrimum omni tempore huic jejunio indixerunt, ut ipſum de medio tollerent; ſed quatuor Cardinales Baronium, Bellarminum, Cozzam, & Gottum non purpuræ modo dignitate, ſed doctrinæ præſtantia celeberrimos contra audaciam, ac temeritatem propugnatores habuit (8).

V. Longe hic a conſilio noſtro abhorret rerum ſacrarum ſcientiam palam oſtentare, & hujus temporis inſtituta nimis ſevere in priſtinum ſtatum reſtituere. Plura ſane ex antiquitate monumenta deduci poſſent, quibus Quadrageſimæ jejunium confirmaretur. Sine ulla contentione paulatim uſus obtinuit, qui a Religioſis quoque viris receptus eſt, ut poſt meridiem etiam in Quadrageſima jejunium ſolvatur. Quamobrem in Templis ſub meridiem Veſperæ celebrantur, ut aliquod veteris diſciplinæ veſtigium conſervetur, quæ per eos dies jejunantibus cibum interdixit, donec officium ſub Veſperam in Eccleſia peractum eſſet, quod ideo *Veſpertinum* nuncupabatur. Ea de cauſa S. Carolus Borromæus vitæ rationem ſuis familiaribus, ac domeſticis præſcriptam ita explicavit (9): *Ut per omne Quadrageſimæ tempus, Dominicis diebus exceptis, ſemel tantum in die poſt meridiem cibum capiant.*

VI. Jamdudum vinum jejuniis permiſit Eccleſia, & præſertim in iis regionibus, quæ frigori magis obnoxiæ ſunt, ne aquæ potu corporum ſanitas gravi aliquo morbo labefactetur; *In regionibus* (ait Bellarminus (10)) *autem frigidioribus ideo noluiſſe Eccleſiam vini abſtinentiam imperare, quoniam a plurimis ſine magno valetudinis periculo tolerari non potuiſſet.*

VII. Traditum fuit a S. Thoma (11) electuaria, licet aliquo modo ad nutriendum conferant, jejunio non obeſſe, licet poſt cibationis horam ſumantur, cum potiſſimum ad crudum ſtomachum juvandum adhiberi conſueverint. Hinc Theologi ſalvum, & integrum jejunium licet qualibet per diem hora vinum, aut aqua bibatur, unanimes declararunt; diſputat tamen, utrum de chocolatis potione idem ſtatuendum videatur, & quidam partes affirmantium tuentur; vel quia potiones, niſi ex rebus jejunio contrariis conficiantur, illud minime violant; vel quod chocolates, licet, *de ciborum genere*, ſi aqua diſſolvatur, *in genus potus* convertitur; vel etiam, quod exigua rei quantitas parvi æſtimetur: quibus omnibus inveteratam jam conſuetudinem adjungunt unanimi conſenſu receptam, & ab Eccleſiaſticis Præſidibus haud improbatam: Ita Cardinales Brancaccius (12), & Cozza (13) luculenter exponunt.

VIII. Denique præſcriptum fuit omnibus, ut jejunii die ſemel tantum comederent: *Reſpondeo* (ait Sanctus Thomas (14)) *dicendum, quod jejunium ab Eccleſia inſtituitur ad concupiſcentiam refrænandam; ita tamen, quod natura ſalvetur. Ad hoc autem ſufficere videtur unica comeſtio, per quam homo poteſt & naturæ ſatisfacere, & tamen concupiſcentiæ aliquid detrahit diminuendo comeſtionum vices, & ideo Eccleſiæ moderatione ſtatutum eſt, ut ſemel in die a jejunantibus comedatur*; ſed ad Monachorum exemplum, qui totum diem laborioſis operibus impendentes, antequam ad lectionem, ſeu pium conventum ſimul accederent (qui diebus jejunio conſecratis ante Completorium haberi conſueverat) ſitim aqua parumper ſublevare cœperunt; ac deinde exiguum panis fruſtulum adjungere, ut valetudinis ſervandæ gratia potum cum cibo conjungerent, ſicut plurimis teſtimoniis apparet (15); Monachorum, inquam, exemplo, *nullo ſuffragante Canone* (ut ait Cabaſſutius) *ſuperaddita eſt ſub collationis nomine refectio veſpertina* (16).

IX. Attamen, dum veterem diſciplinam in memoriam revocamus, non eo tendit oratio noſtra, ut oves nobis commiſſæ ab Eccleſiæ inſtitutis, & conſuetudine jamdudum vulgata, vel a præſtantium Theologorum ſententiis dimoveantur; id ſolum expetimus, ne propoſitos fines excurrant; & ne temere, vel etiam paucorum doctrina permoti, pravos uſus inducant, qui ſtomachum piis hominibus moveant, atque indignationem.

X. Sed, ut ad rem plane veniamus; eſto quidem frequentes per diem potationes jejunio non repugnent; quis tamen inficiabitur, ſi vino largius, quam par eſt, atque intemperantius utamur, meritis omnino carere, quæ per jejunium comparantur? Hinc ab Angelico Doctore ſententiam deſumpſimus (17): *Non autem intendit Eccleſia interdicere abſtinentiam potus, qui magis ſumitur ad alterationem corporis, & digeſtionem ciborum aſſumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat, & ideo licet pluries jejunantibus bibere; ſi quis autem immoderate potu utatur, poteſt peccare, & meritum jejunii perdere.* Admittatur benigna illorum opinio, qui jejunium chocolatis potu violari negant; quis tamen intemperantia, vel etiam læſi jejunii culpa prorſus immunem, & vacuum eum exiſtimet, qui modum excedens, talem ſibi pateram indulgeat, qualis a Sancto Hieronymo deſcribitur ad Nepotianum: *Sorbitiunculas delicatas, & contrita olera betarumque ſuccum non calice ſorbere, ſed concha?* Quis eum crimine abſolvat, qui ſæpius, cum jejunium agitur, eandem potationem repetat? Etenim graviſſimi Auctores, qui diebus jejunii chocolati locum eſſe tradiderunt, ejuſdem potationes iterari nullo modo poſſe fatentur, uti ex Brancaccio & Cozza, quos paulo ante memoravimus, liquido conſtat (18).

XI. Cum jejunium indicitur, permiſſæ dapes pro cujuſque indigentia in menſam afferantur. Qui autem, dum piſces come-

---

(1) *In tractatu de jejun. part. 1. art. 4.* (2) *Epiſt. 19. nunc vero 55. ad Januar. cap. 15. tom. 2. oper. col. 139.* (3) *Lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 24. tom. 9. oper. col. 140.* (4) *In epiſt. 54. ad Marcell.* (5) *In ſerm. 43. de Quadrageſima cap. 2. tom. 1. oper.* (6) *In tom. 4. de vit. Sanctor. in hiſt. Quadrag. §. 5. & 7.* (7) *Serm. 5. de Quadrageſima.* (8) *Anno Chriſti 57. num. 140. tom. 4. ſuarum Controv., in ſuo tractatu Dogmatico, & Morali de jejunio. In ſuis lib. adverſus Jacobum Picininum tom. 2. part. 1. art. 6. §. 4. & ſeq.* (9) *Part. 1. tit. de gubernatione ſpirituali.* (10) *Tom. 4. ſuarum controverſ. lib. 2. de bonis operibus in particulari cap. 5.* (11) *2. 2. quæſt. 147. art. 6. ad tertium.* (12) *De potu Chocolatis.* (13) *Et in tract. de jejunio part. 3. dub. 9.* (14) *Loco citato in corpore.* (15) *Cap. 12. Conventus Præſulum. Gallor. habiti Aquiſgrani anno 817. & in antiquis conſuetudinibus Monaſter. Cluniacen. deſcriptis a Monacho Ulderico, ac demum in diſſert. Lancellotti de Hemina §. 47. & ſeq.* (16) *In diſſert. 20. de veterum jejuniorum Eccleſiæ origine, & ritib.* (17) *In loco citato in reſponſ. ad ſecundum.* (18) *In citata diſſert., & in tract. de jejunio part. 3 dub. 9. n. 129.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

medit, ipsorum copia, modo, vel condimentis communes excedit limites, si minus præceptum Ecclesiasticum reipsa violaverit; tamen ab intemperantiæ nota, quæ divina lege interdicitur, liberari non potest, uti docet S. Thomas (1) *Quamvis per inordinationem circa illas circumstantias peccet, & meritum jejunii amittat, vel in toto, vel in parte, non tamen Ecclesiæ statutum transgreditur, & ideo jejunium non solvit*; & alio loco idem confirmat (2): *Siquis autem immoderate potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderate cibum in una comestione assumat.*

XII. Postremo consuetudo jampridem invecta sub Vesperam reficiendi corporis adhibeatur; se Gersonis sententiæ meminisse oportet (3): *De comestionibus specierum, & similibus consuetudo teneatur, & delectationis nimia libido vitetur*; norma quædam pro ciborum genere, copia, modoque statuendo ex piis moderatisque viris desumatur; nec eorum exemplis inhæreatur, qui nihil de animæ salute solliciti sunt, & omnia jura nefariis criminibus polluunt, & contaminant.

XIII. Illud magis deplorandum est, quod hac ætate perpauci per Quadragesimæ dies a carnibus abstineant; paucissimi vero numerentur, qui cum edendi carnes facultatem ob valetudinis incommoda obtinuerint, ciborum saltem copia, modoque jejunium observent. Ea fuit inter priscos Theologos disputatio, utrum pauperes ad jejunium cogerentur; & habito *inter pauperem, & egenum* discrimine, hunc postremum jejunii lege solutum judicarunt, qui vitæ alimenta ostiatim quæreret, incertusque semper esset, quid sibi ad vitam sustendandam ex pietate fidelium suppeditaretur. Ita sentiunt Alexander de Ales (4), Riccardus (5), & Paludanus (6). Nunc de egenis non agitur. Divitiis, ac censibus affluentes, non paupertatis, sed infirmæ valetudinis causa a Quadragesima observanda liberantur, licet idem morbus per integrum anni cursum nullum ipsis attulerit incommodum, nullumque impedimentum, ne diem noctibus perverterent, animumque quibusvis voluptatibus relaxarent: immo ne persuasit quidem, ut valetudinis rationem aliquam ducerent Bacchanalium diebus, quibus fortasse integras noctes, & postremam quoque ante Cineres, agendis choreis impenderunt. Quin ejus naturæ morbus erit fortasse, ut per Quadragesimæ tempus, si ad convivium piscibus, carnibusque instructum vocentur, utroque ciborum genere liberaliter uti non dubitent. Tandem alia gravissima mala non semel ex eo morbo consequuntur. Cum enim per anni cursum in vestium luxu, in conviviis, nocturnisque conventibus celebrandis plus insumpserint, quam illorum conditio pateretur, ineunte Quadragesima parsimoniam statim suscipiunt, binasque parare mensas, domi recusant, videlicet unam sibi carnibus ornatam, alteram vero ex dapibus, quæ filiis, ac cæteris domesticis jejunantibus præscribuntur. Hinc fit, quod hi Quadragesimæ præcepto parere nequeunt, licet ipsius servandi desiderio fortasse teneantur.

XIV. Quamobrem ad Medicos sermo convertatur, quorum testimoniis violandæ Quadragesimæ facultates a Præsidibus conceduntur. Veteres Canonistæ Medicos acriter, medendique artem infectantur, & eam proferunt juris Pontificii auctoritatem (7): *Contraria studiose sunt divinæ cognitioni præcepta medicinæ. A jejunio revocant; lucubrare non sinunt; ab omni intentione meditationis abducunt: itaque, qui se Medicis dederit, seipsum sibi abnegat.* Nos quidem eorum numero adscribi nolumus; si quis tamen pro ea muneris ratione, quam tot annis gessimus, inter Canonistas nos adnumerare velit, recentiorum ordinem libentius amplectimur. Insuper cum animarum curæ in ea Civitate præpositi simus, quæ probis hominibus, ac Medicinæ peritissimis affluit, a quibus maximum, ac singulare in hanc Patriam ornamentum promanat, modum aliquem Canoni, quem supra adduximus, facile statuemus, ne ipsos, aliosque offendere videamur. Novimus enim quanta religione, ac doctrina Paulus Zacchias Romanus Medicus suos libros conscripserit (8), & quæ sapienter pieque facultatis Parisiensis præclarus Medicus Hecquet super hac re posteris commendaverit (9).

XV. Orientalis Ecclesiæ institutis minime subscribimus, quæ ægrotis per Quadragesimam carnes interdixit, licet in extremo vitæ discrimine versarentur: *Non permittitur* (ait Balsamon apud Thomassinum (10)) *cuiquam, etiamsi extremum agat spiritum, in magna Quadragesima carnibus vesci; vidimus enim hoc diversis temporibus Synodice petitum esse, & non esse concessum.* Nos octavi Concilii Toletani Decretum sequimur (11), in quo facultas edendi carnes illis tribuitur, *quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat.* Et ad Decretalem Innocentii III. accedimus (12) ubi hæc traduntur: *De illis, qui in Quadragesima, vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi esum carnium indulgeri, respondemus, quod, cum non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgens necessitas exigit, supportare potes, & debes, ut majus in eis periculum evitetur.*

XVI. S. Thomas satis esse declarat (13), si quis in periculum contrahendæ infirmæ valetudinis proxime abducatur, *ægritudine imminente*, de quo soli Medici recte judicare possunt. Quamobrem, cum S. Gregorius Pontifex Marinianum Ravennæ Episcopum pro frequenti sanguinis eruptione, qua plurimum laborabat, a Quadragesimæ legibus absolveret, Medicorum testimonio adductus fuit, ut ex ejus Epistola clare deprehenditur (14): *Quoniam eruptionem sanguinis patientibus jejunia Medici dicunt esse omnino contraria.*

XVII. Itaque Medici ad ægritudines cognoscendas Judices constituti S. Caroli verba sedulo perpendant (15): *Medici meminerint, ita suarum esse partium corporis incolumitati prospicere, ut ne oblivisc antur potiorem haberi debere animarum salutem. Quapropter caveant diligenter, ne alienæ culpæ participent nimia facilitate sua in fide facienda necessitatis utendi cibis vetitis.* Hinc priusquam litteras ullas suo testimonio confirment, an satis probetur morbus, qui ipsis indicatur, diligenter advertant. Si illius indicia satis appareant, tunc observent, an ægritudo, nisi dapes vetitæ permittantur, aliquo alio pacto curari possit. Quippe ex Medicorum etiam doctrina certum est (uti Zacchias ostendit) aliquibus morbis Quadragesimæ observationem non obesse. Si vero de præsenti morbo minime agatur, sed tantum de ipsius periculo, videant Medici ne fictum sit, sed proximum certumque, vel saltem dubium, ita tamen, ut dubitandi locus prudenter occurrat; in quo sententiam etiam Pasqualigi (16), licet beniniorem, non improbamus: *Si autem dubium sit, an adsit causa, adhuc poterit concedi licentia, quia in dubio tutior pars est eligenda, & favorabilior, nec ille, de quo dubium est, an indigeat carnibus, est periculo exponendus.* Postremo cavere debent, si ægritudine, vel ejus periculo dubitari nequeat, an adhibitis lacticiniis remedium satis aptum afferatur; tunc enim carnium esus omnino interdicatur. Si autem carnes necessariæ ducuntur, tunc expendant, utrum, sine gravi incommodo, ad quosdam solum dies hanc facultatem concedere debeat. Quippe in ampliores terminos producenda non est, cum eadem utilitate coarctari possit. Denique eas solum carnes permittant Medici, quæ sanitati conferant.

XVIII. Hæc omnia Romanorum Pontificum auctoritatibus adducti proponimus. Ac primum Sanctus Gregorius Magnus, cum Ravennatem Episcopum a præcepto Quadragesimæ liberavit ob eam causam, quam paulo ante diximus, his quoque verbis utitur: *Si autem Deo miserante adeo melioratum se esse, ac virtutem suam sufficere posse cognoscit, semel, aut bis in hebdomada jejunare permittimus.* Insuper, cum Wenceslaus consuetas in Quadragesima dapes sibi pro valetudinis imbecillitate non convenire Bonifacio VIII. declarasset, Pontifex in sua Epistola ad Præsides Ordinis Cistercienses, quam Siffridus, & Raynaldus (17) fuse commemorant, in hunc modum respondit: *Nos ipsius Regis supplicationibus inclinati dispensandi cum eodem Rege, ut Quadragesimali tempore, præterquam in diebus Veneris, & Sabbati, ac festivitatis Beati Matthiæ Apostoli vigilia, possit vesci carnibus, ovis, & lacticiniis, nisi ex voti emissione ad non vescendum forsitan sit obstrictus, liberam vobis concedimus auctoritate præsentium facultatem, proviso, quod idem Rex his in occulto, & moderate vescatur.* Si igitur lacticiniis infirmæ valetudini satis consulatur, a carnibus abstinendum; eaque nonnisi salubres in mensam afferendas satis probant edicta de observatione Quadragesimæ, quæ in Pontificatu Clementis XI. promulgata, & a Cardinali Cozza fideliter expositæ fuerunt (18).

XIX. Facilius procul dubio ea disputatio, componeretur, videlicet, an qui carnes edendi facultatem in Quadragesima propter ægri-

(1) *In 4. distin. 15. quæst. 3. art. 4. quæst. 3. ad secundum.* (2) *In summa loco citato.* (3) *In Regulis moralibus.*
(4) *Part. 4. quæst. 10. art. 4.* (5) *De Media Villa in 4. dist. 15. art. 3. qu. 4.* (6) *In 4. dist. 15. quæst. 4.*
(7) *In Canone Contraria de Consecratione dist. 5.* (8) *In suis quæst. Medico-legalib. lib. 5. tit. 1. in multis quæst.*
(9) *In suo tract. de dispens. in Quadragesimam.* (10) *De veteri, & nova Ecclesiæ disciplina part. 1. lib. 2. cap. 83. num. 15.*
(11) *Cap. 9.* (12) *In cap. Consilium de observ. jejunior.* (13) *In 4. de sent. dist. 15. quæst. 3. art. 2. quæstiuncul. 4.*
(14) *Epist. 28. lib. 9.* (15) *In Edicto pro observat. Quadragesimæ addito part. 3. actor. Eccles. Mediolan.*
(16) *De jejunio quæst. 378. num. 4.* (17) *Lib. 3. epist. 31. anno Christi 1297. n. 43.* (18) *Eodem loco de jejunio pag. 323.*

ægritudinem obtinuit, jejunii lege teneatur, facilius, inquam, iis componeretur, si hæc causa cum Medicis solum transigenda esset; nam ipsorum effata, quæ a Lessio (1), & Cornaro (2) referuntur, cum illa Ecclesiæ precatione satis apte conveniunt, ubi jejunii fructus his verbis complectitur: *hoc solemne jejunium animabus corporibusque curandis salubriter institutum est*; sed cum Theologis agendum est, nec ita facile res poterit expediri.

XX. Plurimi sane inter ipsos eam opinionem tuentur, duabus necessariis partibus integram jejunii naturam contineri; nempe, *unica comestione, & abstinentia ab esu carnium*; quarum altera sublata, primam quoque penitus auferri necesse est.

XXI. Alii vero contrarium sentiunt. Sexaginta hujus sententiæ nominantur a P. Marchetto tunc temporis Romani Collegii Rectore in ea dissertatione, quam super hac re confectam Clementi XI. exhibuit, cui Consultores Sancti Officii, & Cardinalis Vicarii Examinatores Synodales unanimes assenserunt. Si quis majorem eorum numerum exquirat, id facili negotio præstari posse nos ipsi pollicemur.

XXII. Hujus sententiæ firmamentum in eo potissimum collocatur, quod de physico corpore non agitur, cujus partes ita necessario vinculo copulantur, ut totum penitus corruat, si una tantum præcipua sejungatur. De morali composito res est, a quo si una pars separetur, aut aliqua de causa cuipiam non convenire judicetur, salva tamen, & incolumis pars altera superest, quæ nequit sine ratione contemni. Inter hujusmodi composita divinum Officium numeratur; & si quis Matutinum, & Laudes ob aliquod necessarium impedimentum recitare non valeat, reliquas tamen partes exsolvere debet, uti Innocentii XI. auctoritate satis apparet, qui contrariam sententiam omnino proscripsit (3). Compositum ejusdem generis appellatur legitimum mandatum, quo in judicium certa die venire quis jubetur; si tamen per eam diem impeditus parere nequeat, alia die vadimonium obeundum a jure decernitur (4): *Præterea cum mandatur alicui, ut ad certum terminum se Judici repræsentet, duo sub hac forma mandantur, ut ad Judicem veniat, & ad diem sibi præfixam accedat, unde, si venire non possit ad diem assignatam, tenetur nihilominus se Judici præsentare.* Festorum dierum observatio eamdem habet compositi moralis conditionem, in quibus adesse Missæ Sacrificio, & ab operibus Servilibus abstinere præcipitur; si quis autem mortis discrimine, aut alio impedimento detentus ad Ecclesiam accedere non possit, non ideo tamen ab operum servilium cessatione liberatur.

XXIII. Postremo compositum morale jejunium dicitur, per quod semel tantum in die cibus sumendus, & a carnibus abstinendum; quæ partes inter se non adeo cohærent, & implicitæ sunt, ut si una præcidatur, alteram quoque corruere necesse sit; & sicut ab unica cibatione aliquam ob causam immunes, a carnium tamen abstinentia liberi non judicantur: ita e contrario statuendum est. Neque hæc duo simul conciliari posse ita difficile, atque arduum videbitur, ut omnem superet cogitationem. Id sane Pontificum Sixti VI., & Eugenii IV. Decretis clare offenditur, qui Carmelitis edendi carnes potestate facta per septem menses, quibus ex ipsorum instituto jejunare debent, jejunium tamen tunc temporis observandum præscripserunt. Alexander VII. extincta terrerrima peste in Edicto de Quadragesima, dies quatuor Romæ per hebdomadam edendis carnibus permisit, ea tamen conditione, ut iisdem diebus jejunium servaretur. Clemens XI. in suo Edicto pro Quadragesimæ observatione anno 1702. sententiam suam ita declarat: *Qui ob justam valetudinis causam cibos Quadragesimales adhibere urgent, si ipsorum loco lacticinia, & ova satis pro necessitate sufficere possint, non debent illis Medici carnes, licet salubres, permittere, nec iisdem illos vesci fas est, sed ovis solum, & lacticiniis uti, & jejunium colere; quod pariter ab iis observandum est, quibus edendi carnes salubres copia tribuitur.*

XXIV. Sed in Edicto anni 1704. aliisque ad finem usque præclari sui Pontificatus, cum pro verbo *tenentur*, quo usus antea fuerat, *teneantur* subrogaverit, palam indicavit, se Pontificia auctoritate non declarare, illis omnino jejunandum, quibus esus carnium permittitur; sed Episcopum Romanum agens, universos admonuit, qui suis Decretis subjecti essent, eam facultatem se nemini impertire, nisi simul cum carnibus jejunium conjungerent. Nos profecto hanc secundam opinionem complectimur, controversiam certo judicio dirimendam cæteris relinquemus. Contineri tamen haud possumus, quin a cibis Quadragesimalibus immunes hortemur plurimum, ut jejunium minime prætermittant, si præsertim crimen aliquod unquam patraverint, ut S. Gregorii verbis admonentur (5): *Sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur &c. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse.*

XXV. Quod si Confessarii, ac pietatis magistri forte intelligant, aut ipsi percipiant filios, ac domesticos Quadragesimæ præcepto non parere ob eam causam, quod eorum parentes, seu domini, facultate sibi ad carnes edendas comparata, duas mensas diversis dapibus instruere non posse dictitent, vehementer, ac libere hoc malum improbent; quod sane perniciosum est, & nullo modo ferendum. Etenim dubitari non potest ad alendos filios naturæ legibus parentes obstringi; quod etiam de dominis erga famulos dicendum est, si ita convenerint, isque victus præstandus est, qui Christianorum institutis omnino congruat. Quare nullius ponderis haberi debet excusatio, quæ a gravioribus sumptibus, vel a census tenuitate deducitur. Nam si frugi mensa, & salubri carnium genere solum utantur, uti fas est; si liberis, ac domesticis non raros, ac pretiosos pisces ad gulam irritandam, sed mediocris pretii ad pellendam esuriem inquirant, tunc præcepto facile satisfacient, sumptusque minores erogabunt, si cum illis, quos subire debent, dum præceptum negligunt, conferantur.

XXVI. In mentem quoque revocent Confessarii, quod in hac Diœcesi illud crimen nobis tantummodo condonandum reservatur, nempe, *Scandalosa solutio Quadragesimæ sine licentia in scriptis, necnon dolosa fides, seu dolosa licentia solvendi Quadragesimam per Medicos, aliosque Deputatos facta, sive concessa*; ex quo sequitur, ut hoc reservato crimine teneantur non modo qui facultatem ejusmodi postulant, neque obtinent (quod ita se habet, ac si ipsam consequuti non fuerint), sed illi pariter, qui temere eas permissiones testimonio confirmant, nec antea prudenter advertunt, utrum honestæ, & probabiles causæ satis adducantur. Theologicas lectiones consulto perpendimus, & præsertim de cæsibus reservatis tractatum, quem Theologus noster tradidit, & Clero explicavit; ibique hanc doctrinam, quam modo exposuimus, sapienter, & inconcussis argumentis corroboratam invenimus.

XXVII. Postremo, qui Quadragesimalem abstinentiam sequuntur, & qui legitima causa impediti, ab ipsa liberabuntur, meminerint hoc tempus ad agendam pœnitentiam proponi; ideoque peccati labes majori studio evitandas, pissque operibus curam magis impendendam: *Jejunas?* (ait S. Joannes Chrysostomus (6)) *demonstra mihi per ipsa opera. Qualia, inquis, opera? Si pauperem videris, miserere, si inimicum videris, conciliare; si amicum laudabiliter agentem videris, ne invideas; si mulierem videris speciosam, prætereas.* Idem monet S. Leo (7): *Non enim in sola abstinentia cibi fiat nostri summa jejunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur.* S. Gregorius Nyssenus hæc subjicit (8): *his necessaria victui suppedita tu, qui jejunas: erga fratres calamitosos benignus esto: quod ventri subtrahis, tribue esurienti.* Hæc Sanctorum testimonia ad illos pertinent, qui ab instituto Quadragesimæ non discedunt; pro illis vero, qui legitime hoc præcepto soluti sunt, S. Cæsarius Archiepiscopus Arelatensis his verbis utitur (9): *Pro eo, quod non potest quis jejunare, amplius debet erogare pauperibus, ut peccata, quæ non potest jejunando curare, possit eleemosynas dando redimere.* Eos pariter sic alloquitur S. Leo Magnus (10): *Nam, cum ii, qui nihil omittunt de humiliatione jejunii, sub sterili fatigatione desudent, nisi se eleemosynarum, qua possunt, erogatione sanctificent, dignum est, ut in alimoniam pauperum abundantior sit eorum largitio, quorum ad abstinendum minor est fortitudo.*

IN-

(1) *In suo libro de vera ratione valetudinis conservandæ.* (2) *In tract. de vitæ sobriæ commodis.* (3) *Propos.* 54.
(4) *Cap. cum dilecti de dolo, & contumacia.* (5) *In Homil.* 20. *de Evangeliis Tom.* 1. *op. col* 1519.
(6) *Homil.* 3. *ad populum Antiochiæ pag.* 51. (7) *In serm.* 41. *in Quadragesf.* 4. *cap.* 2. *tom.* 1. *pag.* 105.
(8) *In Oratione de benefic. in append. pag.* 236. (9) *In Homilia* 2. (10) *In serm.* 85. *cap.* 3.

## INSTITUTIO XVI.

*De facultate, qua Summus Pontifex lacticinii uti per Quadrageſimam permiſit: id Quadrageſimæ tempore ſimul cum eſu carnium interdici: ex quo fonte ab ovis, & lacticiniis abſtinentia dimanaverit: quam ob cauſam pluribus in locis minime ſervetur: quo pacto conceſſa facultate uti debeamus.*

I. QUemadmodum carnes, ſic etiam lacticinia, & ova Quadrageſimæ tempore prohibentur, quod S. Thomæ, aliorumque Theologorum doctrina comprobatur: (1) *Inter alia jejunia ſolemnius eſt Quadrageſimale jejunium, tum quia obſervatur ad imitationem Chriſti, tum etiam quia per ipſum diſponimur ad redemptionis noſtræ myſteria devote celebranda, & ideo in quolibet jejunio interdicitur eſu carnium; in jejunio autem Quadrageſimali interdicuntur univerſaliter etiam ova, & lacticinia, circa quorum abſtinentiam in aliis jejuniis diverſæ conſuetudines exiſtunt apud diverſos, quas quiſque obſervare debet ſecundum morem eorum, inter quos converſatur.*

II. Inter cæteras calumnias, quibus nefarius Photius Orientalis ſchiſmatis auctor Latinam Eccleſiam labefactare contendit, illud impudenter evulgavit, quod ova, & lacticinia per Quadrageſimæ jejunium permitteret, uti ex Epiſtola 70. Nicolai I. ad Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum, aliosque Galliarum Epiſcopos plane cognoſcitur: *Reprehendere nos moliuntur Græci, eo quod ſeptem ante Paſcha hebdomadibus a caſei, & ovorum eſu more ſuo non ceſſemus.*

III. Itaque certa lege per Quadrageſimæ dies non modo carnes, ſed ova pariter, ac lacticinia interdicuntur: In eo ſolum omnis diſputatio conſtituitur, utrum ad veterem conſuetudinem, an ad jus poſitivum id referatur. Juri tribuendum nonnulli exiſtimant, adducti reſponſione S. Gregorii ad S. Auguſtinum Angliæ Apoſtolum, quam *Canon denique diſt.* 4. commemorat: *Par autem eſt, ut nos, qui his diebus a carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis trahunt originem jejunemus, a lacte videlicet, caſeo, & ovis.* Inſuper Trullani Concilii in medium proferunt auctoritatem, quod anno 681. coactum Canone 56. ita decernit: *Viſum eſt ergo, ut omnis Dei Eccleſia quæ eſt in terrarum orbe, unum ordinem ſequens, jejunium perficiat, & abſtineat, ſicut ab omni mactabili, ſic ab ovis, & caſeo, quæ quidem ſunt fructus, & fetus eorum, a quibus abſtinemur.* Quamvis autem illud Concilium Eccleſia Romana legitimum numquam habuerit, aſſerunt tamen univerſam doctrinam, quæ in ipſo continetur, improbatam non fuiſſe, ſed partem aliquam, & eam preſertim, de qua ſermo eſt, integram, fidei conſentaneam, ſolidamque judicari; non quod tradita ſit ab illis Epiſcopis haud rite congregatis, ſed quod a vetuſtioribus Eccleſiæ Patribus, & Conciliis ad nos eadem doctrina dimanaverit.

IV. Alii vero arbitrantur ejuſmodi abſtinentiam non poſſe alia ratione, quam diuturna conſuetudine confirmari. Nam S. Gregorii verbis conſilii vim ſolum concedunt, non præcepti; Trullano autem Concilio nullam fidem habendam affirmant. Cum tamen hanc abſtinentiam conſuetudini acceptam retuliſſent, ac deinde perſcrutari cœptum eſſet, an ipſa legem induceret, vel ſaltem utrum cognita ſatis lex ejuſmodi perſpectaque foret; Alexander VII. inter cæteras hanc ſententiam proſcripſit (2) *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.*

V. Non ignoramus, regiones quaſdam in Septentrione poſitas ovis, & lacticiniis uti, quod crebris aſſiduiſque immunitatibus Romanorum Pontificum liberalitate conceſſis tribuendum eſt: illas deinde populi, pluribus annis interjectis, cum Pontifices rem diſſimularent, vel ſcienter paterentur, in privilegium, ut ait Baillet (3), perpetuamque facultatem converterunt. Hæc autem immunitas iis potiſſimum cauſis innititur, cæli intemperie, diverſa corporum habitudine, earumque regionum indigentia, ita tamen, ut medium quoddam iter inſiſtant, & abſtinentiam, qua poſſunt ratione, ſequantur. Non aliter, cum Imperator Heraclius pro victoria, quam deinde de Choſroa conſecutus eſt, votum Deo nuncupaſſet indicendi abſtinentiam populis ſibi ſubjectis die dominico Sexageſimæ, totaque illa hebdomada, in Græcam Eccleſiam motem induxit, ut per illud tempus interdictis carnibus, ovis, ac lacticiniis ſolum uteretur: *Eam quippe* (ſic habetur in Triodio Græcorum, ubi de abſtinentia illius hebdomadæ ſermo ſit) *referunt Imperatorem Heraclium, cum prius carnes in ea comederentur, abſtinentiæ diebus aggregaſſe, & ſolius caſei in ea deguſtandi licentiam feciſſe. Continuis quippe ſex annis cum Choſroa dimicans, Deo voviſſet, ut, ſi adverſus eum prævaleret, licentiam carnes in hac hebdomada comedendi mutaret, eamque mediam inter jejunium, & delicioſas epulas conſtitueret.*

VI. Non ſemel Romani Pontifices legitimis cauſis adducti ſuæ auctoritatis beneficium in noſtræ Italiæ populos benigne contulerunt, liberaliter aſſentientes, ut ovis, ac lacticiniis per Quadrageſimam veſcerentur. Cæteris omiſſis, in mentem quilibet revocare poteſt, noſtræ Civitati, ac Diœceſi id contigiſſe Benedicti XIII. beneficio, cum hujus Eccleſiæ adminiſtratio a Cardinali Jacobo Boncompagno gereretur.

VII. Simili incitatus exemplo, qui publicæ ſaluti conſervandæ præpoſitus eſt, ſapienter expendit, non mediocre detrimentum per Quadrageſimæ tempus ex piſcibus, oleoque futurum, cum diuturnis epiphoræ incommodis, ac tuſſi corpora jampridem debilitata fuerint, iiſdem morbis adhuc conflictentur, cum nondum cæli corrupta temperies ſatis expurgata ſit. Igitur pro illorum etiam conſilio, qui in hac Civitate medendi laude magis commendantur, nobis etiam probantibus qui univerſa, quæ vel ipſi vidimus, vel auditu deprehendimus, aperte declaravimus, Pontificem feliciter regnantem idem magiſtratus rogavit, ut eadem facultate, quæ anno 1730. tradita fuit, hæc Civitas frueretur. Cum vero Pontifex in proximos Quadrageſimæ dies ipſam benigne impertiverit certis quibuſdam terminis circumſcriptam, ut inferius explicabimus, atque litteris continetur Eminentiſſimi Cardinalis Pontificiæ ditionis Miniſtri, & ſanctioris Conſilii a Secretis, quas die 7. labentis menſis ad nos ſcripſit; hinc auctoritate Apoſtolica, quæ nobis demandata eſt, hoc Decretum promulgamus.

VIII. Quamobrem eadem auctoritate fulti univerſis in hac Diœceſi, vel Civitate degentibus facultatem concedimus, ut in futura Quadrageſima ovis, ac lacticiniis veſcantur; exceptis quatuor Temporum, ac majoris Hebdomadæ diebus, nempe a Dominica Palmarum uſque ad Sabbatum ejuſdem hebdomadæ. Illud tamen declaramus, neminem per hanc facultatem a jejunii legibus abſolvi.

IX. Idque poſtremum in Epiſtola Cardinalis ejuſdem, cujus ſupra meminimus, aperte præcipitur. Reliqua vero clare explicantur in Pontificiis litteris, quæ pro facultate anno 1730. conceſſa a Benedicto XIII. datæ fuerunt, & a Cardinali Boncompagno promulgatæ.

X. Tantam æquitatem præſeferunt hujuſmodi declarationes, ut nihil addi poſſe videatur. Cum enim de lacticiniis, atque ovis agitur, omnis aditus illi diſputationi occluditur, quam a nonnullis propoſitam nos ſuperius indicavimus, nempe jejunii legibus ſolutum eſſe, qui edendi carnes poteſtatem obtinuerit; cum jejunium ipſorum ſententia *unicam comeſtionem, & abſtinentiam a carnibus* compleatur. Ita recte Pater Viva, cum propoſitionem trigeſimam ſecundam ab Alexandro VII. damnatam accurate perpendit. Inſuper in alio noſtro Decreto de quatuor Temporum jejunio ſatis ſuperque ſermonem inſtituimus. Nihil igitur ſupereſt, niſi pauca afferre de illo jejunio, quod per Majoris Hebdomadæ dies oleo, ac piſcibus agendum præſcribitur.

XI. Satis autem eſt, ſi mentem, animumque convertamus ad eam ſeveritatem, qua majores noſtri per hoc tempus jejunium colebant, licet numero, & gravitate minores culpas admiſerint. Nos nihil afferemus, niſi quæ Sanctiſſimi Patres memoriæ tradiderunt, cum inuſitata prorſus, fidemque omnem excedere videantur: *Quandoquidem* (ait S. Dionyſius Alexandrinus (4)) *nec ſex jejuniorum dies æquali, aut ſimili tolerantia omnes perferunt; ſed alii quidem vel omnes tranſmittunt jejuni permanentes, alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum.* Idem fere ſcriptum reliquit S. Epiphanius (5): *Præterea ſex illos Paſchatis dies Xerophagiis, hoc eſt arido victu tranſit omnis populus ſolet hoc eſt panem dumtaxat cum aqua ſub veſperam adhibere*, & paulo poſt: *Jam vero nonnulli ad biduum, vel triduum, quatriduum uſque jejunia prorogant, alii totam hebdomadam ad uſque Dominicæ ſequentis gallicinium ſine cibo tranſmittunt &c.*

IN-

(1) 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 8. *ad tertium.* (2) *Die* 18. *Martii* 1666. *num.* 32. (3) *In hiſtor. Quadrageſ.* §. 5. *de Vit. Sanctorum tom.* 4. (4) *In Epiſt. ad Baſilidem Can.* 1. (5) *In expoſitione Fidei cap.* 29.

## INSTITUTIO XVII.

*De residendi lege illis indicta, qui Beneficium possident cum animarum cura conjunctum; utrum jure Divino id decernatur; quid senserint, & statuerint Sacra Tridentina Synodus, SS. Pontifices, & plures Episcopi: hoc non intelligi de materiali solummodo residentia; cujus naturæ sit hoc præceptum; causæ veræ, ac stabiles, ut quis residentiæ lege liberetur; Sac. Congregationis Concilii judicium de absentibus; & de illis, quibus hæc facultas immerito denegetur, licet jam postulaverint, vel legitimis de causis postulare non potuerint; Quid ipsi agere debeant, ut suo muneri satisfaciant; quomodo Parochi suis administris, & Tridentini Concilii æquitate uti debeant. Quid a Parochis tum Civitatis, tum Diœcesis perficiendum sit, si forte discedere cogantur. De Parochis prope Civitatem degentibus, de frequentibus, & incongruis facultatibus, quas sibi usurpare solent; quo pacto Parochus mulctari debeat; qui absque facultate extra Parochiam deprehendatur; De diebus quibus illis numquam est recedendum.*

I. PRopositum fuit, & magnopere disputatum in Tridentina Synodo sub Paulo III., ac deinde sub Pio IV., utrum qui Beneficia curata consequuti essent, ad residentiam jure Divino tenerentur, uti Cardinalis Sfortia Pallavicinius in sua historia aperte commemorat.

II. Hæc autem controversia ad finem perduci non potuit, sed usque in hanc diem vehementer agitatur.

Et quamquam præstantissimi Theologi, & Canonistæ partes affirmantium gravissime tueantur ea de causa, quod adjumenta eorum, quæ ad finem aliquem obtinendum necessario requiruntur, eadem lege præscribi dicenda sint, qua finis ipse præscribitur (1).

III. Nos tamen, ad quos minime pertinet hanc litem dirimere, quorumdam Patrum ejusdem Concilii sententiam summopere probamus; nempe omni studio, ac diligentia curandam esse, ne Rectores animarum a suis longe sedibus se detineant, idque utilius est, quam fontem perscrutare, ex quo necessitas ejusmodi dimanaverit.

IV. Tridentina Synodus (2) Paulo III. Pontifice decrevit, ut Episcopi suis sedibus morarentur. Deinde Pio IV. Pontifice (3) pœnas in Episcopos, qui longe a suis sedibus abesient, in primum restituit, & magis amplificavit, eosque lethali culpa devinctos pronunciavit. Insuper hanc legem imposuit, ut fructus absentiæ tempore perceptos pro Ecclesiæ utilitate, aut egenis sublevandis impenderent, licet nulla Judicis sententia intercesserit. Parochos, qui in ejusmodi crimen laberentur, iisdem pœnis complectitur: *Eadem omnino etiam quod culpam, amissionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent.* Tandem quodlibet statutum, privilegium, & consuetudinem huic Decreto adversantem penitus abrogat, *Quæ potius corruptela censenda est.*

V. Idem Pontifex Pius IV., postquam Tridentinam Synodum confirmavit, ut studium, ac voluntatem palam ostenderet, qua hujusce legis observationem ab Episcopis, & Parochis expetebat, constituit (4); ut qui testamentum condere, & Ecclesiastica bona in alios conferre possunt, hac facultate omnino careant, si extra suas sedes, quas incolere debent, ex hac vita migraverint, eaque bona Cameræ Apostolicæ tribuantur. S. Pius V. decrevit a Parochia excedere non posse, qui simul Canonici titulum, ac dignitatem obtineat (5). Nullum modum habeat oratio, si Romanorum Pontificum, vel etiam Episcoporum universas pro hac re sanctiones enumerare velimus. Itaque plurimis omissis, satis erit Epistolam afferre, quæ ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos a Sac. Congregatione Concilii jussu Clementis XI. scripta est, ac in ejusdem Pontificis Bullario excusa continetur. Ea sane Præsulum animos vehementer inflammat, ut ad commorandum suis in sedibus illos excitent, qui curam animarum susceperunt. Neque præterire fas est, quæ in Concilio Romano a Benedicto XIII. præscripta fuerint, & quæ Decessores nostri in suis Synodis observanda proposuerint; ac postremo quæ in conventione inter Capitulum, & Clerum hujus Civitatis, & Apostolicam Cameram anno 1710. habita aperte leguntur. Quamvis enim pro immunitate spoliorum, ut ajunt, pecuniæ summa, quæ superioribus temporibus decreta, ac deinde aucta fuit, quotannis solvatur; tamen nihil aliud impetratum est, quam ut a spoliis censeantur immunes, qui residentiæ vinculo obstricti, longe a suis sedibus vitam absolvant, dummodo a S. Congregatione Concilii, vel ab Episcopo facultatem obtinuerint, priusquam locum suum deserent, vel repentino mortis casu perculsi eandem veniam consequi non potuerint.

VI. Præterea advertendum hic est, ut quis residentiæ legem impleat, quam Tridentinum Concilium, ac Summi Pontifices tantopere commendant, atque præcipiunt, haudquaquam satis esse, si corpore solum interfit, in desidia tamen versetur, vel tantum leviora munera sibi desumat, reliqua vero ministris committat. Residentiam quippe non cum inertia, sed cum laboribus conjungendam esse Tridentina Synodus jubet, ut a Patribus Aquilejensis Concilii anno 1596. coacti recte perpenditur: *Quod de residentia a Sacro Tridentino Concilio, & Summorum Pontificum Constitutionibus cautum est, hoc non est intelligendum, ut præsentia assideant, nihil præterea agant, cum ex Sacris Canonibus residentia sit accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa.* Quidquid sit de ea quæstione, utrum pœna restituendi fructus in eos, qui longe a suis sedibus morantur, constituta, illos quoque Parochos complectatur, qui præsentia solum assident, nullaque causa impediti otio marcescunt, cum eos nonnulli ab eadem pœna liberos existiment; illud tamen certum est desides ejusmodi Parochos lethali crimini obnoxios esse, & a Præside pro culpæ gravitate plectendos, uti Anacletus optime perpendit (6).

VII. Fatemur sane residentiæ præceptum inter affirmativa, non autem negativa, ut ajunt, numerari. Hinc sive a Divino, sive a Pontificio jure dimanet, legitimæ causæ offerri possunt, quibus adducti Ecclesiæ Præsides ab onere residentiæ Parochos immunes declarare, ac reddere valeant. Quin etiam contingere potest, ut aliquando nullatenus ipsi hoc præcepto teneantur. Hæ potissimum causæ afferuntur a Tridentina Synodo (7), quæ immunitatem ejusmodi permittunt, videlicet Christiana charitas, urgens necessitas, obedientia, & postremo, si certa utilitas ex eadem absentia vel in Ecclesiam, vel in Rempublicam derivetur. Cum vero de Episcopis agitur, licet nulla ex his causis, sed alia honesta ratio adducatur, ipsis tamen, ut quotannis per duos, aut tres menses longe ab Episcopali sede se detineant, facultas conceditur. Quoad Parochos vero, ut a suis sedibus absentes similiter esse possint, facultas ab Episcopo prius obtinenda est, sicut ab eodem Concilio præcipitur, ex quo inter Parochos, & Episcopos hoc discrimen constituitur, ut ipsi nempe de æquitate causæ, per quam trium mensium absentiam sibi tribuunt, cognoscant, ac judicent. De Parochis autem hæc Concilium decernit: *Ita tamen, ut quandocunque eos, causa prius per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.*

VIII. Quamquam hæc verba perspicue satis intelligantur, si quis tamen accuratam explicationem expeteret, ad præclarissimum Fagnanum confugiat (8). Quod si Sac. Concilii Congregationis sententiam aliquis exquirat, quæ sola idem Concilium interpretari potest, suæ penitus cupiditati satisfaciet, si Decreta percurrat, quæ subjiciuntur.

IX. Primum contigit anno 1573., & libro primo Decretorum pag. 131. continetur: *An Parochi ab Ecclesiis suis abesse possint per duos menses sine licentia Episcopi? Facit, quod notat Paris de Puteo in tract. Sindicatus in cap. Licentiam num. 1. vel 2. tract. fol. 394. Sac. Congregatio censuit, non posse.*

X. Aliud Decretum ejusdem anni lib. 1. Decretorum pag. 202. habetur his verbis.

*Illustrissimi, & Reverendissimi Domini.*

*Sunt multi Rectores in Diœcesi Toletana, qui prætendunt juxta formam Concilii Tridentini sess. 23. cap. 1. de Reformat. posse per aliquod tempus singulis annis a suis Parochiis abesse absque superiorum Superiorum licentia, dummodo legitimæ absentiæ causæ rationem proponant, & ita, quia quamplurimi gravissimi Doctores tam Theologi, quam Canonistæ sentiunt, aliqui ex prædictis Rectoribus usi sunt absque Superiorum licentia pro suis negotiis gerendis per aliquod tempus, non tamen ultra duos menses, suas Parochias relinquere, tradita tamen quoque prius alicui idoneo Sacerdoti cura animarum, & administrationis Sacramento-*

(1) *Cajetanus. 2. 2. quæst. 185. art. 3. Sotus de justitia, & jure lib. 10. quæst. 3. art. 1. & 2. Vasquez in Opusc. Moral. in tract. de Benefic. cap. 4. §. 2. dub. 1. Fagnanus in cap. ex parte n. 20. & seqq. de Clericis non residentibus. Gonzales in cap. relatum n. 4. & seqq. eadem tit. Covarruv. variar. lib. 3. cap. 13. n. 9. Cabassut. in theor. & prax. juris Canon. lib. 5. cap. 1. n. 1.* (2) *Sess. 6. cap. 1. de reformatione.* (3) *Sess. 23. cap. 1.* (4) *Constitut. 91.* (5) *Constitut. 65.* (6) *Tit. Decretal. de Clericis non residentibus §. 3. n. 85. & duobus seqq.* (7) *Supracitato cap. 1. sess. 23. de reformatione.* (8) *Cap. Relat. n. 15. & seqq. de Clericis non residentibus.*

*mentorum, quibus non obſtantibus prædicti Rectores, quoties id faciunt, a Vicariis ſevere puniuntur. Quapropter, ne aliqua injuſta conſuetudo introducatur, ſupplicant humiliter ab Illuſtriſſimis DD. VV. Rectores præfati, quatenus prædictum dubium in Sacra Congregatione Concilii Tridentini proponere dignentur, ut, quod in præmiſſis tenendum ſit, pateſiat, ne amplius in præfata dubitatione verſentur.*

*Sacra Congregatio cenſuit, non potuiſſe, niſi cauſa cognita, & probata ab Ordinario, & ab eodem in ſcriptis obtenta licentia.*

XI. Sed quoniam evenire poteſt, ut quis improviſa neceſſitate adductus, diſcedendi veniam expoſcere nequeat, vel etiam facultatem a ſuo Præſide conſequi difficile ſit, quamvis antea petita fuerit, & ea ſimul cauſa producta, quæ probanda omnino videatur, ideo Sac. Congregatio decrevit, ut, qui feſtinanter exceſſit, quamprimum poterit Epiſcopum de ſuo diſceſſu certiorem faciat, & diſcedendi neceſſariam cauſam declaret. Qui vero ratione nulla facultatem ejuſmodi ab Epiſcopo valeat exprimere, ad eos ſe convertat, ad quos pro negotio expediendo confugiendum eſt. Illud cavendum innuit Sac. Concilii Congregatio non ſufficere facultatem tacitam, ſed expreſſam requiri, ſicut ex Decreto die 7. Octobris anni 1604. plene confirmatur (1): *Sacra Congregatio cenſuit, ſolam diſtantiam loci etiam cum æqua cauſa diſcedendi non excuſare Parochum, ut poſſit abeſſe a ſua Eccleſia ſine licentia in ſcriptis obtenta, niſi talis neceſſitas repente ſe offerat, quæ non patiatur dilationem hujuſmodi licentiam petendi, quo caſu quamprimum de diſceſſu, & de neceſſitate Ordinarium certiorem faciendum eſſe, ut de cauſa cognoſcere poſſit.*

*Nec Parochum habentem juſtam cauſam abeundi extra Parochiam per duos menſes, aut tres ſatisfacere ſuæ conſcientiæ, ſi petat licentiam jurant gravem ſe habere cauſam, quam non expediat manifeſtare, ut ſic petita licentia abeſſe poſſit, licet Epiſcopus non concedat. Similiter abeſſe non poſſe in caſu, quo cauſam rationabilem expreſſit, quam vir bonus, & æquus rationabilem judicaret, licet rigidus Prælatus minus æquam judicat, & licentiam denegat, vel quia movetur ſuſpicione, quæ ficta ſit, cum tamen ſit vera, ſed habere poſſe recurſum ad Superiorem.*

*Nec poſſe per hebdomadam abeſſe non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo ab ipſo Ordinario approbato.*

*Nec eſſe liberum a culpa, & a pœna amiſſionis fructuum, qui veluti per quatuor menſium ſpatium ex urgenti admodum curandam ſuam valetudinem morbo gravi inſtante receſſit, & ad hujuſmodi abſentiam non petiit licentiam ab Epiſcopo, quia bona fide putavit evidentiam cauſæ ſatis eſſe, niſi periculum fuiſſet in mora petendi licentiam, ut ſupra dictum eſt. Nec ſufficere licentiam, tacitam, ſed oportet eſſe expreſſam juxta formam ejuſdem Concilii ſeſſ. 23. cap. 1.*

XII. Ex hac poſtrema ſententia illud conſequitur, quod in ſuperioribus reſponſis minime conſtitutum fuerat, & quod his verbis a Fagnano explicatur (2) *Hinc Sacra Congregatio cenſuit, non poſſe Parochos etiam per duos menſes, immo nec per hebdomadam abeſſe abſque licentia Epiſcopi, quæ cauſa cognita, & in ſcriptis concedenda eſt.* Idem præclarus Auctor, qui plurium annorum ſpatio ejuſdem Sac. Congregationis a Secretis fuit, teſtatur, quod non ſemel *Etiam Sacra Congregatio permiſit, ut in caſibus repentinis pro abſentia modici temporis ſufficeret licentia Vicarii Foranei* (3). Idem Thomaſſinus advertit, qui in iis libris, quos de nova, ac veteri diſciplina conſcripſit, Fagnanum veluti Magiſtrum ſequutus eſt (4). Diverſæ opiniones aſſeruntur de illis Parochis, qui per duos, aut tres profecto dies abſint, ſi tamen aliquem pro animarum cura ſufficerint; aut etiam de illis, qui nemine in ſuum locum ſubrogato per unum diem ab Eccleſia diſcedant. Quare, ut ſibi tutius unuſquiſque conſulat, eorum conſilium probandum præ cæteris videtur, qui rem ex peculiaribus cujuſcumque Diœceſis inſtitutis definiendam arbitrantur; ita Anacletus (5), & Schmalzgrueber (6) unanimes conſentiunt.

XIII. Ut id aſſequamur, quod decernere propoſuimus, alias ejuſdem Sac. Congregationis ſententias in medium proferre opus eſt, quæ peculiares cauſas complectuntur, quibus adducti nonnulli exiſtimant facultatem diſcedendi ſe expoſcere, & obtinere merito poſſe.

XIV. Aliqui, ut Parochiæ ſtationem deſerant, parum ſalubrem cœli temperiem, alii ſenectutis incommoda, nonnulli denique exiguum Parochianorum numerum, quibus proximus Parochus ſatis conſulere poteſt, ſufficere pro certo habent. Quoad primum die 7. Julii anno 1646. (7) *Sacra Congregatio reſpondit aeris intemperiem non excuſare Parochum a reſidentia.* Epiſcopo tamen permiſit diſcedendi veniam Parocho impertiri, ſi in gravem morbum inciderit, nec ullus in eo loco medendi peritus adſit, cujus ope priſtinam ſanitatem recuperet. Regienſis Epiſcopus ad Sac. Congregationem prolixam dedit epiſtolam, qua præter cætera illud poſtulat, utrum, ſi aliqua Parochia ſub tanta cœli inclementia conſtituta ſit, ut nemo, niſi indigena in eadem ſede abſque vitæ diſcrimine immorari poſſit, utrum, inquam, alibi degere Rectori licet, anno 1573. (8): *Sacra Congregatio cenſuit non poſſe. Si tamen Rector infirmus eſſet, & in loco Parochiali curari non poſſet defectu Medicorum, vel medicinarum, tunc poſſe ab Ordinario dari dilationem trium, aut quatuor menſium, ut in locis vicinioribus maneat recuperandæ ſanitatis cauſa, poſito interea ab ipſo Ordinario in Parochiali idoneo Vicario cum congrua portione ex redditibus ejuſdem Parochiæ.*

XV. Immo, cum nonnulli anno 1674. palam improbarent facultatem ejuſmodi, quam Archiepiſcopus Avenionenſis tribuerat, Sac. Congregatio die 24. Novembris ejuſdem anni (9) cauſam Archiepiſcopi ſuſtinuit, & confirmavit: *Joannes Franciſcus Maria Rouſſet unus ex duobus Canonicis Curatis, febricula & tuſſi identidem recurrentibus, aliiſque laborans habuit a duobus Medicis atteſtationem, quod ei erat perneceſſarium per aliquot menſes, vel annum aeris Avenionenſis inclementiam deſerere, ac talis atteſtationis vigore obtinuit ab Archiepiſcopo licentiam non reſidendi ad quatuor menſes, relicto idoneo Vicario per eumdem Archiepiſcopum approbato: ſed, quia impugnat alter Concuratus, & alii Canonici, qui ad hanc Sacram Congregationem appellarunt. Orator citato Promotore adverſariorum ſupplicat declarari, an talis licentia juſtineatur, & ſit confirmanda: Sacra Congregatio reſpondit, juſtineri.*

XVI. Neque ſenilis ætas, neque exiguus Parochianorum numerus Rectores ab onere reſidentiæ valent eximere, ſicut die 6. Aprilis anno 1647. (10) fuit conſtitutum: *Sacra Congregatio reſpondit, nec ætatem ſenilem, nec malam valetudinem excuſare Parochum a reſidentia perſonali.* Inſuper die 3. Octobris anno 1761. idem decretum fuit: (11) *Bernardus Monuzzi Parochus Fognani petit eximi a reſidentia ſtante parvo numero familiarum, cui vicinus Parochus ſupplebit: Sacra Congregatio cenſuit non eſſe annuendum.* Idem Fagnanus confirmat (12) *Sacra Congregatio conſulta, an Parochus teneatur reſidere, etiam ſi eſſent in illa Parochia tres tantum, vel quatuor incolæ, reſpondit, teneri.*

XVII. Inſuper, cum nonnulli Parochi Urbis vicinitate illecti majorem anni partem in illa traducerent, eam rem Sacra Congregatio improbavit, licet Sacerdos ſubrogaretur, qui, ſi forte aliquid contingeret, præſto eſſet, operamque ſuam impenderet. Ita reſponſum fuit die 16. Januarii anno 1638. (13), atque iterum die 24. Maji anno 1670. (14).

XVIII. Sed magis perſpicue die 10. Maji anno 1687. decretum id fuit, cum Sacra Congregatio ad Epiſcopum Fulginatem reſpondit iis potiſſimum verbis; *Ad eliminandos plures abuſus, quos reſidentiam Parochorum in ſua Diœceſi irrepſiſſe refert Epiſcopus, ſupplicat ab hac Sacra Congregatione declarari:*

*Primo, an Rectores Eccleſiarum Parochialium a Civitate diſtantium per duo, tria, aut quatuor milliaria circiter poſſint ſine expreſſa Epiſcopi licentia abeſſe a ſuis Eccleſiis Parochialibus, relicto ibidem Subſtituto ab eis deputato, & in Civitate tam diurno, quam nocturno tempore jugiter commorari, exceptis ſolis diebus feſtis, in quibus ad dictas Eccleſias ſe conferunt, revertentes illico ad Civitatem.*

*Secundo, an Parochi, qui nocturno cæteroquin tempore reſident apud ſuas Eccleſias, poſſint, celebrata ſummo mane Miſſa in dictis Eccleſiis, ſe conferre ad Civitatem, & in ea diuturno tempore totius, vel majoris partis anni commorari, licet apud dictas Eccleſias adſint eorum Subſtituti.*

*Tertio, an dicti Parochi, qui cæteroquin diurno tempore reſident apud ſuas Eccleſias, poſſint nocturno tempore totius, vel majoris partis anni commorari in Civitate, licet apud dictas Eccleſias adſint eorum ſubſtituti.*

Sa-

(1) *Lib. 10. Decretorum pag. 100.* (2) *Cit. cap. Relatum num. 32. de Clericis non reſidentibus.* (3) *Num. 42.*
(4) *Lib. 3. part. 2. cap. 34. ſub num. 17. de Beneficiis.* (5) *Tit. Decretal. de Clericis non reſidentibus §. 3. a num. 78. uſque ad num. 84.* (6) *Eodem tit. §. 1. num. 19.* (7) *Lib. 18. Decretorum pag. 164.* (8) *Lib. 1. Decretor. pag. 51.*
(9) *Lib. 28. Decretor. pag. 395.* (10) *Lib. 18. Decretor. pag. 329.* (11) *Lib. 27. Decret. pag. 229.* (12) *Cap. extirpandæ §. qui vero, num. 11. de præbendis.* (13) *Lib. 15. Decretor. pag. 649.* (14) *Lib. 26. Decretor. pag. 346.*

*Sacra Congregatio respondit ad primum, secundum, & tertium negative.*

XIX. His veluti fundamentis inniti volumus, quæ inferius decernemus; maximi vero facienda illa sunt, cum ex Sacra Tridentina Synodo, uti cognosci facile potest, vel ex Sac. Congregationis sententiis deducantur, ad quam unice spectat juxta Pontificum diplomata, eamdem Synodum interpretari, tradita quoque facultate, ut optimam morum disciplinam per universum Catholicum Orbem excitet, ac tueatur. Hæ vero sententiæ, quas commemoravimus, ex illis minime libris decerptæ sunt, quorum Scriptores ne viderunt quidem volumina, in quibus Sac: Congregationis acta continentur. Nos ipsi eas collegimus, qui eadem acta per tot annos versavimus, cum pro nostra imbecillitate Secretarii munere fungeremur.

XX. Ut ad rem veniamus, primum omnium vehementer edicimus Parochis, iisque omnibus, qui curæ animarum præpositi sunt, Sacerdotibus nempe, qui Ecclesiis subsidialibus addicti sunt, ut suis assiduo sedibus immorentur, nec præsentiam tantum, sed operam strenuam pro Domini vineæ utilitate præstent. Qui adjutorem habent, meminerint illum esse ministrum, quo uti possint, non ita tamen, ut omnem populi curam & custodiam in ipsum rejiciant, ut a nonnullis in more positum non sine magno animi nostri dolore percipimus. Bonhomus Vercellensis Episcopus, ac Sedis Apostolicæ apud Imperatorem Legatus, qui Pontificum jussu plurimas Diœceses perlustravit, libellum in lucem edidit, qui varia Decreta super Ecclesiastica Reformatione complectitur. Inter ipsa hoc numeratur (1): *Secum ipsi recogitent, parum esse personaliter residere ut Canonum pœnæ evitentur, nisi etiam ipsimet munera sibi suæque fidei, & curæ credita omni præstent religioso officio, ac caritate, ut divinam effugiant ultionem: Quamquam igitur Coadjutores habere eis licet, immo vero, ubi frequentia populi id exigit, necesse est, ipsi tamen per se ipsos populum sibi in curam, custodiamque traditum pascere ne recusent, negligantve.*

XXI. Secundo: si Urbis Parochi firmandæ valetudinis gratia in agros ubi salubrior est aura se conferre debeant, faciles, & humanos Nos invenient, dummodo Medicorum testimonium proferatur, & alius Sacerdos administer eorum loco statuatur, quem Nos ante saltem pro audiendis Confessionibus probaverimus. Eam tamen conditionem imponimus, ut facultatem discedendi scriptam vel a Nobis, vel a nostro Generali Vicario prius obtineant; quod non solum ob rei ipsius æquitatem præcipitur, uti superius dictum est, sed etiam ( si tunc forte, cum longe absunt, occumbant ) quia pecuniam pro immunitate spoliorum pactam nequidquam ante persolvissent, eorumque bona ad Cameram Apostolicam pertinerent, uti ex conventione supra memorata satis declaratur.

XXII. Tertio: eadem æquitas Diœcesanis Parochis a Nobis præstabitur, qui in iis locis degunt, ubi Medici copia non est, licet ante discessum de contracto morbo, aut de necessitate alio migrandi testimonium non exhibeant. Pari utemur indulgentia, si repentino casu compulsi discedere cogantur priusquam a Nobis, vel a nostro Generali Vicario veniam petierint, vel assequuti fuerint, modo tamen idoneum Sacerdotem pro Confessionibus audiendis saltem probatum ante discessum suo loco ad regimen constituerint; modo etiam cum Bononiam advenerint, aut alio, ubi valetudinem curent, facultatem exposulent, quæ scripta dabitur, si Vicarius simul Foraneus enarret migrandi necessitatem, & ejus Presbyteri dotes significet, ubi suffectus fuerit.

XXIII. Quarto: præter morbum, & alio migrandi necessitatem pro recuperanda valetudine, si alia legitima ratio afferatur, ob quam Urbani, ac Diœcesani Doctores discedere debeant, ne ipsos Tridentini Concilii æquitate fraudemus, aut mensium divisione, quæ ab eodem Concilio permittitur, ubi causam ostenderint, eaque Nobis, vel Generali Vicario probetur, ipsorum commodo venia tribuetur, quæ ob allatas causas scripto exarabitur; ea tamen conditione, ut Presbyterum subrogent, qui suo munere fungatur. Quod spectat ad absentiam vel unius diei, nulli Parocho sive Diœcesano, sive Urbano permissum esse volumus, ut stationem suam deserat, nisi Sacerdoti partes suas demandaverit, qui, si casus inopinatus tulerit, absentis Pastoris vicem præstare valeat. Si vero ad triduum absentia protrahenda sit, præter onus sufficiendi alium Sacerdotem, etiam decernimus, ut Urbani Rectores facultatem scriptam a Nobis, sive a Vicario nostro Generali prius obtineant; Diœcesani autem a Vicario Foraneo, cui subjecti sunt: ita ut, si prorogationem ultra triduum velint, ipsam a Vicario nostro Generali impetrare debeant, priusquam triduum absolvatur. Quoniam vero Vicarii Foranei Rectores animarum plerumque sunt, absentiam vel unius diei ipsis quoque interdicimus, nisi Sacerdotem ad Confessiones audiendas saltem approbatum suo loco statuerint, qui si occasio ferat apte decenterque Sacramenta administret. Insuper si discedentes a Parochia Bononiam minime veniant longe ab eorum Sede tridui spatium præterire non liceat, nisi facultatem a Parocho seniore Plebanatus antea acceperint, quæ deinde a Nobis, aut a Vicario nostro, si legitima causa afferatur, scripto prorogabitur. Si vero Bononiam advenerint, nos illico, aut Vicarium nostrum adire teneantur, ut discedendi rationem patefaciant, & necessariam facultatem a Nobis obsignatam consequantur. Vicarios tamen Foraneos, eosque Parochos hac sanctione minime complectimur, quibus aliquod negotium a Nobis demandatum fuerit, quod perfici nullo modo possit, nisi a Sede Parochiali longe immorentur. Tunc enim facultas cum ipso mandato conjungitur; satisque erit, si animarum regimini per idoneum Sacerdotem consulant, qui pro audiendis Confessionibus probatus sit.

XXIV. Postremo Diœcesani Parochi, qui prope Urbem sedem habent, vel adeo parum distant, ut Bononiam pedibus, vel equo ventitare commode queant, ac deinde sub vesperam redire, superius allata Sac. Congregationis Decreta diligenter expendant, videantque, utrum ipsis liceat summo mane rem Divinam facere, tum Bononiam petere, in eaque ad vesperam, vel ad multam diem libere versari, ac demum reverti, idque non semel, aut iterum per mensem, sed in hebdomada sæpius instituere, uti nonnullis quidem accidisse, & nunc etiam in more positum esse plane cognoscimus, quos tamen haud opus est nominare. Hoc autem eo gravius, ac periculosius est, quod plerique eorum Adjutore careant; & nequidquam eam causam excusationis proferunt, se quidem nunquam abesse, nisi certo sciant neminem in Parochia morbo detineri. Illos itaque monemus, præceptoque obstringimus, ne sedes unquam suas deserant, nisi alius Sacerdos ipsorum loco relinquatur, qui munia paulo superius enumerata obire possit, neve ita frequenter Urbem repetant, ubi de eorum vitæ ratione diligenter inquiremus, ut quid facto opus sit statuamus.

XXV. Cardinalis Gabriel Paleottus primus hujus Urbis Archiepiscopus vagantes Parochos libere aperteque compescuit, qui postquam residendi necessitatem graviter commendavit, his verbis sermonem absolvit: *Tandem noverint omnes, Curatos, cæterosque, qui residendi vinculo tenentur, si extra sedes suas a satellitibus deprehendantur, in carcerem trudendos, nullisque excusationibus locum superesse.* Nos uti hoc remedio nolumus, nisi in eos, qui prius objurgati, monitique in eadem voluntate & culpa perstare non vereantur. Interim ad pœnas arbitrio nostro infligendas deveniemus, si quis violaverit, quæ supra constituta fuerunt.

XXVI. In Synodo Cardinalis Jacobi Boncompagni lib. 3. cap. 3. præcipitur, ut Parochi sedes suas impensius incolant Kalendis Januariis, die Epiphaniæ, majori Hebdomada usque ad Dominicam in Albis, Rogationum diebus, Ascensionis Domini, Pentecostes, & biduo insequenti, in celebritate Corporis Christi, SS. Petri, ac Pauli, Assumptionis B. Virginis, Omnium Sanctorum, Natalis Domini cum insequentibus Festis, die tandem solemni Sanctorum, quorum titulis, ac nominibus Ecclesiæ nuncupantur. Cum de aliis Festis agitur, illud memorata Synodus indicit, ut si Parochus sacrum facere velit in Oratorio intra fines suos posito, præcedenti Festo de ea re populum admoneat. Si vero Parochiæ finibus excedere debeat, & Ecclesiam adire, in qua solemne aliquod Festum celebretur, alium Sacerdotem substituat, qui populo rem divinam peragat, eique Festo præcedenti id ipsum patefaciat.

XXVII. Hæc sane Constitutio æquitatis plena tunc solum habere locum potest, cum Christianæ doctrinæ tradendæ non adversatur, quæ in ipsa Synodo, aliisque ejusdem Cardinalis edictis tantopere commendatur. Verum cum ad Diœcesanos Parochos illa pertineat, & cum Diœcesim obeuntes ab ipsis perceperimus in hyeme propter asperitatem, cœlique inclementiam, viasque impeditas paucos ad Christianam institutionem convenire, si illud etiam liceat, ut per æstatem Parochi extra fines suos alias Ecclesias frequenter adeant, Sacerdote qui sacrum faciat tantum relicto, Christiana doctrina parum sane, ac fere nihil populo tradetur; cum præsertim hac nostra ætate anni tempestates ita immutatæ sint, ut ver, autumnusque sublati esse videantur, & hyemem solum, atque æstatem dignoscamus. Quare, ut huic malo remedium afferatur, præcipimus etiam,

(1) *Tit. de Parochis.*

etiam, ut si Parochi sacrum facturi ad Oratorium intra suos terminos constitutum die Festo se conferant, eo ipso die populum in Ecclesia Parochiali Christi legem, ac disciplinam edoceant. Quod si ad Ecclesiam extra Parochiam pergere velint, (quod quidem fieri perraro docet) curent diligenter, ut Sacerdos in Parochia relictus de more Catechismum tradat.

XXVIII. Ac ut magis commoditati prospiciatur, litteræ ad facultatem discedendi necessariæ a nostro Archiepiscopali Typographo excudentur, quas Nos deinde, seu Vicarius noster Generalis gratis obsignabimus.

## INSTITUTIO XVIII.

*De obligatione, quæ singulos Fideles obstringit, ut sacram Eucharistiam die Paschatis sua in Parochia percipiant: Absque expressa facultate sui Ordinarii, & Parochi hoc præceptum ab illis non adimpleri, qui alia in Ecclesia, licet Cathedrali aut Metropolitana, Sacram Eucharistiam susceperint.*

I. SAncta Mater Ecclesia Canone 21. quarti Concilii Lateranensis, qui in jure communi continetur (1), id præcipit cuilibet Fideli, ut, *omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.*

II. Hoc autem inter Divinum, & Ecclesiasticum de Pœnitentiæ Sacramento præceptum discrimen intercedit, quod primum ad illos tantum pertinet, qui post Baptismum lethalem culpam contraxerunt, alterum vero universos complectitur; videlicet, ut omnes se peccatis obnoxios intelligant, ut majori pietate, ac religione ad Sacram Eucharistiam accedant, & quæque oves suis Ecclesiasticis Rectoribus magis innotescant.

III. *Ad Confessionem* (ait S. Thomas (2)) *dupliciter obligamur, uno modo ex jure Divino ex hoc, quod est medicina, & secundum hoc non omnes tenentur ad Confessionem, sed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt post Baptismum; alio modo ex præcepto juris positivi, & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ edita in Concilio generali sub Innocentio III., tum ut quilibet se peccatorem recognoscat, quia omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, tum ut eum majori reverentia ad Eucharistiam accedant, tum ut Ecclesiarum Rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat.*

IV. Itaque, cum Ecclesia singulis Fidelibus edixerit eodem Canone 4. Concilii Lateranensis, ut Paschate saltem sacram Synaxim percipiant, uti mox dicetur, hinc necessario sequitur, ut adventante jam Paschatis solemnitate quisque confiteri sua crimina debeat, & ad sumendam Eucharistiam se paratiorem exhibeat, sicut idem Sanctus Doctor admonet (3): *& quia ex præcepto Ecclesiæ omnes Fideles tenentur saltem in anno, præcipue in Festo Paschæ, Sacramenti Communionem accipere, ideo Ecclesia ordinavit, ut semel in anno, quando imminet tempus accipiendi Eucharistiam, omnes Fideles confiteantur.*

V. Nos quidem Joannis Launoii opus illud de intelligentia memorati Canonis Lateranensis perlegimus, qui proprii Sacerdotis nomine Parochum designari contendit. Attamen dissertationem quoque Patris Natalis Alexandri expendimus de historia Ecclesiastica XIII., ac XIV. Seculi, in qua Launoii sententia sapienter refellitur. Revera si Joannes XXII. proscripsit Joannis Poliaci Parisiensis opinionem, qui Canonem Lateranensis Concilii male interpretatus palam affirmaverat Seculares, qui Regularibus Sacerdotibus sua crimina confessi essent, ad confessionem iterandam prorsus obstringi, Parochumque adeundum, ut rite expiarentur, sicut aperte comprobatur in Extravaganti (4) ejusdem Pontificis, & ex præclaro monumento deducto ex Actis Vaticanis, allatoque a Raynaldo (5); si (inquam) hæc ita se habent, veterem rem damnatumque Joannis Poliaci errorem iterum in lucem revocaret, uti Raynaldus expendit (6), qui Paschali præcepto de Confessione haud satisfieri asseveret, nisi Parochus, aut alius Sacerdos, ipsius facultate prius obtenta, seligatur.

VI. Jubet igitur Lateranense Concilium, ut proprius Sacerdos, vel alter quispiam illius facultate pro Sacramento Pœnitentiæ adhibeatur. Illud solum perpendendum est, utrum Parochus tantum Sacerdotis proprii nomine intelligatur. Cum tamen inficiari nemo possit Summo Pontifici, & Episcopis, præter Parochos, Sacerdotis proprii titulum convenire, hinc si quis sua crimina vel ipsis, vel etiam Presbyteris ab eisdem sine ulla limitatione designatis confiteatur, Concilii Lateranensis præcepto satis obsequitur. Ut reliquos omnes, qui gravissime super hac re scripserunt, omittamus, S. Thomam (7), & S. Bonaventuram (8) tantum asserimus, ac nominamus. Qui contrariam sententiam audacter tueri voluit, eo paulatim adductus est, ut rem in medium proferret, quæ nulla ratione inniteretur, Episcopum nempe haud posse suorum diœcesanorum Sacerdotem nuncupari, nisi cum Sacramentum Confirmationis, atque Ordinis administraret, vel a casibus reservatis absolveret. Sic porro deprehenditur ex epistola Encyclica a Clero Gallicano pro generalibus comitiis coacto ad Episcopos Galliæ missa, in qua communem sententiam, quam docuit Pater Bagot Societatis Jesu, complectitur, & eum vehementer improbat, qui eumdem auctorem audaci scripto lacessere non dubitaverat.

VII. Hinc Pontifex Clemens VIII. anno 1592. in quosdam Galliæ Parochos ita decrevit: *Præsenti Decreto nostro sancimus &c. dictis Fratribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis prædictis, quibus id a Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua etiam Quadragesimali, & Paschali, & quovis alio tempore confiteri licite posse, dummodo tamen iidem Seculares Christifideles Sacramentum Eucharistiæ die Festo Paschalis Resurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho sumant.*

VIII. Idem confirmat Clemens X. in ea Constitutione, quæ incipit: *Suprema*: & eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschatis tempore confessi fuerint, Constitutione, quæ incipit *Omnis utriusque sexus*: quoad Confessiones dumtaxat omnes satisfeciisse censendos.

IX. Ex iis, quæ hucusque commemoravimus, satis apparet, ut impleatur mandatum Lateranensis Concilii sæpius allatum, atque a Sacra Tridentina Synodo renovatum, quæ pariter jubet semel saltem in anno sumendam esse ab omnibus Paschali tempore Eucharistiam, apparet (inquam) Confessionis præcepto satisfacere, qui peccata sua cuilibet probato Sacerdoti confiteatur, tamen pro Communionis præcepto satis haud esse Eucharistiam qualibet in Ecclesia percipere, sed in Parochiali id necessario gerendum Paschali tempore, videlicet intra majorem Hebdomadam, aut intra Paschatis octiduum, quemadmodum Eugenius IV. declaravit (9).

X. Licet hæc Constitutio apertissima sit, alias tamen varia impedimenta proposita fuerunt, ut Ecclesiæ Parochiales hoc jure spoliarentur. Nonnulli se præcepto parere arbitrabantur, si in sua Ecclesia, licet non Parochiali, Sacramentum Communionis acciperent, & inane quoddam privilegium ad id præferebant. Verum Sacra Congregatio hanc opinionem penitus evertit, uti ex declaratione, quæ apud Dianam typis tradita fuit, liquido probatur (10).

XI. Hac proscripta sententia illud novum contra Parochiales Ecclesias excogitatum fuit, idest Paschale mandatum satis impleri, si quis pro sumenda Communione Metropolitanam, vel Cathedralem Ecclesiam adiret. Sed omissis iis omnibus, quæ in hanc rem scripta fuerunt, certum quidem est post Innocentii XI. decisionem (11), in qua Pontifex hujusmodi præcepto minime satisfieri declarat, si qui Romæ in Ecclesiis etiam Patriarchalibus S. Joannis Lateranensis, aut S. Petri in Vaticano Sacram Eucharistiam sumant (12), certum, inquam, est sententiam quæ superius allata est omnino corruere, nisi forte Episcopus, vel Parochus consentiant, ac id permittant. Ita pariter tradit P. Giribaldus, qui in nostra Metropolitana Pœnitentiarii munus per tot annos exercuit (13).

XII. Sed præ cæteris Cardinalis de Lugo super hac re luculenter disseruit, qui Theologicæ scientiæ, quam in Cathedra Societatis Jesu professus fuerat, rerum quoque experientiam adjunxit, quam ex Sacris Congregationibus, quibus Cardinalis interfuit, consequutus est (14). Rem de qua nunc agimus proponit, & coram Pontifice diligenter examinatam fuisse asserit, decretumque Paschali præcepto illum non satisfacere, qui in sua Parochia ad Sacram Eucharistiam minime accedat, licet illam in Metropolitana, seu Cathedrali percipiat, cum unaquæque Parochia certis quibusdam terminis concludatur, quos ultra nequit excurrere Metropolitana, licet inter Parochias adnume-

(1) *Cap. omnes utriusque sexus de pœnitentiis, & remissionibus.* (2) *Sentent. 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 3.*
(3) *Quodlibet. 1. quæst. 6. art. 2.* (4) *Vas electionis.* (5) *Anno Christi 1321. num. 20.* (6) *Tom. 11. oper. suor. pag. 152.*
(7) *Opusculo contra impugnantes religionem.* (8) *Tract. Quare Fratres minores prædicent, & Confessiones audiant.*
(9) *Constitut. 20. tom. 1. Bullar. Roman.* (10) *In editione Coordinata tom. 2. resolut. 20. circa finem.* (11) *Die 5. Februarii anno 1682.* (12) *Ex Consult. 89. num. 18. Pignattelli tom. 7.* (13) *In suo tract. 4. de Eucharistia cap. 8. dub. 5. sub num. 28.*
(14) *Lib. 1. de Respons. Moral. dub. 15.*

adnumeretur. Et sane, quemadmodum ex decreto Tridentinæ Synodi, Parochus seu alius Sacerdos ipso consentiente interesse debet, cum matrimonium celebratur; neque huic mandato parerent sponsi, qui alteri Parochiæ adscripti coram Parocho Metropolitano, sive alio Sacerdote ex ejus permissu matrimonium inirent; ita de præcepto Paschalis Comunionis idem statuendum est. Quippe Lateranense Concilium per Clementem VIII. declaratum, uti diximus, hoc apertissime indicit, ut in sua quisque Parochia ad Eucharistiæ Sacramentum accedat, ipsumque a Parocho tradatur, aut alibi, si tamen Parochi consensus habeatur.

XIII. Volumus autem, ut hæc nostra declaratio non modo locis publicis figatur, sed etiam ut singuli Parochi in suis Ecclesiis ante proximam Paschæ celebritatem die aliquo festo, dum Sacrum faciunt, populo exponant omnia, quæ in ipsa continentur. Sicut autem facultas sumendæ extra Parochiam Comunionis nonnisi raro, & legitima de causa per nos, aut per Vicarium nostrum Generalem tribuetur, ea semper conditione adhibita, ut acceptam facultatem, scriptumque testimoniam de Communione alibi peracta Parocho ostendat, ita id ipsum Parochi sedulo requirant, qui sane intelligent eo spectare voluntatem nostram, ut eorum jura, atque Apostolica decreta illæsa tueamur.

## INSTITUTIO XIX.

*De Sacra Missione indicenda in hac Metropolitana S. Petri, per Patres Congregationis B. Vincentii de Paulo.*

I. Inter multa, ac præclara munera, quæ Dei clementia, Summorumque Pontificum benignitate consequuti sumus, quorum pro Sedis Apostolicæ utilitate Romæ gessimus, ubi fere per 40. annos morati sumus, illud sane postremo loco non habetur, Promotoris nempe Fidei in causis Beatificationis, & Canonizationis; quod quidem anno 1708. a Clemente XI nobis demandatum, si minus apte, at magna cum alacritate suscepimus, & ad finem usque ejusdem Pontificatus; ac pariter Innocentio XIII., ac Benedicto XIII. Pontificibus, retinuimus, donec inter Cardinales nos, licet immerentes, Benedictus ipse coptavit.

II. Regnante Clemente XI. maximam voluptatis causam Nobis Deus Opt. Max. attulit, cum post diuturnos labores, assiduamque contentionem nostram inter Beatos cultus immemorabilis adsciti fuerunt Lucia Narniensis, Salvator de Orta, Ceslaus Odroantius, Liberatus de Lauro, Gregorius X., Alexius Falconerius, Seraphinus Asculanus, Humilitas e Valleumbrosa; relatus vero in numerum Beatorum solemni ritu prævio virtutum, & miraculorum diligenti examine Joannes Franciscus Regis; & inter Sanctos solemniter adscripti Pius V., Andreas Avellinus, Felix a Cantalicio, & Civis nostra Catharina: regnante Pontifice Innocentio XIII. inter Beatos cultus immemorabilis vidimus adscriptos Dalmatium, & Andream de Comitibus; Pontifice Benedicto XIII. sex Fundatores Ordinis Servorum, qui cum Alexio Falconerio septenarium numerum conficiunt, & Serapionem; inter Beatos ritu solemni declaratos Hyacintam Marescotti, Joannem de Prado, Fidelem a Sigmaringa, Vincentium de Paulo, & Petrum Forerium; inter Sanctos vero solemniter enunciatos Turribium, Jacobum Picenum, Agnetem e Monte Politiano, Peregrinum Laziosum, Franciscum Solanum, Aloysium Gonzagam, Stanislaum Kostkam, Margaritam Cortonensem, & Joannem Nepomucenum.

III. Si omittamus S. Joannem Nepomucenum, B. Joannem de Prado, Fidelem a Sigmaringa, & Serapionem, de quorum virtutibus nullum examen institutum fuit, cum de ipsorum Martyrio tantum agendum esset, atque de constantia, qua illud subierunt, de causa etiam, ob quam a Tyrannis ad mortem damnati fuerunt; ac tandem de reliquis, quæ verum Martyrium constituunt, ut illos, inquam, omittamus, in cæteris Beatificationibus, & Canonizationibus series virtutum in severum examen revocata fuit, ut primum de ipsis liquido constaret; deinde ut judicari posset, utrum ad supremam illam dignitatem, ac præstantiam devenissent, sine qua Sedes Apostolica Beatificationis, & Canonizationis honorem reipsa non elargitur. Id tamen advertendum est, examen hujusmodi necessario requiri cum agitur de Confessoribus Pontificibus, vel non Pontificibus, de Virginibus, sive de aliis nec Virginibus, nec Martyribus, uti in illis contigit, de quibus paulo ante mentionem fecimus; non tamen necesse est, ut singuli inter Beatos, vel inter Sanctos rite adscribendi in singulis virtutibus summum gradum attigerint, cum satis ducatur si in illis summe excelluerint, quæ ad ipsorum conditionem, ac facultatem pertinebant. Hinc S. Hieronymus (1) testatur, non omnes virtutes in singulis summas reperiri, licet qui singulari aliqua virtute præditus est, cæterarum quoque particeps habeatur. Sic in Salomone sapientia, in Davide mansuetudo, in Elia, & Finees zelus, in Abrahamo fides, in Petro perfecta charitas, in Paulo studium disseminandi verbi Divini potissimum commendantur.

IV. Hic animus non est in medium revocare præstantes eorum, vel earum virtutes, qui nobis Promotoris munus agentibus in Sanctos, vel Beatos adnumerati sunt. De iis breviter aliqua delibabimus, quæ ad hoc nostrum institutum referuntur. Ac primum S. Jacobus Picenus in Sacris expeditionibus obeundis celebre sibi nomen comparavit, quas maximo Catholicæ Religionis bono suscepit Pontificibus Martino V., Eugenio IV., Nicolao V., Calisto III., Pio II., & Sixto IV. contra hæreticos Fraticellos, Manichæos redivivos, Patarenos, Hussitas, Thaboritas, & contra ipsos Turcas in Italia, Pannonia, Germania, Boemia, & Sarmatia. Eamdem semitam magna cum laude percurrit S. Franciscus Solanus, qui feria quinta in Cœna Domini cum Missionarium ageret, ingentem Indorum multitudinem coegit arma projicere, qui facta conspiratione convenerant, ut sacras illius diei cæremonias perturbarent, & eorum supra novem millia ad Fidem Christi unius diei spatio traduxit, licet Hispano sermone concionem haberet. Deus quippe ipsius labores hac gloria cumulaverat, ut ejus loquelam Barbari omnes recte intelligerent, uti certissimis argumentis ix ejusdem actis comprobatum fuit. Sed magis ad rem nostram conferre videtur, si de B. Joanne Francisco Regis, ac de B. Vincentio de Paulo verba faciamus; ad quorum primum quod attinet, pro duplici examine, de virtutibus nempe, ac miraculis, vigilias nostras, sudoresque haud inanes impendimus. Beati autem Vincentii de Paulo, qui jam inter Beatos solemni ritu cooptatus est, causam ab exordio ad hunc usque finem perduximus, quod quidem uni homini non ita facile potest contingere, cum tam diuturnum judicium, atque prolixum, grave, ac perdifficile examen requiratur. Itaque B. Joannem Franciscum in sacris expeditionibus peragendis charitatis igne flagrantissimum agnovimus, qui incredibilem hominum multitudinem a vitiorum lœditate ad meliorem frugem, ac pœnitentiam traduxit; qui denique montes inter asperrimos hujusmodi salutari exercitio detentus laboribus, incommodisque debilitatus mortem oppetiit. Alter vero Vincentius de Paulo veram Herois imaginem expressit, si charitas ipsius erga proximum expendatur. Nam diuturnum vitæ suæ spatium in id sponte contulit, ut animas Deo lucraretur. Ne vero suarum Missionum cursus una cum vita conficeretur, Congregationem optimis legibus temperatam instituit, quæ illo adhuc superstite in plurimas orbis partes feliciter propagata est; suos quippe Alumnos ad Insulam usque Madagascar misit, quæ incolarum quadringenta millia continet, vel Idolorum cultores, vel nulla omnino religione præditos, ut ipsos ad Christi Fidem converterent. At vero Filii tam sancti Parentis exemplo, ac vestigiis inhærentes sacras expeditiones, pro agricolis præsertim instruendis, non sine maximo beneficio suscipiunt; cum unius Parochi diligentia, quamvis sedulo, sufficere nequeat, ut rudes agrorum homines commode imbuantur.

V. Fides Promotoris munere perfuncti Anconam ad primi Episcopatus nostri Sedem profecti sumus, & gravissimum onus nobis impositum, ac nostrarum virium tenuitatem cogitantes, ad Presbyteros Seculares, ac Regulares confugimus, ut in gerenda provincia auxilium nobis suppeditarent, curasque imminuerent. Ac primum singulari patrocinio BB. Joannis Francisci Regis, ac Vincentii de Paulo plurimum fidentes, ipsos enixe, ac suppliciter exoravimus, ut suis vel Sociis, vel Alumnis illud obtinerent a Deo, ut strenuam operam pro nostri gregis beneficio libenter, fructuoseque impenderent; quod ita plane evenit. Quippe nulla oratio satis explicare potest, quo studio, & charitate votis nostris obsecundaverint Patres Societatis Jesu, præter auxilium, quod cæteri Regularium Ordines præbuerunt; quantoque cum fructu rem aggressi fuerint Patres B. Vincentii de Paulo Congregationis Maceratensis, cum per ea loca, & diœcesim Sac. Missiones instituerent; qui etiam rogati, ut idem beneficium Civitati impertirentur, & cum jam prope ad eam provinciam obeundam parati essent, rem tamen perficere non potuerunt. Nam per id tempus translati ad Ecclesiam Bononiensem ad hanc nostram Civitatem iter suscepimus.

VI. Ita-

(1) *In Dialogo 6. adversus Pelagianos.*

VI. Itaque hujus Ecclesiæ administrationi præpositi memores nostræ imbecillitatis, animo quoque reputantes Ministrorum numerum pro messis copia exæquandum esse, ingenue fatemur maximam cepisse voluptatem, cum deprehendimus plurimos esse inter laicos, piosque cœtus, qui proximorum utilitati consulerent in iis omnibus, quæ vel ad humana, vel divina spectant, qui etiam de tradendo Catechismo, de sublevandis egenorum calamitatibus, vel eorum, quos pudor impedit, inopia ac solitudine recreanda curam, certumque institutum haberent. Insuper Parochos suis intentos muneribus, ac Presbyteros e Clero Seculari assiduos offendimus, paratosque, ut Pœnitentiæ Sacramentum administrarent, & satis idoneos, ut sacris concionibus cum in Urbe, tum in agris populum imbuerent. Postremo Regularium Ordines adeo pietati addictos invenimus, ut non piis solum meditationibus, verum etiam actuoso vitæ genere detinerentur; cum probos ad constantiam confirmarent, improbosque ad salutarem expiationem hortarentur. Sacramenta Corporis Christi, ac Pœnitentiæ magna assiduitate, ac Religione administrarent, divina eloquia in suis templis, compitisque populo traderent, morientibus assisterent, *omnibus omnia facti ut omnes Christo lucrifacerent*.

VII. Ut præsertim aliqua dicamus de Sociis B. Joannis Franciſci Regis, cujus opem ac tutelam pro grege nobis tradito semper implorabimus, & in posterum implorare non desinemus, nemo non videt quo studio, ac diligentia juventutem ad litteras simul, ac pietatem informent. Moralem scientiam Clericis explicent, cultumque divinum in suis templis adaugeant, ad pœnitentiam malos excitent, rudes edoceant', Parochos adjuvent dum Christi doctrinam ac legem pueris explanant. Conciones in plateis non minus, quam in templis instituunt, piisque exercitiis tum Ecclesiasticos, tum nobiles, & plebejos magno cum fructu detinent, omnia denique pietatis officia morientibus persolvunt. De Alumnis vero B. Vincentii de Paulo, quem Patronum nobis potissimum adscivimus, ut Sac. Missiones prospere eveniant, illud aperte fatemur, cum hujusmodi piæ expeditiones sacræ visitationi conjungi debeant, illos Forolivio, ubi proxime degunt, accitos fuisse in nostram diœcesim, ut olim sub Cardinali Jacobo Boncompagno Decessore nostro contigerat, nosque a lacrymis temperare non potuisse, cum ex litteris per Vicarios Foraneos, & Parochos ad Nos missis deprehendimus longinqua eorum itinera, in asperrimis montibus ac vallibus commorationes, graves ac diuturnos labores, populorum lætitiam, copiosumque fructum, quem Deo largiente collegerunt.

VIII. Sicut alias declaravimus, ne longius urbana visitatio prorogaretur, diœcesanam parumper deferre oportuit. Statuimus autem Urbis visitationi S. Missiones conjungere, cum ipsæ non minus in diœcesi, quam in civitate requirantur, uti Venerabilis Pater Paulus Segneri recte his verbis latine redditis perpendit (1): *Quod si pulcherrimis fructibus, quibus Sacræ Missiones redundant, non modo civitates indigent (ut alia præclara oppida, & humanitatis plena omittam) quam agrorum cultores, cur illæ inter armenta solum amandentur, ut tertio loco propositum fuit? esto Pastoribus indicantur, ut Christianæ charitatis ardor magis eluceat, quæ infirmam plebem non prætermittit, sed qua ratione civitates hoc bono destituantur, quibus fortasse missio decem dierum spatio peracta majorem fructum afferet, quam decem Quadragesimarum conciones antea comparaverint? Id autem non Concionatoribus præstantissimis tribuendum est, sed quod ipsi soli in eo munere versarentur: in Missionibus vero tot numero Concionatores merito nuncupari possunt, quot ii sunt, qui ad pœnitentiam curam cæteris adducti, quemlibet alium ad eosdem motus concipiendos suis exemplis incendunt: ob hanc causam illas Missiones semper ardentiores advertii, ad quas majori frequentia populus confluaret: tunc enim plures, veluti carbones simul congesti, mutuo calore vehementius ignem excitabant. In civitate quidem rerum insciti minus, quam in agris obversatur, sed minor animorum durities non est, quæ tamquam durissimum ferrum, non nisi fornacis ardentissimæ igne molliri, frangique potest.*

IX. Tempus Missioni constitutum pro hac nostra Urbe a primo Sabbato post Pascha ad insequentes hebdomadas protrahetur, quod singulis magis convenire videtur. Nam neque frigus, neque immodici calores ullum impedimentum afferre possunt, uti ex frequentia hominum ad conciones Quadragesimæ audiendas comprobatur. Locus ad obeundam Missionem erit Metropolitana Ecclesia Sancti Petri, quæ satis ampla est, nostrisque Archiepiscopalibus ædibus contigua, uti norunt universi. Etenim exercitiis omnibus nos ipsi adesse volumus, si Deus valetudinem incolumem conservabit. Ministri autem sacræ expeditionis erunt Patres Congregationis B. Vincentii de Paulo, quorum pii sermones, ac in tradendo Catechismo methodus huic populo jucunda, & probata ita fuit, cum Cardinalis Boncompagnus hanc Ecclesiam administraret, ut illos ex Missione suburbana in civitatem accire necesse fuerit, ut in Basilica S. Petronii pias easdem exercitationes instaurarent. Venient cum necessariis privilegiis, ne ullo modo recedant a præcipuo Congregationis instituto, quo agros Missionibus percurrere consueverunt. Ipsos rogavimus, accivimus, ac delegimus nos ipsi, ad quos jure spectat Missiones indicere, ac illarum ministros decernere. Id vero non eo consilio, ac ratione factum est, ut Regularium Ordinum, qui in hac Urbe degunt, doctrinam, pietatem, ac virtutem parvi faciamus, sed quod advertimus in Urbibus; licet præstantium Medicorum numero affluentibus, exteros etiam Medicos nominis gloria celebres vocari, ut sibi domestici, & ægroto pariter indulgeant. Neque tamen offensionis causam ex hoc Medicis urbanis inferri putandum est: ac præsertim, si illi accersiti ægrotantes alios in Urbe ad sanitatem opportune restituerint.

X. Itaque quo possumus, ac fas est, maximo studio, ut sacris hisce Missionibus intersint, universos obtecramus. Parochis autem præcipimus, ut per diem festum de hac re populum in Ecclesia frequentem commonefaciant, eumque plurimum hortentur, ne sacris exercitationibus adesse prætermittat. Et quoniam satis cognitum, perspectumque habemus non ab eo, qui plantat, nec ab eo qui rigat, fructum pendere, sed a Deo Opt. Max., qui incrementum dat, ideo centum Indulgentiarum dies impertimus illis omnibus, qui post Sacramentum Pœnitentiæ, susceptumque Corpus Christi per Dies Hebdomadæ majoris, quibus Sacra mysteria in Metropolitana Ecclesia publice exposita sunt, pro felici Sac. Missionis exitu preces effundent, & quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitabunt: Eamdem Indulgentiam ægrotis concedimus, qui expiati, & Sacra Eucharistia refecti easdem precationes in lectulo peragent; Moniales etiam clausuris detentas hujus privilegii participes facimus, si omnia, quæ superius indiximus, perfecerint. Hinc Confessarios monemus, ut de hac re certiores ipsas efficiant.

XI. Magnam in Nos, gregemque Nobis commissum utilitatem derivandam Dei beneficio confidimus, neque Nos, populosque nostros postremo die supremi Judicis sententia illa objurgandos esse, quæ apud S. Matthæum, & S. Lucam describitur: *Væ tibi, Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis olim in cinere, & cilicio sedentes pœnituerunt. Verumtamen Tyro, & Sidoni remissius erit judicium, quam vobis; & tu, Capharnaum usque ad Cœlum exaltata, usque ad Infernum demergeris.*

## INSTITUTIO XX.

*De Campanis pulsandis Sabbato majoris Hebdomadæ: De illarum vetustate: Cuinam primo earumdem usus tribuatur: De disciplina, ob quam majori Hebdomada Campanarum pulsatio interdicitur: Item qua norma sonitus Campanarum repetatur.*

I. VEtusta consuetudo in Ecclesiam Occidentalem tintinnabula induxit: Religiosa quoque disciplina factum est, ut eorum sonitus certis majoris Hebdomadæ diebus interdiceretur, ac deinde omnibus nota est ratio, quæ in sonitu ipso repetendo servanda est die Sabbati ejusdem Hebdomadæ.

II. Ac primum, si Angelo Rocca fidem habemus (2), S. Hieronymus, qui ineunte Seculo V. decessit, tintinnabula primus invexit; sed cum præclarus Auctor cap. 31., & 39. Institutionis pro Monialibus innitatur, quæ S. Hieronymo merito non adscribitur, hinc difficile est eam sententiam tueri.

III. Plurimi Scriptores unanimi consensu tintinnabuli usum S. Paulino Episcopo Nolano tribuunt, qui circa medium Seculum V. vita defunctus est: verum cum S. Paulinus nihil de tintinnabulis, vel de turri commemoret Epistola 12. ad Severum, in qua singillatim Ecclesiam, quam a fundamentis extruxerat, ejusque singulas partes explicat, hinc non exigua conjectura desumitur, quæ super allatæ opinioni maxime adversatur. Ita Cardinalis Bona (3), ac Theophilus Raynaudus (4) expendunt.

IV. Po-

(1) *Cap. 26. sui Operis qui inscribitur.* Il Parroco instruito. *tap. 22. num. 4.* (2) *In tractatu Campanarum.* (3) *Lib. 1. Rerum Liturgicar.* (4) *Tom. 15. punct. 7. pag. 411.*

IV. Polidorus Virgilius (1), Onuphrius Panvinius (2), Ciaconius, aliique plurimi ad Sabinianum Pontificem tintinnabuli consuetudinem primo referunt, qui initio Seculi septimi Summi Pontificis dignitatem obtinuit; sed cum Anastasius in ejus vita nullam omnino de hac re mentionem faciat, qua ratione id affirmari queat nemo intelligit.

V. Illud solum dici potest, tintinnabula ante Seculum sextum ab Ecclesia Occidentali usu recepta fuisse, cum ex vita S. Columbani Abbatis, quæ Seculo sexto exarata fuit, ac postea a P. Mabillonio in lucem edita (3), deprehendatur ipsum sub mediam noctem *pulsante Campana* ad templum se contulisse, cæterosque Monachos somno excitatos, ad templum pariter convenisse, ut Martene (4), & Franciscus Pagius (5) unanimes conveniunt.

VI. Nunc de venerabili disciplina agendum est, ob quam certis majoris Hebdomadæ diebus Campanæ sonus prætermittitur. Illa quidem ex antiquis monumentis, uti refert Du-Cange, *Campanarum succinctio* nuncupatur (6): Bocquillot hujusmodi sonitum per eos dies omitti testatur, ejusque loco strepitum quemdam lignorum subrogari, ut primorum Seculorum apud posteros memoria conservetur, quibus Fideles non ullo tintinnabulo, sed iisdem lignis obstrepentibus ad Divina Officia accersiri consueverunt: huic etiam sententiæ congruere videtur Amalarius (7). Ipsa tamen veritati parum consentanea ducitur, cum nullus ex antiquitate, præsertim contemporaneus, Scriptor existat, qui hanc lignorum consuetudinem initio Ecclesiæ commemoret. Immo a ratione longe abhorret, uti tradit Cardinalis Baronius (8), hujusmodi strepitus pro ciendis Fidelibus ad Ecclesias, seu potius ad speluncas, in quibus aræ statuebantur, cum acerrima bella ipsis indicerentur, *ita ut sacra officia non nisi secretis ab hominum adspectu locis celebrarent*.

VII. Quare tutius fatebimur hujusmodi silentium tintinnabulis per aliquot majoris Hebdomadæ dies præscriptum fuisse in priscis libris Ritualibus, qui a Martene afferuntur (9). Insuper cum divini verbi Concionatores per tintinnabula significentur, sicut Judæis in Christum sævientibus, Apostoli, Magistro neglecto, fugam arripuerunt, & Petrus ipse non modo effugit, ipsum Magistrum palam negavit, ita sane *ea hora qua Christus traditus est, recte signis Ecclesiæ silentium indicimus, Christumque solum torcular calcantem, solum in ligno Crucis extenso corpore tympanizantem, testimonium veritati humili, ac solitaria voce perhibentem ligneo malleolo in tabula suspenso, & personante, populumque ad Ecclesiam invitante significamus.* Ita Rupertus Abbas (10), cui Angelus Rocca simul congruit (11).

VIII. Nemo etiam ignorat, qua ratione Sabbato majoris Hebdomadæ tintinnabulis sonus restituatur. Pontifex Leo X. (12) in sua constitutione hæc præcipit: *Et ut debitus honor Matrici Ecclesiæ reddatur, tam ipsi Fratres, quam alii Clerici Seculares, etiam super hoc Apostolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris Hebdomadæ, antequam campana Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulsaverit, campanam in Ecclesiis suis pulsare minime possint. Contra facientes pœnam centum ducatorum incurrant.*

IX. Idem in Cœremoniali Episcoporum continetur (13), ubi de Sabbato majoris Hebdomadæ res agitur: *Cantatur Gloria in Excelsis, pulsanturque campanæ, & organum, & prius debent moneri Ecclesiæ civitatis, ne pulsent campanas, nisi audito signo campanarum Ecclesiæ Cathedralis*. In illis vero locis ubi neque Cathedralis habeatur, nec ulla alia Ecclesia Matricis nomine, ac jure prædita sit, idem privilegium digniori tribuendum est, ut duorum præstantium virorum, qui Romanam Curiam probe norunt, Cardinalis de Luca (14), & Ursayæ (15) testimonio satis comprobatur.

X. Cum Nos ipsi Secretarii munere Sacræ Congregationis Concilii fungeremur, in Oppido Histonii Ecclesiæ S. Mariæ, ac S. Petri pari inter se dignitate veteri pactione constituerant, ut Sabbato majoris Hebdomadæ alternis vicibus primæ tintinnabulum pulsarent. At cum deinde Ecclesia S. Mariæ Innocentii XIII. beneficio Collegiatæ titulum, ac dignitatem obtinuisset, Sacra Congregatio decrevit, ut qualibet pactione abrogata Sabbato majoris Hebdomadæ campanam ante cæteras omnes ipsa pulsaret, idque privilegium ad ipsam perpetuo spectaret.

XI. Cum igitur delatum Nobis fuerit in Oppido Centensi, dum in Ecclesia Parochiali, & Collegiata S. Blasii Sabbato majoris Hebdomadæ fontis benedictio perageretur, antequam signum ullum campanæ ejusdem Ecclesiæ auditum esset, non sine populi admiratione alterius Ecclesiæ tintinnabula pulsata fuisse, nos quidem ejus rei qualibet inquisitione prætermissa, quidquid peccatum est, ignorantiæ, & imperitiæ ultro condonamus: attamen præcipimus, ne in posterum ullius campanæ sonus eo Sabbato percipiatur, nisi prius ab Ecclesia Cathedrali S. Blasii signum datum fuerit, & si aliter contingat, pœnas pro voluntate nostra infligemus.

XII. Accedit etiam, quod Vicarius Generalis Ridolphi anno 1662. edictum promulgavit, in quo juxta constitutionem Leonis X., & plura Decreta Sac. Congregationis præcipit, ne in civitate tintinnabula ante Metropolitanæ signum, in diœcesi vero ante Parochiales Ecclesias personarent, eosque, qui id negligerent, Interdicti pœna mulctavit; quo sane Decreto non modo Secularium, sed etiam Regularium Ecclesias, licet ad Ordinem Equitum Melitensium pertineant, se complecti declaravit.

## INSTITUTIO XXI.

*De Benedictione, quæ Sacris Indumentis, & Vasis tribuitur, sive Sacra Unctio sit necessaria, sive minime requiratur. Origo ejusdem Benedictionis, & quo pacto administrari debeat.*

I. UNiversi Patres, ac Theologi consentiunt Christum Dominum novissima cœna, in qua Sacrificium sui corporis, & Sanguinis instituit, Sacerdotii ordinem, ac dignitatem cunctis Apostolis contulisse, cum potestatem eisdem consecrandi per illa verba tradidisset: *Hoc facite in meam commemorationem*. Neque sane hoc in dubium revocari potest, cum Tridentina Synodus apertissime decernat: *Si quis dixerit illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum, anathema sit* (16).

II. Ut omittamus eam controversiam, quæ inter Theologos agitur de Missæ Sacrificio, quod ab Apostolis vertente triduo post Salvatoris mortem celebrari poterat; qua in re unanimi assensu conveniunt Corpus Christi sub speciebus panis futurum fuisse vita destitutum, nec animam ulla *concomitantiæ* ratione conjunctam; deinde nonnullas alias quæstiones instituunt, an Missa per illud triduum peracta rationem ejus Sacrificii habuisset, quod Salvator obtulit. Item, an hostiæ tunc consecratæ, si, postquam Dominus resurrexit, servatæ fuissent, an ipsius corpus exanime, vel animæ restitutum continuissent; his omissis, illud certum est illorum dierum spatio Apostolos Sacrum non feciisse, & viri doctrina, atque eruditione præstantes inter se disputant quonam tempore Sacrificium Missæ primo iidem Apostoli celebraverint.

III. Inter argumenta, quæ a P. Theophilo Raynaudo afferuntur, illud postremum non est, quod inscribitur: *De prima Missa* (17). Postquam ibi asseruit Apostolos ob amantissimi Præceptoris mortem mœrore pene confectos, &, velut oves interfecto Pastore dispersos, per illud triduum Sacrificio abstinuisse, ipsos deinde revocato ad vitam Domino incredibili voluptate excitatos primum Deo Sacrificium obtulisse affirmat, ut supremum ipsi cultum persolverent, vel ut gratias agerent pro redivivo Præceptore, vel ut memoriam acerbissimæ ejusdem Passionis recolerent, vel denique, ut Fideles, ac se ipsos singulari lætitia recrearent. E contrario Cardinalis Bona (18) in tractatu rerum Liturgicarum, quem nemo satis commendaverit, primum Sacrificium in Pentecostem usque prorogatum existimat, cum super eos de cœlo Paraclitus immissus fuit; idque affert argumentum, quod lex vetus usque ad Pentecostem vim suam retinuerit, cum nova nondum satis promulgata esset, ideoque, *non decebat novum offerri Sacrificium Sacerdotio nondum translato*. Huic quidem sententiæ congruit Sacrarum Litterarum auctoritas (19), in quibus Apostoli simul in Cœnaculo coacti ante illapsum Paracliti describuntur: *perseverantes unanimiter in oratione*. Deinde (20) cum dies Pentecostes complerentur, & sub variis linguis in illos Spiritus

(1) *In suo Lib. 6. de Invetoribus rerum.* (2) *In Epist. de Romanis Pontificibus.* (3) *Seculo I. Benedictino.* (4) *In tract. de antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis c. 2. num. 11.* (5) *In vita Sabiniani tom. 1. pag. 379.* (6) *In suo tract. historico Liturgiæ lib. 2. c. 6.* (7) *In suo lib. de Divinis Officiis.* (8) *Anno Christi 58.* (9) *Loco citat. pag. 325.* (10) *In lib. 3. de Div. Offic. cap. 29.* (11) *In tract. Campanarum cap. 15.* (12) *Constitut. 22. §. 14. tom. 1. Bullarii Romani edit. Lugd.* (13) *Lib. 2. Cap. 27.* (14) *De præeminentiis disc. 42. num. 14.* (15) *Institut. Cærem. lib. 1. tit. 10. §. 2. num. 195.* (16) *Can. 2. de Sacrificio Missæ.* (17) *Tom. 6.* (18) *Lib. 1. cap. 5.* (19) *Act. Apostol. cap. 1.* (20) *Cap. 2. v. 42.*

tus Sanctas descendisset, tunc quoque, *erant perseverantes in communicatione fractionis panis, & orationibus*.

IV. Hac disputatione absoluta de tempore primi Sacrificii, qui res Ecclesiæ magis accurato studio persequuntur illud inquirunt, utrum Apostoli Sacrum in communi, & quotidiana veste confecerint, an Sacrificii religione ducti peculiarem adhibuerint, uti postea novæ Legis Sacerdotes in more positum habuerunt. Hugo a S. Victore, & Walfridus Strabo primam opinionem tuentur; Nicolaus autem Alemannus (1) irridet eos, qui aliter sentire non dubitant, ea potissimum ratione adductus, quod tunc Apostoli in summa egestate versarentur. Ab illo tamen dissentiunt Waldensis, Demochares, Baronius, Stapletonus, Saussajus, Bona, Raynaudus, qui pari eruditione celebrantur. Quidam etiam ex illis nimia Alemanni confidentia graviter commoventur. Ac primum ii concedunt Christum Dominum usitatis vestibus indutum divinum Sacramentum instituisse; contendunt tamen Apostolos peculiaribus indumentis usos fuisse, cum primum Sacrificium, ac deinceps cætera peragerunt. Id enim rei dignitati maxime convenit, quod etiam Judæorum, Ethnicorumque exemplis ante oculos propositis suadebatur. Et quemadmodum, qui Christi fidem suscipiebant, uti ex Apostolicis actibus deprehendimus, bonis omnibus divenditis, pretium Apostolis offerebant, hinc a veritate dissonum non videtur, quod Apostoli egenorum calamitatibus facile consulere possent, vestesque idoneas, & alia ad Sacrificium pro ejus majestate celebrandum sibi compararent.

V. Sanctus Paulus Apostolus, (uti ex Sacris Litteris conjicimus) Troade Asiæ civitate, quam decennalis Græcorum obsidio celebrem effecit, ter substitit. De primo in illam adventu acta Apostolica capite 16.; de secundo Paulus ipse Epistola 2. ad Corinthios; de ultimo tandem eadem acta Apostolorum capite 20. palam commemorant. Carpus, cujus nomen die 13. Octobris in Martyrologiis commendatur, Apostolum hospitio recepit, cum novissime ad illam Urbem venisset; discedens Paulus *Penulam* forte apud eum reliquit, anni spatio interjecto, cum secundam ad Timotheum Epistolam scriberet, hæc habet: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*.

VI. Quod si probanda videretur eorum opinio, qui Penulam idem, ac Sacerdotis casulam arbitrantur, satis constaret Apostolos sacris indumentis, cum rem Divinam facerent, usos fuisse. Præclarus Doctor Guillelmus Estius in commentariis ad eamdem Pauli Epistolam Penulæ nomine libros veteris Testamenti intelligi affirmat, non vero casulam, qua nunc Sacerdotes utuntur: *Quod vero quidam Penulam interpretantur vestem Sacram, quam Latini Planetam vocant, non est, unde satis probetur*. Joseph Vicecomes e contrario (2) casulam sub eadem Penula significari contendit. Cardinalis Baronius (3) ingenio, ac virtute magnus, cum utramque sententiam in medium protulisset, hæc tradit: *Verum ea his duabus recitatis sententiis, vel de volumine, vel de sacra Veste, alterutram, quam velit, lector sequatur, sed magis placet, ut volumen sacræ Legis intelligi debeat*. Maximæ diligentiæ vir Cardinalis Bona (4) eorum opinionem amplecti videtur, qui Penulam pro quodam vestis genere interpretantur. Idem sentit Calmet (5); & Senator Philippus Bonaroti (6). Cum ipse peculiare vitrum accurato studio explanaret, in quo effigies Sanctorum Petri, Pauli, & Laurentii expressæ conspiciuntur, Penulam vulgarem, & brevem pro veste in itineribus adhibitam fuisse comprobat; quæ deinde a viris illustribus adscita formam quoque mutavit, lautioremque suscepit; ita ut ad talos usque defluaret: casulas autem Ecclesiasticas ab iis postremis Penulis tantum originem desumpsisse.

VII. Nos hanc difficilem controversiam prætermittimus, illudque libere affirmamus Apostolos super Altare rem Divinam fecisse, uti ex verbis S. Pauli Apostoli colligitur (7): *habemus Altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*; quæ sane juxta Doctores Catholicos referenda sunt ad Altare, in quo Sacramentum Eucharistiæ conficitur, & Fidelibus administratur. Illud quoque asserimus neminem, qui Evangelii legem sequatur, inficiari posse, quin Christi Dominus in novissima cœna Calicem accipiens Apostolis præceperit, ut omnes ex eo suum sanguinem biberent, qui paulo post in remissionem peccatorum pro ipsis, & pro multis effundi debebat; quæ a Domino percepta Fidelibus inde se tradidisse Apostolus testatur 1. ad Corinth. Cap. XI. v. 23.: *Quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*. Ob eam causam feria V. majoris Hebdomadæ, quæ ejusdem Sacrificii institutioni celebrandæ præposita est, ab antiquis Patribus *Natalis Calicis* nuncupatur. Tunc enim calix profanus in Sacrum usum Christi Domini potestate conversus fuit. En verba Sancti Eligii Episcopi, qui Seculo VII. scripsit: (8) *Vocatur hæc dies Cœna Domini, vocatur & Natalis calicis, quia hac, eademque die mysticum Pascha Dominus cum Discipulis celebrans Sacramenta corporis, & sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, & ipse celebrationis initium fecit*. Dicemus etiam nullo Evangelistarum testimonio panem consecratum in Patena a Christo Domino fuisse positum, de qua, cum S. Jacobus in Liturgia meminerit, ipsius usus ad Apostolorum tempora commode referendus est, uti tradit Cardinalis Bona (9): *An Christus consecratum panem in disco, seu patena posuerit, non exprimunt Evangelistæ; ejus tamen usum ævi Apostolici esse Liturgia Jacobi ostendit*. Dicemus veritati omnino consentaneum, quod Apostoli Sacrum facientes indumentis a communi usu remotis uterentur: *Habet religio Divina* (inquit S. Hieronymus) (10) *alterum habitum in ministerio Altaris, alterum usu, vitaque communi*. Postremo dicemus jure, ac merito traditioni Apostolicæ concedendam eorum vestium consuetudinem, quæ in Sacrificio Missæ adhibentur, pro quibus fere singulis ex quarto Seculo argumenta suppetunt. Tenenda quippe est doctrina, quæ a S. Augustino præclare traditur (11): *Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica, traditum rectissime creditur*.

VIII. Maxime autem decet, ut Altare, vasa, vestesque ad Sacrificium necessariæ consecratione, ac benedictione prius in usum sacrum convertantur, uti docet S. Thomas (12): *Consecrationes adhibentur his rebus quæ veniunt in usum hujus Sacramenti, tum propter Sacramenti reverentiam, tum ad representandum effectum Sacramenti, qui ex Passione Christi provenit. Secundum illud Hebr. ult. Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum &c.* Hinc in Ordine Romano consecrationem calicis, & patenæ cum unctione Chrismatis, certisque precibus descriptam videmus; legimusque in jure canonico Decretum, quod Hormisdæ Pontifici adscribitur (13), ubi de Altaris consecratione sermo agitur. De patena, & calice consecrando Innocentius III. (14); de Sacrarum vestium benedictione Canon *Vestimenta de Consecratione dist.* 1. aperte mentionem, ac testimonium faciunt; & licet hæreticus Hospinianus (15) hunc Sacrum benedictionis ritum Seculo tantum IX. invectum asserere non dubitaverit: tamen ex Seculo IV. certissima hujusce rei monumenta proferuntur. Nam, uti refert Sozomenus, cum Imperator Constantinus regali munificentia Templum Hierosolymis condidisset: *Episcopi Hierosolymam delati Ecclesiam consecrarunt, simulque ornamenta, & donaria ab Imperatore transmissa*. Quæ sane pia consuetudo ex veteri Testamento in novam Ecclesiam prioribus Seculis dimanavit, uti asserit idem Cardinalis Bona per hæc verba (16): *Quem ritum e veteri Testamento ad novum profluxisse reor*. Id pariter Innocentius III. loco superius allato palam indicavit: *Cum consecratur Altare, cum dedicatur Templum, cum benedicitur Calix, non solum ex mandato Legis Divinæ, verum etiam exemplo Beati Silvestri, qui, cum consecrabat Altare, illud Chrismate perungebat. Præcepit enim Dominus Moysi, ut faceret Oleum unctionis, de quo ungeret Testimonii Tabernaculum, & Arcam Testamenti, mensamque cum vasis*.

IX. De vetustate hujusmodi consecrationum, ac benedictionum erudite differit Dominicus Georgius (17). Vestis cujuslibet significatum Sotus plene complectitur (18). Accedunt alii plurimi sacrorum Rituum Interpretes, qui unanimi consensione ad Episcoporum ditionem pertinere affirmant non modo Templa dedicare, Altaria, & vasa, quæ Sacram unctionem re-

(1) *Dissert. de parietinis Lateranensibus*. (2) *Lib. 2. de Missæ apparatu cap. 28.* (3) *Anno Christi 58. num. 67. 68.* (4) *Oper. cit. lib. 1. cap. 24. num. 8.* (5) *In suo dict. hist. Sac. Script. tom. 2.* (6) *In animadversionibus ad quædam vitrea fragmenta figuris distincta ex Cœmeteriis Rom. effossa Tab. 16. figur. 2.* (7) *Epist. ad Hebræos cap. 13. v. 10.* (8) *In sua Homil. 19. tom. 2. edit. 2. Biblioth. Patrum.* (9) *Lib. 1. cap. 25. num. 3. pag. 237. edit. Rom.* (10) *Super cap. 44. Ezechielis.* (11) *Lib. 4. de Baptismo cap. 24.* (12) *Part. 3. quæst. 83. artic. 3. in corp.* (13) *Nullus de consecratione dist. 1.* (14) *Cap. unico §. ungitur de sacra Unctione.* (15) *In suo Lib. de origine Dedicationum cap. 34.* (16) *Loco citato.* (17) *Tom. 1. de Liturgia Romani Pontificis lib. 2. cap. 14.* (18) *In 4. Sententiarum. dist. 23. quæst. 2. art. 4.*

requirunt, sed etiam vestium benedictionem, in qua Sacrum Chrisma prætermittitur. Hinc ad solum Episcopum pertinere hæc in sua diœcesi perficere. Nam testimonia ex jure prolata id satis clare comprobant, ac fusius auctoritate Anacleti (1), Engel (2), Schmalzgrueber (3), Pasqualig. (4), Cardinalis de Lugo confirmatur (5). Illud solum in controversiam vocatur, an Episcopus pro benedictione vestium, licet Sacrum Chrisma non adhibeatur, simplici Sacerdoti facultatem impertiri possit, quam nonnulli a Summo tantum Pontifice, alii vero etiam ab Episcopo tradi posse contendunt, uti Pasqualig. (6), & Quartus aperte declarant (7).

X. Ut omnem dubitationem exuamus; & cum amplius viginti annis Sacræ Rituum Congregationi interfuerimus, ac supplices Episcoporum libellos audiverimus, ut simplices Sacerdotes pro hujusmodi vestium benedictione deligere sibi fas esset, die 17. Januarii hujus anni nos quoque ad ipsam confugimus, ac delegandi facultatem satis amplam obtinuimus, quæ ad quinquennium protrahitur, novoque privilegio diutius prorogari potest.

XI. Quamobrem juxta acceptam facultatem eorum benedictionem, & consecrationem nobis reservamus, quæ Sacram unctionem exigunt, uti Sacra Congregatio præcipit, quæ facultatem tantum elargita est subrogandi alium Sacerdotem pro benedictione illius supellectilis, quæ sacro Chrismate non oblinitur. Ac ut ritus ejusmodi integre servetur non solum in Urbe, sed in diœcesi, ubi eum neglectum non sine magno dolore percepimus, Vicario nostro Generali, quatuor Dignitatibus, & senioribus Canonicis Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ potestatem facimus consecrandi eam supellectilem, pro qua sacrum Chrisma necessarium non habeatur. Idem per nos liceat quinque Dignitatibus, tribusque etiam Canonicis senioribus Collegiatæ S. Petronii. Item Priori, & quatuor Canonicis S. Mariæ Majoris; qui omnes non suis tantum Ecclesiis, sed aliis quoque urbanis, & suburbanis prospicere possint, dummodo nulli Vicario Foraneo subjiciantur. Idem concedimus Archipresbyteris, ac duobus Canonicis senioribus trium Collegiatarum nostræ Diœcesis pro suis Ecclesiis illorum locorum, in quibus Collegiatæ ipsæ sitæ sunt. Tandem hanc facultatem concedimus Commissario nostro Centensi: Vicario Foraneo pro Ecclesiis Centensibus, cæterisque, quæ ipsius ditioni adscribuntur; item cuilibet Vicario Foraneo, qui in Diœcesi versatur pro Ecclesiis sibi subjectis; omnibus postremo urbanis Parochis pro suis Ecclesiis.

XII. Hoc facto satis consultum putamus, ne desint ullo tempore qui in Urbe, ac Diœcesi vasa consecrent, & indumentis ad rem Divinam necessariis benedictionem rite impertiant. Præterea, licet magnus lapidum numerus a nobis consecratus jam fuerit, tamen si novi afferantur, ad eorum consecrationem nos paratos fatemur. Idem quoque præstabimus, si pro campanis benedicendis, sacrandisque occasio nobis offeratur. Singulis autem notum facimus, si in pervigilio cujuslibet Festi, calicem, aut patenam deferant, consecrationem in sequenti die non esse defuturam. Cum igitur tot delegati numerentur pro earum rerum benedictione, quæ Sac. Chrismate non indigent, nullus excusationis locus diœcesanis superest, si ea supellectili ad Sacrificium utantur, quæ benedictionem antea non acceperit. Ritus, & preces pro his benedictionibus adhibendæ, in Rituali, ac Missali Romano continentur; alias autem preces aliumque ritum inducere penitus interdicitur. Insuper Doctores opinionum varietate inter se disputant, utrum Cingulum, Pluviale, & Pyxis etiam benedictione indigeant. Pro Cingulo eam minime necessariam quidam judicant, cum Can. *Vestimenta de consecratione dist.* 1. de vestibus loquatur, & Cingulo nomen vestis tribui non debeat. Aliqui pro Pluviali consuetudinem nullam benedictionis esse testantur, uti ex Gavanto (8) satis deprehenditur. Nonnulli quoque inter recentiores tradiderunt non opus esse, ut pro Pyxide benedictio adhibeatur, sed vasculum ligneum intus aptandum ea benedictione sacratum, quæ Corporali convenit. Attamen Cingulum sacris vestibus omnino necessarium est, de cujus etiam benedictione in Pontificali Romano mentionem habemus (9). Illud solum interest discrimen, quod in Pontificalibus ante Clementem VIII. Cingulorum, in aliis vero, qui posteriori tempore excusi sunt, Cingulum nuncupatur. Item Pluviale inter vestes sacras adnumeratur, quod in profanos usus converti nefas est; quod etiam Romæ sacrari consuevit. In Rituali, ac Missali Romano benedictio *Tabernaculi, seu Vasculi pro Sacra Eucharistia conservanda* expresse continetur. Cardinalis autem de Lugo (10) acerrime contra P. Vasquez differit, qui ritum innuit consecrandi lignei vasculi, de quo superius dictum est: *Pater Vasquez dicit, ex consuetudine esse necessarium, ut intra Pyxidem, in qua Sacramentum servatur, sit vas aliquod ex ligno, quod benedictione Corporalis benedictum sit. Verum hoc est vitium commune Scholasticis, ut consuetudine judicent ex eo, quod in illa Civitate, aut Provincia, ubi versantur, fieri viderunt. Scimus quippe consuetudinem esse contrariam, quam ego non solum de Roma, sed de aliis Ecclesiæ Provinciis testari possum.* Hinc nos ut magis probabilem, ideoque tenendam eorum sententiam proponimus, qui pro Cingulo, Pluviali, ac Pyxide benedictionem non omittendam fatentur, inter quos Bissius (11), Quartus (12), Pasqualigus (13), aliique numerantur. Illud quoque advertendum est, quod non modo pro novis indumentis benedictio necessario requiritur, sed tunc etiam, cum detrita pristinam formam amittunt, & ad suos usus apta non ducuntur, ideoque ex iis vestibus antea sacratis nova aliqua perficitur alterius generis; veluti si ex pluribus Manipulis Stola, sive Alba ex multis Amictibus, aut e contrario plures Amictus ex Alba conficiantur. Ita Scriptores, qui super hac re monimenta aliqua reliquerunt.

XIII. Priusquam hanc declarationem nostram absolvamus, pauca dicenda sunt de iis, qui præter delegatos a nobis pro rerum Sacrarum benedictione se facultate præditos jure suo arbitrantur. Hujusmodi sunt Episcopi Titulares, qui forte in hac civitate versentur, seu per illam transeant, Præsides Ordinum Regularium, iique Abbates Regulares, quibus insignia Pontificalia permissa sunt, quive Sacerdotio initiati, postquam a nobis benedictionem acceperint, vel etiam sine ulla Episcopi benedictione tali privilegio decorantur, ut Pontificalibus ornamentis uti, primamque Tonsuram, & Ordines minores conferre possint (14).

XIV. Itaque, cum illud certum teneamus, injussu Sedis Apostolicæ benedictionem vestium, & vasorum consecrationem simplici Sacerdoti committi non posse; & cum in responsione Sacræ Congregationis nonnisi ii nominentur, quos superius declaravimus, hinc nullum inter Delegatos nostros constituimus ex Præsidibus Regularibus, neque ex Abbatibus, quibus insignia Pontificalia, aliaque ornamenta conveniunt. Et quamvis aliqui contendant, posse Abbates ad hujusmodi benedictionem, & consecrationem ab Episcopo jure suo delegari (15), quod etiam exemplo confirmant, nempe posse Abbates etiam Clericis Secularibus primam Tonsuram, & Ordines minores tradere, si litteræ Episcopi accedant, quibus id permittatur: id tamen nos minime probamus. Quippe, cum Tridentinum Concilium (16) facultatem Abbatum pro conferendis prima Tonsura, & minoribus Ordinibus certis limitibus concluserit, & ad Regulares ipsis subjectos unice definiverit, hinc sequitur eam nullo modo proferri posse, vel ad Regularem alterius Ordinis, vel ad Clericum Episcopo subjectum, licet per litteras suorum Præsidum id Abbatibus mandaretur. Ita statuit Congregatio Concilii, ejusque Decreta a Fagnano fuse memorantur (17). Ita pariter Alexander VII. die 27. Septembris 1659. constituit, qui Pontificalium usum Abbatibus decernens (18): *Reliqua Pontificalia* (inquit) *extra loca ipsis Abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant, puta Campanarum benedictiones, Calicum, & similium, in quibus Sacra adhibetur unctio, necnon minorum Ordinum collationes.*

XV. Aliter de Episcopis Titularibus dicendum est. Licet enim acerrime defendi possit ipsis licere in aliena Diœcesi benedictionem vestibus impertiri, Altaria, ac Vasa sacrare, pro quibus Chrismatis unctio necessaria est, eo quod pro re gerenda Pontificiis insignibus uti debeant, Baculo scilicet, ac Mitra, quod

(1) *Tom. 3. de consecratione Eccl. §. 2. num. 32. num. 442., & n. 49.* (2) *Eodem tit. §. 1. num. 9.* (3) *Eodem tit. lib. 3. tom. 2. pag. 566. num. 37.* (4) *De Sacrificio novæ Legis quæst. 801. num. 1. & seq.* (5) *De Sacramentis disput. 20. de Sacramento Eucharistiæ sect. 4. num. 91. & num. 98.* (6) *De Sacrificio novæ Legis quæst. 801.* (7) *Ad Rubricas Missalis sect. 4. part. 2. tit. 1. dub. 3.* (8) *De Rubrica Missalis part. 1. tit. 19. num. 3. litt. 1.* (9) *Sub. Rubr. Specialis benedictio cujuslibet indumenti.* (10) *Disp. 20. sect. 4. de Sacramento Eucharistiæ num. 97.* (11) *In sua Hierurgia litt. B. sub. n. 51. §. 8. tom. 1. litt. P. tom. 2. num. 274.* (12) *Ad Rubricas Missalis part. 2. tit. 1. sect. 4. dub. 2.* (13) *De Sacrificio novæ Legis quæst. 800. a n. 9. & seqq.* (14) *Can. Quoniam dist. 69. cap. cum contingat de ætate, & qualitate, cap. statuimus de supp. neglig. Prælat., & cap. Abbates de Privilegio in sext.* (15) *P. Schmalzgrueber ad tit. decretal. de consecrat. Ecclesiæ, vel Altaris §. 2. n. 39.* (16) *Sess. 23. cap. 10. de Reform.* (17) *Cap. Aqua, sub n. 19. de Consecr. Eccles. & Altar.* (18) §. 19.

quod quidem Tridentina Synodus (1) apertiſſime cuilibet Epiſcopo interdicit, cum in aliena Diœceſi verſatur, niſi Ordinarii facultas acceſſerit; tamen cum ipſi Epiſcopali dignitate prædíti ſint, Vaſa, ac Altaria dedicare, & Sacris indumentis benedictionem elargiri poterunt, ſi Ordinarius id permittat, eodem pacto, quo de ejuſdem licentia Ordines conferre poſſunt. Ita diſſerit præclare P. Hieronymus Andreuccius Societatis Jeſu (2).

XVI. Quare præſtantibus his ſententiis adducti, ratione etiam dignitatis, quam in ipſis Titularibus Epiſcopis omni veneratione proſequimur, nos paratos declaramus, ſi aliqua occaſio ferat, poteſtatem facere, quoties eam requirant, ut indumenta, Vaſa, & Altaria dedicent, & insignibus Pontificiis libere utantur.

XVII. Novimus etiam quoſdam Regularium Ordinum Præſides id ſibi tribuere, ut non modo pro ſuis Eccleſiis, verum etiam pro alienis ſupellectilem benedictione conſecrent; Abbates autem nonnulli Altaria, Calices, ac Patenas dedicare ſe poſſe prædicant cum in ſuis Eccleſiis, tum in aliis, quæ ad ipſos nulla ratione pertineant. Fuſe de hac re agunt Paſqualigus (3), & Quarrus (4), & alii, qui contrarias ſententias tuentur, uti ſolet contingere, cum Scriptores rerum fontes, & originem minime perſcrutantur.

XVIII. Si Regulares Præfecti pro hujuſmodi benedictionibus Apoſtolicæ Sedis privilegia certo obtinuerint, noſtro etiam patrocinio eadem confirmabimus. Verum in Synodo præclariſſimi Deceſſoris noſtri Cardinalis Jacobi Boncompagni (5), cum de Abbatibus Regularibus agitur, hæc ſtatuuntur: *Pontificalia extra propriam Eccleſiam non exerceant, nec paramenta benedicant, neque campanas, aut calices conſecrent, niſi pro ſua Eccleſia.*

XIX. In Decreto Alexandri VII., quem ſupra memoravimus, Regularibus Abbatibus pro ſuis tantum Eccleſiis campanas, & calices conſecrare permittitur. Idem paragrapho ſuperiori nempe 18. pro benedictione ſacrarum veſtium a Pontifice præcipitur: *Eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicant.* Cum vero Monachi Congregationis Caſſinenſis ad eundem Pontificem confugiſſent, iis privilegiis ſe præditos affirmantes, quibus eas benedictiones tam pro ſuis, quam pro aliorum Eccleſiis ſe exercere poſſe fatebantur; Sacra Congregatio habita coram eodem Alexandro VII. die 20. Julii anno 1660. hoc reſponſum dedit: *Ad paragraphum decimum nonum, quo vetita eſt Abbatibus benedictio Sacræ ſupellectilis pro uſu alienarum Eccleſiarum, afferentibus Monachis etiam pro aliena Eccleſia ex Apoſtolico Indulto eis licitum eſſe Eccleſiaſticam ſupellectilem benedicere, Sacra Congregatio mandavit exhiberi Indultum authenticum ex Archivio Apoſtolico deſumptum, ac interim abſtineri.* Ignoramus, an tale indultum in lucem unquam proditum fuerit; si id conſtaret, huic noſtræ declarationi adjungeretur.

## INSTITUTIO XXII.

*De Obligatione, qua Medici debent ægrotos ante omnia monere, & inducere, ut Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiant. De veteri Eccleſiæ diſciplina pro abſolvendis in mortis articulo qui gravibus delictis tenentur. Utrum Medicus ægrotum per ſe, vel per alium monere debeat. Utrum poſſit ad illos infirmos accedere, qui intra conſtitutum tempus delicta confiteri recuſaverint. Ob quam morbi ſpeciem Medicus ægrotantem monitum facere teneatur.*

I. INter cæteras controverſias, quæ a ſtudioſis Sac. antiquitatis proponuntur, illa præſertim adnumeratur: *Concederetur ne abſolutio* (inquit P. Mabillon. (6)) *pro ſingulis peccatorum generibus? negaretur ne alicui, licet in articulo mortis? Diſciplina Eccleſiaſtica eſſet ne quoad hoc ubique uniformis?*

II. Cum autem in diſquiſitione rerum, quæ ad veterem Eccleſiæ hiſtoriam pertinent, ab exiguo monumentorum numero difficultas plerumque oriatur, pro diſceptatione, quam modo expoſuimus, tot, ac tanta monumenta ante oculos perpendenda obverſantur, ut magis periti Scriptores in duas partes contrarias abierint. Aliqui, nempe Albaſpinæus, Petavius, Lupus, Juvenin, ac Martene eam ſententiam tuentur, ut ſacram non modo communionem, ſed etiam ſacramentalem abſolutionem ſceleſtiſſimis hominibus, cum animam agerent, denegatam fuiſſe fateantur, licet veræ pœnitentiæ ſigna palam oſtenderent, cujus judicium, & confeſſionis votum divino Judici relinquebatur. Alii vero, inter quos Morinus, & Natalis Alexander id nunquam accidiſſe contendunt. Poſtremus locus inter eos, qui in hac opinione verſantur, tribuendus eſt Tournely, & P. Joſepho Auguſtino Orsi ex Ordine Prædicatorum, non quidem eruditioni, doctrinæque ratione habita, ſed quod poſtremi omnium monumenta ingenii ſui in lucem protulerint. Orsi præſertim in diſſertatione hiſtorica, quam ſuper hac re confecit, quæque Mediolani anno 1730. excuſa fuit, argumenta ſatis accurato ſtudio refellit, quæ ab Albaſpinæo contrariæ ſententiæ principe, ac duce luculenter aſſeruntur (7).

III. Verum, ut omittamus quæ olim contigerint, & quæ ad peculiares ſolum Eccleſias referuntur, uti Carolus Witaſſius expendit (8), numquam Sedes Apoſtolica, unitatis centrum, & omnium Eccleſiarum magiſtra improbavit, ſi cuivis nefario homini, qui veram pœnitentiam apertis indiciis teſtetur, abſolutio concedatur. Cœleſtinus quidem Pontifex initio Seculi quinti pravam conſuetudinem vehementer objurgat, quæ in Provincias Viennenſem, ac Narbonenſem irrepſerat (9): *Agnovimus* (inquit) *pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam mortem morienti addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere? ſalutem ergo homini adimit quiſquis mortis tempore ſperatam pœnitentiam denegarit.* Si ad poſteriora tempora deveniamus, ex jure Canonico (10) legimus conſtitutionem Clementis V. in Concilio generali Viennenſi, in qua Secularium quorumdam Judicum audacia graviter comprimitur, qui capite damnatos impediebant, ne ſua prius ſcelera Sacerdoti commode confiterentur: *Cum ſecundum ſtatuta canonica ultimo deputandis ſupplicio negari, ſi petant, non debeat Pœnitentiæ Sacramentum, abuſum damnabilem in quibuſdam partibus contra hoc introductum aboleri omnino volentes, juſtitiarios omnes, & dominos temporales, ut ab hujuſmodi deſiſtant abuſu, hortamur in Domino, & obſtringimus per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti. Locorum Ordinarios nihilominus injungentes, ut eos ad hoc, cum primum commode poterunt, diligenter monere, & ſi neceſſe fuerit, Eccleſiaſtica cenſura compellere non omittant.* Tridentina quoque Synodus (11), poſtquam de reſervatione delictorum a Summo Pontifice, & quolibet Epiſcopo pro ſua diœceſi ſtatuenda ſermonem habuit, his deinde verbis utitur: *Hanc autem delictorum reſervationem conſonum eſt divinæ auctoritati non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.*

IV. Et profecto nullum eſt peccatum tam grave, tamque acerbum, quod vera pœnitentia non deleatur, ut habetur capite *Firmiter de ſumma Trinitate, & Fide Catholica*: Et *ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari.* Deus ipſe (12) in gratiam, & amicitiam ſe peccatores recepturum fatetur, ſi ad meliorem frugum traducantur: *Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui: juſtitia juſti non liberabit eum in quacumque die peccaverit, & impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Inſuper (ut tradit S. Auguſtinus (13)): *Quis porro tam impie deſipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, in bonam non poſſe convertere? ſed, cum facit, per miſericordiam facit; cum non facit, per judicium non facit.*

Unanimes Theologi conveniunt ad confitenda peccata nos obſtringi, quoties mortis periculum impendat: *Quia ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis* (ait S. Thomas (14)), *tenetur homo in hac vita implere, ideo, ſi periculum mortis immineat; etiam per ſe loquendo, obligatur aliquis ad confeſſionem faciendam tunc, vel ad Baptiſmum ſuſcipiendum, & propter hoc etiam Sanctus Jacobus ſimul præceptum edidit de Confeſſione facien-*

---

(1) *Seſſ. 6. cap. 5. de Reform.* (2) *Tract. de Epiſcopo Titulari, ſen in partibus Infidelium.* (3) *De Sacrificio novæ Legis qu. 803.* (4) *Ad Rubric. Miſſalis par. 2. tit. 1. ſeſſ. 4. dub. 3.* (5) *Lib. 4. cap. 1.* (6) *In ſuo tract. ſtudiorum Monaſtic.* (7) *Part. 4 ſuar. Prælection. Theologic. de Sacramento Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis p. 167. edit. Pariſien. 1728.* (8) *In ſuis Eccleſiaſticis obſervationibus.* (9) *Tract. de Sacram. Pœnitent. par. 2. qu. 7.* (10) *Epiſt ad Epiſc. Viennen., & Narbonen.* (11) *Inter Clementin. Tit. de Pœnitentiis, & Remiſſionibus cap. 1.* (12) *Seſſ. 14. cap. 7.* (13) *Ezech. cap. 33. v. 12.* (14) *In Enchyridion. cap. 98.*

*cienda, & extrema Unctione ſuſcipienda.* Conſtans etiam, ac perpetua Eccleſiæ conſuetudo, quæ vim legis obtinuit, ſummam diligentiam indicit, ne ægroti ex hac vita decedant, quin prius Sacram Euchariſtiam tanquam Viaticum ſuſceperint (1). De Sacramento extremæ Unctionis, ut Græcorum morem præteream, qui illud etiam ſanis hominibus adminiſtrant (2) ita S. Jacobus Apoſtolus (3) ſcriptum reliquit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini.* Hinc ab Innocentio III. (4) poſtrema Unctio *Oleum infirmorum* nuncupatur; & Eugenius VI. in ſuo decreto *hoc Sacramentum non niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari debere* conſtituit. Præterea Tridentina Synodus declarat (5), *eſſe hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vere præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur, unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Si quis autem de hac re Theologorum more diſputare velit, facile id perſuadebit. Sicut enim poteſtas ineſt Eccleſiæ, ut Sacramenta illis neget, qui ad ea ſuſcipienda prorſus indigni judicentur, ita nulla facultate permittitur, ut iiſdem Sacramentis illi carere debeant, qui paratum ad ipſa percipienda animum pateſaciant, & ea, qua fas eſt, demiſſione ſupplices eadem Sacramenta depoſcant (6).

V. Ex his, quæ dicta ſunt, hæc duo aperte conſequuntur; primo præclare uſu receptum eſſe ne in mortis diſcrimine abſolutio ſacramentalis, item Euchariſtiæ, & poſtremæ Unctionis Sacramentum ulli denegentur, licet graviſſimis criminibus teneatur; ſecundo, ut eadem Sacramenta iis ſolum conferantur, qui ad illa ſuſcipienda ſatis idonei exiſtimentur, vel ſaltem *externis* ſignis paratum animum præſeferant, cum intimi ſenſus a Deo ſolum dignoſci poſſint, uti recte S. Cyprianus perpendit (7): *Si autem, quod Dominus avertat a Fratribus noſtris, aliquis ipſorum fefellerit, ut pacem ſubdole petat &c. ſe ipſum fallit, & decipit, qui aliud corde occultat, & aliud ore pronunciat. Nos, in quantum nobis & videre, & judicare conceditur, faciem ſingulorum videmus, cor ſcrutari, & mentem perſpicere non poſſumus. De his judicat occultorum ſcrutator, & cognitor cito venturus, & de arcanis cordis, atque abditis judicaturus.*

VI. Eam mentem non habemus, ut univerſa ea ſigna complectamur, quibus ægroti pro Sacramentis Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis rite ſumendis idonei ſatis judicentur. Illud ſolum nobis propoſuimus, ut tempus pro ægrotis ad Confeſſionem admonendis conſtitutum a jure Canonico, & Apoſtolicis Decretis in mentem iis, ad quos pertinet, revocemus, cum hoc plurimum ſane conferat, ut eadem Sacramenta majori cum fructu percipiantur. Siquidem a piis Sacerdotibus, qui pro muneris ſui ratione morientibus interſunt, nobis non ſine magno animi noſtri mœrore delatum eſt, non ſemel id ægrotis tunc ſolum denunciari, cum jam mentis impotes videntur ob metum vicinæ mortis, vel morbi gravicate omni pene ſenſu deſtituuntur; atque ita locum eſſe dubitandi, num Pœnitentiæ Sacramentum fruſtra ipſis adminiſtretur, cum non modo ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ neceſſario requiratur, ut quis integra mente, ac ratione præditus ſit, ſed illi etiam *graviſſime peccent* (8), *qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipientam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, & religioſam animi voluntatem aſſerere poteſt, Sacro Oleo liniatur.* Nam qui vel leviter Eccleſiæ hiſtoriam adipexerint, plane norunt pravam conſuetudinem tradendæ extremæ Unctionis illis, qui proxime morituri ſunt, ex falſa opinione defluxiſſe, quæ Seculo XIII. in omnem Britanniam majorem pervaſerat, & quæ tunc temporis in Conciliis proſcripta fuit, nempe ægrotum, qui uxorem duxiſſet, ſi poſt extremam Unctionem convaleſceret, nullum deinceps commercium cum illa habere poſſe; cæteris autem, qui poſt extremam Unctionem ad ſanitatem reſtituerentur, carnes omnino per reliquum vitæ tempus interdici.

VII. Præclarum ſane eſſet, ſi Conciliorum ſanctiones, & Pontificum Decreta univerſi percurrerent; præclarius autem, atque utilius, ſi, quæ in illis præcipiuntur, executioni demandarent. Hinc plurima alia bona dimanarent. Quippe nec Epiſcopi ſæpius eorum memoriam in aliis excitare cogerentur, neque plures ea, quæ ignorant, temere objurgarent.

Itaque Summi Pontifices, ſanctaque Concilia non ſolum monuerunt Sac. Euchariſtiam, & poſtremam Unctionem non eſſe conferendas, cum ægrotus in eo diſcrimine poſitus eſt, ut rationis expers Sacramenti virtutem minime intelligat, ſed tempus etiam, quo Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrari oporteat, indixerunt, cum ipſum ad duo reliqua Sacramenta velut aditum pateſaciat.

VIII. Galenus ipſe (9) tradit, ſine ulla diſſimulatione morbi gravitatem, ac periculum ægrotis a Medico detegendum: *Nam, ſi prudentem hominem, præterea non timidum eſſe cognoverit, vera ipſi dicere conaberis, nil eorum, quæ in morbo futura ſunt, ſubtrahens, nec diſſimulans. At, ſi ſtultum, neque timidum, omnia ea, quibus ipſe meliori animo futurus ſit dicito, nec tamen magnopere mentieris. Quod ſi interdum ob extremam laborantis formidinem ipſi certam ſalutem polliceri coactus fueris, egreſſus ſaltem ejus curam gerentibus vera dicito; ita enim nec ille animum deſpondebit, & tu plerumque vera retuleris.*

IX. Sed neque hoc conſilium ab Augenio probatur, qui vitæ amittendæ periculum nullis ægrotis declarandum putat, licet prudentes, ac minime timidi habeantur: *Imaginari* (inquit (10)) *non poſſum hominem tam compoſito futurum animo, qui non contriſtetur ex mortis certo nuntio, cum omnium terribilium finis ſit mors. Quid enim magis exaſperare poſſit morte ipſa non video. Nec eſt, quod quiſpiam dicat; Philoſophos ejuſmodi eſſe; quoniam, hoc falſum eſſe convincitur, quod ille, qui mortis Dominus erat, Patri dixit: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte.* Verum hæc omittamus, quæ pagano potius, quam Fideli apte conveniunt; & quid Ezechiæ Regi, cum gravi morbo decumberet, Iſaias libere denuntiaverit, animo reputemus (11): *Hæc dicit Dominus Deus: præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non vives.* Hinc ad ea quæ conſtituit Eccleſia deveniemus. Ipſa quidem pro animarum ſalute magnopere ſollicita, quid a Medicis gerendum ſit, ſapienter edixit, ut ſibi commode ægroti conſulere poſſint, & ad mortem forti animo ſubeundam præparari.

X. In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. hæc habentur (12): *Cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido quem ſanaverat: vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat; præſenti decreto ſtatuimus, & diſtricte præcipimus Medicis corporum, ut, cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant, quod Medicos advocent animarum, ut, poſtquam fuerit de ſalute animarum proviſum, ad corporale medicina remedium ſalubrius procedatur, cum ceſſante cauſa, ceſſet effectus:* Deinde Concilii Patres cauſam afferunt, quæ ad illa ſtatuenda maxime impulerit: *Hoc quidem inter alia huic cauſam dedit Edictio, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, unde facilius periculum mortis incurrunt.* Poſtremo delinquentes hac pœna mulctantur: *Si quis autem Medicorum noſtræ conſtitutionis, poſtquam per Prælatos fuerit publicata, tranſgreſſor extiterit, tamdiu ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec pro tranſgreſſione hujuſmodi ſatisfecerit competenter.*

XI. Anno 1511. in ſecundo Concilio Ravenate eamdem Conſtitutionem Clemens V. renovavit (13): *Monemus* (inquit) *omnes inſuper Medicos, quod, quando vocati fuerint ad infirmos, non ulterius redire habeant, nec curare eoſdem, niſi prius eis conſtiterit, quod ipſi infirmi prædicti Medicum advocaverint animarum, & eis fuerit de animarum ſalute proviſum; & ſi quis Medicorum contemptor hujus monitionis extiterit, tamdiu ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec de tranſgreſſione hujuſmodi ad arbitrium Ordinarii ſatisfecerit competenter.*

XII. Sanctus autem Pius V. (14) non modo eadem confirmat, quæ in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. proposita fuerunt, & ad illa obſervanda vehementer hortatur, ſed alia quoque decernit: ac primum: §. 3. *Quod omnes Medici, cum ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia moneant, ut idoneo Confeſſori omnia peccata ſua juxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ confiteantur; neque tertio die ulterius eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor ob aliquam ratio-*

(1) *Can.* 13. *Concilii Nicæni, & Can.* 70. *Concil.* 4. *Carthaginen.* (2) *Ita Arcudius, Jacobus Goar., & Leo Allatius.*
(3) *Cap.* 5. *Epiſtolæ ſuæ v.* 14. (4) *Cap. unico de Sac. Unctione.* (5) *Seſſ.* 14. *cap.* 3. *de extrema Unctione.*
(6) *Cap.* 3. *differt. P. Orſi ſuperius allatæ.* (7) *Epiſt.* 2. *Synodica Concilii* 2. *Carthaginen.*
(8) *In Rom. Catechiſ.* §. 18. *de extrem. Unctione.* (9) *De morbis vulgaribus in* 6. *com.* 2. *text.* 43.
(10) *Epiſt.* 2. *lib.* 6. (11) *Lib.* 4. *Regum cap* 20. *v.* 1. (12) *Cap. cum infirmitas, de Pœnitent., & Remiſſionibus.*
(13) *Rubrica* 15. *de Pœnitentiis.* (14) *Conſtitut.* 7. *Bull. Rom. t.* 2.

*tionabilem cauſam, ſuper quo ejus conſcientiam oneramus, conceſſerit, & eis per fidem Confeſſoris in ſcriptis factam conſiteretur, quod infirmi, ut præmittitur, peccata ipſe confeſſus fuerit.* Et §. 5.: *Quod ultra pœnas in dicta conſtitutione contentas, quas incurrere declaramus: perpetuo ſint infames, & gradu Medicinæ, quo inſigniti erant, omnino priventur, & a collegio, ſeu univerſitate Medicorum ejiciantur, ac pœna etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, mulctentur.* §. 6. denique: *Præcipimus, & mandamus, ut nullus poſthac ubique locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas a quovis collegio, & univerſitate concedatur, niſi omnia in præſenti noſtra conſtitutione contenta, medio eorum juramento, coram Notario publico, & teſtibus obſervare in eorum manibus vel Ordinarii juraverint; & de hujuſmodi juramento in Privilegio, ſeu licentia medendi ſpecialis mentio fiat. Quod, ſi collegia, & univerſitates præfatæ, non recepto a promovendis juramento hujuſmodi, eoſdem ad gradum prædictum promoverint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, pœnam privationis facultatis alios ulterius doctorandi incurrant.*

XIII. Gregorius XIII. in ſua 68. conſtitutione (1), ubi infidelibus, atque Hebræis facultatem medendi Chriſtifidelibus interdicit, omnia, quæ a Concilio Lateranenſi, & S. Pio V. præcipiuntur, iterum confirmat. Eaſdem leges ſedulo obſervandas plura Concilia provincialia, ac diœceſana indixerunt, inter quæ illud Cardinalis Jacobi Boncompagni (2) Deceſſoris noſtri merito eſt adnumerandum.

XIV. Veteres Theologi omnia, quæ in Lateranenſi Decreto continentur, unice tradiderunt; & cum nihil dubium, aut obſcurum in eo viderent, nullo pacto interpretandum cenſuerunt (3). Silveſter autem (4) ea verba Conſtitutionis *diſtricte præcipimus* expendens, ejuſdem legis violationem cum lethali culpa conjunctam arbitratur; neque ulla conſuetudine, aut temporis diuturnitate ipſam abrogari poſſe, cum ad animarum ſalutem pertineat.

XV. Sed poſtquam S. Pii V. conſtitutio in lucem prodiit, licet inde Lateranenſe Concilium magis infirmandum videretur, aliæ tamen a Theologis diſputationes excitatæ fuerunt; ac ea præſertim, utrum contrario uſu debilitari, frangique poſſet, cum legis tantum humanæ rationem præſeferret; quod aliqui adfirmandam. Nonnulli vero eo devenerunt, ut contraria conſuetudine eam legem jam obſoleviſſe libere ſenſerint. Alii demum hanc ſententiam tuebantur, diplomata Pontificia, & jusjurandum eam vim ſolum habere, quam ab uſu communi reciperent (5). Attamen, qui hanc legem jam obſoletam prædicant, cum jusjurandum a Medicis, qui medendi facultatem poſcunt, ſemper requiratur, res contrarias ſimul copulare nituntur, conſuetudinem nempe jurisjurandi, quam memoravimus, & legitimam pariter conſuetudinem, qua ab ipſius jusjurandi religione immunes ſe prædicant. Inſuper legis obſervantiam ex conſuetudine dijudicare, cum hæc juratæ antea legi adverſetur, idem prorſus eſt, ac conſuetudinem convertere in pravum uſum, quem ſane deteſtandum, & animarum ſaluti pernicioſum nemo non intelligit.

XVI. Alia quoque a Scriptoribus diſceptantur, utrum Medicus ipſe de imminenti vitæ periculo ægrotum admonere debeat, an uti poſſet familiaris opera, vel Religioſi viri, qui has partes ſibi tribuat. Zacchias medendi laude præclarus (6) ad Medicum id unice ſpectare tradit, quem Sacræ Conſtitutiones obſtringunt; cum præſertim ægroti majorem Medico, quam cæteris fidem præſtare conſueverint. Eam ſententiam Baptiſta Codronchius Philoſophus, ac Medicus Imolenſis (7) antea ſuſceperat. Alii vero Theologi illo communi effato ducti, *quod qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*; ſatis eſſe contendunt, ſi Medicus præſtantem aliquem virum adhibeat, ut ipſius monitu Pœnitentiæ Sacramento ægrotus expietur. Tunc etiam magis conſultum erit, ſi ille Medici juſſionem intercedere ægroto ſignificavit (8).

XVII. In dubium etiam vocatur, utrum Medicus ægrotum deſerere teneatur, ſi poſt tertium diem a S. Pio V. conſtitutum, confiteri recuſet; quam diſputationem ea verba Pontificiæ Sanctionis induxerunt, *neque tertio die eos viſitent* (9). Itaque ſi morbus adeo gravis eſt, ut ſine ope Medici mortis periculum immineat, tunc Pontificis Decretum ita explicari poſſe Theologi, canonum interpretes, ac Medici unanimes fatentur, ut tunc vim non habeat; videlicet, ut ægroto, ſi forte convaluerit, ad meliorem frugem redeundi locus relinquatur. Inter Theologos hi præcipue numerantur Suarez (10), Diana (11), Sanchez (12), Soto, Cardinalis de Lugo in iis libris, quos ſuperius innuimus, quibus etiam Caſtropalaus (13), ac Theſaurus (14) adjici poſſunt. Inter Canonum interpretes Pirhinghius (15), Schmalzgrueber (16) nominantur: Codronchius (17) vero, qui aliter ac reliqui Medici ſenſit, his verbis a Zacchia plurimum improbatur: *Ego quidem, ut libere ſenſum meum patefaciam, nimis rigoroſam, ac duram exiſtimo Codronchii ſententiam, & omnino, ſi quid mihi in hoc pronunciare licet, dixerim, quod, quandocumque immineat evidens vitæ periculum, ſi Medicus deſerat infirmum, non debeat illum deſerere, immo puto, quod peccaret, deſerendo: in illis autem caſibus, quando videret pertinaciam infirmi, credo, quod omnino teneretur illum deſerere, & maxime, ſi adſit copia aliorum Medicorum.*

XVIII. Illud tamen difficilius eſt judicare, quæ morbi conditio, & gravitas Medicum obſtringat, ut ægrotum de ſuſcipiendo Pœnitentiæ Sacramento commoneſaciat. Si mortis diſcrimen impendeat, tunc procul dubio Jus naturale, ac Divinum Medicos adigunt ægrotum hortari, ut animæ ſaluti proſpiciat, idque a Pœnitentiæ Sacramento potiſſimum auſpicetur. Sin autem periculum evidens non ſit, tunc cum Suarez reliqui Theologi conveniunt (18), qui ita habet: *Itaque exiſtimo, obligare hanc legem in morbo gravi, vel qui prudenter judicatur a Medico in principio periculum mortale eſſe, ut mortalis fiat.* Zacchias ab hoc onere Medicos vindicat, cum morbi leves habentur, nempe ſi nullum mortis periculum obiciatur, neque morbi cauſa diu lectulo ægroti detineantur. Aliter vero eſt, ſi graviori morbo vexentur, nempe ſi ipſe, licet initio levis videatur, tamen externis ſignis, apparatu, cauſisque morbi lethalem evaſurum non inan. conjectura Medicus deprehenderit, licet remediis periculum depelli poſſe confidat. Tandem gravem morbum exiſtimat, qui cum febri, licet intermittenti, conjungatur: *Quia, tametſi morbus cum tali febri levis videatur, rationabiliter tamen ſemper timendum, ne gravis fiat, cum febris quæcumque, ut alias ex Galeno dixi, ſit cauſa, & ſignum pernicioſiſſimum*, ut videri poteſt (19). Codronchius his verbis ſuam opinionem declarat (20). *Quamobrem ego arbitror, multo tutius eſſe, ut non ſolum in morbis periculoſis Chriſtianæ charitatis officium præſtet Medicus, ſed etiam in aliis, quos evaſuros eſſe capitales non inani conjectura judicaverit, præſertim ſi æger in cubili recumbit. Placetque mihi ſummopere, quod monet Cajetanus, Medicum non ita obligari, ut ad omnes morbos debeat eamdem adhortationem inculcare, ne ea res ludibrio, & deſpectui habeatur, ſed ne morbum quidem debere expectari periculoſum. Nam neque ægrotantis ſaluti valde conſultum eſſet, neque ſententiæ ſancti Decreti ſatisfieret, medicam quamdam rationem tenendam eſſe, ut tunc de Confeſſione verba fiant, quando morbus ejuſmodi eſt, ut neceſſario lectum requirat, non tamen intelligatur, quando æger ſibi nimium indulgens, vel podagra, vel conſimili affectu laborans in lectulis libenter conquieſcat: idque conſentit cum verbis conſtitutionis Pii V., in qua eſt aliud aperte ſcriptum ad ægrotos in lecto jacentes. Omnes tamen Doctores admonet, ſalubre conſilium, atque in primis tutum eſſe in omni morbo eadem adhortatione uti.*

XIX. Quando cum Medicis res agitur, ipſorum teſtimoniis uti maluimus; ſed cum id Theologis, & Canonum interpretibus magis apte conveniat, aliam viam ingrediemur. Itaque ſi Lateranenſe Concilium, quod S. Pii V., aliorumque Pontificum auctoritate confirmatum fuit, Medicis præcipit, ut de ſuſcipiendo Pœnitentiæ Sacramento ægrotos moneant, quæ animarum, corporumque ſaluti opportune conſulant, eamque cauſam Patres afferunt, quod ægroti ad confitendum adacti pror-

(1) *Bull. Rom. t. 2.* (2) *Lib. 4. cap. 9.* (3) *In Summa S. Raymundi de Pennafort. impreſſa Avenione 1715. lib. 3. §. 23.* (4) *In Summa ad illud verbum Medicus v. 2.* (5) *Sanchez ad præcepta Decalogi lib. 3. cap. 16. num. 14. & 15.* (6) *In ſuis quæſtionibus Medico-legal. lib. 6. c. 2. quæſt. 4. n. 10.* (7) *In tract. de Chriſtiana, ac tuta medendi ratione lib. 1. cap. 17.* (8) *Diana edit. coord. t. 1. tract. 3. reſol. 198. & 199. Sanchez ad præcepta Decalogi lib. 3. c. 16. n. 1. Card. de Lugo de Sacram. Pœnit. diſp. 15. ſect. 3. n. 38. Soto Controv. lib. 5. controv. 7. c. 2. n. 9.* (9) *Suarez part. 4. Divi Thomæ tom. 4. diſp. 35. ſect. 3. ſub num. 5.* (10) *Loco citato.* (11) *Loco ſuprac.* (12) *Num. 10.* (13) *Tract. 14. de obligat. & firmitate juramenti diſput. 2. punct. 7. §. 4. num. 5.* (14) *De pœnis Eccleſiaſticis ad illud verbum Medici, cap. 1. par. 2.* (15) *Lib. 5. Decret. de Pœnitentiis, & remiſſionibus tit. 18. ſect. 1. §. 4. num. 18.* (16) *Eodem tit. num. 101. & 102.* (17) *Loco citato num. 12.* (18) *Loco citato num. 4.* (19) *Quæſt. cit. num. 5. & ſeq.* (20) *Loco cit.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

prorſus animo concidunt, & morbi gravitatem augent; cum, inquam, hæc ita ſint, neceſſario ſequitur hujuſmodi deſperationi magis aditum patefieri, ſi Medicorum admonitio tunc fiat, cum morbus pene ad extremum redigitur, vel redigi poteſt. Hoc tamen malum evitabitur, ſi juxta Sacras conſtitutiones ægroti moneantur, cum diſcrimen vitæ nondum impendeat, nec ullum futuri diſcriminis indicium videatur.

XX. Hæc a S. Antonino (1) didicimus, qui ſic habet: *Et nota quod aliqui Medici obſervant circa infirmos, cum vident infirmitatem mortalem, & non alias; licet iſti non adimplent Conſtitutionem, quod patet ex ipſo textu Decretalis. Dicitur ibi poſt ſuperius in principio paragrabi poſita: Hoc inter alia cauſam dedit edicto; quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, & facilius mortis periculum incurrunt: ubi dicit Joannes Andreas; ex quo vere ſcient infirmi, in omni infirmitate mortali hoc Medicos dicere, & non mortali ex præcepto, ceſſabit timor, & periculum.* Silveſter eamdem ſententiam amplectitur (2). *Summa autem* (inquit) *Angelica, & Summa Roſella non intelligunt iſtam conditionem quantum ad omnem infirmitatem, ſed ſolum quantum ad periculoſas, & dubias ſecundum ſe, id eſt quæ poſſunt probabiliter inducere periculum mortis, in quo ipſe infirmus confiteri tenetur; ſed iſtam opinionem expreſſe Archidiaconus per textum videtur evertere dicens, quod Medici hoc obſervantes ſolum, cum ægritudinem mortalem viderint, non adimplent Conſtitutionem, quæ ſubdit, inter cætera hujus edicti cauſam fuiſſe, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis ſuadetur ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt: ubi dicit Joannes Andreas, quod, ex quo infirmi ſciant hoc Medicos dicere in omni infirmitate mortali, & non mortali ex præcepto, ceſſabit timor, & periculum. Hæc ex illo: & ideo ſimpliciter, & indiſtincte dicendum eſt cum textu, eos ad hoc teneri, cum eos ad infirmos vocari contingit; maxime, quia, ſi infirmitas levis aggravaretur tantum, ut infirmus teneretur confiteri, ſi tunc Medicus ſuaderet Confeſſionem, infirmus timoret quateretur ut plurimum, quod in textu cavetur. Nec oportet dicere, uti dicit Summa Roſella, hoc nimis eſſe durum, quia facile eſt Medico dicere, pro debito præcepti mihi facti intor ad Confeſſionem, quæ prodeſſe poteſt, obeſſe non poteſt.* Præclarus Medicus Gaſpar a Reyes (3) hanc opinionem cum ægrotis perutilem, tum Medicis tutiſſimam fatetur; quam juri Canonico magis congruere inter Canonum interpretes Schmalzgrueber, ac Pirhinghius teſtantur (4). Sed hoc præcipue experientia magiſtra comprobatur. Cum enim in Noſocomiis etiam, qui periculoſo morbo non laborant, excipiantur, & ſingulis indicatur, ut Sacramento Pœnitentiæ prius animam expurgent, tamen cognitum ſatis eſt id deſperationem eos minime prorumpere, ob eam ſane cauſam, quod legem hujuſmodi in Noſocomiis conſtitutam intelligunt, licet nullum vitæ periculum ex morbo deprehendatur.

XXI. Confidimus hac noſtra declaratione pro eo, quod gerimus, munere voluntati eorum ſatisfeciſſe, ac morem geſſiſſe, qui magno ſtudio nobiſcum egerunt, ut pro rei magnitudine, & gravitate ægrotantium ſaluti conſuleretur. Nam perſpectam habemus Medicorum, qui in hac civitate verſantur, doctrinæ præſtantiam, ac probitatem, ex quibus etiam ſingularis gloriæ ornamentum in patriam ipſam dimanare ſatis cognoſcimus, cum illi per univerſam Italiam, aliaſque Europæ regiones plurimum celebrentur. Hinc Pontificum ſanctionibus quin ultro, ac ſedulo pareant non dubitamus, iiſque conſiliis, quæ pro animarum, corporumque ſalute tutius comparanda paulo ſuperius explicavimus.

## INSTITUTIO XXIII.

*De Sacris Regularium Ordinationibus. Utrum Regulares privilegio ſuſcipiendi Ordines extra tempora generatim gaudeant, ita, ut ſinguli Regulares Ordinandi peculiarem a Sancta Sede facultatem obtinere minime debeant. Romæ in præſentia nullum aliud privilegium, niſi illud PP. Societatis Jeſu admittitur: Regulares ab Epiſcopis, in quorum Diœceſi morantur, Ordinibus eſſe initiandos. Quænam cauſæ Regulares ab hac lege immunes faciant.*

I. POſtquam Archiepiſcopalis hujus Eccleſiæ curam ſuſcepimus uſque ad hanc diem, graviſſimo muneri, cum de conferendis Ordinibus ageretur, pro noſtrarum virium tenuitate ſatisfacere contendimus. Quippe nos ipſi Congregationi interfuimus, quæ pro examinandis eorum meritis, qui Ordines poſtulant, a nobis inſtituta fuit, vel cum ipſi ad examen pro cognoſcenda eorum doctrina vocarentur. Neque præſtitutis ab Eccleſia temporibus Sacramentum Ordinis conferre unquam prætermiſimus; & cœtibus præſertim Regularibus paternam benevolentiam, & de virtute ipſorum opinionem noſtram declaravimus. Nam, cum opus fuit, faciliori examine ipſos, quam Seculares Clericos excepimus, uti Patres Salmanticenſes monuerunt (5), eorumque Præfectis rogantibus Interſtitiorum lege liberavimus, quod ad nos unice pertinet, ut fuſe Marchinus (6) oſtendit, Decretoque Sacræ Congregationis Concilii clare deprehenditur, ubi (7) conſtituitur, poſſe Epiſcopum animi ſui ſententiam, cum Regularibus immunitatem ab Interſtitiis elargitur, cum Præfectis Regularium conformare, qui de honeſta cauſa ad hujuſmodi privilegium obtinendum litteris ſuis teſtantur. Poſtremo non ſine gravi incommodo, quod in civitate Regularium copiæ affluenti neceſſarium eſt, non modo per dies feſtos Regularibus univerſis nimis fortaſſe indulgenter Ordines adminiſtravimus, ſed præter ea tempora, quæ a jure Pontificio pro Sacris Ordinationibus indicendis ſtatuuntur. Cum hæc ita ſint, tamen aliquid contra auctoritatem noſtram ſuper hac re contigiſſe accepimus, & nos ipſi vidimus, quod non ſane pluribus, ſed nonnullis Regularibus tribuendum eſt. Quare adducti ſumus, ut hanc declarationem promulgaremus, in qua auctorum nomina, ne Chriſtianæ charitatis leges violentur, ſilentio præteribimus, ut ſibi conſulere occulte poſſint; ac ne cæteri in eamdem culpam tam pernicioſo exemplo trahantur. Tunc enim ea remedia, licet inviti, adhiberi cogemur, a quibus libenter abſtinuimus.

II. Itaque Ordines Regularibus per dies Feſtos, licet extra tempora pro Ordinationibus obeundis propoſita, fortaſſe nimia facilitate, atque indulgentia nos contuliſſe ſuperius oſtendimus. Nam etiam inter Regulares aliqui, tanquam tutiorem ſententiam defendunt, nullo privilegio ad Ordines recipi *extra tempora* Regulares poſſe, ſed omnino requiri, ut ſingularem a Sede Apoſtolica pro ea re facultatem conſequantur (8).

III. Huc accedit, quod Tridentina Synodus (9) decrevit, Sacras Ordinationes *ſtatutis a jure temporibus* faciendas eſſe; atque ita privilegia penitus abrogavit, quibus antea Regularium cœtus fruebantur, ut nempe Regulares ipſi *extra tempora* ad Ordines ſuſcipiendos admitterentur. Pius autem IV. in eo Decreto (10), ubi Tridentinam Synodum confirmat, univerſa privilegia, quæ illius ſanctionibus adverſentur, penitus abrogata, ac deleta declarat, eaque illis ſolum terminis concludit, quæ a Sacra Synodo perſcribuntur. In hanc ſententiam unanimes conveniunt ex Ordine Carmelitarum Lezana (11), Pirhinghius Societatis Jeſu (12), & Mattheuccius Franciſcanus (13).

IV. Poſtremo, cum per plures annos Sacræ Congregationi Concilii a Secretis fuerimus, nullum aliud privilegium *extra tempora* probari advertimus, niſi illud quod Patribus Societatis Jeſu conceſſum fuit, non quidem a Paulo III. (14), quod Synodum Tridentinam anteceſſerat, verum a Gregorio XIII., qui poſt eamdem Synodum Pontificatum obtinuit (15). Idem privilegium deinde a Paulo V., & ab Innocentio XII. confirmatum fuit, qui cum certos limites peculiaribus immu-

(1) *In Summa tom. 3. tit. 7. cap. 2. §. 4.* (2) *In ſumma ad illud verbum Medicus, verſic. tertium.* (3) *In ſuis quæſtionibus quæſt. 35. ſub. num. 4. §. Sed hæc opinio.* (4) *In locis ſupra citatis.* (5) *Tom. 2. Theol. Moral. tract. 8. c. 5. dub. 2. punct. 2. num. 47.* (6) *De Sacramento Ordinis part. 7. cap. 12. num. 2. & ſeqq.* (7) *In cauſa Aquinen. an. 1589. lib. 6. Decret. pag. 81.* (8) *Miranda ex Minorib. Obſer. S. Franciſci t. 1. quæſt. 38. art. 4. in concluſione: Paſſerinus ex Ordine Prædic. de ſtatu hominum tom. 5. quæſt. 189. art. 10. inſpect. 10.* (9) *Seſſ. 23. cap. 8.* (10) *94. Bullarii tom. 2.* (11) *Operum Moralium com. 2. verb. Ordines Sacri num. 19.* (12) *Lib. 1. Decretal. tit. 11. ſect. 1. ſub. num. 8.* (13) *In Officiali Curiæ Eccleſiaſticæ cap. 35. num. 4. in fine.* (14) *In ſua Conſtitut. 48. §. 19. Bullarii tom. 1.* (15) *In ſua Conſtitut. 77. Bullari tom. 2.

munitatibus *extra tempora* ſtatueret, & Regulares etiam nominaret, Societatis gratia palam edixit illœſum velle illud privilegium, quod ipſa a Gregorio XIII. prius acceperat. Ita clare deprehenditur e ſcheda, quæ Romæ ſub eodem Pontifice divulgata, ac poſtea in Theologiam Moralem Patris La Croix ex ipſa Societate inſerta fuit (1). Inſuper cautum eſt in Decreto Gregorii XIII. (2) non poſſe idem privilegium ad alios Ordines diffundi, qui ſunt, vel aliquando participes erunt omnium immunitatum, quæ in Societatem Jeſu conferuntur: *Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua privilegia cum ipſa Societate copioſe participant, & participare poterunt, quomodolibet in futurum fieri, omnino prohibemus.* Illud vero certum eſt juxta Suarez ex Societate Jeſu (3) non poſſe hujuſmodi privilegii in partem admitti, niſi in communicatione, quæ petitur, ejuſdem privilegii expreſſa mentio contineatur, vel omnino declaretur tribui participationem earum quoque immunitatum, quæ antea interdicebantur.

V. In Concilio ſane, quod Benedictus XIII. Romæ celebravit, ubi Pontificis beneficio inter Juris Canonici interpretes adnumerati ſumus hæc habentur (4): *Quo vero ad Regulares Privilegia a Summis Pontificibus habentes ſive expreſſe, ſive per viam communicationis conceſſa, Sacros videlicet Ordines extra tempora ſuſcipiendi, cum privilegia ipſa in ſuo robore perſiſtant, nec iis derogatum fuiſſe conſtet, decernimus proinde, Regulares eoſdem abſque novo Indulto Apoſtolico tuto poſſe extra tempora ordinari.* Cum tamen eo loco non caveatur *ſive expreſſe, ſive per viam communicationis ante Concilium Tridentinum conceſſa:* hinc non ſequitur auctoritate ejuſdem Romani Concilii finem minime impoſitum eſſe controverſiæ. Nam ea ſemper ratio in medium producitur, per Tridentinam Synodum (5) abrogata fuiſſe ſingula privilegia, quæ antea ferebantur. Neque id vanum, aut ingenio fictum dici poteſt, cum ob eam cauſam Romæ privilegium *extra tempora* pro Patribus Societatis Jeſu ſolum probetur, qui poſt Tridentinum Concilium id ipſum aſſequuti ſunt. Cæteri autem Regulares *ad Ordines extra tempora* ſuſcipiendos minime accedunt, niſi peculiarem antea facultatem ſibi comparaverint.

VI. Hæc diximus non eo quidem animo, ut quæ olim Regularium gratia perfecimus, nos improbemus, vel diverſam rationem deinceps ineundam cupiamus. Ipſis in poſterum ordines *extra tempora* conferre non deſinemus, ſi cætera, quæ neceſſario requiruntur, efficiant; ac præſertim ſpiritualibus exercitiis de more operam ſe dediſſe ſcriptum deferant teſtimonium. Neque ſane ullum incommodum ab hac voluntate nos retardabit, donec Sedis Apoſtolicæ auctoritate contrarium ſtatuatur, idque nobis debita ratione declaretur. Fatemur ſolum omnia ſingillatim, quæ ad diſciplinam pertinent, nos exequuturos, ſtatim atque ab ipſa Sede Apoſtolica perſcribentur; Siquidem in dubium vocari nequit, quod a Patre Pellizzario Societatis Jeſu traditur, *in Manuali Regularium* (6), ubi hæc pariter ſubdit: *Bonum eſt habere Judicem propitium.* Hæc igitur memoravimus, ut palam notum ſit, quantum officio erga nos, gratoque animo perpauci Regulares defuerint, cum de Sacris Ordinationibus res haberetur. Illi quippe cum Ordinem Diaconatus a nobis accepiſſent, vel ſtatutis a jure temporibus, vel etiam extra illa tempora juxta privilegium, quod Ordini ſuo traditum aſſerebant, ad Sacerdotium aſcendere ſtatim contenderunt. Fruſtra admoniti ſunt id fieri non poſſe, niſi aliquod temporis ſpatium intercederet, Ordiniſque ſui privilegio Epiſcopum non obſtringi, ut Ordines *extra tempora* conferret. Scribam noſtrum adiverunt, ut Sacras Ordinationes a nobis pretermitti toſtaretur. Cum vero intelligerent hoc in more poſitum non eſſe, niſi cum Ordinationes ſtatutis a jure temporibus non obirentur, audacter reſponderunt, ſe alio migraturos, ubi ad Presbyteratus Ordinem reciperentur: nec ab eo conſilio removeri potuerunt. Nam litteris a ſuo quiſque Præſide acceptis extra Diœceſim rem perfecerunt, ac in Urbem tamquam victores reverſi, primo Miſſæ Sacrificium celebrarunt, & iiſdem in ædibus, quibus antea immorati ſunt. Atque ita Præſides, qui eas litteras dederunt, Regularis, qui Presbyteratum obtinuit, & Epiſcopus ipſe, qui Ordinem contulit, pœnis obnoxii fuerunt, quæ a jure Pontificio conſtituuntur.

VII. Qui diligentius rem expendet, tantam celeritatem animique impetum, quo poſt Diaconatum ſtatim Sacerdotium appetunt, Sacramenti Ordinis dignitati, ac venerationi parum conſentaneum merito judicabit. Non levi etiam conjectura ſuſpicabitur, viam, quam ſuperius oſtendimus, ingreſſos eſſe, licet alieniſſimam, nempe ut noſtrum examen humaniſſimum declinarent, & ad eos confugerent, a quibus fortaſſe ſine ullo examine ob ſolam viri Regularis opinionem, licet de facie minime cogniti, Ordinem acciperent. His tamen omiſſis, ſolum fatebimur id ex ignorantia juris Pontificii fluxiſſe, cujus ſanctiones ideirco oculis ſubjicere, & in mentem revocare Apoſtolici muneris ratione ducimur.

VIII. Igitur, ut eas ſequamur, Regularis debet ab illo Epiſcopo Ordines ſuſcipere, in cujus Diœceſi Monaſterium ſitum eſt (7). Juſtis ſanctiſque de cauſis ab Epiſcoporum poteſtate Summi Pontifices Regularium Ordines liberos immuneſque fecerunt, quorum primus communi opinione fertur Adeodatus Pontifex, qui hoc privilegium Cœnobio S. Martini in Urbe Turonenſi impertivit. Verum neque per hanc, neque per alias immunitates, quæ poſteriori tempore conceſſæ fuerunt, juxta Thomaſſinum (8) violari unquam potuit Epiſcoporum auctoritas in iis omnibus, quæ ad Sacras Ordinationes pertinere judicantur. Poſt hæc Regulares a Sede Apoſtolica obtinuerunt, ut a quolibet Catholico Epiſcopo ad Ordines ſuſcipiendos admitterentur (9). Sed Lateranenſe Concilium, Leone X. Pontifice, Regularibus indixit, ut ab Epiſcopo ejus loci, in quo degunt, Ordines reciperent, niſi forte a Diœceſi longe abeſſet, vel nulla ratione adduci poſſet, ut Ordines adminiſtraret (10). Poſt idem Concilium Tridentina Synodus hoc modo præcepit (11): *Unuſquique autem a proprio Epiſcopo ordinetur.* Excitata tamen fuit controverſia, an Sacri Concilii Decretum Regulares etiam complecteretur; quos S. Pius V. immunes declaravit (12), & ad quemlibet Catholicum Epiſcopum libere remiſit. Cum tamen graviora diſſidia inter Epiſcopos & Regulares in dies orirentur, Gregorius XIII. S. Pii Conſtitutionem ad Sacros Canones, Conciliique Tridentini ſententiam conformavit (13), cum præſertim, uti Gregorius probe noverat, S. Pius non ſemel queſtus eſſet, in eo Decreto mentem ſuam haud ſatis explicatam fuiſſe; propterea quod eam idem Decretum immutaſſet, niſi morte ſublatus fuiſſet. Itaque ob eas cauſas Gregorius Pontifex juſſit, Regulares illo ab Epiſcopo ordinari, in cujus Diœceſi Cœnobium poſitum habent, vel ab ipſo ſcriptas litteras obtinere, quibus ab aliis Epiſcopis rite ad Ordines ſuſcipiantur (14). Vita functo Gregorio XIII. renunciatoque in Pontificem Sixto V. temporis opportunitatem ſe nactos putaverunt Regulares, ut ſe a Gregorii XIII. Conſtitutione vindicarent. At Sixtus Pontifex re diligenter expenſa, cum Procuratores etiam Generales Ordinum Regularium in propria cauſa differentes audiiſſet, ſtatuit, ut Ordinato Regularium ad Epiſcopum loci ſolum referretur. Præfectis autem Regularium conceſſit litteras ſibi ſubjectis, ad eumdem tamen Epiſcopum inſcriptas elargiri, vel alio cuilibet Epiſcopo, ſi ille a ſua Sede abfuerit; *dummodo ab Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam* (15). Poſtremo Sacra Congregatio Concilii omnem controverſiam penitus dirimit, cum Clemens VIII. Pontificatum gereret, & Decretum promulgavit, quod ab eodem Pontifice confirmatum fuit.

### *Decretum Clementis Papæ VIII. circa Ordines a Regularibus ſuſcipiendos.*

*De mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Divina Providentia Papæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cætero obſervent, & obſervari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor eſt talis: Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo Subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, Litteras Dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis poſitus fuerit, &, ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, exami-*

(1) *Theol. Moral. lib. 6. part. 2. ſub. num. 2194.* (2) §. 4. *Bullar. citat.* (3) *De Legibus lib. 8. cap. 17. ſub. num. 8.* (4) *Tit. 5. cap. 8.* (5) *Loco ſupra allato.* (6) *Tom. 2. tract. 8. cap. 2. ſect. 3. num. 173.* (7) *Can. ſi quis, diſt. 58.* (8) *De veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina part. 1. lib. 3. cap. 30. ſub. num. 9.* (9) *Hallier. de Sacris electionibus tit. de Regularibus Ordinandis §. 8. num. 28.* (10) *In Decreto 22. Leonis X. §. 11. Bullar. tom. 1.* (11) *Seſſ. 23. cap. 8. de Reformat.* (12) *In ſua Bull. 41. §. 7. Bullarii tom. 2.* (13) *Conſtitut. 9. Gregoriana, tom. 2. Bullar.* (14) *Gallemart. cap. 8. ſeſſ. 23. de Reform.* (15) *Gallemart. loco cit.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem Dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus vel absfuturus, vel nullas habituras esset Ordinationes. Verum, cum a Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel ordinationes non habente, Litteræ Dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationem, ac alias arbitrio ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ reservatas pœnas incurrant. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 15. mensis Martii 1596.*

IX. Ne locus ullus fraudi supersit, Regularium Præfecti in Litteris Dimissoriis non solum Episcopum loci absentem, & Sacram Ordinationem minime indictam exponere, sed communi jam usu testimonium pariter Cancellarii, vel Scribæ, aut Secretarii ejusdem Episcopi adjungere consueverunt (1).

X. Gallia universa Clementis VIII. Decretum libenter amplexa est, cui in hunc usque diem maximo honore paret (2). Idem in Belgio contigisse Vanespen testatur (3). Aliter in Hispania evenisse, & evenire nonnulli tradiderunt (4). Sed in pluribus cœtibus Regulares ab Hispania legati voce, ac scriptis etiam contrarium ostenderunt (5). Quare Innocentius XIII. peculiarem super hac Congregationem edixit, cui Nos a Secretis adfuimus, productisque certissimis documentis ex Urbis Tabulariis apertissime error cognitus fuit, qui nulla prorsus ratione niteretur. Hinc in Constitutione, quæ incipit: *Apostolici ministerii* (6) ab eodem Pontifice promulgata, ac deinde a Benedicto XIII. confirmata, per Hispaniam quoque Decretum Clementis VIII. plene observandum declaratur (7).

XI. Illud etiam magnopere perpendi debet, a plerisque Regularium Concilii Romani auctoritatem afferri, ut privilegium *extra tempora* sibi vindicent, illis verbis innixi, quæ superius explicavimus. Cum igitur idem Romanum Concilium Præfectis Regularibus Decretum Clementis VIII. servandum præcipiat, quod integrum refert: *In suis vero subditis ad Ordinationes dimittendis Superiores Regulares Decretum fel. record. Clementis VIII. fervent ad unguem sub ipsis in Decreto eodem expressis Officiis, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis pœnis, aliisque Summorum Pontificum arbitrio reservatis. De cætero, ne quem Superiorum extasci illius ignorantia Decreti, illud hic ad verbum subjungendum decernimus, evulgandumque etiam ab Episcopis in eorum Diœcesana Synodo post hoc Concilium primo tempore celebranda.* Cum, inquam, hæc ita se habeant, si quis juxta Romanum Concilium privilegio *extra tempora* uti velit, & Clementis VIII. Decretum negligat, contraria simul jungere obnitetur. Nam Romanum Concilium in eo probaret, quod spectat ad privilegium *extra tempora*; illud autem improbaret, cum de Clementis Decreto agitur, a quo tantum ii Regulares liberantur, qui post Tridentinam Synodum eam immunitatem Sedis Apostolicæ beneficio consequuti sunt, ut a quolibet Catholico Episcopo rite ordinentur: *Exceptis tamen* (ait Innocentius XIII.) *quoad prædicta Regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet Catholico Antistite Ordines suscipere possint, super quo Indulto nihil per præsentes innovare intendimus.* Inter eos Patres Societatis Jesu numerantur, quos ideo nominamus, quia nobis perspectum non est an alii quoque tale privilegium impetraverint. Patribus autem Societatis Jesu non hanc solum immunitatem *extra tempora* Gregorius XIII., & Paulus V. indulserunt, sed illam quoque, ut Ordines a quolibet Episcopo suscipiant. Illud insuper cautum fuit, ut supra diximus, ne alii Regulares in societatem hujus privilegii participes admitterentur. Ita per ipsos probatum fuit in Sacra Concilii Congregatione, cum gravissima causa contra Archiepiscopum Mechlinensem ageretur, ex qua Patres Societatis Jesu die octava Maji anno 1683. victores abierunt.

XII. Priusquam finem Institutioni huic faciamus, Clementis VIII. Decretum plurimum commendatum volumus, & summopere hortamur eos, qui Regularibus sibi subjectis contra præscriptum eodem Decreto Litteras dimissorias tribuerint, & illos, qui, licet contra admoniti, hoc pacto Ordines susceperint, eos tandem, qui Ordines contulerint, hortamur, inquam, ut sibi prospiciant. Qui litteras eo modo dederint quem nuper explicavimus, si Decretum Clementis VIII. percurrant, quod ipsis agendum sit plane intelligent. Advertant tamen se obnoxios esse *ipso facto* pœnis, quæ in eo Decreto proponuntur; cum in exemplari non habeatur, *pœnas incurrent*, sicut in aliis pluribus locis editum fuit, sed *pœnas incurrant*, quibus verbis *pœna lata, non ferenda*, juxta Monacellum (8), Matthæuccium (9), & Ventrigliam (10) continetur. Cæteri, si quemcumque auctorem consulant, apertissime deprehendent pœnas, quæ a Sacris sanctionibus indicuntur iis, qui Ordines ab illo Episcopo percipiunt, qui munus ejusmodi rite obire non poterat, vel etiam ab Episcopis, qui Ordines conferunt, etiamsi legitimæ litteræ non offerantur, & alterius jurisdictionis ratio nulla servetur. Hanc sane imminui nullo modo patiemur, quam non velut domini, sed tanquam custodes accepimus: nec tamen ipsius fines amplificare, sed tueri curamus. Itaque si qui Regulares, præter Societatis Jesu, privilegium expresse, non autem vi participationis obtinuerint, cujus inscii sumus, ut a quolibet Catholico Episcopo ordinentur, dummodo id contigerit post Tridentinum Concilium, nihil aliud reliquum est, nisi, ut talem immunitatem rite nobis exhibeant, qui & illam libenter probabimus, & pro nostra in Sedem Apostolicam observantia executioni mandabimus, tum præsertim ut nostram in singulos Regularium Ordines voluntatem testemur. Paulo ante innuimus oportere, ut privilegium ejusmodi post Tridentinam Synodum concessum fuerit; qua in re eorum sententiam amplectimur, & revera sequemur, qui minime necessarium existimant ut idem privilegium post Decretum Clementis VIII. datum sit, dummodo Concilium Tridentinum non antecesserit, cum Pontifex reliqua privilegia suo Decreto non abrogaverit (11).

## ADDITIO.

XIII. De quodam Regulari mentio facta est, qui Sacerdotium ab alieno Episcopo adversus Clementis VIII. Decretum extra hanc Civitatem accepit, ac deinde Bononiæ primum Missæ Sacrificium celebravit.

XIV. Postmodo ad mentem rediens, sanoque ductus consilio ad Sacram Pœnitentiariam confugit, quæ forum utrumque, si de Regularibus agitur, complectitur. Supplicem libellum his verbis dedit, (nomen Regularis honestis de causis silentio prætermittimus) *N. N. Regularis, licet additus Monasterio N. N. sui Ordinis in Urbe Bononiensi cum Litteris Dimissoriis Præsidis sui ad Episcopum N. N. se contulit, ut ad Sacerdotium reciperetur, contra præscriptum Decreti Clementis VIII., de quo per administros Tabularii Archiepiscopalis Bononiensis admonitus fuit: deinde Bononiam ad suum Collegium reversus est: nunc culpæ cognitione ac dolore adductus benignitatem Eminentiæ Vestræ suppliciter obtestatur* (Cardinalem Pœnitentiarium alloquitur, cui supplex libellus inscribitur) *ut a pœnis, quas subiit, liberetur: Quod Deus &c.*

XV. Cardinalis Archiepiscopus Bononiensis Sacræ Pœnitentiariæ Regularem Oratorem commendavit. Hoc autem responsum fuit: *Attento consensu Ordinarii, pro gratia.*

XVI. Decretum etiam his verbis confectum est; *Sacra Pœnitentiaria attento consensu, ac etiam supplicatione Venerabilis in Christo Patris Archiepiscopi Bononiensis vigore ejus Epistolæ ad ipsam Sacram Pœnitentiariam transmissæ, supradictum Religiosum &c. Oratorem a quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, si quibus quomodolibet propter præmissa innodatus existat, auctoritate Apostolica in utroque foro absolvit cum pœnitentia salutari recitandi per tres vices integrum Rosarium Beatæ Mariæ Virginis, ac obligatione veniam humiliter petendi a præfato Archiepiscopo Bononiensi; & cum eodem Oratore super Irregularitate, si quam ex violatione Censurarum quomodolibet contraxerit, ad suos Ordines licite exercendos eadem auctoritate Apostolica in utroque pariter foro dispensat: Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ suæ Religionis Statutis, Decretis, Indultis quoque specialibus, ac Privilegiis, ca-*

---

(1) *Monacelli in formular. legal. part. 1. pag. 295. num. 6.* (2) *Card. Petra tom. 1. ad Constitut. Apostol. pag. 341. num. 37.* (3) *Vanespen. juris Ecclesiastici universi par. 2. tit. 9. cap. 2. num. 38. & seqq.* (4) *Cabassutius in theor. & praxi juris Canonici lib. 1. cap. 10. n. 5.* (5) *Portel. dub. regul. in verbo Ordines Sacri num. 2.* (6) *Cesped. de exemp. regul. dub. 72. num. 4.* (7) *§. Quoties.* (8) *In appendice tom. 1. pag. 294. num. 3.* (9) *In Officiali Curiæ cap. 35. pag. 272.* (10) *In praxi part. 1. admon. 23. num. 33.* (11) *Barbosa de Offic. & potest Episc. allegat. 4. n. 60. & 65. Pax. Jordan. lucubrat. tom. 1. lib. 3. tit. 6. n. 27.*

*aeteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria die 29. Maji 1734.*

*V. Card. Petra Major Pœnitentiarius.*

XVII. Ob id Regularis ab Eminentiſſimo Archiepiſcopo veniam petiit, ac impetravit: cujus rei documenta rite in Tabularium Archiepiſcopale relata ſunt.

## INSTITUTIO XXIV.

*De horâ, qua Matutinum privatum recitari poteſt. De antiqua Divini officii denominatione, & etymologia. Ex quo fonte Breviarii nomen, illudque Horarum Canonicarum dimanaverit. Officium conſtitutis horis eſſe recitandum. De culpa, quam illi contrahunt, qui abſque vera, & legitima cauſa huic muneri non ſatisfaciunt. De tempore, quo horæ Canonicæ, Matutinum, & Laudes perſolvendæ ſint.*

I. INſtitutionem decimam tertiam confecimus, & in lucem edidimus, quam poſt Kalendarium hujus Metropolitanæ Eccleſiæ imprimendam curavimus una cum Tabella, quæ Auroræ, Solis orientis, meridiei, ac mediæ noctis tempus perpetuo indicaret. Nunc autem multorum gratia, ac voluntate adducti ſumus, ut aliam Tabellam proferamus, quæ privati Matutini recitationi tempus aptum in poſterum conſtituit. In hac præclariſſimi civis operam, ac diligentiam adhibuimus, qui primam Tabellam, quam paulo ante memoravimus, ſummo ſtudio perfecit. Itaque præcipimus, ut novo Kalendario ineuntis anni, cæteriſque in poſterum ea declaratio, quam ſuperius nominavimus, & hæc ſimul adjiciantur. Poſt illas, loco primæ Tabellæ, hæc noviſſima ſubjiciatur, quæ non modo ſingula in illa deſcripta complectitur, ſed etiam (uti plures exigunt) tempus diligenter oſtendit, quo privatum Matutinum recitetur.

II. *Officium Divinum, Breviarium, Horæ Canonicæ*, diverſis olim nominibus, *Curſus divinus, Sacras Synaxes, Opus Dei* nuncupabantur. Ac primum Officii Divini nomen ex vocabulo *Officium* deſumptum fuit, quod juxta Latini ſermonis interpretes id munus ſignificat, quod habita locorum, temporum, hominumque ratione a ſingulis obeundum eſt. Ob eam cauſam, cum Divinis laudibus contineatur, quod Deo potiſſimum perſolvere debemus, & cum per eas ſummam Dei majeſtatem humili cultu proſequamur, hinc Divini Officii nomen derivatur (1).

III. Si Radulpho Tungrenſi fides habeatur (2) Breviarii nomen ad Patres Franciſcanos referendum eſt, qui ſacris expeditionibus implicati divino Officio compendium ſtatuerunt. Idem Radulphus ejuſmodi compendium in Eccleſia Lateranenſi ab illis receptum teſtatur, qui Pontificum Familiæ cooptati plurimis negotiis detinerentur; ac poſtremo a Nicolao III. juſſas fuiſſe omnes Urbis Eccleſias eodem compendio uti; *Unde hodie* (ait Radulphus) *in Roma omnes libri ſunt novi, & Franciſcani.*

IV. Hanc ſententiam tanquam veritati conſentaneam Cardinalis Bona (3), ac Thomaſſinus (4) amplexi ſunt. Contrarium tamen ex epiſtola Apologetica Petri Abaelardi contra S. Bernardum deprehenditur, quæ data fuit circa annum 1140., hoc eſt centeſimo anno priuſquam Franciſcanus Ordo ab Honorio III. confirmaretur. In illa igitur epiſtola traditur Officii Divini compendium per omnes Romæ Eccleſias jam tum inductum, probatumque fuiſſe, ex quo ſatis conjicitur Radulphum a veritate longe aberraſſe, ut recte Franciſcus Pagius expendit (5).

V. Sed cum Breviarium in Magno Caſſinenſi Monaſterio ſervetur ab anno 1100., quod inſcribitur: *Incipit Breviarium, ſive Ordo Officiorum per totam anni decurſionem*, in quo ritus totius Eccleſiaſtici Officii, & pro ipſius recitatione, ſacroque faciendo cæremoniæ continentur, hinc a veritate non alienum videtur, quod Breviarii nomen ab hoc *ordine officiorum* dimanaverit (6).

VI. Quod pertinet ad horas Canonicas, cum fideles univerſi, ac præſertim Clerici continuis ad Deum precibus occupari debeant, idque ob naturæ humanæ infirmitatem, hujuſque vitæ negotia perfici nequeat, ſtatis ſaltem horis laudes Deo canendæ præcipiuntur, ut hoc pacto per integrum diei curſum Deo preces offerre, & nunquam omnino ceſſare videamur (7).

VII. Igitur ſtatutis ab Eccleſiæ temporibus horæ Canonicæ perſolvendæ ſunt non ſolum a media nocte in alterius mediæ noctis ſpatium, ſed eo peculiari tempore, quod ſingulis horis recitandis indicitur. Commemorari ſane non poteſt ſine animi terrore, quod a B. Petro Damiano, ac deinde a Cardinali Baronio ad annum 1062. proditur: S. Severinum Colonienſem Epiſcopum Eccleſiæ ſuæ Clerico ſubito ante oculos adſtitiſſe, cum flumen tranſiret, cui ſe purgatorio addictum, & vehementer cruciatum patefecit: *Quia* (inquit) *dum in Aula Regia conſtitutus Imperialibus me conſiliis vehementer applicui, Canonicæ Synaxis Officia per diſtincta horarum ſpatia non perſolvi. Mane quippe omnia coacervans ſimul, tota die negotiis ingruentibus ſecura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum ardoris hujus fero ſupplicium.*

VIII. Id quidem ab aliquibus in dubium revocatur. Certiſſima tamen eſt, ac manifeſta B. Petri Damiani ſententia, qui debitis horis Divino Officio vacandum affirmat, nec immunem culpa, qui præſcripta temporis intervalla negligat, nec ullis negotiis ſatis excuſari, ut Thomaſſinus exiſtimat (8). Sed cum nimiam ſeveritatem haud probemus, cum plurimorum etiam exempla ſuppetant, uti refert Thomaſſinus (9), qui legitimis cauſis impediti, non ſervato horarum intervallo, Divino Officio rite ſatisfecerunt, S. Thomæ ſententiam libenter amplectimur (10): *Conſideranda* (inquit) *eſt intentio ejus, qui prævenit tempus in Matutinis dicendis, vel in quibuſcumque Horis Canonicis. Si enim hoc facit propter laſciviam, ut ſcilicet quietius ſomnolentiæ, & voluptati vacet, non eſt abſque peccato. Si vero hoc faciet propter neceſſitatem licitarum & honeſtarum occupationum, puta, ſi Clericus, aut Magiſter debet videre lectiones ſuas de nocte, vel propter aliquid hujuſmodi, licite poteſt ſero dicere Matutinum, & in aliis horis Canonicis tempus prævenire, ſicut etiam hoc in ſolemnibus Eccleſiis fit: quia melius eſt Deo utrumque reddere, ſcilicet & debitas laudes, & alia honeſta officia, quam quod per unum aliud impediatur.*

IX. Nobis ſatis eſt tempus indicare, quo juxta Canonum ſanctiones Matutinum una cum Laudibus perſolvatur; quæ ſane conjunguntur, cum Amalarius tradat (11), ſe a Magiſtris Romanis reſponſum habuiſſe nullum inter Matutinum, ac Laudes tempus intercedere. Pro ipſorum recitatione ab initio Crepuſculi Matutini ad Ortum Solis communi omnium ſuffragio tempus deſignatur. Nomen ipſum Matutini id clare oſtendit, & Auroræ mentio, quæ in Laudibus incidit, rem magis comprobat. In pervigilio Natalis Domini Matutinum a Laudibus ſejungitur, ante quas ſacrum peragitur. Cum enim circa mediam noctem Miſſæ Sacrificium celebrari debeat, nimis abſone Laudes eo tempore canerentur. Triduo ante Paſchæ celebritatem Matutino Laudes adjiciuntur, quod ſimul cum die abſolvitur, ut Occaſus Solis juſtitiæ, ac tenebræ Judaici populi ſignificentur, qui Dominum non agnovit, eumque ſupplicio crucis affecit. Inter antiquos qui ita ſentiunt, Amalarius (12), ac Rupertus (13), inter recentiores Cardinalis Bellarminus adnumeratur (14).

X. Ab Auctoribus Theologiæ Moralis diſceptatur, utrum ſine legitima cauſa Matutinum, & Laudes extra præſcriptum tempus recitari valeant. Aliqui S. Thomæ auctoritate, quam ante protulimus, innixi ſine levi culpa id fieri non poſſe contendunt. Alii vero contrariam ſententiam tuentur, ſi id legitima conſuetudine jam firmetur (15). Nos igitur univerſos, qui ad Divinum Officium obſtringuntur, plurimum hortamur, ut ſtatis horis illud perſolvant, neque Matutinum, ac Laudes debito tempore prætermittant. Ut vero ſinguli notum perſpectumque habeant Matutini tempus, quod privatim, ſi adſit legitima cauſa, recitari poteſt, hanc Tabellam promulgamus, in qua id potiſſimum declaratur. Hæc enim advertimus in Romano Kalendario: *Matutinum dici proxime ſequentis ex Theologorum opinione omnium conſenſu probata, recitari privatim poteſt exacta jam tertia parte diei, vel* (*quod idem eſt*) *cum a meridie ad occaſum Solis dimidium temporis efluxerit: Nam Veſperæ diei tunc in Eccleſiis jam perſolutæ exiſtimantur.*

JA-

(1) *Card. Bona tract. de Divina Pſalmodia cap. 2. §. 1.* (2) *De Canonica Obſerv. cap. 22.* (3) *In cod. tract.*
(4) *De benefic. part. 1. lib. 2. cap. 84. num. 12. & 13.* (5) *De rebus geſtis Rom. Pontif. tom. 3. pag. 441.*
(6) *Du-Cange in ſuo Gloſſario verbo* breviarium. (7) *Martene tract. de antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis tom. 4. cap. 1.* (8) *De benefic. part. 1. lib. 2. c. 83. n. 2. & 3.* (9) *Loco cit. num. 4. & ſeq.*
(10) *Quodlibet. 5. quæſt. 14. art. 1.* (11) *In ſuo Libro de Ordine Antiphonarii.* (12) *Lib. 4. de Offic. Eccleſ. cap. 21. & 22.*
(13) *Lib. 4. de Off. Div. cap. 24. & ſeqq.* (14) *Tom. 4. controv. l. 1. c. 11. de bonis operibus in particulari.*
(15) *Diana in ſua edit. coordinata tom. 3. tract. 6. reſol. 64. & reſol. 71. & duabus ſeqq.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

## JANUARIUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 13 0 | 1 | 14 3 | 19 1 | 21 1 | 7 1 |
| 12 | 12 3 | 14 | 14 2 | 19 0 | | 7 0 |
| 21 | 12 2 | 22 | 14 1 | | | |
| 28 | 12 1 | 28 | 14 0 | 18 3 | | 6 3 |

## FEBRUARIUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 12 0 | 3 | 13 3 | | | |
| 9 | 11 3 | 9 | 13 2 | 18 2 | 21 0 | 6 2 |
| 15 | 11 2 | 14 | 13 1 | | | |
| 20 | 11 1 | 19 | 13 0 | 18 1 | | 6 1 |
| 25 | 11 0 | 24 | 12 3 | | | |

## MARTIUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 10 3 | 1 | 12 2 | 18 0 | 20 3 | 6 0 |
| 7 | 10 2 | 6 | 12 1 | | | |
| 12 | 10 1 | 10 | 12 0 | 17 3 | | 5 3 |
| 16 | 10 0 | 15 | 11 3 | | | |
| 21 | 9 3 | 20 | 11 2 | 17 2 | 20 2 | 5 2 |
| 25 | 9 2 | 25 | 11 1 | | | |
| 30 | 9 1 | 30 | 11 0 | 17 1 | | 5 1 |

## APRILIS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 9 0 | 4 | 10 3 | | | |
| 8 | 8 3 | 9 | 10 2 | 17 0 | 20 1 | 5 0 |
| 12 | 8 2 | 14 | 10 1 | | | |
| 17 | 8 1 | 19 | 10 0 | 16 3 | | 4 3 |
| 21 | 8 0 | 24 | 9 3 | | | |
| 25 | 7 3 | 30 | 9 2 | 16 2 | 20 0 | 4 2 |
| 30 | 7 2 | | | | | |

## MAJUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 7 1 | 6 | 9 1 | | | |
| 9 | 7 0 | 12 | 9 0 | 16 1 | | 4 1 |
| 14 | 6 3 | 18 | 8 3 | | | |
| 19 | 6 2 | 26 | 8 2 | 16 0 | 19 3 | 4 0 |
| 24 | 6 1 | | | | | |
| 30 | 6 0 | | | | | |

## JUNIUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 5 3 | 9 | 8 1 | 15 3 | 19 3 | 3 3 |

UAB Biblioteca de Ciències Socials

## JULIUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 5 2 | 1 | 8 1 | 15 3 | 19 3 | 3 3 |
| 6 | 5 3 | 17 | 8 2 | 16 0 | | 4 0 |
| 14 | 6 0 | 25 | 8 3 | | | |
| 19 | 6 1 | | | | | |
| 25 | 6 2 | | | | | |
| 30 | 6 3 | | | | | |

## AUGUSTUS.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 7 0 | 1 | 9 0 | 16 1 | | 4 1 |
| 7 | 7 1 | 7 | 9 1 | | | |
| 13 | 7 2 | 13 | 9 2 | 16 2 | 20 0 | 4 2 |
| 17 | 7 3 | 18 | 9 3 | | | |
| 22 | 8 0 | 24 | 10 0 | 16 3 | | 4 3 |
| 26 | 8 1 | 29 | 10 1 | | | |
| 30 | 8 2 | | | | | |

## SEPTEMBER.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 8 3 | 1 | 10 2 | 17 0 | 20 1 | 5 0 |
| 8 | 9 0 | 8 | 10 3 | | | |
| 13 | 9 1 | 13 | 11 0 | 17 1 | | 5 1 |
| 18 | 9 2 | 18 | 11 1 | | | |
| 23 | 9 3 | 23 | 11 2 | 17 2 | 20 2 | 5 2 |
| 27 | 10 0 | 27 | 11 3 | | | |

## OCTOBER.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Horæ Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 10 1 | 2 | 12 0 | 17 3 | | 5 3 |
| 6 | 10 2 | 7 | 12 1 | | | |
| 11 | 10 3 | 12 | 12 2 | 18 0 | 20 3 | 6 0 |
| 16 | 11 0 | 17 | 13 3 | | | |
| 21 | 11 1 | 22 | 13 0 | 18 1 | | 6 1 |
| 27 | 11 2 | 27 | 13 1 | | | |

## NOVEMBER.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 11 3 | 2 | 13 2 | 18 2 | 21 0 | 6 2 |
| 7 | 12 0 | 7 | 13 3 | | | |
| 14 | 12 1 | 13 | 14 0 | 18 3 | | 6 3 |
| 21 | 12 2 | 20 | 14 1 | | | |
| 30 | 12 3 | 27 | 14 2 | 19 0 | 21 1 | 7 0 |

## DECEMBER.

| Dies Mensis. | Initium Auroræ. Horæ. Qu. | Dies Mensis. | Ortus Solis. Horæ. Qu. | Meridies. Horæ. Qu. | Hora Matut. Horæ. Qu. | Media nox Horæ. Qu. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 13 0 | 8 | 14 3 | | | |
| | | 9 | | 19 1 | 21 1 | 7 1 |

## INSTITUTIO XXV.

*De Missa Sancta, quæ incunte quolibet mense in Metropolitana sub Auroram celebratur. De Anni Jubilæi institutione. De Indulgentiis illis concessis, qui ad primam mensis incuntis Missam in Metropolitana conveniunt.*

I. INter cætera pietatis instituta, quæ commendantur in hac amantissima patria, cujus administrationem nos, licet immerentes, Dei, & Apostolicæ Sedis beneficio suscepimus, illud *Missæ Sanctæ*, uti vocant, præstantius visum est, quæ singulis mensibus incuntibus sub ortum Solis magna hominum frequentia celebratur.

II. Hæc pia consuetudo in mentem adducit illud, quod initio Seculi secundi contigisse traditum est, cum Plinius secundus peracto Consulatu ad regendam Bithyniam profectus, Trajano Imperatori vivendi rationem primorum Fidelium explicavit, qui in Bithynia, ac Ponto versabantur, & relicta veteri superstitione Christi doctrinam, ac fidem amplexi fuerant. Refert igitur (1), *quod erant soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem.*

III. Ut eadem consuetudo, populique frequentia non modo servaretur, sed magis in dies augesceret, statim ac in Sedem hanc pervenimus, in Metropolitana Ecclesia die primo Januarii rem Divinam sub ortum Solis solemni ritu peregimus; cœlestem opem, Hymnum *Veni Creator Spiritus* præcinentes, imploravimus, populoque benedictionem divinæ Eucharistiæ Sacramento impertivimus. Idem proxima die Januarii, si Deus volet, perficiemus, quod etiam per aliam declarationem enunciavimus, ut universi conveniant, & plenariam Indulgentiam a Gregorio XV. concessam consequantur.

IV. Tabularii nostri scripta monimenta evolventes diploma ejusdem Pontificis invenimus, qui Metropolitanam S. Petro nuncupatam alia plenaria Indulgentia cumulavit pro iis omnibus, qui die Festo Sanctorum Petri, & Pauli, vel primo die cujuslibet mensis Sacramento Pœnitentiæ prius expiati, & Sacra Eucharistia refecti idem Templum visitarent; sed nihil compertum est de illa Indulgentia, pro iis nempe, qui post Pœnitentiæ Sacramentum, susceptamque Eucharistiam, *Sanctæ Missæ*, quam supra memoravimus, adessent; quæ Indulgentia in levamen Animarum purgantium converti posse dicitur. Permissionem solum deprehendimus voce ipsius Pontificis expressam, quæ dubitationem etiam præseferret, cum nullo legitimo documento niteretur; eo quod permissiones ejusmodi *vivæ vocis oraculo* traditæ, Gregorii ejusdem, atque Urbani VIII. Decreto penitus abrogatæ fuerunt. Accedit etiam sententia communi omnium Theologorum consensu firmata, nullam Indulgentiam Animabus in Purgatorio detentis prodesse, nisi Summus Pontifex in ejus promulgatione id aperte declaraverit. Sic tradit Passerinus (2), qui postquam ostendit Animas, quæ igne purgantur, per Indulgentias cruciatu levari posse, his tandem verbis utitur: *Ad hoc tamen necesse est, ut id exprimatur in concessione facta per Pontificem. Illis enim tantum Indulgentiæ prosunt, quibus prodesse vult summus Pontifex, nimirum pro quibus applicat de Thesauro Ecclesiæ satisfactionem Christi, & Sanctorum: id vero non censetur facere, nisi id exprimat; & id non exprimit ex eo, quod absolute Indulgentiam concedat fidelibus quibuscumque utriusque sexus, quia nomen fidelium absolute prolatum solos vivos comprehendit.*

V. Ut omnis super hac re dubitatio adimeretur, Bonifacii VIII. exemplum anno 1300. propositum sequuti sumus, quod a Jacobo Cajetano Diacono Cardinali S. Georgii posteris commendatum fuit (3). Eo igitur anno incredibilis hominum multitudo ex universis terræ partibus Romam confluxit, pio quodam documento permota, post singulos centum annos plenariam Indulgentiam iis concedi, qui principes Urbis Ecclesias inviserent, id autem illo anno 1300. potissimum contingere. Prudentissimus Pontifex sedulam curam frustra impendit, ut certum aliquod ex Tabulariis Vaticani Palatii ejus rei testimonium reperiret. Quare Sanctam Indulgentiam sua auctoritate Bonifacius probavit, confirmavitque; atque hoc pacto Anni Sancti celebritatem induxit, quæ initio post centum annos agebatur; deinde a Clemente VI. ad quinquaginta, tandem a Sixto IV. ad 25. annos redacta fuit, ut ex eorum Constitutionibus, liquido comprobatur (4).

VI. Hoc ducti exemplo, omnia, quæ superius a nobis relata sunt, Clementi XII. per supplicem libellum explicavimus, qui datis Literis Apostolicis die 18. hujus mensis Decembris anni 1733., ut votis nostris indulgeret, & Fidelium pietatem, ac religionem magis excitaret, plenariam Indulgentiam, quæ animabus in Purgatorio detentis etiam prodesset, elargitus est universis, qui post Sacramentum Pœnitentiæ, susceptamque Eucharistiam, *Sanctæ Missæ* præsentes interfint, quæ de more sub ortum Solis primo die cujuslibet mensis in hac Metropolitana celebrabitur: *Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari possint, misericorditer in Domino, concedimus.*

VII. Hunc pretiosum thesaurum singulis detegimus, qui in hac civitate versantur, ut hac nostra declaratione admoniti non sibi tantum, sed animabus, quæ purganti flamma cruciantur, ampliissimum beneficium comparent. Perpendant omnes hoc præsertim tempore Divinam clementiam, & opem supplici ter implorandam, cum Deus criminibus hominum graviter lacessitus ultionem debitam cervicibus nostris intentare videtur.

VIII. Ut cognitum sit omnibus, qua hora sanctum ejusmodi Missæ Sacrificium quolibet mense peragatur, opportunum duximus id innuere, priusquam sermoni finem imponamus.

| | |
|---|---|
| Mense Januario constituitur hora | 14 ½ |
| Februario. | 13 ½ |
| Martio. | 12 ½ |
| Aprili. | 11 |
| Majo. | 9 ½ |
| Junio. | 8 ½ |
| Julio. | 8 ½ |
| Augusto. | 9 ½ |
| Septembri. | 10 ½ |
| Octobri. | 12 |
| Novembri. | 13 ½ |
| Decembri. | 14 ½ |

## INSTITUTIO XXVI.

*De initiandorum pensione, seu Patrimonio. Pro ordinatione titulus ab Ecclesiastico Beneficio deducitur; titulus vero patrimonii in subsidium conceditur. Utrum inter Beneficii proventus Missæ stipendium referri debeat. Patrimonium bonis stabilibus, & fructiferis constare debet. De illis Patrimoniis, quæ charitatis, & benevolentiæ causa constituuntur; ac de illis, quæ liberorum jure non salvo decernuntur, vel additæ conditione, ut Patri alimenta præbeantur. De illis, qui sub falsi Beneficii nomine ad Sacros Ordines promoventur. De formulis, quæ in Patrimonii constitutione servantur. De illis, qui Ordinibus initiantur sub Beneficii titulo, interjecta promissione de fructibus minime percipiendis. De alienatione, & Patrimonii permutatione. De Cautionibus, & Sponsionibus, quæ pro Patrimoniis intercedunt. De beneficiorum abdicatione; quorum titulo aliquis ad Sacros Ordines pervenire contendit.*

I. INter cætera, quæ pro restauranda Ecclesiæ disciplina in Tridentina Synodo in examen revocata fuerunt, Sacræ Ordinationis titulus locum obtinuit. Nonnulli ex iis Patribus ad Sacerdotium eos tantum recipiendos censuerunt, qui ratione Beneficii alicui Ecclesiæ addicerentur: alii vero, cum tenuissimos in pluribus locis Ecclesiasticos proventus adverterent, in eam opinionem adducti sunt, ut Sacerdotium omnibus indistincte titulo Patrimonii conferretur. Hanc controversiam Cardinalis Paleottus in Actis Concilii, & præclarissimus Cardinalis Pallavicinus in historia ejusdem Synodi (5) fuse commemorant. Tandem, uti satis omnibus cognitum est, decretum fuit, ut Beneficium potissima Ordinationis causa duceretur, & nullus ad Sacros Ordines admitti posset, *Nisi prius legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.* Sancitum quoque est, ut pensiones, ad patrimonia ac ordines obtinendos viam faciliorem solum sternerent, si nempe Ecclesiæ necessitas, & commodum id requirerent, ut habetur sess. 21. cap. 2. de Reformatione his verbis: *Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari postbac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum.* Aliter sane constitui non poterat, si exiguus Beneficiorum numerus, & plurimum Ministrorum ne-

(1) *In Epist. 97. lib. 10.* (2) *In tract. de Indulg. quæst. 3. num. 892.* (3) *In tract. de Centesimo, seu Jubilæi anno.*
(4) *Tit. de Pœnitentiis, & remissionibus.* (5) *Lib. 17. cap. 9.*

neceſſitas expendantur; cum etiam Sacræ Ordinationes titulo Patrimonii circa finem Seculi XII. jam fuerint inſtitutæ, quæ Decreto Alexandri III. innitebantur (1), ut Thomaſſinus aperte demonſtrat (2).

II. *Temporis tamen curſu* (inquit Thomaſſinus) *animadverſum eſt nonnullos Epiſcopos ab hac ordinandi norma abſque ullo diſcrimine deflexiſſe, paſſim quoſcumque ad Patrimonii titulum ad Sacrum miniſterium admittendo*. Cum id Innocentio XI. delatum fuiſſet, ad ſingulos Epiſcopos litteras encyclicas per Sac. Concilii Congregationem mitti juſſit die 13. Maji anno 1679., ut Decretum Synodi Tridentinæ penitus obſervaretur: *Deindeque per haſce circulares Litteras Epiſcopis omnibus Sanctiſſimum Tridentini Decretum in memoriam reduci mandavit, quatenus omnes illud ſancte cuſtodiant, ſciantque, non aliter ordinandum ad titulum Patrimonii, vel penſionis, niſi cum Eccleſiæ neceſſitas, vel commoditas ita exigat, qua in re prudens Epiſcopi, timoratumque judicium verſari debebit*.

III. Cum vero ad obtinendum Ordinationis privilegium *extra tempora* ea verba in diplomate Pontificio inſerantur: *Ut parentibus tuis ſolatio eſſe poſſis, & fervore devotionis accenſus ad Sacros Ordines extra tempora, ac, interſtitiis non ſervatis, ad titulum Patrimonii tui, ſeu perpetui Beneficii Eccleſiaſtici, dummodo illud pacifice poſſideas, promoveri poſſis, concedimus*; & cum in Sac. Congregatione Concilii ea dubitatio propoſita fuerit, *Dubitat Archiepiſcopus Urbinas, an vigore Brevium hujuſmodi quis promoveri poſſit ad titulum Patrimonii, non obſtante, quod non concurrat Eccleſiæ neceſſitas, vel commoditas, dum cauſa motiva conceſſionis videtur ſolatium parentum*. Sacra Concilii Congregatio die 9. Septembris anno 1679. reſpondit *negative*. (3)

IV. Nobis ſane ab iis Canonicis ſanctionibus recedendum non eſt, neque immutandam volumus ſummam quadraginta ſcutorum Romanorum quam ſinguli Ordinandi ex Beneficio, ſeu ex Patrimonio percipere debent. Utrum vero imminui, vel augeri fas ſit, & diſcrimen etiam ratione Patrimonii habendum videatur inter cives, qui ad Ordines aſſumuntur, eoſque qui in agri planitie, vel etiam in montibus degunt, ad Synodum reſpicimus, quam, peracta Sac. Viſitatione, ſi Deus propitius erit, pro inſtituenda noſtra Diœceſi indicemus. Interim Diœceſis inopia permoti, plura numerabimus, quæ libenter a nobis permittentur, ut deinde ad pravas conſuetudines deveniamus, quæ omnino ac ſevere interdicentur.

V. Ac primum de Beneficiis ſermo ſit, quibus fere omnibus celebrationes aliquæ Miſſarum procul dubio adjunguntur. Igitur, qui Curias Eccleſiaſticas probe norunt, inter ſe diſputant, an Miſſæ ratione Beneficii celebrandæ ſubduci prius debeant, & reliqui deinde ipſius Beneficii proventus expendi, ob quod Ordines conferuntur. Id ſane plurimi affirmant; tamen alii plures contrariam ſententiam tuentur, licet, qui Beneficium aſſequutus eſt, injunctum Miſſarum onus per ſe, vel per alios Sacerdotes perſolvere poſſit. In quo tamen aliqui novum diſcrimen obſervandum putant; nempe, ſi alterius Sacerdotis opera utatur, tunc pretium ex Beneficii proventibus non eſſe deſumendum; contra vero, ſi ipſe per ſe Miſſarum oneri ſatisfaciat. Hic enim legitima cauſa, ac morbo præſertim impeditus, poteſt aliquando a Sacrificio Miſſæ abſtinere (4); quod probari nequit, ſi quis ſuo loco alium Sacerdotem ad Miſſas celebrandas adhibeat; tunc enim, licet morbo detentus, ab onere Miſſarum non liberatur. Contingere autem poteſt, ut Ordinatus ad extremam inopiam diuturno morbo redigatur, quod periculum pro dignitatis ratione longe depellendum eſt.

VI. Nos quidem, cum in Sac Congregatione Concilii Secretarium ageremus, ſententiam noſtram juſſu ipſius Congregationis, ſcripto in lucem edito, declaravimus, in quo primum expendimus Miſſarum oneri procul dubio ſatisfaciendum juxta Sac. Congregationis opinionem, ſi impedimentum diutius protrahatur, licet, qui Beneficium obtinet, per ſe, vel per alium poſſit injunctum Miſſarum onus adimplere; ideoque nullum diſcrimen inter eos admitti, qui onus ejuſmodi per ſe debeant exſolvere; & qui alium quempiam Sacerdotem in ſuum locum ſubrogandi habeant facultatem. Poſt hæc cum omni obſervantia propoſuimus, prudentia, arbitrioque Ordinarii ea dijudicanda eſſe, quæ peculiariter hac in re contingunt. Præclari juris periti in hanc ſententiam plura ſcripſerunt: & cum in Sacra Congregatione petitum fuiſſet: *An a Beneficio, ſeu Capellania, ad cujus titulum quis intendit ad Sacros Ordines promoveri, detrahenda ſint onera Miſſarum eidem adjecta, quando Beneficiatus non tenetur eas per ſe ipſum celebrare, vel potius onera Miſſarum non detractis, ſive illæ celebrandæ ſint per ſe ipſum, ſive poſſint celebrari per alium, faciendus ſit calculus omnium fructuum pro conſtituenda ſumma a Synodali conſtitutione, vel regionis more requiſita pro Sacris Ordinibus ſuſcipiendis*; die 17. Julii anno 1723. ita reſponſum fuit: *eſſe relinquendum arbitrio, & conſcientiæ Ordinariorum*. Quæ cum ita ſe habeant, ſi cætera omnia, quæ ad Ordines ſuſcipiendos neceſſario requiruntur, minime deſint, Miſſarum ſtipendia inter Beneficii proventus facile numerabimus, ſive *per ſe ipſum* Beneficio præditus, ſive *per alium* eaſdem Miſſas celebrare teneatur: indolem præſertim Ordinandi ſerio perpendemus. Siquis enim nobis ſuſpicionem injiciat, Ordinandum ſine debito cultu, ac religione ad rem Divinam faciendam accedere poſſe ob eam cauſam, ut ſimul oneribus Beneficii ſatisfaciat, nulliſque emolumentis deſtituatur; tunc ſane eorum opinionem amplectemur, qui ſubductis antea Miſſarum oneribus Beneficii proventus conſtituunt: *De celebratione Miſſæ* (inquit Cardinalis Bellarminus, cum ad Epiſcopum Theani Nepotem ſuum ſcriberet) *faciunt artem de pane lucrando, unde Sacerdotium contemptibile redditur, & Eccleſia ſcandalis patet*.

VII. Sed jam de titulo Patrimonii ſermonem inſtituamus. Cum bona ad Patrimonium conficiendum certa, ſtabilia, & fructuoſa eſſe debeant, eum proventum nunquam probabimus, qui ingenio, ac virtute ordinandi facile comparari poſſe videatur. Nam Sacræ Congregationis Concilii Decreta ſatis aperte rem declarant. Anno 1589., menſe autem Octobris plura propoſita, ac diſputata fuere ut (5), ac præcipue quarto loco petitum fuit: *Si quis tantum habeat, quod ex induſtria, vel honeſto labore lucretur; puta, quod ſit Muſicus, Magiſter grammaticæ, Pictor, Scriptor, aut alterius licitæ profeſſionis, idque ſit ſufficiens ad ſuſtentationem vitæ, poteritne promoveri?* Decretumque fuit *non poſſe* (6). Præ cæteris, quæ afferri poſſent, aliam ſanctionem hic ſubjiciemus, quæ die 23. Maji anno 1609. (7) his verbis promulgata fuit: *Sacra &c. reſpondit gradum Doctoratus tam in Theologia, quam in jure Canonico non eſſe titulum, ad quem aliquis ad Sacros Ordines promoveri queat, ſed requiri omino, vel Beneficium, vel Patrimonium ad vitam promovendi honeſte ſuſtentandam ſufficiens*.

VIII. Ob eamdem cauſam ad Ordines nunquam recipimus, qui Patrimonium ex bonis mobilibus, ac ſe moventibus confectum nobis exhibeant: *Communitas Sancti Angeli* (ita Sacra Congregatio die 29. Novembris an. 1670. decrevit (8)) *Sypontinæ diœceſis exponit, per Ordinarium admitti ad Sacros Ordines Clericos aſſignato Patrimonio in bonis mobilibus, & ſe moventibus; & cum hoc tendat in grave damnum ejuſdem Communitatis, dum fraudantur impoſitiones, & alia onera Communitatis, quibus animalia ſunt obnoxia, & credat eſſe contra Canonicas diſpoſitiones, ad tollendas controverſias ſupplex inſtat, declarari, an poſſit Patrimonium aſſignari ſuper mobilibus, & dictis animalibus*, (Sacra &c. *rebus, & dictis animalibus*.) Sacra &c. *reſpondit negative*.

IX. Itaque rejectis hujuſmodi Patrimoniis, ſi de proventuum ſumma, ac de ſtabili certoque fundo teſtimonia nobis afferantur, & ſi præ cæteris Eccleſiæ neceſſitas, & commodum accedat, non modo nomine Patrimonii Ordines conferemus, ſed omnem facilitatem, atque indulgentiam in hac re oſtendemus; cum hæc Diœceſis minime Beneficiis affluat, quæ etiam magna ex parte ad Sedem Apoſtolicam jure ſuo referuntur. Plurimum vero pro Diœceſis felicitate confert, ſi Eccleſiaſticis miniſtris abundet, uti Cardinalis Pallavicinus his verbis latine redditis teſtatur (9): *Quis inficiari poteſt maximam in Reſpublicam utilitatem ex eo dimanare, quod in ea plures verſentur, qui ſibi eam conditionem ſtatuerint, ut, pluſquam cæteri, vitam honeſtati, quieti, ſtudiiſque devoveant; ipſi enim dignitatis, doctrinæque præſtantia diſſidia componere, & a maleficiis alios ſua auctoritate removere poſſunt. Opponent fortaſſe, quod negari nequit, aliquos Sacerdotes Laicis ipſis deteriores haberi. At plures etiam Medici ob inſcitiam ægrotis mortem afferunt, plures quoque milites proditores ſunt, plurimique cibi veneno inficiuntur: tamen ægrotis medentium opem, oppidis cuſtodiam militum, eſurientibus dapes ad levamen recuſare nullo modo debemus. Vehementer errat, qui de utilitate Legum, vel alicujus inſtituti dijudicans, certum quidpiam, & perpetuum expetit, cum id in actionibus hominum ob ipſorum liberam voluntatem minime reperiatur. Illud unice inquiren-*

(1) *Cap. Epiſc. de præbendis.* (2) *De veteri, & nova Eccleſiæ diſcip. part. 2. lib. 1. cap. 9. num. 2.* (3) *Lib. 30. Decretor. pag. 400. & ſeqq.* (4) *Cap. ſignificatum de detrahendis.* (5) *In Cauſa Seguntina Collationum Ordinum.* (6) *Lib. 6. Decretor. pag. 58.* (7) *Lib. 11. Decretor. pag. 53.* (8) *Lib. 26. Decretor. pag. 461. & ſeqq.* (9) *Loco ſuprac.*

*rendum eſt, utrum aliquid frequentius, & uſitatius contingat.*

X. Itaque, ſi Eccleſiæ neceſſitas, & commoditas id poſtulent, & meritis ad Ordines ſumendos neceſſariis aliquis præditus ſit, licet Beneficium obtineat adeo tenue, ut pro Ordinatione minime ſufficiat, adjungi illos quoque proventus facile patiemur, quos ex Patrimonio comparare poterit; cum id præſertim minime legibus adverſetur. Nam in cauſa Syponti na, quam ſupra memoravimus, cujus ſententia lata fuit a Sac. Congregatione menſe Octobris anno 1589., cum primo loco hoc petitum fuiſſet: *Primo, an Clericus alioqui idoneus habens Beneficium inſufficiens de per ſe, ſed qui, juncto Patrimonio, habeat, quod ſufficiat ad honeſtam vitæ ſuſtentationem, poſſit promoveri;* ita fuit ſancitum: *Sacra &c.* reſpondit ad primum, *poſſe juxta formam Concilii Tridentini* (1)

XI. Eadem ratione pro conferendis Ordinibus demandatum Cappellani munus, licet inter bona mobilia referatur, probabimus, ſi tamen ſummam a Synodo propoſitam exæquet, & qui nominandi jure potiuntur, fidem ſuam, noſtra interpoſita auctoritate, præſtiterint, eum, qui nominatus antea fuerit, in eo munere futurum, donec vita fungatur; ſive alio pacto (per aliquod nempe Beneficium, ſeu Patrimonium) honeſtam vitæ ſuſtentationem ſibi comparaverit: ac poſtremo ſi non deſit aliquis fortaſſe, qui ſe alimenta præbiturum, data ſponſione, polliceatur, ſi forte Ordinatus legitima cauſa impeditus Miſſæ ſacrificium celebrare non poſſit.

XII. Si fundus deſit, in aliquo Cenſu, vel perpetuis Cenſibus Patrimonium conſtitui facile indulgebimus, modo fiant intra limites, qui a S. Pio V. in ſuo Decreto præſcribuntur; tunc enim Cenſus inter bona ſtabilia numerantur. Cavendum tamen eſt, ſi debitores ii Cenſibus diſſolvi cupiant, apud probum aliquem, & locupletem virum integram pecuniam eſſe deponendam, ut in alios Cenſus convertatur, vel fructiferis, certiſque fundis collocetur, qui ejuſdem rationis, ac primus cenſus, habebuntur. Curet autem Ordinatus ſub pœna Suſpenſionis, ut ejuſmodi pecuniæ collocatio minime negligatur; cum hæc omnia Decretis Sacrarum Congregationum omnino congruant, uti Monacellus apertiſſime declarat (2).

XIII. Si quis etiam charitate ductus Patrimonium tribuere velit, ut aliquis ad Ordines recipiatur, ejus virtutem plurimum commendabimus, & ſi nihil omnino neceſſarium deſit, Ordinationem inſtituemus. Eas tamen conditiones requirimus, quæ a Sac. Congregatione anno 1573. ſancitæ fuerunt (3): *Sacra &c. cenſuit, poſſe aliquem ad Sacros Ordines promoveri ad titulum bonorum, quæ ei donentur, ſi tamen Epiſcopus judicaverit, tum aſſumendum pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, donationeſque hujuſmodi vere, & abſque ulla fraude, & in forma valida fiant de tot bonis, quæ promovendo ſufficiant ad vitam honeſte ſuſtentandam, quæque deinceps alienari nullo modo poſſint ſine licentia Epiſcopi, donec ille Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens adipiſcatur, vel aliunde habeat, unde vivere poſſit.* Huic ſententiæ alia quoque adjungitur, quæ a Sacra Congregatione die 15. Aprilis anno 1598. promulgata fuit, & lib. 9. Decretorum pag. 50. continetur. Cenſum quoque, ſi juxta Decretum S. Pii V. fuerit inſtitutus, ad Patrimonium conficiendum admittemus, ea ſemper adhibita conditione, ut qui Cenſum attribuit, ſi forte a debitore pecunia reſtituatur, pro vitæ ſuſtentatione conſulat Ordinato, donec eadem pecunia eo modo collocetur, quem ſupra memoravimus, uti prudenter idem Monacellus indicavit (4).

XIV. Verba Sac. Congregationis, quæ paulo ante retulimus, *vere & abſque ulla fraude, & in forma juris valida* Tridentinæ Synodi ſententiam tantum explicant (5), in qua ſic traditur: *eo quoque prius perſpecto, Patrimonium illud, vel penſionem vere ab eis obtineri.* Hinc neceſſario ſequitur nec legitima, nec juri Canonico congruentia ea Patrimonia judicari, quæ ex bonis ad alium vel integre, vel magna ex parte ſpectantibus conficiuntur; ita ut Ordinatus eos fructus annuos percipere nequeat, qui a Synodo ſtatuti fuerunt; quod pariter de illis bonis ſtatuendum eſt, quæ adjecto redimendi pacto prius divendita fuerant, celaris aut conventionibus, aut contractu. Poſtremo a ſacris ſanctionibus aliena ſunt ea Patrimonia, in quibus expreſſa, vel tacita conventio intercedit, ut fundi poſſeſſio ſemper ad eum pertineat, qui ratione ſolum Patrimonii eumdem fundum contulit, ſive ut Ordinatus nullos fructus, vel illorum tantum partem ex eo fundo deſumat, licet publicæ tabulæ obſignatæ contrarium declarent. Nemo quippe non videt fraudem, quæ objicitur cum de re graviſſima negotium habeatur. Diſceptatur etiam, utrum parens omnia ſua bona filio pro ſuſcipiendis Ordinibus legitime aſſignare poſſit, licet partes hæreditatis, quæ cæteris liberis jure naturæ debentur, hoc pacto ipſis auferantur; deinde, utrum id parens exequi poſſit, ſi unicum habeat filium, eamque conditionem interponat, ut ſibi ad vitam neceſſaria ſuppediteutur. Primum quidem, cum detrimentum reliquis filiis inferatur, nulla ratione permittitur; ſecundum vero legitimum haberi nequit, niſi in bonorum reſignatione omnia ſingillatim explicentur, ut illorum ſumma, fructuſque annui deprehendantur, atque inde, quid Ordinato ad vitam ſuſtentandam libere ſuperſit, certo probetur (6).

XV. Ut hæc, & alia hujus generis maleficia impedirentur, inter cæteros caſus hunc quoque reſervatum Deceſſor noſter Cardinalis Jacobus Boncompagnus edixit: *Conſtitutio fictitii Patrimonii Sacris Ordinibus initiando, vel cum pacto illud nunquam petendi, vel retrocedendi, antequam eidem Ordinato ſuppetat, unde aliunde victus honeſtus ſubminiſtretur.* Cum nihil circa ejuſmodi caſus a nobis immutatum ſit, in dubium revocari nequit, quin integre vim ſuam ipſe retineat. Sed quoniam experientia compertum eſt, hanc morbi luem ſuperius allato remedio minime extingui, nos aliquas cauſas afferemus, ut in graviſſima re fraudes hujuſmodi prohibeantur.

XVI. Ac primum, qui ad Ordines aſſumitur, eam voluntatem præſefert, non modo ut illos exerceat, ſed etiam ad Presbyteratum, & rem Divinam faciendam perveniat, quod tamen aſſequi nunquam poterit, ſi alicujus fraudis, vel pactionis, ut paulo ante diximus, particeps ad Sacram Ordinationem accedat. In Canone *neminem*, ſuſpenſionis pœna ſtatuitur (7), ſi quis Ordines ſine Patrimonio ſufficienti accipiat: *Decrevit Sancta Synodus, vacuam habere manus impoſitionem.* In alio Canone *Sanctorum* idem ſancitur his verbis: *Decernimus, ut ſine titulo facta Ordinatio irrita habeatur.* Innocentius III. (8) hanc veterum Canonum ſeveritatem mitigavit; & eum, qui Ordines contulerit haud ignarus fraudis, atque imparis Patrimonii, obſtringit, ut Ordinato neceſſaria ad vitam agendam ſubminiſtret: *Licet autem Prædeceſſores noſtri Ordinationes eorum, qui ſine certo titulo promoventur, in injuriam Ordinantium irritas eſſe voluerint, & inanes, nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per Ordinatores, vel Succeſſores eorum provideri volumus Ordinatis, donec per eos Eccleſiaſtica Beneficia conſequantur.* Tridentinum Concilium (9) pœnas veterum Canonum iterum præſcribit illis, qui titulo imparis Beneficii, ſive ad alium quempiam pertinentis, aut fictitii Patrimonii ordinantur: *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando:* (10) Sixtus V. pœnam Suſpenſionis a priſcis ſanctionibus inflictam iterum confirmat; & Clemens VIII. (11) Sixtinam Conſtitutionem iis terminis concludit, qui a Tridentina Synodo decernuntur. Itaque, ut recte judicetur, utrum eo modo Ordinatus, quem nuper expoſuimus, ſuſpenſionem incurrat, & etiam *Irregularitatem*, ſi Ordines exerceat, & Sacrum peragat, inveſtigari debet, an Concilium Tridentinum, cum veterum Canonum Decreta renovaret, pœnam ſuſpenſionis promulgaverit, vel ſolum edixerit, ut qui fraudis conſcius Ordines adminiſtraverit, alimenta præſtare debeat Ordinato, donec honeſtam vitæ ſuſtentationem alio pacto conſequatur. Id potiſſimum a Sac. Congregatione dignoſcendum eſt, quæ, ut ſæpius innuimus, Tridentinæ Synodi ſententias interpretari ſola poteſt, quemadmodum Summi Pontifices ſanxerunt. Illa vero, poſtquam rem diligenter expendit, pœnam ſuperius expoſitam ſolummodo in eum, qui Ordines contulerit, renovatam aſſeruit, non autem Suſpenſionem, niſi forte Ordinatus doli conſcius ante fuerit, & Ordinatorem ipſum in fraudem adduxerit. Tunc enim eadem Suſpenſionis pœna liberari nequit, uti die 27. Novembris anno 1610. conſtitutum fuit: *Sacra Congregatio Concilii, propoſito ſuprascripto dubio, omnium ſententiis cenſuit, hoc caſu pœnam Suſpenſionis ante Concilium non eſſe correctam, & hodie a Tridentino Concilio eſſe innovatam, & propterea hujuſmodi Clericum, qui adhibito dolo, confictoque titulo Ordinatorem decepit, eſſe ipſo jure ſuſpenſum, carereque Ordinum executione.* Fagnanus ſuper hac re conſulatur (12). Fruſtra ad Sedem Apoſtolicam confugit, qui per ejuſ-

(1) *Seſſ. 21. cap. 2. de reformat.* (2) *Tom. 2. tit. 13. pag. 71. num. 17. & num. 21. edit. Rom. anno 1706.* (3) *Lib. 1. Decret. pag. 113.* (4) *Loco ſuperius allato.* (5) *Cap. 2. ſeſſ. 21. de reformat.* (6) *Monacel. tom. 1. pag. 67. num. 5. & 6 t. 3. pag. 131. num. 4. & 5.* (7) *Diſtin. 79.* (8) *Cap. cum ſecundum de præbend. & digni.* (9) *Cap. 1. pluries cit. ſeſſ. 21. de reform.* (10) *In ſua conſtitut. 91. Bullar. tom. 2.* (11) *Conſtit. 40. Bullar. tom. 3.* (12) *Cap. cum Secundum num. 6. 3. uſque ad finem de præbendis.*

jusmodi fraudem Ordines assequutus est, ut remedium malo opportunum sibi conciliet. Nos enim, qui in Sac. Congregationibus magnam vitæ partem exegimus, affirmare possumus, quod, si palam, vel etiam occulte id evenerit, licet nos ipsi per literas propitii simus, nihil aliud obtenturus sit, nisi, ut per aliquod tempus Sacrum faciat, donec honestam vitæ sustentationem sibi aliqua ratione paraverit.

XVII. Cum publicas Ordinationes indicimus, normam in Pontificali Romano descriptam sequimur, & Archidiacono sub pœna Excommunicationis præcipimus, ut inter cæteros, etiam qui suspensi sint, ad Ordines accipiendos accedere non patiatur. Si tamen, ut in aliis Diœcesibus in more positum est, quemadmodum Cardinalis de Lugo testatur (1), etiam denuntiare palam velimus, nos eam mentem non habere, ut suspensos ordinemus, quis hanc rem nobis impediat? Tunc autem, si qui suspensione devincti (in quam pro fraude ad statuendum Patrimonium adhibita *ipso facto* incidunt) Ordines tamen a nobis, qui dolum ignoramus, acciperent, in quo misero statu, & conditione versarentur? Docent quidem nonnulli Theologiæ Moralis Magistri eam Episcopi declarationem *ad terrorem* promulgari, a qua tamen recedit, cum deinde Ordines *ab ipso* conferuntur. Hæc tamen, quæ libere a Magistris evulgantur, cum ad Judices deferuntur, qui tutiorem viam insistunt, & rerum causas sedulo, gravique examine dijudicant, non eadem facilitate probantur. Pœnitentiariæ consuetudo ea est, ut qui per fraudem hoc modo ordinatus fuerit postquam debitam facultatem acceperit, iterum *sub conditione* ordinetur, uti refert P. Thesaurus, qui in Basilica S. Petri per plures annos Pœnitentiarii munus exercuit (2). Sacra autem Congregatio probante Summo Pontifice hanc controversiam juxta Episcopi mentem dirimendam censuit; ita ut, si ipsius declaratio contra suspensos *ad terrorem* edita fuerit, rite collatos Ordines existimet; sin autem Episcopus revera suspensos, & jure impeditos ab Ordinibus arcere secum deliberaverit, tunc Ordines haud rite collatos dubitet, uti plurimis ejusdem Sac. Congregationis sententiis comprobatur (3).

XVIII. Errant etiam magnopere, qui fictitium Patrimonium attribuunt, vel eam ex mutuo consensu prævium conventionem adhibent, ut nullos fructus, vel illorum partem Ordinatus solum assequatur, idque se facere testantur ut egenum ad Ordines suscipiendos adjuvent, quod sane ab imperitis hominibus commendatur, a sapientibus autem, sacrisque constitutionibus vehementer improbatur. Hoc modo nullum rei familiari detrimentum afferre posse sperant, sed errare maxime putantur. Quippe, ut omittamus eam disputationem, utrum *in foro interno* ejusmodi pactiones vim habeant, quod plurimis negantibus aliqui affirmant, eamque facultatem Episcopo unanimes tribuunt, ut ipsas inanes, atque irritas declarare possit (4), ut hoc, inquam, omittamus, certum quidem est, si apud Judicem Ordinatus egerit, ut fructus ex Patrimonio sibi tradito percipiat, id statim obtenturum, licet contrariæ pactiones, & etiam jusjurandum intercesserit. Aperte Sacra Concilii Congregatio die 11. Maji anno 1599. rem confirmavit (5): *Sacra &c. re diligenter perpensa declaravit, donationem ejus Patrimonii, ad cujus titulum quis fuerit ordinatus, utpote prohibitam decreto Concilii cap. 2. sess. 21. juramento donantis nequaquam confirmari.* Insuper in hanc sententiam die 14. Maji ann. 1671. hæc etiam proposita ac sancita fuerunt (6): *Casum, & dubia sequentis tenoris proponit R. P. D. Taja instans, eam per sacram Congregationem declarari. Clerico N. habenti annua decem, N. Laicus supplendo usque ad viginti quinque promisit annua quindecim, ut ad Sacros Ordines promoveri posset, eique super ejus proprio fundo donavit sub infrascriptis conditionibus, & declarationibus, quod prædicta annua quindecim essent in supplementum Patrimonii Ecclesiastici, quod solverentur de sex mensibus in sex menses a die Subdiaconatus, & quod statim ac ipse Clericus donatarius Beneficium Ecclesiasticum consequeretur, vel aliter haberet, unde viveret, donatio hujusmodi intelligeretur cessasse. Dictus Clericus per multos annos vixit sine præfatis annuis quindecim, eaque per dictum tempus nunquam petiit, & hodie etiam scholasticam habet industriam, cum qua vivere posset, si vellet. Quæritur primo, an talis Laicus teneatur pro dictis annuis quindecim præteritis: secundo, an excusari possit in futurum a dicta scholastica industria. Sacra &c. ad primum respondit affirmative; ad secundum negative.* Idem in Sac. Congregatione super Episcoporum, & Regularium causis constitutum fuit, ne unquam probentur, qui tradito falso alicui Patrimonio, illud ad se revocare contendant; sed ad Ordinatum libere illud pertineat, licet adversa conventio prius interposita fuerit, quemadmodum Monacellus ostendit (7).

XIX. Rationes, quæ hucusque productæ sunt, tantam vim habent, atque ita perspicuæ sunt, ut ad fraudes ejusmodi eliminandas nihil amplius addendum videatur. Sed quoniam superiori tempore neglectæ fuerunt, idemque in posterum futurum timemus, licet in lucem prolatæ, & satis explicatæ sint, hæc alia subjicienda ducimus.

XX. Ac primum, qui ex suis bonis Patrimonium conficit, ut ad Ordines recipiatur, eadem bona nuncupare debet, eorum conditionem, numerum, & fructus annuos exponere. Idem parentibus, sive extraneis indicitur, cum ex ipsorum bonis Patrimonium Ordinando constituitur. Totum autem negotium in publico Instrumento describi, ac manu Ecclesiastici Scribæ etiam obsignari necesse est; pactiones quoque, & alias quaslibet conditiones referri, quibus bona titulo Patrimonii conceduntur.

XXI. His peractis idem Instrumentum Parocho tradendum est, cui subjicitur Ordinandus. Ipse vero per diem Festum in magna populi frequentia, *inter Missarum solemnia*, omnia, quæ in eodem continentur nuper memorata enunciabit, singulosque admonebit, ut sibi etiam secreto patefaciant, si forte compertum habeant non ea natura prædita esse bona, nec eum fructum afferre, qui in tabulis indicatur; item si norint eisdem bonis inesse onera, quæ minime declarata sint, vel aliquas pactiones, mutuumque consensum intercessisse, ut nempe bona in ejus potestatem redeant, qui prius assignaverat, sive ut Ordinatus nullos fructus, vel solum illorum partem excipiat: populum graviter moneat eum legibus obstringi, ut hæc in lucem proferat, & simul de fide super hac re sua certum efficiat. Quod, si in duabus diversis Parochiis bona Patrimonii, & Ordinandus constituta sint, promulgationes eo modo, quo diximus, in utrisque Parochiis perficiantur.

XXII. Quibus exactis idem Instrumentum ad nostram Curiam mitti Parochi curabunt, & ratum simul, firmumque testimonium illud fuisse promulgatum: si vero aliquid contra deprehenderint, illud nobis, seu Vicario nostro generali obsignatis literis explicabunt, in quibus non solum describent, quæ perceperint, sed etiam eorum causas, quas a testibus elicere debent, suumque judicium adnectant, utrum, quæ delata fuerunt, veritati consentanea arbitrentur. Quamvis autem nihil novi ad ipsos deferatur, tamen præcipimus Ecclesiarum Rectoribus, ut cum Instrumento, & testimonio, quod modo diximus, literas etiam suas adjungant, vel etiam seorsum quid de ipsa re sentiant, nobis ingenue significent. Persuasum enim habemus malum ab ipsis plerumque derivari, quibus cognitæ sunt ejusmodi fraudes, quas tamen vanis rationibus ducti palam facere prætermittunt. Quod si in posterum negligant, severis pœnis a nobis afficientur. Id autem facile assequemur; nam & diligentiam in perquirendo, & secretos etiam exploratores adhibebimus.

XXIII. Post hæc, cum Patrimonia ex bonis in Censu descriptis statuantur, sive illa ad Ordinandum, sive ad alium quempiam spectent, sive summam a Synodo præscriptam adæquent, sive in supplementum Beneficii, aut Capellaniæ tribuantur, testimonium Census obsignatum ab iis, ad quos pertinet, deferendum est, ut cum bonis ad Patrimonium jam destinatis quoad summam, fructusque annuos habita æquitatis ratione conferatur.

XXIV. Deinde Cancellariæ nostræ Tribunal Ordinandus adibit, ubi de perjurii gravitate ante admonitus, de casu relevato, ac de pœna Suspensionis in eos constituta, qui mendacium, aut fraudem admisceant, si Patrimonium ex propriis Ordinandi bonis constet, testabitur juxta formulam juris jurandi, quod a nobis proponetur, ac in actis Cancellariæ servabitur, testabitur, inquam, in sua potestate esse illa bona, ad neminem alium spectare, nullis oneribus obnoxia præter ea, quæ in assignatione exposita sunt. Si vero a parentibus, vel ab extraneis Patrimonium tradatur, ipsi in Cancellariam venient, sive alium loco suo legitime subrogabunt, cui jurandi facultatem illorum nomine conferent, quæ in literis pro mandato obeundo traditis exprimi debet. Jurabunt igitur bona ad Patrimonium designata, sua esse, sine ullo dissidio eadem pos-

(1) *De Sacramentis disput. 8. sect. 7. n. 119.* (2) *De pœnis Ecclesiast. part. 2. cap. 8. in verbo Ordines num. 2.* (3) *In causa Portalegren. Ordinationis 5. Apr. 1704. In Apruntina Ordinum 5. Januarii 1710. Fagnanus cap. per tuas, n. 15. de Clerico per saltum promoto.* (4) P. *Thesaurus de pœnis Ecclesiast. part. 2. artic. 11. sub. n. 6.* (5) *Lib. 9. Decretor.* (6) *Lib. 27. Decretor. pag. 43.* (7) *Tom. 1. pag. 67. num. 4.*

possidere, nullis vinculis obligata, sive iis tantum, quæ in assignatione afferuntur; insuper nullam conventionem, aut consensum admixtum fuisse, ut nempe iisdem bonis potiantur, donec superstites erunt, fructusque integros, vel ipsorum partem percipiant, vel tandem, ut ipsa bona tunc recuperent, cum Ordinatus sibi alio modo pro honesta vitæ ratione consuluerit; nisi forte aliqua ex his conditionibus in bonis attribuendis intervenerit. Admonendi pariter sunt, ut gravissimam perjurii labem, casumque reservatum meminerint. Quemadmodum vero extranei Patrimonium constituentes, ita etiam Ordinandus jurabit compertum habere bona pro Patrimonio collata ad eam summam: eosque fructus pertingere, qui in assignatione numerantur; reliqua etiam, quæ modo dicta sunt de mutuis pactionibus, per ipsum jurari debebunt: si quoque sponsio intercedat de alendo Ordinato, cum legitime impeditus Capellani muneri sacrisque celebrandis satisfacere nequeat, tunc sponsor jurabit nullam antea pactionem cum Ordinato admissam fuisse, ne scilicet assignatam pecuniam persolvat, cum impedimentum aliquod Missas peragendas retardaverit. Idem jusjurandum Ordinatus præstabit, se nulla facta conventione ab exigenda a sponsore pecunia prohiberi, si forte a Missæ Sacrificio necessario debeat abstinere.

XXV. His omnibus Sacramenti religione confirmatis, ut superius innuimus, & in acta relatis, ad examen testium deveniendum erit, qui minus quam duo, & probitatis fama satis cogniti, esse nequaquam debent: Seorsum interrogentur, & de excommunicatione *ipso facto* subeunda moneantur, quam Synodus Cardinalis Boncompagni constituit. Nobis etiam suis bonis pœnas dabunt, Ordinatumque suis expensis alere cogentur, si aliquando ipsos mendaces in hac re deprehendemus. De summa, & conditione bonorum, de fructibus annuis, & qua ratione id noverint, ab illis inquiratur; ac demum, an inter Ordinandum, eumque qui Patrimonium attribuit, aliqua conventio adhibita sit, uti supra explanavimus. Illud quoque negligendum non est, cum Patrimonium ab illis conficitur, qui in civitate minime degunt, ab ipsis nempe exposcere, utrum præter bona ad Patrimonium collata a parentibus, sive extraneis certo sciant, quid pro ipsis, eorumque familiis sustentandis supersit: quam ob causam, qui testes affert, eos potissimum deligere debet, qui hæc plane comperta habeant. Nobis autem reservamus aliquando præcipere, ut ratum, firmumque testimonium eorum bonorum proferatur, quæ in potestate Patrimonium constituentis relinquuntur, & eorum pariter, quibus Patrimonium ipsum innititur.

XXVI. Pro illis, qui titulo Beneficii ordinantur nihil novi decernimus, sed veterem consuetudinem retineri jubemus. Illud solum monemus duas in jure Canonico sententias in eos pronunciari, qui fructus Beneficii se minime percepturos polliceantur, ut hoc modo faciliorem sibi ad obtinendos Ordines viam sternant, pactione scilicet expressa, vel tacite interjecta cum eo, per quem ad Beneficium nominantur, vel etiam cum eo, qui Beneficium resignat. Prima quidem cap. *Per tuas* 37. *de Simonia* continetur, ubi Innocentius III. illis, qui hæc commiserant, & tamen se nulli crimini obnoxios putabant, his verbis respondet: *Nos inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod, nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ad superiores ascendere, nec in suscepto debet Ordine ministrare*; Altera legitur cap. *Si quis* 49. eodem titulo *de Simonia*, in quo Gregorius IX. memorata Suspensionis pœna neminem, nisi per Sedem Apostolicam dissolvi posse constituit: *Donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverintque se suspensos.*

XXVII. Tridentina Synodus (1) Patrimonium debita ratione confectum sine Episcopi consensu alienari prohibet, donec Ordinatus Beneficium Ecclesiasticum adeptus sit, quod pro vita sustentanda satis indicentur. Ut id melius intelligi possit, nonnulla Sac. Congregationis ejusdem Concilii interpretis decreta subjicientur.

XXVIII. Qui Patrimonium divendit, nec ullam mentionem facit, se ejus titulo Ordines suscepisse, si nullam incurrit censuram, certum tamen est, quod ejusmodi alienatio inanis, atque irrita *ipso jure* decernitur. Ita sancitum fuit die 6. Martii anno 1638. (2). *Sacra &c. censuit, eum, qui de facto alienavit Patrimonium, ad cujus titulum fuerat Ordinatus, nulla facta mentione quod ad illius titulum promotus fuisset, in censuras non incidisse, sed alienationem ut proponitur factam esse ipso jure nullam.*

XXIX. Insuper die 20. Julii anno 1619. id etiam constitutum fuit (3). *Patrimonium, ad cujus titulum aliquis est promotus, posse utique de licentia Episcopi permutari cum aliis bonis non minoris reditus, aut valoris, sed debere Episcopum declarare, bona ex permutatione acquisita esse subrogata in locum prioris Patrimonii, ita ut deinceps alienari nequeant, nisi servata forma a Concilio præscripta.* Postremo die 14. Februarii anno 1652. hæc decreta fuerunt (4). *Sacra &c. respondit, renunciationem Patrimonii, ad cujus titulum Clericus simpliciter Sacris Ordinibus fuit initiatus, absque licentia Episcopi factam non sustineri, etiam post affectionem Beneficii ad ejus vitam sustentandam sufficientis.*

XXX. Quoniam vero sponsiones nimis libere fiunt, quæ Patrimonii bonis innituntur, noverint omnes, si forte pro sponsione pecunia solvenda sit, in illa bona jus tantum exerceri posse, quæ post honestam vitæ sustentationem Ordinato supersunt; quod raro in Patrimoniis hujus diœcesis contiget, cum ipsorum proventus non ita copiosi habeantur. Sciant etiam posse Creditorem accipere *insolutum*; ac vendere jus sibi conveniens in ejusmodi Patrimonium, quod post mortem Ordinati ad hæredes transferri deberet. Id vero perraro eveniet, cum Patrimonia ab extraneis plerumque constituantur ea conditione, ut ipsis bona Patrimonii restituantur, cum Ordinatus e vivis decedet, vel alia legitima ratione honestam vitæ sustentationem consequetur. Quæ diximus ex hoc Sac. Congregationis monimento satis probantur: *Supplicatur humiliter per EE. VV. declarari, an dispositio Sacri Concilii cap. 2. sess. 21. de reformatione prohibens alienationem Patrimonii Clericorum absque licentia Episcopi extendatur ad fidejussiones per eosdem Clericos factas, ita ut respectu dicti Patrimonii obligatio non sustineatur.*

Die 15. Martii 1642. *Sacra &c. respondit extendi etiam ad fidejussiones, juxta tamen dictionem factam in declaratione hujus Sacræ Congregationis tenoris sequentis.*

Die 5. Februarii 1604. *Sacra Congregatio Concilii censuit, neque in ejusmodi Patrimonio, neque in ejus fructibus ad Clericum alendum necessariis executioni locum esse posse. Licere autem capere in causam judicati eam fructuum partem, quæ quotannis supereffet ultra eam, quæ ad Ordinati sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo, Judicis Ecclesiastici arbitratu fuerit necessaria. Posse autem ipsum Creditorem accipere insolutum, atque vendere jus sibi competens ad hujusmodi Patrimonium, quod post mortem ipsius promoti ad Creditorem uti res hereditaria pertinebit* (5).

XXXI. Postremo, qui alicujus Beneficii titulo Ordinatus fuit, ipsum Beneficium in alium quempiam transferre nequit, nisi palam declaret, se illius titulo ad Ordines assumptum fuisse. Id vero perfici nullo modo fas est, nisi constet Ordinato satis suppetere, quæ ad vitam necessario requiruntur; aliter enim Beneficium frustra, & inaniter transferretur (6) Cum in Sac. Concilii Congregatione a Secretis ageremus, plura in dubium vocata sunt, ac disceptata, quæ per Archiep. Ansanen. seu Lancianen. proposita fuerant: ad sex capita referabantur; quorum tertium fuit ejusmodi: *An constare debeat per probationes concludentes, resignantem habere quo commode vivere possit.* Responsumque fuit: *Affirmative.* Ad quartum vero: *An hæc probatio censeatur adimpleta per solam confessionem juratam resignantis*; die 9. Februarii 1726. Sacra Congregatio respondit: *Negative.*

XXXII. Hæc sunt, quæ præcipienda, atque indicanda singulis per hanc nostram declarationem necessario duximus, in qua præsertim illud ante oculos habuimus, ut Sacerdotii dignitatem, Tridentini Concilii, & Sacrorum Canonum Sanctiones, necnon Synodi a Decessore nostro celebratæ Decreta ipsis omnino consona tueremur. Quippe haud novas leges indicere, sed veteres diligenter observari magnopere cupimus, ac ne ipsæ ob inscitiam, vel pravam voluntatem pedibus proterrantur.

XXXIII. Hæc autem declaratio non modo usitatis locis promulgabitur, & ad singulos Urbanos, ac Diœcesis Parochos, omnesque Vicarios Foraneos mittetur, sed etiam in nostra Cancellaria prostabit, ut Scriba, cui de novis Patrimoniis acta conficienda sunt, ipsi penitus conformetur; siquidem observandam integre, ac perpetuo jubemus.

IN-

(1) *Sess.* 21. *cap.* 2. (2) *Lib.* 15. *Decretor. pag.* 667. (3) *Lib.* 17. *Decretor. pag.* 17. (4) *Lib.* 19. *Decretor. pag.* 172. (5) *Lib.* 17. *Decretor. pag.* 18. (6) *Trid. Concil. sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.*

## INSTITUTIO XXVII.

*Pro Archipresbyteris, & Parochis Diœcesanis, atque Concionatoribus, qui tempore Quadragesimæ ad tradendum Dei Verbum in illorum Ecclesiis designantur. Quid Parochis agendum sit antequam tempus Quadragesimæ advenerit. De ratione excipiendi Concionatores. Quonam loco sint collocandi, quove pacto adventus, ac reditus Concionatoribus apparari eporteat. Quid præstandum sit Regularibus Concionatoribus in templis proprii Ordinis. De vitæ probitate, quam tempore Quadragesimali Concionatores præseferre debent. Quid ipsis gerendum sit, si forte lethalem culpam contraxerint. Quid evitari, vel declarari per conciones opus sit. Quale detrimentum in Fideles dimanet ex eo, quod Concionatores non insectentur vehementius ea crimina, quæ frequentius a populo patrantur. De mercede solvenda Concionatoribus, quamve ob causam ipsis concedatur.*

I. Adventante jam Quadragesimæ celebritate Concionatores Verbi Dei in plures nostræ Diœcesis Ecclesias designantur, ne illud Jeremiæ nobis objiciatur (1): *ubi est verbum Domini?* Monendi igitur sunt Rectores Ecclesiarum, in quibus conciones per Quadragesimam habentur, & ipsi quoque Concionatores, ut hæc pia exercitatio rite, atque utiliter peragatur.

II. Itaque Parochi diebus Dominicis Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, dum Missam Parochialem celebrant, per certos dies ineunte Quadragesima futuram concionem populo significent, omnesque hortentur cum viros, tum mulieres, ut frequentes conveniant: *Vade* (inquit Jeremias), *& sta in porta filiorum populi, & dices ad eos: audite verbum Domini.* Absoluto autem ejusdem Missæ Sacrificio Deum unanimes exorabunt, ut qui concionibus aderunt, eum fructum percipiant, ob quem conciones instituuntur: *Vivus est enim sermo Dei, & efficax* (2); Sed nisi Deus ipse in animis hominum suam legem imprimat, uti habetur cap. 31. v. 33. Jeremiæ, *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*; nec Concionator, nec populus ea, quæ in votis sunt, obtinebunt. Id S. Gregorius his verbis confirmat (3): *nisi intus sit, qui doceat, Doctoris lingua exterius in vanum laborabit.*

III. Statim ac ad Ecclesiam sibi constitutam Concionatores pervenient, qua par est humanitate, ac officio ab ipsis Parochis excipientur: *Sic nos existimet homo* (inquit S. Paulus (4)) *ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*; quæ verba Willelmus Estius sic interpretatur: *Dispensatores, ne nimium extollantur; nam dispensator alienæ rei minister est: mysteriorum Dei ne contemnantur.* Hinc sub pœnis arbitrio nostro statuendis pravam consuetudinem vehementer improbamus, ob quam Concionatores ad tabernas divertere, ibique subsistere permittuntur, quod cæteris omnibus Ecclesiasticis, nisi itineris causa, interdicitur: *Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti* (5). Idem Canone 4. dist. 44. sancitur: *Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.*

IV. Igitur (uti S. Carolus Borromæus decernit (6)): *In proprio Monasterio, qui Regularis est, habitet, aut in ædibus Parochialis, Collegiatæve Ecclesiæ ubi concionatur, aut saltem in aliis Ecclesiasticis domicilis, si ullo modo potest, ac distinctis omnino a laicali habitatione.*

V. Quoniam vero singulis annis dissidium excitatur, quisnam equo deducere Concionatores debeat, præcipimus pristinum morem servari, ita ut, qui superiori tempore equum tradere consueverit, quo facilius ad locum, ubi sacrum ministerium exerceri debet, Concionator perveniat, idem præstare deinceps omnino teneatur. Sin autem Concionatores suis expensis, vel alterius beneficio, & gratia iter confecerint sibi ipsi in posterum eodem modo consulant.

VI. Satis constat statis diebus conciones haberi in aliquo loco, ac deinde in alium locum Concionatores migrare, ut per alios dies sacra eloquia populo tradant; atque iterum in pristinum locum se restituere, ut eodem munere fungantur.

VII. Si id contigerit, præcipimus Parocho, seu populi conventui, ad quem Concionatores alere pertineat, ut pro commodiori itinere prospiciant, cum ipsi de uno in alium locum transferuntur. Quippe sub alimenti nomine illa etiam continentur, quæ necessaria sunt, ut in eum locum se conferant, ubi populum piis sermonibus imbuere debent. Idem statuendum est, cum in eum locum Concionatores revertuntur, ex quo prius discesserant, & ubi incæptum concionum cursum prosequi fas est.

VIII. Sed jam ad Concionatores deveniamus. Nemo juxta Tridentinum Concilium secularis conciones habere potest (7), qui prius ab Episcopo facultatem non impetraverit. Idem pro Regularibus decernitur, si Ecclesia concionibus destinata ad ipsorum Ordinem minime spectet. Sed ut id clarius explicetur, cum Clemens X. (8) Regularibus, qui in suis Ecclesiis concionari volunt, indixerit, ut benedictionem ab Episcopo postulent, hinc magnopere commendamus, ut ejusmodi Decreta sedulo observentur; non modo, ut jurisdictionem, quæ nobis concredita est, integre tueamur, sed ut eos, qui nostra auctoritate per Diœcesim pro sacris eloquiis enunciandis se conferunt, prius alloquamur, ipsisque nostri animi sensus declaremus.

IX. Singulis autem Concionatoribus in memoriam adducimus, ut optimis vitæ moribus se præditos exhibeant, ne inter eos adnumerentur, quos Deus his verbis objurgat: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam* (9).

X. Virtus, atque integritas morum, quibus Concionatores exornantur, maximum sermoni pondus adjiciunt: *Habet* (inquit S. Augustinus (10)) *ut obedienter audiatur quantacumque granditate dictionis, magnum pondus vita dicentis.* Venerabilis Beda ea verba, quæ apud S. Matthæum habentur, *Loquebatur, tanquam potestatem habens*, sic interpretatur: *Sermo docentis in potestate sit, quando, quæ docet, operatur.* Contra vero morum licentiam, quæ in Concionatoribus apparet, omnino perniciosam S. Gregorius testatur. Tunc enim *Quod per linguam prædicamus, per exempla destruimus, dum iniqua docemus operibus, & sola voce, quæ justa sunt, prætendimus.* Tandem in Canone *multi* (11) hæc sententia continetur: *Bene vivendo, & bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere; bene autem docendo, & male vivendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare.*

XI. Hinc meminerint Concionatores a conventibus, hominumque frequentia longius abesse. Nam majorem gratiam, & virtutis opinionem sibi conciliabunt, si minus cum multitudine versentur. Item si vanis hominum negotiis non implicabitur Concionator, iis omnem curam impendet, quæ ad Dei gloriam, cultumque augendum conferunt. Ut Salvator suos Discipulos ad hoc sacrum ministerium informaret, in Judæam eos misit, ut sacram doctrinam prædicarent. Inter cætera illud etiam monuit, ut modesto vultu, compositoque per viam incederent, & ne prætereuntes quidem salutarent: *Neminem per viam salutaveritis* (12); quæ verba S. Ambrosius ita declarat: *Ipsis neminem in via salutare præscriptum est, non quia benevolentiæ displiceret officium, sed quia persequendæ devotionis intentio plus placeret.*

XII. Si, qui hominum consortium, & familiaritatem evitant, vix satis muneri suo satisfaciunt, quid de illis statuendum videbitur, qui per Quadragesimæ tempus, dum Concionatorem agunt, ludis, venationibus, ventrique nimium indulgeant, nec a mulierum congressibus, ut par est, abhorreant? In quibusdam opusculis in lucem editis a Benedicto XIII., quæ iterum excusa fuerunt Romæ anno 1726. cum ipse Pontificatum gereret, Epistola S. Francisci Salesii inseritur, quæ ad imbuendos Concionatores plurimum confert. In ipsa hæc præsertim leguntur: *Secularis quidem ludis tempus conterere potest, venationibus animum relaxare, nocturnos cætus celebrare; quæ omnia minime possunt exprobrari; nam si remissionis gratia fiant, divinis legibus non interdicuntur. Hæc tamen si Episcopus, vel Concionator exerceat, gravissimam offensionem afferunt populo, nisi legitimis cum causis, pluribusque rationibus conjungantur, quod non ita facile contingere potest.* Sanctus autem Carolus Borromæus inter cætera, hæc quoque in Concionatore desiderat, ut sit *In victu temperatus, & parcus, ac ciborum varietatem fugiens, frugalitatis, abstinentiæque studiosissimus. Nec vero præ Concionum laboribus, aliaque causa, nisi necessaria, id studium remittat; tantum abest, ut a statis jejuniis se eximat: immo vero illa religiose colat, ut cæteros exemplo suo accendat ad leges abstinentiæ, jejuniique recte servandas. Si quo autem in loco, ubi concionatur, moris est cibum a fidelibus Concionatori*

(1) *Cap.* 17. (2) *Ad Hebræos cap.* 4. *v.* 12. (3) *Homil.* 30. *de Evangelio* (4) *Ad Corinth.* 1. *cap.* 4. *v.* 1. (5) *Cap. Clerici de vit. & honest. Clericor.* (6) *In sua Institutione pro Concionatoribus in actis Eccl. Mediolanen. par.* 4. *pag.* 305. (7) *Sess.* 5. *cap.* 2. (8) *In Constitut. quæ incipit*: Superna. (9) *Psal.* 40. *v.* 16. 17. (10) *Lib. de Doctrina Christiana cap.* 17. (11) *Dist.* 40. (12) *Lucæ cap.* 10. *v.* 4.

*præterque modum apparari, & ipsa frugalitate, qua perpetuo utetur, omnique alia ratione ab eo apparatu eos revocare studebit*; ac paulo post: *familiaritates, & consuetudines laicorum valde evitabit &c. feminas ad colloquium secum ineundum ne introducat*. Clemens XI., qui nunquam satis commendari poterit, in Epistola Encyclica pietatis, ac doctrinæ plena, quam ad Episcopos dedit, de Concionatoribus hæc habet: *Nimis crebro evenit, in Oppidis præsertim, ac vicis parum frequentibus, ut licentia Concionatoris, prævium exemplum, vel etiam criminis umbra non modo fructum universum impediant, quem Sacris eloquiis colligere poterat, sed re ipsa plurimis scandali, ac malis occasionem subministrent*.

XIII. Si forte Concionator, quod Deus longe avertat, gravi labe inquinatum animum, Deique amicitia destitutum habeat, ad concionandum non accedat, priusquam se Pœnitentiæ Sacramento expiaverit; vel si id commode fieri nequit, per contritionem peccatum detestetur, & quamprimum confiteri secum deliberet. Id a S. Carolo Borromæo desumpsimus, qui loco superius allato inquit (1): *Sed conscientiam ante ab omni peccatorum impuritate Pœnitentiæ Sacramento expurgabit, quam ad verbi Dei tractationem accedat*. Sanctus autem Franciscus Salesius hæc pariter addit: *Concio habenda non est, nisi prius Missæ Sacrificium celebrarit Concionator, vel celebrare fecerit: Incredibile est, ait S. Gregorius, quantam Dæmoni formidinem injiciat, qui Sanctissimum Christi Corpus percepit*. *Revera illud adfirmari posse videtur, quod Sanctus Paulus usurpabat: An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? Tunc sane major libertas, pietatis ardor, ac doctrinæ lumen sermonibus adjungitur: quamdiu sum in mundo* (ait Salvator) *lux sum mundi: Certum quidem quamdam in nos charitatem dimanare, dum Christus qui luminis fons est, animis nostris immoratur*: *Ita Discipuli, qui ad oppidum Emmaus profecti fuerant, post Sacram Eucharistiam mentis tenebras depulerunt*. Inter Theologos quæritur, an novam contrahat peccati labem, qui culpæ lethalis conscius Sacras conciones aggreditur; Sanctus autem Thomas, dum psalmum 49. explicat, & illa præsertim verba *peccatori autem dixit Deus*, sem ita proponit: *Nunquid, qui in statu peccati mortalis est, peccat mortaliter, quando prædicat, vel docet?* hoc vero pacto respondet: *Ejus peccatum aut est publicum, vel occultum; & si occultum, vel cum contemptu, & sine pœnitentia, aut cum pœnitentia. Dicendum ergo, quod si aliquis est in peccato publico, non debet publice prædicare, vel docere . . . . . Si vero est in peccato occulto, & sine pœnitentia, tunc provocat Deum, quia simulat . . . . . Si vero peccatum est occultum, & dolet, non peccat prædicando, vel docendo, etiamsi publice loquatur contra peccatum, quia, sic detestando aliorum peccata, detestatur etiam suum*. Dominicus Soto S. Thomæ præclarus assecla eamdem sententiam amplectitur, & magnopere illustrat (2).

XIV. Priusquam sermonem ad populum ordiatur, divinam opem Concionator imploret, quemadmodum Esdras de Neemia commemorat (3): *Oravi Deum cæli, & dixi ad Regem*: Si copiosum assequi fructum velit, non solum oret, sed ea, quæ populo tradenda sunt, prius animo, seriaque meditatione perpendat, uti docet S. Hieronymus (4): *Sæpius meditando, populum doceat; sed illa doceat, quæ a Deo ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus Sanctus docet*.

XV. Nonnulli summa virtute, ac doctrina præditos Concionatores expetunt, alii mediocres æquo animo ferunt, quos nos magnopere probamus, cum id facilius fit, & major etiam utilitas derivetur. Hæc habet Cardinalis Pallavicinus in historia, qua res gestas in Tridentina Synodo complectitur (5): *Quid satius judicatur, Concionatoris munus illis interdicere, qui in hoc sublimi pietatis, ac sapientiæ gradu non versantur, & hoc pacto ad exiguum numerum eos redigere, vel hanc facultatem iis omnibus elargiri, qui mediocri sane ingenio conciones exercent? Hoc sane idem esset ac petere, utrum inter milites adscribendi non sint, qui maximam in subeundis periculis virtutem non præseferunt, sed aliquando terga hostibus vertunt; utrum ex foro eliminandi, qui singulari jurisprudentiæ laude minime prædicantur, sed ineptas quandoque ferunt sententias; utrum postremo arcendi sint omnes opifices, qui alicujus artis peritissimi non habentur. Id enim, quod imperfectum videtur, si copiosum, ac redundans valde fuerit, Reipublicæ prodesse magis certum est, quam id, quod præstantissimum habetur, si exigua tantum ejus copia suppetat. Melius est, si in omni oppido, omnique templo aliquem de Deo, de Cœli felicitate, de Inferorum cruciatibus differentem populus audiat, a quo pietatis laudes, peccati gravitas declarentur &c. id, inquam, melius est, quam si Paulus, & Chrysostomus unice verba facerent, idque tam raro contingeret, ut homines vanis, ac perniciosis hujus vitæ cogitationibus implicarentur; atque adeo rarissime semen in animos decideret, ex quo immortalis vitæ cogitatio aliqua gigneretur*. Sed cum magnum discrimen inter mediocres, & prorsus imperitos Concionatores intercedat, nostri muneris partes esse ducimus, ut legibus, & præstantium virorum auctoritate innixi pauca subjiciamus, & quæ perficienda sunt, ne Concionator mediocris in deteriorem conditionem dilabatur. Sacra Congregatio super Regularium, & Episcoporum causis constituta, jussu Clementis X. per litteras encyclicas præcepit Episcopis, omnem curam atque solicitudinem impendere, ut pravam consuetudinem jampridem invectam penitus extinguerent, ob quam nonnulli Concionatores non sacram doctrinam, ac virtutem populos edocebant, ut Sanctissimi Patres hortantur, sed auditorum mentes paradoxis, Poetarum fabulis, vanisque Rhetoricorum ornamentis oblectabant. Illud tamen magis deplorandum est, quod non modo inanibus verbis Concionatores utuntur, sed etiam ridiculam, ac mimicam dicendi rationem imitantur, quæ theatris potius accomodata videtur; & illud studiose curant, ut Auditores hilares, jucundique detineantur. Quamobrem, ut morem hunc sacrilegum melius arguamus, verba Patris Olivæ Societatis Jesu Præpositi Generalis afferemus, quæ in concione coram Pontifice, & Cardinalium cœtu habita continentur, quæ sic latine redduntur (6): *Ut pestis tam perniciosa omnino extinguatur, fateor me sæpius evolvisse Sacras Litteras, Concilia, & Doctores, & neminem sane reperire potui, qui in tam pravam consuetudinem vel unum verbum protulerit, vel syllogismum confecerit. Nullus Catholicus Doctor, nullum Oecumenicum Concilium excogitare, vel suspicari unquam potuit Concionatores adeo impudentes, qui Dei Ecclesiam in theatrum, sacrumque suggestum in circulatoriam sedem converterent. Hinc nemo morbo incredibili aptum remedium attulit, & hæc duo maxime repugnantia, quæque in unum copulari nequeunt, semper judicavit*, CONCIONATOREM *ac* MIMUM, *Apostolum & Scurram, Templum, ac Theatrum. Quinquaginta ab hinc annis hæc Erinnys ab inferis emersit, utque plures animas in tormentorum sedem abriperet, religioso indumento adoperta, & plerumque magno honore habita ob aliquod cingulum ad pœnitentiam indicandam, templa cachinnis immoderatis implevit, & Concionatorum linguam vana scurrilitate conspersit*. Quo tempore hic vir egregius hæc scripsit nihil contra exitiale malum, quod modo memoravimus, lege sancitum fuerat; sed latius cum serperet, opus fuit non modo legem ferre, sed pœnas etiam in ipsum indicere. Id contigit Pontifici Innocentio XI., cum Sacra Concilii Congregatio die 6. Julii 1680. epistolam encyclicam dedit, in qua, cum de Concionatoribus agitur, hæc leguntur: *Porro sciant, non levem esse culpam, sed grande piaculum; gravissimaque pœna multandi sunt* (videlicet Concionatores) *ubi per scurrilitatem verbum Dei veluti in scenam adducunt, aut Auditoribus deridendum traduxerint*.

XVI. Jam satis de iis, quæ vitanda sunt a Concionatoribus: nunc ad ea sermo convertatur, quibus ipsi satisfacere pro munere suo debeant. Ac primum sit, quod capite 12. 8. quæst. 1. habetur: *Oportet, eum qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, qui pro ingenio discentium semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere*. Secundo advertant, ex allata sententia illud quoque moneri; nempe, ut explanantes ea, quæ credenda necessario sunt, vel Sanctæ Religionis mysteria (ne labor irritus sit) earum rerum similitudines adhibeant, quæ Auditorum captui accomodatæ videantur. Sibi ante oculos ponant Salvatoris exemplum, qui coram populi multitudine verba faciens *parabolis* utebatur, *& sine parabolis non loquebatur eis*. Nunc serpentis exemplum, modo pastoris, modo piscatoris, modo vitis allatum fuit, quæ omnia sensibus subjiciuntur. Ejusmodi exemplis pleni sunt libri, qui circumferuntur. Tertio, cum de imbuendis animis, moribusque immutandis sermo est, ut fructus colligatur, in ipsis peculiariter enumerandis oratio versetur. Quæ secundo, ac tertio loco proposuimus, ex libro Patris Segneri, qui *Parochus instructus* inscribitur desumpta fuerunt, ubi tertiam rem ita declarat; si quis contra occasionem, & illecebram peccandi id solum generatim admoneat, videlicet, ejus-

(1) Pag. 390. (2) *Sent. dist. 1. quæst. 5. art. 6. pag. 66. edit. Lovanien. anno 1573.* (3) *Lib. 2. cap. 2.*
(4) *Can. si quis vult, dist. 36.* (5) *Lib. 7. cap. 14.* (6) §. 582.

ejusmodi pericula vitanda esse, populus nihil omnino hac sententia commovebitur. Sin autem duplex periculum asseratur, remotum nempe, ac proximum, deinde rem sic explicet, eum in remota occasione versari, qui domum aliquam frequenter invisens, rarissime lethale crimen admittit, ideoque non obstringi, ut ex eo loco se propiat; si vero sæpius in peccatum labatur, tunc periculum proximum existimari, quod penitus aufugere divino mandato teneatur; si hæc fiant, tunc animus permovetur, & veritas ipsa tanquam granum synapis non modo contusum, sed minutissime contritum, oculorum aciem vehementer perstringit. Quarto, Concionator ejus loci, ubi verbum Dei prædicat, morum corruptelas diligenter exquirat: quod ita docuit Sanctus Carolus Borromæus (1): *Cum vero ad concionandum aliquis Concionator venerit, vel ab Episcopo, vel a Parocho alicujus Ecclesiæ accurate illius loci morum corruptelas conquiret, quas, ut occasio feret, verborum vi, & sententiarum pondere, & in primis Sacrarum Litterarum testimoniis, exemplisque constantissime usque adeo exagitabit, ut funditus, quantum in se est extirpet, Deo juvante.* Quinto, non solum improbos mores reprehendere Orator debet, sed causas etiam, quæ pro illorum excusatione in medium proferri solent, & nimis profecto invalescunt. Ita juvenes peccandi licentiam ætati tribuendam putant, homines adulti plura pietatis opera contemnunt, quæ mulieribus tantum accomodata censent; nonnulli a Sacramentis suscipiendis abstinent, aliosque inducunt, ne ad ipsa tam frequenter accedant, & palam asserere non dubitant, immortalem gloriam comparari posse, licet Sacramenta tam crebro non percipiantur: senes tandem cumulandæ pecuniæ, sordidæque divitiarum cupiditati se penitus mancipant, ut familiæ commodis prospiciant. Hæc a Sancto Carolo fuse indicantur (2). Concionator autem has detegere insidias, & quo potest maximo studio longe propulsare debet.

XVII. Inter sacros interpretes quæritur curiosius sane, quam utilius, utrum (omissis ethnicis, atque hæreticis) si Catholici solum adnumerentur, & etiam infantes, qui fere omnes per Baptismum æternam vitam assequuntur, cum perpauci sine ipso decedant, utrum, inquam, major sit eorum copia, qui perpetuis cruciatibus addicuntur. Contrariam sententiam aliqui tuentur, illo regni cœlestis exemplo adducti, quod in Evangelio S. Matthæi proponitur: Unus quippe ex omni numero, qui ad eas nuptias convenerat, solum excluditur, quod veste nuptiali careret. Alii vero eos, qui ad beatissimam cœli sedem perveniunt, & eos, qui ab illa longe arcentur, numero exæquant; cujus rei conjecturam ex decem Virginum exemplo desumunt (3); quarum quinque prudentes, quinque autem fatuæ memorantur. Reliqui vero majorem *Reproborum* numerum existimant, si cum *Electis* conferantur. Legimus enim *non sine terrore in sacris litteris: Multi sunt vocati, pauci vero electi*; & alio loco: *Per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: pauci sunt, qui inveniunt eam.*

XVIII. De hac controversia plures agunt, ac præsertim Pater Cornelius a Lapide (4) rem satis erudite pertractat, & multorum Patrum auctoritate ductus sententiam tertio loco expositam defendit. Omissa hac disputatione, quæ dirimenda nostro judicio non est, illud affirmamus, magnam eorum partem, qui æternis suppliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire ob ignorantiam mysteriorum fidei, quæ scire, & credere necessario debent, ut inter Electos cooptentur: *Multi enim* (inquit Cornelius) *laborant ignorantia crassa articulorum Fidei, quos explicite scire, & credere tenentur, æque ac Sacramentorum.* Itaque Concionator hæc mysteria, & alia, quæ ad salutem necessario requiruntur, populo explanare ne prætermittat. Moneat etiam summopere Parochos, quo studio pro muneris sui ratione eumdem populum per dies festos Christi doctrina instituere teneantur. Item Parentibus, & domorum Præfectis in mentem adducat gravissimum mandatum, quo curare debent, ut liberi, cæteræque sibi commendati templum adeant, & Christianam legem addiscant, quos etiam ipsi comitari ad templum fas est, ut suos liberos ad Fidei mysteria percipienda frequenter convenire certo dignoscant, utque intelligant ea fortasse, quæ antea ignoraverant, vel quæ diuturnitate temporis, uti solet accidere, penitus ipsorum animo deciderant, & rursus in memoria sunt revocanda.

XIX. Idem Cornelius a Lapide aliam rationem subdit, qua supplicio æterno homines puniuntur, sive numerus Electorum major, vel minor, vel æqualis cum Reproborum plebe judicetur: *Concionatores* (inquit) *communem tramitem explicandi Evangelia sequuntur, peccatoribus commendant Passionem Christi, misericordiam Dei, largitionem eleemosynarum, & cultum Beatæ Virginis, quod illa sui cultores non sinat perire; nec descendunt ad vitia, huic illive loco propria, ut contra ea tonent, & fulminent, eaque extirpent: unde Urbes, & populi manent in eisdem malis, legibus, consuetudinibus, propositis, vitiis, nec ullum, vel exiguum, ex Concionibus omnibus fructum referunt. Mutent ergo modum concionandi, si Deo, conscientiæ, Ecclesiæ, & Auditoribus consulere satagunt; ut conscientias feriant, ex iisque omne malum semen, quod in tali loco grassari sciunt, stirpitus evellant.*

XX. Tandem non ignoramus rationi consentaneum esse, ut Concionator aliquod stipendium pro vitæ sustentatione consequatur: *Qui bene* (ait S. Paulus (5)) *præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina, dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti.* Et: *Dignus est operarius mercede sua.* Illud solum cavendum est, quod monet Sanctus Gregorius (6): *Verus ergo quisque Prædicator non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideo mercedem recipere, ut, prædicando, subsistat.* Sanctus Thomas Quodlib. 2. art. 12. quærit: *Utrum sit peccatum Prædicatori habere oculum ad terrena*; & controversiam ita dirimit: *respondeo, dicendum, quod habere oculum ad terrena contingit dupliciter: uno modo, sicut ad mercedem, vel præmium, & sic Prædicatori non licet habere oculum ad terrena, quia sic faceret Evangelium venale; alio modo, sicut ad stipendia pro necessitate sustentationis vitæ; & sic licet habere Prædicatori oculum ad terrena.* Quamobrem stipendium, quod fidelium pietas elargiri solet, Concionatoribus in nostra Diœcesi non interdicimus; sed absoluto Quadragesimæ cursu, cum de more illud postulantes circumibunt, præcipimus, ne vestigium ab eo loco discedant ubi conciones habuerunt; humano modestoque animo accipiant, quæ ipsis a piis Auditoribus tribuuntur.

XXI. Ex illis verbis S. Thomæ: *habere oculum ad terrena*; opportunum aditum nobis apertum conspicimus, ut improbemus incredibilem cupiditatem, occulta consilia, & calliditatem, quibus Nobiles Matronæ, ac Magnates civitatis per Concionatores adiguntur, ut Auditorum frequentiam, ac numerum sibi concilient, utque cæteri Concionatores populi concursu destituantur. Cum tamen urbanis Concionatoribus id solum convenire videatur, ideo cum de illis sermo erit, ea, quæ necessaria sunt, libere enunciabimus.

XXII. Concionatores suo perfuncti munere, si Seculares fuerint, ad domos suas, si Regulares, ad cœnobium quamprimum revertantur.

## INSTITUTIO XXVIII.

*De Processione, quæ fieri consuevit in festo S. Marci. Quidnam decreverit Sacrorum Rituum Congregatio, si forte in diem Dominicum Paschatis eadem supplicatio inciderit. De Missa Sacrificio, quod eadem die celebratur.*

I. Litaniæ Majores, quæ die S. Marci 25. Aprilis celebrari consueverunt, hoc anno 1734. cum die Solemni Paschatis concurrunt.

II. Non semel id evenit, actumque fuit in S. Rituum Congregatione, utrum die Paschatis, an alio die processio indici deberet. Primum quidem haud consentaneum visum est, cum die Paschatis Episcopi Missæ Sacrificium solemni ritu peragere soleant, & populus magna frequentia ad Eucharistiam percipiendam convenire. Hinc sancitum fuit, ut eadem in diem tertium Paschatis differretur; nec magni momenti negotium Patres censuerunt, quod eo die Concionatores ad populum verba faciant, & eorum cursus absolvatur; quippe responsum fuit ut ipsa concio post processionem, vel ante haberetur, vel etiam post prandium, sicut primo die Paschatis fieri mos obtinuit.

III. Id die 25. Septembris anno 1627. promulgatum fuit. Scriptores autem Sacrorum Rituum periti juxta hanc sententiam, Missalis etiam, & Breviarii Rubrica, & auctoritate duæ,

(1) *In actis Eccl. Mediolanen. tom. 1. pag.* 404. (2) *In Instruct. pluries cit. pag.* 400. (3) *S. Matth. cod. loco.*
(4) *In Comment. Epist. S. Jacobi cap.* 2. (5) *Epist. 1. ad Timoth. cap.* 5. *v.* 17. (6) *Lib.* 19. *Moral.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ti, processionem, quam supra memoravimus, in diem tertium Paschatis prorogandam statuerunt, si celebritas S. Marci primo die Paschatis occurrat (1).

IV. Itaque idipsum die 27. Aprilis nos observabimus, cum hoc anno solemnitas Paschatis, & festum S. Marci eodem die concurrant. Cum tamen eo die, quo processio indicetur, communionem pueris nonnullarum Parochiarum tradere consueverimus, quibus Corporis Christi percipiendi primo facultas conceditur, & illis pariter idem Sacramentum ministrare, qui praecedenti die festo accedere ad Sacram mensam non potuerunt; cum etiam, ut dictum est, conciones tunc agantur, ideo tempus indicare necesse est, quod pro his omnibus efficiendis constituitur. Illud sane deesse non potest, si recte, atque utiliter impendatur.

V. Tertio igitur die Paschatis hora 11. Ecclesiam Metropolitanam S. Petri adibimus, Missam celebrabimus, pueros que ad Eucharistiam sumendam excipiemus.

VI. Hora 13. ejusdem diei initium fiet processioni, quae duarum horarum spatium requirit, si solemnis Missae tempus adnumeretur, quae in Ecclesia S. Jacobi Regularium S. Augustini de more celebratur. Hinc commode locus concionibus relinquitur, quae post horam 15. inchoantur.

VII. Illud monendum est, quod hoc anno, aliisque insequentibus Missa Rogationum tempore constituta celebrabitur, licet superiori tempore in Ecclesia S. Jacobi die Rogationum Missa solemnis S. Marci peracta fuerit. Nam juxta Ecclesiae ritus, non ex libera cujusvis voluntate res decernenda est. In Rituali autem Episcoporum, ubi de Processione sermo est, quae die festo S. Marci quotannis habetur, haec apertissime continentur (2): *Eo ordine ibit processio usque ad Ecclesiam, ad quam juxta consuetudinem Civitatis dirigetur &c. Cum autem Episcopus, & processio pervenerit ad dictam Ecclesiam, celebretur ibi Missa Solemnis Rogationum, & non S. Marci, nisi fuerit titulus Ecclesiae.*

## INSTITUTIO XXIX.

*De Sacra Visitatione Monialium Coenobiis indicenda. De auctoritate Episcoporum in Monasteria, & Sanctimoniales Regularibus subjectas, & in illas, quae aut simul commorantur absque ulla Claustri lege, aut disjunctim in propriis aedibus vitam traducunt. De vetustate, atque origine Monialium, ac de Claustri instituto. Utrum Episcopus invisurus Coenobia Monialium Regularibus subjecta, diem certam prius indicere debeat. An teneatur Vicarium Generalem, Monialium Confessarium, ac Priorem secum adducere. An vero Monasterium ingredi possit cum illis tantum, quos ad Visitationem peragendam sibi comites elegit. De pia, veterique consuetudine educandi Puellas in Coenobiis Sanctimonialium. De usu censuum, qui Monialibus permittuntur. De Dote, quae a Parentibus solvitur, cum vota solemnia nuncupantur a Monialibus. An hujus pecuniae solutio Simoniam praeferat. De immoderatis sumptibus, qui a Monialibus fieri solent, cum Coenobii munera ipsis demandantur.*

I. Postquam Deo juvante Diœcesim nostram magna ex parte perlustravimus, & 54. Parochias, quae in Civitate constitutae sunt, invisimus, nunc Monasteriis Sanctimonialium Sacram Visitationem indicere proposuimus.

II. Plures ex ipsis ad nostram jurisdictionem pertinent, & Claustris perpetuo includuntur; aliae autem sub eadem Claustri lege in Regularium potestate versantur; aliquae vero nullis Claustri vinculis tenentur, licet sub eodem tecto congregentur; postremo nonnullae sacrum indumentum gerunt, sed vitam cum reliquis communem minime agunt, & domi suae degunt, vel apud illos, quibuscum aliquo cognationis vinculo conjunguntur.

III. De primis, quae nobis subjiciuntur, verba facere supervacaneum ducimus, cum nullum impedimentum offerri posse videatur. Si de illis agatur, quibus Regulares praesunt, nihil ad pacem labefactandam excitari potest, si Ecclesiae sanctiones sedulo perpendantur. Quamvis enim tueri diligenter velimus ea, quae nobis tribuuntur jure Pontificio, Decretis Apostolicis, eorumque sententiis, qui Pontificum auctoritate de iis rebus judicant; tamen nihil expetimus quod nobis apertissime tribuendum non videatur.

IV. Ac primum Tridentina (3) Synodus Episcopis Sedis Apostolicae Delegatis Claustrorum custodiam commendavit in Monasteriis etiam immunibus, & Regularium potestati subjectis. Gregorius XV. certis (4) limitibus concluſit facultatem, quae in Monasteria sub Regularium administratione posita, commissa Episcopis fuit. Siquidem statuit, ut etiam Regulares Confessarii a Praefectis Regularibus praepositi Monialibus per Episcopos approbentur; utque bonorum Curatores, licet Moniales Regularibus subsint, & cujuslibet conditionis existant, Seculares nempe, vel Regulares, rationes Episcopo referre, accitis etiam Praefectis Regularibus, teneantur; postremo Pontifex sancivit, ut Confessarium, si parum idoneus judicetur, & bonorum Administratores, si imperiti, vel infidi deprehendantur, Episcopus ab eo munere removeat, si prius admoniti Regularium Praefecti id facere praetermiserint. Illud etiam a Pontifice conceditur Episcopo, ut in comitiis, quibus totius familiae Superiores deliguntur, una cum Praefectis Regularibus ipsi per se, vel per alios praesint, licet Monasteria ad eosdem Regulares omnino pertineant. Si qui vero Regulares etiam in Monasteriis sibi subjectis Claustrorum leges violaverint, decernit Pontifex, ut Episcopus, tanquam Sedis Apostolicae Delegatus, eos punire, & ad Censuras quoque, si opus sit, contra ipsos devenire possit.

V. Alexander VII. eadem Claustrorum leges arctioribus terminis definivit (5). Licet enim Praefectis Regularibus semel per annum Monasteria sibi addicta ingredi permiserit, ut visitationem exequantur, illud etiam praecepit, ut si crebro eadem Monasteria legitima, ac necessaria causa adire cogantur, id minime perficiant, nisi Episcopus interfit, vel alius quispiam vir Ecclesiasticus ipsius voluntate subrogatus. Clemens X. (6), quae prius a Gregorio sancita fuerant, plane confirmavit; ut nempe Confessarii Regulares a suis Praefectis ad Confessiones Monialium audiendas designati, etiam in Monasteriis illorum potestati traditis, Episcopi auctoritate ad illud munus necessario probentur.

VI. Omissis, quae Benedictus XIII. contra haec superius allata promulgavit, cum omnia Clemens XII., ut intra dicemus, in pristinum restituerit, quemadmodum a Romanis Pontificibus Benedicti Decessoribus antea constituta fuerant, illis, inquam, omissis, nihil aliud opponi potest, nisi eadem Pontificum sanctiones usu minime receptas esse, neque executioni unquam demandatas, uti plurium annorum experientia cognovimus, quibus acta Romanarum Congregationum pervolvimus, quae tamen has inanes excusationis causas opportunis remediis sustulerunt.

VII. Antequam in Sacra Concilii Congregatione a Secretis delecti fuissemus, Cardinalis Archiepiscopus Neapolitanus die 11. Martii anno 1673. id postulavit: *An non obstante praetenso non usu, liceat Eminentissimo Archiepiscopo ad formam Constitutionis Gregorii XV. exigere rationem administrationis bonorum Monialium Regularibus subjectarum.* Responsumque fuit: *affirmative* (7). Cum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium ageremus, Episcopus Uladislavienſis petiit, utrum ipse Confessarios Regulares a suis Praefectis pro audiendis Monialium Confessionibus adlectos probare posset, licet Moniales per eos Regulares administrarentur, & contraria immemorabilis consuetudo adduceretur, Sacra Congregatio die 30. Januarii anno 1723. *affirmative* (8) respondit, Clementis X. constitutione permota, quae omnem adversam consuetudinem, licet immemorabilem, abrogavit. Anno vero proxime elapso Cardinalis Pereyra Episcopus Phari in Algarbiorum Regno, cum in illis Regionibus, neque Decretum Gregorii XV. pro exigendis bonorum rationibus receptum unquam fuisset, nec ea, quae sancita sunt de Claustri custodia, de approbandis Confessariis, ac de primo loco ab Episcopis tenendo in comitiis Monialium, quae Regularium potestati commissae sunt, ob hanc causam idem Cardinalis petiit, an perficere deberet, ut omnia, quae in eodem Gregorii decreto constituta sunt, omnino servarentur: Sacra Congregatio die 14. Novembris an. 1733. id approbavit, & absolvendum negotium praecepit. Sed ne ab hac nostra Civitate discedamus, Epistolam Sac. Congregationis Episcoporum Regularium ad Cardinalem Jacobum Boncompagnum Decessorem nostrum scriptam his verbis deprehendimus inter aliquas adnotationes, quas super actis ejusdem Congregationis con-

(1) *Gavant. ad Rubricas Missalis sect. 6. c. 16. n. 1. & sect. 7. c. 6. n. 25., Macr. Hierolex. verb. Litania., Guyet de festis propriis SS. l. 4. c. 2. q. 5., Baruffald. ad Rit. Rom. tit. 79. n. 18.* (2) *Lib. 2. cap. 32.* (3) *Sess. 25. de Regularibus c. 5.* (4) *Constitut. 28. tom. 4. Bullar. Rom.* (5) *In Constit. 153. Bull. Rom. t. 6.* (6) *In Const. 7. quae incipit: Inscrutabili.* (7) *Lib. 28. Decretor. pag. 40.* (8) *Lib. 73. Decretor. pag. 31. & 9.*

confecimus. *Poſquam iterum hodierna die Sacræ huic Congregationi relata ſunt quæ ſcripſit Eminentia Veſtra de iſtarum Monialium Sancti Mathiæ pervicacia, quæ utpote Regularium regimini ſubjectæ a rationum recognitione ſe eſſe immunes contendunt, eadem Sac. Congregatio abrogans, quæ a die 10. Februarii ea de re decreverat, ſtatuit, ut juxta Apoſtolicas Conſtitutiones, præſertim vero illam Gregorii XV., ac Decreta alias prolata ab ipſa Sac. Congregatione Concilii, poſſit Eminentia Veſtra ejuſdem Moniales, cæteraſque Regularibus ſubjectas compellere ad rei ſuæ familiaris rationes exhibendas, itemque exquirere, an dotes juxta hujus Sacræ Congregationis mandata deponantur. Cæterum juſſionem ſequatur, qua Antiſtita, ac Moniales ullam in poſterum Virginem ad habitum recipere ſine prævia Epiſcopi facultate prohibentur; de quibus, dum Eminentiam Veſtram certiorem facio, demiſſe ſacras ejuſdem manus deoſculor.*

VIII. Inſuper, cum idem Cardinalis Boucompagnus hanc Eccleſiam adminiſtraret aliæ controverſiæ pro Monialibus ad Regularium poteſtatem ſpectantibus excitatæ fuerunt, quibus Epiſcoporum, ac Regularium Congregatio finem impoſuit; quæ omnia referenda ducimus, ne oblivionis cauſa, aut alia qualibet ratione iterum in medium ea deducantur, pro quibus jam ſententia lata eſt.

IX. Ac primum, ſi aliquis opifex, Epiſcopo probante, Cœnobium Monialium, quæ Regulares Præfectos habent, ingreſſus alias fuerit, aditum ipſi deinceps in Monaſterium patere, quoties aliquid ejuſdem artis perficiendum contingeret, palam aſſerebatur; Sacra tamen Congregatio die 27. Novembris anno 1722. in hunc modum reſpondit: *Sacra Congregatio cenſuit, Eminentiſſimum Archiepiſcopum non debere id permittere, cum requiratur ſpecialis licentia pro quolibet contingente caſu ingreſſus, etiamſi agatur de aliquo jam alias approbato, & permiſſo pro hujuſmodi ingreſſu.*

X. Item, pro certo tenebatur eum Regularem, qui ſemel per ſuos Præfectos extraordinarius Confeſſarius pro Monialibus Ordini Regularium ſubjectis cum Epiſcopi facultate declaratus fuiſſet, poſſe ad idem munus iterum deſignari, licet nova Epiſcopi approbatio non intercedat; quod etiam ſtatuendum putabatur, ſi alias ab alio Epiſcopo præpoſitus fuiſſet ad confeſſiones Monialium audiendas, quæ per Ordinis ſui Præſides adminiſtrantur.

At Sacra Congregatio ſuper his ita ſtatuit eodem die, eodemque anno, quos ſuperius memoravimus: *Sacra Congregatio cenſuit, id non eſſe permittendum ab Eminentiſſimo Archiepiſcopo, & requiri ejus approbationem in quocumque caſu deſtinationis alicujus pro audiendis confeſſionibus dictarum Monialium.*

XI. Moniales quoque a S. Mathia nuncupatæ Regularibus Ordinis S. Dominici ſubjectæ contendebant, Monaſterium Sancti Lucæ, ad quod ſingulis bienniis nonnullæ ex ipſis transferuntur, Clauſtrorum legibus non contineri, licet P. Petrus Paulus Ciardus Provincialis die 7. Auguſti anno 1683., & Cardinalis Pipia, cum ſui Ordinis Generale Magiſterium gereret, die 22. Julii anno 1722. contrarium omnino decreverint: Poſtremo die 27. Novembris anno 1722. Sacra Congregatio Epiſcoporum, ac Regularium ſuper hac re ita conſtituit, *Eadem Sacra Congregatio cenſuit, quod Eminentiſſimus Archiepiſcopus demandet omnino in dicto Monaſterio Sancti Lucæ ſervari Clauſuram.*

XII. Sed jam ad eas Moniales veniamus, quæ vel communem ſub eodem tecto vitam degunt, licet nullis Clauſtri legibus adſtringantur, vel ædes paternas ſeparatim incolunt, licet Monialium indumenta præferant. Leo X. (1) omnia privilegia, quæ Ordini Regularium adſcribuntur, ipſis conceſſit, ſi virginitatem ſervarent, licet ſeparatim, aut conjunctim vitam inſtituerent; ex quo inferri poſſe videtur eam ſolum Epiſcopis auctoritatem tribui, qua tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati prædita ſunt in Clauſtrales Moniales, quæ Regularium poteſtati permiſſæ fuerunt: verum poſterioribus temporibus aliter de ejuſmodi Tertiariis, ut vocant, per Summos Pontifices conſtitutum fuit.

XIII. Ac primum vetuſtiſſimum Monialium inſtitutum dignoſcitur ex vita S. Auguſtini, quam S. Poſſidius deſcripſit, & quam P. Joannes Salina ex Canonicis Lateranenſibus nuper in lucem edidit Romæ anno 1731. eruditis commentariis exornatam (2). Fertur etiam antiquiſſima Clauſtrorum conſuetudo, quæ vel ex quarti Seculi monimentis deprehenditur: Nulla tamen generali lege id Monialibus indicebatur (3). Bonifacius VIII. ineunte Seculo XIV. Monialibus Clauſtrorum legem obſervandam præcepit (4). S. Pius V. nullas (5) in poſterum Tertiarias Ordinum Regularium admitti juſſit, niſi ſolemni ritu vota nuncuparent, legemque Clauſtrorum omnino ſervarent. Hoc ſane Decretum, uti Sacra Congregatio Concilii juxta Fagnanum (6) declaravit, eas ſolum Tertiarias complectitur, quæ in unam domum congregantur. Certum quidem eſt poſt Decretum etiam ejuſdem Pontificis in multis Italiæ Urbibus hujuſmodi Tertiarias verſari, quæ nec ſolemnia vota concipiunt, nec Clauſtrorum legibus tenentur, tamen ut ratio Sanctiſſimi Pontificis habeatur, & de ipſius Decreti obſervantia ſtudium oſtendatur, Sedes Apoſtolica Tertiarias ejuſmodi diſſimulare, & tamquam ſua auctoritate minime probatas Epiſcoporum juriſdictioni permittere conſuevit (7). Cum Nos ipſi in Sacra Congregatione Concilii Secretarii munere fungeremur, Epiſcopus Sarzanenſis petiit, an mulieres, quæ tertium Ordinem S. Franciſci profitebantur, & Clauſtri jura non ſervabant, ſuæ poteſtati ſubjectæ eſſent, cui Sac. Congregatio die 3. Januarii anno 1723. reſpondit earum Monaſterium *eſſe ſubjectum omnimode juriſdictioni Epiſcopi, citra tamen approbationem Sacræ Congregationis quoad illud.*

XIV. Poſt Moniales, quæ ſine ulla votorum nuncupatione, Clauſtrique vinculo, communem tamen ad vivendum ſibi ſedem elegerunt, de aliis verba facienda ſunt, quæ Monialium indumenta preferunt, licet disjunctim in privatis ædibus ſingulæ immorentur. Sacræ igitur Congregationes, quæ nempe ad declarandam Tridentinam Synodum, & quæ Epiſcoporum, ac Regularium cauſis præpoſitæ ſunt, varia quidem, ſed conſona de iiſdem Tertiariis conſtituerunt. Illud primum cautum, & ſancitum fuit, ne illis Sacerdotes Regulares Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrarent, niſi prius per Epiſcopum ad confeſſiones Laicorum audiendas probarentur; ſecundo, Regulares Sacram Euchariſtiam in Paſchatis celebritate Tertiariis ejuſmodi traderent; tertio, ut ipſæ poſt mortem in Eccleſiis Parochialibus ſepeliantur, niſi forte in Templis Regularium, quorum habitum antea gerebant, aliqua pro ipſis tantum ſepulchra designata habeantur; quarto, ut Regulares ad habitum eas ſolum mulieres admittant, quæ vitæ probitate commendentur, & quadragesimum annum attigerint, quæ bonorum ſatis habeant ad vitam honeſte ſuſtentandam, & cum cognatis, & affinibus ſuis vitam ſimul exigant; tandem in Epiſcopi facultate poſitum eſſe, ut mulieres ad habitum recipiantur, cum examen conditionum, quas paulo ante explicavimus, ad ipſum pertineat.

XV. Ejuſmodi decreta ſatis cognita ſunt, & a Scriptoribus etiam Regularibus in ſuis ipſorum libris deſcribuntur (8); Epiſcopus Mazarensis, cum nos ipſi Secretarium ageremus, hæc a Sac. Congregatione Concilii poſtulavit: *Quænam ſint conditiones requiſitæ, ut Regulares habentes facultatem dandi habitum ſuæ Religionis mulieribus non collegialiter viventibus, dictum habitum dare poſſint, & an examen dictarum facultatum pertineat ad Epiſcopum*; cui Sac. Congregatio, res omnino diverſas exiſtimans, facultatem nempe concedendi habitum, & conditiones mulierum ad ipſum habitum recipiendum, hoc pacto reſpondit: *Examen facultatum concedendi habitum pertinere ad Sedem Apoſtolicam, examen conditionum quoad mulieres veſtiendas, & licentiam veſtiendi pertinere ad Ordinarium, & conditiones veſtiendarum eſſe expreſſas in Decretis Generalibus alias editis, & hæc Decreta eſſe ſervanda.*

XVI. Poſt hæc Decreta in Tertiarias, quæ communem vitam ſine Clauſtri vinculo ducunt, & quæ privatis in domibus degunt, aliæ quædam a Benedicto XIII. Conſtitutiones editæ fuerunt (9); quarum altera incipit: *Paterna Sedis Apoſtolicæ* in Tertiarias Ordinis Sancti Franciſci (10) altera incipit: *Exponi nobis* in Tertiarias Ordinis Servorum B. Virginis: alia pro Regularibus Dominicanis incipit: *Pretioſus* (11) in qua plura decernuntur, quæ jus Magiſtri Generalis in Tertiarias ſui Ordinis declarant, quemadmodum §. 56. 17. liquido apparet. Cum tamen Clemens XII., qui nunc feliciter Pontificatum obtinet, eaſdem Benedicti Conſtitutiones iis terminis concluſerit, qui a jure communi, Tridentino Concilio, & ſuperiorum Pon-

(1) *Conſtitut.* 22. *Bull. Rom. t.* 1. (2) *Cap.* 27. 31. (3) *Thierſ. in tractatu de Clauſura.* (4) *Cap. periculoſo de ſtatu Regularium in ſexto.* (5) *Conſtitut.* 8. *tom.* 11. *Bullar. Rom.* (6) *Cap. nullus, num.* 66. *& ſeqq de foro competenti.* (7) *Card. Petra in eruditis Comment. Conſtitut. Apoſt. tom.* 4. *pag.* 475. *num.* 19. *& ſeq. Matthæuccius de Officiali Curiæ Eccleſiaſticæ cap.* 52. *num.* 3. *& ſeqq.* (8) *Nicolius in Floſculis, verbo Tertiariæ Lantuſca in Theatro Regul. eodem verbo, Donati Rerum Regular. tom.* 2. *tract.* 17. *quæſt.* 3. *num.* 21. *& ſeqq. Matthæuccius in Officiali Curiæ Eccleſiaſt. cap.* 52. *n.* 3. *& ſeqq.* (9) *Anno* 1725. (10) *Anno* 1726. (11) *Anno* 1727.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Pontificum sanctionibus præscribuntur, illudque addiderit, haud posse Regulares neque externo, neque interno foro privilegiis uti, quæ a Benedicto XIII. in Decretis, quæ paulo ante memoravimus, conceduntur, hinc necessario sequitur, rem dijudicandam juxta eas leges, quas superius enumeravimus, non vero ex sententia, quæ in ejusdem Benedicti Decretis continetur. Quod si aliquid contra afferri possit, quod nos certe latet, si palam nobis proferatur, facile, ac libenter excipiemus. Siquidem eam mentem nunquam habuimus, ut aliorum privilegiis, licet minima, de medio auferamus, sed tantum ut potestatem Ordinarii integre tueamur, quemadmodum juravimus: & Sedis Apostolicæ Decreta executioni mandemus, quæ quidem haud consulto, sed ob ignorantiam negliguntur, quod nempe illa percurrendi, & sedulo examinandi facultas non fuerit. Si autem superiori tempore, uti magnopere timemus, conditiones ejusmodi, & ipsarum examen prætermissum fuerit, cum Tertiariæ, quæ sejunctim in suis ædibus degunt, ad habitum receptæ fuerunt, ad corrigenda, quæ temere commissa sunt, nos paratissimos exhibebemus, modo in posterum hæc negotia non inconsulto transigantur, sed Pontificum sanctiones, ut fas est, plene serventur.

XVII. Post hæc, verba facienda sunt de iis, quæ ad Sac. Visitationem pertinent; ac primum non ignoramus felicem ipsius exitum ex Dei beneficio, ac voluntate unice expectandum. Quamobrem Moniales universas claustrales, & non claustrales, quæ nobis, vel etiam Regularibus subjiciuntur, vehementer obtestamur, ut rem summo studio Deo commendent, cujus ope copiosum fructum, quem expetimus, ex Sacra Visitatione consequamur. Singulis autem, quæ id perfecerint spatio proximæ hebdomadæ in Albis post Pœnitentiæ Sacramentum, susceptamque Eucharistiam, centum Indulgentiarum dies impertimur.

XVIII. Singulis Monasteriis, quibus Visitatio indicetur, quindecim dies permittuntur, ut quæ necessaria sunt, parari commode possint, quæ etiam describi curabimus in eadem scheda, quæ pro Visitatione denuncianda Monasteriis ipsis tradetur. Procurator Generalis Minorum Observantium hæc petiit a Sacra Congregatione Concilii: *An Episcopus visitaturus Clausuram Monasteriorum Monialium teneatur ante accessum eisdem Monialibus præfinire diem, & horam Visitationis.* Die vero 19. Januarii ann. 1686. responsum fuit: *negative* (1). Insuper die 29. Julii ann. 1688., cum de causa Florentina ageretur (2), Archiepiscopus Florentinus hæc postulavit: *An in Visitatione, & ingressu Clausuræ teneantur Vicarii Generales secum ducere Priorem, & Confessarium dictarum Monialium*, cui pariter responsum fuit *negative*. Cum vero Secretarium Sac. Congregationis Concilii nos ipsi ageremus, plurima Episcopus Aquilæ in Vestinis examinanda proposuit, quæ pro visitandis Monialibus in illa Diœcesi Cœlestinis Regularibus subjectis dubia videbantur; ac illud præsertim: *An Episcopus possit solus cum suis Convisitatoribus ingredi & visitare Clausuram prædictarum Monialium absque interventu P. Abbatis Cœlestinorum.* Die autem 31. Julii anno 1723. *affirmativa responsio data fuit.* Verum ut voluntatis nostræ studium testemur in Moniales etiam, quæ Regularium potestate reguntur, ante quindecim dies tempus Visitationi constitutum indicabimus, ut de Monialibus nobis subjectis paulo ante dictum est. Insuper illarum Præsidem Regularem, & Confessarium, ut nobiscum intersint, prius admonebimus, cum ad visitanda Cœnobii Claustra accedemus, ut si quid statuendum sit, ipsorum pariter consilium adhibeatur. Claustrorum leges pro illis præsertim Monialibus, quæ Regularibus patent, maxima olim severitate fuisse conservatas, illud testimonio esse poterit, quod in Statutis Monialium, quæ a Sancto Dominico appellantur, cautum fuit, posse quidem earum Confessarium Monasterii fores ingredi, cum pro Viatico administrando, vel Sacra Unctione obliniendis Infirmis accersitur, nullum tamen habetur verbum, an idem permittatur, cum Moniales ægrotæ Pœnitentiæ Sacramento expiandæ sunt. Itaque in dubium ea res adducta fuit coram Pontifice Clemente VII., qui die 5. Januarii anno 1532. litteras Apostolicas dedit (3), quibus ingressus in Monasterium Confessario conceditur, cum de morbis periculosis agitur, illudque simul indicitur, ut eodem tempore Eucharistiæ Sacramentum ministretur, ne toties Sacra Monialium penetralia sint adeunda. Nos sane præscriptos limites non adeo excesse videmur, dum Præsidem, & Confessarium Regulares accivimus, ut nobiscum intimos Monasterii recessus visitandos ingrediantur. Id enim perraro contingit; tum etiam iidem Regulares pro re perficienda necessarii, vel saltem opportuni judicantur. Tandem Gregorius XIII. Episcopum ad moniales accedentem valde commendat, si ipsum aliqui Regulares comitentur.

XIX. Monasterii templum adibimus eo die, atque hora, quæ prius indicentur. Primum omnium sacrum facientes, Moniales universas ad Sacram communionem excipiemus, quo pacto Divinæ Eucharistiæ tabernaculum, & Sacra Vasa, quibus ad ægrotos ungendos sanctum Oleum continetur, visitabimus. Moniales vero Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento per nos tunc reficiendæ, eæ tantum intelligi debent, quæ nobis, non autem quæ Regularibus subjectæ sunt, nisi ipsæ pariter Sacrosanctum Christi Corpus a nobis suscipere ultro deposcant. Etenim libenter amplectimur universa Decreta, quæ super hac re in Sacris Congregationibus Romæ promulgata sunt. Congregatio præsertim Concilii Tridentini interpres cum plurima, uti superius dictum est, ab Archiepiscopo Florentino proposita expendisset, & illud præ reliquis: *An valeat easdem Moniales communicare*; quæ nempe ad Regularium potestatem spectant, hoc pacto responsum dedit: *affirmative, dummodo Moniales velint.*

XX. Insuper, cum Divinæ Eucharistiæ tabernaculum, & vasa ad Oleum Infirmorum conservandum visitanda ediximus, de illis Ecclesiis intelligimus, quæ nobis solum, non autem Regularibus subjectæ sunt. Nihil enim contra suscipiendum nobis est, nisi legitimæ consuetudinis testimonia proferantur: neque in hanc disquisitionem venire volumus, sed ea solum perficere, quæ nobis aperto jure conceduntur. Id præsertim monuit Sac. Concilii Congregatio, cum de causa Florentina nuper allata ageretur, & in aliis etiam causis, quæ nempe anno 1686, ac deinde 1723. propositæ fuerunt, cum lis inter Episcopum Aquilanum, & Patres Cœlestinos intercederet.

XXI. Confidimus, omnia Deo juvante tranquille, ac sine ullis dissidiis cessura, quæ a Regularibus maxime aliena esse debent; & cum nonnulla a Summis Pontificibus, ac Præsidibus pro felici Monialium regimine, ipsarumque augendo pietatis studio vehementer expetantur, nos ea palam exponemus, ut suaviter in usum inducantur, priusquam Visitationem aggrediamur.

XXII. Innocentius XI. per Sacram Congregationem super Episcoporum, & Regularium negotiis constitutam die 9. Octobris 1682. decrevit, ut per decem dies spiritualibus exercitiis vacent illæ quæ Monialium institutum amplecti volunt, antequam ad habitum recipiantur, idemque præstent, antequam solemnia vota ab iisdem nuncupentur. Post hæc ita subdit: *Insuper Sanctitas sua magnopere exoptat, ut omni diligentia, suavi tamen ratione singulæ Moniales adducantur, ut iisdem spiritualibus exercitiis operam quotannis præbeant, quo tempore magis opportunum videbitur, ut studium ad virtutes excolendas renovetur, quod maxime necessarium est, illis præsertim, quæ Claustris inclusæ perfectiorem vitæ disciplinam, atque institutum profitentur.* Idem monet Clemens XI. in litteris encyclicis, quas dedit die 16. Martii anno 1703., & quæ in collectione suorum Decretorum continentur. Nonnullæ Moniales in hac Urbe versantur, quæ sibi quotannis virum pietate insignem deligunt, cujus ductu, ac voluntate spiritualibus exercitiis tempus aliquod impendant. Nos tamen summopere optamus, ut universæ Moniales eam normam in ejusmodi exercitiis sibi proponant, quæ a S. Ignatio præscribitur, & hoc pacto Pontifici Innocentio XI. morem gerant. De hac re cum Monialibus nobis omnino subjectis suavem quidem, ac blandum sermonem instituemus, cum Visitatio a nobis peragetur. Interim Præfectos Regulares hortamur, ut eamdem mentem suscipiant cum iis Monialibus, quæ ipsorum curæ, fideique commendantur.

XXIII. Illud frequenter usurpabat (4) S. Philippus Nerius, ad animas virtute imbuendas magister facile princeps, opus esse, cum de mulieribus agitur, ut aliquis pietatis fervor in ipsis excitetur. Siquidem experientia se compertum habere ajebat, ultra eos limites inde mulieres ferri, qui initio propositi fuerant. Post hæc alia, quæ necessaria duximus, subjiciemus.

XXIV. Delatum nobis fuit in more positum esse, ut pueri, aut saltem puellæ fraudis ob teneram ætatem insciæ Claustra Monialium ingredi facile permittantur. Id vero penitus interdicimus, cum de Claustrorum legibus res agatur, sive Moniales potestati nostræ, sive Regularibus pareant, quemadmodum a Jacobo Cardinali Boncompagno (5), Cardinali Ludovisio (6), & Hie-

(1) *Lib. 36. Decret. pag. 15.* (2) *Lib. 34. Decret. fol. 233.* (3) *Tom. 4. pag. 499.* (4) *Bacius lib. 2. de ipsius actis cap. 6.* (5) *Lib. 4. Synod. cap. 4.* (6) *In suo Edicto 1. Oct. an. 1614.*

& Hieronymo Cardinali Boncompagno (1) Deceſſoribus noſtris ſancitum fuit. Is pariter eſt, teſte Criſpino, Romanæ Civitatis uſus (2).

XXV. Ex primis Eccleſiæ Seculis pia conſuetudo manavit, ut puellæ Monialium Clauſtris admittantur, ubi ad virtutem informentur, id facile conjicitur ex Sancto Hieronymo, cum ad Lætam ſcripſit, rationemque tradidit, qua ipſius filia inſtitueretur: *Noli ergo ſubire onus, quod ferre non potes, ſed, poſtquam ablactaveris eam, redde aviæ, & amitæ: nutriatur in Monaſterio, ſit inter Virginum choros, neſciat Seculum, vivat angelice, ſit in carne ſine carne, omni hominum genus ſui ſimile putet.* Inter Decreta Cardinalis Gabrielis Paleotti hujus Urbis primi Archiepiſcopi, quæ ad Moniales pertinent, & Bononiæ excuſa fuerunt anno 1579., illud pro puellis apud Moniales educandis habetur (3): *In poſterum laneum pannum albi tantum coloris adhibeant, qui non adeo deſluat, ut tellurem evertat; nullis cincinnis ad caput, aures, collumve utantur, etiamſi Bacchanalium dies celebrentur; ſed veſtes modeſtæ, ac ſimplices loci Sanctitati conformentur.* Deinde ſubdit (4): *Ubi domus amplitudo permittit, Puellæ locum a Monialibus ſeparatum habeant; Magiſtram quoque ad eas regendas deſignatam, cui parere debeant, & quæ libere per Monaſterium ipſas vagari non patiatur, curetque diligenter, ut Chriſtianam vivendi rationem addiſcant: ubi vero Cœnobii angustiæ locum Puellis diſjunctum minime ſufficiunt, non iis temere Monialibus committantur quæ hoc negotium ſibi poſtulant, ſed ſenioribus, quæ virtute, ac religione ipſarum ſibi animos concilient, atque devinciant. Id autem ſervetur, donec Monaſterium ita aptatum ſit, ut Puellæ omnes ſub unius tantum Magiſtræ inſtitutione congregentur. Certum denique habeant nullo modo famulas concedi, quibus ad commodiorem vitæ rationem utantur.*

XXVI. Fortaſſe perpauca Monaſteria locum pro Puellis educandis ſeparatum condiderint, uti ſtatuit Cardinalis Paleotti, idque exiguis proventibus tribuendum afferent, ob quam cauſam rem perficere minime potuerint: Satis compertum non habemus, utrum a veritate id alienum fuerit ſuperiori tempore, poſtquam ejuſdem Cardinalis Decretum promulgatum fuit. Illud certum eſt, in præſentia poſſe ſine dubio affirmari. Quoniam vero expenſarum ratio habenda eſt non ſolum Monialibus, ſed privatis etiam familiis ob temporum calamitatem qua vexamus, univerſi Superiores noſtrarum Monialium admonemus, ut parentibus Puellarum, quæ Monaſterium pro inſtitutione ingrediuntur, edicant, ne ullam veſtium pompam, inanemque luxum, ut nimis libere fieri conſuevit, ipſis puellis indulgeant. Præſides quoque Regulares, ut idem a ſuis Monialibus obtineant, vehementer hortamur. Præter ea, quæ in Concilio Romano ſuper hac re ſtatuta ſunt, in Mediolanenſi etiam Concilio, quod S. Carolus Borromæus Eccleſiaſticæ diſciplinæ Magiſter primo coegit, hæc leguntur. (5) *Hujuſmodi autem Puellæ nigri tantummodo, aut fuſci, vel albi coloris veſtes, non ſericas, adhibeant; nullo præterea exquiſito ornamenti genere utantur, ne ſint cincinnatæ, neve habeant inaures, nec monilia, aut hujus generis inanes delicias.*

XXVII. Nunquam ſatis laudare poſſumus eas Moniales, quæ nihil quippiam peculiare habent, ſed omnia communia eſſe voluerunt. Ipſas maxime hortamur, ut idem inſtitutum perpetuum eſſe velint. In illis autem Monaſteriis, ubi hæc diſciplina minime ſervatur, ſed cenſus annui Monialibus permittuntur, magno ſtudio commendamus, ut in commune ærarium ejuſmodi pecuniæ deferantur, nec ſine Abbatiſſæ facultate aliquid, ſi honeſta cauſa intercedat, expendatur. Quidquid autem ſuperſit pro communi utilitate, & commodo conferatur. Id ſtatuit Cardinalis Boncompagnus (6), & his conditionibus privati Monialium cenſus probantur, uti doctiſſimi viri, qui de hac re ſcripſerunt, unanimes conſentiunt (7). Expetimus magnopere, ut Præfecti Regulares cenſus Monialibus hac ſolum lege concedant.

XXVIII. Non levis momenti res eſt, ſi Monialium proventus recte adminiſtrentur, de quo ſic habetur in eo libello Romæ excuſo anno 1719. pag. 21., ubi muneris Epiſcopalis, cujuſque vitæ ratio præſcribitur: *Præterire haud poſſum, quin aliquod dicam de bonorum adminiſtratione domeſtica, ex qua non ſemel bonorum ſpiritualium ruina ita derivatur, ut reparari in poſterum nequeant: Itaque prudens Epiſcopus expenſarum rationem ſedulo exigat, & quos innanes, ac ſuperfluos ſumptus offenderit, omnino impediat.* Diſputant inter ſe Doctores, an ſolutio dotis, quæ votorum nuncupationem pro filia a parentibus impenditur, cum Simoniæ labe jungatur. Aliqui Belgici Epiſcopi a S. Concilii Congregatione die 18. Octobris anno 1683. id petierunt (8): a Nobis autem ejuſdem Congregationis Secretarium agentibus, cum Bononienſis cauſa ageretur die 14. Aprilis anno 1765. idem poſtulatum fuit. Quare ex communiori Doctorum ſententia Sac. Congregatio reſpondit a Simonia immunem non eſſe, ſi dos pro ingreſſu in Ordinem Monialium ſolvatur, ſeu Monaſterium exiguos, ſive largos cenſus obtineat; aliter vero, ſi pecunia tribuatur pro alimentis, quæ puellæ ad habitum receptæ ſuppeditanda ſunt donec vita fungatur; tunc enim nullam in pactione, ſeu pecuniæ ſolutione ſimoniam intercedere, ſi Cœnobium in paupertate verſetur: non ita tamen, ſi divitiarum copia redundet. Nos ſane ab hoc ſcrupulo ac ſollicitudine vacui ſumus, cum Monaſteria hujus Civitatis parcis omnia proventibus inſtruantur. Illud argumento eſt, quod accepta aliqua dote, ſtatim vera, ac certa debita in ſcheda deſcripta nobis offeruntur, ut noſtra interpoſita facultate, per eam pecuniam extinguantur. Nos ſane, neque œconomiæ, neque arithmeticæ ſcientiſſimos eſſe fatemur, ob quam cauſam Congregationem loco noſtro ſufficimus, cujus peritia, ac virtute expenſarum libri diligenter examinentur; etenim conſilium eorum ſequi volumus, qui iſtarum rerum ſcientia ſuper cæteros præſtantes habentur. Igitur Miniſtri Monialium, quæ nobis, vel Regularibus ſubjectæ ſunt, ejuſmodi libros paratos habeant, & ſummas expenſarum compercent. Nam fortaſſe continget, ut in dubium, & examen vocentur, antequam viſitatio ſuſcipiatur. Regulares accire non omittemus, cum ab ipſorum Monialibus ratio domeſticæ adminiſtrationis requiretur, ut Pontificum Decretis pareamus.

XXIX. Præter cenſum, ac dotem, quæ Monialibus tribuitur, pecuniam illæ erogare conſueverunt, quibus certa Cœnobii munera deferuntur. Itaque, cum Clemens XI. expendiſſet Moniales univerſas non iis commodis præditas eſſe, immo nonnullas in maximas angustias adduci, ut expenſis ejuſmodi ſatisfaciant, ex quo ſaltem animi quædam perturbatio dimanat, binas litteras encyclicas dedit, quas latine redditas in fine hujus noſtræ Declarationis imprimendas curabimus. Illis quidem aliquæ Monialium familiæ paruerunt; aliæ tamen idem exemplum minime ſequutæ ſunt, de quo cauſas in Viſitatione peragenda libenter inquiremus, ut quid ſtatuendum ſit, opportune deliberemus.

XXX. Felicem rerum exitum ſperamus, cum optimam de noſtris Monialibus opinionem animo conceptam habeamus: ipſe, ut inquit S. Cyprianus, gregis noſtri pars illuſtrior nuncupatur. S. Gregorius (9) tria ipſarum millia Romæ fuiſſe commemorat, cum ipſe Pontificatum gereret, quarum meritis acceptum referebat, quod belli periculis oppreſſa Civitas non fuerit, tunc per Longobardos excitatis: *Harum talis vita eſt, atque in tantum lacrymis, & abſtinentia diſtricta, ut credamus, quia, ſi ipſæ non eſſent, nullus noſtrum jam per tot annos in loco hoc ſubſiſtere inter Longobardorum gladios potuiſſet.* Nos quoque fatebimur hanc Urbem multis abhinc annis tot calamitatibus jactatam ſtare non potuiſſe, niſi preces aſſiduæ noſtrarum Monialium incenſam Dei iracundiam mitigaſſent. Alexander VI., cum Moniales a S. Agnete appellatas Regularibus Dominicanis in curam traderet, eaſdem ſolemnia vota coram S. Dominico emiſiſſe teſtatur (10). Beatiſſimæ Virginis Effigiem, quam S. Lucas depinxit, Civeſque in Monte Guardiæ poſitam ſummo honore proſequuntur, a duobus Pontificibus Leone X., ac Paulo III. commendatam accepimus iis Monialibus, quæ in eo loco morantur (11). Corpus S. Catharinæ Civis noſtræ adhuc integrum, & incorruptum ab iiſdem Monialibus conſervatur, quibus cooptata fuerat, cum ipſarum Fundatrix inter vivos ageret, Templum interius, ac ſubterraneum Monialibus Sanctorum Naboris, ac Felicis adſcriptum, primæ, ac vetuſtæ Cathedralis nomen obtinet, uti noſtrarum rerum Scriptores affirmant, ex quo etiam Reliquiæ priorum Epiſcoporum hujus Urbis eductæ ſunt, quæ deinde in noſtram Metropolitanam translatæ fuerunt. Finem nunquam haberet oratio, ſi omnia ſanctitatis monimenta perſequi velimus, quibus ſingula noſtrarum Monialium Cœnobia exornantur. Illud ſolum afferemus Moniales univerſas cum illis merito comparandas, quæ in hac Urbe antiquitus virtutis gloria floruerunt, de

(1) *In alio Edicto 23. Junii anno 1659.* (2) *Tractat. de Viſitatione Paſtorali.* (3) *Pag. 8.* (4) *Pag. 14.* (5) *Tom. 1. pag. 45.* (6) *In Synodo lib. 4. cap. 4. de Monialibus §. paupertatem.* (7) *Paſſerinus antiquæ edit. de ſtatu hominum qui 149. art. 3. num. 325. Card. de Luca de regul. diſ. 57. Card. Petra ad Conſt. Apoſt. tom. 4. pag. 172. num. 38. & de. 405 num. 6. part. 16 Recent.* (8) *Lib. 33. Decretorum.* (9) *Lib. 6. Epiſt. 23.* (10) *Tom. 1. Bull. Domin. pag. 355.*
(11) *Tom. 4. Bull. Domin. pag. 296. 594.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

de quibus S. Ambrosius ita scriptum reliquit (1): *Nam quid de Bononiensibus Virginibus loquar, secundo pudoris agmine, quæ mundanis se deliciis abdicantes Sacrarium Virginitatis incolunt? sine contubernali sexu, contubernali pudore provectæ ad vicenarium numerum, & centenarium fructum, relictoque Parentum hospitio tendunt in tabernaculis Christi indefessæ milites castitatis; nunc canticis spiritualibus personant, nunc victum operibus exercent, liberalitatis quoque subsidium manu quærunt. Quod si investigandæ Virginitatis inoleverit odor, namque præ ceteris speculandi venatum pudoris explorant, totis curarum vestigiis prædam latentem usque ad ipsa cubilia persequuntur; aut, si liberior alicujus volatus, totis omnes videas assurgere alis, concrepare pennis, emicare plausis, ut casto pudicitiæ choro cingant volantem, donec talenti delactata comitatu in plagas, & indaginem castitatis, domus, patriæque oblita succedat.*

## EPISTOLA ENCYCLICA

Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ordinariis Italiæ, & Insularum adjacentium, & etiam Generalibus Ordinum Regularium qui præsunt Monialibus.

*Nullas expensas a Monialibus fieri debere in suscipiendis, & obeundis muneribus Monasterii, neque illis peractis.*

SAnctissimus Dominus Noster Papa Clemens XI., qui paterno studio, & Apostolico zelo magnopere contendit, ut pravas consuetudines extinguat, & universum Christianum populum in viam salutis adducat, suam maxime sollicitudinem convertit in illos, qui Regularibus Ordinibus nomen dederunt, ac potissimum in Virgines Moniales, quæ *illustrior portio gregis Christi* merito nuncupantur. Si quidem Sanctitas Sua non ipsarum modo futuram sanctificationem confidit, sed etiam pietate, ac precibus præstantium Virginum, quæ se sponsas Domino Nostro Jesu Christo devoverunt, si religiosæ perfectioni, quam profitentur, comparandæ sedulo invigilaverint, præsentissima auxilia a Deo se accepturam sperat ad gravissimas calamitates depellendas, quæ universam Ecclesiam hoc tempore divexant. Quamobrem, cum Sanctitas Sua deprehenderit non mediocre detrimentum, ne Sanctimoniales in virtute magis proficiant, ex eo provenire, quod plurimum debeant expendere in obeundis Monasterii officiis: eo quod præter importunas molestias, quæ parentibus inferuntur, ut pecuniam ab ipsis eliciant, etiam ab orationis studio, Dei cultu, & Regulari observantia non parum discedere ob eamdem causam necessario cogantur; item temporalia bona vehementer expetere, quod voto paupertatis adversatur, perpetuis curis animum, & corpus laboribus occupare, frequentes, ac nimis liberos cum secularibus inire congressus, ex quibus non exigua pernicies in animas dimanare solet, omissis aliis corruptelis gravioribus, quæ ad Superiores Ordinarios, ad Sac. Congregationes, & ad Sanctitatem pariter suam quotidie deferuntur; cum hæc, inquam, satis cognita, & perspecta sint Sanctitati Suæ, quemadmodum pro Monasteriis hujus Almæ Urbis jampridem ea constituit, quæ magis opportuna visa sunt, ad præcludendum hi malis aditum, uti constat ex edicto promulgato die quarta Junii nuper elapsi; ita pariter afferre magnopere cupiens eadem remedia Monasteriis Italiæ, Insularumque adjacentium, mihi præcepit, Te summopere monere, aliosque similiter Ordinarios Italiæ, & Insularum prædictarum, Superiores item Generales Monasteriis Sanctimonialium præsidentes, ut proponas gravissima mala, quæ superius rerensuimus. Insuper quam valde conferat ad animi tranquillitatem, si omni cura bonorum temporalium Sacræ Virgines expolientur; deinde in virtute obedientiæ, cujus absolvendæ facultatem tibi reservabis, sub pœna quoque privationis officii, vocisque activæ, ac passivæ, aliisque tuo arbitrio statuendis, omnino præcipias omnibus Abbatissis, Superioribus, Camerariis, aliisque Sacrario, vel Rotæ præpositis Monialibus, & reliquis Monasteriorum Administris, ut in suscipiendis, aut exercendis officiis nullas faciant expensas, neque ab aliis fieri permittant, etiamsi consanguinei Monialium, sive alii benevolentiæ gratia ad subeundas easdem expensas se paratos exhibeant; neque Superioribus, Monialibus, Novitiis, aut aliis in Monasterio commorantibus; neque Præsidentibus etiam Regularibus, Confessariis, Deputatis, bonorum Curatoribus, aliisque Monasterio inservientibus; neque ipsi Ecclesiæ, aut Sacrario aliquid præstent, pro quo solvenda sit pecunia, etiam sub specie, & causa celebrandæ Festivitatis, aut muneris, aut alia qualibet ratione, quæ cum officiis Monasterii quocumque modo jungatur. Quævis autem expensa pro obeundis ejusmodi officiis necessaria ex reditibus Monasteriorum desumatur, eaque modum nunquam excedat, nec æs alienum ob hanc causam contrahatur. Quamobrem tum Superioribus, & Officialibus, tum Deputatis, Syndicis, & Œconomis cujuslibet Monasterii mandabis, ut prædictæ expensæ ex reditibus Monasteriorum sumendæ quamprimum decernantur, & constituantur eo modo, quis magis consentaneus judicabitur, & qui probari a te debebit, habita ratione proventuum cujuslibet Monasterii. Præterea Sanctitas Sua hoc Decreto comprehendi intelligit quæcumque Monasteria Sanctimonialium, etiam Regularibus subjecta, vel aliis Superioribus quolibet speciali, vel specialissimo privilegio præditis, & singulari etiam mentione dignis, vel quovis modo exemptis, & Sedi Apostolicæ immediate subjectis. Insuper hoc idem Decretum complectitur etiam Oblatas, quamvis neque lege Claustrorum, neque solemnium Votorum vinculis obligentur. Itaque magnopere contendes, ut hæc omnia plene observentur. Quod si difficultas aliqua exoriatur, quæ impedimentum afferat ad rem perficiendam, uti Sanctitas Sua vehementer expetit, ad Sedem Apostolicam confugias, ut ejus oracula, & auctoritatem, si opus fuerit, deposcas. Denique pro certo habeas Tibi non defuturum omne patrocinium, quod necessarium videbitur, ut negotium ad optatum finem perducas, quo quidem Divinus cultus, tranquillitas Monialium, & ad consequendam perfectionem magnum adjumentum continentur.

Romæ die 28. Julii 1708.

G. Card. Carpegna Præfectus.

*Ferdin. Archiep. Nicæe Secret.*

## ALIA EPISTOLA ENCYCLICA.

*Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ordinariis Italiæ, Insularumque adjacentium, Superioribus item Regularibus, qui præsunt Monialibus, in qua Epistola plura declarantur, quæ in præcedenti scripta fuerunt.*

SAnctissimus D. N. Papa Clemens XI., ut Monialium tranquillitati consuleret, easque scrupulis, anxietate, omnique bonorum temporalium sollicitudine liberaret, die 28. Julii jam elapsi Decreto suo, sive literis encyclicis mandavit, ut expensæ omnes pro exercendis officiis ex reditibus Monasteriorum desumerentur. Nunc vero, ut quorumdam Monasteriorum petitionibus satisfaciat, quæ declarationem aliquam sibi expostulant, Sanctitas Sua, suffragiis etiam additis Congregationis, quam hujus negotii causa specialiter deputavit, præcepit, ac præcipit, ut juxta Apostolica Decreta confecta pro observantia voti paupertatis, census Monialium communi capsæ tradantur, aut in ipsa confundantur arbitrio Superioris Monasterii, quæ necessaria Monialibus suppeditabit, & ea quæ supersunt, in utilitatem Monasterii convertet, ut ejus egestatem sublevet, idoneumque efficiat, ut obeundis singulis officiis satis esse possit. Pœnas autem indictas præcedenti Decreto, sive literis encyclicis, firmas perpetuo remanere Sanctitas Sua declaravit. Itaque conferes omnem operam, ac studium, ut executioni mandentur ea, quæ superius proposita fuerunt; idemque Sanctitatis Suæ zelus magnopere tibi commendat, eoquod Monialium tranquillitas, ac sanctitas ex hac re plurimum dependeat. Hæc habui tibi significanda &c.

Romæ die 26. Januarii 1709.

G. Card. Carpegna Præfectus.

*Ferdin. Archiep. Nicæe Secret.*

IN-

(1) *Lib. 1. de Virginibus.*

## INSTITUTIO XXX.

*De Divina Eucharistiæ expositione, ac de benedictionibus, quæ cum ipsa concluſa in Sacra Pyxide populo tribuuntur. De diſciplina Eccleſiæ pro SS. Sacramenti expoſitione, ac de proceſſionibus, quibus ea circumferuntur, veterique illarum inſtitutione. Non poſſe Euchariſtiam publice exponi, niſi aliqua cauſa publica interveniat, quæ Ordinarii auctoritate probetur. De expoſitionibus SS. Sacramenti, quæ ſingulis diebus aliqua in Eccleſia juxta impreſſam tabellam per urbem alternatim haberi ſolent. De aliis expoſitionibus, quæ diebus per tabellam minime deſignatis etiam in Regularium Eccleſiis abſque Ordinarii facultate inſtituuntur. Uſus expoſitionis hujuſmodi improbatur, cum dies feſti Sanctorum celebrantur; & cuinam rationi hoc conſilium innitatur. De privatis expoſitionibus, & quo pacto fieri debeant. Quibus cæremoniis publicæ expoſitiones indicendæ ſint. De oratione quadraginta horarum; & quis auctor illam induxerit. De conſuetudine, ob quam pluries in diem benedictio cum Sacra Pyxide populo impertitur, quod ſane nullius ritus auctoritate probatur. Qua ratione in poſterum id perficiendum ſit.*

I. SAcroſanctam Euchariſtiam in templis exponi poſſe, cultoque patriæ adorandam certiſſimo dogmate novimus univerſi. Si quis autem contrarium ſentiat, obnoxius eſt excommunicationi, quam Tridentina Synodus promulgavit (1).

II. Certum quoque eſt cum maximo honore, atque utilitate conjungi eam Catholicæ Eccleſiæ conſuetudinem, ſeu diſciplinam, qua SS. Sacramentum palam populo exhibetur. Qui res Eccleſiaſticas erudite perſequuntur, eamdem conſuetudinem inductam teſtantur, ſtatim ac Sanctiſſimum Chriſti Corpus ſolemni pompa per urbem circumferri incœpit (2).

III. Chriſtianus Lupus (3) Sacramentum Euchariſtiæ in templis exponi prius conſueviſſe, quam in Proceſſionibus publice deferri cœperit, plurimum contendit. Id quippe ad Urbani IV. Pontificis tempora primo referendum eſt; alterius vero indicia aliqua ex vita Sanctæ Claræ virginis, quæ anno 1253. vita defuncta eſt, deprehenduntur. Traditur enim Sacram Euchariſtiam juſſu ipſius ad portas Monaſterii delatam fuiſſe, cum ſub Friderico II. Imperatore Saracenorum armis Aſſiſii Civitas obſideretur; quod S. Clara auſa non eſſet, niſi tunc Euchariſtiam palam exponi pia conſuetudo permiſiſſet.

IV. Cum tamen in actis S. Claræ, quæ duobus poſt ejus obitum annis ſcripta fuerunt juſſu Alexandri IV., qui illam inter Sanctos cooptavit, cum, inquam, habeatur, quod S. Clara divinam Euchariſtiam præſeferri voluit *capſa argentea intra eam incluſam*; hinc non ſequitur eam diſciplinam tunc fuiſſe, ut palam colenda populo proponeretur, uti recte Thierſius expendit (4).

V. Illud, quod in hac re dubium eſt, examinari debet, an publice venerandam Euchariſtiam frequenter exponere perutile videatur. Qui ejuſdem Thierſii bipartitum opus ſedulo percurret, id maxime probari intelliget, ſi Eccleſiæ legibus conformetur. Inſuper tria conſtituit: primum haud permittendum unicuique, ut Euchariſtiæ Sacramentum, cum lubet, exponat, ſed Pontificis & Epiſcoporum in hac re ſententiam ſervandam; ſecundo juxta Eccleſiæ inſtituta, & ſapientum virorum opinionem id concedi rarius debere, quam in plurimis locis fieri conſuevit; tertio idipſum per octavam Corporis Chriſti perfici ſolum fas eſſe, vel cum graviſſima cauſa Religionis, aut Reipublicæ id poſtulat, quæ ab Epiſcopo dijudicanda eſt. Ejuſmodi Thierſii commentarium tot monumentis, ac rationibus redundat, ut doctiſſimus Martene (5) de exponendo Euchariſtiæ Sacramento verba facere recuſet eam ob cauſam, quod hoc argumentum tam copioſe, ac luculenter Thierſius pertractaverit ut nihil ſuperaddi poſſe videatur. Doctrinam vero Auctoris adeo probavit præclariſſimus Cardinalis Bona, ut ad ipſum die 29. Auguſti anno 1673. ita ſcripſerit: *Exiſtimo autem, quod ipſam* (hoc eſt ſententiam) *dudum audieris a communi amico Domino Luca Dacherio; Librum videlicet optimum eſſe & pium, & ab omnibus viris doctis, atque eruditis approbatum.*

VI. Contrariam vero conſuetudinem approbat magnopere P. Chriſtianus Lupus (6), tum quia populum a vanis, periculoſiſque negotiis removet, frequentiam pro Euchariſtiæ adoratione ad Eccleſiam inducit, & obmurmurationes impedit, quæ in ipſa fieri conſueverunt: tum, quia Fideles ad actus virtutum Theologalium promendos excitantur, culparum veniam implorant, divinamque opem, ut pietatis opera ſuſcipiant.

VII. P. Teophilus Raynaudus, qui in reliquis controverſiis ſuum facile judicium proferre ſolet, licet pro exponenda frequenter Euchariſtia minime aſſentiat, ab ejuſmodi tamen quæſtione definienda conſulto abſtinet, ſed rem totam Eccleſiæ judicio relinquendam cenſet. Sic enim habet (7): *Hæreo ſitne inter indecoros Chriſti in Euchariſtia honores frequens admodum divinæ Euchariſtiæ expoſitio, cujus uſus in his ovis tantopere invaleſcit, ut prope quotidianus evadat &c. Ego in hac parte nihil definio; & probatas conſuetudines non ſollicito &c. Timendum eſt, ne Majeſtas myſterii fidei tam crebra, vel etiam aſſidua ejus vulgatione deteratur, nec adeo facile percellat contuentium mentes, quam ſi infrequentius, &, quod fere conſequens eſt, majore cum apparatu, & accuratione proponeretur. Viderint ii, ad quos attinet, quid magis in hac re ſit e Dei gloria, & bono animarum; nam meum hic judicium interponere conſultum non foret.* Venerabilis quoque Vir Cardinalis Thomaſius veterum, ac recentiorum Eccleſiæ rituum peritiſſimus, in hac re dubius fuit. Cum enim Archipresbyter Palmæ, quæ eſt Oppidum ejuſdem nobiliſſimæ Familiæ tributarium, Cardinalem conſuluiſſet, utrum ſingulis diebus Dominicis in Templo recens excitato Sacram Euchariſtiam exponendam probaret, his verbis die 17. Auguſti 1675. ad illum reſpondit (8): *Utrum Sacra Myſteria per ſingulos Dominicos dies palam exhibenda ſint, ſerio perpendi debet, antequam deliberetur. Id enim non ſemper Deo gloriam affert, populoque utilitatem.* Hanc epiſtolam Dominicus Bernirius inſeruit Cardinalis vitæ, quam in lucem edidit. Civis autem noſter Antonius Albergatus Sedis Apoſtolicæ Nuntius, cum Parochos Civitatis, ac Diœceſis Leodienſis inſtitueret, ita libere ſcripſit (9): *Multo melius eſt, ut non ita frequenter exponatur, & tunc cum debita reverentia, quam, ut frequentius, & ſine debito obſequio, & reverentiæ ſignificatione id fiat, ut cum noſtra animi commotione multis in locis exponi videmus, & invenimus.*

VIII. Nos ſane hoc negotio implicari nolumus, quo pacto utraque nihil aliud contendit, niſi, ut cultus divinæ Euchariſtiæ debitus augeatur. Attamen juri Canonico inhærentes certam noſtræ Urbi, ac Diœceſi in hac re normam conſtitui poſſe arbitramur.

IX. Univerſi, qui hoc argumentum pertractarunt, aſſerunt Euchariſtiæ Sacramentum publice exponi non poſſe, niſi publica cauſa intercedat, quæ per Epiſcopum probetur, qui ſolum facultatem impertiri poteſt non modo in ſuis Eccleſiis, ſed in illis etiam, quæ ad Regulares pertinent, & quæ Epiſcopi juriſdictione penitus immunes judicantur. Inter Scriptores Tranſalpinos ita ſentiunt Juveninus (10), Merbeſius (11), Thierſius (12). Inter Regulares numerantur Lezana & Gavantus apud Thierſium, Biſius (13), Diana (14): Denique inter Scriptores practicos Clericatus (15), Monacellus (16), Braſchius (17), adſcribuntur.

X. Tridentini Concilii auctoritas hanc ſententiam magnopere confirmat (18), nempe, *Quæcumque in Diœceſi ad Dei cultum ſpectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ut decet, provideri æquum eſt.* Vaneſpenius quoque affert Sacræ Congregationis Concilii Decretum (19), quod Cardinalis Grimaldus per Galliam diſſeminavit, cum Nuntii munere fungeretur; quod pariter ab Aurelianenſi Synodo in medium profertur, hiſque verbis exaratum dicitur: *Congregatio Concilii cenſuit, non licere Regularibus, etiam in eorum Eccleſiis, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice venerandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario.*

XI.

(1) *Can. 5. ſeſſ. 13. de Euchariſtia.* (2) *Vaneſpen. Juris Eccleſiaſtici part. 2. tit. 4. de Sacr. Euchariſt. cap. 5. numer. 13. Merbeſius Summæ Criſtianæ 3. part. ſect. 10. Juvenin. de Sacrament. diſſ 4. quæſt. 4. §. 3. concluſ. 2.* (3) *Par. 1. tom. 11. vet. edit. operum ſuor., in diſſert. de Sac. Proceſſ. cap. 9.* (4) *In ſuo libro ſuper hac materia lib. 2. cap. 2. pag. 233.*

(5) *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis Officiis cap. 29. num. 6.* (6) *Loco citato cap. 12.* (7) *Tom. 5. ſuorum operum: Heteroclita ſpiritualia ad pag. 83.* (8) *In Actis c. 7.* (9) *In actis viſitationis ann. 1613. pag. 29.*

(10) *De Sacramentis diſſertat. 4. quæſt. 4. concl. 3.* (11) *In Summa Chriſtiana tertia part. ſect. 10. concluſ. 3. & 4.*

(12) *Lib. 5. cap. 10.* (13) *In verbo Expoſitio Sacramenti num. 232. §. 7.* (14) *In editione coordinata tom. 7. tract. 1. reſolut. 31. num. 1.* (15) *De Sacramento Euchariſtiæ deciſ. 60. caſu 2. num. 9. & ſeq.* (16) *In Formulario legali part. 1. lib. 6. formula 20. num. 1. & 2.* (17) *In ſuo Promptuario Synodali cap. 29. nu. 3. & ſeqq.* (18) *Seſſ. 22. cap. 8. de reformatione.* (19) *Juris Eccleſ. par. 2. tit. 4. de Sacram. Euchariſtiæ cap. 5. num. 17.*

XI. Cum tamen veritatis amiciſſimi ſimus, & Tranſalpino viro facile condonari oporteat, ſi Decretum integrum non evulgaverit, cum Sacræ Congregationis acta nunquam inſpexerit, ideo plene ipſum Decretum deſcribendum exiſtimavimus, quemadmodum die 17. Auguſti anno 1630. editum fuit, cum de cauſa Neapolitana ageretur: *Sacra &c. cenſuit, non licere Regularibus, etiam in eorum propriis Eccleſiis, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario; ex cauſa autem privata poſſe, dummodo Sanctiſſimum Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, & ſit velatum ita, ut ipſa Sacra Hoſtia videri non poſſit.*

XII. Quamvis hoc Decretum pro peculiari cauſa judicanda promulgatum ſit, tamen pro generali norma deinceps a Sacra Congregatione receptum fuit, ita ut quoties hujus generis cauſæ propoſitæ ſunt, idem ſtatuendum reſponderit, quod in cauſa Neapolitana antea ſancitum fuit. Ita contigit die 28. Februarii 1654. (1), ac die 14. Aprilis anno 1674. (2) Idem a Sacra Congregatione Regularium, & Epiſcoporum negotiis præpoſita conſtitutum fuit anno 1692. velut infra explicabitur.

XIII. Itaque, cum Sacra Euchariſtia abſque facultate noſtra, & publica cauſa exponi nequeat, & cum Eccleſiæ leges, populique cultum erga divinum Euchariſtiæ Sacramentum integre tueri maxime optemus, ideo ſummopere commendamus, ac probamus, quod in hac Civitate ſingulis diebus Euchariſtia publice in aliquo Templo colenda exhibeatur. Omnes quoque vehementer hortamur, ut in eadem Templa frequentes conveniant, Deumque pro Eccleſiæ utilitate magnopere exorent, in quo nos cauſæ publicæ rationem poſitam judicamus, ut Euchariſtiæ Sacramentum Fidelium venerationi proponatur; idque ſatis eſſe ad noſtram facultatem indicandam declaramus, quod Eccleſiarum nomina, in quibus exponitur Sacra Euchariſtia, noſtra auctoritate in lucem proferantur. Cæremoniale Epiſcoporum approbat (3), quod *Sacra Euchariſtia in Altari exponitur in ſingulis Eccleſiis Collegiatis ad totam octavam ſolemnitatis Corporis Chriſti*. In hac Civitate ſingulæ Parochiæ id facere conſueverunt; quod ſane impedire nolumus. Illud tantum, quod jam cœptum fuit, ut perficiatur, decernimus, ne ſcilicet Euchariſtia in alio quolibet templo exponatur, licet per octiduum quoque Corporis Chriſti id ſuperiori tempore in more poſitum fuerit, cum ſatis habeatur, ſi diviniſſimum Sacramentum in Parochiis populo adorandum proferatur. Ad hanc normam redigendam præcipimus, uti jam fieri cœpit, tabellam Eccleſiarum nomina deſignantem, in quibus Euchariſtia publice adoranda exponi ſolet.

XIV. Quod ſi Regulares, aut Seculares iis diebus Sacram Euchariſtiam exponere velint, qui in eadem tabella minime deſignantur, pro re gerenda facultatem a nobis expoſtulent, cauſamque declarent. Qui contrarium audeant debitis pœnis a nobis afficientur: *Quod, ſi Regulares abſque licentia, & forma præfata Sanctiſſimum Sacramentum publicæ venerationi exponere auderent, poteſt Epiſcopus contra ipſos ad pœnam competentem procedere*. Ita Bratchius (4), qui Sacrarum Congregationum ſuper hac re Decreta diligenter enumerat. Attamen, ut jus noſtrum, ſimulque officium erga alios ſervetur, ſi contraria jampridem conſuetudo invaluerit, ut nempe in aliquo templo certis quibuſdam diebus in tabella minime deſcriptis Sacra Euchariſtia publice exponatur, ſatis erit, ſi ejuſdem rei cauſa, & ad ipſam conſuetudinem probandam argumenta nobis exhibeantur, quæ ſi a nobis obſignentur, pro neceſſaria facultate ſufficient, donec novum aliquid contra ſtatuatur. Notum tamen eſſe volumus eamdem facultatem nos minime conceſſuros, ſi in ipſis Eccleſiis ſtatis iiſdem anni diebus effigies Beatæ Virginis exponatur, vel Feſtum alicujus Sancti celebretur, licet vetuſta hujus rei conſuetudo nobis producatur.

XV. Id enim Sacrorum Rituum periti ſcriptores magnopere damnant (5). Biſſus præſertim hæc tradit (6): *Et libenter adverto, quod in feſtivitatibus Sanctorum parum convenit expoſitio Sacramenti, quia diverſus eſt cultus exhibendus Sacræ Euchariſtiæ, a cultu exhibendo Sanctis, & præſente Domino omnium Summo debet ceſſare cultus Sanctorum*. De hac copioſius agit Thierſius (7), qui Sanctorum cultum reipſa a Deo minime quidem ſeparari recte perpendit; cum tamen Sacra Euchariſtia populo adoranda proponitur, præcipui charitatis, ac religionis actus, uti fas eſt, ad Deum unice diriguntur; nec de honore Sanctis perſolvendo tunc aliquis cogitat; ita ut conſilium, ac voluntas Eccleſiæ minime perficiatur: Nemo enim res ab ipſis præclare geſtas, eorumque eximias virtutes in mentem revocat, quæ nobis imitandæ proponuntur; nemo illorum patrocinium implorat, nec ullæ Deo gratiæ redduntur quod ipſos in partem æternæ gloriæ vocaverit. Illud etiam præterire non poſſumus, quod maxime ad hanc ſententiam confert, cum feſtis Sanctorum diebus publice exponitur. Maxima enim frequentia populus in templum confluit, ubi poſt præces vanis colloquiis detinetur, utque animum muſicorum concentibus intendat, Diviniſſimo Sacramento terga vertere non erubeſcit.

XVI. Si tamen ſermo ſit de exponenda privatim Euchariſtia, cum nullis Eccleſiæ legibus publica cauſa, & Epiſcopi facultas neceſſario requirantur, rem totam ad Præfectum illius Eccleſiæ rejicimus, ubi vel pro alicujus ægritudine levanda, vel pro neceſſitate, ac deſiderio alicujus Religioſi viri Sacra Euchariſtia debet exponi, in quo hanc normam obſervandam præſcribimus; ut nempe Euchariſtiæ tabernaculum ſolum aperiatur, & Sacra Pyxis clauſa, ſuoque velamine obtecta populi oculis ſubjiciatur; vel ſi Euchariſtia e tabernaculo proferenda ſit, Sphæra intra cryſtallum incluſa ſub umbella ſtatuatur, & cætera omnia circum apponantur, de quibus ſermonem inferius inſtituemus. Sphæra tamen velo adoperta ita ſit, ut Sacræ Hoſtiæ aſpectus impediatur. Primam Euchariſtiæ exponendæ normam Decreta, ſcriptoreſque ſuperius allati aperte commemorant; altera vero Romanæ Urbis conſuetudine probatur. Verum penitus interdicitur, Sacram Pyxidem ob privatam cauſam extra tabernaculum efferri, ac velatam ſub umbella collocari; cum nullum hujuſce ritus veſtigium apud ſcriptores, nullaque Sedis Apoſtolicæ conſuetudo deprehendatur, quam ſequi omnino debemus.

XVII. At vero, ut Sacra Euchariſtia, quo par eſt, honore, ac religione publice coram populo exponatur, juxta ea, quæ Romani Pontifices, & Clemens etiam XII. qui Pontificatum nunc gerit, præſcripſerunt, primo decernimus, ut illa in majori Eccleſiæ Altari collocetur; ſecundo, ut alia quælibet effigies depicta, vel ſimulacrum ibi contegatur; tertio, ne ſuper Altari Sanctorum Reliquiæ, vel ſimulacra ſtatuantur; Angelorum tamen effigies non prohibemus, quibus candelabra efformantur; quarto, ut duodecim ſaltem cerei circumardeant; quinto, ne lances ad colligendam pecuniam in Eccleſia conſtituantur, nulluſque circumeat, ut eleemoſynas a fidelibus eliciat, quod etiam egenis interdicitur, qui ad fores ſtipem poſtulabunt, hortamurque fideles, ut illis opem, quo poterunt ſtudio, large ſuppeditent; ſexto, ut campanulæ ſonus, qui a Seculo XII. inductus eſt, *ut fic Fidelium mentes ad orationes excitentur*, quemadmodum Decreto Guillelmi Pariſienſis Epiſcopi comprobatur (8), ut is, inquam, ſonus, cum in Sacrificio Miſſæ elevatur Hoſtia, præternittatur, dum Sacra Euchariſtia expoſita eſt: Licet tamen exiguo Campanulæ ſigno populum monere, cum Sacerdotes e Sacrario prodeunt Sacrum facturi; ſeptimo, ne conciones habeantur, quo tempore divinum Euchariſtiæ Sacramentum publice expoſitum a fidelibus adoratur. Si vero brevis oratiuncula recitanda ſit, ut populus ad pietatem magis inflammetur, is Eccleſiæ locus deligatur, ita ut fideles ab Euchariſtia palam expoſita faciem averſam tenere non cogantur, cultumque ipſi debitum prætermittere; octavo, ut quilibet, ſive ad aram accedens, in qua Sacra Euchariſtia publice collocata eſt, vel abſolutis precibus decedens utrumque genus deflectat, uti Sacra Rituum Congregatio die 19. Auguſti anno 1561. edicto ſanxit; nono ut Sacerdos ad aliud Altare Sacrum facturus, cum ante divinam Euchariſtiam pertranſit, illam flexis genibus, apertoque capite adoret; quo deinde tecto, ſuſceptum iter proſequatur, uti eadem Congregatio die 7. Septembris anno 1636. conſtituit; decimo, ſi Miſſæ Sacrificium ſuper ipſo Altari celebrandum ſit, in quo divinum Sacramentum expoſitum fuerit, Sacerdos ab Altari deſcendat, ut manus abluat, vultumque ad populum convertat, quod aliqui ſane negligunt, licet Euchariſtiæ dignitati, Rubricis, Romanæque Eccleſiæ conſuetudini omnino conveniat, uti Macrius recte perpendit (9); undecimo, ſi in Metropolitana, aut qualibet alia Collegiata exponatur Euchariſtia, Canonici, & reliqui omnes ſtantes, nudoque capite divina Officia in Choro perſolvant; quod ſi ob longum tem-

(1) *In cauſa &c. lib. 19. Decret. pag. 316. ſequentibus.* (2) *In Cauſa &c. lib. 28. pag. 72.* (3) *Lib. 2. cap. 33.* (4) *Promptuarium Sinodal cap. 29. num. 3. & ſeqq.* (5) *Bauldr. in Manual. Sacrar. Cæremoniarum cap. 17. de Miſſa ſolemni, & privata, quæ coram Sanctiſſimo Sacramento expoſito celebratur num. 2.* (6) *Biſſus; Expoſitio Sacramenti n. 232. §. 5.* (7) *Lib. 4. cap. 12.* (8) *Card. Bona rerum Liturgicar. lib. 2. cap. 12.* (9) *Macri in notitia vocabulorum Eccleſiaſticorum ad verbum; Euchariſtia,*

temporis ſpatium id efficere nequeant, ſedere quidem ipſis, non autem caput tegere Cœremoniale Epiſcoporum permittit (1).

XVIII. Chriſto Domino, qui ſub Euchariſtia continetur, Angelorum chorus circum adſtare Sanctiſſimi Eccleſiæ Patres teſtantur (2). Quare, ut nos etiam amantiſſimo Salvatori, cum publice exponitur, omnia pietatis, cultuſque argumenta, quæ poſſumus, oſtendamus, ſub pœnis voluntate noſtra ſtatuendis indicimus, ut præter frequentiam populi, & ſupplicationem, quam pro adoranda Euchariſtia, ſodalitia piis veſtimentis ſuperinduta de more inſtituunt, aliqui ſemper adſint, ut infra dicetur, qui eidem Sacræ Euchariſtiæ flexis genibus cultum exhibeant. Id munus Sacrorum Rituum ſcriptores ſolis Sacerdotibus tribuunt (3), quibus etiam congruit Franciſcus Bonhomus Vercellenſis Epiſcopus juſſu Gregorii XIII. Viſitator conſtitutus in Eccleſiaſticis Reformationibus pag. 209. impreſſis Coloniæ anno 1585. Angelus quoque Rocca Apoſtolici Sacrarii Præfectus, cum iter a Clemente VIII. Ferrariam ſuſceptum, moremque Romanorum Pontificum deſcriberet, quibus Sacra Euchariſtia præferri ſolet, cum ex Urbis diſtrictu progrediuntur, illam affirmat, ſub veſperam in aliqua Eccleſia deponi conſueviſſe: *Sacrarii autem Præfecti* (4) (inquit) *Eccleſiaſticos viros in cuſtodiam Sanctiſſimi Sacramenti nocturnas vigilias alternatim acturos, cereis ac lampadibus perpetuo ardentibus illic velitis, deſtinabant.*

XIX. Solemnis precatio, quæ quadraginta horarum ſpatium complectitur, P. Joſepho Mediolanenſi ex Ordine Capuccinorum primo adſcribitur, qui anno 1556. ipſam inſtituit, ut quadraginta horas, quibus Salvator Dominus poſt mortem in ſepulchro delituit, memoria proſequeretur (5). Pontifex Pius IV. ſua vigeſima ſecunda Conſtitutione, quæ anno 1560. in lucem edita fuit (6), ſodalitium Romæ inſtitutum, & ab *Oratione Mortis* nuncupatum approbavit, cui Sorores, Fratreſque cooptati, aliique cæteri precationes ad quadraginta horas protrahebant, ut jejunium quadraginta dierum, quod Salvator in ſolitudine complevit, imitarentur, Sanctiſque Apoſtolis, & prioribus Eccleſiæ Patribus aſſiduis precibus occupatis ſe penitus conformarent. De Euchariſtia ſane nulla fit mentio, Sodales tamen ante ultimam Dominicam cujuſvis menſis, vel alio die ſupplicationem inſtituere ſolitos Pontifex commemorat, in qua decenti pompa eamdem Euchariſtiam deferebant. An. autem 1592. cum graviſſimis cauſis urgeretur Eccleſia, implicatis nempe Gallorum rebus, paratiſque jam Turcarum bellicis expeditionibus, Clemens VIII. 17. conſtitutionem promulgavit (7), in qua plurimas Indulgentias illis impertivit, qui Romæ convenirent ad Eccleſias Patriarchales, Collegiatas, Titulares Cardinalium, & ad Eccleſias Regularium, ac Sodalitatum, in quibus quadraginta horarum ſpatium piis precationibus impenderent, atque inter ſe tempora ita partirentur, ut continua precatio videretur. Licet de exponenda publice Euchariſtia nullum Pontifex verbum faciat, conjici tamen facile poteſt tunc primum morem inductum fuiſſe vel paulo ante, ut Sacra Euchariſtia exponeretur, cum quadraginta horarum precatio indicebatur. Baccius enim (8) ita fieri ſolitum per ſingulas primas Dominicas menſium, & per ſingulos annos in majori Hebdomada teſtatur Romæ in templo Sodalium Sanctiſſimæ Trinitatis, qui peregrinis, & convaleſcentibus excipiendis, curandiſque conſtituti ſunt, & Sanctum Philippum Nerium ad frequentem populum eo tempore pios ſermones habuiſſe. Cum vero ſcribit res præclare ſancteque geſtas a Venerabili viro Juvenali Ancina Salutii Epiſcopo, & S. Philippi comite, commemorat in Oppido Dogliani in Liguriæ finibus non longe a Tanaro quadraginta horarum precationem edixiſſe, ad quam noſturno, diurnoque tempore ingens populi multitudo confluebat, quæ ſuppliciter ad colendam Sacram Euchariſtiam, ordinateque procedebat.

XX. Romæ quadraginta horarum precatio, & Sacra Euchariſtia continuo conjunguntur. In hac autem Civitate divinum Sacramentum ſingulis diebus exponitur. In quibuſdam etiam Eccleſiis ad 40. horas producitur, ut ex tabella, quæ in lucem prodibit, liquido confirmabitur. Hanc porro conſuetudinem ſine ulla mutatione ſequemur. Illas tamen muneris noſtri partes ducimus, ut debitus Sacræ Euchariſtiæ cultus exſolvatur. Quamobrem præcipimus, ut coram illa, dum in Altari populo adoranda proponitur, unus, vel duo Sacerdotes, vel duo ſaltem in Sacris Ordinibus conſtituti, ſuperpelliceo induti, flexiſque genibus interſint ante ſcamnum panno rubei, vel alterius coloris, qui conveniens habeatur, ad infimum Altaris gradum poſito. Id autem decernimus, ut fiat in qualibet Eccleſia etiam Regularium, ubi Euchariſtia publice exponitur juxta tabellam, vel etiam ob facultatem peculiarem, ſeu conſuetum horarum ſpatium ſervetur, ſive horæ quadraginta ſtatuantur. Qui non paruerit, arbitrio noſtro punietur. Quocumque igitur modo Euchariſtiæ Sacramentum in noſtra Metropolitana exponatur, curent ſedulo Canonici, ut tabella ad Sacrarium figatur, in qua notetur horarum tempus, eorumque nomina, qui, ut ſupra dictum eſt, diu noctuque ante Sacram Euchariſtiam ſua precatione fungi debeant. Idem omnino a Canonicis, qui Collegiatis inſerviunt, cum in iiſdem Sacra Euchariſtia publice exponetur. Videant Canonici, ut reliquis exemplo præſint, eorumque nomina in tabellam referantur, neque totum onus in eos Sacerdotes rejiciant, qui ad ſolvendas in choro divinas laudes deſtinantur. Id omnino ſervatut Romæ in Vaticana præſertim Baſilica, ubi per plures annos inter Canonicos adnumerati fuimus. Eamdem conſuetudinem tenent Summi Pontificis Domeſtici, & Familiares, cum in Sacello Paulino per horas quadraginta divinum Euchariſtiæ Sacramentum exponitur. Idem præſtandum erit a Regularibus in ſuis Eccleſiis, ut Romæ ſimiliter facere conſueverunt. Parochi vero, cum Sacra Euchariſtia in ſuis Eccleſiis exponenda erit, Sacerdotes, alioſque Sacris Ordinibus initiatos, qui Parochiæ adſciti ſunt, de hac re admonebunt, quorum nomina in tabella ad Sacrarium affigenda, certaque hora cuivis deſignabitur, ut eo modo, qui ſuperius declaratus eſt, ad precationem præſto ſint. Quod ſi tanta illorum copia, quæ ſufficiat, in ipſa Parochia non verſetur, tum Parochus ad alios confugiet, qui huic muneri ſatisfaciant. In Eccleſiis quoque Sodalitatum Presbyteros, Clericoſque ac Sacros Ordines jam aſſumptos accerſant, qui precationem eodem modo ſingulis horis alternatim ſuſcipiant. Quod ſi Sodales ipſi in ſuis, vel etiam in alienis Eccleſiis id facere velint, ſcamnum ab Eccleſiaſticis ſejunctum illis tribuatur, ubi Deum precentur, quemadmodum Romana inſtitutione ſuper hac re præſcribitur. Cum aliqua perturbatio in Sacra Euchariſtia juxta tabellam exponenda dimanet, eo quod in diverſis Eccleſiis diverſum tempus ad rem perficiendam eligatur, hinc decernimus, ut Eccleſiæ, quæ tabellæ legem ſequuntur, Sacram Euchariſtiam publice exponant tribus ante meridiem horis, & ante 23. horam diei benedictione accepta, populus dimittatur; ita ut poſt campanæ ſonitum, quo veſpere ad ſalutandam Beatam Virginem populus excitari ſolet, templi fores obſerentur. Magna illorum pars, quæ hic expoſuimus, in Synodo Cardinalis Boncompagni, continentur, eaque probantur actis Mediolanenſis Eccleſiæ, quæ a S. Carolo Borromæo cocta fuerunt (9); *Dum illud* (de Sacra Euchariſtia ſermo eſt) *in Altari propoſitum eſt interdum Clericis duo ſuperpelliceis induti capite aperto ad Altare ſemper aſſiſtant.*

XXI. Quæ hucuſque dicta ſunt, ad ſolemnem, ac publicam divini Sacramenti expoſitionem referuntur: ſi vero privata ex cauſa id fiat, quo tempore tabernaculum ita recluditur, ut velata Pyxis in oſtiolo appareat, vel Sacra Hoſtia intra Oſtenſorii cryſtallum incluſa, veloque obtecta in Altari collocatur, tunc Sacra Congregatio Epiſcoporum, ac Regularium negotiis agendis præpoſita, hæc decrevit die 6. Decembris anno 1602. *Si quandocumque privata in cauſa Sacroſancta Euchariſtia exponenda videbitur, a Tabernaculo numquam extrahatur, ſed in Pyxide velata in operto ejuſdem tabernaculi oſtiolo cum aſſiſtentia alicujus Sacerdotis Stola, & Superpelliceo induti, & cum ſex ſaltem luminibus cereis collocetur: quod idem in Eccleſiis ſecularium ſervari mandamus: Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium die 9. Decembris* 1602. Ita ex præclara Synodo Farenſi per Cardinalem Barberinum celebrata deprehenditur. (10).

XXII. Si vero privata de cauſa Sacroſancta Hoſtia incluſa ſolita ſphæra, & velo cooperta ſub umbella ponatur, tunc præcipimus, ut ſaltem cerei bis ſex accendantur, & Sacerdos aliquis ſtola, ac ſuperpelliceo indutus ibi flexis genibus precibus deti-

(1) *Lib. 2. cap. 33.* (2) *S. Joannes Chryſoſtom. lib. 6. de Sacerdotio, & in Hom. 65. ad Populum Antiochenum. S. Ambroſius cap. 1. de Evangelio S. Lucæ in illis verbis: Apparuit ei Angelus. S. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 58.*

(3) *Gavant. in verbo Euchariſtia num. 54. Lantuſca eodem verbo num. 2. Clericat. de Sacramento Euchariſtiæ deciſ. 70. caſu 2. num. 11. Merbeſ. in ſumma Chriſtiana 3. part. ſect. 10. quæſt. 2. Thierſ. lib. 5. cap. 3. n. 3. Braſchius in Promptuario Synodali cap. 20. num. 7.* (4) *Tom. 1. pag. 52.* (5) *Thiers. lib. 4. cap. 17.* (6) *Tom. 2. Bull. Rom.* (7) *Tom. 3. Bull. Rom.* (8) *Lib. 1. cap. 8. de vita S. Philippi Nerii.* (9) *Tom. 1. pag. 249. editionis Lugdunen.* (10) *Lib. 9. cap. 17.*

detineatur. Quocumque tamen modo exponatur Eucharistia, qui se postulaverint, nanciscantur etiam diligenter Presbyteros, qui singulis horis alternatim Christo Domino cultum exhibeant; nisi id cognitum certumque prius habeant, Præfecti Ecclesiarum facultatem non tribuent, ut Sacra Mysteria exponantur.

XXIII. Mos obtinuit in hac Bononiensi Civitate, ut pluries eodem die benedictio Sacra Pyxide frequenti populo concedatur. Nullum de hoc ritu monumentum deprehendimus. Indicat solummodo Rituale Romanum (1), quod Parochus post traditam ægroto communionem, si in Pyxidæ particula aliqua superfit: *Accipiens vas cum Sacramento facit cum eo signum Crucis super infirmum nihil dicens*. Postquam in Templum rediit: *Cum Sacramento in Pyxide velo coperta faciat signum Crucis super populum nihil dicens: posterum illud in suo loco reponat*. Ne Romæ quidem, quæ Sacrorum Rituum magistra merito appellatur, id fieri consuevit, nisi forte maximæ dignitatis vir, quemadmodum Rex, aut Regina pietatis causa eam benedictionem expeterent. Quamquam Nos plusquam viginti annis Sacræ Rituum Congregationi adfuimus, tamen a præcipuo ejusdem Ministro consilium super hac reposcere non prætermisimus, qui hanc consuetudinem omnino interdicendam libere respondit, cum novi ritus inconsulta Sede Apostolica permitti nequeant, licet pietatis aliqua causa adducatur. Verum ne eadem pietas imminuenda sit etiam ob eam rationem, quod idem crebro repetatur, decernimus, ut benedictio solum in illis Ecclesiis populo impertiatur, quæ veterem hujus rei consuetudinem tenent, caveantque, ut semel tantum in eumdem diem id perficiant: delinquentes nostro arbitrio plectemus. Curent quæque omnia decenter fieri, ita ut dum saltem Clerici superpelliceo induti cereos, vel intortitia manu præsentent, ardeantque reliqui cerei, qui super Altari in candelabris statuuntur.

XXIV. Cum in Diœcesi Sacra Eucharistia publice, vel privatim exponitur, omnia, quæ superius sancita sunt, observanda præcipimus; Vicariis autem Foraneis mandamus, ut nobis significent, quot numero expositiones in suis Vicariatibus institutæ sint, & qua ratione peragantur, ut quid statuendum sit intelligamus. Quoniam vero ad nos pervenit in quibusdam locis per quadraginta horas divinum Sacramentum exponi, atque Ecclesiæ fores per integram noctem patere, eoque viros simul, ac mulieres confluere, omnino præcipimus, ut post horam diei vigesimam tertiam cum dimidio templum claudatur. Si per noctem Sacra Eucharistia super Altari posita sit, ardeant duodecim faces, & Sacerdos, vel saltem aliquis in Sacris Ordinibus constitutus, ut supra declaravimus, precibus intentus assistat.

XXV. Hoc Edictum tunc suam vim obtinebit, cum nova tabella Ecclesiarum, in quibus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publice exponi debet, promulgabitur; idque temporis spatium ob eam causam conceditur, ut omnia, quæ proposita sunt, paratis rebus antea necessariis, executioni demandentur.

## INSTITUTIO XXXI.

*De interventu Clericorum, & Sacerdotum, qui Beneficium aliquod obtineant, vel ipso careant, ad solemnem Corporis Christi Processionem, quæ in Oppido Centensi in Cathedrali S. Blasii fieri solet. Posse Beneficiis præditos obstringi, ut ad illam conveniant, licet nec residere nec inservire Ecclesiæ teneantur. Idem ab Episcopo præcipi posse Clericis nullum beneficium obtinentibus, eo quod adscripti sint Parochiis, ut illis inserviant.*

I. TRidentina Synodus commemorat, ac plurimum commendat piam consuetudinem, qua Christi Corporis peculiare Festum quotannis celebratur, & solemni in dicta Processione Sacra Eucharistia circumfertur (2): *Declarat præterea Sancta Synodus, pie, & religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam, & festo die præcelsum hoc, & Venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur, utque in Processionibus reverenter, & honorifice illud per vias, & loca publica circumferretur*. Eadem Synodus (3) præcipit, ut Clerici omnes cum Seculares, tum Regulares publicis supplicationibus interfint, inter quas Corporis Christi pompa merito adnumeratur, quæ non modo publice, sed etiam solemniter peragitur, nullaque immunitas admittatur, ut quis hoc præcepto liberetur: *Exempti autem omnes tam Clerici Seculares, quam Regulares quicumque, etiam Monachi, ad publicas Processiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt*. Cum igitur ad aures nostras pervenerit, in Oppido Centensi quo die Corpus Christi solemniter defertur a Canonicis Parochialis Ecclesiæ S. Blasii nuncupatæ, nonnullos Ecclesiæ adscriptos, ac præsertim Sacerdotes, ita se gerere, ut Sacram Eucharistiam minime comitentur, sed ex mercatorum officinis, plateisque pompam præterentem spectent; vel alicui sodalitio cooptati ipsius habitum induant, & vexillum sequantur; hinc omnino decernimus, ut Clerici universi, ac Sacerdotes, qui Beneficium aliquod obtinent, licet cum onere residendi haud conjunctum, ad eamdem supplicationem accedant, & eam ab eo loco, ex quo discesserit, ad finem usque prosequantur. Qui vero non paruerint, arbitrio nostro punientur. Interim Clericos etiam, ac Sacerdotes, qui nullum habent Beneficium, ut idem faciant, vehementer hortamur. At vero, ne ullus perturbationi locus sit, Clericis prima Tonsura, aliisque minoribus, vel etiam majoribus Ordinibus præditis, Sacerdotibus quoque, qui aliquod, & qui nullum Beneficium possident, magnopere suademus, & quibus fas est, præcipimus, ut ad Pro-Collegiatam Ecclesiam Sanctissimi Rosarii cum superpelliceo, candela, vel intortitio, in dicta hora simul conveniant, ut ibi sub Vexillo Crucis Presbyterorum communalium ordinatim ante ipsos procedant hoc pacto. *Reliquis omnibus præcedent, qui ad simplicem Tonsuram recepti sunt. Post illos, qui minoribus Ordinibus, ac deinde qui majoribus insigniti sunt, postremo Sacerdotes sequentur: atque ita processionem comitari debent, donec ad eamdem Ecclesiam, ex qua profecta est, revertatur.*

II. Hæc omnia Sacræ Congregationis Concilii Decreto, quod subjicimus, confirmantur.

*Sæpe alias hæc Sacra Congregatio censuit, Clericos nullum Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum in diœcesi obtinentes non posse cogi ad publicas Processiones accedere.*

*Nihilominus experimento compertum est, in pluribus locis, & præsertim in Civitate Eugubina, per declarationem hujusmodi non parum detrahi divino cultui, & Processionum solemnitati, ac decori, imo non leve scandalum populo inferri, dum ipsarum Processionum tempore Clerici, & Presbyteri hac illac vagi, & Eugubii præsertim in numero centum viginti, & ultra vagi, & errantes conspiciuntur.*

*Delata propterea ad Sanctissimum Dominum Nostrum hujusmodi inconvenientis notitia, visa res est considerari digna. Ideoque, ut, si quæ ratio pro Divino cultu ineunda sit, possit executioni demandari pro instante Sanctissimi Corporis Christi solemni Processione; Sanctitas Sua negotium in proxime habenda Congregatione discutiendum remisit.*

*Sane, legitima concurrente consuetudine, eadem Sacra Congregatio censuit, cogi posse. Ac in præsenti, num adsit consuetudo, necne, minime constat, ac, stante temporis angustia, de illa nequit explorari, proinde, præscindendo a consuetudine, quærendum videtur:*

*Primo, an Clerici nullum Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum obtinentes ad publicas Processiones cogi possint?*

*Secundo, an possint obtinentes Beneficia, quamvis non sint residentialia, aut servitoria?*

*Tertio, an cogi possint simplices Presbyteri?*

*Quarto, an saltem cogi possint ad Processiones solemniores?*

*Sacra &c. respondit ad primum, tertium, & quartum negative, sed esse hortandos; ad secundum affirmative, si præsentes sint. Die 12. Junii 1677. lib. 29. Decretorum pag. 451. a tergo, & sequentibus.*

III. Eam opinionem de virtute Clericorum, ac Sacerdotum Centensis Oppidi, qui Beneficium obtinent, animo habemus, ut propter ea verba, *si præsentes sint*, abesse minime velint, cum publicæ processionis dies statuetur. Si quis vero hanc fraudem commiserit, se debitis pœnis obnoxium futurum certo sciat. Cæterorum quoque tum Clericorum, tum Sacerdotum nullum Beneficium obtinentium probitate, ac pietate freti confidimus cohortationem nostram loco præcepti fore habendam. Quod si contrarium eveniat, illos admonemus, ea verba, *vehementer hortamur*, statim per nos immutanda, atque in præceptum convertenda esse. Id autem non edicemus absque ratione, quam semper nobis ante oculos proponimus. Hanc vero, si quis cognoscere velit, breviter illam declarabimus.

IV. In Decreto Sac. Congregationis Concilii, quod superius allatum fuit, de Clericis, ac Sacerdotibus sermo est, qui nullum adhuc Beneficium sibi comparaverunt; non vero de illis agitur, qui licet sine Beneficio illi Ecclesiæ, ubi Processio Corporis Christi instituitur, adscribuntur. Omnes fere, qui Ordi-

nes

(1) *Tit. de Communione Infirmorum.* (2) *Sess. 13. cap. 5. de Eucharistia.* (3) *Sess. 25. de Regularibus, & Monial. c. 13.*

nes a nobis acceperunt, Ecclesiæ Parochiali, & Collegiatæ S. Blasii adsciti fuerunt, saltem postquam deprehendimus in more positum fuisse, ut Ordinati nullius Ecclesiæ servitio destinarentur. Itaque qui hoc pacto per nos antea, vel Decessores nostros Ordines assequuti fuerint, eidem Ecclesiæ S. Blasii adscribentur. Etenim siquid in superioribus Ordinationibus nostris, aut Decessorum nostrorum prætermissum fuerit, id perfici auctoritate nostra posse restantur Apostolicæ literæ, quas Innocentius XIII. dedit, ut Ecclesiasticam disciplinam in Regnis Hispaniarum ad certam normam redigeret, quas deinde Benedictus XIII. ad universos Catholicos Episcopos instituendos confirmavit. Hæc sunt Pontificis verba: *Et tam in his, qui ad primam Tonsuram, quam in aliis, qui promoveri ad Ordines, etiam minores, optaverint, omnino servetur pariter regula ab eodem Concilio Tridentino tradita: nimirum, ut nullus ordinetur, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, quique illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus utilitate, aut necessitate assumitur, non adscribatur, ubi ve ipsa functiones muneri suo consentaneas exerceat. Quod, si qui modo reperiantur vel Clericali Tonsura jam initiati, vel ad Ordines sive minores, sive majores jam promoti, qui nulli certæ Ecclesiæ, aut loco pio adscripti fuerint, Episcopi adscriptionem hujusmodi vel a se ipsis, vel a Prædecessoribus suis omissam statim suppleant non minus quoad omnes in majoribus Ordinibus, etiam Presbyteratus, constitutos, quam quoad eos, qui vel sola prima Tonsura, vel minoribus Ordinibus initiati, Beneficium tamen Ecclesiasticum possident. Ex reliquis autem, ut præfertur, vel sola prima Tonsura insignitis, vel in minoribus Ordinibus constitutis, sed Beneficio carentibus, nonnisi eos adscribant, quos Ecclesiis suis utiles, vel necessarios esse judicaverint.*

V. Quare aperte cognoscent, si postquam Ecclesiæ S. Blasii per nos adscripti fuerint, ipsos nostra auctoritate impellere possimus, ut Beneficio etiam carentes supplicationi Christi Corporis, induti superpelliceo, facem sive intorticium gestantes, decenter interfint.

## INSTITUTIO XXXII.

*De cœtibus, ad quos Clerici Bononienses convenire debent, uti quæstiones Theologiæ Moralis examinantur. Quid scire, & intelligere debeant illi, qui Confessarii munere perfungi utiliter velint. Nunquam dimittendum esse studium earum rerum, quæ necessariæ sunt, etiamsi prius auditæ, perceptæque fuerint. Convocandos esse cœtus hujusmodi pro examinandis Moralis Theologiæ quæstionibus, qui si recte habeantur, magnam afferunt utilitatem. Qua ratione ipsi fieri debeant.*

I. DUO profecto certissima sunt; primum quidem, Theologiæ Moralis scientiam illis omnino necessariam esse, qui tamquam Parochi, aut Sacerdotes pro administrando Pœnitentiæ Sacramento constituti, Confessarii munere rite perfungi velint; alterum, non satis esse, quod eamdem facultatem aliquis semel percurrerit, perceperit, & palam etiam docuerit, sed assiduo excolendam, ut animo penitus defigantur ea, quæ didicerit, & nova semper documenta, quibus ea facultas plurimum affluit, comparentur.

II. Sanctus Gregorius Pontifex hæc scripsit (1) *Quis cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? & tamen sæpe qui nequaquam spiritualia præcepta cognoverunt, cordis se Medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri Medici carnis erubescunt.*

III. Et profecto, si, ut mediocris Confessarius quis habeatur, necesse est, ut generatim a levibus culpis lethales saltem discernat; in illis autem, quæ frequentius usuveniunt, ea cognoscat, quæ culparum genus, ac naturam immutant, aut ipsas graviores efficiunt: insuper casus Pontifici, sive Episcopo reservatos, & eos, quibus censura aliqua pariter reservata conjungitur, illos etiam, qui ad restitutionem impellunt, peccata, quæ juxta diversam hominum conditionem, ac munera crebrius admittuntur, quid necessario requiritur, ut Fideles suis criminibus dissolvantur, quonam tempore peractæ jam Confessiones repetendæ omnino sint; optima tandem consilia, quibus criminosi homines ad bonam frugem traducantur: si, inquam, hæc necessaria sunt, hac certe doctrina præditi esse non possunt, nisi Theologiam Moralem plane calleant, cum præsertim harum rerum cognitio jure Pontificio, & Pontificum Decretis innitatur, quæ sane nemo divinare potest, licet præclarissimo floreat ingenio, quemadmodum Cardinalis Denhoffius olim Episcopus Cæsenas recte perpendit (2): quibus rebus si addatur, quod Alvarus Pelagius commemorat (3), inter majores Ecclesiæ calamitates tunc temporis eam fuisse, quod Confessarii Morali Theologia parum imbuti essent, & ea, quæ contra Dei legem a Fidelibus perperrantur, parum dignoscerent; ex his quisque facile conjiciet hujus doctrinæ necessitatem in illis, qui ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum eliguntur.

IV. Alia superaddenda videntur, ut expositam a nobis initio sententiam magis confirmemus: *Præpara opus tuum*, monet Spiritus Sanctus (4), & cum id minime sufficiat, statim subdit, *& diligenter exerce agrum tuum*. Utinam non contingeret, quod tamen frequentissime videmus, aliquos nempe Sacerdotes, qui initio præclarissime Confessarii munus susceperunt, inde post diuturnum tempus omni studiorum cura neglecta, pristinam Moralis Theologiæ scientiam amittere, ita ut qui in ejusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua solum, consusaque ipsius artis scientia, primisque rudimentis instructi vix inter tyrones adnumerentur. Cardinalis Fridericus Borromeus, qui Sancti Caroli propinqui sui virtutes, & sedem occupavit, hanc calamitatem deploravit (5), & opportune perpendit eos Confessarios, & Ecclesiæ ministros in magno discrimine versari, qui postquam ad excipiendas Fidelium Confessiones ab Episcopo probati fuerunt, omnem studiorum exercitationem prætermittant. Siquidem examen velut probabile testimonium habetur, quo ad Pœnitentiæ Sacramentum administrandum idoneus quis ducitur: neque ita certum judicium fit, ut in dubium revocari nequeat, sed conjectura solum de virtute, ac doctrina illius, qui ad examen vocatur. Itaque si ipse muneri suo haud satisfaciat, cum peculiare aliquid in audiendis Fidelium criminibus obtingit, id minime Examinatoribus, sed Confessario tribuendum est, qui omni studio contendere debet, ne ob ignorantiam suam in hæc discrimina prolabatur, eaque summa diligentia penitus evitare. Hoc etiam sapienter admonet præclarus Auctor, qui pro novis Confessariis Institutionem Romæ primo edidit; quæ deinde in aliis plurimis locis typis iterum excusa fuit.

V. Ut gravissimo huic malo aditus præcludatur, Ecclesiastica disciplina satis opportuna remedia Episcopis suppeditavit. Alias sermonem instituimus de auctoritate, qua Parochi ad examen revocari possint, si de illorum imperitia argumenta aliqua proferantur. Confert etiam magnopere, si Confessiones audiendi facultas certis limitibus concludatur, atque iterum periculum fiat de illius doctrina, cui facultas eadem prorogatur. Hoc remedio libenter utimur, servatis tamen iis legibus, quas æquitas præscribit. Postremo maximum adjumentum ex eo dimanat, si ad explicandos conscientiæ casus frequenter conventus habeantur, quemadmodum hac declaratione probandum suscepimus.

VI. Duo Episcopi Petricovienses, & Lucionenses conventus Ecclesiasticos per ipsum Clerum habitos in lucem protulerunt; primi quidem tribus libris, undecim vero secundi continentur. Idem in Italia perfecit Joannes Clericatus, qui juxta morales casus per Patavinum Clerum in consuetis cœtibus examinatos sapientes, præclarasque *Decisiones* congessit, ac promulgavit. Ipsi vero Episcopi, quos antea nominavimus, in librorum præfationibus eximia prædicant de iis conventibus, qui ab Episcopo cum Clero haberi solent, ut ea quæ ad Christianam doctrinam, & mores pertinent, in examen adducta decernantur. De nostris cœtibus tam magnifice loqui non audemus, neque, ut ingenue fateamur, eisdem Scriptoribus in hac re fidem integram præstamus. Illud pro certo asserimus, conventus ejusmodi jampridem in hac diœcesi fieri consuevisse, frequenter instituendos fore, & maximam cum ipsis utilitatem semper conjungi.

VII. P. Ludovicus de Beja ex Ordine Sancti Augustini, ac Theologus Cardinalis Gabrielis Paleotti typis mandavit omnia, quæ per Clerum Bononiensem coram eodem Cardinali coctum de morum disciplina statuebantur. In Decretis etiam Synodalibus Cardinalis Hieronymi Columnæ hujus Urbis Archiepiscopi (6) de his Ecclesiasticis conventibus sermo est; & cum idem Cardinalis inter vivos ageret, in lucem prolata sunt ea, quæ in ipsis post accuratum examen constituta fuerunt; omissis autem consiliis, quæ super hac re cæteri Decessores nostri post illos Cardinales Archiepiscopos susceperunt, in Synodo per Cardinalem Jacobum Boncompagnum coacta (7) plura admonentur, ut iidem conventus utiliter habeantur. Nos quoque paulo superius ipsos agendos, utilesque, si recte fiant, affirmavimus: quod perspicuis documentis ostendemus. Sixtus V. in ea Constitu-

(1) *Part. 1. c. 1.* (2) *In Pastorali Institut. de Sacramento Pœnit.* (3) *De planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. 20.* (4) *Prov. c. 24.* (5) *In suo Ratiocinio Synodali 11. vol. 1.* (6) *Part. 3. c. 7.* (7) *Lib. 3. c. 6.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

stitutione, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, tempus Episcopis ad invisenda sacra limina, docendamque Sacram Concilii Congregationem de suarum Ecclesiarum statu decrevit: nunquam tamen ad hoc recte perficiendum certa quædam norma proposita fuit. Quare cum in ultimo Romano Concilio, quod Benedictus XIII. convocavit, de hac re ageretur, nos ipsi, qui tunc Sac. Congregationis Concilii Secretarii munus, & in eodem Romano Concilio Canonum interpretem gerebamus, jussi fuimus dissertationem conficere, ut Episcopi magno cum fructu suarum Ecclesiarum statum exponerent. Illam non modo idem Concilium sua auctoritate probavit, sed etiam in fine ipsius imprimi voluit. Cum igitur per eam moneantur Episcopi, ut Sacram Congregationem Concilii de ejusmodi conventibus Ecclesiasticis certiorem faciant: *An habeantur conferentiæ Theologiæ Moralis, seu casuum conscientiæ, & etiam sacrorum Rituum, & quot vicibus habeantur, & qui illis interfint, & quinam profectus ex illis habeantur*; si Sedi Apostolicæ parendum est, ut nemo dubitat, eosdem quoque Clericorum conventus habendos esse nemo inficiabitur: utilitatem vero, vel ex eo solum quisquis intelliget, quod tunc Moralis Theologiæ scriptores evolvendi sunt, quorum graviores sententiæ per nostrum Theologum Pœnitentiarium funditus pertractantur, qui graves, utilesque proponit sententias, & magna doctrina, ingenio, & perspicuitate explicat. Smaragdus cum cœtu Monachorum (1) commemorat, in quibus ipsi de Sacris Litteris sermones invicem conferebant, quorum partem Cassianus, partem vero Oddo Cluniacensis posteris descriptos tradiderunt, hæc habet: *De Scripturis divinis, aliis conferentibus interrogationes, conferunt alii congruas responsiones, & sic, quæ diu latuerant occulta, conferentibus patefiunt perspicua.*

VIII. Superest igitur, ut normam, qua utiliter hi conventus fiant, perpendamus. Semel per mensem haberi solebant, cum Cardinalis Gabriel Paleottus hanc Sedem Bononiensem obtineret. Ita Ludovicus de Beja (2) fidem facit, cum Sixto V. Pontifici librum suum inscriberet; *Casus, quos vocamus conscientiæ explano, & collectis in unum Curatis omnibus, præsente eodem illustrissimo Archiepiscopo singulis mensibus difficiliores quosque casus in dies occurrentes propono, & post varias a ceteris dictas pro cujusque ingenio, ac doctrina sententias rectam pronuntio, quid tenendum, quid fugiendum, indico.* Idem per Synodum Cardinalis Jacobi Boncompagni præcipitur. Nunc vero in Civitate octies hi conventus Ecclesiastici solum indicuntur; rarius autem in diœcesi ob incommoda gravissima, quibus per hyemem viæ rurales impediuntur. In Synodo Cardinalis Hieronymi Columnæ (3) pariter edicitur, ut *Ad casus conscientiæ discutiendos modo in alia Ecclesia per circulum* (quod sane hoc tempore, tanquam obsoletum, prætermittitur) *quicumque, etiam Regulares, quibus animarum cura ineft, quique a peccatis expiandis fortiti sunt facultatem, quolibet mense conveniant.* Insuper, ut quædam norma in his conventibus servetur, per aliquos Episcopos cautum fuit, ut qui sorte ductus respondere debet, sententiam suam pagella descriptam haud legat, sed memoriæ prius demandatam coram exponat, ac pagellam deinde Secretario committat, quemadmodum his verbis deprehenditur, quæ in institutione excusa in fine celeberrimæ Synodi Cardinalis Caroli Barberini Abbatis Farfensis continetur: *Latino sermone utantur, suamque opinionem validis rationibus, ac probantium Scriptorum auctoritatibus firmatam memoriter pronuncient, quam pariter integra pagina scriptam, & cujusvis manu obsignatam Secretario singuli tradent, cum cœtus dimittetur.* Id sane perpacui in hodiernis conventibus nostris exequuntur. Cum hæc ita se habeant, nihil tamen ex his immutandum, neque angustiores limites definiendos volumus, sed præsentem rerum statum modo permittimus. Parochos solum Regulares, ac Seculares, cæterosque, qui curæ animarum præpositi sunt. Capellanos etiam, & Confessarios Seculares monemus plurimum, ut cœtus ejusmodi frequentent, nisi subire velint pœnas olim constitutas, quas in præsentia renovamus. Reliquos etiam Cleri Secularis hortamur, ut in eumdem locum conveniant, ubi quæ ad mores pertinent explanantur. Id Sacræ Concilii Congregationis sententiis aptissime congruit, quas Monacellus commemorat (4): *Tu scientiam repulisti* (inquit per Oseam (5) Deus) *& ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Hanc auctoritatem Cardinalis Carolus Barberinus adduxit (6), ut peripectum omnibus faceret, ad suscipiendos Ecclesiasticos Ordines, & beneficia, quibus animarum cura conjuncta est, obtinenda tamquam impedimentum illis futurum, qui ejusmodi conventibus Ecclesiasticis adesse prætermiserint. Defunctus quoque Pisarum Archiepiscopus id magnopere cavendum duxit (7); & Cardinalis Petra (8) monuit Episcopos idem consilium suscipere, ne unquam Parochi, Confessarii, cæteriique diœcesis Ecclesiastici eosdem cœtus omitterent.

IX. Illud statuendum videtur, ut in posterum duo solum casus examinandi proponantur, cum per hyemem tempus minime suppetat, ut tres casus ejusmodi satis declarentur. Prima autem quæstio per aliquem Parochum, altera vero per Capellanum, aut Confessarium judicetur. Superiori tempore, cum tres casus exponerentur, primo loco Parochus, deinde Capellanus, postremo Confessarius judicium ferebat. Hinc tres urnæ in medio positæ erant, ex quibus sorte ducebantur eorum nomina, quibus ad propositos casus respondendum erat, cum alius deinde cœtus haberetur. Quare præter ipsos cæteri imparati accedere poterant, & ne quidem ipsos casus legere, de quibus agendum foret. Insuper, qui semel responderat, in urnam demitti minime solebat, nisi postquam reliqui omnes educti eodem munere perfuncti fuissent, ob quam rem certissimum habebat non nisi post diuturnum tempus sibi eam provinciam subeundam esse, ita ut absoluto omnium numero cum sortes repetebantur, quivis Parochus post sex annos cum dimidio sententiam dicere teneretur, Capellanus post quinquennium circiter, Confessarius autem post annos octo, si ipsorum numerus perpendatur.

X. Hæc consuetudo minime inducta fuerat, cum Cardinalis Gabriel Paleottus, & Alphonsus pariter Paleottus hanc Ecclesiam administrarent. Tunc enim juxta præscripta Clero Bononiensi ab iisdem Archiepiscopis, quæ postea anno 1603. promulgata fuerunt, ut parati omnes accederent, haud nominabantur, qui in sequenti cœtu sermonem facere deberent, sed cœtu ipso coacto sorte ducti assurgere, ac de rebus propositis judicium suum palam facere cogebantur: *Indicta die, & initio Congregationis invocato Spiritus Sancti nomine, designatus scriba singulos nomine compellat, & absentes sine legitima causa notantur, ut decretas pœnas exsolvant. Pecunia vero, quam reus impendit jussu Archiepiscopi alicui Monasterio, vel Loco pio tribuitur. Post hæc idem Archiepiscopus quæ necessaria sunt, admonet; deinde sorte ducuntur, qui propositis difficultatibus respondeant. Ipsi vero Latinum sermonem adhibent. Si quis contrariam opinionem sustineat, facultas coram differendi conceditur. Postremo P. Teologus controversiam suo judicio dirimit & absolvit.*

XI. Ignoramus quonam tempore mos incœperit, ut priori cœtu nominarentur, qui sententiam suam ferrent, cum idem cœtus iterum convocaretur. Certum tamen est id plurimum obesse Cleri conventibus, ubi Theologiæ Moralis quæstiones pertractantur, quorum norma post ultimum Romanum Concilium (9) sic impressa fuit: *Ad disquisitionem casus &c. devenient, & duo saltem verba facient, qui sorte ducentur ex urna, ubi descripta, & totidem complicata chartulis erunt illorum nomina, qui ad cœtum convenire debent, ut parati omnes accedant.* Itaque præcipimus, ut in proxima Congregatione, quæ mense Novembri indicetur, & aliis in posterum omnibus ex Parochorum urna nomen illius Parochi proferatur, qui propositæ quæstioni respondere statim debeat, suamque sententiam declarare. Idem servabitur, cum de Capellanis, & Confessariis agetur. Postea in urnam rursum demittantur, qui sorte ducti, sermonem habuerunt, ut simul cum aliis ad cœtum insequentem omnino se præparent. Caveant, ut responsiones perspicuæ sint, ordine digestæ, præclarisque auctoribus delibatæ, qui præsertim sententias calleant, quæ Romæ in Sacris Congregationibus prolatæ fuerunt.

XII. Id minime grave molestumque nostris Parochis, Capellanis, & Confessariis videri debet, cum totius rei summa in eo solum posita sit, ut octo per annum quæstiones diligenter examinent, quod sine ullo valetudinis incommodo facile perficient. Nos ipsi, licet pro nostrarum virium tenuitate non exiguis curis distringamur, sexdecim integras quæstiones sine ullo metu debilitandæ valetudinis percurremus.

XIII. Si de aliqua alia Civitate, quæ doctis Parochis, peritisque Confessariis æque ac nostra non redundaret, sermo fieret, suspicari merito posset Episcopus, ne responsiones per tres, aut quatuor excogitatæ, ac descriptæ reliquis omnibus traderentur: atque ita fructus universus de medio auferretur, quem sane comparandum putavimus hac nova institutione proposita, quæ aliis quoque diœcesibus communis est. Tunc profecto

(1) *Cap.* 42. (2) *Loco supra citato.* (3) *Loco supra allato.* (4) *Tom.* 1. *sui Formularii tit.* 3. *form.* 15. *n.* 2.
(5) *Cap.* 4. (6) *In Synodo Farfensi c.* 5. (7) *In Synodo anno* 1708. *pag.* 91. (8) *Tom.* 4. *suor. operum pag.* 259.
(9) *Pag.* 240. *edit. Rom.*

fecto Episcopus, ut certum rei experimentum faceret, aliquo per sortes nominato, auditoque de more, ad alios nominandos progredi deberet, ut quid de suo Clero judicandum sit aperte dignosceret. Hanc de Clero nostro suspicionem concipere nullo modo possumus; ideoque experimentum ejusmodi minime adhibendum confidimus.

## INSTITUTIO XXXIII.

*Cujusnam Parochi in matrimoniis contrahendis præsentia requiratur. Vana, & irrita esse matrimonia, quibus neque Parochus, neque testes intersunt. Parochum proprium eum nuncupari, in cujus Parochia matrimonium initur. Parocho domicilii, non autem originis, titulum proprii Parochi esse tribuendum. Non appellari proprium Parochum eum, in cujus ditione aliquis obtinet sedem ruralem. Irritum esse illius matrimonium, qui locum deserit, ubi moratur, domicilio tamen non dimisso, & in alium locum proficiscitur, ubi nullo contracto domicilio matrimonium celebrat. Quisnam sit proprius vagantium hominum Parochus. Quisnam judicetur proprius illorum Parochus, qui peculiari aliquo nomine ad hanc Civitatem incolendam veniunt. De Parocho proprio ad perficienda eorum matrimonia, qui carceribus detinentur. De matrimoniis, quæ fiunt in Xenodochiis, cum extremam mortis periculum impendet. De matrimoniis, quæ contrahunt Puellæ publicis hujus Civitatis hospitiis, seu Conservatoriis inclusæ. De aliis matrimoniis Puellarum, quæ in septis Monialium educantur. Postremo de iis, quæ fiunt a servis Dominorum ædes habitantibus.*

I. ILlicita semper habita sunt ea matrimonia, quæ coram Sacerdote, seu Parocho, uti jus Pontificium indicit, minime contrahuntur. Ita profecto in canone *Aliter*: canone *Nullus*; & canone *Nostrates* (1) aperte continetur: verum post Tridentinam Synodum irrita prorsus, atque invalida in illis locis judicantur, ubi super hac re Decretum promulgatum fuit, nisi Parochus interfit, aut alius Sacerdos qui ad hoc munus obeundum facultatem ab eodem Parocho, sive ab Episcopo consequutus fuerit. Insuper necesse est, ut præter Sacerdotem duo quoque testes, aut plures conveniant, dum matrimonium celebratur (2). Spondanus autem (3), & Cardinalis Pallavicinus (4) fuse commemorant gravissimas disputationes, quibus Concilii Patres tandem adducti fuerunt, ut decretum ejusmodi conficerent.

II. Ut paucis expediamus doctrinam, quæ ejusdem Decreti causa prolata fuit, nullo pacto Sacramenti materiam, ac formam immutatas fuisse constat; nam materia in tradendis mutuo, ac legitime corporibus per verba, aut nutus ad explicandum intimum consensum accommodatos, collocata semper fuit; forma vero in excipiendis mutuo, ac legitime corporibus per contrahentes designatur. Cum igitur Tridentina Synodus nec legitimum pactum, nec legitime tradi, & excipi corpora judicaverit, nisi quando matrimonium contrahitur, Parochus cum duobus, aut tribus testibus assistat, hinc sacramenti materiam, ac formam nequaquam mutari certissimum est, quæ, ut supra diximus, in tradendis, excipiendisque mutuo, ac legitime corporibus semper continetur.

III. Sacra Synodus eo Decreto præcipit, ut ille solum Parochus interfit, cui matrimonium ineuntes subjiciuntur; quis porro intelligendus sit, Concilii Patres minime declararunt. Hinc super hac re innumeræ prope disceptationes, quarum pleni sunt libri, excitatæ fuerunt. In hac etiam civitate, ac diœcesi plurima dissidia non semel ob hanc causam contigerunt. Itaque muneris nostri partes duximus normam aliquam tradere ex actis Sacræ Concilii Congregationis desumptam, cui soli Tridentinam Synodum explicandi facultas conceditur. Siquidem miramur non diversas modo Scriptorum opiniones, sed eo præsertim illos devenisse, ut Sacræ Congregationis Decreta pro tuendis privatis sententiis, vel effingant, vel male interpretentur; quod sane non consulto, ac temere fecisse putandum est, neque ob tenuitatem ingenii, sed quod actis Sacræ Congregationis evolvere minime potuerunt, ex quibus ipsius sententias, illorumque causas liquido cognoscerent. Hinc veluti divinantes ad scribendum de iis rebus accesserunt.

IV. Ut clarius id agatur in duas quasi classes res dividetur: Primum afferemus, quæ per Sacram Congregationem constituta fuerunt, & quæ etiam ab universis fere Auctoribus probantur: Secundo peculiaria quædam addentur, quæ veluti normam in hac civitate, ac diœcesi observanda præcipimus, ut dissensiones omnes, si fieri poterit, de medio auferantur.

V. Primum omnium Sacra Congregatio ab anno 1573. hoc decretum edidit, ut, quis sit proprius Parochus, explanaret (5): *Cum Concilium Tridentinum inter cætera præcipiat, matrimonia esse contrahenda, præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, sive Ordinarii licentia, quæritur, qui, si contrahentes sint diversarum Parochiarum, utriusque Parochi præsentia requiratur, Sponsine, an Sponsæ, an vero utriusque, an etiam alterius Parochi consensus accedere debeat. Sacra &c. censuit, ad validitatem matrimonii sufficere præsentiam solius Parochi proprii Sponsæ, quando matrimonium in Parochia Sponsæ contrahitur, similiter sufficere præsentiam solius Parochi Sponsi, si modo matrimonium contrahitur in Parochia ipsius Sponsi.*

VI. Deinde, cum de matrimonio agitur, proprium eum Parochum nuncupandum censuit, in cujus Parochia domicilium positum habetur, non vero illum, in cujus Parochia vitæ primordia suscepimus. Cum Ordines rite conferri possint per Episcopum non domicilii modo, sed etiam originis, ideo ad inquirendum locus oblatus fuit, utrum idem ratione Parochi in celebrandis matrimoniis statuendum videretur. Attamen ex ipsis Concilii verbis Parochus domicilii satis aperte deprehenditur, & sacri Canones, cum iisdem verbis Parochum quoque originis complecti voluerunt, id expresse declararunt, quemadmodum contigit, cum de sacra Ordinatione sermo haberetur. His veluti fundamentis innititur unanimis Scriptorum opinio, ob quam is proprius Parochus pro celebrandis matrimoniis judicatur, in cujus ditione domicilium constituitur (6). Sacra Concilii Congregatio hanc opinionem pariter sequuta est, cum die 18. Novembris anno 1702. *Mutinensis* causa matrimonii proposita fuisset (7), in qua Cardinalis Bandinus Panciaticus ejusdem Congregationis Præfectus suo præsertim suffragio, opinionem, quam modo exposuimus, magno studio, sapienterque tutatus est, eamque unice probandam affirmavit. His quoque rationibus adducti plurimi Scriptores, cum, qui duo habet in diversis Parochiis domicilia, matrimonium rite coram illo Parocho inire posse fatentur, in cujus potestate tunc degit, cum matrimonium contrahitur (8). Illud tamen advertunt tunc solum duobus domiciliis instructum aliquem jure appellari, cum in utroque æqualiter collocatus prudentium virorum judicio existimetur; quod etiam juris Pontificii auctoritate probatur: *Cum ab eo, qui duo habet domicilia, se collocans æqualiter in utroque &c.* (9). *Viris prudentibus placuit, in duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideo minus apud alteros se locasse videatur.*

VII. Tertio, si quis rei familiaris, aut rusticationis causa in agrum concedat, nunquam proprius Parochus is nuncupari poterit, in cujus ditione rurale domicilium situm est. Qui enim ob eas causas ruri vitam degere constituit, nullam domicilii, seu quasi domicilii rationem consequitur. Pontius (10) rurali Parocho, si matrimonium agendum sit, proprii Parochi nomen apte convenire arbitratur, eamque sententiam Sacræ Concilii Congregationi attribuit, quæ Romanæ Rotæ judiciis contrarium statuentibus anteferenda est. Eamdem opinionem Leander inconsulto amplectitur (11): contra illos tamen reliqui fere omnes conveniunt (12). Et quoniam de Sac. Congregationis Concilii Decretis mentionem faciunt, nos in medium illa proferemus, quæ ab actis ejusdem Congregationis desumpsimus, cum Secretarii munere fungeremur; non ea profecto a quibuldam

(1) 30. *quæst.* 5. (2) *Cap.* 1. *sess.* 24. *de reformatione matrimonii.* (3) *In continuat. Annal. Card. Baron. an. Chr.* 1563. *n.* 39. (4) *In hist. Conc. Trident. lib.* 23. *in variis capitibus ejusdem.* (5) *Lib.* 1. *Decretorum pag.* 125. *a tergo.*

(6) *Sanchez de Matrimonio lib.* 3. *qu.* 23. *num.* 7., *Perez de Matrimonio disput.* 40. *sect.* 2. *num.* 1., *Pont. de Matrimonio lib.* 5. *cap.* 13. *n.* 1. *num.* 2. (7) *Salmanticens. in Cursu Morali tom.* 2. *tract.* 9. *de Matrimonio cap.* 8. *punct.* 3. *num.* 25., *Barbosa de Parochis cap.* 21. *sub. num.* 36. *lib.* 2., *Schmalzgrueber. lib.* 4. *Decretal. tit.* 3. *de Clandestina desponsi. §.* 3. *num.* 144., *Lib.* 52. *Decretor. pag.* 403. (8) *Clericatus decis.* 35. *num.* 19., *Leander Oper. Moral. tom.* 1. *tract.* 9. *disp.* 7. *quæst.* 18. & 19. *Barbosa, cap.* 1. *sess.* 24. *num.* 15., *Cardinalis de Lugo inter Responsa Moralia lib.* 1. *dub.* 37. *num.* 3. & *seqq.*, *Rosignol. de Matrimonio part.* 1. *tom.* 6. *contract.* 5. *prænot.* 24. *num.* 3. & 4. *Cap.* 2. *de Sepulturis in sexto.* (9) *In L. Assumptio §. Viris prudentibus ff. ad municipalem.* (10) *Loco supra allato.* (11) *In Operibus Moralib. tom.* 1. *tract.* 6. *disput.* 7. *de consensu clandestin. quæst.* 20. (12) *Barbosa cap.* 1. *sess.* 24. *de reform. Matrimon. num.* 16., *Sporer. in Theologia morali cap.* 4. *num.* 360., *Clericatus de Sacram. Matrimon. dec.* 35. *num.* 14., *Schmalzgrueber loco cit. num.* 148.

dam Scriptoribus edita, qui Sacræ Congregationis acta nunquam inspexerunt: *Sacra &c. inhærendo declarationibus aliàs factis, respondit. Parochum ruralem non esse proprium, & verum Parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram hujusmodi Parocho celebrari non posse. Partibus tamen datur declarationes antiquæ, scilicet:*

*In una Florentina Sacra &c. censuit, quod Parochus ruralis non est verus Parochus, quando rus itur causa recreationis vel pro rusticanis negotiis.*

*In Florentina similiter respondit, Parochum ruralem non esse proprium Parochum, ideoque matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum.*

*In una Abulen. Sacra &c. censuit, non valere matrimonium contractum coram Parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi. Die 1. Decembris 1640. lib. 16. Decretorum pag. 470. a tergo, & pag. 471.*

VIII. Quarto, si quis domicilium suum minime relinquens ex civitate, vel oppido, in quo degit, in alium locum proficiscatur, ibique matrimonium ineat, quin antea domicilium sibi, vel quasi domicilium comparaverit, illud omnino irritum, quia cum fraude in proprium Parochum conjungitur. Scriptores unanimes in hac re consentiunt, quos Clericatus recenset (1). Idem statuit Sac. Concilii Congregatio die 22. Februarii anno 1631. (2): *Sacra &c. censuit dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti: vir, & mulier a loco suæ habitationis absque animo illam relinquendi discedentes, & ad locum alterius Parochiæ solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi se transferentes, ibi coram Parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatur per Sacram Congregationem declarari, an hujusmodi matrimonium sit nullum, vel validum. Die 22. Februarii 1631. Sacra &c. secundum ea, quæ proponuntur censuit esse nullum.* Nobis autem Secretarium agentibus, cum die 13. Julii anno 1725. hæc in Sacra Congregatione proposita essent: *Controversia constituenda videtur in hoc, quod Antonius, qui est Civis Lauretanus, quique captus amore Annæ Margaritæ, modo ad Urbem Maceratensem, modo ad Montem Sanctum pervexerat, & paucis diebus in illis versatus fuerat, spatio tandem duorum mensium una cum dicta Anna Margarita habitavit in loco Montis Casarii, a quo post Parochi admonitionem de contrahendo cum Margarita matrimonio, & prævisas difficultates de probando statu libero ejusdem, cum ex improviso discesserit, & una cum duobus testibus accesserit ad terram Montis Luponi, & coram Parocho hujus loci doctrinam Christianam pueros edocente matrimonium ex improviso contraxerit, & statim reversus fuerit ad terram Montis Casarii &c. ex his inferri posse videtur ad nullitatem matrimonii:* Deinde, cum peteretur: *An matrimonium sit nullum in casu:* Sacra Congregatio respondit: *affirmative.*

IX. Non inficiamur eamdem Congregationem juxta Consilium 134. Friderici de Senis, qui proprium Parochum eum censuit, in cujus Parochia quis degit, non ubi certum, ac stabile habet domicilium, non semel decrevisse valida illorum matrimonia, qui ad evitandas cum parentibus altercationes ex Parochia domicilii in alium locum demigrantes, ibi matrimonium contraxerunt; ita Fagnanus commemorat (3). Advertendum tamen est matrimonium hoc pacto ineuntes, antequam rem perficerent, domicilium in eo loco, vel quasi domicilium assequutos fuisse. Nam diu morati ibidem ante matrimonium fuerant, neque inde postea decesserunt, ut primam sedem, ac domicilium repeterent, quemadmodum Clericatus recte perpendit (4). Ob hanc causam Sacra Congregatio, cum nos ipsi Secretarii titulum haberemus, quoddam matrimonium validum probavit (5); licet per duos Cæsenæ incolas contractum, qui ut parentum se molestiis eriperent, illud Forolivii celebrarunt, cum puella ante discessum palam fecisset, se domicilium in illa civitate deligere, ubi materna avia vitam ducebat, quam tutricem, suique curatricem prædicabat. Insuper Urbanus VIII. suis Apostolicis litteris, quæ monumentis Cardinalis de Lugo (6), & Patris la Croix (7) insertæ sunt, has Sacræ Concilii Congregationis sententias die 14. Augusti anno 1627. confirmavit: *Primo, an incolæ tam masculi, quam feminæ loci in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine Parocho, & testibus contrahere? Secundo, quid, si eo prædicti incolæ tam masculi, quam feminæ solo animo sine Parocho, & testibus contrahendi se trasferant habitationem non mutantes? Tertio, quid, si iidem incolæ tam masculi, quam feminæ eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque Parocho, & testibus contrahant? Iidem Cardinales ad primum, & secundum, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, ac transeuntes cum fraude: ad tertium vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum, responderunt, & resolverunt.* Igitur matrimonium primo, & secundo loco expositum irritum decernitur, cum fraus intercesserit; matrimonium tertio loco allatum etiam cum fraude validum declaratur, quia novum quoque domicilium accesserat.

X. Sed jam deveniamus ad secundam partem, qua certam normam huic nostræ civitati, ac diœcesi statuere proposuimus, ut super ejusmodi rebus aditus controversiis omnibus præcludatur. Primum, evenit aliquando, quod vagi matrimonium inire contendant: Ipsorum autem Parochus is dicitur, in quorum ditione versantur (8); quod pariter asserendum est, licet alter solum ex illis, qui conjugium petunt, vagantium numero adscribatur (9). Attamen peregrinus, & vagus sine ullo discrimine non semel confunduntur: vagus ille appellandus est, qui relicto suo domicilio sedem in exteris terris inquirit, ut ex jure deprehenditur (10): *Puto autem, & hoc procedere posse, si quis, domicilio relicto, naviget, vel iter faciens quærat, qui se conferat, atque ubi consistant; nam hunc puto, sine domicilio esse.* Peregrinus autem is nuncupatur, qui ea voluntate iter facit, ut ad pristinum domicilium exacta peregrinatione revertatur (11). Ob has potissimum causas, ob gravia quoque dissidia, quæ ex matrimoniis errantium Ægyptiorum, ac militum plerumque dimanant, Parochis omnibus indicimus, quod a Tridentina Synodo his verbis sancitum fuit (12): *Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, &, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

XI. Secundo contingit, ut plurimi studiorum causa in hanc urbem confluant, vel etiam, ut juventuti facultatem aliquam tradant, vel aliquod artificium exerceant, sive ut opulentis civibus inserviant, vel aliquo alio munere detineantur. Innocentius XII. iis litteris, quæ incipiunt: *Speculatores*, domicilii rationem illis minime convenire, neque ad Ordines admitti posse decernit, qui relicto paterno solo alium sibi ad habitandum locum deligunt, nisi per decem annos in eo commorentur, bonorum partem in ipsum transferant, sedemque stabilem ibi defigere velle fateantur, idque jurejurando confirment. Hæc tamen pro illis solum præscribuntur, qui Ordines consequi volunt; nullum tamen reliquis Sacramentis administrandis impedimentum afferunt. Siquidem, ut Paschatis præcepto quis satisfaciat, ejusmodi conditiones necessariæ non sunt, quod etiam ratione matrimonii constituendum videtur. Prætores enim ex unanimi Scriptorum sententia, Judices, Medici, facultatis alicujus Professores, discipuli, famulique, licet exteri, rite matrimonium contrahunt, si Parochus adsit ejus loci, ubi degunt. Quippe, si per aliquod temporis spatium in eodem loco versentur, domicilium, vel quasi domicilium, quod satis est ad matrimonium perficiendum, sibi conciliant (13). Item, cum in Sacra Concilii Congregatione plurima ad inquirendum proposita essent, ac præsertim quarto, & quinto loco his verbis peteretur (14): *Quarto, an valeat matrimonium contractum co-*

(1) *In allata decis. 35. n. 18.* (2) *In Roman. causa lib. Decret. 14. p. 390. a tergo.* (3) *Cap. significavit, num. 35. & segq. de Paroch.* (4) *In decisione supra allata num. 19.* (5) *In causa Matrim. Cæsenat. die 22. Febr. anno 1723.*

(6) *Loco allato dub. 36. num. 4.* (7) *Lib. 6. part. 3. de Matrim. sub num. 710.* (8) *Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 25. num. 11., Barbosa de offic. & potest. Parochi part. 2. cap. 21. num. 89., Cabassut. in Theor. & Prax. Jur. Canon. lib. 3. cap. 26. num. 4. Pirhing. ad lib. 4. Decretal. tit. de Clandest. desponsat. num. 19. Sanchez loco citato n. 14. & 15.* (9) *Barbosa ad Concil. sess. 24. de reformatione Matrim. cap. 7.* (10) *L. ejus §. Celsus ff. ad municipalem.* (11) *Rossignol. de Matrim. part. 1. tom. 7. contract. 15. prænot. 22. num. 4.* (12) *Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 7.* (13) *Sanchez de Matrim. l. 3. disp. 23. n. 13.* (14) *La Croix de Matrim. lib. 6. part. 3. num. 722. De Justis de dispensat. matrimonialibus lib. 2. cap. 19. n. 55. Barbosa ad sess. 24. de reformat. Matrim. cap. 1. num. 10. Clericat. cit. decis. 35. de Matrim. num. 17., Schmalzgrueber lib. 4. Decretal. tit. de clandestina desponsat. n. 149. Pirhing. ad eumdem tit. §. 3. num. 19. Engel. ad eumdem tit. num. 12. Anaclet. ad eumdem tit. §. 2. num. 71., Salmanticens. in Cursu morali tom. 2. tract. 9. de Matrim. cap. 9. punct. 3. a num. 28. 32. In causa Avilen.*

*coram Parocho illius loci, ubi contrahentes reperiuntur, non animo ibi domicilium constituendi, sed recreationis causa? Quinto, & quid, si contrahens ibi moretur tanquam Prætor, Judex, seu Medicus temporalis?* Sacra Congregatio hoc facto respondit: *ad quartum non valere, ad quintum valere*: Ita Garzias commemorat, qui eamdem sanctionem certo, firmoque documento se habere testatur (1).

XII. Tertio, accidere potest, ut carceribus detenti, qui ad Cardinalem Legatum, vel ad nos ipsos pertinent, matrimonium poscant. Superiori tempore, ut accepimus, res peracta fuit coram Parocho, in cujus ditione carceres positi sunt. Nos profecto in examen revocare nolumus, quæ jam diuturnitate temporis invaluerunt: Nam, ut jam inita matrimonia rata firmaque sint, sufficit, si eadem minime ignoraverit, immo pertulerit, atque ideo permiserit is, qui eo tempore sapienter hanc Ecclesiam administrabat, quemadmodum Tridentinum Concilium his verbis asseruit (2): *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia &c.* Duobus, ac sane diversis modis carceribus inclusi tenentur. Aliqui perpetuo, vel ad certum tempus, non quidem pro custodia, sed pro pœna in carcerem conjiciuntur, quorum Parochus is dicitur, in cujus Parochia carceres collocantur: *Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet* (3). Alii vero pro custodia solum in carcerem detruduntur, donec ipsorum Judicis sententia cognoscatur. Horum Parochus is judicandus est, ubi domicilium situm habent, non autem Parochus, ubi carceres positi sunt; cum ipsi nihil magis expetant, quam ut dissolutis vinculis paternas ædes revisant. Cum hæc ita sint in celebrandis ejusmodi matrimoniis proprius Parochus accersendus est, sicuti modo exposuimus. Accedit Sac. Concilii Congregationis Decretum die 26. Maji anno 1707. in causa Farsensi matrimonii promulgatum insertumque Cleri Romani statutis (4), quod etiam de Justis (5), Monacellus (6), & Jurisperitus Dominicus Ursaya commemorant (7), qui se auctorem allatæ distinctionis merito prædicat, eamque Sacræ Congregationi tradidisse fatetur. Quamobrem illi, qui carceribus perpetuo, vel ad certum tempus includuntur, si matrimonium exposcant, interfit Parochus, cujus Parochiæ carceres subjiciuntur; si qui vero *loco custodiæ* carceribus detinentur, hujus nostri fori administri prius moneantur, ut, si forte in alia Parochia domicilium habeant, diligenter perscrutentur, & si id deprehendant rursus inquirant, utrum aliquæ causæ intercedant, ob quas allata superius norma prætermitti possit, ob facultatem, quæ, ut dictum est, in Episcopos a Tridentina Synodo confertur: ob eamdem rationem prænonendi sumus, si advena incluſus carcere aliquam ex hac civitate, vel diœcesi mulierem in matrimonium deposcat.

XIII. Quarto, in Xenodochiis aliquando matrimonia ineunda sunt ab iis, qui in gravi vitæ periculo versantur, ut æternæ saluti prospiciant. Cum hæc contingunt sive intra, sive extra publica hujusmodi hospitia, temporis spatium non suppetit, ut libera ipsorum conditio dignoscatur, quemadmodum S. Officii Congregatio palam declaravit. Liceat nobis tamen asserere, matrimonium in hoc discrimine perfici posse, licet tradita per *Sanctum Officium* institutio locum habere nequeat; modo tamen ægrotus ad sanitatem restitutus ad uxorem non accedat, priusquam paruerit iis omnibus, quæ a S. Officio præscribuntur. Id per epistolam ab eodem Tribunali datam indicatur, quæ Corradi libris addita fuit (8), eamque in medium profert Monacellus (9). At vero quisnam eligi debeat, quo præsente matrimonia in Xenodochiis peragantur, inter Capellanos, & Parochos, in quorum ditione sita sunt Xenodochia, magno studio contenditur. Itaque præcipimus, ut quoties hæc eveniant, statim nos de more certiores faciant, ut statuamus, qui matrimonio celebrando interfit, ac diligenter caveamus, ut necessarium hujus rei monumentum in actis descriptum conserve-tur.

XIV. Quinto, matrimonia pertractantur cum expositis puellis, quæ in Hospitio Spuriarum detinentur, vel cum aliis puellis, quæ cæteris hujus Urbis Hospitiis includuntur. Si de primis agatur, is Parochus adhibendus est, cujus Parochiæ illud publicum Hospitium subjicitur, idque servandum omnino in posterum decernimus. Id enim non consuetudo solum, sed etiam ratio apertissime poscunt, quam Sacra Congregatio die 11. Aprilis anno 1651. his verbis ostendit (10): *Gubernatores Hospitalis Expositorum Civitatis Eugubinæ asserentes, Sacerdotem ibi in Confessarium deputatum cum approbatione Episcopi hucusque puellis expositis administrasse matrimonia, præviis denunciationibus, in Ecclesia ipsius Hospitalis, supplicant pro declaratione, hujusmodi matrimonia coram eodem Sacerdote celebranda esse, & non coram Rectore Ecclesiæ Parochialis, intra cujus limites dictum Hospitale existit. Sacra &c. censuit matrimonia dictarum puellarum esse celebranda coram proprio Parocho, non autem coram dicto Capellano Hospitalis*: Aliæ vero puellæ, quæ in aliis Hospitiis servantur juxta veterem consuetudinem, quam firmam perpetuamque volumus, matrimonium inibunt coram Parocho, cujus ditioni Hospitium cooptatur: Hospitii enim proventibus aluntur, dotemque accipiunt; ob quam causam paterno domicilio relicto, tamquam ipsius Hospitii filiæ haberi possunt, ex quo si aliquando discedant suos domesticos invisuræ, exiguum tempus his officiis impenditur, nec unquam nisi depositi, ac custodiæ nomine per Hospitii Rectores cuipiam committuntur.

XV. Sexto, de virginum matrimoniis sermo est, quæ in septis Monialium educantur. De illis profecto nulla haberetur controversia, si quivis pareret Decreto Sacræ Congregationis causis Episcoporum, ac Regularium præpositæ, quod Jacobo Cardinali Boncompagno Decessori nostro transmissum his verbis continetur (11): *Expositum fuit in Sacra Congregatione nomine Monialium istius civitatis pravos usus inductos esse contra Regularem disciplinam, & Monialium quietem ob virgines educandas, quæ data fide, & viro jam destinatæ per consanguineos invita per Monasteriis detinentur, Eminentissimi Cardinales juxta Decreta generalia, aliaque super hac re per Sacram Congregationem edita, ac præsertim die 13. Januarii an. 1634, & die quoque 9. Novembris anno 1635., aliisque deinceps temporibus, Eminentiæ Vestræ has litteras scribendas jusserunt, ut virgines omnes, quæ futuras nuptias data fide promiserint, jussu Eminentiæ Vestræ, interposita etiam Sacræ Congregationis auctoritate, ex Monasteriis obeant, licet Ordinario minime subjectis, & ad parentum domos revertantur.* Tunc enim in loco proprii domicilii constitutæ, procul dubio ad matrimonium ineundum Parocho uti debent, cujus ditioni paterna ædes adscita judicabitur.

XVI. Magno studio curabimus, ut, quæ per Sacram Congregationem præscripta sunt, observentur. Cum tamen id aliquando difficile sit, ideo inquiri debet, utrum in matrimonio ejusmodi proprius Parochus is nuncupetur, in cujus Parochia est monasterium, an Parochus, in cujus ditione puellæ domicilium collocatur? Itaque si puella, quæ matrimonii fidem præstitit, in alia Parochia domicilium non habeat, tunc Parochus, quem primo loco nominavimus, puellam in matrimonium conjunget: sin autem paternum, maternum, vel fraternum domicilium habebit, tunc Parochus, cui domicilium idem subjicitur pro conficiendo matrimonio præsens assistet. In utraque vero Parochia, ubi nempe domicilium, & monasterium posita sunt, juxta Ecclesiæ consuetudinem matrimonium antea denunciabitur (12). Hoc discrimen etiam probat P. Girbaldus, qui hujus Metropolitanæ per tot annos Pœnitentiarii munus exercuit, & matrimonium causis examinandis præfectus fuit (13). Non exigui quoque momenti statutum (14) Romani Cleri æstimandum est, quo de juvenibus, qui in Seminariis, & Collegiis educantur, sermo instituitur. Nam si vita decedant in iis locis, pecunia pro funeribus ducendis Parocho domicilii persolvitur, si domicilium habeant; sin minus, is fructus in eum Parochum confertur, in cujus ditione Seminarium, vel Collegium constituitur. Nonnulla huic statuto superaddita sunt, quæ deinde in peculiari Congregatione per Clementem XI. delecta die 11. Januarii anno 1702. unanimi consensu probata, & ipsius Pontificis *oraculo vivæ vocis* confirmata fuerunt. Inter cætera illud præcipitur, ut non solum in juvenum funeribus, qui in Seminario, vel Collegio degunt, sed etiam pro efferendis puellis, quæ in monasteriis educantur, & in matrimoniis ipsarum conficiendis eadem ratio, ac norma servetur: *Non solum in funeralibus, sed etiam in contra-*

(1) *De Beneficiis part. 5. cap. 7. num. 11.* (2) *Sess. 24. de reformat. Matrim. cap. 1.* (3) *L. Filii ff. ad municipalem.* (4) *Cap. 3. de jure eligendi sepulturam §. 9. in addit. vers. carceribus fol. 15.* (5) *De dispensatione matrimon. moderna edit. Lucæ, in adnotationibus num. 5.* (6) *Monacellus in Formulario tom. 2. fol. 16. num. 170. & seqq.* (7) *Ursaya in suis Discept. Ecclesiast. tom. 2. par. 1. discept. 10. num. 33. & seqq.* (8) *In Praxi dispensationum lib. 7. cap. 5. n. 23.* (9) *Tom. 1. pag. 175. num. 2.* (10) *Lib. 19. Decretor. pag. 124. a tergo.* (11) *Die 7. Octobr. anno 1723.* (12) *Clericatus cit. dec. 35. de Matrim. num. 15. & seqq.* (13) *De Sacramentis tract. 10. de Matrim. cap. 7. dub. 3. num. 56. & 57.* (14) *Cap. 3. de jure eligendi sepulturam, atque funerandi §. 9.*

*trahendo matrimonio &c. Publicationes autem matrimoniales fiant tam in Parochia domicilii, quam Collegii, Monasterii, aut Conservatorii, in quo commorantur.*

XVII. Postremo de famulis, & ancillis agendum superest, quæ penes Dominos vitam traducunt, de quibus idem, ac de puellis, quæ in Monasteriis pro educatione servantur, omnino statuendum judicamus. Nam idem Romani Cleri statutum, in quo de funeribus res est, matrimonia simul complectitur, ac de funere servorum hæc decernit (1): *Familiares, & famuli Cardinalium, seu aliorum Principum, ac Prælatorum, necnon aliorum quorumcumque, qui habent domum, & familiam in alia Parochia, ad illam pertinere statuimus, licet apud Dominos infirmentur, & occumbant.*

XVIII. Hanc normam in civitate, ac diœcesi, cum de matrimoniis agitur, omnino servandam jubemus. Pœnæ autem in delinquentes arbitrio nostro statuentur, edictum quoque pro celebrando matrimonio die 31. Martii anno 1732. promulgatum renovamus. Illius vero Decreti, & hujus nostræ institutionis exempla cuilibet sacrario cum in civitate, tum in diœcesi jussu nostro defixa conserventur. Qui id facere prætermiserint, vel ea, quæ in his Decretis continentur, non observaverint, nobis debitas pœnas exsolvent.

## INSTITUTIO XXXIV.

*De Sacro Missæ Sacrificio. Quid agendum sit erga Sacerdotes exteros, & incognitos, qui in hac Civitate, vel Diœcesi Missam celebrare deposcunt; quidve erga Presbyteros, non quidem luminibus captos, sed tantum cœcutientes. De hora, & loco, quibus Sacrificium Missæ indici debet. De Sacris Indumentis, quibus uti debent Sacerdotes ad Altare rem divinam facturi, ac illis, quæ in Sacro agendo prohibentur. De celebratione quarumdam Missarum peculiarium. De pietate, ac religione, quibus Sacrum confici necesse est. Aliqua demum proponuntur circa tempus pro Missæ Sacrificio insumendum.*

I. TRidentina Synodus præcipit Episcopis, ut in Sacrificio Missæ diligenter accurateque omnem irreverentiam impediant, *quæ ab impietate vix sejuncta esse potest* (2).

II. Clemens quoque XI. in iis litteris, quas die 16. Martii ann. 1603. ad universos Episcopos dedit, eamdem rem plurimum his verbis commendavit (3): *Majori super omnem dicendi modum diligentia, ac studio curare debet, ut Missæ Sacrificium, quo nihil sanctius, nihil divinius excogitari potest, per solos Presbyteros celebretur, non tantum ea morum puritate, quæ ipsos decet, qui singulis diebus Deo Patri cœleste holocaustum offerunt unigeniti Filii, qui nostram mortalitatem induit, verum etiam, ut sacras cæremonias in rubricis præscriptas sedulo, pieque observent. Id enim necessario requiretur, ne Sacerdos inter homines, Deumque positus ad ipsius iracundiam sedandam, si negligenter immodesteque suo munere fungatur, Deum magis irritet.*

III. Mens non est de Missæ Sacrificio dissertationem conficere; verum, ut Tridentino Concilio, summoque Pontifici pareamus, quædam indecora de medio tollere constituimus, quæ nos ipsi, dum Sacrificium ejusmodi peragitur, deprehendimus; aut viri pietate insignes in hac civitate, ac diœcesi non semel evenire nobis detulerunt.

### §. I.

*De Sacerdotibus exteris, atque ignotis.*

IV. CHalcedonensis Synodus Decretum edidit, quod jure Canonico pariter continetur (4), ne Sacrum facere illi liceret, qui se Sacerdotem affirmaret, nisi litteras commendatitias Episcopi proferret: *Extraneo Clerico, & Lectori extra Civitatem suam sine commendatitiis litteris proprii Episcopi nusquam penitus liceat ministrare.* Illud cavendum est in græcis exemplaribus non *Lectori*, sed *ignoto* scriptum occurrere, uti Cujacius recte perpendit (5). Eamdem sententiam Tridentina Synodus loco superius allato complectitur: *Deinde, ut irreverentia vitetur, singuli in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missam celebrare liceat.* Insuper alio loco (6) sic habet: *Nullus præterea Clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad Divina celebranda, & Sacramenta ministranda admittatur.* Hæc sane ad Regulares pariter, & seculares Presbyteros referuntur. Siquidem nulli Regulari Sacerdoti permitti debet, ut Missæ Sacrificium celebret sine documentis, quibus ipsius Præses Sacerdotium ab eodem susceptum, nullaque suspensione, aut irregularitate impeditum testetur, quemadmodum Sancti Officii Congregatio decrevit encyclicis suis litteris, quas die 29. Februarii ann. 1649., & die 26. Januarii anno 1692. scripsit, in quibus admonentur Episcopi, Vicarii Generales, ac Foranei, ne facultatem celebrandi Presbyteris advenis impertiantur, sive inter Regularem, sive secularem Clerum adnumerentur: *Nisi litteras Episcopi, ac Præfecti Regularis prius ostendant, quibus Sacerdotes ita probentur, ut nulla falsitatis umbra, vel suspicio relinquatur.* Idem de Regularium Ecclesiis statuendum, qui secularibus Presbyteris concedere nequeunt, ut Sacrum peragant, nisi prius ipsorum commendatitiæ litteræ per Ordinarium cognoscantur, & approbentur. Id sancitum fuit in Sacra Concilii Congregatione die 17. Novembris anno 1594. (7): *An Episcopus loci Ordinarius prohibere possit, ne Regulares in eorum Ecclesiis Sacerdotes seculares exteros divina Officia celebrare permittant, nisi prius ab ipso Episcopo, visis litteris commendatitiis, ipsi Sacerdotes admissi fuerint, Sacra &c. censuit posse.* Nostri quoque Decessores præclara super hac re constituerunt. Itaque juxta commune jus, Tridentinam Synodum, Sacrarum Congregationum, nostrorumque Decessorum edicta (cum reipsa evenerit non quidem impune, in hac Civitate, ac Diœcesi, ut aliquis irregularis, ac suspensus divinum hoc sacrificium celebraverit) præcipimus universis, ad quos spectat, cum in Civitate, tum in Diœcesi, ut documenta, quæ a Sacerdotibus exteris proferantur, diligenter expendant, seduloque invigilent, ne quis ignotus, & advena Sacrum facere audeat, qui necessarias litteras, ac testimonia ab omni suspicione penitus aliena antea non produxerit; ne forte, quod Deus avertat, aliquis Sacerdotii Ordine minime præditus, vel irregularis, ac suspensus ad celebrandum Missæ sacrificium accedat.

### §. II.

*De Presbyteris solum cœcutientibus.*

V. COgnitum est omnibus cœcos etiam sine culpa irregulares esse, quo sane impedimento neminem solvere Apostolica Sedes unquam consuevit. Nonnulli contendunt hanc immunitatem Roberto Scoto Armacano Archiepiscopo in Hibernia collatam fuisse; qui variis Legationibus jussu Pontificis Julii III. pro Sede Apostolica susceptis celebre sibi nomen comparavit (8). Reliqui tamen Scriptores, quibus major fides habenda est, Robertum non oculis captum, sed infirmum fuisse testantur (9). Illud certissimum est, cœcum neque ad primam Tonsuram admitti, ut per illam Beneficia Ecclesiastica consequi possit, quemadmodum post sedulum examen Sacra Concilii Congregatio decrevit. Frequentius tamen contigit, ut plures, qui sanis oculis Ordines acceperunt, deinde lumine oculorum sic debilitentur, ut non omnino cœci, sed cœcutientes, evadant, quibus eadem Sacra Congregatio tribuere solet, ut diebus festis, ac duplicibus votivam in honorem Beatæ Virginis Missam, diebus autem pro festis pro Defunctis celebrent. Multa tamen caventur, atque inter cætera, *quod non sit omnino cœcus, memoriter non recitet.* Illud quoque Episcopis præcipitur, ne quos amisso penitus oculorum lumine ad celebrandum accedere patiantur.

Quare, ut bene omnia contingant, qui privilegium ejusmodi obtinuerint, Sacrum facere non audeant cum in Civitate, tum in Diœcesi, nisi prius nobis, aut Vicario nostro generali idem privilegium ostenderint. Cum deinde privilegii tempus absolutum fuerit, a celebrandis divinis abstineant, nisi cæremoniarum Magister, qui de ipsorum cœcitate judicare debebit, eamdem facultatem prorogandam, vel adimendam censuerit. De iis non agimus, qui post ordinationem luminibus capti, litteras Apostolicas assequuti sunt, ob quas rem divinam facere possunt adhibito alterius Sacerdotis ministerio, licet omni oculorum luce destituantur. Id vero peccato solet accidere. Nam lon-

(1) *Cap.* 4. §. 21. *fol.* 20. (2) *Sess.* 23. *de Sacrificio Missæ, in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ.* (3) §. 9. (4) *Can.* 7. *dist.* 71. (5) *Cap.* 5. *de Clericis non residentibus.* (6) *Sess.* 23. *cap.* 16. *de reform.* (7) *Lib.* 6. *Decretorum pag.* 78. (8) *Majolus de irregul. lib.* 1. *cap.* 20. *sub num.* 2. *Barbosa de Officio Episc. part.* 2. *alleg.* 42. *num.* 38. *Spondanus in continuat. annal. Card. Baronii ad annum* 1546. *num.* 3. (9) *Card. Pallavicinus in histor. Conc. Trident. lib.* 6. *cap.* 5. *sub fin.*

longo temporis ſpatio, quo in Sacræ Concilii Congregationis Secretarii munus exercuimus, Parocho Florentino id unice permiſſum fuit, qui ad extremam paupertatem redactus ita fuerat, ut ipſi nihil aliud pro vita ſuſtendanda, niſi Miſſæ ſtipendium ſupereſſet. Inſuper Florentinus Archiepiſcopus ipſum in Sacrificio peragendo diligentiſſimum teſtabatur, nullamque fore ſuſpicionem, ne aliquid contra ipſius Sacrificii dignitatem committeretur; peritum id fuit die 2. Auguſti anno 1727., reſponſumque his verbis die 23. Auguſti ejuſdem anni: *Pro gratia, cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis.*

## §. III.

*De hora, ac de loco celebrandi.*

VI. DE hora Sacrum faciendi nihil addendum videtur iis, quæ Inſtitutione XIII. continentur, quæ poſt Kalendarium exciditur. In ipſa enim juris Pontificii, & Rubricarum auctoritate ſancitum fuit, Miſſis celebrandis initium fieri non poſſe, niſi ante auroram tertia pars horæ jam defluxerit, finemque ipſis poſt meridiem tertia quoque horæ parte jam emenſa ſtatuendum eſſe. Quare Magnates ſolum, qui privato Sacello in ſuis ædibus utuntur, admonebimus, horarum legem, quam modo explicavimus, ipſis omnino obſervandam. Paupertate, ac patientia domeſtici Sacerdotis minime abutantur, ita ut paratus jam ad Sacrificium diu expectare debeat, & ipſum quoque conficere, cum tempus ad rem divinam agendam conſtitutum præterierit. Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus id vehementer improbavit, cum ad Bernardum Coepiſcopum *de Privilegio, & Jure Sacerdotum* ſcriberet: *Increbuit conſuetudo impia, ut pene nullus inveniatur anhelans, & quantulumcumque proficiens ad honores, & gloriam temporalem, qui non domeſticum habeat Sacerdotem, non cui obediat, ſed a quo inceſſanter exigat licitam ſimul, atque illicitam obedientiam non ſolum in divinis officiis, verum etiam in humanis.* Id quoque indignum adeo viſum fuit, ut in Galliæ Regum edictis vetitum Franciſcus Amatus Pouget (1), & Boquillot (2) fateantur.

VII. Ut ad locum, ubi Sacrum fieri debet, veniamus, Deceſſorum noſtrorum edicta renovamus, quibus cavetur, ne ullus Sacerdos Regularis in Eccleſiis Monialium, quæ noſtræ curæ ſubjectæ ſunt, rem divinam faciat; quod Presbyteris ſecularibus etiam interdicitur in Eccleſiis Monialium, quæ in Regularium poteſtate collocantur. Id etiam in ſecundo Concilio Provinciali, quod Sanctus Carolus Borromæus Mediolani coegit (3), ſancitum his verbis fuit: *Ne in Monialium Eccleſiis, ac ne iis quidem, quæ Epiſcopi curæ ſubjectæ non ſunt, ſeculari cuiquam Sacerdoti, etiamſi ubique celebrandi facultas generatim, niſi a Sede Apoſtolica ei data eſſet, Miſſæ Sacrum facere liceat, præterquam cui nominatim id ab Epiſcopo conceſſum eſt. Qui contra admiſerit, a Miſſæ celebratione ſuſpenſus ſit ejuſdem arbitratu.* Quoniam vero in iiſdem Monialium templis Altaria quædam privilegiata per Sedem Apoſtolicam his verbis aliquando declarantur: *Ut quandocumque ad dictum Altare per quemcumque Sacerdotem ſecularem, vel Regularem Miſſa celebrata fuerit*, hinc ſine ulla Epiſcopi facultate ad illa Altaria Sacrum confici poſſe nonnulli contendebant; ſed Sacra Rituum Congregatio ad Regulares, & ſeculares Presbyteros ea verba referenda explicavit, quibus jam per Epiſcopum in illis Eccleſiis Miſſam celebrare permitteretur (4).

VIII. In privatis, ac domeſticis Sacellis aliquid contra inſtituta commiſſum non ignoramus. Nam Regulares aliqui duas Miſſas celebrarunt, cum per litteras Apoſtolicas una tantummodo tribueretur; vel ſi juſſa Pontificum fecerunt, celebrare tamen auſi ſunt, iis abſentibus, quorum gratiæ privilegium datum fuit. Tandem ad Altare poſt meridiem non ſemel acceſſerunt, & iis quoque diebus, quibus Sacra in privatis Sacellis interdicuntur, quemadmodum ex Sacrarum Congregationum (5), & Synodorum Decretis aperte deprehenditur.

IX. Id quidem non conſulto, vel ob contemptum accidiſſe putamus, ſed ob quædam peculiaria privilegia, quibus tamen uti minime deberent, antequam vel ipſi per ſe, vel per alium perpenderint, utrum ejuſmodi privilegia conceſſa unquam fuerint, & an poſteriori tempore abrogata, quod ſane opportunum, ac neceſſarium videtur.

X. Cum hæc ita ſint, ut omnis in poſterum falſa ſpecie dimoveatur, ſingulis notum facimus aras portatiles, quæ permiſſæ antea fuerant, Concilii Tridentini Decreto (6) ſublatas penitus fuiſſe, quod etiam Sacra Congregatio, unica ejuſdem interpres, non ſemel abjudicavit. Sciant univerſi illa, quæ ſuperius memoravimus, contra inſtituta ab ipſis temere perpetrata eſſe; quæ ſi in poſterum contingent, cenſuris etiam punientur. Clementis XI. Decretum ſubjicimus die 15. Decembris anno 1703. promulgatum, ne quis ſine ullo conſilio hæc a nobis conſtitui arbitretur: *Ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aut inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcumque Ordinis Militaris, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus, etiam ſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Chriſti Domini, aliiſque anni feſtis ſolemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis: in reliquis vero diebus prædictis Regularibus, & Sacerdotibus quibuſcumque etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, uti etiam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, fuerit celebrata, ſuper quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optime informare; atque illa etiam in caſibus præmiſſis, celebrari nequeat poſt meridiem: demandando ulterius, & declarando, in omnibus hujuſmodi caſibus perſonas quaſcumque dictas Miſſas audientes nullatenus præcepto Eccleſiæ ſatisfacere. Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus ſupradictis, cenſuit licentias, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus* in cap. in his de privilegiis, *& per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata in locis, in quibus degunt, omnino revocata eſſe per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eoſdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præſentis tenore mandat, Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorum, ut contra quoſcumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Concilium in Decreto* ſeſſ. 22. cap. unico *uſque ad Cenſuras latæ ſententiæ, tributa etiam iiſdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde ac ſi per Sanctam Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet: & ita Sanctitas ſua declarat, & ſervari mandat.*

XI. Poſtremo, cum inter ſcriptores ea diſputatio verſetur, an Sacramenta in privatis Sacellis accipere poſſint, qui nominantur in litteris Apoſtolicis, quibus eadem Sacella in domeſticis ædibus permittuntur, ideo monendos ſingulos ducimus, Pœnitentiæ Sacramentum in Sacellis ejuſmodi adminiſtrari non poſſe. Nam in Rituali ita præſcribitur (7): *In Eccleſia, non autem in privatis ædibus Confeſſiones audiat, niſi ex cauſa rationabili, quæ cum inciderit, ſtudeat tamen id decenti, ac patenti loco præſtare.* De Euchariſtia ſolum agitur, ad quam non modo ſpirituali affectu, ſed re ipſa percipiendam Tridentina Synodus fideles hortatur, cum Miſſæ Sacrificio præſentes aſſiſtunt (8): *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Clericatus affirmantium partes fuſe tuetur (9). Reliqui vero neceſſariam Epiſcopi facultatem pro re gerenda contendunt, ſive Regularis, ſive ſecularis Sacerdos Sacrum Deo conficiat (10).

XII. Hanc ſententiam, ac normam in Urbe ſervari nos ipſi teſtamur, qui juſſu Sacræ Congregationis Concilii, cujus Secretarium agebamus, Innocentium XIII. adivimus, ut facultatem percipiendæ Euchariſtiæ in privato domus Sacello, quod Apoſtolico beneficio de more conceſſum fuerat, nobili Matronæ ipſe Pontifex impertiret, quæ ob infirmam valetudinem ad Eccleſiam ſe conferre non poterat. Verum præclariſſimus Pontifex eamdem facultatem tradere recuſavit, niſi cum morbo Matrona detineretur, juxta Medicorum teſtimonia, quæ ipſorum jurejurando firmari, & diligenter examinari præcepit. Quare, ne publica templa ad illos tantum pertinere videantur, qui privatis Sacellis carent, ob alias item cauſas, jubemus, ne in Sacellis ejuſmodi, quamvis ſacrum fieri liceat, Euchariſtiæ Sacramentum per Regularem, aut Secularem Presbyterum adminiſtretur, niſi prius per Nos, aut Vicarium noſtrum Generalem id permittatur.

§. IV.

(1) *In inſtitutionibus Catholicis tom. 3. pag. 819.* (2) *In tract. hiſtorico de Liturgia lib. 2. cap. 6.* (3) *Tit. 2. Decret. 3.* (4) *Clericatus in unione Decretorum poſita ante ſuas deciſiones de Sacrif. Miſſæ num. 45.* (5) *Gavant. tom. 1. lib. 1. tit. 20. litt. F. verbo Sciendum. Giribaldus de Sacram., tract. 5. c. 8. §. 7. num. 36. & 37.* (6) *Seſſ. 22. cap. unico.* (7) *Tit. de Sacramento Pœnitentiæ.* (8) *Seſſ. 22. cap. 6. de Sacrif. Miſſæ.* (9) *In deciſ. de Sacram. Euchariſtiæ deciſ. 7. ad menſem Febr. cap. 1. a. n. 54. uſq. ad fin.* (10) *Quartus ad Rubric. Miſſal. part. 3. tit. 10. dub. 10. pag. 600. Diana in edit. coordinata t. 5. tract. 2. reſol. 44. & 45. Giribaldus de Sacram. Pœnit. tract. 5. cap. 8. §. 8. n. 47.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

## §. IV.

*De Vestibus, quibus uti debeant Sacerdotes, cum ad Ecclesiam pro Missæ Sacrificio celebrando se conferunt; ac de usu multarum rerum, quæ in Missæ celebratione prohibentur.*

XIII. IN alia nostra Institutione juxta plurima Decessorum nostrorum edicta præcipimus singulis Sacerdotibus, quocumque gradu, aut conditione præditis, ne Sacrum facturi ad Ecclesiam sine veste talari accederent, neque Sacrarium ingrederentur. Togam quoque, vel clamydem, quæ in Sacratiis præsto sunt, ab illis adhiberi vetuimus. Nunc idem Decretum renovamus, & quas in eo pœnas indiximus, sane infligemus, si quis parere recusaverit. Institutione Sancti Caroli, cum agitur de externo corporis habitu, quem Sacerdotes præseferre debent, hæc traduntur (1): *Vestibus non sordidis, aut inquinatis, nec dilaceratis, sed mundis, & ad talos usque descendentibus, Ordinique suo juxta Provincialia nostra Decreta congruentibus induatur.* Profecto quis animo non commoveatur, cum videat Sacerdotes togam sumere, ut viros principes alloquantur, qui sane hominis conditionem non superant, grave autem, ac molestum ducere eamdem vestem superinduere, cum domo egrediuntur, ut tremendum Deo Sacrificium offerant, Divinumque Verbum in terras e cœlo deducant? Inter cæteras pœnas, quæ eodem Decreto continentur, & quæ nunc iterum proponuntur, suspensionem minati sumus cum Presbyteris celebrantibus, tum Sacrari Præfectis, qui tam divinum Sacrificium celebrari permittant sine talari veste, quæ *ad ipsum* Sacerdotem, non autem ad Sacrarium pertineat. Si custos inter Clericos non adnumeretur, munere suo spoliandum ediximus. Hoc quoque tempore, quo Pastoralem visitationem prosequimur, nonnullos Sacerdotes ruri degentes, vel ex Urbe in agrum migrantes sacrum conficere accepimus in Ecclesia, sive in publicis, aut privatis sacellis brevi indutos veste, quæ cineritium, aut cæruleum, seu violaceum colorem præseferat. Itaque sub eadem suspensionis pœna nullus in tota hac diœcesi Sacerdos sine collari, quod Presbyteris convenit, ac sine veste nigri coloris Missæ Sacrificium peragat. Nullus item custos ad Sacrum faciendum quempiam admittat, qui his Sacerdotum insignibus careat; aliter eamdem suspensionis pœnam subibit; aut alias, si Clericus non sit, arbitrio nostro statuendas. Nam licet vestis, uti fert proverbium, Monachum haud efficiat, nec vitæ integritas in externo habitu posita sit; cum tamen Ecclesia de Clericorum indumentis sedulam curam semper ostenderit, *ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant* (2); hinc colorem nigrum Ecclesiasticis aptissime convenire nemo dubitet: *In omni vestitu* (ita in Mediolanensi primo Concilio per Sanctum Carolum Borromæum coacto decernitur) *color tantum niger adhibeatur, nisi fortasse alium colorem requirat dignitatis gradus*; eruditus quoque Thomassinus (3) ita scriptum reliquit: *Post Synodos Tridentinam, & Mediolanenses, rata prohibitio rubei coloris, viridisque, quod absolutissime jam & præciperetur nigra vestis, & in mores induceretur.*

XIV. In Synodo postremi Decessoris nostri de comis fictis agitur, de quibus nihil novi decernendum existimamus. Singulos tantum monemus, in Civitate, aut Diœcesi cum hisce capillis adscititiis, seu cum pileolo ad celebrandum accedant, nisi privilegium, quod per solum Pontificem conceditur, super hac re consequuti antea fuerint. Usus quidem pileoli legitimas ob causas tribuitur, comæ vero fictæ nusquam permittuntur. Id semel præclarissimo Cardinali per Litteras Apostolicas concessum meminimus. In Canone *Nullus de Consecratione distin. prima*, hæc leguntur: *Nullus Episcopus, Presbyter, Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei assistere, quoniam & Apostolus prohibet, viros velato capite orare in Ecclesia, & qui temere præsumpserit, communione privetur*: ex his comæ fictæ, ac pileolus, ut Petrus Le-Brun sapienter expendit, in celebrando Missæ sacrificio prohibentur (4). In Missali Romano jussu Urbani VIII. ad meliorem formam redacto Decretum ejusmodi continetur: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missæ sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine.* Nonnulli sane Scriptores hæc ignorantes, vel dissimulantes, eam facultatem in Episcopum libere conferunt, ut comas fictas in sacro faciendo permittere possit, si necessaria causa adducatur, & eædem comæ ad modestiam ita compositæ sint, ut naturales capilli videantur (5). Nunquam tamen hanc sententiam Apostolica Sedes probavit. Nam Innnocentius XI. ad Legatos Apostolicos, & Episcopos Litteras dedit, monuitque nullam ipsis potestatem, ut comas ejusmodi Presbyteris celebrantibus concederent. Id colligitur ex Patre La-Croix, qui ipsas Pontificis litteras indicat (6). Cum vero Alexander VIII. Pontificatum gereret, peculiaris Congregatio jussu ipsius Pontificis hanc opinionem sedulo perpendit, nulloque fundamento innixam declaravit (7). Quod de comis adscititiis, idem de pileolo Scriptorum omnium judicio (8) asserendum est. Plures in hac civitate, ac diœcesi, circulo quodam ex capillis confecto ad caput utuntur, ne tempora, dum sacrum faciunt, frigore perstringantur. Capitis vero partem, ubi Clericalis corona designatur, nudam relinquunt. Hujusmodi vero circuli per ultimum Romanum Concilium penitus interdicuntur (9). Cum tam hæc nostra Civitas, ac Diœcesis Provinciæ Romanæ terminis haud includatur, & cum post idem Concilium circuli ex capillis in Missæ celebratione Romæ retineantur, nihil super hac re novi constituimus, modo circuli modesti sint, & necessitati solum accommodentur: si qui abuti hac humanitate voluerint, eamdem omnino consuetudinem abrogabimus.

XV. Insuper Sac. Congregatio universis Sacerdotibus, licet Protonotariis Apostolicis, aut qualibet dignitate, & Canonici titulo præditis etiam in Ecclesiis Cathedralibus, aut Metropolitanis, anulum in digitis gerere vetat, dum Missam celebrant. Decreta per Gavantum, aliosque plurimos asseruntur (10).

XVI. Idem nos quoque in Civitate, ac Diœcesi singulis Sacerdotibus interdicimus, licet iis honorum titulis, quos modo enumeravimus, supra cæteros commendentur. Insuper ad Sacram Rituum Congregationem delatum fuit, aliquos Parochos, & Ordinum Mendicantium Præfectos in celebrando Missæ Sacrificio adhibere instrumentum argenteum cum candela, quod vulgò *Bugia* nuncupatur. Quamobrem die 22. Augusti anni 1734. has Litteras ad nos dedit, quas integras subjicimus, observandasque mandamus, ne, licet inviti, ad severitatem in delinquentes pertrahamur.

*Eminentissime, ac Reverendissime Domine Observandissime: Cum Sacrorum Rituum Congregationi innotuerit, quemdam in ista Civitate Bononiæ irrepsisse abusum, quod tum Parochi ejusdem, tum Superiores Ordinum* Mendicantium *nulla dignitate Ecclesiastica insigniti, nulloque justo titulo fulti in celebratione Missæ sive solemnis, sive privatæ instrumento argenteo cum candela, quod* Bugia *nominatur, noviter uti præsumpsere, Eminentissimi, & Reverendissimi Patres eidem Sac. Congregationi Præpositi Eminentiæ Vestræ scribendum esse duxerunt, ut ipsa abusum prædictum zelo, quo pollet, Ecclesiasticæ disciplinæ a Civitate ita omnino tollere, & amovere curet, Parochosque omnes, & Ordinum Mendicantium Superiores, adhibitis iis Juris remediis, quæ prudentiæ suæ opportuna, vel etiam necessaria videbuntur, auctoritate ipsius Sacræ Congregationis moneat, coerceat, & ad terminos suos reducere non omittat; & E. V. manus humillime osculo.*

*Romæ 18. Augusti 1734.*

*E. E. Humillimus, atque Addictissimus Servus*
*A. F. Cardinalis Zondadari Pro Præf.*
*N. M. Tedeschi Archiep. Apam. Sac. Rituum Congr. Secret.*

XVII. Delatum nobis est post has Litteras in eam sententiam plures adductos esse, ut Protonotariis Apostolicis, qui in litteris haud nominantur, uti liceat eodem instrumento cum candela, dum Sacrum in Altari conficiunt. Quare id minime ipsis licere declaramus, cum inter Participantes, ut vocant, non

(1) *In Actis Mediolanen. Eccl. tom. 1. part. 4.* (2) *Cap. 6. sess. 14. de reformat.* (3) *De veteri, & nova Eccl. disc. part. 1. lib. 2. cap. 51. sub num. 6.* (4) *In explicatione precum, & celeb. Missæ tom. 1. pag. 103.* (5) *Pasqualigus de Sacrific. novæ legis quæst. 373. Theophil. Raynaudus Operum tom. 3. de Pileo, & cæteris capitis tegminibus sect. 2. §. nunc. e contrario. Thiers in tract. comarum pag. 373.* (6) *Lib. 6. part. 2. num. 401.* (7) *Ursaya in Institut. Criminal. lib. 1. tit. 10. §. 4. num. 51.* (8) *Byff. in Hierurgia litt. B. num. 109. Gavant. ad Rubric. Miss. part. 1. tit. 2. de ingressu Sacerdot. ad Alt. litt. F. Monacell. in formul. leg. tom. 4. pag. 32. n. 14. Diana in edit. coordinata tom. 2. tract. 1. resol. 139. num. 2.*
(9) *Tit. 16. c. 3.* (10) *Gavant. part. 2. tit. 1. de Præparat. Sacerd. celebraturi pag. 71. impress. Venet. an. 1690. & in suis decis. apud ipsum verbo: Anulus. Clericatus in Resolut. Rituum ante sua Decis. Sacrificio Missæ 17. La-Croix lib. 6. cap. 2. num. 403. Theoph. Pittonillus in suo Sacro Enchyrid. lib. 1. cap. 1. sect. 3.*

non adſcribantur, ſed ſolum inter honorarios, qui more reliquorum Sacerdotum Miſſæ Sacrificium peragere debent. Et ſane, ſi Abbates Regulares, qui benedictionem ab Epiſcopo acceperunt, & inſignibus Pontificalibus utuntur, dum primam Tonſuram minoreſque Ordines Regularibus ſibi ſubjectis conferunt, rem divinam privatim, ſicuti cæteri Sacerdotes, facere tenentur juxta Decreta Alexandri VII., quæ mox afferemus, ubi de Miſſæ Sacrificio res eſt, in quo Pontificalia ornamenta non adhibentur, ſi, inquam, hæc ita ſint, qua ratione Protonotarii Apoſtolici honoris cauſa deſignata, qui carent ejuſmodi privilegiis, nec habent in Miſſæ celebratione uſum Pontificalium, inſtrumentum argenteum cum candela ſibi ad Altare convenire judicabunt, quod Parochis, cæteriſque Sacerdotibus interdicitur? Accedit etiam quod Sac. Congregatio Rituum hæc ſtatuit (1): *Sacra Rituum Congregatio declaravit, non licere Illuſtriſſimis Dominis Referendariis Apoſtolicis honorariis Miſſam celebrantibus in Civitatibus, quarum regimini præficiuntur, uti Ritibus, qui proprii Eminentiſſimorum Cardinalium, & Epiſcoporum videntur, ſed iidem rem ſacram facere tenentur more cæterorum Sacerdotum, prout in privatis Miſſis præſcriptum fuit Abbatibus in Decreto circa uſum Pontificalium Prælatis Epiſcopo inferioribus conceſſorum emanato ab eadem Sacra Congregatione habita coram ſel. mem. Alexandro VII. die 20. Septembris 1659. & ita ſervari mandavit ab Illuſtriſſimo Gubernatore Civitatis Cæſenæ die 8. Februarii 1675*: An igitur fas erit Sacerdotibus, licet inter Protonotarios Apoſtolicos honoris gratia cooptatis, qui tamen utriuſque Signaturæ Referendarii non ſunt, nec Urſiium Præfecti, diverſo modo, ac reliqui Sacerdotes, Miſſæ Sacrificium agere, & privilegio uti, quod pluribus aliis dignitate præſtantioribus denegatur?

XVIII. Certum igitur, decretumque eſt nulli Sacerdoti in Diœceſi, ac Civitate argenteum inſtrumentum, de quo nunc agimus, tribuendum eſſe, niſi qui forte ob veterem poſſeſſionem, aliaſque legitimas rationes ipſius inſtrumenti uſum retinuerint Sacra Rituum Congregatione probante (2). Nos etiam opportuna Decreta promulgavimus, quæ in tabularium hujus noſtræ Eccleſiæ relata ſunt, ut eidem Sacræ Congregationi morem gereremus. Ipſa quoque non privatis modo Sacerdotibus, ſed etiam Canonicis, & Capituli dignitatibus præcepit, ne in celebrando Miſſæ Sacrificio ullum adminiſtrum haberent, qui Miſſali aſſiſtat, qui pagellas evolvat, calicem detergat, vinum, & aquam infundat, ipſumque Calicem, cum opus eſt, tegat, ac detegat. Decreta ejuſmodi poſt Synodum, accuratiſſimi Battiſtelli Epiſcopi Fulginatis excuſa fuerunt (3). Conſtat tamen Sacram Congregationem in illos Canonicos, ac Dignitates hæc ſanxiſſe, qui inſtrumento argenteo cum candela uti non poſſunt; quemadmodum alio Decreto Monacellus comprobat (4). Nam ſi illud permittatur, *Miniſter etiam de candela*, uti nuncupari ſolet, admittendus neceſſario videtur. Itaque, ſub pœnis arbitrio noſtro ſtatuendis, nullum ii miſterium adhibeant, dum ſacrum conficiunt, quibus idem inſtrumentum argenteum minime conceditur; qui tamen hoc jure præditi ſunt, licet miniſtrum ipſis non denegemus, aliqua tamen ſuperſunt, de quibus admoneantur. Ac primum, ipſimet perficiant, quæ ad Sacrum Calicem ſpectant, cum eos miniſtros aliquando deferant, qui, licet Clericalem habitum ſuperinduant, ne Tonſuram quidem acceperunt. Etenim evenire poteſt, ut Calicem contingant, in quo Chriſti Sanguis contineatur; tunc præſertim, cum die Natali Domini poſt duas priores Miſſas Calix minime detergitur, in quo Chriſti Sanguis ſupereſſe poteſt. Certum vero eſt (licet mitiores recentium Scriptorum opiniones ſequi velimus) Sacerdotibus tantum, ac Diaconis poteſtatem fieri, ut Sacra Vaſa contingant, in quibus Chriſti Corpus, & Sanguis habeantur: Subdiaconis tribuitur, dum Altari miniſtrant, Calicem & Patenam tangere ubi Chriſti Corpus, & Sanguis non fuerint. Acolytis autem extra Altaris miniſterium eadem facultas traditur, cum Vaſa Sacra ad Sacrificium neceſſaria præparare ipſi debeant. Tandem diuturna conſuetudine factum eſt, ut Ordinati omnes, & qui ſola Tonſura præditi ſunt, ſi aliqua cauſa intercedat, Sacra Vaſa, dum vacua ſunt, extra Altaris miniſterium contingant (5).

XIX. Poſtremo, ut rite omnia pacateque fiant, fatemur æquo libentique animo nos excipere ſingula privilegia, quibus Abbatibus Regularium ſolemne ſacrum facientibus ab Alexandro VII. per Decreta generalia tradita fuerunt (6), quæque poſt Synodum Cardinalis Jacobi Boncompagni impreſſa leguntur. Attamen ægerrime pateremur, ſi in Miſſis Pontificalibus, aut privatis ea negligerent, quæ iiſdem Decretis præſcribuntur. Inter privilegia illud enumeratur (7): *Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Miſſis tantum Pontificalibus, necnon Veſperis, & Matutinis Pontificaliter itidem celebratis licere ſibi tantum, meminerint*. Illud vero ipſis interdicitur (8): *In Miſſis privatis quoad indumenta, cæremoniat, Miniſtros, Altaris ornatum, & benedictionis largitionem a ſimplici Sacerdote non diſcrepent*. Procurator Generalis Ordinis Caſſinenſis contra ejuſmodi Decretum, veterem conſuetudinem, & peculiaria quædam privilegia Sacræ Congregationi protulit, quæ tamen die 20. Julii anno 1660. reſpondit: *ſervandum eſſe Decretum* quod Alexandri VII. auctoritate confirmatum fuit. Quare ſedulo caveant Abbates, ut manus dextera, quæ benedictiones in ſacris ſolemnibus impertiri conſuevit, ſemel tantum populo benedicat, cum privatim ſacrificium celebrant. Id vero non ita difficile videtur, cum ipſis more Epiſcoporum ſolemnia facere haud crebro juxta Pontificia ejuſdem Decreta permittatur.

## §. V.

### *De Celebratione quarumdam Miſſarum.*

XX. NON ſemel Presbyteri Seculares in Eccleſias Regularium ſe conferunt, ubi cum Feſtum duplex eo die per ipſos celebretur, peculiaris Miſſæ forma proponitur, quæ in Romano Miſſali non continetur; quæ licet Seculari Clero, & Sacerdotibus in illas Eccleſias confluentibus minime permittatur, eam tamen Sacerdos ſibi tribuit, dum in iiſdem Eccleſiis Sacrum Deo operatur: quod ſane vetitum eſt, cum nemo poteſtatem habeat, ut privilegii *limites* prætergrediatur. Clericatus (9), & Biſſus (10) omnia, quæ Sacra Congregatio ſuper hac re conſtituit, plene commemorant. Macrius vero (11) Presbyteros Seculares uti poſſe Regularium Miſſali cenſet, ſi in ipſorum Eccleſia Romanum haberi nequeat. Attamen, ut Sacri Ritus obſerventur, Præfectos Regularium, qui Miſſali Romano non utuntur, admonemus, ut pro exteris Sacerdotibus illud in Sacrario retineant, ne aliam, ac debent, Miſſam celebrent, ſed eam potiſſimum, quæ in Miſſali Romano præſcribitur. Si in eo propria illius Sancti, de quo celebritas agitur, Miſſa deſignetur; aliter vero de communi ejuſdem Sancti Miſſam eligant, quæ pariter in Romano Miſſali adnotatur. Ita per Sacram Rituum Congregationem die 19. Novembris anno 1622., ac die 9. Junii anno 1668. ſancitum fuit: *Qui celebrat Miſſam in aliqua Eccleſia Regularium, aut etiam Monialium, in qua ſit de feſto duplici habente Miſſam propriam, quæ non ſit conceſſa omnibus, Miſſam quidem dicat de Feſto, ſed cum Miſſali Romano*. Idem Scriptores fere omnes teſtantur (12), quod magis etiam Decreto generali probatur per eamdem Congregationem die 20. Novembris 1717. promulgato, quod deinde Clemens XI. ſua auctoritate confirmavit; inſertumque eſt Bullario (13), in quo ejuſdem Pontificis Conſtitutiones colliguntur: *Licere in poſterum tum Confeſſario, tum Capellanis quarumcumque Monialium ſervitio addictis Miſſas Sanctorum, de quibus ipſæ recitant officium, celebrare, ſed cum Miſſali Romano, & de Communi, non vero Miſſas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a Sacra Congregatione conceſſas: & ita decrevit, & ſervari mandavit die 22. Novembris 1717.*

XXI. Ex veteribus teſtamentis deprehendimus nonnullos pietate ductos præcepiſſe, ut Miſſæ Sancti Gregorii pro ipſorum expiatione celebrarentur. Hic mos obſolevit; idque tribuendum eſt Sacrorum Rituum Congregationi, quæ Miſſas ejuſmodi penitus abrogavit. Verum in hac re multi decipiuntur, quos ab errore liberandos exiſtimamus, ut priſca religio, ac pie-

(1) *Monacellus tom. 4. fol. num. 89.* (2) *Die 28. Aug. anno 1734.* (3) *Pag. 235. & 236.* (4) *Part. 1. tit. 2. form. 4. ſub. num. 28.* (5) *Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 3. diſp. 81. ſect. 8. §. tertium exemplum. Paſqualigus de Sacrific. novæ legis quæſt. 837. per totam. Quartus ad Rubric. Miſſalis part. 2. tit. 1. dub. 6. lib. 6. La-Croix p. 2. num. 357. & ſequentibus.* (6) *Die 17. Septemb. an. 1659. & die 20. Julii anno 1660.* (7) *In Decretis anno 1659. §. 13.* (8) §. 21.

(9) *In unione earumdem ante ſuas deciſiones de ſacrificio Miſſæ num. 16.* (10) *Litt. M. n. 216. §. 4.* (11) *In notitia Eccleſiaſt. verbo: Miſſa.* (12) *Gavantus tom. 1. part. 3. tit. 10. num. 16. Biſſ. Litt. M. num. 216. §. 4. Tonell. Sacr. Enchirid. lib. 1. cap. 2. §. 8. Sporer. Theol. Moral. tom. 3. part. 2. cap. 6. ſect. 4. §. 3. num. 430. La-Croix tom. 2. lib. 6. part. 2. n. 372. & 376.* (13) *Pag. 576.*

pietas reſtauretur. Igitur tradit Sanctus Gregorius (1) defuncto quodam Juſto Monacho, ſe Pretioſo pariter Monacho hæc demandaſſe: *Vade itaque, ab hodierna die diebus triginta continuis offer pro eo Sacrificium; ſtude, ut nullus præteriniittatur dies, quo pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur.* Abſoluto Miſſarum numero Juſtus Monacho Copioſo apparuit, cui ſe Purgatorii cruciatibus ereptum eo tempore nunciavit: *Fratres vero* (inquit S. Gregorius (2)), *ſollicite computaverunt dies, & ipſe dies extiterat, quo pro eo trigeſima oblatio fuerat impleta.* Hinc Miſſarum uſus dimanavit, quæ a Sancto Gregorio nuncupantur. Illum deinde Cluniacenſe Monaſterium inter ſuas conſuetudines adſcivit, quas Uldericus Regularis Benedictinus lib. 3. cap. 29. complexus eſt. Fideles omni Seculo eamdem conſuetudinem pariter receperunt.

XXII. Interjecto aliquo tempore triginta Miſſas prorſus ineptas, & rebus haud convenientibus refertas quidam ſine ulla facultate temere confecit, eaſque a S. Gregorio appellavit, quas etiam diligenter expendit Thiers (3). Sacra igitur Rituum Congregatio eaſdem Miſſas celebrari omnino vetuit, non vero piam conſuetudinem a S. Gregorio inductam, ut per triginta dies continuos totidem Sacrificia Deo offerantur pro illius expiatione, qui e vivis decedit. Cavendum tamen eſt, ſi eo dierum ſpatio pro defunctis Sacrum fieri nequeat eam Miſſam, quæ tunc ab Eccleſia perſcribitur, pro defuncto peragendam, cum præſertim Sanctus Gregorius Miſſas, quæ pro defunctis agi ſolent, minime indixerit. Quod ſi intra trigeſimum dierum numerum poſtremi tres dies Majoris Hebdomadæ occurrant, diebus inſequentibus numerus abſolvatur. Idem per conſuetudines allatas Cluniacenſis Monaſterii indicatur. Inter eruditos, qui de hac re agunt Patres, Bollandiſtæ (4) locum habere poſſunt. Inter alios vero, qui ſcripſerunt poſt Decretum Sac. Congregationis Miſſas S. Gregorii, ut dictum eſt, prohibentis, Clericatus (5) adnumeratur, qui reliquos omnes ejuſdem ſententiæ complectitur. Item Gavellus (6), ac præſertim Benedictus XIII. de nobis optime meritus, qui ſupra cæteros erudite accurateque hoc argumentum pertractavit (7).

XXIII. Sanctus Thomas docuit, quod (8) *ex parte Sacrificii Miſſæ æqualiter prodeſt Defuncto, de quocumque dicatur; ex parte tamen orationum magis prodeſt illa, in qua ſunt orationes ad hoc determinatæ*: ob hanc cauſam de quibuſdam piis hominibus traditur, qui Miſſam pro Defunctis quotidie celebrare voluerunt, quemadmodum S. Petrus Damianus teſtatur (9). Illis tamen omiſſis, quæ inſtinctu divino, afflatuque facta fuiſſe putandum eſt, atque ideo noſtris oculis cum admiratione ſuſpicienda, non vero imitanda ſubjiciuntur, illis, inquam, omiſſis, certi dies, quibus Miſſa pro Defunctis agi nequit, ab Eccleſia ſtatuuntur, quos hoc loco enumerabimus, ut non nonnulli impediantur, quæ in Civitate, ac Diœceſi contra has leges committi deprehendimus.

XXIV. Solemnes pro Defunctis Miſſæ haberi poſſunt, cum privatæ pro iiſdem conceduntur. Idem permittitur, etiamſi duplex aliquod Officium majus, vel minus agitur, ſi tamen ſolemnia pro Defunctis ſupremis alicujus tabulis inſtituta fuerint, iiſque diebus peragantur quotannis, quibus illi e vita migrarunt; hæc enim Sacrorum Rituum Congregatio ſimul depoſcit *& quod ſint a teſtatore preſcriptæ, & quod dies, in qua celebrantur, ſit vere dies illius obitus annua* (10). Diebus autem Dominicis, aut Feſtis ex præcepto, vel quibus *de Feſto duplici* nullum officium inſtitui poteſt, annuæ Miſſæ ejuſmodi pro Defunctis celebrari nequeunt.

XXV. At vero, *Si quis die Feſto ſit ſepeliendus, Miſſa propria pro Defunctis, præſente corpore, celebrari poterit* (11), *niſi obſtet magna diei ſolemnitas*. Per hæc ſane verba Duplicia primæ Claſſis ſeclusa videntur; & Sacra quoque Rituum Congregatio die 5. Julii anno 1698., cum petitum fuiſſet octavo loco: *An in duplicibus primæ claſſis poſſit cantari Miſſa Defunctorum præſente corpore*: reſpondit, *negative*. Attamen diſputandi locus adhuc ſupereſt: an Sacra Congregatio omnia duplicia primæ claſſis (12), an magis ſolemnia (13) complectatur, in quibus, licet præſente corpore, Sacrum pro Defunctis confici non poteſt. Id ſane judicio noſtro dirimendum non eſt. Quare ſolum admonebimus in Miſſali quidem poſt Miſſam *in die obitus*, ſeu *Depoſitionis Defuncti*, diem pariter tertium, ſeptimum, & trigeſimum cum propria oratione ad expiandas Defunctorum animas deſignari; tamen illis diebus ejuſmodi Miſſæ tantum celebrari poſſunt, quibus privatim pro Defunctis ſacrum facere licet, non vero illis etiam diebus Feſto aliquo, ut dictum eſt, impeditis, licet *die anniverſario, aut præſente corpore*, ſolemnia pro Defunctis tunc permittantur.

XXVI. Juxta Miſſalis Rubricas, *Miſſæ privatæ pro Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in Feſtis duplicibus, & Dominicis diebus*. Item quibus diebus *de Feſto duplici* nullum Officium inſtitui poteſt, Miſſæ pariter votivæ, ac pro Defunctis omittuntur. Id obſervandum contingit infra Octavas Epiphaniæ Domini, Paſchatis, ac Pentecoſtes. Licet autem infra Octavas Corporis Domini, ac Natalis ejuſdem *de Feſto duplici* celebritas agatur, Sacra tamen Rituum Congregatio annis 1670., ac 1700. vetuit, ne ſolemnia pro Defunctis eo tempore indicerentur. Idem omnino præcipitur, cum Sacroſancta Euchariſtia palam expoſita adoratur.

XXVII. In Litteris Apoſtolicis, quibus olim Altaria privilegiata declarabantur, cautum non fuit, utrum Miſſa ad eadem Altaria celebranda pro Defunctis ſtatueretur. Hinc locum habuit diſputatio, an pro comparandis Indulgentiis Miſſa pro Defunctis, an alia quælibet requiratur; hanc poſtremam ſententiam Fagnanus defendit (14). Nunc omnis dubitandi cauſa ſublata videtur, cum iiſdem litteris, quibus Altare privilegiatum conceditur, Miſſa quoque pro Defunctis (15) decernatur. Aliud tamen inquirendum ſupereſt, an, ſi teſtatores Miſſas ad Altare privilegiatum pro Defunctis quidem præceperint, idem onus impleri valeat diebus per Rubricas, ut ſupra dictum eſt, impeditis. Sacra Rituum Congregatio (16) ſacrum de *Feſto currenti*, pro expiatione Defuncti juſſit offerri, ſi tunc celebrandæ pro Defunctis Miſſæ contigerint. Alexander VII. id confirmavit, & ſervandum omnino voluit, licet per teſtatores ad Altare privilegiatum Miſſæ decernantur. Ex hoc Decreto non ſatis conjicitur, utrum Pontifex Altaria privilegiata non quidem in perpetuum, ſed ad ſeptennium, & certis ſolum per hebdomadam diebus compleſtatur; quæ deinde Clemens IX. complexus eſt. Cum Innocentius XI. Pontificatum gereret, animadverſum fuit litteras Apoſtolicas Alexandri VII., & Clementis IX. de Miſſis ſolum pro Defunctis agere, quæ ex teſtamento celebrandæ ſunt diebus ob aliquod Feſtum duplex impeditis. Hinc propoſitum, ac diligenter examinatum fuit, an, quæ cauta fuerunt Decretis Alexandri VII., & Clementis IX., quoties impedimentum Feſti duplicis obtingit, eadem ſervari deberent reliquis etiam diebus, quibus, licet Feſtum duplex haud celebretur, Miſſæ tamen pro Defunctis prohibentur. Hanc Innocentius Pontifex ſententiam probavit; & anno 1714. Decretum ſuper eadem re promulgatum fuit, quod Clemens XI. confirmavit (17).

## §. VI.

### *De Pietate, ac Religione in Sacro celebrando neceſſariis, ac de tempore, quod illis impendi debet.*

XXVIII. QUemadmodum lætitia maxima perfuſi ſumus, cum multos Sacerdotes Regulares, ac Seculares vidimus ſumma pietate Sacrum facere, & in ipſo peragendo debitum tempus inſumere, ita profecto graviſſimum dolorem accepimus, cum aliquos nos ipſi deprehendimus, qui adeo feſtinanter, indecore, linguaque præcipiti rem divinam conficiebant, ut, quæ tunc legerent, nullo modo percipere potuerimus. Plurimi ſane inter Sacerdotes non exiguam temporis partem mane conterunt in foro, vel inanibus colloquiis, vel etiam negotiis ipſorum dignitati parum accommodatis, donec celebrandi tempus acceſſerit: tunc ad Sacrarium properant, & ſacris veſtibus induti, vix limen Altaris contigerunt, fere intra momentum. Miſſa jam abſoluta, Sacrarium repetunt, de-

---

(1) *Lib. 4. cap. 5. de Dialogis.* (2) *Loco citato.* (3) *In ſuo tract. Superſtition. tit. 2. lib. 4. c. 4.* (4) *Tom. 7. Maij in Paralipomenis pag. 54. n. 11.* (5) *De Sacrific. Miſſæ deciſ. 14. n. 19.* (6) *In Opuſc. de caſib. conſcient. caſu 18.* (7) *Serm. 20. de Purgatorio.* (8) *Tom. 4. diſt. 45. qu. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 1.* (9) *Opuſc. 34. cap. 5.* (10) *Decret. die 22. Nov. ann. 1664. confirmatum die 23. Sept. anno 1669.* (11) *Rit. Rom.* (12) *Ita Quartus ad Rub. Miſſal. part. 1. tit. 5. dub. 1. num. 7.* (13) *Ita Paſqualigus de Sacrificio novæ Legis tom. 1. quæſt. 285.* (14) *Cap. quidem num. 13. & ſeqq. de celeb. Miſſ. Diana in editione coordin. part. 9. tract. 2. reſol. 8. Paſqualigus de Sacrific. novæ Legis quæſt. 732. Tambur. in Methodo celebr. Miſſæ lib. 2. cap. 7. §. 7.* (15) *Bordon. de Legatis cap. 7. num. 42. & ſeqq. Amoſt. de cauſis piis tom. 2. lib. 2. cap. 5. num 47.* (16) *Anno 1662.* (17) *Habetur in Bullar. pag. 571. & in Miſſali excuſo in Collect. de Propag. Fide, aliiſque Miſſalibus.*

depositisque sacris indumentis, ad forum, publicasque officinas revertuntur. Utinam hæc falsa essent! Populus in quasdam Ecclesias magna frequentia convenit eam ob causam, quod ibi Missarum Sacrificia brevissimo temporis spatio conficiuntur. Perpauci in alia templa confluunt, in quibus non eadem celeritate Missas agi suspicantur. Illud quoque non sine quodam horrore a probissimis viris audivimus, aliquos Sacerdotes, ut cæteris omnibus ad celebrandum in privatis nobilium Sacellis Sacrificium præferrentur, pro quodam merito protulisse, quod citissime rem Divinam expedirent. Illud igitur certissimum est non deesse, qui Sacrum negligentissime faciunt, verba cum festinatione proferentes, intempestive, quæ agenda sunt, properantes, vel ea simul cum verbis conjungentes, cum tamen verba pronuncianda non sint, nisi quilibet actus prius absolvatur. Ad Altare tam exiguo tempore, adeoque incomposite detinentur, ut nullam animo religionem, nullam verbis, ac precibus, quæ ad Sacrificium pertinent, attentionem habere procul dubio videantur. Sacerdotibus ejusmodi illud aptissime convenire potest, quod olim Tertullianus, cum diversam rem pertractaret, postulavit: *Sacrificat an insultat?*

XXIX. Si eodem pietatis studio, quo famulus Dei Joannes Abulensis, incenderemur, singulis hebdomadæ diebus libentissime Ecclesias mane percurreremus, ejusque exemplum sequeremur; cum ille, uti Pater Segneri commemorat (1), Missæ Sacrificio adesset, in quo Sacerdos Christi Corpus tanquam ofellam manibus versabat, ad Altare accessit, ut decidentem candelam suo loco restitueret, & voce quidem demissa, vultu tamen inflammato ad Sacerdotem conversus, dum Hostiam e manibus deponeret: *Age, inquit, decenter cum hoc puero, nam optimos habet parentes.* Quibus verbis adeo commotus fuit Sacerdos, ut ad meliorem deinde frugem traductus fuerit. Quoniam vero imperfecti nos ipsi sumus, & Sacrum qua par est religione, ac diligentia minime facimus, ita ut supremo die per Divinum Judicem nos vehementer arguendos merito timeamus; hinc aliqua solum afferemus, quibus nos ipsi, ac reliqui Sacerdotes, quibus opus est, recte instituantur. Deinde, nostra interposita auctoritate, nonnulla prohibemus, quæ pravum exemplum simul, & horrorem piis Fidelibus excitant.

XXX. In Missalis Rubrica hæc leguntur: *Sacerdos autem maxime curare debet, ut ea, quæ clara voce dicenda sunt, distincte, & appositè proferat; non admodum festinanter, ut advertere possit, quæ legit; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat.* Cardinalis etiam Bona in eo libello, quo Sacerdotem pro sacro rite faciendo instituit, hæc tradit (2), *omnia verba, quæ sive elata, sive submissa voce proferentur, clare, distincte, ferventer, & absque ulla festinatione pronunciabis; nihil interim mente revolvens, quantumvis bonum, & sanctum videatur, quod a propria, & litterali verborum significatione alienum sit, ut, & menti Ecclesiæ conformes, quæ omnes Missæ preces, lectiones, & sententias magno cum delectu ad Sacerdotis, & adstantium instructionem, & devotionem selegit.* Scriptores autem juxta Rubricam temporis spatium, quod in Missæ celebratione impenditur, duplex constituunt, videlicet interius, & exterius. Primum quidem in recta, integraque verborum pronunciatione, in precibus, cæterisque rebus a Sacris ritibus præscribuntur, attente decenterque absolvendis collocatur; alterum vero illud est, quod pietati Sacerdotis liberum relinquitur. Admonent tamen, ut hanc secundam prolixitatem quo possunt studio singuli evitent, ne fastidium populo afferatur; primam vero non sine gravi culpa omitti posse fatentur. De illa sane sermonem habebat S. Philippus Nerius (3), cum Sacerdotes, qui in sacro peragendo cœlesti voluptate supra modum cumularentur, hortari solebat, ut dicerent: *Non palam has delicias, sed clam in cubiculo magis optarem.* Hoc pacto innuebat Sacrum religiose quidem fieri debere, cavendum tamen, ne tædio populus afficiatur, in cubiculo autem pietati habenas laxandas esse. Itaque, si spatium temporis interius, quod requiritur in iis omnibus rite perficiendis, quæ modo explicavimus, sedulo perpendatur, non ita brevi tempore, ut multi existimant, Sacrum expediri potest, sed ex unanimi Scriptorum (4) opinione ad tertiam horæ partem saltem debet pertingere, neque horæ dimidium excedere.

XXXI. Hæc sententia pariter continetur in illa institutione, quæ in Appendice postremi Romani Concilii excusa fuit (5). Igitur parvi faciendi sunt inepti quorumdam sermones, qui nulla pietate prædicti pravam consuetudinem tueri contendunt, ob quam nulla habita honoris ratione rem divinam conficiunt, & præcipiti lingua omnia perturbant. Jactant igitur in populum, Missas prolixas fastidium gignere: Agnum Paschalem, qui Christum Dominum exprimebat, ea lege fuisse Judæis propositum, ut comederent festinanter (6); Sanctum Thomam Cantuariensem Archiepiscopum in Sacro peragendo valde expeditum; postremo satis esse, si omnia legantur, & nihil eorum, quæ præscripta sunt, omittatur; nullo autem pacto constitui debere tempus, quod Sacro absolvendo insumatur. Attamen in primis, si quis tempus, quod superius exposuimus, impendere negligat, nunquam satis attente, ac decenter percurrere, atque agere potest universa, quæ in Rubricis continentur, quemadmodum docet Gobatus (7), cum illam conditionem *breviter* in celebranda Missa necessariam, his verbis explanat: *Breviter, at non festinanter, perinde ac si esset a tergo, qui scutica urgeret &c. breviter, id est, circa dimidiam horam; vix enim breviori spatio possunt omnia in communibus Missis peragi cum debito decore, ac devotione, cum tamen sit necessario tanta mora tribuenda Sacrificio, quanta necessaria est ad rite, ac devote omnia peragenda &c. Nec facile quis mihi persuadebit, se communiter cum sensu pietatis, & sine multis imperfectionibus, intra horæ quadrantem finire Sacrum.* Insuper nihil ducendæ sunt injustæ illorum querimoniæ, ac fastidium, qui Missæ Sacrificium celerrime absolutum expeterent. Plurimi enim numerantur qui pietate insignes ob ejusmodi brevitatem graviter animo commoventur, eosque Sacerdotes summopere commendant, qui pie, & eo temporis spatio, quod supra definitum fuit, Sacrum conficiunt. Præ cæteris tradit Cardinalis Baronius, (8) S. Augustinum inter alia mala, quæ vehementer arguere solebat, illud præsertim quorumdam extitisse, *qui queruntur de prolixitate Missarum.* Qui illam Exodi auctoritatem afferunt, *comedetis festinanter*, ut pravam consuetudinem corroborent, Sacras litteras nefarie interpretantur. Pater quidem Theophilus Raynaudus hanc sententiam ita explicat (9): *Esto vero admitti possit vulgaris mitis festinationis illius pro celeri, & prompta comestione, nihil tamen inde ad rem præsentem. Nam quoad significationem transitus quam celerrimi, Ægyptiis urgentibus, brevissime confecti, necessaria erat ea festinatio in Sacrificio Agni consumendo, quæ ratio properandi cessat in hoc negotio.* Errat quoque apertissime, qui ad excusandam Missæ brevitatem Sancti Thomæ Cantuariensis exemplo utuntur. Petrus enim Rogerius, seu Gregorius XI., qui illius vitam scripsit, quam deinde Christianus Lupus in lucem promulgavit (10), hæc ita tradit: *Comedebat itaque festinanter propter emissiones per Angelos malos, perniciosum scilicet vanarum cogitationum superventum in Sacramentali Dominici Corporis perceptione; non tardus, non morosus, non nova; præterquam quæ in Canone constituta sunt, adjungens: verum ea præsertim hora profundissimas, tamquam ex intimis pietatis visceribus, lacrymas profundebat, & singultus, tamquam attacta Christi vulnera, tota intima cordis excutiens viscera, & effundens:* Quare exemplum Sancti Thomæ, quod gravissimi Scriptoris auctoritate firmatum commemoravimus, illis procul dubio adversatur, qui in Missæ Sacrificio brevitatem, ac negligentiam tuentur. Ipsorum oculis subjici potius deberet exemplum Rogerii Salesburiensis Episcopi, qui misere vitam absolvit, uti refert Guillelmus Neubricensis, cum Sacrum nimis festinanter, & sine debita pietate celebraret, qua arte sibi gratiam Henrici I. Angliæ Regis conciliaverat. Insuper inter cætera, quæ in Concilio Constantiensi contra Joannem XII. prolata sunt, illud quoque locum habuit: *Quod Missam raro, currenter, sine devotione celebraret* (11). Non semel etiam improvisa morte aliqui Sacerdotes oppressi fuerunt, quod probissimi homines divino sane judicio contigisse putaverunt ob indignam festinationem, qua rem divinam conficiebant, quemadmodum Pius Settala Dertonensis Episcopus testatur (12).

XXXII. Tandem quo possumus majori studio juxta infirmita-

(1) *In sua Pastorali Instit. cap.* 14. §. 1. (2) §. 3. (3) *In ejus vita a Baccio scripta lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 9.

(4) *Quattus in Comment. ad Rubric. Miss. Rom. part.* 1. *tit.* 16. *dub.* 6. *Gobat. in Theol. experiment. tract.* 3. *casu* 23. *num.* 812. *& sequent. Biss. in sua Hierurgia tom.* 1. *lit. B. verbo: Brevis num.* 135. *Coton. in suis Controver. lib.* 2. *controv.* 5. *num.* 104. *Clericat. in suis discord. Forens. Crimin. discur.* 49. *Roncaglia in sua Theol. Moral. tract.* 18. *cap.* 3. *quæst.* 2. *resp.* 2.

(5) *Pag.* 246. (6) *Exod. cap.* 12. (7) *In Theol. experimentali tract.* 3. *cap.* 23. *sect.* 3. *num.* 814. (8) *Ad annum Christi* 418. *sub num.* 35. (9) *Tom.* 16. *suor. Oper. pag.* 10. *num.* 19. *& seq.* (10) *Tom.* 10. *cap.* 11. *ultimæ edition. ipsius Operum Venet. impressorum.* (11) *Lupus eodem loco pag.* 373. *tom.* 9. (12) *In opere, cui titulus: Mysteria, & sensus Mystici Sacrific. cap.* 50. *num.* 14.

UAB

tatem noſtram Sacerdotes noſtræ Diœceſis obteſtamur, ut, quæ nos hucuſque declaravimus, ſedulo perpendant. Idem nos ipſi diligenter præſtabimus, ut, quæ olim negligenter commiſimus, in Miſſæ celebratione corrigamus. Parato, mœrentique per pœnitentiam animo ad Sacrum faciendum accedamus, ita ut per exteriora pietas interior indicetur, rectumque populus exemplum a nobis deſumat: quæ legenda ſunt, clara voce exprimantur, omnis linguæ feſtinatio prorſus impediatur; quidquid vel agendum, vel ore proferendum eſt, cum ſeria mentis conſideratione jungatur; & tunc tertiæ partis, vel etiam dimidiæ horæ ſpatium pro Miſſæ Sacrificio conſtitutum nimis prolixum non videbitur. Deo juvante fore confidimus, ut, Sacerdotes univerſi ſibi pro muneris ratione, ac dignitate ſatisfaciant; nec in forum, aut publicas Urbis officinas in poſterum ſimul conveniant, ut vanis rebus detineantur, ac deinde ex foro ad Sacrarium properantes Miſſæ Sacrificium inſtituant. Sin autem aliquis in iiſdem fori conventibus verſari perſiſtet, aut Sacrum nimis feſtinanter Deo operabitur, ſi advena fuerit, ſtatim ab Urbe, ac Diœceſi depelletur; ſi Civis, aut Diœceſanus a Sacris Myſteriis peragendis, donec reſpuerit, interdicetur. Præcipimus, ut præſens edictum Sacrariis hujus Urbis, ac Diœceſis fixum conſervetur. Cuſtodes autem noſtro arbitrio puniantur, ſi cœtus Sacerdotum in iiſdem Sacrariis ſive ante ſive poſt Miſſæ Sacrificium, fieri permittant, in quibus tempus inepte conteratur. Idem de Laicis intelligi debet, qui pro Sacro audiendo, vel ob alias cauſas in Sacrarium aliquando conveniunt.

## INSTITUTIO XXXV.

*De Indulgentia in forma Jubilæi per Summum Pontificem promulgata. De illis diebus, quibus indictum jejunium ſervari debet. De cauſis, ob quas hujuſmodi dies potiſſimum deſignantur.*

I. CLemens XII., qui Pontificatum feliciter obtinet, cum provide expendat vanos, irritoſque fore conatus omnes, quos ad Principum concordiam, aliaque Eccleſiæ neceſſaria comparanda jampridem contulit, & ſine ulla intermiſſione libenter impendit, niſi Deus votis obſecundet, plenariam Indulgentiam, ſicut anno Jubilæi redeunte concedi ſolet, liberaliter impertivit iis omnibus, qui perfectis piis operibus, quæ indicuntur, Deum ſummo ſtudio obteſtabuntur, ut Chriſtianos Principes compoſitis bellis in amicitiam deducat, aliaſque ab Eccleſia ſua calamitates avertat: ſingulis autem Epiſcopis præcipit, ut in ſuis Diœceſibus eamdem Indulgentiam promulgent.

II. Quare, ut pio Pontifici libentiſſime morem geramus, hac noſtra declaratione eamdem Indulgentiam notam facimus, & ſingulos curæ noſtræ commendatos hortamur, ne cœleſtem hunc theſaurum conſequi prætermittant.

III. Hæc autem præcipiuntur: per tres dies jejunium; accedere ad pœnitentiæ Sacramentum, & Sacram Euchariſtiam ſuſcipiendam; templum inviſere, ubi preces Deo ferantur pro iis cauſis, quæ ſuperius expoſitæ ſunt; tandem mendicis ſtipem aliquam erogari. Templa, quæ in Civitate per nos deſignantur, ſunt: Metropolitana S. Petri nuncupata; Eccleſia Corporis Domini, & S. Mariæ, quæ a Pietate, & a Mendicantibus appellatur; Sanctorum Jacobi, & Philippi, quæ ad Moniales converſas pertinet.

IV. Dies 20. 22. 24. hujus menſis Decembris pro jejunio conſtituimus, vel dies 29. 31. Decembris, & Kalendas ineuntis Januarii, ut hoc pacto duas hebdomadas complectamur, quarum ſpatio quilibet jejunio ſatisfacere poſſit, Pœnitentiæ Sacramento animam expiare, Chriſti Corpus ſumere, templum inviſere, & egenos aliquo ſubſidio recreare.

V. Hos dies potiſſimum elegimus, qui ob proximam Natalis Domini celebritatem propitii magis videntur, cum Salvatoris adventum in terras, ubi mortalitatem indueret, Prophetæ noſtri antea cum præſagio pacis denunciaverint: *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis* (1). Item *miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia, & pax oſculatæ ſunt*. Alio vero loco (2): *Non levabit gens contra gentem gladium*. Tandem inquit Iſaias (3): *vocabitur nomen ejus Princeps pacis*. Accedit (4), quod Chriſtus Dominus in lucem venit, cum univerſus Orbis tranquilla pace frueretur: *exiit Edictum* (tradit S. Lucas (5)) *a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis*. Id autem nonniſi Orbe compoſito contingere potuiſſet; quod alio pariter ejuſdem Evangeliſtæ teſtimonio confirmatur, dum ſubdit, Angelus hiſce concentibus nato Domino pacem celebraſſe: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus*. Hinc Sanctus Auguſtinus ſapienter ſcriptum reliquit: (6) *Regnante ergo Herode in Judæa apud Romanos jam Reipublicæ mutato ſtatu, Imperante Cæſare Auguſto, & per eum Orbe pacato, natus eſt Chriſtus*. Sanctus autem Hieronymus idem comprobat (7): *Veteres revolvamus hiſtorias, & inveniemus, uſque ad vigeſimum octavum annum Cæſaris Auguſti, cujus quadrageſimo primo anno Chriſtus natus eſt in Judæa; in toto Orbe terrarum fuiſſe diſcordiam, & ſingulas nationes contra vicinas gentes arſiſſe ſtudio prœliandi, ita ut cæderent, & cæderentur. Orto autem Domino Salvatore, quando ſub Præſide Syriæ Cyrino prima eſt in Orbe terrarum facta deſcriptio, & Evangelicæ doctrinæ pax Romano Imperio præparata, tunc omnia bella ceſſaverunt, & nequaquam per oppida, & vicos exercebantur ad prœlia, ſed ad agrorum cultus: militibus tantum, legionibuſque Romanis contra barbaras nationes bellandi ſtudio delegato, quando impletus eſt ille Angelorum concentus: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*.

VI. Licet jejunium primæ hebdomadæ die 20., nempe feria ſecunda, die 22., hoc eſt feria quarta, & die 24. ſcilicet feria ſexta conſtituerimus, ab iis tamen, quæ in litteris Pontificis præſcribuntur, haud receſſiſſe putamus, licet per ipſas jejunium feria quarta, ſexta, ac Sabbato præcipiatur. Siquidem cum hujuſce rei natura in trino jejunio poſita ſit, & cum legitima cauſa intercedat, privilegium nempe, quo Fideles in Dominicæ Nativitatis Feſto, licet in diem incidat, quo ab eſu carnium eſt abſtinendum, tamen ob tantæ celebritatis præſtantiam iiſdem carnibus uti poſſunt: *Reſpondemus* (inquit Honorius III. (8)) *quod illi, qui nec voto, nec Regulari obſervantia ſunt adſtricti in ſexta feria, ſi Feſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis*; cum item ſuſpicati fuerimus, ne impedimenta ad rem perficiendam excitarentur, ſi poſt diem Natalem Domini, vel ulterius etiam primæ hebdomadæ jejunium protraheretur; ideo facultate uſi ſumus, quæ Epiſcopo in cauſis ejuſmodi tribuitur, cum res minime ſit, ut opus aliquod per Pontificem indictum in aliud diverſum opus convertatur, ſed ſolum, ut jejunium in alium diem transferatur, quemadmodum P. Viva Theologus Societatis Jeſu recte perpendit (9). Illud etiam accedit, quod mentem Pontificis, cum de iis rebus agitur, interpretari poſſumus, uti docet P. Paſſerinus ex Dominicana Familia Theologus (10). Poſtremo rem deliberavimus, poſquam Theologi ſuis ſententiis conſilium noſtrum confirmarunt. Minime vero improbamus, imo plurimum eos commendamus, qui feria quarta, ſexta, ac Sabbato hujus hebdomadæ jejunium ſervare velint, licet eodem Sabbato Natale Domini ſolemni gaudio celebretur. Sic enim Honorium III. imitamur, qui poſt allata ſuperius verba ita ſubdit: *Nec tamen hi reprehendendi ſunt qui ob devotionem voluerint abſtinere*. Interpretes autem hæc ſuperaddunt: *Imo magis laudandi ſunt*.

VII. In Diœceſim ſane hæc noſtra declaratio (licet poſt acceptas Pontificis litteras protinus illam exaravimus) ante celebritatem Natalis Domini pervenire nequit, ideoque impedimenta, quæ obvenire in Civitate poſſunt, uti ſuperius dictum eſt, de medio auferuntur. Quare piis operibus, quæ in Apoſtolicis litteris continentur, ſatisfieri poterit a die Dominico (ſtatim ac noſtra hæc declaratio innoteſcet) uſque ad alterum Dominicum diem, qui dierum quindecim ſpatium conficiet. Cavendum tamen, ut feria quarta, ſexta, & Sabbato alterius hebdomadæ jejunium habeatur. Templum quoque Parochiale in Diœceſi inviſendum deſignamus.

VIII. Qui in itinere, ſive mari, ſeu terra detinentur, ſtatim ac in Patriam redierint, & ſancta opera, quæ ſuperius ediximus, perfecerint, eamdem Indulgentiam aſſequentur. De Regularibus autem utriuſque ſexus, licet Clauſtro perpetuo incluſis: item de Laicis omnibus, & Eccleſiaſticis, vel Regularibus qui in carcerem, ſeu captivitatem conjecti, aut corporis ægritudine, aliqua legitima cauſa impediti, nihil eorum, quæ præſcripta ſunt, vel partem ſolum exequi poterunt, ita ſtatuimus, ut Confeſſarius a nobis probatus, vel poſt hanc promulgationem approbandus, in alia pietatis opera immutet ea, quæ reliquis propoſita ſunt, vel in aliud proximum tempus proroget, & illa ſolum præcipiat, quæ cujuſvis conditioni magis

(1) *Pſalmo* 71. (2) *Pſalmo* 84. (3) *Cap.* 2. (4) *Cap.* 9. (5) *Cap.* 2. (6) *Lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 46. (7) *In Comment. de Iſaia cap.* 2. (8) *Cap. expliçari, de obſervat. jejunorum.* (9) *De Jubilæo quæſt.* 8. *de operibus in genere, art. ultim. num.* 2. (10) *De Indulgentiis quæſt.* 72. *num.* 504.

gis apte conveniant. Libellum precationum, quæ recitari debent tempore Jubilæi, typis excudi curavimus, ut omnes pro Summi Pontificis voluntate Deum clementissimum commodius obtestentur.

## INSTITUTIO XXXVI.

*De efferendis Defunctorum corporibus, ac de Missis pro illorum expiatione celebrandis. Veterem esse, & Canonicum ritum decantandi Psalmos, dum cadavera ad tumulum feruntur. Vetustissimum haberi institutum faciendi Sacrum præsente cadavere, antequam sepulturæ mandetur. Improbantur pravæ consuetudines, quæ inductæ sunt in efferendis cadaveribus. De facibus, quæ adhibentur in ducendis funeribus, ac de veteri ipsarum institutione. De privatis funeribus, ac postremo de iis Defunctis, qui ad sepulturam curru deducuntur.*

I. INter cætera, quæ sapienter, atque utiliter per Gabrielem Cardinalem Paleottum constituta sunt pro felici hujus Civitatis, ac Diœcesis administratione, illud sane adnumerari debet, quod prudenter sanxit, ut corruptelas, sumptusque immoderatos tolleret, qui in efferendis cadaveribus, & exequiis celebrandis impendebantur. Id porro accidit, cum Alexander Cardinalis Sfortia hujus Civitatis de Latere Legatus una cum *Antianis* Consulibus, Vexillifero Justitiæ, & Senatu contra ingentem virorum, & mulierum luxum in vestibus, & conviviis exornandis Edictum promulgaverat: *Accepimus nuper* (inquit præclarissimus Civis Gregorius XIII. (1)) *dilectum filium nostrum Alexandrum Tituli Sanctæ Mariæ in Via Presbyterum Cardinalem Sfortiam nuncupatum tunc Civitatis Bononiæ Apostolicæ Sedis de Latere Legatum, una cum dilectis filiis Antianis Consulibus, & Vexillifero Justitiæ, ac Magistratu quadraginta Virorum Reformatorum status Libertatis ejusdem Civitatis, per publice propositum de mense Octobris proxime elapsi Edictum sub quibusdam pœnis, ne Civitas prædicta in virorum, ac mulierum ornatu, conviviisque faciendis, ingenti sumptu exhauriretur.* Tunc enim Cardinalis Gabriel Paleottus gravissimos sumptus, qui in pompa funeris ducenda fieri solebant, coercendos existimavit: *Dilectum vero filium nostrum Gabrielem Tituli Sanctorum Joannis, & Pauli, Presbyterum Cardinalem Paleottum vocatum Bononiensis Ecclesiæ Præsulem, simili de causa motum, & ad parcendum maxime gravibus expensis, quæ in pompa funeris ducenda, mortuorumque exequiis celebrandis in eadem Civitate fiebant, aliqua constituisse, & ordinasse.* Ita prosequitur Pontifex in iisdem litteris, quibus omnia, quæ per Cardinalem Paleottum super ea re constituta fuerant, Apostolica auctoritate confirmantur. Hujusmodi litteræ in *Episcopali* ipsius Cardinalis Paleotti impressæ leguntur (2).

II. Ut omittamus luxum in extruendis convivils, & vestium ornatu, cui sapienter per Cardinalem Sfortiam eo tempore consultum fuit, funera sane, & exequiæ, post Gregorium XIII. ad hunc usque diem ita celebrantur, ut modus expensis minime statuendus videatur. Nonnulla tamen admonenda sunt pro muneris nostri ratione, ut secluſa omni funerum pompa nihil eorum, quæ ab Ecclesia præscripta sunt, negligatur. Cadavera juxta communem ritum tumulo inferantur, & Defunctorum animæ majori, quo fieri potest studio, piis operibus expientur.

III. Ut rem clarius explicemus, aliqui ob extremam paupertatem sine ullis expensis gratis tumulo mandantur: alii vero iis opibus instructi sunt, ut charitatis titulo nequaquam ad tumulum deferantur. De utroque hominum genere verba faciemus.

IV. Primi quidem summa inopia laborantes cujuscumque ætatis sint, hoc pacto tumulantur: Præfertur Crux Parochiæ, in cujus Ecclesia, seu Cœmeterio sepulcrum Defuncto constituitur. Crucem duo circumstant faces manibus gestantes, quæ per Sodalitium Sanctissimi Sacramenti suppeditantur: dein sequitur Parochus, sive alius Sacerdos ab illo designatus stola, & superpelliceo indutus, ac postremo cadaver, quod statim ac pervenit in Ecclesiam, tumulo contegitur. In aliqua fortasse Parochia pro Defuncti expiatione Sacrum celebratur: plures tamen id facere minime consueverunt, ac Defunctus vix sepulchro traditus in perpetuam omnium oblivionem adducitur.

V. Id nobiscum animo reputantes, duo præsertim corrigenda deprehendimus. Primum haud probamus, quod Defunctum efferendum unicus Sacerdos in templum comitetur. Cum enim, velut inferius explicabimus, per viam Psalmi canendi præscribantur, quo pacto id fieri poterit, si solum Parochus, aut alius Sacerdos ejus loco suffectus, hanc provinciam suscipiat? Secundo ferre non possumus, quod nulla ad expiandum Defunctum Missa peragatur.

VI. Non ignoramus in ea opinione plurimos versari, Sacrificia, quæ pro illis offeruntur, qui ejusmodi subsidio non indigent, cum inter Beatos recepti jam fuerint, vel inter cruciatus æternos amandati, ad illas animas juvandas a Deo converti, quæ nullum a mortalibus levamen consequuntur. Ita docet S. Thomas (3): *Credibile est, quod per Divinam miserecordiam, si aliquid de specialibus suffragiis superfit his, pro quibus fiunt, aliis dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant.* Pro re confirmanda Sancti Joannis Damasceni auctoritate utitur (4): *Deus, tamquam justus, commetietur impotenti possibilitatem; tamquam sapiens, defectum commutatione negotiabitur: Quæ negotiatio attenditur, si id, quod deest uni, alteri suppleat.* Id quoque Paludanus asserit (5).

VII. Hugo Etherianus hoc etiam superaddit (6): *Verum nulla macerari ambiguitate convenit egenorum, atque pauperum causa, ut salutem non consequantur; eo scilicet, quid non relinquunt superstitem, qui Sacerdotem ad sacrificandum invitet, qui eleemosynas dispergere, aut qui orationibus vacare debeat. Putasne injustus est Deus, ut habenti intercessorem indulgeat, non habenti viro immisericors existat? Absit hoc. Justus est utique Deus, non habentes beneficos habentibus commemorans. Nam beneficia, quæ pro suis mortuis quique faciunt, misericors Deus pro omnibus, qui meruerunt in vita, ut juvari possint, acceptat. Ideoque magis attendendum est vobis, ut Sacrificium offeratur, ut, orationum fiat instantia, ut eleemosynarum succrescat largitio, quia, quod putatis singulare, benignos Judex ut commune accepit.*

VIII. Antiquus Theologus Præpositivus tradidit Sacrificia non minus prodesse Defuncto, pro quo instituta sunt, quam cæteris omnibus, imo magis istis, si majori charitate præditi fuerint. Tædæ alicujus exemplum adducit, quæ in media aula accenditur, & noctis tenebras non minus Regi, quam reliquis familiaribus discutit. Quod si oculorum acie magis ipsi vigeant, tunc sane majorem, quam Rex ipse, a tæda claritatem, ac beneficium assequuntur. Ita pariter, si Episcopus, & convivæ simul ad mensam accumbentes libri lectionem eodem tempore percipiant, illi sane, qui majorem audiendi sensum a natura acceperunt, præ cæteris quæ leguntur, clarius intelligunt.

IX. Omissis tamen iis, quæ ex Sancto Thoma delibata magno semper honore prosequi debemus, in aliorum sententia inconsulto jurandum non est. Constantiense Concilium hanc opinionem proscripsit (7): *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel Religiosos non plus prosunt eidem, quam generales, cæteris paribus.* S. Paulus (8), postquam fidelium precibus universos generatim commendavit, peculiares aliquos, ac seipsum commendat. Sancta quoque Mater Ecclesia, cum peculiares, veluti pro Patre, & pro Matre orationes in Missis Defunctorum constituerit, ac generales deinde pro cunctis fidelibus adnectat, aliquod sane discrimen inter peculiares, ac generales preces intercedere significat, easque pro singulari anima indictas ipsi magis prodesse, quam, quæ pro universis instituuntur, licet illa omnium numero comprehendatur. Ita Porreta suis Commentariis (9) adfirmat: *Cum igitur nihil frustra in Ecclesia fiat, immo, Ecclesiam aliquid vanum facere, credere impium sit, fatendum est ex facto prædictæ Ecclesiæ, quod Defuncto specialis oratio ad eum directa magis prodest, quam aliis.*

X. Subdit autem Sotus (10): *Si tamen consideretur quamnus ex intentione Sacerdotis* (de Missæ Sacrificio res est) *pro illis offertur, certe crediderim, minus obvenire singulis, quam si pro uno offerretur. Et ratio est quia ex generali intentione Ecclesiæ non applicatur pro illis Sacrificium, sed solum ex libera intentione Sacerdotis: illi vero intentioni, quia est de essentia Sacrificii, etiam ex opere operato respondet certus, & taxatus gradus satisfactionis, & ideo, quanto magis inter plures illud distribuit, tanto minus singulis obvenit:* Et paulo post: *Effectus oblationis, & precum, quem libere ipse, ut Minister Ecclesiæ potest singularibus personis applicare, est certus; atque adeo, si dividatur inter plures, minus unusquisque recipit.*

XI.

(1) *In litteris Apostolicis datis die 7. Januarii anno 1572.* (2) *Pag. 358.* (3) *4. distinct. 45. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 3. ad secundum.* (4) *In Sermone de dormientibus.* (5) *4. dist. 45. quæstiunc. 2. art. 1. concluſ. 4.* (6) *In suo libro de regressu animarum ab inferis cap. 16.* (7) *Sess. 8.* (8) *In pluribus locis suar. epist.* (9) *Ad art. 12. quæst. 71. de supplemento Sancti Thomæ.* (10) *In 4. sentent. distinct. 13. quæst. 2. art. 1. pag. 354. edit. Lovanien.*

XI. Quare, cum Hugo Etherianus contendit Sacrificia, quæ pro Defunctis opulentis ex ipsorum bonis, ac voluntate fiunt, animabus quoque distribui, quæ in summa egestate e vita decesserunt, id singulari, & extraordinaria Dei providentia contingere putandum est, non vero, si communem ordinem sequatur, quem Deus ipse constituit: *Dicendum vero est*, (ait P. Theophilus Raynaudus (1)), *hæc, veluti extra ordinem facta a Deo de potentia quasi absoluta, non afficere iis, quæ juxta communem ordinem a Deo præscriptum fieri diximus: Nec aliud fortasse voluit Hugo Etherianus.*

XII. Insuper sententia Præpositivi Theologi, quam superius exposuimus, omni caret fundamento, si sublato tœdæ, ac lectionis, quæ in mensa fieri solet, exemplo, tanquam minus apto, aliud subrogetur, liberalis nempe viri, qui pecunia sua ab ære alieno aliquem dissolvat. Hic enim levamen percipit, non autem reliqui debitores, pro quibus nulla pecunia erogatur, quemadmodum docet S. Thomas 4. sententiarum, idemque alio loco repetit his verbis (2). *Ad primum, in quantum suffragia sunt quædam satisfactio per intentionem facientis translata in alterum; non sunt similia lumini, sed magis solutioni alicujus debiti; non autem est necesse, ut, si debitum pro uno solvitur, ex hoc & debitum aliorum solvatur.* Idem Sanctus Doctor, cum aliorum opiniones mitius interpretari consueverit, Præpositivi sententiam hoc modo declarat, Animas eximia charitate præditas alterius felicitate ita gaudere, velut sibi ipsis contingeret. Hinc voluptatem quamdam in illas obiter derivari, cum pro cæteris in Purgatorio detentis Sacrificia deferuntur; non tamen ex eo consequitur, commune omnibus levamen afferri, & sine ullo discrimine recreari ob Sacrificium illas animas, pro quibus agitur, & reliquas etiam, pro quibus minime indicitur, quemadmodum articulo 12., aliisque insequentibus continetur. Sotus paritet (3), & Venerabilis Cardinalis Bellarminus (4) in eamdem rem unanimes consentiunt.

XIII. Cum hæc ita sint, aditus nobis apertissime patet ad fideles excitandos, ut pro uno saltem Sacrificio pecuniam conferant, quo illorum animæ sublevantur, qui ob summam rerum omnium inopiam a Parochis sine ullo stipendio sepulchro mandantur. Neque tamen omittendum est, quod secundo loco proposuimus, canendos per viam Psalmos, cum egentium cadavera ad tumulum deferuntur.

XIV. Siquidem hic ritus cum vetustate, tum jure canonico comprobatur, uti mox ostendemus. At vero, si Parochus tantum, aut ejus loco Sacerdos ad sepulchrum Defuncti corpus comitetur, preces utique, vel etiam Psalmos recitare potest, nunquam tamen alta voce rem perficiet, nisi pariter alii comites ad rem gerendam adjungantur. Rituale Romanum Psalmos in via canendos indicit (5), & alios simul cum Parocho, qui vicissim respondeant, his verbis existimat: *Clero alternatim prosequente.* Itaque, ut in efferendis egenorum corporibus decentius id fiat, hortamur magnopere Parochos omnes, ut aliquem, cum res postulabit, sibi socium concilient, vel Sacerdotem, vel Sacris initiatum, vel etiam minoribus Ordinibus, aut prima Tonsura præditum, quibus juvantibus alta voce Psalmi concinantur. Suspicari certe non possumus eos Sacerdotes, & Clericos in Parochia degere, qui cujusmodi pietatis opus suscipere, suoque Parocho hoc officium persolvere recusent. Neque illud suspicamur, si Parochia Sacerdotibus, & Clericis careat, a Parocho alium Sacerdotem, aut Clericum extra Parochiam sibi non posse comparari, qui secum Defuncti cadaver ad tumulum prosequatur. Clerici præsertim, ne insigne pietatis opus negligant, ipsis olim demandatum munus fuisse sciant, ut cadavera non solum ad templum in funebri pompa sequerentur, & Psalmos canerent, sed tumulum pariter effoderent, in quem illa inferrentur. Id ex S. Hieronymo colligitur, cum mortem illius feminæ commemorat, quæ septies carnificis manu percussa, confici tamen haud potuit: *Clerici quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & foveam humum lapidibus construentes ex more tumulum parant &c. Recens a Clericis cespes ostenditur &c.* Hæc autem Thomassinus super eadem re scripta reliquit (6): *Si hæc autem Clerici pietatis munia iis præstabant, qui carnifici gladio obtruncabantur, quid de fidelibus censendum?* Sanctus quoque Gregorius Nyssenus feretrum, in quo S. Macrinæ corpus jacebat, una simul cum alio Episcopo, ac duobus Clericis humeris suis detulisse testatur, quod perpendens Thomassinus hæc iterum tradit (7): *Indubitatissimum ergo est, quod Epiphanius, & Hieronymus dixere, fuisse Clericos, quibus ex officio incumbebat, ut mortuorum corpora terra conderent; quod enim ab his Episcopis Beatæ Macrinæ præstitum est, id non ex officio, sed eximia quadam Episcoporum pietate, & veneratione in feminam longe sanctissimam præstitum est.*

XV. In Rituali Romano, cum de exequiis agitur, hæc leguntur: *Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa præsente corpore Defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur.* Merito quidem vetustissimus hic ritus nuncupatur, cum in codice Abbatis Ratoldi, ubi sepulturæ officium describitur, hæc habeantur: *In Ecclesia autem requiescet corpus Defuncti, quousque pro ejus anima Missa canatur, & offeratur ab omnibus, quibus fuerit visum.* Idem codex Seculo decimo exaratus fuit, quem Hugo Menardus adducit in Commentariis, quibus Sancti Gregorii Sacramentarium illustravit (8). Is vero Ritus tanti a pluribus æstimatur, ut, post Decretum Innocentii III., in quo statuitur (9), *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare*, Interpretes illud verbum *necessitatis* explicantes, ita declaraverint: *Sed quam dicit necessitatem? respondeo, si celebravit de die, & postea etiam moriatur aliquis &c. Unde potest unam celebrare de die, & aliam pro Defuncto.* Huic vero opinioni certos limites, modumque imponendum alii censuerunt, quemadmodum auctoritate Benedicti XIII. de nobis optime meriti deprehendimus (10): *Absolutam quidem* (inquit) *hanc opinionem existimo, habita tamen ratione, si cadaver die festo sepulturæ tradendum sit, in aliqua Parochia, quæ per unicum Sacerdotem administretur: Tunc enim Canone ductus Innocentii III., & illis præsertim verbis*, nisi causa necessitatis suadeat *audacter sentio dua Sacrificia per Sacerdotem celebranda, unum nempe de Festo ejusdem diei, alterum vero pro Defunctis pro expiatione præsentis Defuncti, cum præsertim in mea diœcesi in usum converterim ritum vetustissimum, ne cadaver ullum sine Missæ Sacrificio tumulo mandetur.*

XVI. Prudentibus quorumdam Parochorum consiliis admoniti minime præcipimus, ne cadavera tumulo inferantur, nisi prius res divina coram ipsis peracta fuerit: monemus tamen, ne id prætermittatur, ne, quæ a Rituali Romano, veterisque Ecclesiæ consuetudine præscripta sunt, contemni videantur. Ut res divina semel pro egenis, dum gratuito sepeliuntur, saltem conficiatur, varias rationes Parochis subjicimus, quibus uti debent, ut rem consequantur. Quippe ad hoc Parochos *ipsos obstringere nolumus, qui singulis diebus festis Sacrum pro populo offerre tenentur*, quemadmodum ex sacris sanctionibus constituitur. Primum diligenter inquirant, an in parochia Sacerdotes versentur, qui pietate ducti Missæ Sacrificium pro egeno Defuncto celebrare velint. Id nos libenter pollicemur Parocho nostro S. Petri, quoties egenum aliquem gratis sepulturæ tradendum admonebit, modo tamen die festo id minime contingat, quo Sacrum pro nostro populo facere nos etiam consuevimus; sed tunc alium Sacerdotem, qui idem præstet, loco nostro sufficiemus. Insuper videant, si forte aliquis in Parochia magis opulentus, expetens, ut *oratio sua in finum suum convertatur*, stipendium conferre non recuset, quo eadem pro egenis Sacrificia peragantur. Tandem cum in quibusdam templis capsulæ ad excipiendas pro Defunctis eleemosynas, in aliis vero ad augendos S. Eucharistiæ honores positæ sint, quas libenter (si fortasse desint) nostra auctoritate permittimus, in iis capsulis inscribent, desumendum esse ex ea pecunia stipendium, pro quolibet egeno gratis in Parochia sepeliendo indicatur. Quæ cum ita se habeant, Parochus sine ullo incommodo per se, vel per alium Sacerdotem rem divinam persolvet. In Nosocomiis etiam nonnulli in tanta inopia decedunt, ut gratis efferri debeant; quare Præfectos hortamur magnopere, ut idem, quod modo exposuimus, perficiant: nam ex pecunia, quæ pro sublevandis Defunctis congeritur, stipendium facile deduci potest, quo pro iisdem egenis Missæ Sacrificium statuatur.

XVII. Sanctus Thomas jam allato articulo 12. quærit: *Utrum suffragia, quæ fiunt pro uno Defuncto, magis illis prosint, quam aliis*: dum partes affirmantium tuetur, uti superius dictum est, tertio loco hoc argumentum sibi solvendum proponit: *Pro pauperibus non fiunt tot suffragia, sicut pro divitibus. Si ergo suffragia facta pro aliquibus, eis solum, vel magis, quam aliis, valerent, pauperes essent pejoris conditionis, quod est*

(1) *Tom. 15. pag. 436.* (2) *In supplement. quæst. 71. artic. 12.* (3) *Loco superius allato pag. 934.* (4) *Lib. 1. de Indulgentiis cap. 14. quæst. ult.* (5) *Tit. Exequiarum ordo.* (6) *De veteri, & nova Ecclesiæ disciplina part. 1. lib. 2. cap. 103.* (7) *Loco superius allato.* (8) *Editionis Parisiensis anno 1642. pag. 263.* (9) *Cap. Consuluisti de celebratione Missarum.* (10) *Serm. 6. Secundi trigesimi de Purgatorio.*

*est contra sententiam Domini, Luc. 6. Beati pauperes, quia vestrum est Regnum Dei*: Deinde hanc subdit responsionem: *ad tertium dicendum quod nihil prohibet, divites, quantum ad aliquid, esse melioris conditionis, quam pauperes, sicut quantum ad expiationem pœnæ; sed hoc quasi nihil est comparatum possessioni Regni Cælorum, in qua pauperes melioris conditionis esse ostenduntur per auctoritatem inductam.*

XVIII. Eamdem sententiam Sotus his verbis complectitur (1): *Respondetur cum Divo Thoma, nihilo minus stare, quominus divites hac parte melioris sint conditionis, ut scilicet cumulatioribus eleemosynis magis subleventur a pœna Purgatorii, sed multo pretiosius est, quod pauperes cum minori periculo, & majori cumulo charitatis ad ampliorem gloriam acceptentur, cum divitibus neque tam facilis sit ingressus, nec ad tantam gloriam.* Si tamen divites suis fortunis bene utantur, & in sublevandam vivorum inopiam, & Defunctorum cruciatus convertant, impedimentum, ne tam facile inter Beatos recipiantur, sine ullo negotio superabunt.

XIX. Nunc de illis agendum superest, qui divites habentur, vel saltem iis bonis instructi sunt, ut gratis minime tumulentur, pro quibus nihil novi decernendum putamus, si, cum deferuntur ad sepulchrum, Crux antecedat, & circum tædæ ardeant, & conveniens Sacerdotum numerus funebrem pompam sequatur. Antiqua solum Decreta Martinelli Vicarii Generalis hujus Diœcesis renovamus, quæ die 1. Augusti, & die 27. ejusdem mensis anno 1696. promulgavit, cui penitus congruit Decretum per Vicarium nostrum Generalem editum die 13. Augusti anno 1734.

XX. Sermo igitur instituendus est de ea ratione cadavera ad templum ferendi, quam breviter subjicimus: nocturno tempore sine Crucis vexillo adhibitis solum lanternis, ne vespillones offendant, & corruant, ad Ecclesiam Defuncti corpus defertur: Parochus, aut alius ipsius loco Sacerdos cum superpelliceo, pallio tamen superindutus cadaver comitatur: si vero puer, etiam post acceptum Baptismum tumulandus sit, corpus includitur arcula, quod Ecclesiæ custos de meridie pallio suo contectum sine ulla cæremonia ad locum perfert sepulturæ designatum. Postquam cadavera in templum illata sunt, protinus tumulo mandantur.

XXI. A petitis rerum quærere non prætermisimus, quonam tempore ad Ecclesiam ferri hoc pacto, ac tam expedite sepulturæ tradi cadavera cœperint; illi septem, vel octo abhinc annis hunc morem inductum affirmarunt; nobis vero causam scisciantibus responderunt in more positum id fuisse, tum ad evitandas plebeiorum hominum irrisiones, tum, quod hæredes pro ipsorum conditione funebrem pompam indicere non possent, tum quod in supremis eorumdem tabulis, qui hac ratione ad Ecclesiam, tumulumque privatim deferuntur, id cavetur expresse.

XXII. Causæ tamen ejusmodi inductam corruptelam probare nequeunt: nam illius, qui Civitati præest, diligentia plebis impudentia satis coercetur, & perpauca sane requiruntur, ut ritus Christianæ sepulturæ omnino serventur, quemadmodum inferius ostendemus. Postremo ex ipso jure constat apertissime nulla consuetudine, aut testatoris voluntate ritus ejusmodi posse impediri, nempe ut Clerici funus sequantur, faces, & Psalmorum cantus pompæ funeris adjungantur. Ita profecto post sedulum examen, allatasque sapientium virorum auctoritates in Romana Rota constitutum fuit coram Decano Molines, cujus sententia post Romani Cleri statutum his verbis excudi meruit (2): *Ecclesia Catholica, obliteratis, & proscriptis innumeris superstitiosis, & deridendis Ethnicorum funerum ritibus, necnon ambitiosis, & superfluis expensis, quæ in hanc causam effundebantur, sequens exempla veteris, & novi Testamenti, institutaque Beatorum Apostolorum, Conjugumque Patrum regulis, pios, ac religiosos constabilivit ritus in sepeliendis corporibus mortuorum servandos, instituendo scilicet, ut eorum funus prosequeretur cum piis precibus, Psalmis, & Missis, associatione Clericorum, candelis, & cereis ardentibus, aliaque hujusce generis pompa, & celebritate; idque tam in suffragium animarum, solatiumque vivorum, quam ad significandum, animas a corpore separatas vivere, & immortalitatis dono gaudere, Defunctos obiisse in fide, resurrectionem, ac fruitionem æternæ gloriæ expectare &c. Invaluitque adeo in toto Orbe Catholico hujusmodi vetus Ecclesiæ institutum, ut receptissimum sit inter nostri juris Interpretes, quod mandari non debeat executioni ultima Defunctorum voluntas in ea parte, in qua præscriberent, eorum corpus humari sine ulla honorificentia ab Ecclesia instituta &c. non obstante qualibet contraria consuetudine; quia hanc, tanquam irrationabilem, omnique honestati repugnantem, eliminandam, & extirpandam esse, ex cap. final. de consuetudine, aliisque probat Pignatell. &c.*

XXIII. Mos deferendi cereos accensos in funeribus a primis usque Seculis ad nos promanavit. Pontius, cum Martyrium S. Cypriani describit, hæc habet: *Inde cum cereis, & scholaribus in area cujusdam Candidi Procuratoris magno triumpho sepultus est.* De eadem funebri pompa Nyssenus meminit (3): *Quemodo utrinque quasi ignei omnes continentibus facibus, tractu continuo, perpetuoque fluentes, quoad oculi longissime prospicere possunt, porrigebantur.* Item S. Hieronymus in epitaphio Paulæ de funebri apparatu hæc ad Eustochium scribit: *Translataque Episcoporum manibus, & cervicem feretro subjicientibus, cum alii Pontifices lampades, cereosque perferrent, alii choros psallentium ducerent, in media Ecclesia spelunca Salvatoris est posita.* Ad prima pariter Ecclesia Secula hymnorum consuetudo refertur teste S. Gregorio Nazianzeno *in funere Cæsarii, quod cum multiplici hymnorum cantu deducitur.* Victor autem, cum de inhumano Genserici animo graviter quereretur, hæc tradit (4) *Quis vero sustineat, aut possit sine lacrymis recordari, dum præcipere, nostrorum corpora Defunctorum sine solemnitate hymnorum cum silentio ad sepulturam perduci?* Mirum igitur non sit, quod Rituale Romanum (5) tantopere antiquas cæremonias, sacrosque ritus in humandis fidelium corporibus Parochis commendet: *Sacras cæremonias, ac ritus, quibus ex antiquissima traditione, & Summorum Pontificum institutis Sancta Mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exequiis uti solet, tanquam vera Religionis Mysteria, Christianæque pietatis signa, & fidelium mortuorum saluberrima suffragia Parochi summo studio observare debent, atque usu retinere;* Paulo post hæc præcipit: *Cum autem antiquissimi Ritus Ecclesiastici sit, cereos accensos in funeribus deferre, caveant item, ne hujusmodi Ritus omittatur, ac ne quid avare, aut indigne in eo omittatur.* Insuper cum de ordine Exequiarum sermo est, hæc leguntur: *Parochus indutus superpelliceo, & stola nigra, vel etiam pluviali nigri coloris;* Postremo Crucem anteferri, hymnosque concini jubet: *Prælata Cruce, dicent Psalmos, ut infra, decantantes.* Id pariter Decreto Clementis XI. indicitur (6): *Item præcipit Sanctitas Sua, ut in corporibus ad Ecclesiam deferendis, cujuscumque conditionis, & gradus sint Defuncti, sive diurno, sive nocturno tempore, accepta prius facultate, tecta sartaque sint omnia, quæ a Romano Rituali præscribuntur titulo superius allato §. Constituto tempore, nempe ut pompa funeris ordinata ferantur, Parocho præeunte feretrum cum luminibus.*

XXIV. Cum hæc tam clare se habeant, expresse jubemus, ne in posterum eorum corpora, qui gratis sepulturæ non traduntur, eo modo, quem superius explicavimus, efferantur; licet sint pueri, qui Baptismum susceperunt: sed nostra interposita auctoritate omnino præcipimus, ut, quocumque tempore id continget, etiam nocturno, si facultas obtenta fuerit, Crux præferatur, ac duo cum accensis facibus circumstent; semper intersit Parochus superpelliceo, & stola indutus, sive ipsius loco alius Sacerdos, qui Clericum saltem socium habeat, ut Psalmi, sicut antea dictum fuit, alta voce decantentur; universi, qui feretrum gestant, facem quoque manibus præferant. Hæc vero statuuntur, ut aliqua in funeribus ducendis norma servetur, omnesque intelligant eam solummodo pompam, eosque sumptus expeti, qui Christiano ritui necessario conveniunt; non tamen, ut illorum pietas impediatur, qui majorem Sacerdotum numerum, Regulares, & sodalitia accire cupiant etiam pluribus tœdis funus deducere: cum de illis ageretur, qui gratis sepulturæ traduntur, monuimus, ut præsenti corpore, quantum fieri potest, Sacrum habeatur: idem multo magis commendamus, cum solitis emolumentis acceptis funera celebrentur. Non ignoramus pro Sacro faciendo non ita copiose stipendia obtingere, ideoque muneris nostri partes ducimus singulos hortari, ut in Defunctis sublevandis magis liberales fiant, & plura Sacrificia collatis stipendiis indicant. S. Thomas docet (7) hæc tria, eleemosynas, Sacrificia, & præces Defunctis maxime prodesse. *Ex parte charitatis præcipue mortuis suffragantur Sacrificium Ecclesiæ, & eleemosynæ, sed ex parte intentionis directæ in mortuos præcipue valet oratio, quia oratio secundum suam rationem non solum dicit respectum ad orantem, sicut, & cætera opera, sed directius ad illum, pro quo oratur.*

Hanc

(1) *Loco superius allato.* (2) *In Romana Funeralium die 15. Junii anno 1699.* (3) *In Funere Meleti.*
(4) *Lib. 1. Historiæ Persecutionis Vandalicæ cap. 5.* (5) *Tit. de Exequiis.* (6) *In suo Bullario pag. 317.*
(7) *Quæst. 71. Supplement. artic. 9.*

Hanc doctrinam a S. Augustino desumpsit, qui ait (1) *Quæ cum ita sint, non existimemus, ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum Sacrificiis solemniter supplicamus.* Insuper cum sermo de illis fuit, qui gratis tumulantur, Parochos admonuimus, ut stipendium a piis, ac religiosis Fidelibus eliciant, quo Missæ Sacrificium pro iisdem egenis offeratur: eodem modo præcipimus, ut pro illis, qui ad tumulum gratis non deferuntur, Sacrum fiat in eadem Ecclesia, ubi sepulturæ mandantur, idque mane cum funus celebrabitur, vel die insequenti, si post meridiem id fieri contingat: stipendium vero conferent, qui ob cognationem, vel ob aliam causam hæredes bonorum declarantur. Quod si aliquod impedimentum intercedat, idem stipendium ex bonis Defuncti percipiatur. Confidimus plura Sacrificia per illos indicenda fore, qui sanguinis ratione ad ipsum Defunctum pertineant; testatores autem non ita immemores fore cruciatuum, quibus animæ post mortem expiantur, ut exiguam pro Sacris faciendis pecuniam suis hæredibus præcipiant.

XXV. Non est prætereundum, quod Cardinalis Petra sapienter advertit (2), evenire posse, ut cadaver aliquod privatim ad Ecclesiam deportandum sit. Id vero si contingat, & a norma superius constituta recedendum aliquando videatur, satis erit, si Vicarius noster Generalis, aut nos ipsi de hac re præmoneamur, qui certissime, sicut res postulabit, consulemus. Pœnas autem nostro arbitrio in eos statuemus, qui contrarium facere ausi fuerint antequam debitam a nobis facultatem impetraverint.

XXVI. Tria subdenda supersunt; primum de cadaveribus, quæ ad tumulum curru devehuntur, quod penitus interdicitur plurimis Sacrarum Congregationum Decretis, quæ Cardinalis Petra commemorat (3), & Clementis XI. Decreto superius allato confirmantur (4). Cum tamen in hac Civitate mos obtinuerit, ut Nobilium cadavera ad Ecclesiam curru deportentur, nihil novi super hac re decernendum existimamus. Præcipimus solum, ut rem nobis, vel Vicario Generali patefaciant, ne currus (quod non semel accidit) rusticam Monasterii portam ingrediatur, ubi sepulturæ corpus tradendum est, antequam Regulares ejus loci admoneantur; ideoque nullus adsit, qui rite cadaver excipiat, & in templum inferat. Quare, si nos ipsi, vel Generalis Vicarius certiores antea facti simus, huic incommodo, cæterisque omnibus, quæ in deferendo ad Ecclesiam cadavere possunt obtingere, adiutus omnis præcludetur. Secundo, verba facienda sunt Parochis, qui superpelliceo, stolaque induti, & prælata Cruce templa Regularium ingrediuntur, ubi Defunctus gentile sepulchrum habeat, vel suprema voluntate sibi tumulum elegerit. Non ignoramus aliquos Regularium Ordines post Constitutionem Benedicti XIII., quæ incipit *Pretiosus*, Parochis etiam prælata Cruce in suas Ecclesias aditum permittere, alios vero impedire. Primos quidem summopere commendamus; alios autem Regularium Præfectos, & etiam Parochos vehementer hortamur, ut se a turbis penitus abstineant, quæ semper offensionem populo ingerunt, cum præsertim inter Ecclesiasticos excitantur. Præter allatam Benedicti Pontificis constitutionem difficile erit alium invenire, qui Pignatellio copiosius hanc rem pertractaverit (5). Quod si ejusdem Scriptoris rationibus persuaderi non poterunt, ut tandem aliquam normam sine ulla lite proponamus, ad Sacram Rituum Congregationem causam deferemus, cujus Decreta summo honore prosequi nos ipsi, cæterique debent universi. Tertio, pium, & laudandum eorum institutum, & consilium prædicamus, qui ut pietatem suam erga Sanctos aliquos Ordinum Regularium testentur, uti P. Theophilus Raynaudus fuse demonstrat (6), in Religiosa ejusdem Ordinis Veste sepeliri præcipiunt. Sed magis id probatur, cum mores anteactæ vitæ huic supremæ voluntati respondeant, nec ullum Fidelibus scandalum intulerint, quemadmodum subdit idem P. Theophilus (7): *Alterum, quod attendi volebam circa hunc usum sepulturæ in sacro habitu, est, ut curetur, ne vita contumeliam inferat sacræ vesti; sicut enim parum juvat Religiosum facer habitus, si eum deturpet moribus, ita idem fine dubio est de seculari, qui in Religiosa veste sepellitur post vitam prorsus irreligiosam.* Id tamen minime conceditur Ecclesiasticis Secularibus, ac præsertim Diaconis, & Subdiaconis, qui ad sepulcrum ferri, atque humari cum Sacris suorum Ordinum vestibus debent, quemadmodum per Rituale Romanum decernitur, quod sane confectum fuit, ut legatur, & observetur (8) Præcipimus, ut Decreto Clementis XI. (9), de quo superius dictum est, singuli pareant, cujus hæc sunt verba latine reddita: *Cum Sanctitas Sua maxime velit, ut in omnibus funeribus celebrandis adamussim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritus servetur, imperat Parochis omnibus, Præfectis, Ecclesiarum Secularium, ac Regularium, licet quocumque privilegio præditæ sint: itemque Sacrarii Custodibus aliisque omnibus, ad quos spectat, imperat, inquam, ut Ecclesiasticorum Secularium cadavera, ac præsertim, si Sacerdotes, Diaconi, vel Subdiaconi fuerint, a propriis domibus in templum deportentur, vel ibidem non aliis induta vestibus, quamvis Sodalitii, vel Regularis cœtus, sed Sacri ipsorum Ordinis insignibus ornata exponantur, quemadmodum in Rituali Romano (10) continetur. Qui non paruerint, funerum emolumentis carebunt, aliisque pœnis obnoxii erunt nostro arbitrio infligendis.*

## INSTITUTIO XXXVII.

*De Bacchanalibus, ac Larvis. Nulli unquam licuisse eas larvas induere, quæ Sacrum aliquod indumentum, aut speciem Ecclesiasticam præseferrent. Nulla unquam contraria consuetudine abrogatos fuisse eos Canones, qui id vetant. Nullis Clericis cujusvis Ordinis permitti, ut larvati incedant, sive ut choreis, ludisque indulgeant, vel ipsi præsentes interfint.*

I. SÆpius Decessores nostri, ac nos ipsi edicta promulgavimus, cum Baccanalia, & personarum usus concessa sunt, ne Sacerdotes unquam, aut Clerici personati per Urbem vagarentur, vel in ea loca se conferrent, ubi choreæ instituuntur, aut ibidem ludis operam darent. Vetitum quoque semper fuit universis qui larvas gererent, ne Sacerdotis, vel Regularis, aut Solitarii alicujus simulata indumenta sibi desumerent, neque Monialium vestibus, lineis tunicis, superpelliceis, birretis, aliisve rebus uterentur, quæ Sacrum aliquid, vel Ecclesiasticum referrent. Quamvis autem Decreta ejusmodi confecta fuerint, ut in hac Bononiensi Civitate, totaque Diœcesi observarentur, tamen accepimus in nostro Centensi Oppido neglecta fuisse, quæ in iisdem edictis continentur. Quare ea plurimum commendanda existimavimus, si fortasse Cardinalis Legatus Ferrariensis, in cujus ditione idem Oppidum positum est, Bacchanalia celebrari, larvasque induci patiatur.

II. Contra ejusmodi corruptelas verba facere non statuimus, quod tamen facillimum nobis esset, si ea solum commemorare velimus, quæ S. Carolus Borromæus super hac re pie sapienterque scripta reliquit (11). Cum tamen his omnibus per Sacros Canones, Sacrasque Congregationes abunde consultum fuerit, nobis satagendum est, ut ipsa omni studio ferventur, ne muneri nostro deesse videamur. *Ideo permittente Domino* (inquit Canon Quod vero 25. quæst. 2.) *Pastores hominum sumus effecti, ut, quod Patres nostri sive in Sanctis Canonibus, sive in mundanis afficere legibus, excedere minime debeamus; contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si, quod ipsi divino instituerunt consilio, intactum non conservamus.*

III. Ac primo quidem Monacellus omnia Decreta complectitur, quæ a Sacris Congregationibus super eadem re promulgata sunt (12). In Canone autem: *Hic igitur* (13), ita sancitur: *Non spectaculis, non pompis interfint*: insuper in Canone: *Presbyteri* (14) hæc mandantur: *Nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obsceni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur.* Tandem in capite, *Clerici, de vita, & honestate Clericorum* hæc habentur: *Ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis interfint*: Interpretes vero superaddunt: *Hic prohibetur Clericis non tantum ludere, sed ne interfint ludo.*

IV. Ut omnes vero intelligant nefas esse uti vestibus, quas supra enumeravimus, cum Bacchanalia aguntur, illud Deuteronomii præceptum in medium afferre liceat: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea, abominabilis enim est, qui facit hæc.* Cum hanc sententiam S. Thomas (15) explicaret, duabus de causis id vetitum fuisse affirmavit, nempe, ut Idolorum cultus longe arceretur: *Ad vitandum Idololatriæ cultum; hujusmodi enim variis vestibus &c. Gentiles*

(1) *Lib. 2. de Cura cap. 18. & ult.* (2) *Tom. 2. Constitut. Apostol. pag. 165. num. 11. & 12.* (3) *Loco superius allato num. 10.* (4) *Pag. 317. ipsius Bullar.* (5) *Consult. 48. tom. 3.* (6) *In suis Etheroclitis spiritualibus part. 31. sect. 1.* (7) *Tom. 27. pag. 629.* (8) *Tit. de Exequiis.* (9) *In ipsius Bullar. pag. 317.* (10) *Tit. de Exequiis.* (11) *In actis Ecclesiæ Mediolanen. part. 7. pag. 1212. tom. 2. edit. Lugdunen.* (12) *In Formulario legali tom. 1. pag. 120. edit. 2. Romæ, & tom. 2. pag. 169. n. 2.* (13) *Dist. 23.* (14) *Dist. 34.* (15) *1. 2. quæst. 102. art. 6. ad sextum.*

*les utebantur &c. & etiam in cultu Martis mulieres utebantur armis virorum, in cultu autem Veneris e converso viri utebantur vestibus mulierum*; secundo ne cupiditati, ac libidini illecebra suppeditaretur: *Quod autem mulier induatur veste virili, aut e converso, incentivum est concupiscentiæ, & occasionem libidini præstat*. Cum hæc ita sint, legitimo fundamento satis innitimur, ut Regularium indumentorum usum tempore Bacchanalium penitus interdicamus, cum gravissimum ex ipso malum dimanet, licet valde illis dissimile, quæ S. Thomas enumerat. Siquidem contemptus in Regulares Ordines excitatur, & in eos præsertim, qui arctiori disciplina Deo consecrati virtutibus excolendis omnem curam, studiumque impendunt.

V. At vero supervacaneum est dicere, Canonum vim, quos paulo ante exposuimus, contraria consuetudine jam penitus sublatam esse. Cum enim Ecclesiasticus Galliæ, qui aleis luserat, suæ regionis usum pro excusatione attulisset, Innocentius III. his verbis eum graviter improbavit (1): *Excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudinem, quæ corruptela dicenda est, palliatur, frivolam reputantes, cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis delinquendi auctoritas usurpatur &c.* Interpretes etiam adjungunt. *Qui peccatum suum defendit auctoritate, seu consuetudine, magis peccat, & ideo magis puniri debet.*

VI. At præ cæteris, cum Ecclesiastici ad virtutem alios allicere suis exemplis debeant, Tridentina Synodus (2) jussit in usum revocari omnia, quæ per Summos Pontifices, & Sacra Concilia de vitæ disciplina, atque honestate Clericorum constituta fuerunt, ac præsertim de evitandis, *luxu, commessationibus, choreis, aleis, & lusibus*. Insuper impositæ culpæ lethalis pœna Episcopis indixit, ut quæ diuturnitate temporis ex his collapsa essent, in pristinum restituerent. *Si quæ ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari, & ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas pœnas persolvant.* Sanctus quoque Carolus Borromæus in primo Provinciali Concilio hæc præcepit (3): *Clerici personati non incedent, choreas privatas, aut publicas non agent, nec spectabunt &c. Clericalis Ordinis hominibus omni generi saltationis, & ludi, præsertim vero aleæ, & tesserarum, ac talorum, interdicimus &c. Non solum ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus, aut quemquam ludentem in ædibus suis permittere.* Hæc vero omnia Decessores nostri suis Decretis, ac Synodis plurimum commendarunt. Quare, nisi quis communi sensu careat, facile agnoscet contrariæ consuetudinis excusationem prorsus inanem esse, & contumaciam potius, ac corruptelam nuncupandam.

VII. Verum his omnibus omissis Centensis Oppidi Sacerdotes hortamur, ut serio perpendant, num ipsorum dignitati conveniat, utrum nos ipsi dissimulare possimus; postremo, an Laici ipsorum exemplis moveantur, cum publicis choreis Sacerdos aliquis interfit, profanis cœtibus misceatur, aliorum saltationes spectet; ac præsertim, si personatam mulierem secum adducat, vel adeat publica loca, in quibus alearum lusus agitantur, ibique tempus diu conterat, vel etiam ipse ludos per integram noctem exerceat, deinde vanis saltem cogitationibus distentus ad Sacrum faciendum properet, eoque confecto ludum repetat? De ejusmodi sacrificiis hæc Alvarus Pelagius scribit (4): *Multæ dicuntur hodie Missæ, quas vel consuetudinariæ, vel ad complacentiam, vel ad scelera cooperienda, vel ad propriam justificationem &c.* (nempe, ut pietatis opinionem sibi comparent) *vel ad quæstum*. Posterorum memoria dignissimum est, quod B. Petrus Damiani commemorat (5). Ipse cum Episcopo Florentino iter habebat, quem nonnulli Petrum Mezzabarbam existimant, alii Gherardum, qui Pontifex renunciatus Nicolai II. nomen accepit. Cum ab itinere paululum quiescere cogerentur, B. Petrus in domum Sacerdotis diverstit, Episcopus vero *in spatiosa domo cum commeantium turba resedit*. Episcopum nocte latrunculis lusisse B. Petrus percepit, quem mane ita allocutus est: *Recte ne, inquam, tuique erat officii vespere in Schacchorum vanitate colludere, & manum Dominici corporis oblatricem, linguam inter Deum, & populum mediatricem sacrilegi ludibrii contaminatione fœdare?* Deinde, ne quidem audita excusatione, qua Episcopus discrimen inter latrunculos, & aleas intercedere contendebat, ipsi hanc pœnam imposuit: *Cui mox præcepi, ut ter Psalterium meditando percurreret, ac duodecim pauperum pedes sub totidem numismatum erogatione, eorumque recreatione lavaret; quam rem Episcopus integre perfecit.* Cardinalis autem Baronius id perpendens ita scripsit (6): *Quem* (de B. Petro Damiani sermo est) *sciolus quispiam redarguat hallucinatum, dum sub aleis redigit schacchos, quos, non ut aleas, dubia fortuna volvit, sed humani ingenii acumen exercet. Sit, utcumque velit, ad Pauli sententiam redigendi procul dubio sunt Sacerdotes, qui ait, non licere, quæ non expediunt; non licere, quæ non ædificant* (7).

VIII. Quæ de Presbyteris hucusque dicta sunt, de Subdiaconis etiam, ac Diaconis intelligi debent, qui ad Sacerdotium proxime accedunt, ac Deo peculiari quadam ratione devoventur. Itaque præcipimus, ne ipsi larvati unquam incedant, ne ad publicas choreas conveniant, aut ullos in ipsis, vel alio publico loco ludos instituant, vel ludentibus assistant. Qui non paruerint, pecunia mulctabuntur, Sacerdos viginti scutata Romana, Diaconus quindecim, Subdiaconus vero duodecim persolvet; quæ pecunia piis operibus, vel egenis Centensis Oppidi sublevandis statim erogabitur. Ex Petro Blesensi duodecimi Seculi præclarissimo Scriptore hoc consilium, & exemplum desumpsimus (8): *Certissimam emendationem vobis promitto in ablatione pecuniæ: Sensibilis est illa sententia, non verbalis.*

IX. Neque sane Clericos præteribimus prima Tonsura, vel minoribus Ordinibus initiatos, si aliquod præsertim Beneficium obtineant. Siquidem eadem ipsis, quæ Sacerdotibus, Diaconis, ac Subdiaconis, interdicimus. Beneficium habentes, licet prima Tonsura, seu minoribus Ordinibus prædita, decem scutatis, reliqui vero Clerici tribus omnino plectentur, quæ in eum usum, quem modo declaravimus, convertemus. Si Decreto huic nostro parere recusaverint. Item pro certo habeant eorum modestiam tempore Bacchanalium pro quadam norma futuram nobis esse, cum per Quadragesimam, aut aliud tempus Sacras Ordinationes indicemus. Postremo, quicumque Sacris vestibus, ut supra dictum est, personatus utetur, decem scutatis pœnas luet, quæ eodem modo, quem paulo ante exposuimus, juxta nostro impendentur &c.

## INSTITUTIO XXXVIII.

*De Sacra Eucharistia a Clero percipienda Feria V. majoris hebdomadæ: non licere ullum privatum Sacrum conficere Feria V., Feria VI., ac Sabbato majoris hebdomadæ. Antiquum haberi ritum quo Clerus universus Feria V. ejusdem hebdomadæ, Divinam Eucharistiam sumit, quem plures Ecclesiæ insignes adhuc retinent.*

I. EX veteri Ecclesiæ disciplina universus populus, qui ad Missæ Sacrificium convenerat, Feria V. majoris hebdomadæ Sacram Eucharistiam percipiebat. Id ex Sacramentario Sancti Gregorii colligitur, quod Hugo Menardus anno 1624. (9) in lucem protulit, ubi hæc leguntur: *& communicat omnis populus ordine suo* Neque solum pietate, sed præcepto Fideles ducebantur, quemadmodum testimonio antiqui Canonis *In Cœna Domini, de Consecrat. dist.* 2. aperte comprobatur. Si quis præterea affirmaret in more positum fuisse, ut sexta Feria ejusdem hebdomadæ Fideles iterum ad Sacram Eucharistiam accederent, hanc sententiam perspicuis documentis tueri posset, quæ P. Mabillonius (10), & Martene (11) fuse commemorant.

II. Si fides Amato Pougeto (12) habeatur, eadem consuetudo in quibusdam Ecclesiis adhuc a Clericis retinetur: *Hodieque viget* (inquit ille) *in quibusdam Ecclesiis, in quibus Clerici omnes duobus hisce diebus communicant.* Mos tamen universim obtinuit, ut in Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, aliisque Regularium Ecclesiis Clerus universus illi templo addictus, Eucharistiam sumat, dum res divina celebratur (13); Sacerdotes quidem collo pendentem, Diaconi vero a dextro ad sinistrum humerum stolam fluentem deferunt, quemadmodum Gavantus Sacrorum rituum Magister tradit (14).

III.

(1) *Cap. inter dilectos, de excessibus Prælatorum.* (2) *Sess. 23. cap. 1. de reformat.* (3) *In actis Ecclesiæ Mediolanen. tom. 1. pag. 18.* (4) *Lib. 2. de Planct. Ecclesiæ cap. 5.* (5) *In Opusculo 20. tom. 3.* (6) *Anno Christi 1061. num. 42.* (7) *Epist. 1. ad Corinthios.* (8) *Epist. 79.* (9) *Pag. 69.* (10) *Tom. 2. Musei Italici, in Comment. de Ordine Romano pag. 72.* (11) *De antiqua Eccl. disciplina in Divinis celebrandis Officiis cap. 23. num. 25.* (12) *In Institut. Catholic. tom. 1. pag. 840.* (13) *Andreas Saussajus in Panoplia Sacerdot. lib. 1. part. 2. cap. 9. §. 1.* (14) *In Rub. Miss. part. 4. tit. 7. num. 7. Venet. impress. anno 1690. pag. 181.*

III. Ritus ejuſmodi documentum nongentis abhinc annis ex Ordine Romano deprehenditur, ubi ſic legitur (1): *Fractis oblatis, communicent Presbyteri primo, poſtea Diaconi, & cæteri omnes, & ita perficiatur.* Romani tane Pontifices omnem curam ſemper contulerunt, ut hunc ritum conſervarent, ut mox ſubjiciemus; ac reliquis omiſſis S. Carolus Borromæus ita conſtituit (2): *Feria quinta in Cœna Domini ſinguli, qui in Cathedrali, Collegiatave Eccleſia vel Dignitatem, vel Canonicatum obtinent, etiam qui Sacerdotalis Ordinis ſunt, & reliqui item ſinguli ejuſdem Eccleſiæ Clerici Corpus Domini in ſolemni Miſſæ Sacro, quod illo die in ea Eccleſia fiet, ſumant*; Cœremoniale quoque Epiſcoporum Clementis VIII., Innocentii X., ac Benedicti XIII. auctoritate probatum hæc habet (3): *Deinde antequam ſe purificet* (de Epiſcopo res eſt) *communicat primum Diaconum, & Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, & alios Sacerdotes de Eccleſia, qui ſtolam a collo pendentem ſupra cottam habere debet, & denique omnes de Clero.*

IV. Nos autem, qui fere per quadraginta annos Romæ verſati ſumus, & in Baſilica Vaticana Canonici Theologi titulum plurimis annis obtinuimus, teſtes ſumus de communi inſignium Urbis Baſilicarum uſu, in quibus univerſi Canonici, etiam Sacerdotio inſigniti, item Beneficio præditi, omneſque Clerici Eccleſiæ, Chriſti Corpus celebrantis manu ſuſcipiunt. Qui vero Epiſcopali honore fulgent, & ad Chorum ſuis inſignibus ornati conveniunt, habita dignitatis ratione, in domeſticis, & privatis, vel in clauſis Sacrarii Sacellis eo die rem divinam conficiunt.

V. Si quis hujus inſtituti cauſam ſcire velit, ſtatim ipſam explicabimus. Eadem Feria V. Sacræ Euchariſtiæ ſolemne Feſtum celebratur, quam poſtrema Cœna Chriſtus Dominus inſtituit; quo tempore, juxta Concilii Tridentini ſententiam, Sacerdotium quoque Apoſtolis contulit (4). Quare, ſicut Divinus Salvator ſibi primum, ac deinde Apoſtolis Sacroſancta Myſteria tradidit, ita conſentaneum fuit, ut Sacerdos Feria V. majoris hebdomadæ ſuſcepta Divina Euchariſtia, ipſam poſt univerſo Clero diſtribueret, qui Eccleſiæ adſcribitur, ubi Sacrum peragitur.

VI. In Evangelio quidem non habetur, Sacram Euchariſtiam a Domino ſuſceptam, antequam Apoſtolis tribueretur, uti modo dictum eſt; id tamen contigiſſe communi omnium Patrum opinione declaratur. Sanctus Hieronymus ad Hedibiam ita ſcribit (5): *Dominus Jeſus ipſe conviva, & convivium, ipſe comedens, & qui comeditur.* Sanctus etiam Thomas fuſius rem comprobat (6), & Dominum nihil docuiſſe contendit, quod prius exemplo non indicaverit. Interpretes vero Canonis 87. diſt. 2. ſic aſſerunt: *Comedit ergo Chriſtus ſe ipſum, ſed non quoad effectum, quia non indigebat.* Poſtremo Sanctus Thomas loco ſuperius allato, cum ad tertium argumentum reſpondet, Chriſtum Dominum, dum ſuum corpus comederet, nullo gratiæ argumento cumulatum affirmat, ſed quadam ſpirituali ſuavitate perfuſum pro nova illa Sacramenti inſtitutione, quemadmodum Sancti Lucæ verbis deprehenditur: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum.*

VII. Hæc noſtra Metropolitana, aliæque duæ Civitatis Collegiatæ ritum, quem paulo ante expoſuimus, omnino ſequuntur: Idem tribus Collegiatis noſtræ Diœceſis præcipimus, ſi forte aliam conſuetudinem induxerint. Nobis enim delatum fuit in una ex iiſdem Collegiatis Feria V. in Cœna Domini Sacrum perfici, Clerum celebrantis manu Divinam Euchariſtiam accipere, aliquos vero Sacerdotes, præſertim Canonicos cum reliquis minime ad cœleſtem menſam accedere, cum rem Divinam jam antea confecerint, vel conficere poſtea deliberaverint. Id omnino ipſis interdicimus; omneſque, dum ſolemne Sacrum peragitur, ea ratione, quæ ſuperius expoſita eſt, Divinum Chriſti Corpus accipiant.

VIII. Profecto ſatis erat, nequis Sacerdos, aut Canonicus hunc ritum negligeret, Deceſſoris noſtri Cardinalis Boncompagni Decretum die 7. Aprilis anno 1724. promulgatum, præter Sacrum Parochiale, vel Conventuale, quemadmodum a Sac. Rituum Congregatione conſtitutum fuit, privatim Miſſæ Sacrificium celebrare vetitum fuit Feria V. & ſexta, ac Sabbato majoris hebdomadæ, non modo in privatis Sacellis, ſed etiam in Regularium, ac ſecularium Eccleſiis: omnibus quoque privilegiis, & contraria conſuetudine penitus abrogata. Quod ſi Decreti ejuſdem memoria penitus ex ipſorum animis exciderit, hæc pauca verba, quæ Feria V. in Cœna Domini oculis ſubjiciuntur, facile percurrere potuiſſent: *Hodie, & duobus ſequentibus diebus prohibentur ubique Miſſæ privatæ.*

IX. Sed quoniam una ex Collegiatis noſtræ Diœceſis etiam poſt hæc tam perſpicua edicta frequenter juſſa detrectavit, ideo ſignificamus, eam mentem Summis Pontificibus ineſſe, ut nulla ſacra Feria V., ſexta, & Sabbato majoris hebdomadæ privatim fiant. Id Clementis XI. Decreto (7) continetur, ubi quodcumque ſolemne, aut privatum Miſſæ Sacrificium prohibet Feria ſexta majoris hebdomadæ, licet Feſtum Annunciationis Beatæ Virginis celebrandum in ea contingat, jubetque ea plene ſervari, quæ in eum diem a Romano Rituali præſcribuntur; poſt hæc ita ſubdit: *Poſtremo Sanctitas Sua declarat hac interdictione, quae Feriae ſextae ratione facta eſt, haud permittere, ut Feria quinta, ac Sabbato ejuſdem majoris hebdomadæ ſacra privatim inſtituantur, ſed Conventuale ſolummodo juxta ritum Sanctae Eccleſiae, & plura Decreta Sacrorum Rituum Congregationis.* Die vero 3. Aprilis anni 1719. juſſu ejuſdem Pontificis Cardinalis Paraccianus Urbis Vicarius hoc monitum promulgavit: *Sanctitas Sua juxta ea, quae pluries a Sac. Rituum Congregatione ſancita ſunt, præcipit omnibus Sacerdotibus, ut a Miſſis celebrandis privatim abſtineant non modo Feria VI. ſed etiam Feria V., ac Sabbato majoris hebdomadae tum in privatis Sacellis, tum in publicis Regularium, vel Secularium templis, quibuſcumque privilegiis praedita ſint, quae omnia, & quamlibet contrariam conſuetudinem penitus abrogant.*

X. Illud quoque notum facimus, Presbyteros omnes, etiam Canonicos Capituli, Dignitates, & reliquos Clericos huic Metropolitanæ, vel Collegiatis cum Urbis, tum diœceſis adſcriptos ea lege obſtringi, ut Feria V. in Cœna Domini Sacram Euchariſtiam celebrantis manu ſuſcipiant. Satis id probant, quæ ſuperius adduximus, & alia Sacrorum Rituum Congregationis Decreta, quæ Gavantus (8), ac Biſſus commemorant (9). Horum ſane præceptorum vim effugere nequeunt Sacrum antea privatim facientes. Hoc namque vetitum eſt, uti nuper oſtendimus, niſi forte S. Joſephi dies feſtus in eamdem Feriam V. incurrat. Tunc enim (licet Officium in alium diem transferatur) præceptum tamen indicitur audiendi Sacrum, & a ſervilibus operibus abſtinendi, juxta decretum editum die 13. Septembris anno 1692. in quo præterea hæc adduntur: *Adeoque per Ordinarios Locorum accurate providendum, ut eo die aliquae quidem Miſſe privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint; ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni ejus diei, quo Eccleſia Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus detentus nullatenus omittatur.*

Idem decernendum, ſi Feſtum Annunciationis Beatæ Virginis eadem Feria V. celebrandum occurrat, quemadmodum Sacra Rituum Congregatio die 12. Septembris anno 1716. ſanxit; cum ſequenti anno 1717. eadem Feria V. Feſtum illud contigerit. Anno pariter 1728. cum idem eveniſſet, Cardinalis Boncompagnus Deceſſor noſter edictum in lucem protulit, quod Civitatem, ac Diœceſim complectebatur, in quo templa deſignavit, ubi privatim Sacra ante Conventualem Miſſam fieri liceret, ipſorum numerum conſtituit, eamque normam propoſuit, ut eodem die Clerus univerſus, dum Sacerdos Miſſam ſolemnem ageret, ipſius manu Chriſti Corpus ſumere teneretur.

XI. Cum hæc ita ſe habeant, ſi quis abſque legitima cauſa Canonicus, Sacerdos, aut Clericus majoribus, ſeu minoribus Ordinibus initiatus eiſdem Eccleſiis addictus hanc legem contemnat Feria V. majoris hebdomadæ, præcipimus, ut ille qui abſentes a Choro notare conſuevit, nes certiores faciat, ut debitas pœnas infligamus. Si ipſe pro munere ſuo nos admonere negligat, pœnas in eum convertemus. Si vero præter Parochum in ſua Parochia, Sacerdos aliquis cujuſcumque conditionis, aut dignitatis Miſſam (quod ſuſpicari vix poſſumus) privatim Feria V., ſexta, a Sabbato majoris hebdomadæ celebrare auſus fuerit, ipſum graviter puniemus, & a *Divinis* etiam interdicemus. Pœnas etiam dabit cuſtos Eccleſiæ, vel Sacelli, ubi ſacrum peractum fuerit.

XII. Neque æſtimanda ſunt eorum teſtimonia, qui Sacrum

eadem

(1) *De Cœna Domini.* (2) 3. *Concil. Provinc. In Actis Eccl. Mediolan. tom.* 1. *pag.* 79. (3) *Lib.* 2. *cap.* 23.
(4) *Seſſ.* 22. *de Sacrificio Miſſæ cap.* 1. (5) *Epiſt.* 150. *queſt.* 2.
(6) 4. *ſentent. diſt.* 8. *qu.* 12. *art.* 1. *part.* 3. *qu.* 82. *art.* 1. (7) *Promulg. die* 15. *Martii* 1712. 17. *in ejus Bullario.*
(8) *In Manuali in Verbo Canonici munera num.* 48. (9) *In verbo Communic. Euchariſtiæ ſub n.* 383.

eadem Feria V. confici posse scripserunt; fatentur enim se ignorare, utrum id vetitum unquam fuerit. Quare post tot Decreta, quæ in medium protulimus, illorum sententias penitus corruere necesse est. Postremo illud monendum videtur, eos, qui Scriptores de Ecclesiastica disciplina, sacrisque ritibus percurrunt, nec Pontificum Constitutiones, & Decreta super iisdem rebus antea cognoverunt, cum illis merito conferri posse, qui libros de moribus, & christiana lege tractantes assidue manibus terunt, nec antea sententias a Summis Pontificibus proscriptas menti demandarunt. Utrique sane in supertissimos errores labuntur, dum lectionibus ejusmodi detinentur.

## INSTITUTIO XXXIX.

*De Missæ Sacrificio, quod Sabbato majoris hebdomadæ celebrari solet, ac de benedictione ignis, cereique Paschalis eadem die peragenda. In singulis Parochiis Paschalem cereum esse conficiendum. Ritum hunc ab omni antiquitate probari. Hæc autem omnia non seorsim facienda, neque in alium diem protrahenda.*

I. NOn sine gravi dolore accepimus nonnullos hujus Diœcesis Parochos ritus ab Ecclesia præscriptos negligere, nec Sacrum facere Sabbato majoris hebdomadæ. Item ignis, cereique Paschalis benedictionem die ipso Paschatis post prandium instituere, quam non semel ad insequentem feriam secundam prorogant; cujus rei eam afferunt causam, quod Sabbato majoris hebdomadæ ad principem Ecclesiam pro Baptismalis fontis benedictione conferre se debeant.

II. Parochi omnes nostræ Diœcesis feria quinta, sexta, ac Sabbato majoris hebdomadæ sacras cæremonias, & ritus ab Ecclesia propositos exequi debent, ignem, cereumque eodem Sabbato sacrare, neque in diem Dominicum, aut feriam secundam Paschatis id protrahere.

III. In Ambrosiano Missali præcipitur (1), ut per eos dies majoris hebdomadæ in Cathedralibus, Collegiatis, atque in Parochiis, non autem in privatis Sacellis Missæ Sacrificium peragatur (2). Michael Bauldrius cæremoniarum peritissimus, non modo ordinem explicat, qui feria quinta, sexta, ac Sabbato ejusdem hebdomadæ in Sacris cæremoniis perficiendis observandus est, sed etiam singillatim eos declarat, ut normam aliquam illis Ecclesiis tradat, in quibus exiguus Clericorum numerus, aut unicus etiam Sacerdos versatur. Insuper inter opuscula, quæ Benedictus XIII. de nobis optime meritus pro Ecclesiæ Beneventanæ, quam tunc obtinebat, administratione edidit, quæque collecta, ac Romanis typis excusa fuerunt anno 1726., unum præ cæteris occurrit Bononiæ impressum anno 1732. in quo Sacri ritus, ac cæremoniæ, quas in majori hebdomada indicit Ecclesia, Parochorum gratia fuse explanantur.

IV. Si quis altius repetere velit horum rituum vetustatem, insigne opus percurrat, quod Anastasii Bibliothecarii nomine circumfertur. In vita Zosimi Pontificis, qui anno 417. Summus Romanus Pontifex renunciatus fuit, hæc verba deprehendet: *Et per Parochias concessa licentia cereos benedici.*

V. Nonnulli contendunt Seculo ante Pontificatum Zosimi ritum ejusdem benedictionis inductum fuisse, & Prudentii auctoritate nituntur, cujus hymnus inscribitur: *Ad incensum Cerei Paschalis*. Sirmondus tamen ingenii laude præclarus ex antiquis codicibus hymnum his verbis inscriptum comperit: *Ad incensum lucernæ*. Quare non de Paschali Cereo, sed de igne sermo, est, qui ex silice depromi Sabbato majoris hebdomadæ quotannis solebat, ut lampades inde templi accenderentur: Id asserunt Thomassinus (3), Menardus (4), ac Martene (5).

VI. Aliqui vero Zosimum Pontificem ejus ritus auctorem constituunt: *Zosimus Papa* (inquit Sigebertus (6)) *decernit, Cereum Sabbato Sancto Paschæ per Ecclesias benedici*. Si tamen Anastasii verba recte expendantur, facile conjici poterit ejusdem ritus initium non tribuendum esse Zosimo sed tantum ad Parochias ipsius facultate fuisse propagatum; nam ante Pontificatum Zosimi, Cerei benedictio in Ecclesiis solum principibus, quæ Basilicæ appellantur, fieri consueverat (7).

VII. Paulo ante sacras cæremonias in hebdomada majori juxta Ecclesiæ legem peragendas innuimus, neque ignis, Cereique benedictionem sejungendam declaravimus, quæ Sabbato ipsius hebdomadæ præcipitur: tandem in diem Dominicum Paschatis, aut feriam secundam id produci minime licere. Christi Corpus per tres dies, ac tres noctes in sepulcro delituit, sicut S. Matthæi testimonio deprehenditur (8). Id etiam liquido conflat, si diei spatium a media nocte in aliam nocte m definiatur, & si pro usitato Sacrarum litterarum modo pars loco totius desumatur. Hinc de doctrina Christiana S. Augustinus tradit (9): *Hoc modo locutionis, quo significatur a parte totum, etiam illa de Resurrectione Christi solvitur quæstio.*

VIII. Primo hebdomadæ die, quem nos Dominicum nuncupamus, circa auroram ad novam, immortalemque vitam Salvator resurrexit. Ob hanc causam piæ Mulieres, *quæ valde mane, & vix orto Sole* ad Sepulchrum eo die se contulerunt, Christum Dominum a mortuis jam excitatum comperierunt (10): ideoque juxta Amalarii sententiam (11): *In nocte Sanctæ Resurrectionis Domini Missam celebramus propter eamdem Resurrectionem, quæ in ea completa est.* Licet vero hoc Missæ Sacrificium paulo post Seculum decimum circa meridiem celebrari incœperit, Ecclesia tamen easdem semper in Missa precationes retinuit, in quibus noctis mentio continetur: *Nunc circa meridiem* (inquit eruditissimus Cardinalis Bona (12)) *hanc Missam canimus: sed quamvis hora anticipetur, non sunt tamen mutatæ Orationes, in quibus noctis mentio fit.* Quid ignis Cereique benedictio præferat, a Francisco Amato Pouzeto his verbis declaratur (13): *Ignis ille e silice excussus videtur Christi recens e mortuis suscitati typum ferre.* Gavantus autem subdit (14): *Significat autem Cereus Christum resurgentem.* Satis etiam perspicua sunt verba quarti Toletani Concilii, quod Garnier secundo in lucem promulgavit (15). *Lucerna, & Cereus in pervigiliis Paschæ apud quasdam Ecclesias non benedicuntur; & cur a nobis benedicantur, inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius Sacramentum solemniter hæc benedicimus, ut Sacræ Resurrectionis Christi Mysterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione Sancti Luminis suscipiamus.* Quare in dubium revocari non potest Missæ Sacrificium, quod Sabbato majoris hebdomadæ instituitur cum benedictione ignis, & Cerei conjungendum, neque proferri posse in Dominicum diem Paschatis, vel secundam feriam, non modo, ut Sacrorum Rituum series haud perturbetur, sed ne alienum tempus a celebritate Dominicæ Resurrectionis nimis remotum, illæ cæremoniæ protrahantur, quæ pro ipsa nobis indicanda constitutæ fuerunt, tanquam eo temporis spatio, vel paulo ante contigerit.

IX. Cum hæc ita se habeant, Parochis nostræ Diœcesis indicimus, ut in suis Ecclesiis majoris hebdomadæ ritus celebrent, ac Sabbato ipsius hebdomadæ Sacrum faciant, ignem, & Cereum illo die confecrent, & nihil eorum prætermittant, quæ in Missali Romano describuntur. Qui parere recusaverint, pœnas dabunt nostro arbitrio infligendas. Ne locus excusationi supersit, neve aliquid ex illis, quæ modo memoravimus, omittatur; & ne simul Parochi ad Ecclesiam principem eadem die convenire negligant, quemadmodum alio peculiari Decreto magnopere commendavimus, singulis Vicariis foraneis facultatem concedimus, ut Parochis sibi subjectis alium Sacerdotem, aut Ecclesiasticum suo loco sufficere, qui fontis benedictioni assistat, tunc solum permittant, cum illorum Parochia ab Ecclesia principe ita sejungitur, ut Sacris cæremoniis in propria Ecclesia satisfacere, eodemque die fontis confectioni interesse difficile omnino videatur. Caurum tamen volumus, unicum Sacerdotem per duos Parochos subrogari non posse, ut totidem adsint Ecclesiastici, dum fons confecratur, quot Parochi, si præsentes adessent, numerantur. Qui per se vel per alium Ecclesiasticum, facta prius per Vicarium foraneum potestate, dum fontis benedictio peragitur, minime interfuerint, nostro arbitrio punientur, quemadmodum eo decreto, de quo nuper dictum est, indiximus.

---

(1) *In Rubr. Missæ Feriæ V., & Sabbati Sancti.* (2) *In Manuali Sacr. Cæremon.* (3) *In suo Tract. Fest. lib. 2. cap. 14. n. 3.* (4) *In notis Sacramentar. Gregorii pag. 90.* (5) *In Tract de antiqua Ecclesiæ Disciplina in Divinis celebrandis Officiis pag. 405 edit. Lugd. anno 1706.* (6) *Ad ann. 417.* (7) *Baron. in Annal. anno Christi 418. num. 70. Binius, & Labbeus in notis ad Anastas. tom. 3. ult. edit. Rom. anno 1728. pag. 80. Pagius in Brev. Rom. Pontif. in vita Zosimi num. 11. tom. 1. Macrius in notitia vocabulorum Ecclesiastic. in verbo*: Cereus Paschalis. *Burius in brevi notitia Roman. Pontif. in vita Zosimi. Sarnelli in litteris Ecclesiast. tom. 10. lit. 79.* (8) *Cap. 12.* (9) *Lib. 3. cap. 35.* (10) *Marc. cap. 16. Luc. cap. 23.*
(11) *De Divinis Officiis lib. 4. cap. 40.* (12) *Rerum liturgic. lib. 1. cap. 21.* (13) *In Institution. Catholicis tom. 1. p. 848.*
(14) *Part. 4. tit. 10. de Sabbato Sancto num. 8.* (15) *Cap. 9.*

## INSTITUTIO XL.

*De jurisdictione fori Ecclesiastici. Causæ civiles, ac profanæ, in quibus Ecclesiastici rei personam gerunt, ad forum Ecclesiasticum sine ulla dubitatione primo referendas esse. Eadem causas ob vetustissimam consuetudinem in hac Civitate, ac Diœcesi ad idem forum pertinere, etiamsi Ecclesiastici Actores fuerint. Utrum ex hoc forum seculare penitus excludatur ab iis causis cognoscendis.*

I. JAcobus Cardinalis Boncompagnus Decessor noster die 30. Octobris anno 1690. Decretum promulgavit, ut Fori sui Ecclesiastici jurisdictionem defenderet, seu de civilibus causis, seu de criminibus cognoscendis ageretur. Præclarum ipsius exemplum sequimur, licet nullum dissidium, molestia nulla, & nulla in potestatem nostram controversia excitata fuerit. Id consilii cœpimus, ut muneris nostri partes impleamus. Item, ut, si quis eorum quæ ad nostrum Forum spectant, cum civiles causæ indicuntur, non meminerit, vel ipsa ignorare simulet, vel ob oscitantem socordiam fortasse ignoraret, per hanc nostram declarationem instruatur: ipse quidem ex animo tenebras depellet, aut saltem ignorantiam suam excusare deinceps non poterit. Nos autem illud assequemur, ut cauti, prudentesque apud honestos homines videamur, si in posterum aliquid inviti contra eos sucipiemus, qui jurisdictionem nostram violaverint.

II. Novum sane, aut dubium non est, civiles causas, ac de rebus profanis, quibus Ecclesiastici implicantur, ad nostrum Forum primo deferendas, quod per Tridentinam Synodum apertissime decernitur (1): *Causæ omnes ad Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur &c. Legati quoque, etiam de Latere, Nuntii, Gubernatores Ecclesiastici, aut alii quarumcumque facultatem vigore non solum Episcopos in præditis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare non præsumant.* Ea verba *Causas omnes* procul dubio civiles universas, de matrimoniis, de criminibus, ac de beneficiis agentes complectuntur (2). In reliquis autem verbis, *ad Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes*, non modo causæ reapse Ecclesiasticæ nempe de matrimoniis, aliisque hujusmodi, sed etiam civiles, aut criminosæ continentur, quæ in personam, vel rem Clericorum statuuntur (3).

III. Cum pluribus in locis hoc institutum pro agendis Clericorum causis in desuetudinem abiisset, a Tridentina Synodo (4) restitutum fuit, petentibus Hispaniarum Episcopis, qui ob hanc rem de Ecclesiastica jurisdictione benemeriti sunt, quemadmodum Cardinalis Pallavicinus (5) commemorat. Id vero tanti habetur, ut die 4. Augusti anno 1691. (6), cum a Sacra Concilii Congregatione quæsitum esset: *An de consensu Episcopi possit causa in prima instantia in Curia introduci, nisi partes ambæ consentiant, non obstante cap 20. sess. 24. de Reformatione &c.* responsum hoc modo fuerit: *Sacra &c. censuit, causam de Episcopi consensu non posse in prima instantia in Curia introduci, nisi partes etiam consenserint.*

IV. Hæc sane omnia singulis Episcopis tribuuntur, non ea tamen, quæ subjicimus; utrum nempe ad Forum Ecclesiasticum pertineant causæ in prima istantia, in quibus Clerici actores solum, Laicus autem reus habeantur.

V. Certissimum ex jure est, forum, qui reo conveniat, ab Actore seligendum esse. Quare, inquit Alexander III. (7) *Si Clericus laicum, de rebus suis, vel Ecclesiæ impetierit, & laicus rei ipsas non Ecclesiæ esse, aut Clerici, sed suas proprias asseverat, debet de rigore Juris ad forensem Judicem trahi, cum Actor Forum rei sequi debeat.* Illud quoque docent communiter Jurisperiti, atque ex ipso Pontificio jure dimanat, id non esse observandum, si consuetudo aliter obtinuerit; hinc idem Pontifex ita constituit (8): *Licet in plerisque aliter de consuetudine habeatur.* Solum inquirendum supereſt, an Ecclesiasticus Actor ad forum pariter Ecclesiasticum causam deferre debeat, an vero Judicem forensem pro voluntate sua eligere possit, quæ controversia per vim consuetudinis etiam dirimitur. Quare, si causæ ejusmodi ad forum Ecclesiasticum privative spectare consueverint, tum Clericus Actor ad idem forum confugere tenebitur, nec aliam viam suscipere poterit, nisi forte Episcopus permiserit, ut ad forum Laicum res deferatur. Ita sancitum fuit a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis præposita: *Contendentibus* (nempe Episcopo, & Domino Laico) *de & super laudabili consuetudine Laicos ad Forum Ecclesiasticum in Causis civilibus profanis, & in quibus Clerici sunt Actores, etiam privative ad eumdem Bertholdum Marchionem trahendi, præd. Congreg. partium Advocatis pluries auditis, ac juribus per eos deductis diligenter perpensis, Laicos a Clericis ad Forum Ecclesiasticum in Causis præditis trahi posse, & debere, eosdem Clericos prædicti Episcopi licentia Laicos hujusmodi coram Judice laico pro similibus causis convenire minime posse, censuit.* Hanc sententiam Paulus V. die 9. Martii anno 1617. Apostolicis litteris confirmavit, quæ etiam post Consilium 98. Ramonis impressæ fuerunt (9).

VI. In hac quidem Civitate, ac Diœcesi vetustissima consuetudine factum est, ut civiles causæ, in quibus Clerici Actores sunt, in Ecclesiastico foro pertractentur. Id præsertim constat ex Joanne Francisco Leone Generali Vicario Alphonsi Palæotti, qui die 22. Julii anno 1597. Bononiensis Archiepiscopus renunciatus fuit. Siquidem in eo libro, quem *Thesaurum Fori Ecclesiastici* nuncupavit (10), postquam asseruit civiles, ac profanas causas, in quibus Clerici Actoris partes agunt, ad forum Laicum primo referendas esse, tamen Bononiæ contrarium observari his verbis testatur: *Fallit in Civitate Bononiæ &c. & ita viget immemorabilis consuetudo, quod & ipse testari possum, ad quem, dum Vicariatus Officium pro Domino meo Alphonso Palæotto dictæ Civitatis Archiepiscopo exercui, quod etiam nunc exerceo, quamplures civiles Clericorum causæ active, & passive cum Laicis vertentes delatæ fuerunt; & licet ex adverso aliæ personæ privilegiatæ, nempe regulares, Vidue, ac Pupilli existant, Clerici tamen trahunt, & non trahuntur.*

VII. Alexander vero Ludovisius an. 1612. Bononiensis Archiepiscopus, dein Cardinalis, ac postremo Pontifex declaratus assumpto nomine Gregorii XV., omnium, quæ ad hanc Civitatem, ac Diœcesim spectant, peritissimus, in litteris Apostolicis die 28. Aprilis anno 1622. scriptis, quas etiam in fine subjiciemus, eamdem consuetudinem ita comprobat: *Et pariter, eam ibi extare consuetudinem, viderimus, quod in causis Civilibus Clerici Actores trahunt Laicos reos ad Forum Ecclesiasticum.* Iisdem Litteris, quod maximi est momenti, decernit, ut Causæ cujuslibet naturæ, & quantumvis pecuniæ magnitudinem præferunt, sive loca Pia, & Ecclesiastici Actores, sive rei nominentur, in Foro Archiepiscopali primo cognosci debeant, quo Decreto etiam Ecclesiasticos, ac loca Pia totius Diœcesis complexus est, illis solum causis prætermissis, in quibus pro facultate, quam Cardinales Legati obtinent judicandi de Clericorum criminibus, ea scelera in judicium afferuntur, ob quæ Ecclesiastici foro seculari tradendi videantur.

VIII. Has litteras Gregorii XV. nonnulli ita explicarunt, ut in causis etiam civilibus, in quibus Ecclesiastici, aut Pia loca partes Actoris gerunt, judicandi facultatem soli Archiepiscopo concedi existimaverint. In hac opinione fuisse videtur Antonius Rodulphus Vicarius Generalis Bononiæ, uti ex suffragio deprehenditur, quod apud Ramonem loco superius allato fuit impressum. Id pariter sibi tribuendum censuit Cardinalis Jacobus Boncompagnus, qui hanc eamdem Sedem occupavit. Cum tamen in peculiari Congregatione per Alexandrum VIII. constituta, ac deinde per Innocentium XII. mortuo Alexandro suffectum confirmata, illud in examen adductum fuisset: *An in Brevi Gregorii XV. tribuatur privativa jurisdictio Archiepiscopis Bononiæ, etiam quoad Legatos de Latere, nedum in criminalibus, sed etiam in civilibus, in quibus Actor est Ecclesiasticus, & laicus reus;* die 28. Martii 1692. hoc pacto responsum fuit: *Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Cardinalium deputata super controversiis inter Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Legatum Bononiæ, & Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Archiepiscopum ejusdem Civitatis, censuit die Lunæ infrascripti mensis, in causis civilibus contra laicos, in quibus Actores sunt Ecclesiastici, competere dumtaxat eidem Domino Archiepiscopo jurisdictionem cumulativam. In causis vero criminalibus dilata. In quorum fidem &c. Nicolaus Cardinalis Acciajuolus. Facta per me infrascriptum relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua Congregationis deputatæ sententiam benigne appro-*

---

(1) *Sess. 24. cap. 20. de reformat.* (2) *Barbosa in notis cap. 20. num. 5.* (3) *Pyringh. ad tit. Decretalium de Foro competenti, sect. 3. §. 2. num. 84. & seqq.* (4) *Loco superius allato.* (5) *In historia Sacri Conc. Trid. lib. 22. cap. 8. num. 6.* (6) *Lib. 12. Decretorum pag. 22.* (7) *In cap. si Clericus laicum de foro competenti.* (8) *In Canone superius allato.* (9) *Lib. 3. in observat. pag. 549. & seqq.* (10) *Part. 2. cap. 28.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*bavit. Hac die 28. Martii 1692. Joannes Franciſcus Cardinalis Albanus.*

IX. Cum hæc ita ſint, judicium noſtrum cohibemus a vindicanda nobis tantum criminalium cauſarum, ubi Clerici Actores ſint, cognitione, de qua nihil ab eadem Congregatione ſtatutum eſt: ſignificamus tamen innixi Sacræ Congregationis auctoritati primum judicium in cauſis civilibus, cum Clerici Actores, & Loca Pia exiſtunt, nobis ita tribuendum eſſe, ut Actores Clerici ad alterum forum reos adducere poſſint. Quam ob cauſam jure expoſcere videmur, ut nullus per ſe, vel per alium quolibet modo eos impediat, qui ad Forum Eccleſiaſticum cauſas ſuas deferre velint, neque clamoribus ac minis Patronos, & Scribas ab eodem foro invitos abducant, & ad laicale impellant. Nullus inſuper de juriſdictione Eccleſiaſtica per jocum, & ludibrium verba faciat, quæ minime inter ineptias adnumerari debet, cum per Sacros Canones excommunicatio *ipſo facto* inferatur; noſque tanta audacia perculſi eo deveniemus, ut eadem pœna delinquentes affectos declaremus. Id ſatis aperte Bonifacius VIII. indixit (1): *In Foro Eccleſiaſtico Delegato, ſeu Ordinario litigantes, ſeu litigare volentes, ſive ambæ partes hoc voluerint, ſive una, ſuper cauſis Eccleſiaſticis, ſive quæ ad forum Eccleſiaſticum ratione perſonarum, negotiorum, vel rerum de jure, vel antiqua conſuetudine pertinere noſcuntur, per ſe, vel per alium ad deffendum, vel in Foro Seculari de quæſtionibus hujuſmodi litigandum modis aliis quibuſcumque compellat, ſeu compelli faciat, vel procuret &c. ad prædicta facienda det auxilium, conſilium, vel favorem &c.* Illos, qui hæc commiſerint, excommunicationi *ipſo facto* obnoxios decernit, a qua abſolvi nequeant, niſi prius hæc perficiantur: *Si quis vero contra præſumpſerit, excommunicationi ſe ipſo facto noverit ſubjacere, a qua, niſi tam Judici, cujus cognitio fuerit impedita, vel juriſdictio uſurpata, quam parti, quæ turbata in proſecutione fuerit ſui Juris, de injuria, damnis, expenſis, & intereſſe prius per eumdem fuerit ſatisfactum nullatenus abſolvatur.*

X. Plura alia Canonum Decreta illis cenſuras inſligunt, qui juriſdictioni Eccleſiaſticæ impedimentum aliquod interponant, quod ſane contingit, cum quis revera impedit, vel impedire contendit, ne forum Eccleſiaſticum non modo eas cauſas agnoſcat, quæ ad ipſum unice referuntur, ſed alias pariter, quæ ad utrumque forum ſpectare judicantur. Finem ſermoni dabimus, afferentes, nihil unquam levius, aut inanius nos percepiſſe, quam ea, quæ in vulgus temere, vel ignoranter a quibusdam proferuntur; litteras nempe Apoſtolicas Gregorii XV. omni vi penitus deſtitutas, poſtquam Clemens XII. edictum illorum gratia promulgavit, qui in Legationibus Ferrarienſi, Bononienſi, Urbinate, ac Ravennate immunitates ac privilegia obtinuerunt. In eo Decreto de illis agitur, qui immunitates ejuſmodi a Cardinalibus, Patriarchis, & Epiſcopis conſequuti ſunt. Loca autem Pia, & Clerici beneficium fori Eccleſiaſtici obtinent, non quod ullo Cardinalium, aut aliorum privilegio, ac tutela gaudeant, ſed ob ea, quæ a Sacris Canonibus, & a Summis Pontificibus ſtatuuntur. Ejuſdem fori beneficium ex allato Pontificis edicto Privilegiariis conceditur, ſalutem in illis cauſis, quæ pertinent ad ipſorum miniſterium, officium, aut munus, cujus ratione idem privilegium habuerunt, non vero in criminoſis, civilibus, aut mixtis, quæ cum illo non conjungantur. Hæc omnia a Locis Piis, & Eccleſiaſticis alieniſſima ſunt; qui nullo ſcripto privilegio, ſed nota diſtincta ſupra cæteros feruntur, ſolique Deo, & Eccleſiæ curas impendunt. Quare nemo eſt, qui non intelligat Clementis edicto nihil imminui ac debilitari litteras Gregorii XV., & leviſſime de rebus eos judicium ferre, qui contrarium aliquid arbitrentur. Summi Pontifices Urbanus VIII., Innocentius XI., Innocentius XII., & Clemens XI., quorum Decreta per allatum edictum renovantur, iis ſolum corruptelis ſe conſulere fatentur, quæ per ejuſmodi Privilegiarios inductæ fuerant, cum a foro ſeculari in qualibet cauſa liberari contenderent: hæc eadem in edicto, de quo ſermo eſt, continentur. Quamobrem, ſi Loca Pia, & Eccleſiaſtici alienis omnino nominibus, quod fieri nequit, Privilegiarii nuncupandi viderentur, corruptela vocari deberet, quoties Clericus Actor in foro Eccleſiaſtico ſuam cum reo laico cauſam inſtitueret: Quippe Alexandri III. Decreto, Pauli V., & Gregorii XV. litteris Apoſtolicis, Sacræ Congregationis ſententia, quam ſuperius memoravimus, contrarium decernitur: & reliquis omnibus omiſſis antiqua conſuetudo rem ſatis comprobat, & ab omni prorſus nota remotam declarat.

## GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

*CUm Nos, dum in minoribus conſtituti Eccleſiæ Bononienſi præeſſemus, Archiepiſcopi Bononien. pro tempore exiſtentis juriſdictionem aliquando diminutam fuiſſe animadvertimus, ex facultatibus Legatorum Apoſtolicæ Sedis habentium quandocumque poteſtatem procedendi in cauſis criminalibus Eccleſiaſticarum perſonarum cumulative cum eodem Archiepiſcopo, ita ut inter eos præventioni locus ſit, & pariter, eam ibi extare conſuetudinem viderimus, quod in cauſis civilibus Clerici Actores trahunt laicos reos ad forum Eccleſiaſticum, nos certam in præmiſſis formam, per quam ejuſdem Archiepiſcopi juriſdictio ſecundum Canonum, & Concilii Tridentini diſpoſitionem conſervetur, & laudabilis eadem conſuetudo confirmetur, & amplietur, quod etiam in cauſis civilibus utile futurum credimus, ipſis partibus propter minora diſpendia, quæ ibi in Eccleſiaſtico foro patiuntur, præſcribere volentes. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in Foro Archiepiſcopali Eccleſiæ Bononienſis, cui dilectus filius noſter Ludovicus Tituli Sanctæ Mariæ Transponting Presbyter Cardinalis Ludoviſius nuncupatus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius noſter ſecundum carnem ex Fratre germano Nepos, ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica præeſſe dignoſcitur, omnes, & quæcumque cauſæ perſonarum Eccleſiaſticarum utriuſque ſexus, & Piorum Locorum Civitatis, & Diœceſis Bononienſis, ſive inter ipſas, & ipſa agantur cauſæ prædictæ, & ſive in illis Actores tantum, ſive rei tantum ſtet eadem Loca Pia, & Eccleſiaſticæ Perſonæ, & cujuſcumque qualitatis cauſæ ipſæ exiſtant, & ad quamcumque ſummam aſcendentes, tam civiles, quam criminales, & mixtæ, & eam activæ, quam paſſivæ contra quoſcumque tam Eccleſiaſticos, quam Laicos, tam Seculares, quam cujuſvis Ordinis, & Inſtituti Regulares, citra tamen derogationem noſtræ nuper editæ Conſtitutionis circa Conſervatores, & privative quoad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, atque Gubernatores, etiamſi a nobis, & ſucceſſoribus noſtris habeant, vel habituri ſint facultatem procedendi in cauſis criminalibus Eccleſiaſticarum perſonarum, ita ut dictæ facultates eiſdem Legatis, & Gubernatoribus nullatenus ſuffragentur, nec illis uti valeant, niſi pro criminibus, pro quibus Eccleſiaſticæ perſonæ foro Secularis traduntur, ac etiam quoad quoſcumque alios tam ordinariam, quam delegatam juriſdictionem habentes, in prima inſtantia jam hactenus motæ, quam in futurum movendæ in Curia, & Foro Archiepiſcopali per Officiales, & Judices ab ipſo Ludovico Cardinali, ac ejus in dicta Eccleſia ſucceſſoribus pro tempore deputatos una cum eorumdem cauſarum incidentibus, & dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totiſque negotiis principalibus audiri, cognoſci, & fine debito, prout juris fuerit, terminari, & debitæ executioni omnino demandari debeant, quodque duæ ſententiæ conformes in cauſis prædictis faciant rem judicatam, nec ab eis appellari, reſtitutio in integrum, ſeu reductio ad arbitrium boni viri peti, ſeu quocumque alio modo reclamari poſſit, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, dictoque Ludovico Cardinali, & ejus in dicta Eccleſia ſucceſſoribus prædictis, & ab eo, & illis pro tempore deputatis Officialibus, & Judicibus hujuſmodi omnes, & ſingulos, nec non Univerſitates, Collegia, & Loca etiam Pia jus, & intereſſe habentia, aut habere quomodolibet prætendentia citandi, etiam per Edictum publicum, conſtito ſummarie de non tuto acceſſu, ac ciſdem ſub cenſuris, & pecuniariis, aliiſque eorum arbitrio imponendis, applicandis, & moderandis pœnis inhibendi, aliaque omnia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi & exequendi eorumdem tenore præſentium plenam, & amplam facultatem impertimur; decernentes præſentes literas de ſubreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu, prætextu, ratione, vel cauſa etiam ex eo, quod Regulares hujuſmodi, ſeu eorum Procuratores auditi, vel cauſæ, propter quas præſentes emanarunt, examinatæ non fuerint, notari, impugnari, reſcindi, ſeu revocari, in jus, vel controverſiam adduci, caſque ſub ſimilium, vel diſſimilium gratiarum, & conceſſionum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, vel Legatorum, aut Gubernatorum facultatibus, aut aliis contrariis diſpoſi-*

(1) *Cap. quoniam, de immunitate Eccleſiarum in ſexto.*

*positionibus cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, & aliis Decretis impetrandis, seu etiam motu proprio concedendis, ullo unquam tempore minime comprehendi, sed semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac perpetuo ab illis exemptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum, & sub posteriori data per eumdem pro tempore existentem Archiepiscopum eligenda, & restitutas, & de novo concessas esse, & censeri, neque, quod idem Ludovicus Cardinalis facultatibus per præsentes sibi concessis, etiamsi pluries casus evenerit, usus non fuerit, opponi posse; Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, regula nostra de jure quæsito non tollendo, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Civitatis, & Diœcesis Bononiensis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & usibus, stilis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non quibusvis Conservatoriis, Privilegiis quoque pro electione Conservatorium, Indultis, & Litteris Apostolicis, nec non quibusvis Conservatoriis, quibusvis Ordinibus, & Personis sub quibuscumque tenoribus, & formis; ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis; quibus omnibus etiamsi pro sufficienti, illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda esset, eorum tenoris præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

*Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscaris die 28. Aprilis 1622, Pontificatus Nostri Anno Secundo.*

S. Card. S. Susanæ.

## INSTITUTIO XLI.

*Instruuntur Parochi Urbani, ac Diœcesani de locali Ecclesiarum immunitate. De causa, & occasione hujus institutionis promulgandæ. De asylo, seu immunitate locali Ecclesiarum, & sacrorum locorum. De criminibus, ob quæ hac immunitate minime gaudent rei juxta commune jus, & veteres Pontificum Constitutiones. De aliis criminibus, ob quæ rei carent eadem immunitate juxta constitutionem Gregorii XIV. Item de aliis criminibus, quæ reis adimunt hanc immunitatem juxta Constitutiones Benedicti XIII. & Clementis XII. De quæstionibus, quas definiverunt iidem Pontifices, circa immunitatem localem Ecclesiarum, ac locorum sacrorum. De extrahendis reis a locis immunibus, cum ea crimina patraverunt, quibus localis immunitas non permittitur. De pœnis, quæ irrogantur reis ob crimina immunitate carentia. De reis, quibus jus asyli in sacri locis conceditur. Postremo qua ratione uti debeant Parochi hac præsenti Institutione.*

### §. I.

*De causa, & occasione hujus Institutionis.*

I. CLemens XII., qui Pontificiam Sedem feliciter obtinet, postquam per se ipsum, ac per Congregationem peculiarem Cardinalium, ac Præsulum virtute præstantium serio perpendit, qua ratione impediri queant tot homicidia, quæ Romæ, atque in tota ditione Ecclesiastica perpetrantur, Constitutionem promulgavit, quæ incipit: *In supremo*: cujus exemplum, & vernacula lingua descriptum compendium transmisit, & per Sacram immunitatis Congregationem die 19. Martii proxime elapsi nobis demandavit, ut ipsius Decreti capita summatim complectentes, singulis Parochis Urbis, ac Diœcesis distribuamus. Cum tamen multa in eadem Constitutione occurrant, quæ intelligi nequeunt, nisi plurima ante percipiantur, quæ per Sacros Canones, aliosque Summos Pontifices præscripta fuerunt, hanc Institutionem loco compendii sufficiendam potius existimavimus. Accedit etiam, quod variis Congregationibus, cum inter Præsules Romæ versaremur, regnantibus tum Clemente XI., tum Benedicto XIII. interfuimus, ubi de plurimis rebus actum fuit, quæ modo in hisce Pontificis litteris continentur. Insuper jussu ejusdem Pontificis Clementis XI. aliqua tunc descripsimus, & in lucem etiam pro nostri ingenii tenuitate protulimus, ut nonnullæ difficultates, quæ tunc propositæ fuerant, clarius explicarentur.

### §. II.

*De asylo, seu de locali immunitate Sacrarum Ædium.*

II. CErtissimum est ex ipso Jure Canonico, reos omnes, qui ad Ecclesiam, & loca Sacra confugiunt, asyli beneficio gaudere, nec sine summo piaculo invitos abduci posse, nisi ea crimina per illos patrata fuerint, quibus asyli privilegium ob rei magnitudinem, & gravitatem a Sacris Canonibus, Summisque Pontificibus denegatur. Conciliorum, & Patrum testimonia, quibus asyli jus comprobatur, Gratianus (1) complectitur. Idem jus Civile confirmat: cum enim salvi, & incolumes evaderent, qui simulacris Principum protegerentur (2), factum est, ut Christiani Principes idem privilegium Sacris ædibus concesserint, & pœnas illis severissimas decreverint, qui reos a Sacris locis per vim divellere conarentur (3). Seculo quarto Eutropius, qui Imperatorem Arcadium ad jus asyli penitus abrogandum impulerat lata lege, quæ in Theodosiano codice tertia adnumeratur, post annum omni honoris titulo destitutus, in Fidelium Ecclesiam restituto jam asyli beneficio aufugere debuit, ut vitam tueretur, quod quidem, interposita Sancti Joannis Chrysostomi auctoritate, obtinuit (4). Attamen asyli institutionem magis approbant Sacræ litteræ, & simul crimina exponunt, quibus asyli securitas recusatur. Nam constitutæ fuerunt refugii civitates, quæ salvos eos præstarent, qui fortuito, non autem consulto aliquem necaverant (5). Exodi vero capite 21. v. 14. ita decernitur: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* In misero Joabo contigit, qui Abner, & Amasa per dolum interfectis, licet sacrum altare complecteretur, tamen jussu Salomonis ibi percussus fuit a Banaja Jojadæ filio, cum a templo exire renuisset, quemadmodum Jojadas ipse præceperat (6).

### §. III.

*Ob qualia crimina ex jure communi, & antiquis Pontificum Decretis rei minime gaudeant Ecclesiæ, & sacrorum locorum asylo.*

III. SI juris communis nomine jus Civile deberet intelligi, nullam ab Ecclesia securitatem reciperent, qui modo, perpetratis quibusdam criminibus ad sacras ædes tuto confugiunt (7). Thomassinus (8) a Balsamone scriptum fatetur juxta Imperatorum leges: *Immunitate frui non permissos homicidas, adulteros, & raptores.* Cum tamen ex Jure Canonico, & Pontificum Decretis agendum sit, primo nullam a sacris ædibus immunitatem consequuntur, qui publice, & imprudenter aliena bona diripiunt: *nisi publicus latro fuerit*: hæc habet Canon: *sicut antiquitus*, eadem verba continentur in decretali: *Inter alia, de immunitate Ecclesiarum.*

IV. Secundo, qui nocturno tempore agros depopulatur, & messes, fructusque igne devastat, ut in eadem decretali his verbis ostenditur; *vel nocturnus depopulator agrorum.*

V. Tertio, qui hominem in Ecclesia interficit, vel ita percutit, ut aliqua parte corporis ineptum afficiat: *Homicidia*, (inquit Gregorius IX. (9)) *& mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum cœmeteriis committere non verentur.*

VI. Quarto, qui sicario utitur, vel in domum suam excipit, ut alicui mortem inferat. Hoc hominum genus in Syria versabatur, qui alterius jussu quemlibet necabant, testibus Raphaele Volaterrano (10), atque Æmilio, qui Arsacem sicariorum Principem, accepta magna pecunia, nonnullos ex ipsis misisse testatur, qui Sanctum Ludovicum Galliarum Regem

(1) *In Decreto quæst. 4. caus. 17.* (2) *L. unica c. de his, qui ad statuas.* (3) *De iis qui ad Ecclesiam confugiunt.* (4) *Homil. in Eutropium.* (5) *Num. cap. 45. Deuter. cap. 19. Josue cap. 20.* (6) *Lib. 3. Regum cap. 2.* (7) *Authent. de mandatis Principum §. Sed neque: Item interpr. ad Canon. sicut antiquitus, in ea verba, nisi publicus 17. qu. 4.* (8) *De veteri, & nova Ecclesiæ disciplina part. 2. lib. 3. cap. 89. sub. n. 11.* (9) *Cap. Immunitatem, de Immunit. Ecclesiarum.* (10) *Lib. 10.*

gem obtruncarent. Illorum operam Fideles etiam adhibuerunt, ut de inimicis ulciscerentur; atque de ipsis agit Innocentius IV. cap. *pro humani, de homicidio sexto*, ubi cum his verbis usus fuerit: *Sic etiam cum suis bonis mundanis omnibus, tamquam Christianæ Religionis æmulus, a toto Christiano populo perpetuo diffidatus*; per hanc sententiam asylum recusari Interpretes declararunt, factumque est, ut quarto loco sicarii immunes non haberentur.

VII. Quinto, qui aliquem per insidias vita spoliaverit, in qua re jus Pontificium Exodi præceptum sequitur, ubi hæc statuuntur (1): *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Docent namque Theologi, quod mandata judiciaria antiquæ legis *sunt mortua, sed non mortifera*. Hoc autem alio testimonio comprobatur; nam capite: *Si vixati, de injuriis*, Exodi præceptum renovatur, ubi reparanda damna, & iis omnibus a percussore satisfaciendum præcipitur, quæ pro Chirurgi opera persolvuntur.

VIII. Sexto, Hæreticus, vel de hæresi suspectus; item Judæus, qui susceptam antea Christianam Religionem deseruit, licet ad sacras ædes confugiant, Joannis XXII. Decreto, nulla gaudent immunitate (2).

## §. IV.

### *Quinam sacrarum ædium Immunitate privantur juxta Constitutionem Gregorii XIV.*

IX. QUI Pontificum sanctiones interpretati sunt, varias controversias de illis criminibus excitarunt, quibus sacrum asylum minime conceditur. Primo, utrum hac immunitate careant, qui aliis sceleribus inquinati sunt, quoties id publica tranquillitas exigere videatur, vel majus rationis fundamentum, aut saltem æquale pro immunitate Ecclesiæ deneganda cognoscatur. Secundo, cumPius V.decreverit(3), ut more latronum extremo supplicio plectatur, qui non fortuito, sed ob socordiam, profusionem, aut luxuriam bona omnia dissipaverit, aut se decoctorem simulans, occultatis ipsis bonis, creditores fefellerit, vel ipsorum pecuniam in suam utilitatem converterit; hinc disputari cœpit, utrum ipsi immunitatem sibi a sacris ædibus compararent. Contrarium non pauci affirmarunt, inter quos Anastasius Germonius hæc tradit (4): *Putarem enim Judicibus secularibus libere hujusmodi homines, quos vulgo fallitos vocamus, & proprie (fallunt enim), extrahendos concedere debere; siquidem Pius Papa V. decrevit, decoctores ultimi supplicii, & eo, qua fures ipsi jure, vel consuetudine, vel particulari, vel municipali statuto plecti solent, pœna puniendos esse.* Postremo, cum Romani Pontifices, ac præsertim S. Pius, & Sixtus V. petentibus Principibus indulserint, ab Ecclesia eos quoque divelli, qui criminibus per leges minime cautis tenebantur, & cum maxima rerum perturbatio ex hoc dimanaverit; Gregorius XIV. litteras Apostolicas promulgavit (5), quibus concessiones Principum gratia per Decessores suos, vel per seipsum obsignatas antea, penitus abrogavit, vetuitque, ne quis eamdem criminum naturam, vel etiam majorem gravitatem pro tribuenda, vel recusanda Ecclesiæ immunitate perpenderet, sed ea tantummodo probaret, quæ iisdem litteris proponeret, ob quæ scelesti homines sacro asylo carere deberent. Itaque partim veteres Canones sequutus, partim ipsorum terminos extendens, hæc quæ subjicimus, sua auctoritate declaravit, & constituit.

X. Primo, fures publicos ab Ecclesiæ immunitate prohibuit, uti jus commune antea caverat; qui vero sub illo nomine contineantur, his verbis explicavit: *Si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas strata obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.*

XI. Secundo, illos quoque ab Ecclesiastica immunitate prohibuit, qui agros populantur, uti jus Canonicum antea præceperat; illudque solum discrimen est inter jus Canonicum, & Gregorii Constitutionem, quod in illo legitur: *Nocturnus depopulator agrorum*. In hac vero generatim *Depopulatores agrorum* nominantur. Quæ verba Gregorius XIV. adhibuit, ut fortasse indicaret illorum opinionem se minime probare, qui nocturnum, non vero diurnum Depopulatorem immunitate Ecclesiæ spoliabant.

XII. Confirmavit idem Pontifex veterum Canonum Decreta, quæ superius numeravimus: nempe contra eos, qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum cœmeteriis committere non verentur, qui insidiose aliquem obtruncat, vel publice grassatur. Advertendum tamen est, cum Gregorius Pontificatum administraret, e Syria magno pretio acciri non consueviſse, qui necem inferrent, sed inter ipsos Christianos tanta inhumanitate aliquos versari cœpisse, qui Syrorum partes ultro sibi desumerent; hinc ipsius Apostolicæ Litteræ non eo modo explicari possunt, quo paulo ante illas Innocentii IV. explicandas innuimus; sed necesse est eos Ecclesiæ securitate destitutos intelligere, qui alieno jussu, mercede ducti, aliquem interficiant, cujuscumque nationis sint, & quamlibet Religionem sequantur. Insuper Hæreticum inter cæteros, qui immunitate carent, Pontifex adnumeravit. Postremo, illud novum decrevit: nempe illis immunitatem nullam concedi, qui aliquid contra vitam ipsius Principis moliretur: *aut læsæ Majestatis in persona ipsiusmet Principis.*

## §. V.

### *De aliis criminibus, quibus immunitas denegatur post Benedicti XIII., & Clementis XII. Constitutiones.*

XIII. CUM hominum impudentia, ac temeritas eo devenisset, ut scelera magis in dies augerentur, a Sede Apostolica suppliciter petitum fuit, ut criminum numerum, quibus sacrum asylum minime permittitur, latius amplificaret. Cum Pontifices Clemens IX., & Clemens X. supremam Sedem obtinerent, de his actum fuit: sed nihil novi constitutum. Iterum proposita fuerunt, cum universam Ecclesiam Clemens XI. administraret: tunc jussu ipsius Pontificis iis Congregationibus interfuimus, in quibus in examen hæc vocabantur. Post diuturnas, gravesque disceptationes Gregorianum Decretum magis extendendum omnes unanimes assenserunt, & quædam peculiaria crimina notata sunt, quæ eidem Decreto adjungi posse videbantur. Cum hæc tamen in lucem haud prolata fuerint, ob eas causas, quas inferius memorabimus, iterum Pontifice Benedicto XIII. necesse fuit diligenter expendere, utrum Gregorii Constitutio proferri, quidve addi deberet? Coactis novis cœtibus, quibus nos quoque adscripti fuimus, omnia, quæ in Pontificatu Clementis XI. statuta jam fuerant, unanimi voluntate confirmata sunt. Quare Benedictus XIII. Litteras Apostolicas, quæ incipiunt: *Ex quo Divina &c.* promulgavit.

XIV. In his præter septem crimina, quæ Gregorius Ecclesiæ immunitate prorsus indigna judicavit, hæc, quæ sequuntur, addita fuerunt.

XV. Primo, *Qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt.*

XVI. Secundo, *Interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato.*

XVII. Tertio, *Falsificantes Litteras Apostolicas.*

XVIII. Quarto, Contra eos, qui Montem Pietatis, aut ejusdem generis alia loca administrant: *furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit.*

XIX. Quinto, *Conflantes, adulterantes, vel tondentes quascumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium, vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudi, conscii, atque participes censeri possint.*

XX. Sexto, *Illos denique, qui sub nomine Curiæ se se introducunt in alienas domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque re ipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.*

XXI. Septimo, *Item declaramus omnes, & singulos prædictos tam Laicos, quam Ecclesiasticos qui in urbe, ac ditione præfatis ex causa, & occasione homicidii, etiam in rixa commissi, cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum inquisiti, & processati, vel in contumaciam banniti, & condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem, immunitatis præfatæ beneficio minime etiam gaudere.* Id vero in ditione solum Ecclesiastica locum obtinet. Ex jure communi, & Gregorii Decreto per universum Orbem solum homicidium ex proditione commissum immu-

(1) *Cap. 1. de Homicidio.* (2) *Constitut. 1. tom. 1. Bullar. Roman.* (3) *Constitut. 112. tom. 2. Bullar.*
(4) *De sacrorum communit. lib. 3. cap. 16. in fin.* (5) *7. Tom. 2. Bullar. Roman.*

immunitatis beneficio carebat. Deinde Benedictus XIII. uti nuper oſtendimus, homicidii deliberati reos a ſacris ædibus arcendos indixit. Poſtremo Clemens XII. in Litteris Apoſtolicis, quæ incipiunt: *In ſupremo*, & quæ nos ipſos ad hanc Inſtitutionem proferendam impulerunt, per omnem Eccleſiaſticam ditionem immunes eſſe noluit, qui homicidium per rixam patraverint, modo tamen fortuito, vel ad propriam defenſionem illud non contingerit.

## §. VI.

*De quæſtionibus circa localem ſacrarum ædium immunitatem per eoſdem Pontifices Benedictum XIII., & Clementem XII. definitis.*

XXII. QUI Bibliothecam habent, & libros aliquando evolvunt, ne pulvere, tineiſque abrodantur, in admirationem procul dubio adducentur, cum advertent ingenium, conatuſque omnes eo Scriptores acutiſſime contuliſſe, ut rei, licet notorii criminis, ab immunitate ſacrarum ædium minime reliciantur. Inter ipſos, uti ſuperius dictum eſt, numerantur, qui homicidia, & mutilationes membrorum, in Eccleſiis, aut cœmeteriis commiſerint; hinc diſputatio inter Scriptores agitari cœpit, an immunitate careat, qui ex loco ſacro interficiat, aut mutilet aliquem in profano loco conſtitutum? Item, an Eccleſiæ beneficium concedi debeat, ſi reus extra locum immunem poſitus necem afferat, aut mutilationem illi, qui in Loco Sacro verſatur? poſtremo, ſi immunitas neganda utriſque videatur, utrum Eccleſia ſolum, quæ nefario ſcelere violata fuit, immunitatem reo præſtare nequeat, an reliquæ omnes eamdem rationem præſeferant? Quare Benedictus XIII. in ea Conſtitutione, quæ incipit: *Ex quo &c.* ſacrarum ædium immunitatem illis omnibus recuſandam decernit: *Qui ſtantes in Eccleſia, vel cœmeterio interficiunt ſtantes extra Eccleſiam, vel cœmeterium, aut ipſis membrum mutilant; necnon eos, qui ſtantes extra Eccleſiam, vel cœmeterium occidunt ſtantes intra Eccleſiam, vel cœmeterium, aut iis membrum mutilant.* Inſuper non modo reos ejuſmodi, ſed impedientes quoque, ne quis in locum immunem ſe recipiat, vel per vim a ſacris ædibus aliquem abripientes, cujuſcumque Eccleſiæ beneficio gaudere minime poſſe conſtituit: *Declarantes, in quatuor præmiſſis caſibus ejuſmodi reos non illius tantum Eccleſiæ, quam violarunt, ſed cujuſcumque etiam alterius Eccleſiæ immunitate gaudere nequaquam poſſe, aut debere.*

XXIII. Gregorius XIV., uti jam dictum eſt, *Viarum graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident*, ſacro aſylo prorſus excludit. Cum itaque Pontifex plurali numero utatur, & cum de publicis viis ſermo ſit, quidam putarunt, hac Pontificis ſententia eum non contineri, qui ſemel tantum graſſatus fuerit, vel crimen ejuſmodi in vicinalibus admiſerit. Contra vero Benedictus XIII. ita ſanxit: *Unicam tantum graſſationem in via publica, aut vicinali admiſſam ſufficere ad hoc, ut quis publicus Latro, & Graſſator dici valeat, dummodo tamen graſſati mors, aut membrorum mutilatio ſequuta fuerit, tenore præſentium definimus, & declaramus.*

XXIV. Item *Rei aſſaſſinii* locali immunitate deſtituti per eumdem Gregorium XIV. declarantur. Cum igitur, uti nonnulli ſatis ingenioſe perpenderunt, ſicarii nomen illis tribuatur, qui juſſu alterius aliquem occidunt, non autem, qui tam nefarium ſcelus propoſita mercede imperaverint, iſtos quidem immunes eſſe arbitrantur. Poſt hæc, ut ſuam beneficentiam in ſicarios etiam exercerent, &, ſi fieri poſſet, incolumes vindicarent, ab illis quandoque merces aliquas pro crimine, non pecuniam ullam accipi, aliquando etiam pacta pecunia, vel mercibus fraudari, advertentes, tunc ſicarios ipſos immunitate frui debere, pronunciarunt. At Benedictus XIII. his verbis eorum opinionem penitus improbavit: *Ad hæc in crimine aſſaſſinii non modo mandatarios, qui in ipſamet Gregoriana Conſtitutione aperte excipiuntur, ſed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem ſive in pecunia, ſive in aliis rebus tradiderint, aut promiſerint, quamvis promiſſio nullum habuerit effectum, dummodo aſſaſſinium re ipſa patratum fuerit, ab Eccleſiaſticæ immunitatis beneficio exteudimus, ac pro excluſi perpetuo haberi volumus, & mandamus.*

XXV. Poſtremo, cum idem Benedictus a ſacris aſylis eos depulerit, qui homicidium deliberato animo patraverint, nullam tamen de Eccleſiaſticis mentionem fecerit, nec illud explicaverit, an aliqua ætatis ratio habenda ſit; poſtremo, an eadem pœna eos complectatur, qui conſilium, vel opem homicidæ attulerit, Clemens XII., qui feliciter regnat, in ea Conſtitutione, quæ incipit: *In ſupremo;* Eccleſiaſticos homicidii reos ab immunitate ſecludit: *Ad ipſos Eccleſiaſticos, cujuscumque gradus, & Ordinis exiſtant, in Urbe, ac univerſa ditione Nobis, & Sedi Apoſtolicæ mediate, vel immediate ſubjecta homicidium animo ſimiliter præmeditato, ac deliberato patrantes extendimus quoque, & ampliamus.* De ætate vero, ac de iis, qui conſilium, vel operam homicidis præbeant, hæc ſtatuit: *Declaramus homicidii reos natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis tam Laicos, quam Clericos, atque omnes, & ſingulos ſive Laicos, ſive Clericos, qui mandatum, conſilium, inſtigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occiſori præbuerint, ex quorum ſingulis pravis actibus homicidium evenerit in dicta Benedicti Prædeceſſoris Conſtitutione comprehenſos eſſe, ac deinceps cenſeri debere, eamque, quatenus opus ſit, ad ipſos pariter extendimus.*

## §. VII.

*De ratione extrahendi a Sacris Ædibus eos, qui ob ſcelera ſuperius expoſita nulla immunitate gaudent.*

XXVI. ITaque, ſi ad Eccleſiam confugiant, qui ejuſmodi criminibus ſeſe inquinaverint, & omnem immunitatem amiſerint, a ſacris ædibus deducendi ſunt, & Judici tradendi, ut debitas pœnas exſolvant. Qua de re juſſu Clementis XI. cœtus habiti ſunt, & in medium prolata omnia, quæ Pontificibus Clemente IX., & Clemente X. tum per Eccleſiaſticos, tum per Laicos ſcripta fuerant. Tum facile conſtitutum fuit, ut Judicis Ordinarii Eccleſiaſtici auctoritate interpoſita, criminoſi homines ab aſylis removeantur; ut aliquis Eccleſiaſticus ab eodem deſignatus interſit; demum ut per ſolum Judicem Eccleſiaſticum cognoſcatur, an reus ea crimina perpetraverit, ob quæ immunitate prorſus indignus habeatur; cum agatur de reo, qui in Eccleſiaſtica ditione, ſcilicet immuni loco verſabatur, ex quo ſolum abripitur, quia jure Pontificio permiſſum id habetur. Illud magnopere implicatum viſum fuit; videlicet quæ argumenta criminis proferri deberent, ut Judex Eccleſiaſticus reum aſylo ſacro frui non poſſe, proprioque Judici committendum decerneret. In Gregoriano decreto hæc leguntur: *Quodque Delinquentes &c. Curiæ Seculari &c. conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito prius per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi vere crimina ſuperius expreſſa commiſerint;* Præclariſſimi Juriſperiti Farinacius (1), & Falconius, cum eadem verba interpretarentur, reos ejuſmodi Sacrarum Ædium beneficio ſpoliari non poſſe affirmarunt, ſi dum cauſa per Judicem Eccleſiaſticum cognoſcitur, indicia ſolum, & conjecturæ producantur: ſed certiſſimis, & perſpicuis rationibus agendum putaverunt. Sed tamen veritati parum conſentaneum cæteris viſum fuit, quos Antonius de Poſſentibus commemorat (2), & ſane ad veram, rectamque probationem neceſſe eſt, ut reus crimen ſuum fateatur aut de illo convincatur. Hoc poſtremum non ita facile evenire ſolet. Illud vero primum vix poteſt excogitari. Siquidem, cum nequeat Eccleſiaſticus judex a reo veritatem tormentis extorquere, idem erat propriam ejuſdem confeſſionem exquirere, ac putare illum ultro, & conſcientiæ ſtimulis adactum ad manifeſtandam veritatem paratum eſſe. Quare, ſi reus ipſe de crimine ſuo convinci, aut illud confiteri deberet, ut a Sacris Ædibus avulſus Seculari Curiæ committi poſſit, nullus unquam quolibet ſcelere inquinatus eidem Curiæ traderetur, uti prius Carolus a Baſilica Petri Novarienſis Epiſcopus expedit (3): *Si plenam probationem requirimus, hoc eſt, ut reus confeſſus ſit, vel aliorum teſtimonio convictus, pauciſſimos trademus Judicibus Laicis: quod cum Romæ dixiſſem Farinacio, nihil reſpondit, niſi ſimilia ſere verba illis quod ſcripſi ſcripſi.* Cum hæc ita ſint, cœtus juſſu Clem. XI., uti jam dictum eſt, coacti, habita plurium ſuffragiorum ratione decreverunt non quidem certiſſima, & plana argumenta requiri in cognitione cauſæ, quæ per Eccleſiaſticum inſtituitur, ut reus aliquis Seculari Curiæ tradatur, ſed ſatis eſſe, ut veritati conſentanea probentur, & vehemens aliquod ſceleris indicium, & conjecturæ in medium ferantur. Judex autem Secularis cauſam iis omnibus corroborabit, quæ ab Eccleſiaſtico prætermiſſa ſunt, ut reum ſibi traditum, adhibitis etiam tormentis, vel ad criminis confeſſionem impellat, vel neceſſariis teſtibus convincat.

XXVIII. Hac difficultate expedita, alia propoſita fuit, an ſi reus eo modo, quem nuper explicavimus, Seculari Curiæ committendus ſit, priuſquam id fieret, defenſionis tempus ipſi reo tribuendum videretur. Id quidem neceſſarium aliquibus viſum fuit, ne reus in dicta cauſa immunitate careret. Alii tamen id non modo ſuperfluum putarunt, cum ad Judicem Laicum

(1) *Conſ. 76. n. 3., & ſeq.* (2) *Sing. cent. 2. ſing. 143. n. 2.* (3) *In Comment. ſub. c. Inter alia de Immunitate Eccleſiaſt.*

cum hoc negotium pertineat, sed etiam perniciosum, & quoddam veluti Justitiæ impedimentum. Nam si reus, dum causam suam defendit, testimonia in ipsum conflata deprehenderit, tunc vel ipse, vel ejus familiares longe arcendos eos testes curabunt, ne, cum reus in manus Laici Judicis devenerit, & causæ cognitio per ipsum indicetur, eadem testimonia repetantur, vel saltem immutentur, cum in examen vocantur.

XXVIII. Hæc sane controversia, quæ in memoratis Congregationibus proposita, componi sub Clemente XI. minime potuit, reliquis omnibus, quæ agebantur, cursum continuit, & eorum, quæ jam sancita fuerant, promulgationem impedivit. Quare, cum Benedictus XIII. Pontificatum gereret, idem negotium susceptum fuit, & omnibus iterum diligenter examinatis, hæc, quæ subjicimus, per allatam superius constitutionem: *Ex quo*: constituta fuerunt: Primo, ut reus ab immuni loco deduci, & in carceres Episcopi tradi possit, satis esse *Indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur*: secundo, ut Ecclesiasticus crimen, de quo agitur, judicio suo cognoscat: *Ubi vero* (prosequitur Pontifex) *ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto, ac insuper adversus eumdem extractum talia resultent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit* (*quæ quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam*) *eo tantum casu præfatum extractum Ministris, & Officialibus Curiæ Secularis tradere, & consignare possit, ac deheat*: Tertio, ne rei Judicibus Laicis tradantur, nisi, *Exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione in forma juris valida restituendi extractum Ecclesiæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatæ, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, ac diluat. Quod, si ea minime purgaverit, & vere delinquens repertus fuerit, Curiæ Seculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit, agere, atque procedere liceat.*

XXIX. Eadem in Constitutione Clementis XII. continentur, ubi præ cæteris illud Benedicti Constitutioni additum fuit, quoties de homicidio deliberato, vel per insidias, aut etiam per rixam patrato judicium statuetur (nisi fortuito, vel pro vitæ defensione contigerit) satis esse inditione Ecclesiastica, ut foro Seculari reus committatur, non quidem indicia *ultra Torturam*, uti Benedictus præcepit, verum id fieri posse *ex acquisitis, seu subministratis indiciis ad torturam tantum sufficientibus*; quod eo solum consilio sancitum fuit, ut mortalium audacia in patrandis tam frequenter homicidiis comprimatur: cum id præsertim plurium etiam Decessorum Pontificum exemplis comprobetur. Nam Clemens VIII. jurisprudentiæ laude clarissimus, postquam Farinacii, & Falconii Consultationes expendit, quosdam homicidii reos, qui in sacras ædes se receperant, Laico Judici tradi imperavit: *Si tamen prius summarie, simpliciter, & extrajudicialiter, & quantum pro conscientiæ tuæ informatione sufficere posse videbitur, illos homicidium prædictum perpetrasse, aut illi cooperatos, seu in illo culpabiles fuisse* (1). Insuper peculiaris Congregatio jussu Clementis X. convocata epistolam confecerat, in qua hæc sententia legitur: *Ut justitiæ exercendæ nullum impedimentum afferatur, Sanctitas Sua Eminentiæ Vestræ permittit uti sufficientibus ad tormenta indiciis, ut reus Sacra Immunitate indignus declaretur.*

## §. VIII.

*De pœnis, quæ his criminibus exceptis infliguntur.*

XXX. Rei propriis Judicibus traditi, legum auctoritate puniuntur, ut decernunt iidem Pontifices Gregorius, Benedictus, & Clemens XII., qui S. Petri Sedem feliciter occupaverunt. Cum ipse non modo deliberatum homicidium, uti Benedictus antea constituerat, sed rixa pariter commissum iisdem pœnis plectendum sanxerit, nisi casu, vel pro vitæ defensione evenerit, ne locus excusationi supersit, & ne impotens quædam iracundia ad reum protegendum de more afferatur, sanxit, justitque Pontifex consuetum mortis supplicium indici, si occisor primus rixam excitaverit. Id Romæ & per universam Pontificum ditionem, ac potissimum Bononiæ, ejusque diœcesi observandum præcepit: *Occisor pœna pariter ordinaria puniatur, licet homicidium secutum sit in rixa, si homicida rixæ auctor fuerit*. Ita per eamdem Clementis XII. Constitutionem decernitur, in qua præterea illud cautum fuit: *Utque calor iracundiæ a pœna ordinaria delinquentem nusquam eximat, ubi inter tempus rixæ, ac patratum homicidium sex horarum spatium intercesserit, id sufficere volumus, ut rei ad actus extraneos diverterit, vel divertisse debuerit*. Alia sapienter ab ipso Pontifice pro coercendis homicidiis statuta sunt, quæ in eadem Constitutione describuntur. Dissimulare hic non possumus aliquos, qui boni juris periti existimari volunt, eo devenisse, ut non modo familiaribus sermonibus, sed etiam scripto contenderint ex veteri saltem consuetudine in Pontificia ditione capitali sententia damnari neminem posse, qui scelus antea confessus non fuerit. Id autem criminosi homines adeo pro certo habuerunt, ut pœnas scelerum se nunquam daturos putaverint, si tormentis adacti illa denegarent, vel confessionem tormentis expressam confirmarent. Qua de re Pontifex hanc falsam opinionem his verbis improbavit: *Neve prætextu erroneæ, & nunquam approbatæ consuetudinis, sive interpretationis quispiam decipiatur, ad omnium, & singulorum memoriam serio revocamus, prædicta pœna ordinaria teneri nedum ore proprio homicidium confessos, sed etiam, qui de commisso homicidio juxta Juris Canonici, ac Civilis dispositionem, quam in cæteris quibuscumque delictis sartam, tectamque fore volumus, convicti fuerint, quibusvis prætensis usu, & stilo, reluctque judicatis in contrarium minime attentis.*

## §. IX.

*De reis, qui Sacri asyli immunitate gaudent.*

XXXI. His criminibus solum exceptis, quæ superius enumeravimus, reliquis omnibus Sacrorum Locorum immunitas conceditur. De his agendum superest. Ac primum in memoriam revocandum est, quod ejusmodi rei, si extra locum immunem caperentur, statim per dolum se ab asylo Sacro deductos fuisse olim affirmabant, & licet contrarium probaretur, tunc non semel id contigisse, sed quater etiam asserebant, testesque paratos adducebant, qui falso rem jurarent: sed illud gravissimum, & non ferendum erat, quod, cum semel se per dolum abreptos a Sacris Locis ostenderent, etiamsi nova deinde crimina patrarent, in asylum restitui debebant, ubi post tot maleficia per iniquam simulationem conquiescerent. Qua de re Clementis XI. jussu peculiaris Congregatio constituta fuit, ut hæc prava consuetudo salutari aliquo consilio de medio auferretur. Tunc opinionem nostram descriptam exponere coacti, sermonem super hac re pro nostri ingenii imbecillitate typis edidimus. Primo nullam in jure Pontificio legem reperiri advertimus, quæ immunes eos declaret, qui postquam ad Loca Sacra perfugerint, longe ab ipsis deinde capiuntur, nisi forte per vim abstrahantur. In Concilio solum Aurelianensi de illis, qui dolose a Sacris asylis deducuntur, mentio habetur (2): *seu vi, seu dolo abstrahere, aut sollicitare fortasse præsumpserit &c. eo tamen, qui abstractus, prius Ecclesiæ restituto*. Id vero Concilium, cum peculiare unius provinciæ fuerit, illius solum terminis concluditur. Insuper exposuimus, etiam si dolo seducti incolumes esse debeant, nullam in posterum doli suspicionem futuram esse, si publice declaretur, ne a Sacris Locis longe abscedant, nec ullo artificio moveantur, qui ob aliquod scelus ad illas confugerunt, aliter, nisi aperta vis intercesserit, doli excusationem minime profuturam; eo sane pacto, quo se deceptum queri non potest, qui ex aliquo loco in carceres rapiatur, ex quo pristina immunitas sublata fuit, si per Tabellam januæ affixam idem Locus immunitate carere indicetur; In hanc sententiam Innocentius III. olim respondit (3): *Nec obstante dolo, quo se proponebant fuisse seductos, cum talis dolus non tam ad circumventionem prædictorum Cistercienſium, quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri*. Cum hanc nostram opinionem Congregatio approbasset, die 22. Decembris anno 1716. Decretum promulgavit ipsius Clementis XI. auctoritate firmatum, quod deinde ad omnes Italiæ Episcopos transmissum fuit. In eo statuitur: *Ut de cætero illæ dumtaxat extractiones suffragentur, quæ aut violenter patratæ, aut sub fide Salviconductus ab aliquo Judice Ordinario, seu Delegato concessi, ac subscripti secutæ fuerint, qui tamen Salvos conductus suffragari poterit pro tempore tantum in eo præscripto.*

XXXII. Quondam immunitatem, & vitam sibi comparabant, qui Sacrarum Ædium, vel Regularium domorum perfugium obtinuerant. Curabant Ecclesiastici, ut crimina salutari pœnitentia expiarent, nec ab iisdem asylis decedere illos sinebant, antequam divinæ justitiæ rite satisfeciſſent. Furem ce leberrimum a supplicio S. Bernardus eripuerat, idque Comiti Theo-

(1) *In lit. Apost. die 6. Febr. edit. apud Genuensem in Praxi Cur. Archiep. Neapol. cap. 79. sub num. 2., & apud Pellegrinum de Immunit. cap. 7. sub num. 21.* (2) *Actum fuit anno 541. tom. 2. Concil. General. Regiæ editionis Parisiis impressum habetur anno 1714.* (3) *Cap. 1. Cum dilectus de iis, qui vi, metuve &c.*

Theobaldo moleſtum, ingratumque fuerat, qui impunitum furem dimittere ægro animo patiebatur. Quam ob cauſam S. Bernardus his verbis ad eum ſcripſit: *Tu illum decreveras brevi ſupplicio, & interitu momentaneo conſumari; ſed ego eum faciam diuturno cruciatu, & morte longiſſima mori. Tu furem appenſum per unum, aut per plurimos dies mortuum in patibulo remanere permitteres; ego cruci affixum per annos quamplurimos faciam in pœna jugiter vivere, & pendere.* Ita revera accidit: Furem ad Monaſterium Clarævallis perduxit, inter Monachos cooptavit, ibique per triginta annos pœnitentia incredibili confectum detinuit. Hujus generis exempla Eccleſiæ rerum Scriptores plurima commemorant.

XXXIII. Nunc autem, qui Sacrum aſylum amplectuntur, non quidem de æterna ſalute comparanda, ſed potius de novis criminibus patrandis cogitant, & eodem aſylo (uti ſæpius contigit) impudenter abutuntur. Id profecto, ſi in hac Civitate, vel Diœceſi contingat, opportunum malo huic graviſſimo remedium excogitabimus. Nam vix ejuſmodi impudentia nobis delata, ac probata fuerit, ad eas pœnas, quæ neceſſariæ ſunt, deveniemus, prout Sacra Immunitatis Congregatio nobis conceſſit, aliaſque, ſi opus ſit, ab eadem Sac. Congregatione, vel ab ipſo Summo Pontifice facultates impetrabimus. Ut vero falſa opinio, quæ in vulgus emanavit, penitus diluatur, Sacras Ædes ea de cauſa inſtitutas, ut criminoſi homines ſuam audaciam tueantur: ſciant univerſi, præter ea ſcelera, quibus omnis immunitas jure negatur, ſi cætera quoque gravia ſint, vel ſæpius admittantur, tunc, Summi Pontificis, vel Sacræ Congregationis auctoritate interpoſita, in carceres Eccleſiaſtici Judicis ex Loco immuni reos poſſe detrudi *nomine Eccleſiæ*, cauſaque ipſorum cognita pœnam conſtitui, non quidem pro ſceleris ratione, & gravitate, ſed alium extra legis ordinem benigniorem, ut ſimul juſtitia in reos adminiſtretur, & Eccleſiæ ratio quædam ducatur, quemadmodum ſuo exemplo docuit Theodoricus, qui cum de Jovino Collegæ ſui interfectore ad Fauſtum Præfectum ſcriberet (1): *Sed conſcius*, ajebat, *facti ſui inter Eccleſiæ ſepta refugiens declinare ſe credidit præſcriptam legibus ultionem. Vultanicæ Inſulæ perpetua relegatione damnamus, ut & Sancto Templo reverentiam habuiſſe videamur, nec vindictam criminoſus evadat in totum, qui innocenti non credidit eſſe parcendum.*

## §. X.

### *Quid agendum ſit Parochis poſt hanc Inſtitutionem.*

XXXIV. SEries hujus noſtræ Inſtitutionis finem, cauſamque ipſius ſatis oſtendit; videlicet, ut Parochi omnes in Civitate, ac Diœceſi ea cognoſcant, quæ veteri, recentique Jure Pontificio de Sacrarum Ædium Immunitate præſcribuntur; utque certiores fiant de reis, qui Sacri aſyli beneficio carent, & qua ratione ii contineri debeant, qui poſt aliquod facinus ad Eccleſias perfugiunt. Sanctitas-Sua per eas litteras Sac. Congregationis, quæ die 19. Martii, uti ſuperius expoſuimus, datæ fuerunt, juſſit nos indicere Parochis Urbanis, & totius noſtræ Diœceſis, ut Feſto die *inter Miſſarum Solemnia*, Sancto prius Evangelio declarato, ea crimina populo denuncient, quæ Sacra Immunitate deſtituuntur. Quare Summo Pontifici morem libentiſſime gerentes, Parochis præcipimus, ut hoc anno, & in poſterum quotannis id, quod nuper propoſitum fuit, univerſi perficiant. Hortamur etiam, ut ea ſe facilius gerenda percurrant ea, quæ §. 4. & §. 5. hujus Inſtitutionis continentur.

Qui Apoſtolicas Conſtitutiones, illaſque potiſſimum Benedicti XIII., & Clementis XII. ſecum reputabit, plane intelliget, eos Pontifices pro ſtudio, curaque ſuſcepta ad nefarium homicidii ſcelus impediendum commendari ſummopere debere, cum in ditione Eccleſiaſtica nimis frequenter perpetretur. Nos quidem, ne exteræ gentes exhorreſcant, prætermittimus homicidia recenſere, quæ ſolum ad Congregationem negotiis ſtatus conſultandis præpoſitam Romam ſingulis annis deferuntur. Inter illa minime adnumerantur homicidia, quæ tum in Urbe, tum in Legationibus Ferrarienſi, Bononienſi, Ravennate, atque Urbinate perpetrantur, pro quibus examinandis aliæ peculiares Congregationes deſignatæ ſunt. Iiſdem litteris, quas modo memoravimus, impellimur Parochos admonere, ut hujus tetterimi ſceleris magnitudinem, facilitatemque graviſſimis verbis oſtendant, & vehementer inſectentur: *Qui hominem occidit* (inquit Philo de ſpecialibus legibus) *qui hominem occidit, appellatur homicida, ſed revera eſt ſacrilegus, & quidem inſignis; quippe qui perpetravit ſacrilegium maximum, ſublata e mundo re pretioſiſſima, ſacratiſſimaque, quando nihil eſt Deo tam ſimile, quam hoc ſigillum pulcherrimum, expreſſum e matrice pulcherrima, ad exemplar ideæ rationalis effictum.* Sanctus vero Cyrillus ita homicidam alloquitur (2): *Ut mihi, fare, age, Salvatoris legem collocaſti, & quidem, qui te Chriſtianum eſſe confitebare? Violas nempe charitatis ſanctiones, teque in immitem beſtiam immutatum fuiſſe, & in feritatem naturæ inimicam incidiſſe non ſentis.* Sed quoniam formidine pœnæ nefarii homines a maleficiis removentur, populo de homicidii gravitate differentes explicabunt celebre illud, ac vulgare effatum, *Locum immunem arripiam* minime profuturum; nam propoſitam ſibi immunitatem pro certo amittent. Inanem præterea ſpem, vanaſque illorum cogitationes affirmabunt, qui cauſam criminis feliciter abſolvi poſſe, & ab omni periculo incolumes præſtantium virorum gratia, & commendatione brevi ſe in patriam reverſuros confidunt. Pontifex enim Principibus etiam viris facultatem ademit, ut homicidas ejuſmodi abſolverent, vel data fide publica dimitterent. Nihil etiam proderit pro vitæ defenſione, ſi capti commiſſum crimen audacter inficientur, tormentorum vim ſuperent, vel confeſſionem tormentis expreſſam poſtea non confirment. Nam ea juris norma ſervanda eſt, ut rei, vel ob criminis confeſſionem, vel indiciis, ac teſtimoniis convicti debito ſupplicio puniantur. Tandem, ut uno verbo omnia complectamur, illud Geneſis præceptum ſine ulla dubitatione obſervabitur (3): *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Idem habetur Exodi cap. 21. v. 12. *Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur.* Poſtremo idem judicium Sancti Matthæi cap. 26. v. 52. decernitur: *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

## INSTITUTIO XLII.

### *De ſtudiis ſuſcipiendis ab Eccleſiaſticis ſecularibus, antequam ad Ordines aſſumantur.*

I. QUamvis ſedulam curam alias impenderimus, ut pro ſtudiis eorum qui Ordines expetunt, neceſſaria traderemus, certamque normam conſtituerimus, quæ in iiſdem examinandis adhuc obſervatur: tamen hanc novam Inſtitutionem conficere, ac promulgare impellimur. licet ſatis clare ſententiam noſtram ſuper hac re jampridem explicaverimus, ut illorum artificia eludamus, qui non modo voluntati noſtræ, ſed etiam Juri Pontificio, quo nos potiſſimum innitimur, parere detrectant.

II. Antequam pro minoribus Ordinibus ſuſcipiendis aliquis de materia, forma, munere officioque ſingulorum Ordinum interrogetur, ſicut a nobis præſcriptum fuit, Examinator inquiret, quibus ſtudiis operam dederit, quem fructum ex ipſis comparaverit; utrum Chriſtianæ legis doctrinam, & linguam Latinam ſatis perceperit. Tridentina Synodus id omnino decernit (4): *Minores Ordines iis, qui ſaltem Latinam linguam intelligant, per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur.*

Nonnulli minores Ordines ab Epiſcopo illis conferri poſſe exiſtimarunt, qui Latinam linguam nondum calleant, ſed bona indole præditi ſint, ita ut pro ætatis ratione ad ipſius Latinæ linguæ cognitionem pervenire poſſint. Hanc opinionem illis præſertim Sacri Concilii verbis tutantur (5): *Niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur.* Eam tamen nos improbamus, ideoque numquam ſequemur, cum eadem verba pro ſolvendis interſtitiis, non autem pro linguæ Latinæ neceſſitate Sanchez interpretetur (6). Itaque ad examen pro minoribus Ordinibus recipiendis minime accedat, qui Latinam linguam non antea didicerit. Nam ſi ipſa careat, nihil aliud ab ipſo requiretur, ne tempus fruſtra conteratur. Idem prorſus in eos ſtatuetur, qui Subdiaconatum, Diaconatum, aut Sacerdotium poſtulant, ſi in explicando Romano Catechiſmo, vel Tridentino Concilio pro Latinæ linguæ ignorantia, ſententias conjecturis aſſequi potius, quam funditus intelligere videantur.

III. Pro Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus illud expendimus juxta Sacri Concilii præſcripta, eos tantum ad Sacerdotium aſſumi debere, qui præter cætera merita (7), *etiam ad*

(1) *Caſſiodorus lib. 3. epiſt. 47.* (2) *Homil. 8. Paſchat.* (3) *Cap. 9. v. 6.* (4) *Seſſ. 22. de reformatione cap. 11.*
(5) *Loco ſup. cit.* (6) *Lib. 7. de Conſiliis Moralibus cap. 1. dub. 49. num. 14.*
(7) *Seſſ. 23. cap. 14. de Reform.*

*ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.* Insuper ante oculos nobis proposuimus litteras Apostolicas, quas pro Cleri Hispani reparanda disciplina Innocentius XIII. edidit, & pro quadam Episcoporum norma Benedictus XIII. confirmavit. Quare alias indiximus Subdiaconatum petentibus, ut Theologiæ Moralis, vel Scholasticæ, aut Juris Pontificii studio operam diligenter impenderent, ita ut ante Sacerdotium in eodem studio per tres annos versarentur; primum annum insumerent ante Subdiaconatum, alterum ante Diaconatum; tertium denique, priusquam Sacerdotii dignitatem assequerentur. Ita enim fore confidimus, ut ejusmodi exercitatione per triennium habita eo modo, quem inferius subjiciemus, illi tantum ad Sacerdotium assumantur, qui juxta allatam Sacri Concilii sententiam idonei judicentur.

IV. Ut hunc laborem, ac fastidium aliqui effugiant, licet Grammaticæ legibus parum instructi, Theologiæ Moralis, seu Scholasticæ, aut Juris Pontificii studium ingrediuntur, plurimi etiam id suscipiunt, antequam Philosophiæ cursum absolverint, vel saltem per annum Logicam sedulo percurrerint, ea ducti ratione, quod nulla de ipsa Logica verba fecerimus: putant enim, cum de aliqua re sermo instituitur, omnes etiam ipsius partes explicandas, quæ necessario cum illa conjunguntur, & communi omnium sententia intelligi debent, licet minime exprimantur. Illud quoque advertimus, testimonium hujusmodi a nonnullis facultatum Professoribus obsignatum proferri, nempe exercitationem per annum ab eo susceptam fuisse, qui solum post diem quartam Novembris studiis initium dedit; ac pro obtinendis Ordinibus ad examen accedit, qui proxime insequenti Decembri conferri solent; nempe sibi prodesse arbitrantur illud juris effatum, quod pro solvendis stipendiis ad publicos, & optime meritos administros pertinere solum consuevit: *Annus inceptus habetur pro completo.* Neque dissimulandum est, alios Theologiæ Morali constitutum tempus quidem insumpsisse, sed in iis solum, quæ de censibus, de pecuniæ permutatione, de vendendi, & emendi ratione tractant, operam studiumque collocasse; qui tamen numquam ea didicerunt, quæ a Tridentina Synodo præcipiuntur, quæ nempe ad imbuendum populum de rebus ad æternam salutem necessariis, vel ad Sacramenta administranda pertinent. Alii quoque se Juris Pontificii scientiæ comparandæ dedisse fuisse longo tempore testantur, qui jus civile ne leviter quidem attigerunt. Non semel etiam contingit, ut plurimi de Philosophia, de Morali, vel Scholastica Theologia, aut de Jure Canonico interrogati, postquam in aliqua ex iis facultatibus se versatos affirmarunt, audacter respondeant, eam quæstionem haud sibi traditam fuisse, quod difficile sane videtur. Verum eo consilio id faciunt, ut Examinatores ad duo, vel tria capita deveniant, quibus se illi instructos fatentur, & omissis ceteris omnibus, quæ a Magistris quidem audierunt, sed per anni spatium vanis negotiis detenti minime perceperunt.

V. Qui has facultates, quas modo enumeravimus, addiscere volunt, antequam Latinæ linguæ præceptis satis imbuantur, vehementer errant; ipsique Professores omnem industriam, ac laborem nequicquam profundunt. Nos autem, (licet harum præstantiam facultatum cursum absolvisse jactent) cum in examen venient ad minores, seu majores Ordines minime probabimus, sed tamquam irregulares omnino rejiciemus. Etenim *ignorantem litteras* (1) sacri Canones irregularem declarant. Insuper aliis locis (2) hæc decernuntur: *Illiteratos nullus præsumat ad Clericatus Ordinem promovere; quia litteris carens Sacris non potest esse aptus officiis. Ne sit illiteratus* (3). *Insciі litterarum ad sacros Ordines aspirare non audeant* (4). *Nullus Episcopus, vel quivis alius infanti (nisi forte Religionem intraret) seu illiterato Clericalem præsumat conferre Tonsuram* (5). Cum hæc ita sint, qui legere, & scribere nesciant, cum de prima Tonsura agitur, *illiterati, insciique litterarum*, atque ideo irregulares merito nuncupantur: *Prima Tonsura* (Tridentina Synodus præcipit (6)) *non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & Fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere, & scribere, nesciant.* Cum vero de minoribus Ordinibus, & multo magis de majoribus res est, *illiterati, insciique litterarum dici poterunt*, qui Latinam linguam ignorent, quam Tridentinum Concilium in illis etiam requirit, qui minores Ordines expetunt, uti jam superius ostendimus. Quippe Sancta Mater Ecclesia justis de causis vetuit, ne sacræ litteræ, Evangelia, Rituales libri, Divina Officia, cæterique libri, qui ad Sacerdotes pertinent, in vernaculam linguam traducantur; quemadmodum fuse eruditeque P. Fontana Societatis Jesu demonstravit (7), cum sententiam 82., aliasque insequentes per Clementem XI. proscriptas (8) interpretaretur.

VI. Inter statuta Caroli Magni Imperatoris cavetur, ne ignoranti linguam populo usitatam Pastoris munus deferatur. Tres autem linguæ tunc colebantur, nempe Germana, quam Galli deinde sibi vindicaverant, Latina, quæ per Romanos in subjectas Colonias propagata fuerat, postremo Romana Latinæ haud multum dissimilis, nisi quod Gallorum, & Germanorum priscis vocabulis, aliisque per easdem Provincias communi consuetudine adscitis permiscebatur. Si igitur Parochus ea lingua prorsus instructus esse debet, quemadmodum Imperatoris lege cautum fuisse nuper ostendimus, qua populus ipsi subjectus utitur, hinc Clericis, & Sacerdotibus Latinam linguam haud necessariam aliquis judicabit, quæ tunc Parochis ipsis minime præscripta fuit; sed in hac re magnopere decipiuntur. Cum enim sacras litteras, quæ Latino tantum sermone continentur, Parochi, & Sacerdotes intelligere omnino deberent, id sine Latinæ linguæ præsidio consequi nullo modo poterant, uti Thomassinus asseruit (9), cum eamdem Caroli Magni legem declararet: *Nec inde tamen efficies, minime necessariam fuisse Latinæ linguæ scientiam; cum ejus præsidio destituti nec Scripturas possint, nec Canones legere.*

VII. Illud quoque summopere optamus, ut qui Sacerdotes fieri volunt, postquam Latina lingua, & humanioribus litteris satis imbuti fuerint, integrum Philosophiæ cursum perficiant, & eam præsertim Philosophiæ facultatem suscipiant, quæ facilem viam sternit, ut Theologiam ingrediantur, & sine qua boni Theologi nomen, ac laudem nemo sibi comparare possit. Singulari Dei beneficio clarissimi Professores in hac urbe versantur, quæ sibi merito *Parentis studiorum* gloriam conciliavit, eumque honoris titulum præclare tuetur. Ipsi vanis quæstionibus omissis, ea, quæ necessaria sunt, diligenter tradunt, juvenesque, si sedulam operam conferant, sapienter instituunt, ut ad facultates Ecclesiasticas, sacramque Theologiam cum laude perveniant. Melchior Canus (10) ingenii gloria insignis, cum de Philosophiæ studio sermonem habet: *Præclare*, inquit, *cum eo agetur, cui Præceptor contigerit & eruditus, & pius, qui cum certa ab incertis separet, tum, vanis quæstionibus declinatis, utiles, & necessarias seligat &c. Illis igitur vitiis declinatis, quod in rebus naturalibus, & cognitione dignis operæ, curæque ponetur, id non modo jure laudabitur, verum, ut id fiat, erit etiam summopere necessarium, si Theologi perfecti, plenique sapientes esse volumus.*

VIII. Quoniam vero difficile est omnia consequi, quæ in votis habentur, licet cum magna utilitate conjungantur, hinc ad ea, quæ prorsus necessaria ducimus, deveniemus. Itaque nullus in posterum ad Subdiaconatum ascendet, qui inter cætera studio saltem Logicæ annum non insumpserit, quo tempore Theologiæ Moralis, vel Scholasticæ, aut Juris Pontificii studium adjungere non debet. Neque id valde molestum videri potest, cum totius anni spatium, quod studiis impenditur, non quidem undecim mensibus concludatur, nec unus tantum mensis pro animi remissione tribuatur, uti fieri consuevit, cum nos ipsi Philosophiæ, ac Theologiæ cursum peregimus, sed septem, vel octo menses studiis excolendis hoc tempore solum concedantur, ea pariter conditione, ut mane tantum juvenes ad Professores audiendos conveniant, quod in more positum non fuit cum nos florente juventute singulis diebus Lyceum bis adire cogeremur.

IX. Annum pro Logica decrevimus, sine qua sacræ facultates comparari nequeunt, uti docet Sanctus Augustinus (11), qui de Dialectica agens: *Disputationis*, inquit, *disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt dissolvenda, & penetranda, plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido vincendi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium*: quod deinde (12) exemplis Cypriani, Lactantii, Optati, & Hilarii magis comprobat. Alcuinus Venerabilis Bedæ discipulus, qui Seculo octavo, cum inter mortales ageret, tam

(1) *Can. Præcipimus, dist.* 341. (2) *Can. Illiteratos, dist.* 36. (3) *Can. Priscis, dist.* 55. (4) *Can. Pœnitentes, dist.* 55. (5) *Gregorius X. cap. Nullus, de Temporibus Ordinationum in sexto.* (6) *Sess.* 23. *cap.* 4. *de Reformat.* (7) *Tom.* 3. (8) *In Litteris Apostolic., quæ incipiunt*, Unigenitus. (9) *De veteri, ac nova Ecclesiæ disciplina part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 4. (10) *De locis Theologicis lib.* 9. *cap.* 7. (11) *Lib.* 2. *de Doctrina Christiana cap.* 31. (12) *In sequenti cap.* 40.

tam celebre nomen consequutus fuit, ut etiam a remotissimis Angliæ partibus accitus fuerit, ut Academias novis legibus institueret in Provinciis Caroli Magni ditioni subjectis, Alcuinus, inquam, illos erudite, ac vehementer improbavit (1), qui Dialecticæ facultatem cum sacris disciplinis copulandam inficiabantur; & Patrum auctoritatibus ostendit fieri non posse, ut sine his præsidiis de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, ac de Verbi Incarnatione differatur. Photius quidem Constantinopolitanus Episcopus pravis moribus, sed multiplici eruditione imbutus, cum insignem victoriam de Ario per S. Athanasium strenuum *Consubstantialitatis* Divini Verbi propugnatorem in Concilio Nicæno relatam commemorat, de utilitate Logicæ præclarum affert testimonium: *Acutus erat, & altus, & argumentationibus omnino vehemens, Logicis autem methodis non tenuiter, aut juveniliter, ut pueri, & rudes, sed Philosophice, & magnifice utens.*

Sed quoniam recentiorum auctoritate aliqui magis moventur, is, qui res Ecclesiasticas vel leviter attigerit, opus de studiis Monasticis a P. Joanne Mabillonio confectum non ignorabit. *Philosophia*, inquit ipse (2), *inspecta rei veritate, plurimum juvat nedum ad ratiocinandum, ac judicandum verum, & ad rerum universarum ideas habendas, moralem facultatem addiscendam, & ad Fidem Orthodoxam propugnandam adversus paralogismos, & captiosas Sophistarum argumentationes*; & paulo post: *Eo igitur Dialectica collimat, ut veri, falsi, affirmationis, negationis, erroris, ac dubii ideas intra nos gignat, in primis autem ideam illationis, & consequentiæ, unde scilicet percipimus, determinatam aliquam enunciationem ex alia sequi, item syllogismum aliquem apte concludere, secus vero alium: Logica igitur utendum est, ut ad recte concipiendum, ac ratiocinandum exerceamur, & ut inde dirigatur noster intellectus.*

X. Opus quidem ejusmodi Litteratorum unanimi consensu, ac laudibus commendatum Abbas *de Rancè* Monasterii Trappen. Reformator suo judicio minime probavit; cui tamen P. Mabillonius accurate respondit. At vero res non agebatur de Seculari Clero, neque de illis Regularium Ordinibus, qui saluti animarum, divinisque eloquiis evulgandis se devoverunt, quibus utilia, & consentanea plurimum affirmabat quæcumque a Mabillonio pro ratione studiorum tradebantur: sermo erat de illis tantum, qui ab omni hominum commercio in solitudinem se recepérunt, quibus Philosophiæ, Logicæ, Theologiæ, & Juris Pontificii exercitatio perniciosa potius videbatur (3).

XI. Præcipimus etiam, ut integer annus pro Logica addiscenda conteratur, priusquam Theologiam Scholasticam, seu Moralem, aut Jus Canonicum Clerici suscipiant; non enim probare possumus has facultates temere eodem tempore copulari. Qui vero judicium ferre de iis rebus valeat, argumenta confici, & quæ ex principiis consequuntur, deduci in qualibet facultate non posse judicabit, nisi hæc prius ex Logica comparentur; quemadmodum fieri nequit, ut choreas aptissime ducat, qui primum gressus movere non doceatur.

XII. Cum autem hæc Diœcesis tam late pateat, cujus pars in asperrimis montibus sita est, pars etiam inter aquas constituitur, ita ut ab iis legibus aliquando recedendum sit, ne Parochiæ necessariis Ministris destituantur; vel alia legitima causa propositam studiorum rationem immutare cogat, ideo normam per eumdem Mabillonium (4) descriptam amplectemur, ut Latinam linguam plane calleant, & *ad faciliora applicentur, ut puta, ad studium Catechismi Romani, aut Tridentini Concilii, quod propterea ipsis erit explanandum, vel etiam brevi cujusdam Theologiæ, seu potius summæ Theologicæ quarumvis altercationum, aut scholasticarum methodorum expertis, ex qua brevi queant intelligere quidquid necessario attinet ad Catholicæ Religionis substantiam, aut Mysteriorum Fidei, & præsertim in materia Sacramentorum.* Attamen, ne contemnantur, quæ proposuimus, jussu nostro, Sacerdotes, quibus Ordinandorum merita exhibentur, illos Clericos omnino prætereant, qui Subdiaconatum petentes Logicæ per annum navasse operam obsignato testimonio non probabunt, quam cum Theologiæ, vel Juris Canonici studio non conjunxerint. Si quis autem hac lege dissolvi peroptet, supplicem libellum nobis exhibeat, in quo legitimam ejus rei causam declaret. Nos tunc rationes, quæ adducentur, serio expendemus in eo cœtu, quem pro meritis Ordinandorum examinandis convocamus. Illud tamen monemus, hanc Civitatem, omnemque Diœcesim a nobis ita cognosci, ut quid singulis tribuendum sit, percipere facile possimus. Qui profecto fine causa Logicæ annum non concesserit, & tamen Subdiaconatum postulabit, facilem viam ostendemus, qua perficere id poterat, si mens aliena non fuisset.

XIII. Magistros porro obtestamur, ut certum tempus, quo Clerici ad ipsos audiendos accesserint, suis æque testimoniis exprimant, quæ aliter nullam vim obtinebunt. Clerici autem, qui de aliqua quæstione interrogati, ipsam minime traditam a Professoribus, explicaramque libere fatentur, pro certo habeant eam nobis rationem statuisse, ut totum examen in illis controversiis versetur, quæ ipsis procul dubio declaratæ sunt, licet veritatem inficientur.

XIV. Aliquid de Theologiæ, ac Juris Pontificii studio nobis agendum supereſt. Nepotiani exemplum a S. Hieronymo propositum singulis Ecclesiasticis aptissime convenire arbitramur: *Sermo ejus, per omne convivium de scripturis aliquid proponere, libenter audire, respondere verecunde, eruditionis gloriam declinando, eruditissimus habeatur. Illud ajebat Tertulliani, illud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii est, sic Minutius Felix, ita Victorinus, in hunc modum est locutus Arnobius; me quoque pro sodalitate Avunculi diligebat, interdum proferebat in medium, lectioneque assidua, & meditatione diuturna pectus suum Bibliothecam fecerat Christi.* Fatemur tamen non modo utilitatem, sed necessitatem Scholasticæ Theologiæ, quæ vel ab humana ratione præclara argumenta comparat, quibus Christiana Religio magis illustretur: *Utitur tamen*, inquit S. Thomas (5), *sacra Doctrina etiam ratione humana, non quidem ad probandam Fidem, quia per hoc tolleretur meritum Fidei, sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac Doctrina*: Illa quidem per hæreticos contemnitur, sed ipsorum fallacias, & commenta penitus eludit. De ipsa Sixtus V. hæc habet (6): *Sane Catholicæ Fidei dogmatibus confirmandis, & hæresibus confutandis perneccessaria est: & profecto, rem ita se habere, ipsimet veritatis inimici sunt judices, quibus Theologia Scholastica maxime est formidolosa; qui profecto intelligunt, apta illa, & inter se nexa rerum, & causarum coherentia, illo ordine, & dispositione, tamquam militum in pugnando instructione, illis dilucidis definitionibus, & distinctionibus, illa argumentorum firmitate, & acutissimis disputationibus lucem a tenebris, verum a falso distingui, eorumque mendacia multis præstigiis, & fallaciis involuta, tamquam veste detracta, patefieri, ac denudari.*

XV. Itaque Theologiam Scholasticam per tres saltem annos excolat, qui satis ingenio præditus est, antequam Sacerdotio initietur. In hac sane Civitate Professores versantur, qui doctrinæ laude præstantes eam Theologiam tradunt, quæ sacrarum litterarum, Patrum, Conciliorumque testimoniis, & auctoritate confirmetur; qui denique illis multum dissimiles habentur, de quibus Melchior Canus merito scriptum reliquit (7): *Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ne ex gravi Philosophia quidem, sed fere puerilibus disciplinis, Scholastici tamen, si Superis placet, Theologi vocantur, nec Scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum fæces in scholam inferentes, & ad risum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemptum.* Qui Moralis Theologiæ studium magis eligit, serio perpendat aliam ipsius partem pro audiendis Confessionibus necessariam esse, aliam pro Ordinibus suscipiendis. Illa quidem de pactionibus agit, ac de vendendis, emendisque rebus; altera vero in virtutibus Theologalibus, Fide nempe, Spe, & Charitate cognoscendis continetur. Item de Sacramentis generatim, ac etiam speciatim per eam differitur.

XVI. Ad Jus autem Pontificium devenientes, sublimiorem illam ejus profitendi rationem omittimus, qua veteri novum copulatur, jungiturque cognitio tum Conciliorum, tum Ecclesiasticæ Historiæ, sanioris critices, & eorum pariter, quæ tam in Decretalibus, quibus communiter utimur, quam in iis, quæ sex prioribus collectionibus continentur; & eorum etiam, quæ Pontificum Constitutionibus sane ita sunt; tum controversiarum, quæ in Sacris Urbis Congregationibus propositæ fuerunt, ac definitæ. Illud tantum affirmabimus Pontificio jure, cujus communis est in Foro, ac Lycæis usus, plurima comprehendi, quæ ad Fidei nostræ dogmata pertineant. Cardinalis Dominicus Pinellius, libro septimo Decretalium, qui Clementi VIII. inscribitur, congestusque fuit magno labore, licet variis de causis numquam in lucem editus, hæc ita differit:

(1) *In suis Operibus pag.* 703. (2) *Par.* 2. *cap.* 9. (3) *In Vita Mabillonii per Theodoricum Ruinart. c.* 44., *& seq. In Vita Ab. de Rancè per P. Malachiam Inguinbert Episcopum Carpentoractens. lib.* 1. *cap.* 18. (4) *Part.* 2. *cap.* 9. *sub n.* 5. (5) *Part.* 1. *Quæst.* 1. *art.* 8. *ad secundum.* (6) *In Constitut.* 76. (7) *Lib.* 8. *de Locis Theologicis cap.* 1.

ſerit: *Profeſſoribus igitur Pontificii Juris non proponuntur iſta dogmata, ut ea ſpeculative, vel ex profeſſo in ſcholis legant, aut de illis, tamquam de ſuis axiomatibus, diſputent; quia, cum ex articulis Fidei deducantur, ut talia ad Theologum pertinent. Juris vero Peritus debet ea ſcire, tamquam certa, & accepta ex prioribus Theologiæ principiis; cum ſacrorum Canonum diſciplina ſit Theologiæ ſubalterata, & illam præſupponere debet, ut Medicina præſupponit Philoſophiam naturalem, & Muſica præſupponit Aritbmeticam, & prout omnes artes diſciplinæ ſibi invicem reſpondent, & altera ab altera quoad notitiam derivatur.* Idem Jus Pontificium plura complectitur, quæ ad forum Conſcientiæ, Eccleſiæ adminiſtrationem, litesque jure dirimendas referuntur. Prima ſane ex his duabus partibus S. Carolo Borromæo jucundiſſima fuit, uti Carolus Beſcapeſius ejus vitæ Scriptor his verbis teſtatur: *Canonum ea ſcientia perjucunda erat, quæ Patrum mores, & acta repræſentant Eccleſiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet, dolens, eos communi conſuetudine tantum Canones ad interpretandum feligi, qui ad lites, judiciaque valent.* Altera pars etiam neceſſaria cum jure Civili plurimum copulatur. Hinc Honorius III. (1): *Sane*, inquit, *licet Sancta Eccleſia legum ſecularium non reſpuat famulatum, quæ æquitatis, & juſtitiæ veſtigia imitantur &c.* Lucius quoque III. idem confirmat (2): *Quia vero, ſicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur &c.* Joannes XXII. ob fidem ſingularem, quam hæc noſtra civitas erga Sedem Apoſtolicam oſtendit, cum atrociſſimis bellis Italia vexaretur, privilegium a Clemente V. prius acceptum ſua auctoritate confirmavit, nempe, ut Clerici ſeculares Civile jus addiſcerent. Epiſcopis tantum e Monachis, & Sacerdotibus id minime permiſit (3). Sac. deinde Congregatio, teſte Fagnano (4), Clericis univerſis, qui juris Civilis ſtudio in aliqua Academia detinerentur, conceſſit, ut Præbendarum fructus perciperent, modo tamen poſt jus Civile Pontificium quoque amplecterentur, illoque uti vellent, ut ſecundum magis intelligerent.

XVII. Quare, ut recte, atque utiliter omnia fiant, qui ad ſacros Ordines admitti cupiunt, omiſſoque Theologiæ curſu jus Canonicum addiſcendum ſuſcipiunt, præter annum in ſola Logicæ exercitatione collatum, nulloque alterius facultatis ſtudio permixtum, præcipimus, antequam pro Subdiaconatu in examen veniant, ut juri Civili per annum operam præſtent, reliquis autem duobus annis in jure Canonico verſentur, ſi eorum Profeſſores duorum annorum ſpatio Inſtitutiones abſolvant. Sin autem, ut fieri commode ſolet, unius anni ſpatio id perficiant, tunc poſt Logicam juris Canonici ſtudio per annum occupentur, tertiumque impendant annum, ut Theologiæ Moralis eam partem, quæ de Sacramentis agit, magna ſedulitate percurrant.

## INSTITUTIO XLIII.

*De obſervandis diebus Feſtis. Barbitonſores rerumque venditores vehementer improbantur, qui hoc præceptum ſummopere negligant. Certum tempus, atque hora præſcribuntur ipſis, ut operibus ſuis vacent abſque ullo ſcandalo, ſeu offenſione.*

I. POſtquam pervenimus in hanc Sedem, Inſtitutionem promulgavimus, qua Tonſoribus permiſſum fuit, ut diebus Feſtis artem mane exercerent, donec ſignum per Eccleſiæ Metropolitanæ campanam daretur, & a prandio poſt horam vigeſimam ſecundam, aut vigeſimam tertiam opus ſuum libere repeterent. Cautum tamen fuit, ne in ipſorum officinis ludi inſtituerentur, nec ulli conventus fierent, qui a Chriſtianis moribus, ac diſciplina abhorrent. In delinquentes etiam certas pœnas eodem Decreto conſtituimus.

II. Ingenue fatemur, id a nobis invito animo Tonſoribus conceſſum fuiſſe, cum ſub oculos noſtros verſaretur, caput tondere, & barbam radere inter ſervilia opera adnumerari. Joannes quippe XXII. ad Philippum V. Galliarum Regem ſcribens eamdem conſuetudinem his verbis improbavit (5): *Illud ſane, quod inoleviſſe in illis partibus dicitur, ut videlicet paſſim in quamdam divinam irreverentiam die Dominico radendis, ac tondendis barbis, atque capitibus intendatur, te diſſimulare non licet, cum dies illa Divino cultui ſpecialiter dedicata talibus profanari non debeat &c. Nec ignorat, quod inter præcepta Decalogi Sanctificatio Sabbati ponitur, ad quorum obſervantiam Fidelis quilibet de neceſſitate tenetur.* Profecto cum nulla neceſſitas urgeat, ut per dies Feſtos radendis barbis, & capitibus tondendis tempus conteratur, quod pro feſtis diebus commode fieri poteſt, communis Theologorum opinio locum habet, ab Epiſcopis nempe ſervilia opera permitti diebus feſtis, ac tolerari poſſe, ſi vera neceſſitas id poſtulare videatur. In eamdem ſententiam Romani Pontifices conveniunt, ac potiſſimum Nicolaus V., cum plurima per Hungaros anno 1447. petita fuiſſent: *Ceſſante neceſſitate, ab omni opere ſervili abſtinendum eſt diebus Dominicis, & Feſtivis; ſed neceſſitate cogente, non tamen affectata, ſeu procurata licitum eſt præmiſſa exercere.*

III. Sed magis movebamur, cum Decretum expendimus pro cultu diebus Feſtis exhibendo Romæ promulgatum, quo Tonſoribus per eos ſacros dies vulneribus ægrotantium ſolum mederi conceditur. Præclariſſimus etiam Cardinalis Paleottus primus hujus Urbis Archiepiſcopus anno 1603. conſtituit (6), ut ſanguinem tantum mittere diebus Sacris, morbiſque inopinatis præſentem medelam afferre, quam periculoſum ſit in aliud tempus protrahere Tonſores deberent. Deceſſor quoque noſter Cardinalis Boncompagnus idem conſilium ſuſcepit, ut ipſi Tonſores in Album relati, ſi neceſſitas id peteret, Chirurgiæ muneribus iiſdem diebus fungerentur, a capitibus autem, barbiſque radendis abſtinerent (7). Poſtremo, ſi populi aliqui ad Sacras Congregationes confugerunt, ut Epiſcoporum ſuper hac re Decreta de medio auferrent, abjectis ejuſmodi libellis, ea Decreta prorſus obſervanda reſponſum ſapienter fuit (8); quæ ſane omnia Sancti Antonini (9) doctrina comprobantur: *Barbitonſores non in radendo, ſed in minuendo ſanguinem &c. ſi in Feſtis exercent artem ſuam principaliter propter neceſſitatem eorum, quibus ſerviunt, non propter cupiditatem lucri, excuſantur.*

IV. Attamen has difficultates ſuperavimus, poſtquam virtutis opinione præſtantes viri nobis oſtenderunt, poſt tot Decreta Cardinalem Boncompagnum Deceſſorem noſtrum æquo animo tuliſſe, ut Tonſores barbas raderent, donec Metropolitanæ campana pulſaretur. Illud quoque in mentem venit, quod Joannes Gerſon ſcriptum reliquit: *De operibus ſervilibus non exercendis diebus Dominicis, & feſtivis plus, & frequentius determinat conſuetudo loci, & perſonarum a Prælatis tolerata, quam alia lex ſcripta.*

V. At vero idem evenit, quod navim contra fluminis curſum dirigentibus accidere conſuevit, qui ſi vim intendere paululum ceſſent, aquarum impetu alio, quam velint, navis ipſa defertur. Ita profecto Tonſores aliqui hac humanitate abuſi ſunt; ita ut Matutinum tempus feſtorum dierum impudenter in radendis barbis totum impendant, tyroneſque occupati, Miſſæ Sacrificio minime adeſſe poſſint, nec ad Sacramenta percipienda accedere, nec divina eloquia, aut Chriſtianæ legis doctrinam, & inſtituta, quæ ipſis neceſſaria ſunt, addiſcere, quemadmodum probiſſimi homines, & non ſemel libelli ſupplices de hac re nos admonuerunt.

VI. Ipſos quidem felices nuncupamus, ſi religione, pietate, & Chriſtianæ virtutis ſtudio ducti ſunt, ut hanc nobis corruptelam patefacerent; contra vero miſeros, ſi ad nos confugerunt, ut in otio deinceps verſentur, vel in templa ſe conferant, ubi impudicis amoribus indulgeant, aut aliis criminibus patrandis ſacrum tempus infumant. Minori culpa tenerentur, ſi diebus Feſtis officinas nunquam deſererent, & opera ſervilia exercerent, quam ſi tempus Deo conſecratum turpiter ſceleſteque projciant. Nicolaus I. Bulgaris conſilium petentibus reſpondens, a terrenis operibus per dies Feſtos ceſſandum docuit, adeundas Eccleſias, Deum vehementer exorandum, pietatemque impenſius colendam; deinde ſermonem ad eos convertens, qui ludis, otioque dies Feſtos conterunt, hæc tradit: *Melius illi fuerat ipſo die, B. Apoſtoli Pauli præceptis obaudiens, laborare manibus ſuis, ut haberet, unde tribueret neceſſitatem patientibus.* Princeps autem Theologorum Sanctus Thomas (10) opera ſervilia diebus Feſtis interdici ob eam cauſam exiſtimavit, quia divinis rebus vacare nos magnopere impediunt; Poſt hæc: *Et quia* (inquit) *magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quam-*

(1) *Cap. ſuper ſpecula ad tit. de Privilegiis.* (2) *Cap. Intelleximus de novi operis nunciatione.*
(3) *Rainaldus ad ann. Chriſti* 1517. *num.* 16. (4) *In cap. ſuper ſpecula num.* 33. *Ne Clerici, vel Monachi.*
(5) *Rainaldus ad ann. Chriſti* 1317. *ſub num.* 4. (6) *In Compend. ſuorum Ordinum pag.* 140. (7) *In Edicto promulgato die* 28. *Julii anno* 1699. *edito poſt ipſius Synodum, & in alio promulgato die* 18. *Maji an.* 1720. (8) *Braſchius in Promptuario Synodali cap.* 12. *num.* 6. (9) *In ſua Summa part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 8. (10) *In* 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. *ad* 3.

*quamvis sit corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die Festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit.*

VII. Cum tamen hominum secreta consilia Deo solum innotescant, nec Episcopus, si honesta petantur, ea recusare debeat; si autem corruptelæ inducantur, quæ fidelibus offensionem afferant, remedia illis comparare pro muneris sui ratione omnino teneatur, in eum locum adducti sumus, ut querimoniis consulendum sit, quæ pro dierum Festorum cultu reparando ad nos deferuntur: Gersonis præsertim sententia compellimur, qui postquam dierum Festorum præceptum valde imminuit, ea dissimulanda judicans, quæ ab Episcopis æque feruntur, vel etiam diuturna consuetudine firmata sunt, hæc subdit: *Consuetudo exercendi opera servilia, hæc ab istis, hæc ab illis, in diebus Festivis tunc maxime dicenda esset corruptela, quando totaliter a servitio Dei, & a cultu Festorum, & maxime ab auditu Missæ revocaret.*

VIII. Ut hoc negotium sedulo pertractetur, Tonsorum Præfectos accivimus, inductam ab ipsis corruptelam declaravimus, cautumque ipsorum etiam legibus ostendimus, ne per Sacros dies radendas barbas suscipiant; nos quidem indulgere, ut usque ad campanæ pulsationem, uti superius dictum est, & a prandio post horas vigesimam secundam, aut vigesimam tertiam in suis ministeriis libere versentur; omnino tamen præcipere, ne hos limites excedant. Postremo monuimus, ut reliquos omnes ejusdem generis opifices in cœtum convocent, nostramque hanc deliberationem exponant, quæ maxima cum æquitate conjungitur. Responsum nobis deinde fuit paratos Tonsores omnes, ut voluntati nostræ satisfaciant; illudque solum impedimentum propositum est, nempe aliquos ex ipsis Principum virorum clientelis, ac privilegiis innixos, constituram legem despicere, & in posterum despecturos, ex quo non leve detrimentum in cæteros dimanat, quorum officinæ pristina civium frequentia destituuntur. Quam ob causam cum ipsis viris Principibus de hac re egimus, pro quorum domesticis, ac familiaribus ratio nobis habenda est; iique, quod jam pro certo habebamus, testati sunt, Festos dies omni religione excolendos, nec se ullo modo ferre posse, ut eorum patrocinium pro divinis, vel Ecclesiasticis præceptis contemnendis impudenter adhibeatur. Quare in nostra potestate esse, ut his malis libere, & sine ullo discrimine prospicimus.

IX. Itaque perfectis omnibus, quæ superius enumeravimus, Institutionem antea promulgatam renovamus, & Tonsoribus universis absque ullo discrimine interdicimus, ne mane per dies Festos post consueta campanæ signa, vel a prandio ante vigesimam secundam, aut vigesimam tertiam horam barbas radere, & capita tondere audeant. Facultates omnes, quæ superiori tempore ipsis concessæ fuerint, penitus abrogamus, easque pœnas indicimus, quæ eodem Decreto continentur. Quod si aliquis non paruerit, pœnaque persoluta, iterum secundo jussa detrectaverit, non eamdem modo pœnam luere cogetur, sed etiam ante campanæ signa, vel a prandio post horas, quas supra designavimus, in radendis barbis, & capitibus tondendis, ut reliquis fas est, occupari non posse declaramus. Sin autem id quoque negligat, pœnas iterum dabit, eumque ab hujus Diœcesis finibus certissime depellendum nostra auctoritate fatemur. Cum dierum Festorum contemptus ad utrumque forum jure pertineat, nisi de Clericis agatur (tunc enim per forum Ecclesiasticum res unice judicatur), Cardinalis Justinianus hujus Urbis Legatus die 6. Octobris anno 1610. decrevit, ne Tonsores ulli, cum dies Festi celebrantur, aliquem pectere, etiam extra officinas, radere, aut abluere auderent; delinquentibus viginti quinque aureos persolvendos, tresque ictus fidicularum pro pœna constituit, quam luere deberent non Tonsores modo, sed etiam, qui ab ipsis raderentur. Nos tamen salva, & integra illis brachia relinquemus, quibus in alia quacumque Diœcesi libere utantur: nostris administris solum præcipimus, ut si aliquos offenderint, qui extra præscriptas horas diebus Festis radantur, nomen manu ipsorum descriptum eliciant. Sin autem litteras efformare nesciant, Crucis signum coram duobus testibus efficiant, ut ipsis pariter arbitrio nostro pœnæ statuantur.

X. De illis agendum superest, qui vitæ alendæ necessaria in officinis, foroque venditant. Illa quidem S. Carolus Borromæus parens Ecclesiasticæ disciplinæ, & cætera quoque vendi permisit, quæ necessario ad ægrotos curandos requiruntur, ea tamen conditione, ut officinæ nullo modo pateant (1): *Ne quid ematur, aut vendatur præter id quod ad victum illius diei, vel ad ægrorum curationem necessarium sit, nec officinæ omnino, aut ex aliqua parte aperte habeantur.* Cum vero tertium Concilium coegit, hæc etiam addenda judicavit: *Quo in genere præterea Episcopus illarum rerum venditioni certam horam, & modum præscribat, ne ex venditione aliquid existat scandali, offensionisve, aut occasionis qua distrahantur homines a Divinis Officiis.*

XI. Cum hæc ita se habeant, Decessor noster, ac deinde nos ipsi anno 1731. jussimus, ne Lanii, Macellarii, Cupedinarii, & reliqui omnes, qui carnes vel in frusta, vel in quadrantem divisas, aut alia esculenta vitæ necessaria in foro, vel officinis vendunt, ne, inquam, id negotium suscipiant, nisi post campanæ signa, ut superius dictum est; a prandio autem post horam diei 22. Alia quoque tunc decrevimus, quæ in eodem edicto continentur, & pœnas ibi statuimus in eos, qui parere recusaverint.

XII. Eodem fere tempore, quo Tonsorum administri ad nos confugerunt, etiam qui Macellariis inserviunt, questi sunt se a Missæ Sacrificio, Divinis Officiis celebrandis, audiendaque Christianæ Legis explicatione sæpius impediri, quod vendendis rebus, etiam extra constitutum tempus, assistere debeant. Hinc non leviter suspicati sumus, nimis per hanc Diœcesim invalescere conatus Dæmonum improbos, ut sacræ celebritates penitus abrogentur, uti in Psalmo 73. v. 8. legitur: *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.*

XIII. Quare accitis hujus artis Præfectis, habitaque eorum ratione, quorum clientelæ, & patrocinia litteris obsignata in medium afferebantur, qui sane pietati consentanea nobis responderunt, illisque similia, quæ paulo ante explicavimus, cum de Tonsoribus ageretur, his, inquam, peractis, institutionem jam promulgatam renovamus pro iis omnibus, quæ ad Macellarios pertinent; & ea quoque adjungimus, quæ superius in Tonsores constituimus, & quæ Macellarios æque, ac Tonsores afficere declaramus.

XIV. Finem sermoni imponimus Concionatores, & Parochos omnes magnopere admonentes, ut quoties ad populum verba faciunt, ejus præcepti gravitatem explanent, quo dierum festorum celebritates excolendæ indicuntur. Non ignorant quidem naturæ ipsius præcepto homines obstringi, ut dies aliqui Deo Optimo Maximo consecrentur. In veteri testamento illud jussum fuerat: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices . . . . . ; sex enim diebus fecit Dominus Cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum* (2). Apostoli vero diem Dominicum Sabbati loco suffecerunt, quod eo die Salvator noster ad immortalem vitam surrexerit. Hinc in Apocalypsi S. Joannis cap. 1. habetur: *Fui in spiritu in Dominica die.* Sed quoniam in veteri lege præter Sabbati celebritatem, alii quoque dies festi designati fuerunt, ut præclara Dei opera debita religione ac memoria Judæi prosequerentur, & fortia gesta præstantium mulierum celebrarent Judit, Esther, Machabæorum, aliorumque, qui inter ipsos Judæos immortalem sibi gloriam, & laudem comparaverant, profecto in nova Lege per Apostolos etiam solemnes aliqui dies instituti fuerunt, ut præcipuis Religionis mysteriis, invictisque Fidelibus Sacri honores decernerentur.

Certissimum pariter est oportere, ut non modo patres familias dies festos colant, sed liberos etiam suos, ac domesticos ad hoc præceptum observandum impellant. Quare post allata superius Exodi verba, hæc subjiciuntur v. 10.: *Non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas.* Neque profecto Dei voluntati satisfacit, qui solum dierum festorum celebritates in eo constituit, ut rei Divinæ intersit, & a servilibus operibus abstineat; non vero contendit omni studio, ut Deo vero cultum exhibeat, nec ulla peccati labe per dies Festos inquinetur, ut per Isaiam Deus ipse declarat: *Neomeniam, & Sabbatum, festivitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea*; & per Malachiam: *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.*

XV. Tandem plane cognitum est, ac perspectum eos, qui dies Festos contempserint, etiam in hac vita puniendos, uti Deus per Ezechielem indicavit: *Sabbata mea violaverunt vehementer: dixi ergo, ut effunderem furorem meum super eos, & consumerem eos.* Libro autem Numerorum traditur, Judæum quemdam, qui die Sabbati ligna congerebat, in potestatem Moysis, & Aaron proditum fuisse, ipsorumque jussu in carcerem detrusum, sed cum incerti essent quid de illo statuen-

(1) *Primo Mediolanen. Concil.* (2) *Exodi cap. 20. v. 11.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ruendum videretur *Dixit Dominus ad Moysen: morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra*. Nostris quoque temporibus certissima Divinæ ultionis argumenta sub oculos versantur. Nam cæteris omnibus omissis, messem hoc anno uberrimam speravimus, quam tamen exiguam, ac tenuem congessimus. Id vero non dictum a nobis temere putandum est, sed ex Sacris Litteris apertissime deprehenditur ex contemptu dierum Festorum id potissimum dimanare: *Custodite* (inquit Deus (1)) *Sabbata mea &c. & dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur*.

XVI. Parochi, & Concionatores de his copiose verba facere poterunt, & ea Fidelium animis ita imprimere, ut ad Festos dies omni honore colendos adducantur. Postremo, quæ antea sanximus, universa confirmamus, itemque præcipimus, ut hoc præsens Edictum consuetis Urbis locis figatur, & qui in ipso nominantur, ejus exemplar in suis officinis, ac tabernis habeant. Quoniam vero causam excusationis eam nonnulli afferunt, se campanæ signa non exaudire, licet acutus, gravisque illius sonitus in omnem Civitatem facile propagetur, opportunum ducimus post hoc Edictum horam monere, qua per singulos menses idem campanæ signum dari consuevit.

Diebus Festis signum pro occludendis officinis campana major hujus Metropolitanæ Ecclesiæ per horæ quadrantem dabit, statim ac pro Divinis Officiis celebrandis signum absolutum fuerit. Horas autem signo ejusmodi constitutas per anni cursum subjicimus.

### JANUARIUS.

| | |
|---|---|
| Mense toto | 17 |

### FEBRUARIUS.

| | |
|---|---|
| A prima die usque ad decimam quartam diem | 16 ½ |
| A die decima quinta ad finem mensis | 16 |

### MARTIUS.

| | |
|---|---|
| A prima die usque ad nonam diem | 15 ½ |
| A die decima usque ad decimam nonam diem | 15 |
| A dio vigesima usque ad totum mensem | 14 ½ |

### APRILIS.

| | |
|---|---|
| A prima die usque ad nonam diem | 14 |
| A die decima usque ad decimam nonam diem | 13 ½ |
| A die vigesima usque ad totum mensem | 13 |

### MAJUS.

| | |
|---|---|
| A prima die usque ad decimamquartam diem | 12 ½ |
| A die decimaquinta usque ad totum mensem | 12 |

### JUNIUS.

| | |
|---|---|
| Toto mense | 12 |

### JULIUS.

| | |
|---|---|
| Toto mense | 12 |

### AUGUSTUS.

| | |
|---|---|
| A prima die usque ad decimamquartam diem | 12 ½ |
| A die decimaquinta usque ad totum mensem | 13 |

### SEPTEMBER.

| | |
|---|---|
| A prima die Septembris usque ad nonam diem | 13 ½ |
| A die decima usque ad decimamnonam diem | 14 |
| Ad die vigesima usque ad totum mensem | 14 ½ |

### OCTOBER.

| | |
|---|---|
| A prima die usque ad nonam diem | 15 |
| A die decima usque ad decimamnonam diem | 15 ½ |
| A die vigesima usque ad totum mensem | 16 |

### NOVEMBER.

| | |
|---|---|
| A prima die usque ad decimamquartam diem | 16 ½ |
| A die decimaquinta usque ad totum mensem | 17 |

### DECEMBER.

| | |
|---|---|
| Toto mense | 17 |

## INSTITUTIO XLIV.

*De publicis Sacellis in Diœcesi positis. Quibus diebus minime liceat Sacrum in illis perficere. De illis Sacellis, in quibus permitti potest Missæ Sacrificium, antequam in Parochia celebretur.*

I. CUM Diœcesim hanc nostram invisimus, plura Sacella publica offendimus, quæ Fideles, interposita Decessorum nostrorum auctoritate, condiderunt.

II. Sed quoniam pro varietate hominum, ac voluntatum variæ quoque sunt sententiæ, ita diversas de ipsis Sacellis opiniones percepimus.

III. Aliqui ex Parochis aptissime suis Ecclesiis ea convenire nobis duabus de causis asseruerunt. Ac primo, cum Sacra Eucharistia ad ægrotos longe a Parochia dissitos deferenda est, rem divinam in aliquo ex iisdem Sacellis conficiunt, & inde commodius Sacrum Christi Corpus ægrotis administrant. Deinde, cum plurimi ex Parochianis longe ab Ecclesia sejungantur, turbulentis hyemis temporibus, impeditisque itineribus, ad Missæ Sacrificium non convenirent, nisi in aliquo Sacello ipsorum ædibus proximiori illud celebraretur.

VI. Alii vero Parochi, si Missæ Sacrificium in illis Sacellis peragatur, illud consequi magnopere contendunt, ut magna pars populi ad Ecclesiam Parochialem raro se conferat, atque ita divinis eloquiis, Christianæque legis explanatione prorsus destituatur.

V. Ut has varias sententias componamus, primo vehementer expetimus, ut frequenter populus ad Parochiam accedat, ubi Sacro interest, piosque sermones, & Religionis mysteria explicata percipiat: *Moneant* (2) (de Episcopis agitur) *etiam eumdem populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus Festis, accedat*.

VI. Sed cum Tridentina Synodus Parochis indixerit, ut diebus Dominicis, aliisque Festis pios sermones ad populum habeant, & insuper jusserit populum ad illos convenire, nisi grave aliquod incommodum intercedat (3): *Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei*: Ideo consilio præstantium virorum, qui hujus quoque Diœcesis peritissimi sunt, præcipimus, ut omnino serventur, quæ de publicis ejusmodi Sacellis modo constituemus.

VII. Ac primum absque facultate nostra, quæ tum solum tribuetur, cum legitima causa id postulaverit, Sacrum in illis Sacellis fieri prohibemus, cum solemnes dies aguntur Paschatis, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Annuntiationis, atque Assumptionis Beatæ Virginis, Sanctorum Petri, & Pauli, omnium Sanctorum, Sancti Petronii, ejusque Sancti, cujus titulo Parochia nuncupatur juxta veterem hujus Diœcesis consuetudinem.

VIII. Parochus quidem edicere nequit, ut in publicis Sacellis, quæ in sua Parochia sita sunt, Missæ Sacrificium celebretur, postquam Parochiale absolutum fuerit. In nostra potestate id solum positum est, qua uti volumus non sine ipsorum utilitate, & commodo, sed modum aliquem statuendum judicamus. Itaque præter solemnes dies, quos modo enumeravimus, reliquis etiam diebus Festis rem divinam in publicis Sacellis instituere non liceat, quæ mille passibus a Parochia non distant, nisi postquam Sacrum in eadem Parochia confectum fuerit, quod tamen apte pro populi commoditate indici debebit. Siquidem hujus itineris intervallum non ita longum molestumque ruricolis videri potest, ut ad Parochiam accedere impediantur: Sin autem ea Sacella supra mille passus a Parochia sejungantur, tunc Sacerdos eo tempore Sacrum faciat, quo populus ad illud audiendum facile congregetur. Nam experientia compertum est, ad Parochiam minime se conferre populum, hyemis præsertim tempore, si supra mille passus iter suscipiendum sit, Sacellaque proximius habeat, ubi Missæ Sacrificium per dies Festos

(1) *Levit.* (2) *Concil. Trid. sess. 22. in Decreto de observ. & vitandis in celebr. Missæ.*
(3) *Sess. 24. cap. 7. de Reformat.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſtos indicatur. Neque fieri poteſt, ut divinum Miſſæ Sacrificium in illis Oratoriis celebrandum poſt Parochiale protrahatur, cum ruricolæ citius, quam cæteri prandium inſtituere ſoleant, ideoque plura alia prætermitti deberent, quæ peragenda in iiſdem Sacellis jubemus, ut inferius declarabimus.

IX. Quod ſupra diximus, ſolius Epiſcopi partes eſſe decernere, ut res divina in Sacellis ejuſmodi poſt Sacrum Parochiale conficiatur, id Sacræ Romanæ Congregationes conſtituerunt (1): *Quod autem ſancire poſſit Ordinarius, ne Miſſa ante Miſſam Parochialem diebus Feſtis in Oratoriis ſecularibus celebretur, pluries decrevit Sacra Congregatio Concilii &c. At vero Parochus ex ſemetipſo facere non poteſt antefatam prohibitionem; quippe quæ ſpectat ad Ordinarium, ut eadem Sacra Congregatio Concilii cenſuit.*

X. Hinc ſi Parochus aliquis Miſſæ Sacrificium fieri prohibuerit, antequam ipſe Sacrum abſolverit, idque in Sacra Concilii Congregatione tueri contenderit (2): *Sacra Congregatio reſpondit, de rigore juris non poſſe prohiberi, ut Miſſæ non celebrentur ante Miſſam a Paroco non celebratam.*

XI. Sin autem Decreta Synodalia in medium prolata fuerint Epiſcopi auctoritate confecta, quibus caveretur, ne ullum Sacrum fieret ante Parochiale, tunc eadem Decreta ſervanda Sacra Congregatio reſpondit. Ita ſane die 25. Maij anno 1652. Epiſcopo S. Aghatæ Gothorum reſponſum datum fuit (3) *Sacra &c. ſæpius cenſuit, Conſtitutiones Synodales diſponentes, ut diebus Feſtis Miſſæ celebrari non debeant in aliis Eccleſiis niſi, celebrata Miſſa in Eccleſia Parochiali, eſſe obſervandas; ita tamen, ut Miſſa in Eccleſia Parochiali hora opportuna celebretur.*

XII. Inſuper die 28. Januarii anno 1640. Decretum his verbis edidit (4): *Quæritur, an Parochus prohibere poſſit, ne in Capella ruri per Laicum ædificata in ſolo publico celebrari poſſit, antequam Miſſa celebretur in Eccleſia Parochiali Matrice. Sacra &c. reſpondit, ſuppoſita facultate legitima celebrandi in dicta Capella, de rigore juris non poſſe prohiberi; ſed Epiſcopum pro prudentia curare poſſe, ut in diebus feſtivis prius celebretur Miſſa in Parochiali Eccleſia.* Procul dubio de his agere, quæ rumore ſparguntur, quam de jure Canonico, facilius eſt. Primum ſatis comparatur, ſiquis ad officinas, vel forum ſe conferat, ibique vulgi ſermones percipiat, eoſque veros, aut falſos per Urbem diſſeminet. Nemo autem de Pontificio jure verba facere poteſt, niſi prius ipſum diligenter excoluerit. Præſtantes libri requiruntur, qui diligenter evolvendi ſunt; cognitio pariter, & quoddam ſapientiæ lumen neceſſarium eſt, ne temere, & inconſulto iiſdem libris utamur, poſtremo ſuprema Tribunalia cognoſci debent, ubi ſententiæ de propoſitis cauſis ferantur. Qui his præſidiis deſtituti ſunt, inepta ſemper loquentur, ex quibus detrimenta non exigua etiam dimanabunt.

XIII. Sed jam revertamur unde divertimus: Sacerdos, qui juxta ſuperius conſtituta Sacrum faciet in illis Oratoriis, quæ ſupra mille paſſus a Parochia diſſita ſunt, dies Feſtos populo denunciet, Sacrum Evangelium ex Altari explicet, ea percurrens, quæ ad æternam ſalutem comparandam neceſſaria ſunt. Denique Chriſtianæ legis præcepta, ac diſciplinam illis omnibus explanet, qui ad Miſſæ Sacrificium convenient. Qui hæc noſtra juſſa detrectaverit, pœnas dabit noſtro arbitrio ſtatuendas, & *a Divinis* etiam interdicetur.

XIV. Hæc fieri omnino debent, ne inculti rurſus habitatores divinis careant eloquiis, & ſempiternos cruciatus ſubeant ob earum rerum ignorantiam, quarum cognitio (ut ajunt Theologi) *neceſſitate medii* requiritur: neque id novum videri debet. Nam idem Braſchius (5) poſtquam aſſeruit per ſolos Epiſcopos decernendum, ne ullum Sacrum celebretur ante Parochiale, id tamen poſſe ab Epiſcopo permitti cenſuit: *Quando in Miſſis antecedentibus Parochialem ſit populo per Celebrantem explicatio Catechiſmi; & ita hodie ſolet determinare ipſamet Congregatio Concilii.*

XV. Id etiam Pontifex juſſit in iis litteris, quas ad omnes Italiæ Epiſcopos dedit die prima Julii hoc anno 1735.: *Præ cæteris Sanctitas Sua plurimum obſervanda commendat, quæ Parochis in hac re per Tridentinum Synodum præcipiuntur, ac potiſſimum, ne, dum Sacrum diebus Feſtis agitur, pii ſermones ad populum omittantur. Idem ab iis Sacerdotibus præſtabitur, qui iiſdem diebus in ruralibus Sacellis rem Divinam celebrabunt, pro illis inſtituendis, qui ad Miſſæ Sacrificium conveniunt, quibus explananda ſunt ea, quæ credere, ſperare, atque agere tenentur, & præ reliquis Sanctæ Religionis præcipua Myſteria.*

XVI. Sed ne Parochi aliquid ſibi detractum querantur, iterum declaramus, nos magnopere optare, ut univerſus populus ad Parochiam accedat. Cum tamen plurimi, ob hyemis præſertim aſperitatem, id negligant, vel impedita itinera ſuſcipere nequeant, Apoſtolici muneris ratione ducimur, ut illis pariter conſulamus. Parochi autem, & etiam Vicarii Foranei curabunt diligenter, ut Sacerdotes in ruralibus Sacellis rem divinam facientes ſuo munere perfungantur. Si aliquid per negligentiam prætermiſſum ab illis fuerit, ſtatim nos de hac re certiores efficiant. Illos pariter, qui Sacerdotes eoſdem audierint, cum Fidei noſtræ doctrinam explicarint, ſedulo examinabunt, ſi res poſtulet, utrum ſatis Fidei rudimentis imbuti fuerint, & potiſſimum, cum Sacram Euchariſtiam primo percipere velint, vel matrimonium inire. In mentem Parochi adducant, quod Sancta Birgitta ſcriptum reliquit, ipſos molæ rotæ frumentariæ comparari, quæ niſi moveatur, frumentum minime conteritur (6).

## INSTITUTIO XLV.

*De illis, qui Sacram Euchariſtiam in Paſchate minime perceperunt. De præcepto, quo Fideles obſtringuntur ſemel in anno divinam Euchariſtiam ſumere; quo fundamento hoc præceptum innitatur. Qua ratione uti debeant Parochi, ut populus omnis huic Paſchali præcepto ſatisfaciat.*

I. IN Actis Apoſtolorum traditur, priores Fideles, *quorum erat cor unum, & anima una*, ſingulis diebus ad Sacram Euchariſtiam percipiendam acceſſiſſe: *erant aut perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Qua de re S. Cyprianus (7), qui tertio Seculo floruit, hæc poſteris ſcripta commendavit: *Hunc autem panem dari nobis, quotidie poſtulamus, ne, qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie, ac cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti, & non communicantes a cæleſti pane prohibemur, a Chriſti Corpore ſeparemur.*

II. Ignoramus, utrum pietas, an præceptum hanc ſanctiſſimam conſuetudinem induxerit, & quamdiu ipſa permanſerit. Illud affirmari certo poteſt, remiſſa imminutaque ob diuturnitatem temporis Fidelium pietate, Conſtitutum fuiſſe circa Seculum VIII., ut *Etſi non frequentius, ſaltem in anno ter Laici homines communicent* (*niſi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur*) *in Paſcha videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini* (8). Gratianus quidem hanc legem Sancto Fabiano Pontifici tribuit, ſed communis hoc tempore litteratorum hominum conſenſus ad Seculum octavum illam referendam exiſtimat.

III. Aſſerendum pariter videtur, eamdem legem uſque ab initio Seculi XIII. receptam a Fidelibus, & obſervatam fuiſſe. Etenim in Epiſtola, qua Innocentius III. eos inſtituit (9), quorum opera Livoniæ populis ad Chriſtianam Fidem paulo ante traductis neceſſaria erat, hæc mandat: *Interim tamen Corporis, & Sanguinis Domini Sacramentum renatis fonte Baptiſmati conſuetis Feſtivitatibus, & in mortis articulo tribuatis.*

IV. Inſuper diſſimulari nequit pietatis ſtudium in dies adeo extenuatum fuiſſe, ut diſciplina etiam in Eccleſia commutaretur. Quippe hæc in Lateranenſi Concilio ſancita fuerunt, quæ etiam in Capite *Omnis* continentur (10): *Omnis utriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum.*

V. Tridentina autem Synodus, cum prius illud declaraſſet (11): *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles aſſiſtentes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent*, pœnam tamen excommunicationis ſolum iis inflixit, qui præceptum ſumendæ Sa-

(1) *Braſchius in Promptuario Synodali cap. 207. num. 23. 24.* (2) *In Cauſa Urbin. quam propoſuit Archipr. S. Caſſiani die 27. Junii anno 1641. lib. 16. Decret. pag. 543. a tergo.* (3) *Lib. Decretor. 16. pag. 191.*
(4) *Lib. Decretor. 16. pag. 331.* (5) *Num. 24.* (6) *Lib. 4. c. 97. ſuarum Revelationum.*
(7) *In ſuo Tractatu de Oratione Dominica.* (8) *Can. & ſi non frequentius &c. de conſecrat. diſt. 2.*
(9) *Eadem epiſtola habetur in cap. Deus de Pœnit. & Remiſſionibus.* (10) *Eodem tit. de Pœnitent. & Remiſſionibus.*
(11) *Seſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ.*

Sacræ Eucharistiæ saltem in Paschate inficiarentur (1): *Si quis negaverit, omnes, & singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.*

VI. Patres Concilii Lateranensis, cum suspicarentur, haud esse defuturos, qui Eucharistiam Paschali tempore sumere, adeoque præceptum suum exequi detrectarent, eam pœnam statuerunt (2): *Alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Idem decernit Rituale Romanum jussu Pauli V. titulo: *Quibus non licet dare Ecclesiasticam Sepulturam*: inter quos illi adnumerantur: *de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperint Sacramenta Confessionis, & Communionis in Pascha, & absque ullo signo contritionis obierunt.* Cum tamen evenire possit, ut Confessarii consilio a percipiendo Eucharistiæ Sacramento aliqui tunc abstineant, hinc ejusdem Concilii Patres eos ab omni pœna liberos, & immunes his verbis declaraverunt: *Nisi forte de prorii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

VII. Quamobrem in Diœcesibus bene institutis Parochi de præcepto Paschalis Communionis populum per Quadragesimam admonent. Diligenter eos describunt, qui huic præcepto satisfaciunt, & illos pariter, qui jussa detrectant, uti per Rituale Romanum præcipitur (3): Pervicaces sæpius objurgant, quorum nomina ad Episcopum deferunt: eos quoque denunciant, qui Confessarii jussu Sacram Eucharistiam in Paschate non susceperint. Contumaces autem Episcopus ab ingressu Ecclesiæ interdictos, & Ecclesiastica sepultura carentes declarat, eorum que nomina publice exhibet, ut hac ignominia puniantur.

VIII. Verum prætermissis iis omnibus, quæ in aliis Diœcesibus fieri solent, quid in hac Bononiensi positum in more fuerit indicabimus, cum Cardinales Paleottus, & Alphonsus quoque Paleottus hanc Ecclesiam administrarent. Siquidem in compendio Decretorum, quæ typis excusa fuerunt in hac eadem Civitate anno 1603., hæc habentur (4),

*Monitio, quæ per Parochos fieri debet secunda, ac tertia die Paschatis iis qui Sac. Eucharistiam non susceperint.*

*Admonentur omnes, qui die Dominico Paschatis ad Sacramentum Eucharistiæ non accesserint, ea lege teneri, ut hujus hebdomadæ spatio per Pœnitentiam prius expiati Sanctissimum Christi Corpus percipiant; Qui non paruerint ab ingressu Ecclesiæ palam interdicentur, ipsorumque nomina publice exponentur; si vero forte decesserint, Ecclesiastica sepultura carebunt.*

IX. Suam nobis virtutem, studiumque pietatis adeo testati sunt Parochi, ut nullus timoris, ac suspicionis locus supersit, quin omnem curam diligenter impendant, ut eos, qui Paschalis Communionis præceptum contempserint, deprehendant, perditosque homines omni benevolentiæ significatione ad bonam frugem traducant. Eosdem Parochos ab omni simulatione alienos ita ducimus, ut nullam ob causam, hominumque rationem silentio aliquem præterire velint, cum scripta ad nostros Ministros illorum nomina deferent, qui in Paschatis celebritate Sacram Eucharistiam non susceperint. At ne Apostolico muneri, quo nos ipsi fungimur, deesse videamur, indicimus omnibus, qui in Paschate, vel spatio temporis intercepto, Sacram Eucharistiam in Parochia, vel in alia Ecclesia probante Parocho non acceperint, indicimus, inquam, ut ejusmodi præcepto satisfaciant saltem ad octavam diem Septembris, qui B. Virginis Natali conseceratur: sciant etiam decima octava die ejusdem mensis, cum Sacra Mysteria in hac Metropolitana supplicatione indicta, circumferuntur, Ecclesiæ foribus eorum nomina defigenda, qui jussa pervicaciter haud fecerint, pœnasque infligendas, quæ per Sac. Canones decernuntur. Itaque Parochis mandamus, ut administris nostris a die nona Septembris ad decimam quartam eorum nomina denuncient, qui contumaces fuerint. Ne autem sacrilegiis occasio præbeatur, prudenter se gerant Parochi, dum scriptum testimonium de peracta Confessione ab illis pervicacibus exigunt, quos ad Sacram mensam accessuros suspicantur.

X. Hanc prudentiam ideo Parochis commendamus, quod inter Theologos quæstio instituitur, utrum Confessarius, qui imparatum aliquem deprehendens, absolutionem ipsi impertiri non potuit, testari valeat eidem se Penitentiæ Sacramentum administrasse, quod alii quidem improbant, ne scelesti homines ejusmodi testimoniis abutantur, alii vero Confessarii judicio rem perficiendam existimant; alii denique eam sententiam proponunt, quam nos etiam amplectimur, testimonium nempe de peracta Confessione tribuendum sine ulla absolutionis mentione, si prælertim Confessarius idem testimonium aliis concesserit, vel cognitum aliis, perspectumque fuerit ad Sacrum Pœnitentiæ tribunal eum hominem, de quo sermo est, accessisse. Nam si alius de Confessione solum peracta, alius vero de accepta pariter absolutione testimonium accipiat, suspicandi locus præbetur, & sigillum Confessionis aliquo pacto violatur.

XI. Id profecto Alexandri III. auctoritate confirmatur (5); Nam cum propositum fuisset: *Quod quidam ad Confessionem de criminibus veniunt, & , quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse*: Sapientissimus Pontifex respondit: *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod eorum Confessionem recipere debes, & eis de criminibus consilium exhibere; quia, licet non sit vera hujusmodi pœnitentia, admittenda est tamen eorum Confessio, & crebris, & salubribus monitis pœnitentia indicenda.*

XII. Itaque, si omnia, quæ superius indicavimus, recte perficiantur, huic gravissimo negotio satis consultum putamus, sive de natura ipsius rei, sive de tempore, seu tandem de modo agatur.

XIII. Primum quidem per Sacros Canones apertissime decernitur, quos negligere haud possumus, si muneris nostri partes implere velimus. Alterum, nempe tempus Paschatis Sancta Mater Ecclesia constituit, non quidem ut sumendæ Eucharistiæ præceptum eo tempore concluderet, verum ut palam faceret, quo tempore idem præceptum Fidelibus expiendum foret. Hinc omnino consequitur non modo pœnis Canonicis per Episcopum eos afficiendos, qui in Paschate Sacram Synaxim non percipiunt, uti Cardinalis de Lugo clare demonstrat (6), sed etiam omnem operam, studiumque conferendum esse, ut qui in Paschali celebritate ejusmodi præceptum contempserint, alio tempore ad Divinam Eucharistiam accedant. Ita Theologi unanimes (7) consentiunt.

XIV. Insuper Pontifex Eugenius IV. tempus hujus Paschalis præcepti his verbis declaravit (8): *Intelligimus igitur optimejure satisfactum esse Canoni, si in Hebdomada Sancta, vel infra Octavam Paschæ Resurrectionis Dominicæ secundum melioremconscientiæ dispositionem, & aptiorem mentis devotionem Fideles præparatione debita Sanctum Eucharistiæ pignus accipiant, & cum Domino Pascha celebrent ad salutem, & huic sententiæ omnes volumus acquiescere.* Romæ autem die festo S. Bartholomæi, quod in ea Civitate die 25. Augusti celebratur, nomina illorum, qui idem Paschatis præceptum neglexerint, in porticu Ecclesiæ S. Bartholomæi publici describta exhibentur. Cum hæc ita sint, nemo exemplum severæ nimis disciplinæ judicabit, sed potius mitissime actum a nobis fatebitur, qui hoc anno Paschale præceptum ad diem usque octavum Septembris prorogavimus, nomina vero deliquentium usque ad diem decimum octavum ejusdem mensis promulganda decrevimus: attamen in sequentibus annis aliter huic negotio prospiciemus.

XV. Modum denique a nobis servatum esse nemo inficiabitur; tum quia Parochi populum admonere paterna benevolentia non omiserunt, & nos ipsi idem præstare, quoties id Parochi petiverunt, non dubitavimus; tum quia non præcipimus, quod S. Carolus Borromæus Ecclesiasticæ disciplinæ restaurator Parochis indixit, nempe: *In describendo singulis annis universos suæ Curæ commissos doli capaces, & in eis administrando in Paschate Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, nisi confessis sibi, aut alicui ex Confessariis approbatis, de qua Confessione fidem scriptam ferant* (9); Idem quoque pagina 671., aliisque locis repetitur: sed S. Thomæ sententiam amplectimur, qui docet (10) habendam illis a Parocho fidem, qui Sacerdoti approbato se confessos esse affirmant. Postremo testimonium de peracta Confessione non quidem ab omnibus exigendum præscribimus, qui in Paschate Sacram Eucharistiam non perceperint, sed ab illis tantum, qui eam indolem, moresque præseferunt, ut suspicionem merito injiciant, dum asserunt se ad Pœnitentiæ Sacramentum accessisse. Cum hæc ita se habeant, neminem queri de nobis jure posse confidimus, Roncalius eadem tradidit, quæ nos proposuimus (11): *Item certum est, Parochum posse denegare in Paschate Communionem non exhibenti schedulam Confessionis quotiescumque prudenter*

(1) *Sess.* 13. *de Euchar. can.* 9. (2) *In cap. superius allatto.* (3) *Tit. de Commun. Paschali.* (4) *Pag.* 50.
(5) *Cap.* 5. *de Pœnit. & Remissionibus.* (6) *De Sacram. disp.* 16. *Sect.* 4. *num.* 72. & 73. (7) *Suarez in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 3. *pag.* 892. *Juvenin. de Sacram. diss.* 4. *quæst.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 5. *Giribald. de Sacram. tract.* 4. *cap.* 8. *dub.* 4. *La Croix tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 1. *p.* 644. (8) *Constit.* 20. *in Bull. Romano. tom.* 1. (9) *In actis Eccles. Mediolan. tom.* 1. *pag.* 387. *edit. Lugdunens.* (10) *Quolibet.* 1. *art.* 12. (11) *Consilio* 13. *num.* 20.

*ter credi non possit alicui asserenti, se confessum esse; nam tunc, cum Parochianus fidem non mereatur, bene Parochus abstinet se ab administranda eidem Communione.*

XVI. Si autem consuetæ excusationis causa afferatur, sacra nempe Communione suadente Confessario, se abstinuisse; & nullo pacto adduci posse, ut sacrilegium committant, cujus criminis eos auctores futuros indicare volunt, per quos ad Sacram Eucharistiam suscipiendam, indictis Canonicis pœnis, impelluntur, tunc alia dicendi ratione nos pariter utemur; ac primum id omnino falsum ostendemus, cum ipsi per tot annos confessi numquam fuerint; Secundo affirmabimus Divina Eucharistia illos non abstinere ob consilium Confessarii, qui suis criminibus Sacerdoti patefactis indignus absolutione judicatur. Tertio illos tantum persuadente Confessario ad Eucharistiam non accedere, qui in proxima lethalis culpæ occasione invito versantur, quam remotam efficere contendunt, vel illos, qui sæpius in eamdem culpam lapsi sunt quod minime futurum in posterum pollicentur. Tunc enim Confessarius, ut ipsorum propositum, ac voluntatem experiatur, in aliud tempus criminum remissionem, Sacramque Communionem protrahendum deliberat, vel si illos a criminibus dissolvendos arbitratur, tamen ab Eucharistia monet abstinendum, ut debita Sacramenti ratio, cultusque habeatur: *Ad tertium*, (inquit S. Thomas)(1): *Licet in peccatis permanentes non excusentur propter hoc a transgressione præcepti* (de Paschali Communione res est) *Pœnitentes tamen, qui ut Innocentius dixit, secundum consilium Sacerdotis abstinent se, excusantur.* Tandem nemo Paschalem Confessionem ob allatum Confessarii consilium prætermittere potest, donec ipsi libuerit, juxta ea, quæ superius exposuimus (2): *Nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

XVII. Sed quoniam de patrando sacrilegio timorem injicere volunt, nos profecto, Parochi nostri, & quotquot in hac Diœcesi Deum timent, quorum numerus non exiguus est, vocem quantum licet extollimus, & ne sacrilegia fiant, prædicamus. Nemo quippe Deum magis irritat, ac provocat, quam qui Christi Corpus indigne manducat. Item (si incomprehensibilia judicia Dei perscrutari licet) Judas, qui Magistrum suum prodidit, misere extinctus est, & perpetuis cruciatibus mancipatus. Sanctus autem Petrus, qui eumdem Magistrum ter negavit, tantam a Deo misericordiam consequutus est, ut principem in Ecclesia locum, ac dignitatem, & sublimem in Cœlis gloriam obtinuerit. Religiosi quidem homines Judæ calamitatem ob eam causam accidisse putant, quod Sacram Eucharistiam indigne acceperit; Petri vero felicitatem, quod sancte, innocenterque eamdem rem gesserit, licet pro humana imbecillitate gravissimas deinde culpas admiserit. Utinam Sacram Hostiam manu nobis tenentibus alloqui liceret sacrilegos homines eo pacto, quo Lotharium Regem Adrianus II. alloquutus est, cum dimissa uxore pellicis Valdradæ impudicis amoribus implicaretur. Nam cum Rex, ejusque familiares ad Aram accederent, ut Sanctissimum Christi Corpus Pontificis manu sumerent: *Pro certo habeas, Rex* (inquit Pontifex) *funestum capiti tuo exitium impendere, nisi te impuris amoribus vere dissolveris, paratoque animo revera sis, ut perpetuum illis nuncium remittas.* Dein ad Regis assecias conversus Pontifex: *Idem supplicium* (inquit) *vobis imminet, nisi vobiscum statueritis nullum in posterum obscœnis amoribus incitamentum Regi daturos.* Deus autem longe avertat, quod illis infeliciter contigit. Nam Rex post sacrilegam Communionem Coma profectus, gravem morbum contraxit, & Placentiam perveniens e vita misere decessit. Regii quoque familiares omnes, qui sacrilegium patraverint, intra anni spatium infeliciter e vivis migrarunt. Hæc Abbas *Rbegino* Seculi noni Scriptor fuse commemorat (3).

XVIII. Illud igitur vehementer, & unice expetimus, ut in Festo Nativitatis B. Virginis Sacram Eucharistiam percipiant, qui in paschate id facere omiserunt, ut animum criminum maculis penitus expurgent, cum nullum vinculum excogitari possit, quod facile non solvatur, si Dei opem vehementer imploremus: *Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo, monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis* (4). Postremo, si indigne Christi Corpus manducent, ipsis nefarium scelus, non autem nobis tribuetur. Si Paschali præcepto non satisfacient: nempe Eucharistiam sacrilege sumentes, uti proscriptas inter sententias decernitur, ipsos Canonicis pœnis obnoxios declaramus, quod etiam pravæ ipsorum voluntati, non autem nobis adscribendum erit.

XIX. Et profecto, si quis auctoritate præditus aliquem invitaret, & in certum locum vocaret, duasque proponi vias ostenderet planam unam, alteram vero difficilem, & impeditam, nullius judicio damnari posset, si ille, relicto commodo itinere, aliud periculosum susciperet.

XX. Singulari Dei clementia confidimus ad Sacram Mensam eos rite accessuros, qui in Paschate id prætermiserint: Beatissimam Virginem Peccatorum refugium magnopere rogamus, ut pro suæ Nativitatis celebritate nobis nostrisque omnibus Diœcesanis, & illis pariter, qui in Paschate Sacram Eucharistiam non susceperint, tantam a Deo pietatem ac religionem obtineant, ut Christi Corpus illibatis animis accipiamus.

XXI. Finem sermoni facimus non sine lacrymis admonentes, quod Canones *Seculares* de Consecrat. dist. 2. continetur: *Seculares, qui in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Id vero promulgatum fuit, cum Fideles ter singulis annis, uti superius dictum est, Eucharistiam sumere tenebantur. Nunc vero, cum id solum in Paschate præcipitur, multorum auctoritatibus adductus Fagnanus ita scriptum reliquit: *Omittentes vero huic præcepto satisfacere, non tantum peccant mortaliter, sed etiam sunt de hæresi suspecti; hoc enim & signum hæresis, & malæ credentiæ* (5).

## INSTITUTIO XLVI.

*Quid cavere debeant Parochi Urbani, ac Diœcesani circa Sponsalia, & quosdam ritus nuptiales. De iis, qui sponsalibus initis Patriam deserunt: & neminem sui certiorem faciunt. De iis, qui fidem suam pluribus præstant. De corruptelis, quæ accidunt, cum Sponsi in eadem domo commorantur post inita sponsalia. De illis, qui pro mutua fide magis confirmanda, assensum præbent* de præsenti *coram Deo, præsentibus quidem testibus sed absente Parocho. De alia corruptela, ob quam peracta tertia promulgatione Sponsus in ædes Sponsæ concedit, ibique nuptiæ celebrantur.*

I. PRæstantes, & peritissimi Viri nobis ostenderunt graves aliquas in hac Civitate, ac Diœcesi corruptelas sæpius admitti, cum de sponsaliis agitur, hoc est de mutuis, ratis, deliberatis, verisque promissionibus, quæ inter futuros conjuges scripto, sed voce tenus intercedunt. Quamobrem muneris nostri ratione ducimur, ut præscriptum a legibus remedium afferamus.

II. Ac primum post ejusmodi promissiones aliquando contingit, ut vir, seu mulier in alium locum proficiscantur, nullumque inter se litterarum commercium, vel nuncium habeant. Quare, qui in Patria remansit, vinculo sponsaliorum obstrictus alterius discessu impeditus, de vitæ suæ ratione nihil deliberare potest.

III. Jus quidem Civile certum annorum spatium indixit, quo sponsorum alter, qui haud decesserat, alterius reditum expectare deberet, antequam de aliis nuptiis cogitaret, quod si profectionis causa necessaria haberetur, tunc nullum tempus decernebatur, nisi postquam negotium absolutum esset, cujus gratia profectus fuerat (6).

IV. Attamen Alexander III., ut Decreta ejusmodi juris Civilis temperaret, aut corrigeret, hæc constituit: *De illis autem, qui, præstito juramento, promittunt, se aliquas mulieres ducturos, & postea, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis (si non est amplius in facto processum) ad alia vota se transferre, recepta tamen de perjurio pœnitentia, si per eas steterit, quominus fuerit matrimonium consummatum* (7). Hinc præclarus Doctor Estius (8) causas enumerans, quibus sponsalia dissolvi possunt, postquam absentiam diuturnam inter illas adscripsit, hæc subdit: *Quo casu, quamvis jus Civile biennium tantum præcipiat expectari, jure tamen Pontificio, post cognitam sponsi in remotas terras profectionem, nullum tempus ad expectandum præscribitur, quia ille discessum censetur juri suo renuntiare.*

V. Itaque, ut allato Pontificis Decreto pareamus, cum Doctores

(1) *In 3. part. quæst. 80. art. 22.* (2) *Cap. omnis utriusque sexus, de Pœnitentiis & Remission.* (3) *In Chronica edita tom. 3. Conciliorum Gallic. edit. Sirmondi fol. 378.* (4) *Concil. Trident. sess. 6. cap. 11.* (5) *Cap. Omnis num. 44. de Pœnitentiis, & Remission.* (6) *Lib. 2. cap. de Repudiis, tit. 1. cap. de Sponsalibus, lib. 17. ff. eodem titulo.*
(7) *Cap. de illis, de Sponsalibus.* (8) *Lib. 4. Sententiarum dist. 27. §. 11.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN BIBLIOTECA FACULTAD DE DERECHO

ctores in eo consentiant, ad Episcopum, (si res hæc eveniat) confugiendum esse, qui absenti tempus aptum constituat, quo redire debeat, moneatque, si præscriptum temporis limitationem excesserit, alterum ex sponsis liberum fore, omnique impedimento solutum, ut quamlibet vitæ rationem amplectatur, cum hæc (inquam) ita sint (1), decernimus nobisque, aut Vicario nostro Generali significari volumus, quoties aliquis in hac Civitate, ac Diœcesi, contractis antea sponsalibus, alio demigrat, nullum sui nuncium tradit, vel promissam fidem non tenet, nec post diuturnum tempus revertitur. Nos enim statuto ad redeundum tempore, nisi ille paruerit, liberum eum declarabimus, qui in Civitate, vel Diœcesi permanserit.

VI. Id præsertim Sacræ Concilii Congregationis auctoritate confirmatur: Nam cum Cardinalis Odescalcus Mediolanensis Archiepiscopus in sua quoque Diœcesi hæc prava exempla non semel accidere denunciasset, & quid sibi gerendum esset, petiisset, Sacra Congregatio post accuratum rei examen die 2. Octobris anno 1723. respondit Edictum promulgandum juxta ea, quæ nos paulo ante exposuimus.

VII. Secundo, illud etiam a multis tum viris, tum mulieribus committitur, ut pluribus futuri matrimonii fidem, ac promissionem præbeant, mutuoque accipiant, quod malum gravissimum sane est, ex quo alia plura dimanant. Hinc enim tam frequenter petitur, ut consuetæ denunciationes, seu promulgationes omittantur. Nam, qui multis fidem dedit, matrimonium tamen *inire cupit* cum secunda, tertia, aut etiam quarta muliere, cui pariter data fide se obstrinxit, promulgationes ejusmodi *evitare contendit*, quibus patratam fraudem detegendam fore suspicatur.

VIII. Qui sapientia præditus est, vel docendi munus profitetur, huic malo facile medebitur; cum libere, ac tuto respondere possit eos infamia notari, qui primis sponsalibus adhuc integris, ad secunda tamen deveniant (2); eosdem læthali culpa inquinari; tandem, si mulier, quæ prima fidem accepit, promissionem servari velit, reliquas promissiones, quæ deinde datæ fuerunt, nullius momenti, ac ponderis existimari probabit, licet in prima sponsione nullum jusjurandum, nullaque copula admissa fuerit; & hæc in cæteris sponsionibus habeantur, si præsertim prima sponsalia non ignorentur, cum deinde jusjurandum, & copula intercesserit: Ita sapienter expendit Rossanen. Archiepiscopus Muscettola in ea Dissertatione, quam super hac re confecit, quæve operibus insignis Præsulis Zaulii inserta fuit (3).

IX. In eo tota rei difficultas versatur, quid statuendum sit, cum mulier, cui primo fides præstita fuit, exploratum non habuit, quid cum alia muliere gereretur: & hæc pariter sponsalia cum alia prius inita ignoravit? Nam aliqui perpendunt post Tridentinam Synodum sponsalia *de futuro* in matrimonium *minime transire*, licet copula subsecuta fuerit, uti Sacra Congregatio die 19. Julii anno 1693. decrevit (4): *Sacra &c. censuit, sponsalia de futuro per carnalem copulam subsequutam minime hodie transire in matrimonium*. Etenim cum Tridentinum Concilium matrimoniis rite celebrandis Parochum præsentem, duosque testes esse voluerit, ideo caput: *Is, qui fidem, de sponsalibus*, abrogavit, quo sponsalia *de futuro*, præsenti copula intercedente, in vera matrimonia convertebantur: Cum hæc ita sint, prima sponsalia secundis anteponenda tutissime prædicant. Alii tamen contrariam sententiam tuentur, & exemplum proferunt de merce aliqua duobus vendita: Nam si in potestatem alicujus venerit, licet posterior ad ipsam emendam accesserit, tamen reliquis omnibus præhabetur (5). Eodem pacto secunda sponsalia putant primis anteferenda: Auctores utriusque sententiæ fuse enumerat Clericatus (6).

X. Attamen, qui rebus administrandis præsunt, gravioribus difficultatibus implicantur. Sedulam curam debent impendere, ne malum ejusmodi contigerit, debitis rationibus res probanda est, ut judicium ex legum auctoritate statuatur. Hæc sponsalia plerumque voce tenus iniri consueverunt; hinc veritas haud facile detegitur, cum eadem res, quam alter negat, ab alio affirmetur. Quod si sponsalia (quod raro tamen evenire solet) coram testibus transigantur, hi frustra perquirantur, ut in examen veniant; vel si interrogentur, parum, aut nihil intimos animi sensus patefaciunt, gravissimam legem contemnunt, qua declarare legitimo Judici omnia, quæ sentiunt, omnino coguntur. Postremo, si ipsorum testimoniis ineundi matrimonii promissio clare deducatur, qui eam dedit, statim omni contentione causam suam defendit, suæque promissioni nomen solius consilii, propositi, ac desiderii tribuendum affirmat, nullumque pondus iis verbis inesse, quæ impetu quodam amoris prolata sunt. Quamobrem difficile negotium *in foro externo* proponitur, quod expediri facile non possit. Siquidem non modo testium verba perpendenda sunt, eorum conditio, fides; sed externa omnia diligenter inquirenda, quæ non ita facile conveniunt, vel si convenire judicentur, plerumque vacillant.

XI. Nonnulli Episcopi, ut aditum his malis præcluderent, irrita, & inania quæcumque sponsalia fanxerunt, quæ sine Parocho, ac testibus præsentibus fierent (7) eo sane pacto, quo Tridentina Synodus per universum orbem decrevit irritum matrimonium, nisi coram Parocho, ac duobus testibus peragatur. Alii vero ea sponsalia penitus abroganda censuerunt, quæ tabulis non describuntur; utque in reos ejusmodi novos etiam Judices statuerent, ipsorum crimen per Sacram Inquisitionem puniendum tradiderunt; si de illis agatur, qui primis sponsalibus initis, fidem alteri præbent, & corporis commercium adhibent.

XII. Hæc vero consilia probari ab eo non possunt, qui rem ex legibus gerere, non autem temere, & inconsulto sibi proponat. Paulo post Concilium Tridentinum, Valentiæ Populi de suo Archiepiscopo questi sunt, quod ipse valida sponsalia existimaret, quæ sine Parocho, ac testibus fiebant: Quare ad Sacram Congregationem Concilii confugerunt, exponentes, quemadmodum Parochi, ac testium præsentia per Tridentinam Synodum (8) in conficiendis matrimoniis requiritur, eodem modo de sponsalibus decernendum sibi videri, licet Archiepiscopus diversam opinionem sequeretur: *Illud durum* (inquiunt) *esse videtur* (9), *& propterea credendum est, quod Sacra Congregatio Cardinalium declarabit, etiam clandestinas ipsas promissiones non minus, quam clandestina matrimonia, nullius ipse roboris, & effectus, quodque liberum est, ac licitum parti ab hujusmodi promissione resilire*. Attamen Sacra Congregatio anno 1573. *censuit, Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de Reformatione Matrimonii decrevisse, tantum matrimonia per verba de præsenti clandestine contracta, irrita, & nulla esse: sponsalia autem per verba de futuro contracta, reliquisse in illis terminis Juris, in quibus erant ante Concilium*. Hæc eadem sententia ipso anno his verbis confirmata fuit (10): *Disputatum fuit, an sponsalia de futuro aliter, quam præsente Parocho, inita suum antiquum robur, quod ante Concilium Tridentinum habuerunt, obtineant*; responsumque est, *obtinere*. Insuper die 19. Decembris anno 1596. (11) hæc sancita habentur: *Sacra &c. sæpius declaravit, sponsalibus per verba de futuro contrahendis nullam formam præscripsisse Concilium, ideoque eo modo contrahi posse, quo poterant ante ipsum Concilium*. Hinc sapienter docuit Juvenin (12): *Quæres secundo, utrum valeant sponsalia, quibus nec Testes adfuerint. Respondetur affirmative: Ratio est, quia valebant, immo & licebant ante Concilium Tridentinum. Ergo his etiam temporibus valent, cum Sacra Synodus, quæ tum Parochi, tum testium præsentiam matrimonio apposuit, tamquam clausulam irritantem, nihil simile circa sponsalia statuerit*. Idem Castropalaus (13), Giribaldus (14), Pichlerus (15) fuse confirmant: Cardinalis autem de Lugo (16) ob eamdem causam asseruit nulla vi prædictum esse Decretum Episcopi, qui vana, & irrita matrimonia declararet, quod sine præviis denunciationibus perfecta fuerit, cum ipsa Tridentinum Concilium illicita solum judicaverit.

XIII. Neque ita facile deliberari decernique potest, ut ea tantum sponsalia vim contineant, quæ in Tabulas referuntur; vel eos per Sacram Inquisitionem plectendos, qui post prima sponsalia alteram mulierem se in uxorem ducturos pollicentur, ejus-

(1) *Anaclet. in jus Canonicum, tom. 4. tit. 1. de Sponsalib. §. 7. num. 212. Clericat. de Sacram. Matrimonii decis. 17. num. 29. & 30. Gibalin. de univers. Negoc. tom. 2. lib. 4. cap. 1. art. 5. sect. 3. sub. num. 5. Perez de Matrim. disp. 9. sect. 9. num. 9. Salmaticens. in cursu Theol. Moral. tom. 2. tract. 9. de Matrim. punct. 4. §. 58., & seqq.* (2) *Leg. 1. in fine ff. de his, qui notantur infamia. Thesaur. de Pœnis Ecclesiæ part. 2. cap. 1. in verbo Sponsalia.* (3) *Tom. 1. pag. 668. num. 291. ad Statuta Pavent. edit. Rom. 1723.* (4) *In Causa Nullius lib. 7. Decretor. pag. 118.* (5) *Leg. Quoties 15. Cod. de rei Vindicatione.* (6) *De Sacramento Matrimonii decis. 27. n. 55.* (7) *Gobat. in Theolog. Experiment. tract. 10. casu 1. n. 11., & seqq.* (8) *Sess. 24. cap. 1. de Reformatione Matrim.* (9) *Lib. 1. Decretorum pag. 99. &c.* (10) *Lib. 1. Decretorum pag. 126.* (11) *Lib. 8. Decretor. pag. 196.* (12) *De Sacramentis dissert. 10. q. 3. c. 1. q. 2.* (13) *Oper. tom. 5. tract. 28. de Sponsalib. n. 15.* (14) *Tract. 10. de Sacr. Mat. dub. 8.* (15) *In suo Jure Can. l. 4. tit. 1. de Sponsalib. §. 1. n. 24.* (16) *In suis responsion. Mor. l. 1. dub. 45.*

ejusque corpore abutuntur. Gravissimæ enim difficultates occurrunt, quæ vix possint expediri. Nam quæcumque conventio voce tenus, aut adhibitis tabulis ex communi jure firmari potest. Quod si in judicium eadem conventio deferatur, præsentium testium fidelis tota dirimitur: neque Sacræ Inquisitionis sententiæ subjicitur, qui secundæ mulieri fidem dedit, & lethale cum ipsa commercium habet, cum nulla Sacramento injuria prorsus inferatur, quemadmodum doctrina simul, & experientia ductus tradit Cardinalis Albitius (1).

XIV. Quæ hucusque dicta sunt, satis ostendunt nullam adhuc rationem inventam fuisse, ut hæc funesta mala impediantur, vel apte puniantur, incerta vero, & periculosa nimium haberi, quæ nonnulli in medium proferre contenderunt. Qua de re sermonem ad magistros animarum, & ad Parochos convertimus, qui soli in Diœcesi Parochianos instituunt, ipsos magnopere hortantes, ut in hoc gravissimo negotio suam nobis operam, studiumque præstent, quo nihil aliud expetimus, nisi ut Fideles beatam vitam assequantur, & hæc nostra Civitas, ac Diœcesis sancte, pieque administretur.

XV. Itaque spiritualis vitæ magistri apertissimum discrimen ostendant, in quo tum viri, tum mulieres versantur, cum mutuis amoribus indulgent futuri matrimonii illecebra, falsaque ratione decepti, atque ideo opus esse, ut matrimonium conficiant, si periculum omne evitare velint. Insuper docebunt, non sequendam in hoc negotio cupiditatem, & amoris impetum, sed plurima non exigui momenti sedulo expendenda, præsertim si parentes habeant, quorum ratio, & consilium plurimi fieri debet. Quippe omissa controversia, utrum sponsalia sine parentum consensu vim habeant, eo pacto, quo matrimonium *de præsenti*, contrariis etiam ipsis parentibus, firmum habetur (2): certissimum tamen est, ipsa illicite fieri, culpam admitti, cognitaque parentum dissensione, solvi posse, licet jusjurandum intercesserit. De hac re satis ample differit Rossanen. Archiepiscopus, quem superius nominavimus (3): Tertio, monebunt indecorum esse, & criminosum verbis uti ad promissionem explicandam accommodatis, cum tamen fidem dare reipsa non intelligant, vel datam violare secum deliberent. Nam licet Theologi ex fictis illis promissionibus vera sponsalia non confici doceant; licet etiam in varias opiniones abeant, cum animus est præstitam fidem violandi; siquidem alii vera iniri sponsalia putant eam ob causam quod qui aliquod antecedens principium approbat, ex illo consequentia pariter admittat necesse est; alii tamen ob aliam rationem id negant; quod deliberata voluntas nullo se vinculo obstringendi, naturæ sponsaliorum adversam condicionem adducit, ideoque ipsa sponsalia destruit, ut *capite finali de conditionibus appositis* indicitur, licet, inquam, hæc varietas opinionum inter Theologos excitetur, omnes tamen id prorsus indecorum esse, & læthali culpæ obnoxium fatentur. Quarto, matrimonium contrahentes, ejusque perficiendi ministros admoneant in celebrandis sponsalibus tutius esse, si ipsa in Tabulis exarentur, iisque rationibus utantur quas paulo ante exposuimus, cum de sponsalibus ageremus quæ inter solos sponsos, vel etiam eorum testibus fieri consueverunt; non ideo tamen ea sponsalia, quæ voce tenus solum peracta sunt, irrita declaramus; sed tabulas adhibendas suademus, ut si aliquando opus fuerit, hac ratione melius comprobentur: *Consultum tamen est &c.* (inquit Pichlerus (4)) *Scripturam desuper conficere, ut probari possint, si forte altera pars negaret contracta sponsalia.* Nomine autem scripturæ publicas Tabulas, vel etiam privatas ipse intelligit, quæ sane publicis æquiparantur, si partium contrahentium manu, tribusque testimoniis obsignentur: nam si ex partibus altera inficietur obsignatam a se fuisse conventionem (signo saltem crucis effor mato, si litteras ignoret) rem contra testes affirmabunt, cum ipsi obsignandis tabulis interfuerint, nomenque suum ipsi pariter adjunxerint. Hæc habet accurate Rosignolius (5). Neque facile admittitur in judicio, se nullo promittendi, vel implendi promissi animo fidem dedisse, cum verba tabulis descripta seriam, mutuamque partis utriusque contrahentis promissionem exprimunt. Quinto, ac postremo loco illos instruent, primis rite sponsalibus initis, ad alia eos transire non posse, nisi canonica, & legitima causa interveniat, quæ per ipsos dijudicanda non est: cum simul Judicis, Partisque munus agere nequeant, sed ad Episcopum rem totam deferendam, ut ipsam [illegible]enter expendat: *Ex tali promissione* (inquit S. Thomas) *sponsalium obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum; & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat.* Antea quoque Concilium Illiberitanum hujus fidei violationem *grave crimen* nuncupavit (7). Non ignoramus aliquam repugnantiam videri inter Decretales *de matrimoniis, ac sponsalibus*. Legitur enim in secunda de iis, qui sponsalia contraxerunt *Commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent*. Deinde subditur, quod, si contraria in ipsis voluntatem inveniant, *hoc possit in patientia tolerari*. In decima vero hæc habentur: *Quia igitur periculosum est, contra suum juramentum venire, Fraternitati tuæ mandamus, quatenus, si hoc cessiterit, eum moneas, &, si non acquieverit monitis, Ecclesiastica censura compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.* In decima septima, ubi res est de muliere, *quæ juris jurandi religione neglecta, nubere renuit, cui se nupturam, interposito juramento: firmavit*, ita præscribitur: *Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Attamen ex his omnibus colligitur, inita semel sponsalia absque legitima causa violari non posse, & omnis prorsus evanescit repugnantia, si perpendatur, quod censura indicenda est, si utilis futura sit, præmittenda vero, si nullus ex ea fructus expectetur (8).

XVI. Quarto, & quinto Mediolanensi Concilio (9) præcipitur Parochis, priusquam in Ecclesia futura matrimonia denuncient, sponsorum voluntatem explorare, utrum vere statuerint, ut fiant ejusmodi denunciationes. Deinde norma super hac re servanda describitur. Eadem prorsus per Cardinalem Boncompagnum Decessorem nostrum in Diœcesana Synodo decernuntur (10) quæ novimus in hac civitate, ac Diœcesi observari. Non ignoramus, etiam Parochos diligenter inquirere, an sponsi pro denunciandis matrimoniis consentiant, an per alicujus vim ad ejusmodi negotium conficiendum adigantur, an inter ipsos legitimum aliquod impedimentum sit, an demum, quod incredibilem nobis affert voluptatem, sanctæ doctrinæ rudimentis sanctis imbuti videantur, uti per idem Provinciale Concilium Mediolanense sancitur: *Parochus, quos sponsos experiendo viderit doctrinæ Christianæ rudimenta plane ignorare, ne matrimonio illos ante jungat, quam eadem item ratione cognoverit, didicisse, quæ eo de genere illos plane scire oportet.* Itaque viam, quam cœperunt, sedulo insistant, & illud etiam in posterum exquirant, an pro celebrando matrimonio parentum assensus interveniat, cum de liberis agitur; an etiam fidem suam alteri dederint. Si hæc impedimenta occurrant, consuetas Ecclesiæ promulgationes omittant, donec Nos, aut Vicarium nostrum Generalem de hac re certiores fecerint, ut provide consulamus.

XVII. Neque dissimulari potest gravissimum malum, quod tertio loco exponendum suscipimus: initis nempe sponsalibus virum in domum mulieris sibi desponsæ ad habitandum commigrare. Supervacaneum est pluribus verbis offendere, quum indecorum habeatur, sponsos ante peractum matrimonium colloquia, remotis consanguineis secum instituere, & etiam sub eodem tecto versari, ex quo procul dubio apertissimum discrimen ipsis intentatur. Alexander VII. hanc sententiam, quæ inter cæteras quadragesimum locum obtinet, die 18. Martii 1666. proscripsit: *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensualem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Licet nulla de sponsis hic mentio fiat, tamen P. Viva Soc. J. Theol. ipsos quoque proscriptæ sententiæ terminis includi hac ratione demonstrat (11). Etenim oscula, & alia hujusmodi liberis etiam viris, ac mulieribus interdicuntur ob eam causam, quod vetita illis corporum permixtione, reliqua etiam prohibentur, quæ ad ipsam ineundam perducunt. Hæc autem ad sponsos quoque pertinere nemo est qui dubitet.

XVIII. Quod si naturæ imbecillitate, ac præsertim familiari communis vitæ consuetudine, & contubernio contingat, ut sponsi gravius aliquod crimen admittant, ipsius magnitudo etiam sine excellenti doctrina facile percipitur. Nam si minores culpæ inter ipsos indecoræ, vetitæque sunt, quid statuendum

(1) *In Tract. de Inconstantia in fide part. 1. cap. 86. n. 84. & seq.* (2) *Juxta Concilium Tridentin. cap. 1. sess. 24. de Reform. Matrimonii.* (3) *In allata dissert. pag. 668. num. 210. & seq.* (4) *In Jure Canonico lib. 4. tit. 1. de Sponsalib. §. 1. n. 24.* (5) *Tom. 5. Contract. 14. de Sponsalib. 3. part.* (6) *4. Sentent. dist. 27. quæst. 2. art. 1. ad 2.* (7) *Canone 54. quem refert Gratian. in Can. Si qui 31. quæst. 3.* (8) *Sanchez de Matrimonio lib. 1. disput. 29.* (9) *Tom. 1. Act. illius Ecclesiæ pag. 166. & 235.* (10) *Lib. 2. cap. 9.* (11) *In Commentariis ad propositionem n. 23.*

dum de gravioribus videbitur? Accidit etiam matrimonii felicitati, Sanctæque Ecclesiæ institutis nihil magis repugnare, quam si sponsi hac turpitudine inquinentur. Tobias Saram in uxorem ducturus Angeli consilio, se ob hoc negotium vehementer timere respondit, quod septem priores ipsius mariti, interposita fortasse Dæmonis opera, infeliciter perierant. Angelus (1) vero ut hoc metu Tobiam solveret: *Hi namque*, (inquit) *qui conjugem ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmon super eos. Tu autem, cum acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea &c. transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.* Et profecto Sancta Mater Ecclesia, si alter conjugum aliquem Regularium Ordinem ingredi velit, duos menses pro re deliberanda conced... (2). Sed etiam omissa Religionis causa in veteri Canone, quem Gratianus commemorat (3), ita constituitur: *Sponsus, & sponsa, cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis, vel paranymphis offerantur, qui, cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permancant.* Tridentina quoque Synodus hæc habet (4): *Præterea eadem Sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent.* Idem in Rituali Romano præscribitur (5): *Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium consumment, nec etiam simul maneant, nisi parentibus, vel aliis præsentibus.*

XIX. Nihil aliud statuendum in suis Diœcesibus per Episcopos fuisset, si monita ejusmodi tam validis rationibus innixa, & a Sancta Synodo Tridentina, ac Rituali Romano proposita invaluissent. Itaque nonnulli, ut malum, de quo sermo est, prorsus extinguerent, sponsis genere obscuris, & egenis, qui patrandis ejusmodi sceleribus magis obnoxii sunt, indixerunt, ut nigram candelam manibus tenentes ante fores Ecclesiæ per tres Festos dies adstarent, dum Sancta Officia celebrantur. Id tamen a Sacra Concilii Congregatione improbatum fuit, quæ post accuratum examen ita decrevit (6): *Sacra &c. utraque parte informante, censuit, Episcopum se abstinere debere a pœnitentiis publicis, vel rationem publicarum habentibus.* Quare eam rationem sequi nullo modo possumus. Alii vero delinquentes tanquam stupri reos puniendos censuerunt, quod pariter incertum, dubiumque magnopere videtur. Siquidem, licet sponsus, initis sponsalibus in corpus mulieris sibi desponsæ id jus non obtineat, ita ut verum adulterium alius committat, qui commercium cum illa ante matrimonium habuerit, uti docet Christianus Lupus (7), & Pontius (8), qui idem commercium ex jure Civili, non autem ex jure Canonico adulterium nuncupandum asserit (9); licet etiam d peccatum inter lethalia adnumeretur, & juxta Scriptorum opinionem mentio de sponsalibus in confessione fieri debeat, quæ Confessarii judicium graviter immutant, tamen post sponsalia sponsæ corpus ita pertinet ad sponsum, ut si commercium cum ipsa ante matrimonium suscipiat, gravissime quidem puniendus sit, non tamen iis pœnis, quæ stupratoribus infliguntur, si Romanæ Curiæ normam, & institutum sequi velimus. Etenim Fagnanus, qui in Sacra Congregatione Concilii Secretarii munus diu exercuit, certissimum hujus rei documentum reliquit (10): *Sed hic* (ait) *incidit dubitatio, an sponsus, qui sponsam seduxit, ac stupravit, possit puniri ab Episcopo pœna contra stuprantem a Sacris Canonibus inflicta, prætextu, quod hodie ex Decreto Concilii sponsalia post copulam subsecutam non transeunt in matrimonium, ut transibant ante Concilium. Breviter ad propositum dubium Sacra Congregatio respondit, non posse puniri pœna stupri, sed graviter arbitrio Episcopi dumtaxat, ex Decreto c. 1. sess. 24. de Reformatione matrimonii propter periculum.* Sacrum pariter Romanæ Rotæ Tribunal Congregationis Concilii sanctiones amplecti semper consuevit. Attamen, ut peculiare aliquod exemplum afferatur, proponi possunt *Decisiones in Causa Avenionensi Dotationis*, quæ inter cæteras collectas *ad ornatum* lib. 6. Cardinalis de Luca enumerantur. Quamvis ipsæ contrariæ videantur quod semper diverso modo res exposita fuerit, tamen eamdem rationem universæ præseferunt, eamdemque sententiam a Fagnano superius allatam sequuntur.

XX. Aliqui Episcopi sibi tantum absolvendum reservarunt sponsi crimen, qui ante matrimonium sponsam violaverit, uti ex Synodo Farfensi deprehenditur (11), quam Cardinalis Barberinus ejusdem loci Abbas indixit, quæ plurimum commendari debet ob Ecclesiasticam disciplinam in ipsa contentam, & egregiam operam a Clemente XI. præstitam, cum adhuc in minoribus versaretur. Nos tamen uti hoc remedio non possumus, qui nondum Synodum celebravimus: eaque crimina solum, quæ Decessor noster notavit, reservanda statuimus, donec a nobis nova Synodus convocetur. Sanctus Carolus Borromæus in sexto provinciali Concilio hæc præcipit Episcopis (12): *Itaque Episcopi cura sit, pœnis, & censuris, quas arbitratu suo constituerit, sancire, ne sponsi, priusquam matrimonium in Ecclesia per verba de præsenti ex ritu celebraverint, non modo non simul habitent, sed ne ullo quidem modo mutua consuetudine commercioque utantur.* Plures aliæ Synodi has censuras proponunt, quarum verba Præsul Gennet accurate commemorat (13), cujus Moralis Theologia ex Gallica lingua in Latinam traducta fuit, ac Venetiis impressa. Idem sanxit jam toties nominatus Cardinalis Jacobus Boncompagnus in sua Synodo, ubi pœnam excommunicationis *ipso facto* (14), sibique tantum absolvendos decernit sponsos, qui ante matrimonium mutuum carnis commercium habere non dubitent. Eidem pœnæ obnoxios eorum parentes declarat, qui rem permiserint, iisque viginti quinque nummos aureos persolvendos, aliasque pœnas arbitrio Ordinarii subeundas constituit.

XXI. Quamobrem, ut huic corruptelæ, qua possumus ratione, prospiciamus, ad Parochos iterum verba convertimus, iisque præcipimus, ut quo tempore assensum inquirant a sponsis ad eorum matrimonium in Ecclesia denunciandum, eosdem, ipsorumque parentes hortentur plurimum, ne matrimonium conficere longius protrahant, quoniam id fieri sine periculo consuetudo quæsti. 2. his verbis traditur: *Institutum est, ut jam pactæ sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam.* Sponsos, eorumque parentes admoneant, ne unquam sponsi sine testibus, ac præsertim consanguineis colloquium simul ineant, si illud aliquando permittendum videatur; indecorum esse, vetitumque eos simul habitare, graviterque puniendos, si de hac re certiores facti fuerimus: postremo serio, modesteque sponsos ad continentiam inflamment, quam illibatam servare debent, donec matrimonium celebretur. Ipsis ante oculos ponant culpæ gravitatem, si aliter fecerint, pœnam excommunicationis *ipso facto* subeundam, pecuniamque solvendam, quam nos pro sublevandis Parochiæ egenis, vel pro Parochiæ ipsius utilitate statim impendemus.

XXII. Sed jam ad quartum malum deveniamus, quod vix credendum foret, nisi cognitum, perspectumque nobis ipsa non semel fuisset. Igitur, ut viri, ac mulieres mutuam fidem magis confirment, se futuros conjuges haud pollicentur *de futuro*, sed assentiunt *de præsenti*; vir quippe his verbis utitur: *Ego te in uxorem accipio*: Mulier quoque sic agit: *Ego te in maritum accipio, coram Deo, B. Virgine, aliisque Sanctis*; quæ sane fiunt absente Paroco, ac sine testibus, qui etiam aliquando adhibentur. Eo res pervenit, ut hanc mutuam conventionem tabulis describere, publicam Scribæ auctoritatem interponere non prætermittant. Nonnulli etiam satis impudenter ad nos confugerunt, ut alteram ex partibus matrimonium coram Paroco perficere recusantem cogeremus, jactantes violari fidem pactum initum matrimonium *de præsenti* coram Deo, ac B. Virgine, aliquorum sententiam afferentes, quos in jure Canonico, sacraque Theologia bene versatos prædicabant, & quorum consilio, ut se fortasse excusarent, rem præclare confectam asserebant.

XXIII. Nos quidem dissimulare non possumus, per plures annos in causis ad matrimonium spectantibus implicatos fuisse, non unius Civitatis, aut Diœcesis, sed universi Catholici Orbis, cujus rei testimonium ex illis pagellis desumi potest, quas in lucem protulimus plusquam duodecim annis, cum in Sacra Concilii Congregatione Secretarium ageremus; quarum aliquæ in

(1) *Lib. Tob. cap. 6.* (2) *Cap. ex publico, de conversione Conjugatorum.* (3) *Can. Sponsus, distinct. 23.* (4) *Sess. 24. de Reform. Matrimonii cap. 1.* (5) *De Sacramento Matrimonii.* (6) *In Causa Puteolana 18. Junii 1690 lib. 40. Decretor. pag. 413. & seqq.* (7) *Tom. 2. in notis ad Can. 98. Concilii Trullani pag. 1063.* (8) *De Matrimon. lib. 12. cap. 6. n. 6. & seqq.* (9) *L. si uxor §. divi ff. ad leg. Juliam de Adulteriis.* (10) *Cap. is qui fidem, num. 17. de Sponsalibus.* (11) *Cap. 14. num. 10.* (12) *In actis Ecclesiæ Mediolanen. tom. 1. pag. 257.* (13) *In Theol. Morali lib. 6. tract. 9. cap. 1. quæst. 10.* (14) *Pag. 48.*

in opere scriptoris De Justis collectæ, insertæque habentur (1). Attamen pro certo affirmare possumus nunquam ejusmodi insaniam, falsamque doctrinam nobis propositam fuisse. Ut veritas omnino pateat, petimus ab iis, qui hanc conventionem mutuo fecerunt, qui in tabulas retulerunt, qui consilium dederunt, qui rem tueri contendunt, petimus inquam, hujus conventionis naturam, & conditionem; si appellanda sponsalia respondeant, id falsum probamus, quod assensus *de futuro*, non autem *de præsenti* sponsalia constituat. Sic ea definivit Nicolaus Pontifex, cum Bulgaris consilium petentibus responsum ferret (2): *Sunt futurarum nuptiarum promissio*: Idem docet S. Thomas (3); si quis allatæ definitioni vocabulum *mutua* adjungeret, sponsaliorum naturam penitus explicaret (4). Sin autem conventionem eamdem nuncupandum matrimonium velint, nemo est tam rudis, & ignarus, qui validum aliquod matrimonium post Tridentinam Synodum existimet, nisi coram Parocho alterius ex nubentibus, aut alio Sacerdote per Parochum designato, & coram duobus testibus illud celebretur. Igitur vanum, & irritum ejusmodi matrimonium ab ipsis dicendum est, ut his ambagibus se expediant, quod tamen solvatur, & in sponsalia convertatur: & ecce novam insaniam, quæ vel ab ignorantia, vel malitia proficiscitur. Siquidem certissimum, ac tutissimum est, matrimonia, quæ absente Parocho, ac sine testibus inita per Tridentinum Concilium abrogantur, in sponsalia minime transire, quemadmodum Sacra Congregatio statim ac instituta fuit, nempe paulo post absolutam ipsam Synodum, ad hanc usque diem constanter declaravit, quod etiam Theologi, & Canonum Interpretes unanimi consensu semper probarunt. In Messinensi causa (5) hæc petita fuerunt a Sacra Congregatione: *Fuit contractum matrimonium in civitate Messanæ post publicationem Decretorum Concilii Tridentini per verba de præsenti, & mutuum consensum, non factis publicationibus, nec præsente Parocho, nisi tantummodo Notario, & Testibus &c. Humiliter ab Illustrissimis DD. VV. petitur, declarari, an supradictus contractus matrimonii, cum sit factus contra formam traditam per Decretum ejusdem Concilii de contrahendo matrimonio, sit adeo nullus, quod neque transeat in sponsalia de futuro. Sacra &c. censuit, non transire* (6). *Et quid, quando promissio est, id est, cum dixit vir*: Ego te in uxorem; *& mulier*: Ego te in maritum accipio? *Sacra &c. censuit, promissionem hanc non valere, neque ut matrimonium, neque in vim sponsalium de futuro*. In causa Geracensi hæc pariter sancita fuerunt (7): *Præsuppositio quod matrimonium sit factum absque Parochi præsentia, & duorum vel trium testium, quo casu irritum declaratur a Tridentino, quæritur, an dictum matrimonium transeat in sponsalia de futuro, ita ut cogi vir possit per censuras, aliaque juris remedia ad servandam fidem sponsæ, quando maxime secuta est cum ea copula. Sacra &c. censuit, non transire*.

XXIV. Cum hæc ita se habeant, libere præcipimus, ut sponsalia adhibitis verbis *de futuro*, matrimonia vero adhibitis verbis *de præsenti* coram Parocho, ac duobus testibus agantur: omnino autem proscribimus reliquas conventiones, quibus præstatur assensus de præsenti coram Deo, ac B. Virgine: quæ sane conventio neque sponsalia, ut superius ostendimus, neque matrimonium conficit, sed ignari, ac simplices solum decipiunt sanctissimo Dei nomine, B. Virgine, Sanctisque invocatis, qui sane assensum non præberent, nisi decepti pro certo tenerent eam conventionem magni momenti esse, & matrimonium fere omnino inducere. Atque ita Parochi, ac testium præsentia, quæ prorsus necessaria est post Tridentinam Synodum, tanquam cœremonia paulatim haberetur. Illi vero, qui rerum imperiti tam præclarum facinus consilio suo probaverunt, lethali culpa sese implicuisse sciant, cum rem, quam penitus ignorabant, alicui probare ausi sunt, & quam plane callere ipsos oportebat, priusquam consilium traderent: *Sicut, si quis*, inquit Cicero, *Grammaticam se scire profitetur & barbare loqueretur, aut si absurde caneret is, qui se haberi vellet Musicum, eo turpior esset, quo in eo ipso peccaret, cujus scientiam profiteretur*; quam sententiam affert S. Antoninus ad rem, de qua agimus, explicandam (8). Eodem loco S. Doctor inquirit, an, qui Patroni, aut Judicis munus sibi desumit, nec satis legum, canonum, & legalium effatorum cognitione præditus est, peccet lethaliter, quod deinde affirmat, si præsertim in gravem aliquem errorem labatur: *Quia* inquit, *notabiliter nocet proximo, cum possit, & debeat juvare, nec debuit se ponere ad illud officium, vel actum, ad quod non erat idoneus, & tenetur ad restitutionem damni clientulo suo*. Quod si cognoscamus in posterum aliquem ad conventiones ejusmodi consilium, seu adiumentum suppeditare, non modo pœnas arbitrio nostro decernemus, sed perpetuo excludemus a Curia nostra pronunciabimus. Non enim pati possumus in theatro Canonicæ jurisprudentiæ gravitatis pleno hystriones quoque permisceri.

XXV. Reliquum est, ut corruptelas aliquas, quæ nuptiarum ritus offendunt, recensemus. Eas nos ipsi deprehendimus, cum hanc Diœcesim Sacra Visitatione perlustravimus. In pluribus Parochiis, cum matrimonium in Ecclesia tertio, & ultimo denunciatur, sponsi intersunt, quos ipsorum parentes ad Ecclesiam prosequuntur, ubi Sacrum peragitur, eademque pompa, magnoque tumultu, & clamore sponsæ domus repetitur, ubique nuptiæ celebrantur. Postera die, aut alia professa coram Parocho, ac duobus testibus matrimonium rite conficitur, & unus tantum consanguineus sponsam comitatur. His peractis, ac plerumque profestis diebus sponsa a viro suo disjuncta ad paternam domum revertitur, ubi rato matrimonio devincta finem hebdomadæ præstolatur, ut instituta nova pompa ad sponsi sedem deducatur, ubi nuptiæ iterum indicuntur.

XXVI. Omissis choreis, & immoderatis conviviis, quæ in Christianorum matrimoniis per Sanctos Patres gravissime improbantur (9), ac præsertim per Sanctum Joannem Chrysostomum (10), qui, si luxus ejusmodi negligatur in celebrandis nuptiis, uxori documentum præberi asserit, ut quid sibi agendum sit, clare intelligat: *Statim enim apud se ipsam cogitabit &c. qualis est hic vir? Philosophus est; nihil reputat præsentem vitam; ad generandos, & educandos liberos, custodiendamque domum me in ædes suas induxit. Verum injucunda erunt ista sponsæ; Unum, aut alterum diem, deinceps vero nequaquam; sed magnam etiam inde voluptatem capiet liberam hoc pacto se ipsam ab omni suspicione. Qui enim neque ridias, neque saltantes, neque præfatos cantus tolerat, idque nuptiarum tempore, difficillime sustinebit, aliquid unquam, quod turpe sit, vel facere, vel dicere*; His, inquam, omissis, & ea dissimulantes, quæ sine gravi tumultu abrogari nequeunt, corruptelas, aliquas enumerabimus, quæ in matrimoniis, & nuptiis celebrandis inductæ fuerunt. Primo, post tertiam matrimonii promulgationem statim sponsus se confert in domum sponsæ, ubique nuptiæ fiunt, cum tamen evenire possit, ut etiam post matrimonium ter denunciatum eadem die, vel insequenti aliquod impedimentum in medium proferatur. Secundo, non semel accidit, ut sponsi vino, epulisque largius indulgentes ante matrimonium illud suscipiant, quod peracto solum matrimonio permittitur, uti superius ostendimus. Tertio, nuptiarum mensa pluribus conviviis affluit, perpauci autem consanguinei sponsos ad Ecclesiam deducuntur, cum Rituale Romanum aliter jubeat. Hæc enim præscribit, dum sponsi pro ineundo matrimonio ad Ecclesiam se conferunt. *Quo parentum, vel propinquorum suorum præsentia cohonestari decet*. Quarto, cum sponsa in paternis ædibus permaneat, donec die festo ad sponsum, nova pompa noviisque nuptiis indictis, ducatur; neque ea continentia servetur ob consilium ab Angelo Tobiæ propositum, neque ob deliberandum ad aliquem Regularium Ordinem ingressum, cum, inquam, hæc ita sint, non semel contigit, ut qui sponsam ante

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tur; quod si postremæ denunciationi sponsa interfit, domum suam redeat cum parentibus, aut cum illis, qui ejus curam susceperunt. Nullæ per eum diem nuptiæ instituantur, neque ad sponsam invisendam ullo modo sponsus accedat. Peracta tertia promulgatione tempus aptum intercedat, si forte aliquod impedimentum proferatur. Cum matrimonium ultimo perficiendum est, tunc propinqui sponsos ad Ecclesiam deducant, & præsentes adsint, dum ipsos Parochus rite conjungit. Post hæc quoniam de suscipiendo Regularium instituto nulla mentio est, si paternam domum sponsa repetat, eam sponsus sequatur, cum illa habitet, nec ullo pacto ab ipsa discedat: si eo die nuptiæ in ædibus sponsæ fieri velint, per nos licet. Item, si ejus propinqui sponsam comitari velint, cum paucis diebus post matrimonium interjectis ad sponsum transit, ibique novas nuptias agere, in illorum potestate res est: neque enim repetitas improbamus, sed vehementer insistimus, ut peccandi occasiones de medio auferantur.

XXVIII. Hæc igitur universa populo declarent Parochi primo die Dominico proximi Decembris: dum Sacrum faciunt, ut tam graves corruptelæ corrigantur; nos inde moneant, si forte aliquis justa nostra detrectet, quem sane puniemus, & in carcerem quoque, si opus erit, detrudemus. Parochi etiam severas pœnas dabunt, si hæc legere, quæ in publicum edimus, negligenter prætermittant, vel, iis omnibus contemptis, indecoras corruptelas taciti dissimulabunt, quibus occurrere per hanc nostram declarationem constituimus.

## INSTITUTIO XLVII.

*Ritus præscribitur Benedictionis impertiendæ bestiis, & implorandæ opis divinæ contra vermes, atque insecta, interposito S. Antonii patrocinio. De Benedictione agrorum. Utrum adhiberi queat Imagines Sanctorum, ac Sacræ Reliquiæ, cum benedictio traditur. De sonitu campanarum, cum nimbus, aut procella impendet. De illarum Benedictione. Quisnam primus campanam Benedictione sacraverit. Quanam de causa campanis nomen tribuatur, & ipsarum benedictio Baptismus nuncupetur.*

I. IN more positum est, ut Brutis in hac Civitate, ac Diœcesi benedictio impertiatur, Deique præsidium, ac tutela imploretur, ne agros vermes devastent. Parochi etiam non semel acciri solent, ut agris benedicant. Tandem pulsari campanæ consueverunt, cum procellæ, turbinesque impendere videntur. Attamen in his peragendis non idem ritus servatur; pauca etiam in pulsandis campanis monenda sunt pro muneris nostri ratione, ad quod spectare duximus aliquam super his normam constituere.

### §. I.

*De Benedictione pro Equis, aliisque Brutis adhibenda.*

II. INter Sanctos, qui cultum ab universa Ecclesia obtinuerunt, Sanctus Antonius Abbas merito adnumeratur; qui anno 356. Imperante Constantio, cum centesimum, & quintum annum attigisset, ex hac mortali vita decedens ad immortalem gloriam convolavit.

III. Nolumus hic sane complecti res ab ipso præclare gestas, nec percensere numerando eximia portenta, quæ Deus omni tempore ostendit, cum Fideles ad Sanctum Antonium confugerunt.

IV. Hæc omnia S. Athanasius, qui vitam hujus Magistri sui descripsit, & Aymarus Falco (1) posteris tradiderunt. Satis erit in medium afferre, quæ S. Gregorius Nazianzenus de S. Antonio scripta reliquit: *Perfecta est siquidem ad virtutem via, Antonium scire quis fuerit.* Sanctus etiam Joannes Chrysostomus (2) de illo hæc testatur: *Antonius talem vitam egit, qualem Leges Christi requirunt.* Sanctus vero Augustinus (3) commemorat duos familiares Imperatoris, cum Treviri S. Antonii historiam forte inventam percurrissent, statim, neglectis hujus vitæ deliciis, & oblectamentis, in eremum secessisse.

V. Effigies S. Antonii variis symbolis distingui solet; ignem, & porcum ad pedes jacentem habet; librum cum baculo dextera manu gerit, tintinnabulum sinistra; Thau quoque super vestem depingitur.

VI. Quid hæc significent varia Scriptores prodiderunt: inter quos P. Menochius (4), Sarnellius (5), & fusius P. Theophilus Raynaudus in eo libro, qui inscribitur *Symbola Sancti Antonii*.

VII. Molanus lib. 3. de Imaginibus, suem ad pedes Antonii jacentem hoc pacto interpretatur, quod illius patrocinio bruta sanitatem consequantur: *Thau* salutis indicium esse ex Sacris Litteris deprehendimus (6): *Omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis.* Nos quidem Sancti Antonii patrocinium non inficiamur pro his brutis, quæ vitæ alendæ, commodoque mortalium inserviunt, hæc tamen per effigiem porci nobis declarari minime existimamus: *Nam si idcirco* (ait P. Theophilus Raynaudus (7)) *appingitur S. Antonio porcus, quia sospitatem exorat brutis, cur potius ei appingitur porcus, quam asinus, aut equus?* & paulo post: *Cur igitur sus, quam aliud quodpiam brutum, B. Antonio appingatur, aegre assignari potest valida ratio, si sistamus in præsidio, quod brutis a Sancto Antonio suppetit; cujuscumque enim generis bruta Beato huic Cœliti sospitatori commendari ex usu est, & eventus felix sæpe vota secundat.*

VIII. Itaque sententiam suam his verbis exprimit: *Existimarim vero non minus commode, symbolo illo porci jacenti ad Sancti Viri pedes insinuari triplex genus porcinorum hominum ab eo domitorum, ac prostratorum; Ethnicos dico, & haereticos, ac voluptuarios Christianos.* Aliqui putaverunt murem Ægyptium porco similem ad pedes S. Antonii (8) appingi consuevisse, ut Antonium Ægyptium a reliquis omnibus secernerent. Hinc paulatim usus obtinuerit, ut loco muris Ægyptii imago suis sufficeretur: sed his omissis, de S. Antonii patrocinio in bruta sermonem faciemus.

IX. Theologorum princeps S. Thomas docet (9) ex Adami culpa fluxisse, ut inter bruta, quæ universa parere homini debebant, uti ex Genesi (10) cognoscitur. *Præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ*, nonnulla imperiis hominum subjici recusaverint. Improbat Sanctus Doctor illorum opinionem, qui censent permanente innocentiæ statu futura fuisse erga homines, aliaque bruta mansueta ea animalia, quæ nunc ferocia sunt, & reliqua bruta interficiunt. Cum enim ob Adami crimen brutorum natura immutata non fuerit, discordia quidem inter illa exarsisset, sine ullo tamen detrimento dominii, quod in ipsa Conditor Deus homini concesserat. Postremo: *Homines* (inquit) *in statu innocentiæ non indigebant animalibus ad necessitatem corporalem, neque ad tegumentum, quia nudi erant, & non erubescebant, nullo instante inordinatæ concupiscentiæ motu; neque ad cibum, quia lignis Paradisi vescebantur; neque ad vehiculum, propter corporis robur: indigebant tamen eis ad experimentalem cognitionem sumendam de naturis eorum.*

X. Nunc autem post peccatum inter incommoda, quæ inviti perferimus, gravissima damna quorumdam animalium, merito referri possunt, quæ vitæ nostræ quoque insidiantur. Insuper alia necessaria sunt, quibus vita hominum sustentatur, & plura vitæ munera commodius obeuntur. Itaque, cum Deus religione suadente exorandus sit, ut bestiarum detrimenta longe a nobis depellat, easque conservet, quæ hominibus utilitatem afferunt; insuper cum fide Christiana adducti ad Sanctos, quos Patronos habemus, preces convertendæ sint, ob hanc causam Fidelium pietas S. Antonium pro his beneficiis obtinendis deprecatorem elegit, de quo illud memoriæ proditum est: *Ecce duo leones* (11) *ex interiori Eremi parte currentes, volantibus per colla jubis, ferebantur, quibus aspectis primo exhorruit, versusque ad Deum referens mentem, quasi columbas videret, manfit intrepidus: & illi quidem directo cursu ad cadaver Beati senis substiterunt, adulantibusque caudis circa ejus pedes accubuere fremitu ingenti rugientes, prorsus ut intelligeret, eos plangere, quomodo poterant. Deinde haud procul cœperunt humum pedibus scalpere, arenamque certatim egerentes hominis capacem locum foderunt; ac statim, quasi mercedem pro opere postulantes, cum motu aurium, cervice dejecta, ad Antonium perrexerunt, manus ejus, pedesque lingentes. At ille animadvertit, benedictionem eos a se precari; nec mora in laudationem Christi effusus, quod muta quoque animalia Deum esse sentirent &c. manu annuens eis, ut abirent, imperavit.* Traditur etiam, quod S. Antonius, cum deser-

(1) *In In. Historia Antoniana.* (2) *In Homil. 8. in Matthæum.* (3) *Lib. 8. Confess. cap. 6.* (4) *Nelle Stuoie part. 2. cap. 95.* (5) *In suis Epist. Ecclesiast. tom. 3. litt. 6.* (6) *Tom. 8.* (7) *Ezech. cap. 9. vers. 6.* (8) *Lib. superius allato, §. 8. Laudem.* (9) *P. Ajala. lib. Victor Crisianus, lib. 5. cap. 4. num. 7.* (10) *Part. 1. quæst. 69. art. 1.* (11) *S. Hieronymus in Vita S. Pauli.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

desertum locum ab hominum commercio remotissimum ad habitandum solus delegisset, *Feras secum pacificabat* (1), quas etiam longe abire jussit, cum sitis restinguendæ gratia ad fontem confluerent, & exiguam messem vastarent, qua vitam Antonius sustinebat: *Cur me lædítis nihil a me læsæ; abite, & in nomine Domini ne huc appropietis ulterius. Quis credet, post hanc denuntiationem, quasi timentes nunquam illuc bestias appropinquasse?*

XI. His portentis, aliisque plurimis, quæ post mortem S. Antonii contigerunt, satis probatur, quam efficax sit ejus patrocinium, cum in discrimina ejusmodi mortales adducuntur. Hæc vero Civitas, ac Diœcesis in S. Antonium singulari pietate, ac religione cum reliquis omnibus merito comparari potest. Nam quoties annua ipsius celebritas agitur, aliisque per annum diebus, jumenta duci solent ad constituta loca in Civitate, ad Parochias autem in Diœcesi, ut benedictionem a Deo ob merita Sancti Antonii consequantur. Nos universos hortamur, ut hanc piam consuetudinem perpetuam esse velint; sed quoniam non eumdem ritum in hac re servari percepimus, unicam hujus benedictionis rationem, ac normam statuendam judicavimus; cum perspectum sit omnibus, ritus æqualitatem valde convenire, neque ferendum esse, ut in piis exercitationibus suam quisque voluntatem, & consilium sequatur.

XII. In Rituali quidem Romano nulla pro hac benedictione norma præscribitur. Circiter annum 1095. quidam Gaslo nobili genere natus in Provincia Viennensi in Gallia, una cum Filio suo Gerino, aliisque octo piis hominibus operam suam præstare cœpit iis, qui ignis sacri morbo tunc temporis frequenti laborarent. Hinc initium habuit præclarum Institutum Hospitalariorum Sancti Antonii Viennensis, qui *Thau* vestibus adiutum deferunt. Nullum ipsi domicilium in hac Civitate obtinent, sed ultra montes frequentes sunt, & Romæ etiam in celebri Monasterio versantur. Ad ipsum ducuntur bestiæ non solum die festo S. Antonii, sed aliis quoque per annum temporibus, ut benedictionem accipiant. Cum agerentur quædam controversiæ, Apostolica privilegia nos expendimus, ob quæ Regulares, ejusmodi in Civitatibus ubi degunt, hanc benedictionem a se unice tribuendam contendunt. Tunc ejusdem benedictionis formam obtinere curavimus, qua Romæ publice ipsi utuntur, hancque adhibendam in hac Civitate, ac Diœcesi, sublatis cæteris omnino præcipimus. Si plures uno tempore bestiæ deducantur, satis erit benedictionis verba integre pronunciare, uti Romæ fieri solet, singulas deinde lustrali aqua conspergere; si una tantum offeratur, aut plures etiam longo temporis spatio interjecto, tunc benedictio semper repetenda est, & jumenta singillatim eadem aqua lustrali aspergenda sunt, uti Romæ pariter exemplo comprobatur. Benedictionis forma hæc est:

*Benedictio Equorum, & Animalium.*

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus refugium nostrum, & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, & præsta, ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui glorioſum Beatum Antonium variis tentationibus probatum inter mundi hujus turbines illæsum transire fecisti, concede famulis tuis, ut, & præclaro ipsius proficiamus exemplo, & a præsentis vitæ periculis ejus meritis, & intercessione liberemur. Per Christum Dominum &c.

OREMUS.

BEnedictionem tuam, Domine, hæc Animalia accipiant, qua corpore salventur, & ab omni malo per intercessionem Beati Antonii liberentur. Per Christum Dominum &c.

*Deinde aspergat aqua benedicta.*

§. II.

*De Benedictione contra Vermes, & insecta.*

XIII. PAulo ante causam explicavimus, ob quam plures bestiæ hominibus parere, ac servire, uti debuerant, omnino detrectent. Nunc de iis verba faciamus, quæ non solum imperiis hominum resistunt, sed etiam naturæ quodam impulsu, vitam ipsorum, velut hostes persequuntur, aut iis rebus grave detrimentum inferunt, quæ ad vitam sustentandam necessariæ sunt. Ac primum subjicienda ducimus, quæ S. Thomas 2. 2. quæst. 98. art. 3. scripsit: *Dicendum, quod creaturæ irrationales ab alio aguntur ad proprias operationes. Eadem autem actio est ejus, quod agitur, & movetur, & ejus, quod agit, & movet, sicut motus sagittæ etiam est quædam operatio sagittantis, & idcirco operatio irrationalis creaturæ non solum ipsi tribuitur, sed principaliter Deo, cujus dispositione omnia moventur: pertinet etiam ad diabolum, qui permissione Divina utitur aliquibus irrationabilibus creaturis ad nocendum hominibus.*

XIV. Plura nobis exempla Sacræ Litteræ suppeditant, quibus ostenditur, Deum iratum non semel pusillis animantibus usum fuisse, ut hominum crimina, pravasque cupiditates ulciscereturr. Capita 8., & 9. Exodi aperte commemorant ranas, cimices, muscas, & culices ob Pharaonis impudentiam toti Ægypto vastitatem attulisse. Philistæos incredibili murium copia oppressos ex historia Regum accepimus. Psalmo autem 104. legimus: *Dixi, & venit locusta, & bruchus, cujus non erat numerus.* Item Psalmo 77. *Et dedit ærugini fructus eorum, & laboret eorum locustæ.* Tandem Joel Propheta hæc tradit: *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Nominibus autem *Erucæ*, & *Rubiginis* vermes intelliguntur, uti Pater Calmet interpretatur (2). Si quis autem nova exempla post Vetus Testamentum exquirat, rerum Scriptores ea posteris abunde tradiderunt. Illud satis sit, quod S. Augustinus memorat lib. 3. de Civitate Dei cap. 31. *Locustarum in Africam multitudinem prodigii similem fuisse, cum jam esset populi Romani Provincia, litteris mandaverunt: consumptis enim fructibus, foliisque lignorum, ingenti, atque inæstimabili nube in mare dicunt esse dejectam, qua mortua, redditaque litoribus, atque hinc aere corrupto, tantam ortam pestilentiam dicunt, ut, in solo Regno Masinissæ octingenta hominum millia periisse referant, & multo amplius in terris litoribus proximis. Tunc Uticæ ex triginta millibus Juniorum, qui ibi erant, decem remansisse confirmant.*

XV. Reliqua exempla prætermittimus, cum neminem lateat gravissimum damnum, quod ex insectis, nocuisque animantibus in messem quotidie dimanat. Id tamen criminibus hominum tribuendum pro certo affirmabimus; nec aptiorem rationem nobis proponi, ut ab hac pernicie vindicemur, quam preces ad Deum convertere, Sanctosque implorare, qui beneficia nobis a Deo impetrare solent, ut in posterum nos, resque nostras ex animalium vastitate penitus eripiat.

XVI. Illud apertissime pollicitus est Deus (3): *Si clausero cœlum, & pluvia non fluxerit, & mandavero, & præcepero locustæ, ut deveret terram, & misero pestilentiam in populum meum; conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam a viis suis pessimis, & ego exaudiam de Cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.* Insuper Deus Moysis (4) oratione placatus ranas, cimices, ac muscas dispulit. Sanctus Lucas, Pauli Apostoli in Insulam Melitæ adventum describit (5): Nos hic Melitam intelligimus, quæ inter Siciliam, & Africam posita est, ubi Equites Hierosolymitani Sedem jamdiu statuerunt, non illam Melitam, quæ sita est ad mare Adriaticum prope Dalmatiam, ut Monachus Ignatius Georgius erudite contendit. Igitur Sanctus Paulus viperam brachio implicatam habuit, dum in ea Insula, quæcumque sit, moraretur, nullumque incommodum

(1) *S. Athanasius in ejus Vita cap. 12.* (2) *In Dictionario Sac. Scrip. ad verb.* Eruca.
(3) *Lib. 2. Paralip. 7. v. 7.* (4) *Exod. cap. 8.* (5) *In Actis Apostolorum cap. 28.*

dum non ſine magna adſtantium admiratione accepit: *Diu autem illis adſpectantibus, & videntibus, nihil mali in eo fieri, convertentes ſe dicebant eum eſſe Deum.* Neque deſunt, qui teſtantur etiam obtinuiſſe Apoſtolum, ut viperæ, ac ſerpentes ejus loci veneno carerent, eaque tellus morbis ex veneno contractis quoque mederetur (1).

XVII. His exemplis, quæ ex Sac. Litteris delibata ſunt, alia breviter conjungimus, ut univerſi curæ noſtræ commendati, ſi in aliqua hujus generis diſcrimina veniant, omnem ſpem, & omne præſidium in Deo, Sanctiſque conſtituant. De Sancto Grato Auguſtæ Prætoriæ Epiſcopo, ob inſignia portenta celeberrimo, proditur, ſolitum fuiſſe aquam benedictione ſacrare, ut beſtias terræ frugibus nocentes expelleret, illiuſque virtute, ac precibus agros Auguſtæ Prætoriæ ad tria milliaria infeſtis muribus liberatos fuiſſe. Ita Thiers (2), qui graves etiam auctores nominat, quorum teſtimoniis id confirmatur. Pater Martinus del Rio (3) fatetur, indictis precibus Hiſpanias ab Inſectis vindicatas, quæ ipſas devaſtaverant; cum Gregorius Oſtienſis Epiſcopus, ac Legatus Apoſtolicus ob hanc rem miſſus illuc fuit. Cardinalis quoque Baronius (4) quæ ſuperius dicta ſunt, plane confirmat exemplo Pontificis Stephani VI., quod ex Vaticana Bibliotheca deſumpſit: *Cum clades* (inquit) *locuſtarum, quæ Prædeceſſoris ſui, Hadriani videlicet, totam Patriam conſumpſerant, malo multiplicato germine, naſci cœpiſſent, & omnia repleviſſent, miſertus idem Sanctiſſimus Papa afflicti populi primum quidem divulgavit, ut, ſi quis de iis unum ſextarium caperet, & ſibi attuliſſet, quinque, vel ſex denarios ab eo perciperet: Hoc autem populi audientes, cœperunt huc, illucque diſcurrentes, eaſque capere, & miſericordiſſimo Patri ad emendum portare. Sed cum illas tali argumento delere nequiſſet, ad Domini miſericordiam confugiens, in Oratorium Beati Gregorii, ubi ejus lectus habetur, juxta Eccleſiam Principis Apoſtolorum veniens, ſeſe cum lacrymis in orationem dedit: cumque diutius oraſſet, ſurrexit, & aquam propriis manibus benedicens, Manſionariis præcepit dicens: Tollite, & ſingulis diſtribuite monentes, ut in nomine Domini agros ſuos circumeant, & hanc aquam ſpargant per ſata, & vineas, petentes Divinum ſibi ſuffragari præſidium. Quo facto, tanta Omnipotentis Dei ſubſecuta eſt miſericordia, ut, ubicumque ipſa aqua aſperſa eſt, nulla penitus locuſta remaneret. Hæc circumquaque vicini audientes ad Urbem confluunt, ſubveniri ſibi depoſcunt, omnem terram in pulveris modum locuſtis coopertam clamitant; quos benignus Papa benigne commonuit, de Cælo auxilium petere debere contra flagellum imminens.*

XVIII. Non ignoramus Diœceſanos, noſtros ad Deum magno ſtudio confugere, cum vermes, aut aliæ beſtiæ agros infeſtant, noſtriſque a Parochis in Diœceſi potiſſimum certas tunc preces recitari, ut Dei concitatam iracundiam mitigent. Cum tamen preces ejuſmodi non inconſulto, ac temere fieri debeant, ſed per Epiſcopos probari (5), nec ulla in Rituali Romano pro ipſis norma indicatur, certam aliquam rationem, quam ſequi Parochi teneantur, hic omnino ſubjiciendam duximus, reliquas omnes abrogantes, quæ prius in uſum receptæ fuerint, ut ritus communis omnibus, auctoritate firmatus, ac tutiſſimus habeatur.

XIX. Cardinalis Franciſcus Pignatellus Archiepiſcopus Neapolitanus, & Sacri Collegii Cardinalium Decanus formam quamdam precationis contra vermes inſtituit pro ſua Diœceſi, cum agros illi turpiter fædarent: ea forma impreſſa fuit in appendice Synodi, quam anno 1736. idem Cardinalis Neapoli celebravit (6).

XX. Cum tamen longiuſcula videatur, licet alioquin pia, rectèque digeſta, aliam formam quæſivimus, quæ brevior eſt, ac pietatis plena; eam nempe qua Benedictus XIII. de nobis optime meritus non ſemel uſus fuit, ut Romanum agrum ab infectorum pernicie liberaret. Eam promulgamus, quam Parochi ſibi deligant, cum opus fuerit.

### *Benedictio contra Mures, Locuſtas, Bruchos, & Vermes noxios.*

*Antiph.* Exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum.

*Pſalm.* Deus auribus noſtris audivimus, patres noſtri annuntiaverunt nobis.

℣. Gloria Patri &c. *Et repetitur Antiphona.*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

### OREMUS.

PReces noſtras, quæſumus, Domine, clementer exaudi, ut, qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, & hanc murium (*vel locuſtarum, vel vermium*) perſecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea miſericorditer liberemur; ut tua potentia procul expulſi (*vel expulſæ*) nulli noceant, & campos, agroſque noſtros in tranquillitate, ac quiete dimittant, quatenus ex eis ſurgentia, & orta tuæ Majeſtati deſerviant, & noſtræ neceſſitati ſubveniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

### OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus omnium bonorum remunerator, & peccatorum maximus miſerator, & in cujus nomine omnia genuflectuntur, cœleſtia, terreſtria, & infernalia, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, ut, quod de tua miſericordia confiſi agimus, per tuam gratiam efficacem conſequamur effectum; quatenus hos peſtiferos mures (*vel locuſtas, vel vermes*) per nos ſervos tuos maledicendo maledicas, ſegregando ſegreges, exterminando extermines, ut, per tuam clementiam ab hac peſte liberati, gratiarum actiones Majeſtati tuæ libere referamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Exorcizo vos peſtiferos mures (*vel locuſtas, vel vermes*) per Deum Patrem Omnipotentem †, & Jeſum Chriſtum Filium ejus †, & Spiritum Sanctum ab utroque procedentem †, ut confeſtim recedatis a campis, & agris noſtris, nec amplius in eis habitetis, ſed ad ea loca tranſeatis, in quibus nemini nocere poſſitis; pro parte Omnipotentis Dei, & totius Curiæ Cœleſtis, & Eccleſiæ Sanctæ Dei vos maledicens, ut, quocumque ieritis, ſitis maledicti (*vel maledictæ*) deficientes de die in diem in vos ipſos (*vel ipſas*) & decreſcentes, quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur, niſi neceſſaria ad ſalutem, & uſum humanum. Quod præſtare dignetur, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſeculum per ignem.

℣. Amen.

*Poſtremo Aqua benedicta aſpergantur loca infecta.*

## §. III.

### *De Agrorum Benedictione.*

XXI. NOn vermes tantum, aliaque inſecta noſtris agris, noſtriſque meſſibus perniciem ferunt, ſed aliis quoque modis ob noſtra crimina Deo pœnas exſolvimus. Et ſane, cum portum jam attigiſſe putamus, meſſemque pene in horrea congeſſiſſe, furentes procellæ, turbineſque conſurgunt, qui ſpes noſtras evertunt, & ſecum abripiunt.

XXII. Ut hæc pericula evitemus, publicæ preces indicuntur in Rogatione majori die Feſto S. Marci, & minoribus Rogationibus, quæ per triduum ante celebritatem Aſcenſionis Domini fieri conſueverunt. De illis verba fecimus in tertia hujus libri Inſtitutione. Cum tamen hæc Civitas preces publice inſtituere ſoleat non ſolum die Feſto S. Marci, ac triduo Rogationum minorum, ſed etiam diebus inſequentibus uſque ad ſecundam Dominicam Octobris; hortamur omnes, ut hoc inſtitutum, eumdemque ritum ſequantur. Novimus enim Parochos in Diœceſi ad benedicendum agris accitos precationes quaſdam ingenio ſuo excogitatas adhibere. *In Romano Sacerdotali* precationis ejuſmodi forma traditur; ſed cum promulgatæ fuerint in hac Civitate preces, quæ die Feſto Sancti Marci, triduo Rogationum, aliiſque diebus ad ſecundam uſque Octobris Dominicam fieri debent, ut idem ritus ſervetur, præcipimus Parochis, ut illa utantur formula, quoties ad benedicendum agris ſe

(1) *Cardin. Baron. anno 58. num. 172. Tillemont. in Memoriis hiſtor. antiquarum, in Vita S. Pauli art. 42.*
(2) *Thiers tom. 1. ſuperſtitionum lib. 3. c. 3. pag. 450. tertiæ editionis Pariſienſis.* (3) *Martinus in ſuis Diſquiſitionibus magicis lib. 6. Anacephalæoſis monit. 11.* (4) *In Annalib. tom. 10. anno 885.* (5) *Thiers loco ſuperius allato pag. 483. P. Martinus del Rio in oper. citat. lib. 3. pag. 84.* (6) *Part. 2. cap. 10. pag. 247.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

se conferant, quos absolutis precibus acqua benedicta lustrabunt. Exiguæ molis libellum, in quo eædem preces continentur, imprimi denuo jussimus, cum primo ad hanc Sedem pervenimus; quare ipsum habere nemo prætermittat.

XXIII. Cæremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 33. in his supplicationibus Sacras effigies, Sanctorumque Reliquias deferri permittit, si mos id obtinuerit. Quamobrem, si in aliqua parte hujus Diœcesis hæc pia consuetudo invaluit, eam libentissime confirmamus, modo tamen Reliquiæ certo documento, nostraque auctoritate muniantur. Quod si ejusdem Sancti, cujus Effigies, ac Reliquiæ circumferuntur, præsidium, ac tutela imploranda sit, & peractis precibus, ac benedictione antea proposita, etiam Antiphona cum versibus, atque Oratione ipsius Sancti propria recitari velit, id magnopere probamus. Si tamen de Beatæ Virginis effigie res agatur, tunc ex Officio Sanctæ Mariæ in Sabbato ea eligantur, nempe illa Antiphona, & versus, qui ante *Benedictus* positi sunt, & Oratio, quæ post *Benedictus* eo die assignatur. Sin autem de effigie, ac de Reliquis alicujus Sancti sermo sit, desumantur Antiphonæ, versus, ac Oratio *de Communi*, quæ in Officio ad *Benedictus* recitari solent.

XXIV. Illud solum examinandum superest, an benedictio cum Sacra Effigie, aut Reliquiis impertiri possit. Hæc enim Tonellius docuit (1): *Hic adverte, quod in fine aliarum Processionum, quæ fiunt sive cum Sanctissima Cruce, sive cum Reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus non debet dari Benedictio; cum nullibi talis Benedictio præscribatur, nisi cum Sanctissimo Sacramento.*

XXV. Sed vehementer errat Tonellius. Nam cæteris cognita sunt hujusce rei monumenta, quæ ipsum latuerunt. In descriptione, quæ confecta fuit, cum Clemens XI. Sacras Reliquias populo ostendit, plures præstantium virorum sententiæ congestæ sunt, quibus benedictionis, de qua agimus, pia consuetudo demonstratur; uti tradit eruditissimus Canonicus Petrus Morettus in allata dissertatione: *De Ritu ostensionis Sacrarum Reliquiarum*; quam Romæ impressam anno 1721. nobis etiam nuncupavit: *Ex verbis* (inquit (2)) *Auctorum elici videbis, consuetudinem benedicendi, imo plures benedictiones eodem tempore, ac pluribus in locis datam.*

XXVI. Accedit non solum hujus Diœcesis consuetudo, sed illa pariter Apostolicæ Sedis; quæ Rituum Magistra appellanda est. Siquidem nos ipsi interfuimus, cum Clemens XI. adhibitis Reliquiis Sanctæ Crucis, Sanctæ Veronicæ, Sacræque Lanceæ populo benedixit. Eo quoque munere pluries nos perfuncti sumus, cum inter Canonicos illius Basilicæ, quibus solis eas Reliquias attingere licet, numeraremur.

XXVII. Nihil de Græcis dicemus, qui Ritum eumdem habent, uti ex ipsorum Menologiis die 13. Septembris liquide cognoscitur. Taciti tamen non præteribimus quod anno 1162., cum Sacræ Reliquiæ, seu Pes Sancti Aldegundi solemniter transferretur, Episcopus illum *Omnibus ostendit, & facta benedictione, omnibus se humiliter inclinantibus, in loco, a quo sustulerat, reposuit* (3). Insuper cum Philippus Augustus Galliarum Rex insignes Reliquias a Balduino Imperatore acceptas Henrico Abbati Monasterii Sancti Dionysii tradidisset, illas Abbas decenti loco posuit (4) *Data Benedictione cum Reliquiis*. Tandem Pius II. Caput Sancti Andreæ cum dono habuisset a Demetrio fratre Constantini ultimi Imperatoris, qui in expugnatione Constantinopolis per Turcas interfectus fuit, illud prædarum munus in publica supplicatione circumtulit, quam supra triginta mille intorticia splendide exornabant: & priusquam illud collocaret in eo Basilicæ Vaticanæ loco, ubi nunc etiam habetur, tunc Pontifex *Superato summo gradu vertit se ad multitudinem, & benedixit ei, sacrum ostendens verticem*; de capite Sancti Andreæ sermo agitur (5).

XXVIII. Itaque si Tonellius rerum sacrarum monumenta studiosius percurrisset, quæ nos superius enumeravimus, id non ignorasset, nec ita facile ritum benedictionis cum Sacris Reliquiis improbandum duxisset. Quare eumdem ritum nos summopere commendamus, quoties Reliquias publica auctoritate, ac testimonio firmatas circumferri contingat.

## §. IV.

*De pulsandis Campanis, cum procellæ impendent, ac de illarum Benedictione.*

XXIX. Alias de Campanis sermonem habuimus, & quonam tempore ipsarum usus in Ecclesia cœperit (6). Nunc addendum illud putamus, quod Suarez in defensione Fidei contra Regem Angliæ scriptum reliquit (7): *Licet prima ratio, seu occasio inveniendi hæc signa fuerit moralis necessitas convocandi Christianum populum, postea vero Ecclesia fideli cogitatione, & sapienti institutione, illa ordinasse ad spirituales effectus, colligere licet, & assumpsisse illa, ut sic dicam, tamquam instrumenta, per quæ Fidelium Fidem excitaret, qua interveniente, ejusmodi beneficia per Christum a Deo impetraret*; & paulo post: *Dicimus auctoritatem Dei non deesse, saltem in radice, & origine, quia ipse dedit auctoritatem Pastoribus Ecclesiæ ad regendam Ecclesiam, & disponenda ea, quæ ad accidentarios ritus Ecclesiæ pertinent.*

XXX. Cardinalis Baronius ad annum 980. tradit (8). Joannem XIII. campanæ benedictionem impertisse, eamque consecrasse antequam in Turri Lateranensis Ecclesiæ statueretur; hisque verbis auctorem istius Ritus Pontificem facere videtur: *Qui sacer ritus in Ecclesia perseveravit*. Suarez etiam hæc addit (9): *Circa hujus autem ritus antiquitatem non immoror; nam, licet quidam Joanni XIII. Pontifici illum tribuant, alii vero antiquiorem esse existiment, res tamen incerta est*. Cum tamen Capitularia Caroli Magni, quæ ducentis fere annis Joanni XIII. antecesserunt, de Campanarum benedictione mentionem faciant, & Rituales libri ante ipsum Pontificem idem præferant, & tandem Alcuinus, qui floruit circa annum 770. hæc scripserit: *Neque novum videri debet, campanas benedicere, & ungere, eisque nomen imponere*: aperte constat hujus ritus initium Joanni XIII. minime tribuendum, omnemque dubitandi rationem penitus esse sublatam: Hæc scriptores unanimes affirmant (10).

XXXI. Ritus autem campanarum benedictionis in recitandis quibusdam Psalmis, ac precibus continetur. Episcopus sal, & aquam benedicit, ipsisque permixtis campana abluitur. Eam Infirmorum Oleo, Sanctoque Chrismate linit Episcopus. Thus Campanæ subjicitur; ac postremo Evangelium Sancti Lucæ Diaconus canit, quæ omnia in Romano Pontificali accurate describuntur.

XXXII. Juxta Ecclesiæ morem Campana Sancti alicujus nomine insignitur *Eisque nomen imponere solet Ecclesia Romana*, inquit Du Cange (11). Id etiam ex allato superius Alcuini Flacci testimonio deprehenditur. Hujusce rei causam exponit P. Petra Sancta (12): *Insigniri autem Æra Campana insueverunt nomine aut Deiparæ Virginis, aut superum aliorum quorumcumque, quo ita nimirum, non bruto metalli sono, sed cieri ad templa quodammodo cœlitum ore videamur*. Aliam rationem subdit P. Martinus del Rio (13): *Nomen illis in Beati alicujus honorem imponitur, ut illius quasi commendetur tutelæ Vas metallinum Divinæ laudis instrumentum*. Aliam pariter causam Pouget excogitavit (14): *In honorem Sancti alicujus Campana consecratur, ut eo nomine distinguatur a cæteris*.

XXXIII. Advertendum est huic benedictioni nomen Baptismi concedi, quod quidem Ecclesia non coopterit, sed tantum æquo animo patitur, ut aliorum fidei, ac simplicitati indulgeat.

XXXIV. Id autem ex eo præsertim dimanavit, quod populus in Campanarum benedictione aquam adhiberi, nomenque imponi perspexit, & alia peragi, quæ in administrando Baptismo consueverunt: *Immo in Hispania* (uti scribit Rocca (15)) *dum Campanæ consecrantur, vel, ut improprie ajunt, baptizantur, sed proprie, lavantur, vir, & mulier ex hominibus loci primariis tanquam Compatres admittuntur &c. præsertim vero in aliquot Cataloniæ partibus*. Idem mos in Germania fuit; nam inter falsa incommoda, ac detrimenta, quæ Sedi Apostolicæ nonnulli ex illis populis objecerunt, cum a Religione Catholica defci-

(1) *In Sac. Enchyridio lib. 2. c. 5. §. 4. sub n. 60.* (2) §. 60. (3) *Bolland. die 30. Januar. anno 1205.*
(4) *Rigordus de Gestis Philippi Augusti.* (5) *Lib. 8. Commentar. Pii II.* (6) *Instit. XX. hujus libri.*
(7) *Lib. 2. c. 19. num. 7. & seq.* (8) *Num. 93. in suis Annalibus.* (9) *Loco superius allato.*
(10) *Card. Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 22. num. 7. Menardus in Notis ad Sacrament. S. Gregorii pag. 207. Regius in Brev. Rom. Pontificum tom. 2. in vita Joannis XIII. num. 12. Rocca in Comment. de Campanis cap. 6. §. de Campanæ Consecratione. Theophilus Raynaudus tom. 16. in opere, cui titulus: Heteroclita spiritualia, pag. 245.*
(11) *In Glossario ad verbum. Campanas baptizari.* (12) *Lib. 2. de Ritib. Eccl. Cath. pag. 4. 5.* (13) *Disquisit. Magicar. lib. 6. c. 2. sect. 3. qu. 3.* (14) *In Institutionibus Cath. tom. 2. pag. 902.* (15) *In suo Commen. Campan. c. 6.*

UAB

sciverunt, immoderati sumptus enumerantur, qui a Compatribus fieri solebant, dum Campanæ sacrarentur (1).

XXXV. Baptismi nomen pro benedictione Campanarum ab Ecclesia perferri diximus, ne fidelium simplicitas minuatur. Siquidem in veteri Ordine Romano, in Pontificali pariter Romano, cunctisque Ritualibus peculiarium Ecclesiarum per Thiers accurato studio collectis (2) nunquam Baptismi, sed benedictionis nomine Campanarum consecratio nuncupatur. Ecclesia vero pro certo habet, non ideo Catholicos existimare, gratiam infundi, peccatum remitti, sed benedictionis loco Baptismum vocare, eo prorsus modo, quo dedicationem Ecclesiæ Baptismum Ivo appellavit (3): *Ipsum templum suo modo, & ordine baptizamus*.

XXXVI. De his Scriptores universi consentiunt (4). Pouget (5) singulas cæremonias pro benedictione Campanarum præscriptas diligentissime explicando prosequitur: *Patres autem Colonienses Concilii anno 1536. beneficia, quæ ex Campanarum consecratione in nos promanant his verbis exponunt: Benedicuntur quoque Campanæ, ut sint Tubæ Ecclesiæ militantis, quibus vocetur populus ad conveniendum in Templum &c. ut per illarum sonitum Fideles invitentur ad preces &c. ut Dæmones tinnitu Campanarum Christianos ad preces concitantium terreantur, quin potius precibus ipsi territi abscedant, illisque summotis, fruges, mentes, & corpora credentium serventur &c. fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum temperentur, infesta tonitrua, & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum, & aereæ potestates prosternantur*. Idem ex precibus Ecclesiæ in Campanarum benedictione deprehenditur. Attamen expendendum est, quod Suarez admonuit (6). *Ille spiritualis effectus non expectatur, nisi a Deo per orationes Ecclesiæ, quæ in illa benedictione funduntur; & licet quoad nos transire videantur, & in re benedicta virtutem non relinquant, semper tamen manent in Divina cognitione. Ideoque, licet non semper infallibiliter obtineant effectus postulatos, sæpe nihilominus impetrant, quando aliæ opportunæ conditiones concurrunt; quia generaliter hoc promissum est justæ orationi, qualis maxime censenda est illa, quæ nomine totius Ecclesiæ funditur*.

XXXVII. Ex his, quæ dicta sunt, facile conjicitur quo tendat oratio nostra, nempe, ut singulos hortemur, ne Dei opem exposcere prætermittant, cum turbines, ac procellæ Bononiensem agrum impetunt; monentes præsertim eos, qui custodiendis Ecclesiis præpositi sunt, ne impendentibus nimbis Campanas pulsare negligant, uti semper in more positum fuit. Sed quoniam procellæ non dissipantur ob motum, quem in aere sonitus Campanarum excitat, verum precibus adtribuendum est, quæ nomine Ecclesiæ persolutæ sunt dum Campana benedictionem rite accepit, ideo, si hæc consecratio omittatur, beneficia, quæ ex illa profluunt, sperare non licet. Quod si eam sententiam amplecti velimus, quæ ex aeris commotione dissolvi nimbos contendit, procul dubio aer magis agitari debet, cum tormenta bellica exploduntur. Tunc autem Campanarum sonitus supervacaneus videretur, ut Fideles ad preces Deo solvendas incitentur: nam, si quis orandi studio ducatur, majori tum procellæ strepitu perstringitur, qui campanæ cujusvis sonitum excedit.

XXXVIII. Ad nos unice spectat campanas benedicere, neque alium loco nostro subrogare possumus, cum Sancto Chrismate perungi debeant. Hinc XXI. Institutione hujus libri, palam fecimus paratos non esse, ut campanas, cum opus fuerit, consecremus. Nemo tamen elapsis jam quatuor annis id a nobis postulavit. Duæ solum Campanæ, ut sacrarentur, nobis oblatæ sunt, cum Sacra Visitatio in Castro Sancti Georgii perageretur, illasque, nulla interposita mora, consueto ritu sacravimus. Quoniam vero paterna, & humanitatis plena admonitio nihil animos permovit, ritusque Ecclesiæ paulatim in oblivionem adducitur, loquendi rationem immutabimus, asserentes, quod in Romano Pontificali præcipitur: *Signum, vel Campana debet benedici, antequam ponatur in campanili*: Etenim in eo verbo *debet* necessitas, ac præceptum continetur. Accedit etiam in nostra potestate esse, ut ex Turri auferantur campanæ, earumque sonus impediatur, quæ benedictione nostra consecratæ non fuerunt, postquam hanc Ecclesiam & Diœcesim administrandas suscepimus. Id liquido constat ex sententiis Sacrarum Congregationum, quas Monacellus complectitur (7). Verum, ut lenissime agamus, universos admonemus, ne in posterum Campanas in Turri collocare audeant, nisi prius a nobis benedictionem perceperint. Id etiam edicto promulgabimus.

## INSTITUTIO XLVIII.

*De Missæ Sacrificio, quod indici consuetus sub ortum Solis prima die cujusvis mensis in Metropolitana Ecclesia S. Petri. De plenaria Indulgentia, quæ conceditur iis, qui ad eamdem Missæ celebrationem convenient. Qua ratione interesse debeant fideles eidem Sacrificio absque lethali culpa, ut hanc Indulgentiam assequantur.*

I. PRima die ineuntis Anni 1736. solemne Sacrum hora decimaquarta cum dimidio in nostra Sancti Petri Metropolitana Ecclesia de more celebrabimus, quo peracto, atque, uti mos est, hymno, *Veni Creator Spiritus*, absoluto: tandem accepta per nos Sanctissimæ Eucharistiæ Benedictione populus dimittetur.

II. Quare universos, ut frequenter conveniant, hortamur pro comparando Plenariæ Indulgentiæ thesauro, quem etiam pro defunctorum expiatione Sanctitas sua singulis impertivit, qui post pœnitentiæ Sacramentum, & acceptam Sacram Eucharistiam ejusdem Missæ Sacrificio interfuerint, quod prima cujuscumque mensis die sub ortum Solis in nostra Metropolitana solemniter indicitur.

III. Hæc sunt verba, quæ *in Apostolicis litteris* continentur: *Omnibus, & singulis Christifidelibus, qui de cætero vere pœnitentes, & confessi, & Sacra Communione refecti Missæ qualibet prima die cujuslibet mensis in prædicta Ecclesia, oriente Sole cum cantu celebrandæ, ut præfertur, interfuerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus*.

IV. Nonnulli hoc pium institutum parvi faciunt, atque adeo cœlestem hunc thesaurum abjiciunt, quod fieri non posse arbitrantur, ut Pœnitentiæ Sacramento prius expurgati, & Sacra Eucharistia refecti solemni Sacro pariter interfint, quemadmodum Pontificis litteræ, & res ipsa ipsæ ad conciliandam Indulgentiam præscriptæ postulare videntur, nempe, ut eidem Missæ Sacrificio præsentes adsint; quæ profecto sine ulla lethali culpa perficienda sunt, & eum Dei amore, & gratia conjungi debent, ut per ipsa thesaurum Indulgentiæ consequamur.

V. Hæc difficultas magna ex parte dissolvi posset, si Pœnitentiæ Sacramento expientur vespere præcedenti, aut vere contritionis actum eliciant, priusquam solemne Sacrum inchoetur. Id S. Carolus Borromæus docuit, cum populum suum pro Jubilæo comparando institueret (8); cum enim conditiones ad id necessarias enumeraret, hæc tradit: *Prima est, ut vere contriti peccata deponant; quod sane omnes, priusquam Ecclesiarum visitationem incæperint, juvat egisse, & Jubilæi consequendi legibus se satisfecisse, hoc modo certiores fiant*.

VI. Expedita hac difficultate, alia superesse videtur, nempe necessarium esse juxta Pontificis litteras Pœnitentiæ Sacramentum, ac Sacræ Eucharistiæ perceptionem, antequam Fideles ad Missam audiendam accedant. Quamobrem illud primo affirmabimus nihil ei prodesse Indulgentiam, qui lethalis culpæ vinculo teneatur (9). Secundo inquirunt Theologi quo tempore culpæ innocens, atque integer esse debeat, qui obtinere Indulgentiam exoptet.

VII. Cardinalis Bellarminus (10) asserit eorum sententiam veritati magis consentaneam, qui fatentur Dei gratiam omnino requiri, cum fiunt præscripta opera; tunc vero certam illam esse omnino, cum id Pontifex decernit, quemadmodum cum hæc habentur: *Pœnitentes, & confessi visitent Ecclesias, orent &c.* Tunc solum id necessarium non judicat, cum præscri-

(1) *Binghamus de Origine, sive Antiq. Eccles. tom. 4. pag. 185.* (2) *Lib. 2. tract. de superstitionibus cap. 7. pag. 83. & seqq.* (3) *Serm. de Sac. Dedicat.*

(4) *Suarez. loco superius allato. n. 9. Rocca. in Comment. de Camp. cap. 6. §. de campanæ Consecr. Martinus del Rio lib. 6. cap. 2. §. observa hoc. Theophilus Raynaudus in loco superius allato pag. 245. Du Cange in loco superius allato, verbo: Campanas baptizari. Macrius in Vocabulario Ecclesiast. ad verbum: Campana. Gottus tom. 1. de vera Eccl. Christi cap. 15. §. 9. num. 38.*

(5) *Loco jam allato.* (6) *Loco jam allato num. 8.* (7) *Tom. 4. pag. 100. num. 113. & seqq.*

(8) *In Actis Ecclesiæ Mediolanensis part. 7.* (9) *S. Thomas in supplement. quæst. 27. art. 1.*

(10) *Tom. 2. Controversiar. lib. 1. cap. 13.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſcriptum opus, licet cum Dei gratia non conjungatur, propoſitam Indulgentiæ cauſam magis adjuvet; veluti ſi Indulgentia promulgata fuerit, ut templum extruatur, ut egeni ſublevantur, ut pro recuperanda Terra Sancta, pecunia, vel arma conferantur: Hoc etiam Beccanus confirmat (1).

VIII. Alii tamen Dei gratiam cum præſcriptis operibus haud neceſſario jungendam exiſtimarunt, inter quos Dominicus Sotus (2), qui ſe docere id fatetur; *Sub doctiorum cenſura*. Eſtius (3) magis libere docuit nihil ſane prodeſſe; ſi deſignata opera perficiant ii, qui lethalis culpæ amore tenentur; contra vero, qui illam deteſtari paratus ſit, & in amicitiam Dei, omni labe expiata, redire, is utiliter in præſcriptis operibus verſatur, licet divina gratia præditus non ſit, quæ tum neceſſario requiritur, cum Indulgentiam adipiſci ſecum deliberat; quamvis etiam Pontifex criminum prævium confeſſionem præcipiat, cum Indulgentiam, gerendaque opera promulgat: *Atque hinc eſt* (ait Sotus), *quod conſueta Indulgentiarum forma non tantum requirit veram pœnitentiam, ſeu contritionem, verum etiam confeſſionem; non quod conditiones requiſitæ impleri non poſſint, niſi ab iis, qui, prævia confeſſione, fuerint a peccatis abſoluti, ſed quia ipſam Indulgentiam non conſequuntur, niſi in gratia exiſtentes.*

IX. Eamdem rem fuſius Suarez exponit (4), probatque ad comparandam Indulgentiam non omnino neceſſarium eſſe, ut ſimul cum Dei gratia præcepta pia opera ſuſcipiantur; etenim licet ipſam vitam æternam non mereantur, animas tamen ad eam præparant. Tunc ſolum Dei gratiam requiri cenſet, cum eamdem Indulgentiam conſequi ſtatuimus: inſuper, licet Pontifices Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiam percipiendam proponant, ac poſtremo aliquod templum inviſendum, hanc rem non adeo judicandam arbitratur, ut crimina omnino confiteri, & ad Sacram Euchariſtiam accedere neceſſario Pontifices jubeant, antequam templum viſitemus, ſed hoc ultimum proponi poſſe, atque ita re ipſa fieri omnia, quæ a Pontificibus indicuntur, & quæ neceſſaria ſunt ad conſequendam Indulgentiam, nempe cauſam aliquam, quæ ad honorem Dei pertineat, legitimam auctoritatem illius, qui Indulgentiam concedit, & divinæ gratiæ conditionem pro illo, qui eamdem Indulgentiam aſſequi contendit, uti S. Thomas docuit (5).

X. Reliqui Doctores, qui poſt Suarez de his rebus ſcripſerunt, ejus opinionem ſecuti ſunt, quam nos etiam hoc tempore ob hanc cauſam amplectimur. Siquidem Pontifex, qui Indulgentiam impertivit, Sacrum, de quo ſermo eſt, in Metropolitana fieri cognovit *ſub ortum Solis*, ita in ipſius litteris habetur, ac paulo poſt *oriente Sole*. Attamen ſi Pontifex Bononiæ verſaretur, hos cives mane plurimum indulgere ſomno nobiſcum intelligeret, ſed his omiſſis, eam mentem Pontifici fuiſſe non putamus, ut *Solis ortu* criminum confeſſionem Fideles jam peregerint, divinamque Euchariſtiam acceperint; hinc ſequitur Pontifici quoque animum non fuiſſe, ut pro lucranda Indulgentia, Pœnitentiæ Sacramentum, & Euchariſtiæ præhabeantur Miſſæ, quæ *oriente Sole* cantari conſuevit. Hæc tradit P. Paſſerinus Ordinis S. Dominici olim Procurator Generalis, & Romanorum Tribunalium peritiſſimus (6): *Interfuentibus Proceſſionis Roſarii in prima Dominica menſis Paulus V. conceſſit Indulgentiam Plenariam, cum clauſula: pœnitentiæ, & confeſſis, & Sacra Communione refectis. Proceſſio vero ille haberi poteſt de mane, & in aliquibus locis de mane habetur; poteſt ergo haberi de mane tali tempore, ut commode fideles ante illam non poſſint confiteri, & communicare: unde non eſt veriſimile, quod Pontifex per illam clauſulam voluerit privare Indulgentia illos, qui commode ante Proceſſionem non poſſint confiteri, & Euchariſtiam ſumere; ſed potius dicendum eſt, ſufficere, ſi peccatores intuitu talis Indulgentiæ Deo reconcilientur, & Sacramentum Euchariſtiæ eadem die ſuſcipiant.*

XI. Cum hæc ita ſint, primum ſingulos hortamur, ut præcedenti die, ſi commode perficere id poſſint, peccata confiteantur, vel ſaltem animo contriti ſolemni Miſſæ aſſiſtant: ſin autem hæc prætermiſſa fuerint, Sacro tamen pie intereſſe non omittant, eoque peracto, culpas pœnitentiæ Sacramento penitus expurgent, Euchariſtiam ſuſcipiant, aliiſque neceſſariis rebus ſatisfaciant, atque ita pro certo teneant, ſe participes futuros Indulgentiæ, quam Pontifex tribuit, licet hæc eadem non abſolverint, antequam Sacrum conficiatur,

## INSTITUTIO XLIX.

*Excitantur Fideles, ut triduum pie ſuſcipiant in honorem Sanctæ Annæ in templo eidem nuncupato, ubi Calvaria ipſius publice exponetur, quæ ſane certiſſimis documentis comprobatur. Quo pacto & quo tempore Corpus S. Annæ ab Oriente in Galliam venerit. Quiſnam Calvariam Sanctæ Annæ Beato Cardinali Albergato dono dederit, & quonam pacto Bononiæ aſſervetur.*

I. INter inſignes, vetereſque Reliquias, quibus hæc Civitas prædita eſt, Cranium Sanctæ Annæ merito adnumerari debet, quod in templo Regularium Sancti Brunonis eidem S. Annæ dicato, magno cultu, ac religione ſervatur.

II. Eas Reliquias inſignes nuncupavimus, cum ad Matrem Beatæ Virginis Mariæ pertineant, pro cujus honore in Oriente primum, ac deinde in Occidente plurima templa condita fuerunt (7).

III. Eaſdem Reliquias certas appellamus: etenim perſpectum eſt omnibus, Beatæ Annæ corpus a Palæſtina delatum fuiſſe Conſtantinopoli circiter annum 750. cum Juſtinianus II. Imperium teneret, qui templum quoque magnificum S. Annæ tunc extruxit. Cognitum pariter habemus, Comitem Bleſenſem, qui in Græciam cum Balduino deſignato Orientis Imperatore profectus fuerat, in Galliam Caput Sanctæ Annæ circiter annum 1200. dono miſiſſe (8). Certum etiam eſt, Henricum VI. Angliæ Regem, qui Pariſiis ſuſcepto diademate Galliarum Rex declarari voluit, Cranium S. Annæ tribuiſſe Beato Nicolao Albergato Cardinali, & hujus Urbis Epiſcopo, cum perfunctus ultima Legatione fuiſſet. Ipſe vero ſuis Carthuſienſibus dono illud conceſſit, qui pretioſum munus in Eccleſia collocarunt. Cum hæc ita ſe habeant, difficile prorſus erit certioribus documentis has Reliquias probare, cum præſertim res hujuſmodi nullis rationibus ex Metaphyſica, ſeu Phyſica deſumptis oſtendi poſſint, ideoque certis hominum teſtimoniis ſatis confirmentur.

IV. Beatus Nicolaus Albergatus delatis circiter annum 1435. Bononiam his Reliquiis, magno cum honore a ſuis civibus exceptus fuit: *Nicolaus* (inquit Sigonius (9)) *egregie ab omnibus collaudatus in Italiam ſe recepit, ac Cranium S. Annæ Matris Beatæ Mariæ Virginis ab Henrico Rege dono acceptum pridie Kalendas Decembris Bononiam attulit, atque ingenti ab univerſis honore acceptus, Monachis ſuis Chartuſienſibus dono dedit, qui ei Oratorium S. Annæ in via S. Iſaiæ condiderunt, ubi nunc etiam aſſervatur.*

V. Eam ſane opinionem probitatis Sigonius, eamque ſanctitatis gloriam Beatus Albergatus conſecuti ſunt, ut Adrianus Baillet in rebus judicandis ſeveriſſimus has nobis Reliquias in dubium revocare auſus non fuerit (10).

VI. In Concilio per Sanctum Bonifacium coacto *Seculo octavo* Sacræ Reliquiæ *Patrocinia* vocantur (11). Inſuper Patres, rerumque Sacrarum ſcriptores teſtantur, eos populos peculiari quadam ratione ad pietatem excitari, ſpemque bonorum ob illius Sancti patrocinium, cujus Reliquiæ in ipſorum Civitate religioſe coluntur: *Itaque* (ait P. Theophilus Raynaudus (12)) *mirum non eſt, quod Deus intuitu Sacrorum Corporum in eorum veneratores ſit beneficentiſſimus, & ipſi Sancti, quorum alicubi jacent Corpora, ibi maxime ſuam apud Deum gratiam prodant, exorando multa bona, & magna munera iis, a quibus eo loco coluntur.*

VII. Expendendum pariter eſt, quod ſubdit (13): *Nec vero hic titulus venerationis ſpecialis Sanctorum reſtringitur ad integra Sanctorum Corpora; nam etiam particularum dumtaxat poſſeſſio ſatis ſuperque eſt ad excitanda hoc titulo ſpecialia fidelium ſtudia.*

VIII. Supervacaneum ducimus monere implorandam nunc eſſe majori ſtudio Sanctorum opem, ut beneficia a Deo percipiamus; illud omittere non poſſumus, Cranium Sanctæ Annæ in Eccleſia Carthuſienſium, cujus ſupra meminimus, non ſolum, uti mos eſt, die 29. hujus menſis Januarii, ſed etiam inſequentibus diebus 30. & 31. ejuſdem menſis palam exponi; omnes hortamur, ut in idem templum frequentes conveniant, ut honorem Sanctæ Annæ debitum perſolvant, ipſique hanc Civi-

(1) *In Summa Theol. Scholaſt. cap. 28. ſub tit. de Sacramentis quæſt. 6.* (2) *In lib. 4. Sentent. diſtinct. 21. quæſt. 2. art. 3.*
(3) *In lib. 4. Sentent. diſtinct. 20. §. 8.* (4) *Tom. 4. in part. 3. Divi Thomæ diſp. 52. ſect. 5.*
(5) *Quodlibet 2. art. 16.* (6) *In Tract. de Indulgentiis qu. 28. ſub n. 240.* (7) *Bolland. tom. 6. menſis Julii ad diem 26.* (8) *Tillemont. adnot. 3. ad vitam B. Virginis tom. 1.* (9) *In vita ipſius cap. 15.*
(10) *In vita S. Annæ die 26. Julii.* (11) *Ferrandus in diſquiſit. Reliquiaria pag. 206.*
(12) *Tom. 8. P. Raynaudi in opere, qui inſcribitur: Tituli cultus Sanctorum ſpecialis pag. 138.* (13) *Pag. 539.*

Civitatem, ac Diœcesim plurimum commendent. Accedit etiam, Indulgentiam iis concedi, qui, post Pœnitentiæ Sacramentum, susceptamque Eucharistiam in quocumque templo, per eos tres dies Sanctæ Annæ Ecclesiam inviserint, ejus Reliquiis cultum religiosum præbuerint, ipsamque Parentem Beatissimæ Virginis vehementer obtestati fuerint, ut Dei opem, subsidiumque nobis impetret tum in his, quæ ad præsentem vitam, tum in his, quæ ad perpetuam felicitatem spectant.

## INSTITUTIO L.

*De concessione Summi Pontificis, per quam carnium esus permittitur tempore incuntis Quadragesimæ. De origine, atque institutione ejusdem Quadragesimæ. Quibus de causis abstinentia a carnibus dissolvi per Quadragesimam possit. De piis operibus, quæ Pontifex præscribit in sua concessione. Quæ ratio tenenda sit in iisdem operibus faciendis, ut Pontificis concessio magno cum fructu jungatur.*

I. MAgistratus hujus Urbis publicæ sanitati conservandæ præpositus merito dubitavit, quin cives ex gravi morbo paulo ante liberati valetudinem iterum amitterent, & qui sani sunt ægritudinem contraherent, si cibis in Quadragesima præscriptis, illa jam proxime impendente, uterentur; graves etiam sumptus expendit, qui egenis necessarii essent, si post tot incommoda, ac detrimenta hoc anno accepta non solum carnibus per Quadragesimam abstinere, sed ovis pariter, ac lacticiniis deberent.

II. Hinc Medicos in Civitate principes consulendos præ cæteris omnino censuit, ut judicium de civium sanitate ferrent. Ipsi igitur acciti sunt, & examinata diligenter febrium causa, ac natura, quibus cives vexantur, perspecto convalescentium numero, aliorumque discrimine, ne sanitas labefactetur, in eo periculo cives constitutos judicarunt, ut frequenter morbis obnoxii futuri sint, si toto Quadragesimæ tempore eos cibos sumant, qui ab Ecclesia præcipiuntur, neque satis morborum causam auferri, si ova, ac lacticinia permittantur. Siquidem verissimum est, quod Sutor *de vita Carthusiana lib.* 1., integram valetudinem sine jusculo, & sine carnibus conservari ab illis posse, vel amissam recuperari, qui illarum usum non habent; contra vero, qui vesci carnibus soleant, si morbo aliquo premantur, vel ob delicatam corporis habitudinem morbis obnoxii sint, curari vix posse, nisi jusculo, & carnibus ipsorum imbecillitas adjuvetur.

III. Medicorum consilio per ipsos obsignato, & per Magistratum sanitatis ad nos delato, litteras ad Summum Pontificem dedimus, quibus rem totam explicavimus, scriptumque Medicorum consilium una transmisimus, ut Pontifex integre rem cognosceret. Etenim ex diuturna experientia in Sacris Romanis Congregationibus comparata intelligimus ad Sedem Apostolicam pertinere, Civitatem, Diœcesim, ac præsertim Provinciam, & Regnum a præcepto Quadragesimalis abstinentiæ liberare, cujus rei ea potissimum causa adducitur; nam si reliqui Episcopi hac facultate præditi essent, importunis precibus impulsi, vel habita quorumdam hominum ratione, singulis annis eam immunitatem concedere cogerentur, & hoc pacto abstinentia Quadragesimæ paulatim in desuetudinem abiret. Eorum sententiam prætermittimus, qui temere, vel imperite, sine ulla ratione, sed occulta in Sedem Apostolicam invidia permoti, eamdem facultatem cuilibet Episcopo tribuerunt, ita ut, si legitima causa intercedat, non modo privatos aliquos, sed Civitatem universam, ac Diœcesim a Quadragesimæ legibus dissolvere posset.

VI. Sanctissimus Pontifex responsum nostris litteris fecit, paternaque clementia nobis facultatem dedit, ut hanc Civitatem, ac Diœcesim immunes abstinentia Quadragesimæ hujus anni 1736. declaremus, certisque conditionibus abhibitis permittamus, ut carnibus utantur. Hæc eadem præsenti hac nostra declaratione promulgare intelligimus & Apostolica auctoritate carnium usum concedere per Quadragesimam hujus anni 1736., quem tamen interdicimus die primo Cinerum, vigiliis de præcepto, feriis sextis, ac Sabbatis, totaque Hebdomada Majori; nempe a Dominica Palmarum ad Sabbatum *inclusive* ejusdem Hebdomadæ, quibus diebus abstinentiam servare omnes tenentur. Monemus etiam aliquo subsidio egenos sublevandos Quadragesimæ tempore ter per hebdomadas pro eorum conditione, qui hac immunitate gaudere velint. Si facultas non suppetat erogandæ in egenos pecuniæ, rei per hebdomadam tertiam Rosarii partem Beatæ Virgini persolvent, cui hanc Civitatem, ac Diœcesim plurimum commendabunt. Declaramus autem juxta Pontificis voluntatem, ac nostram, qui illius jussa facimus, has conditiones necessario observandas omnibus, qui immunitatis ejusdem participes esse cupiant; qui eas neglexerint, & tamen abstinentiam Quadragesimæ non coluerint, de violato ipsius Quadragesimæ præcepto se reos esse coram Deo, & Ecclesia pro certo teneant.

V. Hic finem habere posset Institutio nostra: cum tamen delatum nobis fuerit, superioribus annis, cum Pontifex hujus Civitati, & Diœcesi lacticiniis uti per Quadragesimam indulsit, varias quæstiones excitatas fuisse non pravo quidem studio, sed cupiditate intelligendi, qua ratione immunitas Quadragesimalis abstinentiæ permitti posset, quæ ab Apostolis tradita in posteros dimanavit; utrum ad id legitima causa requiratur, an peculiares aliquæ causæ ad hoc beneficium obtinendum satis esse videantur; ideo pro muneris nostri ratione pauca subjiciemus, ut ii doceantur, qui has dubitandi rationes in medium protulerunt. Interim omnes hortamur, ne de iis rebus, quas ignorant, ac potissimum in hominum frequentia, verba facere audeant, sed potius Episcoporum judicia, quibus Ecclesiam regendam Deus tradidit, suis opinionibus anteponant; Nobis præsertim fidem habeant, qui in causis Canonizationum agendis tamdiu versati sumus, cum Fidei Promotoris munus ageremus. Expendant etiam perraro sapientiæ donum divinitus infundi, iisque plerumque concedi, qui fere ad sanctimoniæ apicem pervenerunt, quorum opera Deus uti consuevit, ut aliorum tenebras depellant, & in viam salutis adducant; silentium esse veluti stipendium ignorantiæ, quod solvere necessario debent omnes, qui nullam litteris operam dederunt: neque enim fas est iis sermonibus implicari, qui illorum superant ingenium.

VI. Esto igitur Quadragesimæ Institutum ab Apostolis repetendum sit, falsaque eorum sententia videatur, qui ipsius auctorem Pontificem Telesphorum putaverunt, nam illud unanimi Patrum consensu probatur, nempe ad Apostolos ea referenda, quæ *Ecclesia universa complectitur*, & quorum auctor ignoratur. *Id nos pariter ostendimus alio loco*, cum de Quadragesima sermonem haberemus (1); non tamen inde consequitur in Pontificis potestate non esse, ut aliquos abstinentia Quadragesimæ immunes declaret. Siquidem inter Apostolicas traditiones, quæ nullum dogma, sed mores tantum, ac disciplinam præseferunt, discrimen intercedit; alias induxerunt Apostoli, quas ex ipso Salvatore perceperunt, cum adhuc in terris degeret, vel postquam a mortuis surrexit per illud temporis spatium, donec in Cœlum ascendit; illas deinde Apostoli voce sua posteris demandarunt; de his inquit Sanctus Paulus in prima ad Corinthios Epistola: *ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis*: ac paulo post: *Præcipio non ego, sed Dominus*. Aliæ vero traditiones ab Apostolis quidem profectæ sunt, quas tamen ipsi a Christo Domino ante mortem, vel ante Ascensionem minime susceperunt; sed Ecclesiæ Rectores constituti, postquam in Cœlum divinus Præceptor reversus est, qua fuerunt auctoritate præditi, ea decreverunt, quæ pro ejusdem Ecclesiæ utilitate, ac felici administratione necessaria ipsis videbantur. De his ita loquitur S. Paulus (2): *Ego dico, non Dominus*. Has procul dubio traditiones magno honore prosequi debemus, non ejus tamen naturæ sunt, ut Romanus Pontifex pro illis dispensandis auctoritate careat (3). Itaque cum Quadragesimæ institutio ad primas traditiones, quæ divinæ potius nuncupandæ sunt, minime pertineat, sed ad secundas, quæ solum Apostolicæ vocari debent, facile intelligi potest, abstinentiam Quadragesimæ positam esse in Romani Pontificis facultate. Hæc tradit Melchior Canus (4) eadem ratione, quam nos explicavimus, & exemplo immunitatis inductus, quæ a Quadragesimæ abstinentia concedi solet. Idem Annatus (5), & Cardinalis Gottus (6) suis sententiis confirmant.

VII. Sed jam ad causam hujus immunitatis deveniamus, & eam explicemus, quæ satis esse judicetur, ac primum omittimus controversias, quæ inter Theologos, & Canonum Interpretes agitantur: utrum leges Ecclesiasticas absque ulla causa Romanus Pontifex solvere possit, an qui Pontificis auctoritate in hunc modum soluti sunt, in utroque Foro possint uti com-

pa-

(1) *Istit.* XV. (2) *Eadem Epistola ad Corinth.* (3) *P. Gregorius Valentia in Analysi Fidei Catholicæ tom.* 3. *Bibliothec. max. Pontific. tit. de tradition. Apost. pag.* 152. *P. Rabundus in suis exercitatio. Theolog. tom. exercit.* 1. *cap.* 2. §. 3.
(4) *Lib.* 3. *de Locis Theologicis cap.* 5. (5) *In Apparatu Theologic. posit. lib.* 3. *artic.* 1. *pag.* 200. *edition. Venet. an.* 1717.
(6) *In celebri Theologia Scholastic. Dogmatic. tom.* 1. *quæst.* 3. *dub.* 3. §. 1. *ac* 2.

parato privilegio: ea nobis probanda sunt, quæ a Tridentina Synodo præscribuntur (1), quæ vinculum legis aliquando, non tamen frequenter exsolvendum statuit, & causam semper ad id legitimam, ac præsentem requirit. Doctrinam quoque sequimur S. Bernardi (2), qui Pontificem Eugenium monet, ut hæc diligenter expendat, priusquam legem aliquam dissolvat: *Spiritualis homo ille, qui omnia dijudicat, ut ipse a nemine dijudicetur, omne opus suum trina quadam consideratione præveniat: primum quidem, an liceat; deinde an deceat; postremo, an expediat. Nam, etsi constat, in Christiana utique Philosophia non decere, nisi quod licet, non expedire, nisi quod decet & licet, non continuo tamen, omne, quod licet, decere, vel expedire consequens erit.* Et paulo post: *Facitis hoc, quia potestis, sed, utrum hoc debeatis, quæstio est, & quomodo.* Sententiam pariter a Theologis Moralibus propositam amplectimur, nempe graviorem causam esse necessariam, ut aliqua Civitas, Diœcesis, aut Provincia Quadragesimæ abstinentia liberetur, non aliter, quam si privatis quibusdam civibus eadem immunitas tribuenda sit; cum enim Quadragesimæ præceptum universos complectatur, ob peculiarem, vel dubiam causam infringi nequit; cum hæc ita se habeant, pro immunitate, de qua agimus, causam, & procul dubio sufficientem intercedere non est inficiandum. Siquidem, ut ait Pater la Croix (3): *Pro dispensatione universali, qua utentur etiam multi, in quibus forte causa non subsistit, uti, si dispetur propter communem penuriam piscium, quos tamen multi nobiles, & divites habere possent, videtur requiri certitudo causæ rationabilis nunc existentis, qualis esset periculum morborum &c. non quod certum esse debeat, tales morbos esse secuturos, sed quod nunc debeat certo esse prudens metus, & periculum, quod morbi sint inde probabiliter secuturi, ita ut requiratur certitudo periculi, non tamen certitudo eventus.*

VIII. Finem sermoni facimus, pauca aliqua monentes de stipe, quæ egenis ter in hebdomada pro cujusvis conditione, ac facultate persolvi debet; pauca etiam subjicimus pro illis, qui ob paupertatem egenos pecunia recreare nequeunt, & tertiam Rosarii partem, uti superius exposuimus, stipis loco subrogare tenentur, ut conditionibus ad immunitatem obtinendam Quadragesimalis abstinentiæ necessariis satisfaciant. Porro, dum res agitur de eleemosyna eas quæstiones prætermittimus, quæ inter Theologos de extrema, gravi, & communi, ut vocant, egenorum necessitate tractantur; missa quoque facimus, qua ratione divitum, aut naturæ, aut conditioni superflua censenda sunt; verum iis verbis utimur, quibus Deus cum in veteri, tum in novo Testamento usus est: Deuteronomii *cap.* 15. *Non deerunt*, inquit, *pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi.* In Evangelio S. Lucæ *cap.* 11. *Verumtamen, quod superest, date eleemosynam.* Sed illud terrere nos plurimum debet, quod Matthæus cap. 25. testatur, in supremo judicio, quod de universis hominibus Christo Domino commissum est, hoc pacto eos, qui a *sinistris* erunt, damnandos: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*; Deinde causam exponit: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi potum, hospes eram, & non collegistis me, nudus, & non cooperuistis me, infirmus & in carcere, & non visitastis me.* Videant, an his temporibus apte conveniant, quæ Propheta Ezechiel in Hierusalem scripsit, cum ipsi Dei indignationem, ejusque causam ediceret (4): *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus, & manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Tandem perpendant quid statuendum in nos videatur, quibus esus carnium his diebus ad jejunium consecratis permittitur, cum ex Patrum unanimi consensu jejunium rite observatum Deo jucundum esse nequeat, nisi cum eleemosyna simul conjungatur: *Jejunium*, inquit S. Gregorius (5), *Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur*; S. Leo Pontifex, cum de Quadragesimæ Instituto differeret, ita est loquutus (6): *In pauperes, & diversis debilitatibus impeditos benignior nunc largitas exeratur, & gratiæ Deo multorum voce referantur, & jejuniis nostris egentium refectio suffragetur*; Sanctus quoque Petrus Chrysologus hæc monuit (7): *Misericordia, & pietas jejunii sunt alæ, per quas tollitur, & portatur ad Cœlum, sine quibus jacet, & volutatur in terra*: Tandem Ivo Carnotensis eamdem sententiam his verbis prosequitur (8): *Tantum enim valet jejunium sine eleemosyna, & aliis operibus pietatis, quantum valet veteri tunicæ insertus pannus rudis.*

IX. Sed de recitanda ter per hebdomadam tertiam Rosarii parte dicendum superest, vel potius de pietate, quam in Beatam Virginem Mariam testari debemus. Supervacaneum fortasse videbitur de hac re sermonem instituere, cum hæc Civitas in honorem Divinæ Parentis tot sacras ædes condiderit; cum tot præclara ædificia magnis sumptibus extruxerit, ut commodiorem populo viam sterneret, qui magna frequentia ad Montem *Guardiæ* confluit, ut B. Virginis effigiem a S. Luca depictam veneretur; postremo cum magnificam a fundamentis Ecclesiam eodem in loco nunc erigat, ut cultus Beatæ Virginis magis propagetur. Attamen ut eos confirmemus, qui magno studio B. Virginem jam prosequuntur, aliosque incitemus, qui fortasse hac pietate careant, pauca aliqua ex sermonibus Sancti Bernardi delibabimus, qui cum de Nativitate Beatæ Parentis sermonem haberet, qui inscriptus fuit: *De aquæductu*, hæc præ cæteris tradidit: *Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus ad folia fugiebas. Iesum tibi dedit mediatorem; quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. An vero trepidas & ad ipsum? Frater tuus, & caro est, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi Fratrem Maria dedit:* Deinde ad Mariam confugiendum, si timor aliquis pro Divina Filii Majestate nobis irrepserit, his verbis hortatur: *Sed forsitan & in ipso majestatem verebare Divinam, quod, licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Non dubius dixerim. Exaudietur & ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater.*

X. In Sermone autem infra Octavam Assumptionis habito, cui titulus est: *De duodecim prærogativis Beatæ Virginis Mariæ*, hæc Sanctus Bernardus asserit, ut Fidelium animos erga Divinam Parentem magis inflammet: *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens lac, & lanam. Revolve diligentius Evangelicæ Historiæ seriem universam, & si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere vereris. Quod si (ut vere sunt) plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ; quæ ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum.* Si omnia persequi velimus, quæ super hac re S. Bernandus litteris commendavit, non exiguæ molis liber conficeretur, quare finem dabimus ea subjicientes, quibus idem ipse S. Bernardus utitur, ut B. Virginis opem exposcendam admoneat, ipsiusque vitæ exempla nobis imitanda: *In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, & ut impetres ejus Orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente, non corruis, ipsa protegente, non metuis, ipsa duce, non fatigaris, ipsa propitia, pervenis.*

## INSTITUTIO LI.

*Monentur Ecclesiastici, ut conveniant ad spiritualia exercitia S. Ignatii. De ipsorum origine, & maxima utilitate, quam illa pluribus attulerunt. Quam magni semper fecerint, & quantum commendaverint eadem exercitationes Summi Pontifices, & alii Ecclesiæ Præsules.*

I. PRima Feria VI. ineuntis Quadragesimæ, aliisque decem insequentibus sub horam diei vigesimam quartam cum Salutationis Angelicæ signum indicitur, Sacerdos ex Societate Jesu in templo sui Ordinis Sanctæ Luciæ dicato, nostræ hujus Civitatis Ecclesiasticos viros de more piis exercitationibus detinebit. Eas Sanctus Ignatius singulari Dei beneficio composuit; posterisque tradidit, posteaquam eximiam ipse utilitatem expertus fuerat, cum se totum Deo consecraverat. Iisdem exercitationibus adducti doctrina, ac pietate præstantissimi viri S. Franciscus Xaverius, Venerabilis Dei Famulus Paschatius Broe-

(1) *Cap.* 18. *Sess.* 26. *de Reformatione.* (2) *Lib.* 3. *de Consideral. cap* 4 (3) *In Theologia Morali lib.* 3. part. 2. *de Jejunio num.* 1308. (4) *Cap.* 16. (4) *Homil.* 16. *in Evangel.* (5) *Serm.* 10. (6) *Serm.* 8. (7) *Serm.* 14. *de Quadragesima.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Broërius, Faber, Lainetius, & Salmeron artiorem vitæ disciplinam, curamque æternæ salutis unice susceperunt (1). Illas congessit S. Ignatius, ut non modo in Societatem suam cooptati fructum perciperent, sed universi Fideles hac ratione virtutem, & innocentiam excolerent. Illas S. Franciscus Borgia, Societatis Jesu clarissimum lumen, Paulo III. exhibuit ut prius in examen vocatæ Pontificis ipsius auctoritate probarentur, omnisque invidiæ moles in Societatem concitata penitus extingueretur: *Quo latius* (ait Pontifex (2)) *ejus fructus pateat, & plures Christi fideles majori cum devotione ad utendum illius exercitiis invitentur*. Cum deinde Cardinalis Burgensis, & Salutiarum Episcopus ejusdem Cardinalis Vicarius Generalis, & præclarus Civis noster Ægidius Foscararius Ordinis S. Dominici, tunc Sacri Apostolici Palatii Magister, ac postea Mutinensis Episcopus delecti Examinatores unanimi consensu testati fuissent: *Dicta Exercitia pietate, ac sanctitate plena, & ad ædificationem, & spiritualem profectum Fidelium valde utilia, & salubria esse, & fore*: tunc per eumdem Pontificem confirmata fuerunt, cunctisque Fidelibus proposita, ut fructum ex illis desumerent: *Debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius, & ab eo instituta Societas præfati in Ecclesia Dei ubique gentium producere non cessant, & ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta Exercitia tulerunt, non immerito habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Documenta, & Exercitia prædicta, ac omnia, & singula in eis contenta auctoritate prædicta tenore præsentium ex certa nostra scientia probamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus* (3). Hæ piæ Exercitationes, cum de S. Ignatio cooptando inter Sanctos ageretur, magnum causæ pondus, ac momentum contulerunt, uti plane cognoscitur *ex Relatione*, quam Romanæ Rotæ Auditores pro illius temporis Instituto, ac more confecerunt. Siquidem ipsius Exercitiis diligenter examinatis, S. Ignatium summa rerum spiritualium cognitione præditum fuisse affirmaverunt. De illis Sancta Mater Ecclesia hæc asserit (4). *Illum composuit Exercitiorum librum Sedis Apostolicæ judicio, & omnium utilitate comprobatum*. Postremo Clemens XI., cum litteras ad omnes Episcopos Italiæ, Insularumque adjacentium scriberet die 1. Februarii anno 1710., ipsos jussit omnem diligentiam impendere, ut Rectores Animarum, Confessarii, Sacerdotes, Beneficium aliquod obtinentes, & Clerici piis ejusmodi exercitiis operam darent, hujusque rei causam hanc potissimum inter cæteras exponit: *Cum diuturna experientia compertum sit, ad retinendam, conservandamque Sacerdotalis Ordinis dignitatem, & sanctimoniam maximopere conducere, ut Ecclesiastici Viri spiritualibus Exercitiis aliquando vacent, quibus, quidquid sordium de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, Ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad Divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur, vel confirmatur*. Quamobrem viros Ecclesiasticos nobis subjectos magnopere hortamur, ne hanc utilitatem ipsis propositam prætermittant. In mentem revocent S. Hieronymi sententiam, ut rem magna cum alacritate suscipiant (5): *Non solum Episcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone, ac scientia præcedant, verum etiam & inferioris gradus Exorcistæ, Lectores, Æditui, & omnes omnino, qui domui Dei deserviunt; quia vehementer Ecclesiam Dei desiit, meliores Laicos esse, quam Clericos*. Exactam prius vitæ rationem serio perpendant, eodemque tempore S. Gregorii sermonem: *De Officio, seu Cura Pastorali*: diligenter percurrant: *Nullum puto*, inquit, *ab aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus, tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vocamus, Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus, locum Sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur*. Postremo videant, utrum ad publica theatra, vel convivia fortasse convenerint, an pro remissione animi tempus in iis rebus insumpserint, quæ saltem per sacros Canones, & Pontificum Constitutiones minime commendantur; post hæc secum deliberent, an pias Exercitationes Pontificum auctoritate confirmatas probatasque omittere possint, ut si quem anteactæ vitæ moribus offenderint, ad meliorem sui opinionem traducant, vel ut ignem pietatis excitent in ipsis penitus extinctum, vel prope jam extinguendum ob vitæ rationem, quæ longe ab Ecclesiastici viri dignitate abhorret, & laici ipsis vix permitti posse videtur.

## INSTITUTIO LII.

*Proponitur omnibus Ecclesiis, Monasteriis, & Locis Piis Urbanis, ac Diœcesanis, ut deferant in Officinam monetariam vasa argentea superflua, vel necessario alienanda, ut æs alienum contractum dissolvant. Quam ob causam id proponatur. De ratione, ob quam initio Ecclesiæ, sola Episcoporum facultate interposita, vasa pretiosa Ecclesiarum distrahebantur. Quomodo pro hac re gerenda Sedis Apostolicæ auctoritas nunc requiratur.*

I. Die XVI. Septembris anno 1733. Chirographum Cardinali Urbis Vicario inscriptum Pontifex obsignavit, quo facultatem ipsi concessit, ut, nulla habita judicii forma, vasa argentea cognosceret, quæ Sacris Ædibus, Locisque Piis Regularium, & Sæcularium supervacanea viderentur, & quænam impendi possent, ut æs alienum dissolveretur, vel ob aliam causam, quæ æquitati consentanea judicari deberet. Singulos deinde Pontifex monebat eadem vasa in Officinam Monetariam deferre, ut auri, argentique, qua plurimum Urbs laborabat, leveretur. Pontifex autem pro his rebus nullum fructum afferentibus *Loca fructifera Montium*, ut ajunt, *Novo Monti* Sancti Petri superaddita exhibuit, quæ singula 100. scutatis constarent, licet in Urbe pluris haberentur, ob eam fortasse causam, ne factæ pro elaborandis argenteis vasculis expensæ amittantur. Quare Cardinalis Vicarius ut Pontificis jussa faceret, Præfectos Ecclesiarum, Locorumque Piorum hortatus est, ne oblatam utilitatem prætermittant ad augendos redditus Ecclesiarum, Monasteriorum, Sodalitatum, & Locorum Piorum, quæ sibi commissa sunt.

II. Quod quidem Chirographum, quoniam Loca Pia non solum Urbis, sed totius etiam Ditionis Ecclesiasticæ complectebatur, ad nos pariter transmissum fuit, ejusque publicandi munus traditum. Quare typis illud evulgari, & consuetis locis affigi curavimus.

III. Sed ea exhortatio optatum finem non obtinuit: neque enim audivimus ullam hujus nostræ Civitatis sive Ecclesiam, sive Sodalitatem argentea vasa ad officinam monetariam Romam misisse; atque id quidem duplici de causa omitti potuit, vel quia nulla tunc necessitate cives urgebantur, vel quia rerum ejusmodi trasvectio magni simul dispendii, ac laboris videbatur. Itaque, cum hæc impedimenta sublata sint: nam ob temporum calamitates graviori necessitate premimur, & ratio quædam inventa est, quæ Sæcularium, ac Regularium Ecclesiis & Locis Piis hujus Civitatis, ac Diœcesis valde utilis judicatur, ut, iis argenteis divenditis, æs alienum penitus extinguatur, ideo jussu Pontificis eamdem exhortationem renovamus, cui neminem contrarium fore confidimus.

IV. Pontifex igitur infelici hujus Urbis conditione permotus, & numeratæ pecuniæ inopia pro publicis, privatisque negotiis facilius transigendis; intelligens quoque Sacra Altaria decentibus ornamentis spolianda non esse, sanctisque sanctionibus caveri, ne pretiosa supellex Ecclesiarum, & Locorum Piorum alienetur, vel distrahatur, nisi prius causæ cognoscantur, & Sedis Apostolicæ facultas intercedatur, die 11. Februarii hujus anni 1736. datis ad nos litteris per Cardinalem Ministrum a Secretis totius Ditionis Ecclesiasticæ, præcipit, ut omnes Præfectos Ecclesiarum Sæcularium, ac Regularium hujus Civitatis, ac Diœcesis iterum monemus, ut vasa argentea in Officinam hujus Urbis monetariam deferant, si quæ superflua obtineant, aut aliqua vendenda existiment, ut se alieno ære dissolvant. Pro hac autem necessitate, vel redundantia sine ullo judicio dijudicanda nobis auctoritatem concessit. Illis vero, qui vasa argentea, ut dictum est, offerre deliberent, Loca Montium, quæ in hac Urbe constituta sunt pro vasorum pretio decernentur.

V. Utilior sane conditio Locis Piis, & Ecclesiis proponi haudquaquam potuit. Nam hoc pacto ea fructuosa redduntur, ex quibus nullum antea emolumentum percipiebatur: æs alienum extinguitur, pro cujus usura solvenda res publicæ, ac privatæ, sacræ, & profanæ maximum capiunt detrimentum, ac perniciem. Quod si pro accepta pecunia nullum fœnus debeatur, tamen nisi solutio fiat, quæstus, & clamores per Urbem disseminantur, & integræ civium familiæ, & opifi-

(1) *P. Maffejus in vita S. Ignatii lib. 1. cap. 8. & cap. 21.*
(2) *In Constitut. data anno 1548.*
(3) *P. Suarez tom. 4. de Religione lib. 9. c. 5.*
(4) *In 2. lect. Officii S. Ignatii.*
(5) *In cap. 2. epist. ad Titum.*

opifice aliorum pecuniâ gravati in extremam plerumque calamitatem adducuntur. Ea quoque utilitas in hoc negotio magni facienda est, quod vasa argentea in alium locum cum impensa, ac periculo transferri minime debent. Postremo Sedis Apostolicæ auctoritas non deest, neque causa sufficiens, ac necessaria, ad quam cognoscendam nullum judicium instituendum est, ob traditam nobis facultatem, quam superius explicavimus.

VI. Quamobrem, ut Summo Pontifici morem geramus, magnopere hortamur singulos Præfectos Ecclesiarum, quæ spectant ad Regulares, aut Sæculares Presbyteros, Monachos, Clericos Regulares, vel Sæculares, Moniales nobis vel Regularibus subjectas; Sodalitates etiam, & Loca Pia nostræ Civitatis, ac Diœcesis, ut vasa argentea in officinam monetariam hujus Urbis deferant, quæ nempe supervacanea sunt, vel distrahi necesse est, ut ære alieno cum fœnore, vel sine usura contracto liberentur. Pro illorum pretio Loca Montium accipient, quæ in hac eadem Civitate statuta sunt. Vicarius noster Generalis de vasis superfluis, vel necessario alienandis dijudicabit; ideoque Præfecti Sacrarum Ædium, quas modo enumeravimus, cum ipso rem transigent, qui cognita prius alienationis causa sine ulla judicii forma indicem vasorum obsignabit, antequam officinæ committantur. Reliquos vasorum indices, qui per Vicarium nostrum obsignati non fuerint, nullius momenti habendos decernimus, cum debita causæ cognitio haudquaquam intercedat. Qui neglecta hac conditione, vasa distraxerit, eum censuris alligatum declaramus, quod sine Apostolicæ Sedis auctoritate rem gesserit. Hæc statuimus ut Pontificis voluntati pareamus; qui Cardinali Romæ Vicario per Chirographum indixit vasa obsignare, priusquam ad officinam deferrentur, nobisque per eas litteras, quas superius memoravimus, præcepit, ut ejusdem Chirographi sententiam omnino sequamur.

VII. Dissertationem de argentea, aureaque templorum supellectili, licet nobis haud multum difficilem, conficere prætermittimus: opulenta quidem vasa, ac splendida, ea nempe, quæ necessaria sunt in Ecclesiis, plurimum commendantur. De his Anastasius Sinaita, qui floruit sexto sæculo ita scriptum reliquit (1): *Sed sunt etiam Ecclesiæ, quibus desunt aliqua utensilia necessaria, & istis offerenda sunt ea, quæ desunt*; sed antea Sanctus Ambrosius hæc tradiderat (2): *Maxime Sacerdoti hoc convenit, ornare Dei Templum decore congruo, ut etiam hoc cultu Aula Domini resplendeat*. Si de vasis superfluis agatur, S. Hieronymi libenter opinionem amplectimur: *Alii ædificent* (inquit (3)) *Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deaurent capita pretiosum ornatum non sentientia, ebore, argentoque valvas, & gemmis aurata distinguant Altaria: non reprehendo, non abnuo: unusquisque in sensu suo abundet; meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare*. Illiud advertendum ducimus, primis Ecclesiæ sæculis quæcumque Sacra Vasa superflua sive necessaria essent, approbatione solum Episcoporum alienari consuevisse, ut pauperes alerentur, vel captivi in libertatem redderentur, uti Possidius in vita S. Augustini commemorat (4): *Nam & de vasis Dominicis propter captivos, & quamplurimos indigentes frangi, & conflari jubebat, & indigentibus dispensari. Quod non commemoraſſem, nisi contra carnalem sensum quorumdam fieri prævidissem. Et hoc ipsum etiam venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum & dixit, & scripsit*. De Apologia S. Ambrosii sermo est (5), quam evulgaverat, ut ab Arianorum invidia se vindicaret, cum divenditis Ecclesiæ vasis captivos redemerat: *Ut nos aliquando in invidiam incidimus, quia confregimus vasa mystica, ut captivos redimeremus, quod Arianis displicere potuerat; nec tam factum displiceret, quam ut esset, quod in nobis reprehenderent*. Rerum Sacrarum Scriptores plura quoque exempla memoriæ prodiderunt, quæ P. Theophilus Raynaudus complexus est (6), ac præsertim Sancti Hilarii Arelatensis, Hugonis Gratianopolitani, Helfeghi Angli, & aliorum, qui sacra Vasa charitati impendere non dubitarunt. Cum tamen hæc disciplina sapienter immutata fuerit, nec vasa, licet superflua distrahi possint, nisi legittima causa, & Pontificis auctoritas interveniat, nemo sane, qui perpendat publicam calamitatem, de vasis tantum superfluis rem agi, quæ Judex Ecclesiasticus ad æs alienum solvendum sub hasta collocare potest, si cogitet etiam Pontificis facultatem haud deesse, nemo, inquam, poterit ullo modo improbare; si eadem vasa non modo distrahantur, sed pro templorum utilitate in rem fructuosam convertantur, cum nullum ex ipsis emolumentum antea redundaret. Videant etiam ex fructibus, quæ singulis annis percipientur, temporisque beneficio eadem vasa, quæ nunc officinæ traduntur, iterum comparari posse; nec defuturos pios Fideles, qui novis muneribus Ecclesias cumulent. Id sæpius exemplis Deus comprobavit, de quo Honoratus Massilienſis in vita S. Hilarii Arelatensis sermonem habet, ubi postquam retulit, pretiosa Ecclesiæ Vasa pro levandis publicis calamitatibus a S. Episcopo Hilario destructa fuisse: *Numquidnam poterit existimari, quantum visceribus ejus insederit pietas, qui usque eo credidit omnia distrahenda, quousque ad Patenas, vel Calices vitreos veniretur*; hæc subdit: *Accendit studia offerentium dispensatione laudabili; nec, ut fatigaret, rejecit, sed, ut iterato offerrent, uberius excitavit*.

## INSTITUTIO LIII.

*Promulgatur Indulgentia Plenaria, quam Pontifex elargitur in forma Jubilæi. Quo pacto præscriptis operibus satisfaciendum sit, ut eadem Indulgentia comparetur. Quo etiam pacto temporariæ pœnæ ob hanc Indulgentiam dimittantur. Quas ob causas hujusmodi Indulgentia a Summis Pontificibus concedi soleat.*

I. SUmmus Pontifex gravissimas horum temporum calamitates animo perpendens, quibus eripi nullo modo possumus, nisi prius expiatis nostris criminibus Dei amicitiam, gratiamque nobis iterum conciliemus, plenariam Indulgentiam, & culparum remissionem omnibus impertitur, qui aliquam inter Ecclesias a nobis designandas semel saltem visitaverint in illa hebdomada, quam sibi quisque pro comparanda Indulgentia constituet, ibique Deum quo poterit maximo studio obtestabitur, ut præsentes calamitates depellat, hæreses extinguat, Christianos Principes in concordiam deducat, & S. Matris Ecclesiæ dignitatem, & gloriam in dies magis amplificet. Jejunium præscribit Feria quarta, sexta, ac Sabbato, criminum Confessionem, Sanctamque Eucharistiam rite suscipiendam indicit, egenos pariter ea stipe sublevandos, quam pietas uniuscujusque suadebit. Hæc omnia duabus hebdomadibus perficienda decernit, nempe in altera ex illis duabus, quas inferius statuemus.

II. Quamobrem, ut jussis, ac voluntati Pontificis pareamus has in Civitate Ecclesias visitandas nominamus: *Metropolitanam S. Petri*, Ecclesiam *Corporis Domini*, illam *S. Mariæ Pietatis Mendicantium*, ac postremo Ecclesiam *Sanctorum Jacobi, & Philippi*, quæ ad Moniales *Conversas* pertinet. In Diœcesi Parochialem cujuscumque loci Ecclesiam constituimus. In Civitate quamcumque libuerit ex nuncupatis quisquis eligere potest, in qua preces effundat pro iis causis, quas modo enumeravimus.

III. Cum Pontifex Indulgentiæ tempus duabus hebdomadibus concluserit, ideo quartam hujus Quadragesimæ, & Passionis alteram habedomadam in Civitate sancimus, spatium nempe, quod a die 11. Martii ad 24. ejusdem mensis continetur. In Diœcesi autem hebdomadam Passionis, & Majorem hebdomadam edicimus, spatium nempe, quod a die 18. Martii ad 31. ejusdem mensis interponitur, ut qui in Civitate, ac Diœcesi versantur, præscriptis operibus commode satisfaciant, & Indulgentiam assequantur: etenim ipsa non tam facile in Diœcesi, quam in Civitate promulgari potest.

IV. Verum de injunctis piis operibus sermonem habeamus. Licet post acceptam etiam immunitatem a Quadragesimali abstinentia huic Civitati, ac Diœcesi per Summum Pontificem hoc anno concessam, singulis Feriis sextis, ac Sabbatis jejunium servandum sit, nec usus carnium, nec ova permittantur, idque in majori pariter hebdomada præcipiatur, tamen si jejunium fiat, in Civitate quidem Feria quarta, sexta, ac Sabbato quartæ hebdomadæ, vel hebdomadæ Passionis, in Diœcesi autem Feria quarta, sexta, ac Sabbato ejusdem hebdomadæ passionis, aut Majoris hebdomadæ, idem jejunium pro lucranda Indulgentia satis esse declaramus, licet iidem dies, uti dictum est, jejunio obligentur propter eam immunitatem, quam supra commemoravimus.

V. Id vero de eleemosyna statuere non possumus, quæ Indul-

(1) *Lib. 9. Bibliot. Patrum pag. 980.* (2) *Lib. 2. de Officiis cap. 21.* (3) *In epist. ad Demetriadem.*
(4) *Cap. 24.* (5) *Ambr. in lib. 2. de Offi. cap. 28.* (6) *Tom. 12. in lib. qui inscribitur* mala e bonis Ecclesiæ, *cap. 4. num. 6. & seqq.*

dulgentiæ causa necessaria est. Nemo enim potest illam subrogare, quam ter in hebdomada impendere solet, si carnibus vetici per Quadragesimam juxta Pontificis facultatem cupiat. Alia pro Indulgentia præcipitur, alia vero pro eadem immunitate obtinenda: Idem de præcepto Paschalis Communionis decernendum est, quod a Dominica *Palmarum* ad Dominicam *in Albis* circumscribitur. Nemo sane putet in Diœcesi, ubi pro comparanda Indulgentia hebdomadæ Passionis, ac Palmarum propositæ sunt, eadem Paschali Communione utrique mandato satisfacere. Siquidem, cum diversa illa sint, tenel pro acquirenda Indulgentia, atque iterum Paschalis præcepti gratia Divina Eucharistia percipienda est. Immo, qui post Paschalem Communionem, & Confessionem, lethalem culpam admiserit, ad Pœnitentiæ Sacramentum rursus accedere debet, cum Indulgentiam adipisci deliberet.

VI. Hæc profecto communi Theologorum doctrina confirmantur. Primo enim disputant, an opera, quæ alioquin debita sunt, ad parandam Indulgentiam satis habeantur; Secundo, an peccatorum confessio, tanquam præscriptum opus necessaria sit, vel tantum requiratur, ut animi ad gratiam, atque Indulgentiam accipiendam præparentur, adeoque sufficere possit eorumdem dolor, & contritio; vel, si quis culpæ lethalis innocens sit, an ubique Sacramento Pœnitentiæ Indulgentiam consequatur. Primam quæstionem ita ditimunt, rem totam, ex voluntate concedentis Indulgentiam pendere, qui largiri illam potest opera indicens, quæ ob aliam causam persolvi debent. In altera vero quæstione afferunt, verba sedulo examinanda, quibus Indulgentia promulgatur. Peccatorum tamen Confessionem illi omnino necessariam existimant, licet non præcipiatur, qui lethalem culpam contraxerit. Nam Indulgentia pro idoneis tantum conceditur, qua conditione illi carent, qui Sacramento Pœnitentiæ lethalia crimina non expurgaverint, quemadmodum, qui gravi labe inquinatur ad Eucharistiam rite accedere non potest, licet dolorem etiam perfunctum de patratis criminibus animo concipiat; sed ipsorum confessio necessaria est, uti Passerinus ex Ordine S. Dominici, & P. Viva Societatis Jesu præstantes Theologi fuse demostrant (1).

VII. Nos quidem ex allata Nobis Indulgentia clare cognovimus a Summo Pontifice probari jejunium Romæ Feriis quarta, & sexta, ac Sabbato, licet ratione Quadragesimæ persolvendum illud sit, non tamen ex eadem Indulgentia, quam Pontifex jubet evulgari in hac Civitate, ac Diœcesi quotocyus fieri potest, aliquid deprehendimus, ex quo judicari queat, inter opera præscripta Communionis, & Eleemosynæ, Paschalem etiam Communionem, eamque contineri posse eleemosynam, quæ in egenos erogata est illis, ut facultate comedendi carnes in Quadragesima gaudere possint. Ob hanc causam superius affirmavimus, jejunium quidem Quadragesimæ etiam pro Indulgentia satis esse, eleemosynam vero pro Indulgentia, & pro immunitate Quadragesimæ simul obtinenda, Communionem quoque pro eadem Indulgentia, & pro Paschali etiam præcepto sufficere nullo modo posse. Illud pariter asseruimus illi necessariam omnino esse criminum Confessionem, qui Indulgentiam expetat, & post Confessionem in Paschate peractam gravi iterum culpa teneatur. Accedit ex verbis Pontificis Indulgentiam elargientis haud constare, utrum Confessionem solum exquirat pro disponendis ad Dei gratiam animis, an vero illam tanquam opus necessarium præscribat. Quare gravissimi Scriptores hortantur ad Confessionem peragendam pro Indulgentia, quamvis nullum lethale crimen admissum fuerit: Tunc levia peccata Sacerdoti exponenda, vel etiam lethalia, quæ jam Pœnitentiæ Sacramento detersa fuerint. Hæc habet Bellarminus (2), qui S. Antonini, Adriani, Cardinalis Cajetani, & Navarri auctoritate utitur; hoc etiam feliciter explicat P. Constantinus (3).

VIII. Hæc de injunctis operibus monenda putavimus. Nunc superest ut populo nobis commisso in memoriam adducamus Pœnitentiæ Sacramento crimina quidem, pœnasque æternas condonari, sed luendas adhuc temporarias plerumque superesse. Quare cum perpauci suis criminibus satisfacere piis operibus contendant, clementissimus Redemptor noster ob singularem in nos charitatem hominum calamitati prospexit, & opulentissimum in Ecclesia thesaurum suorum meritorum reliquit, quæ per mortem, cruciatusque suos congessit; præclara etiam merita B. Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum, Martyrum, aliorumque Cœlitum Ecclesiæ largitus est, quibus divitiis spiritualibus distribuendis Apostolorum Principem S. Petrum, Romanosque Pontifices in ejus locum sufficiendos præposuit. Illos enim sui Vicarios in terris constituit, & claves Regni Cœlorum, plenamque ligandi, atque solvendi potestatem iisdem concessit.

IX. Id Clemens VI. his verbis aperte declaravit (4): *Quem quidem Tesaurum non in Sudario repositum, non in agro absconditum* (de merito Passionis Christi Domini infinito res agitur) *sed per Beatum Petrum Cœli Clavigerum, ejusque Successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum &c. Ad cujus quidem Thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum a primo Justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur.* Insuper S. Thomas, & S. Bonaventura sapientia, ac sanctitate clarissimi, licet in variis opinionibus dissimiles eamdem rem confirmarunt centum annis, priusquam Clemens VI. suam Decretalem conficeret; quod Cardinalis Pallavicinus (5), & Doctor Ellius sapienter advertunt (6).

X. Hac divina facultate præditi Pontifices hunc Thesaurum sæpius recludunt, & legitimis adducti causis variis temporibus nunc limitatam, nunc plenissimam pœnarum omnium remissionem impertiunt, quas vel in hac vita, vel in Purgatorio ob scelera nostra luere debemus. Olim non adeo liberales Pontifices extiterunt, uti S. Thomas refert (7); qui tradit, Indulgentiam quinque annorum tribui illis consuevisse, qui transmare positi ad invisenda Sanctorum Petri, & Pauli templa Romam se conferebant; trium annorum Indulgentiam illis, qui ob eamdem causam ultra Montes degentes ad Urbem profecti essent; unius vero anni Indulgentiam iis, qui ex vicinioribus Provinciis hoc iter susciperent. Cum tamen hoc tempore ob gravissimas rationes pœnæ a Canonibus præscriptæ rursus induci nequeant (8), majori liberalitate Pontifices utuntur, ut Fideles impensius ad Deum confugiant, cum necessitas postulat, ut cultus Deo præstetur, & animarum saluti facilius provideatur: *Respondemus* (ait Bellarminus (9), *Tesaurum meritorum Christi, & Sanctorum esse veram causam, cur Indulgentiæ concedi possint; sed præter istam causam requiri aliam, quæ moveat ad dispensandum Thesaurum hoc tempore potius, quam alio, & nunc magis, nunc minus liberaliter: non enim debent Pontifices relaxare pœnitentialem satisfactionem, neque recurrere ad Thesaurum, nisi quando judicant, id esse necessarium, & utile ad gloriam Dei, & animarum salutem.*

XI. Hujus liberalitatis causas expendere pretermittimus, atque utrum æqualitas quædam inter opus injunctum, & Indulgentiam intercedat. *Observandum est* (prosequitur Bellarminus) *justam quidem semper causam requiri, sed non esse subditorum judicare, utrum causa sit justa, vel injusta, debent enim simpliciter existimare, justam esse.* Ad nos pertinet summas Deo gratias exsolvere, qui his temporibus versamur, quibus hic cœlestis Thesaurus frequenter, ac liberalissime patet. Ad nos etiam spectat omnem curam impendere, ut his spiritualibus divitiis cumulemur, ea diligenter fructuoseque opera perficientes, quæ decernuntur, quæ si negligenter suscepta fuerint, Thesaurum Indulgentiæ nequidquam expetimus. Sanctus Pontifex Gregorius VII. (10) Remigio Episcopo plenariam Indulgentiam largitus fuit: *Absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate Principis Apostolorum fulti, tibi mittere, dignum duximus; si tamen, bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum vulneris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* Cardinalis autem Baronius (11) postquam eam sententiam exposuit, *Ut apparet* (inquit) *Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis otiosis, ac negligentia torpescentibus.* Cardinalis Cajetanus (12) ad obtinendam indulgentiam censuit non modo præscriptis operibus satisfaciendum, sed etiam necessario deliberandum, salutari pœnitentia criminum labes peculiariter expiare; id qui facere contemnat, cum possit, nullum ex Indulgentia fructum percipere. Cardinalem Cajetanum Navarrus

(1) *In Tractatu de Indulgentiis quæst.* 48. *per tot. & quæst.* 41. *In Tractatu de Jubilæo quæst.* 8. *art.* 1. *&* 3.
(2) *De Indulg. lib.* 1. *c.* 13. *§. qu.* 3. *Controv. tom.* 2. (3) *Theoric. & Praxi Jubilæi part.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 3.
(4) *In decretali*: Unigenitus *inter Extravagantes commun. de Pœnit. & Remissionibus.* (5) *In Hist. Concil. Trid. lib.* 2 *c.* 5. *num.* 8. (6) *In lib.* 4. *Sentent. distinct.* 20. *§.* 4. *&* 5. (7) *In* 4. *dist.* 20. *qu.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad quartum.*
(8) *Card. Pallavicin. in sua allata hist. lib.* 24. *c.* 12. *a.* 6. (9) *In Tract. de Indulgent. lib.* 1. *c.* 12. *in to.* 2. *suarum controv.* (10) *Lib.* 1. *Epist.* 34. (11) *Ad annum. Christi* 1073. *n.* 71. (12) *In Tract.* 10. *de suscipient. Indulg. quæst.* 1.

(1) quoque sequitur; licet alii plures eam sententiam nequaquam probent; & nos ipsi, quibus opinionum novitas displicet, illam pariter omittamus. Nullum quippe Diploma Pontificium pro concedendis Indulgentiis unquam vidimus, in quo ea singularis conditio præferatur. Singulis tamen Cardinalis Bellarmini (2) doctrinam proponendam ducimus: *Accipiunt prudentes Christiani Pontificias Indulgentias, ut simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus facere.* Illam Cardinalis Pallavicinus cum de usu Indulgentiarum sermonem habet, his verbis explanat (3): *Neque sane Fideles Indulgentiarum causa negligentes fiunt, ut pro expurgandis criminibus alia pietatis opera Deo minime persolvant. Cum enim ancipites sint, utrum reipsa Indulgentiam sibi merucrint, stimulo quodam incitantur, ut pro cœlesti hoc Thesauro tutius comparando varias salutaris pœnitentiæ rationes aggrediantur; ex alia parte injuncta pietatis opera, si fiant, studium religionis adaugent, & quamdam facilitatem inducunt, ut illis similia suscipiantur, quod ferme quotidiana experientia comprobatur.*

XII. Postremo notum facimus a Summo Pontifice facultatem tribui Confessariis, ut opera præscripta aliis commutent, cum de Monialibus agitur, seu de Oblatis, Puellis, aliisque Regularibus Claustro detentis, & reliquis omnibus, qui corporis ægritudine, vel alia legitima causa impediti perficere nequeant opera, quæ superius enumeravimus.

## INSTITUTIO LIV.

*De Conviviis, quæ parari solent in Diœcesi, cum Officia pro Defunctis indicuntur. Quam magnum discrimen inter veteres Christianorum Agapas, & recentia convivia intercedat. Quot detrimenta, & quam gravia ex his dimanent. Eadem convivia vehementer improbantur. Ratio præscribitur conservandæ pecuniæ, quæ confertur, dum Officium celebrari debet.*

I. CUm Divina Officia in hac nostra Diœcesi indicuntur pro aliquo Defuncto, aut pro universis Fidelibus, qui in Purgatorio cruciantur, a quibusdam Parochis convivia institui nobis delatum fuit, quibus interfunt cæteri Parochi, ac Sacerdotes, qui rem divinam in illa Ecclesia confecerant, sanctoque Officio cum reliquis perfuncti sunt.

II. In aliis locis hujus pariter Diœcesis Officia decernuntur pro Messis conservatione; pecunia congeritur, & plura Missarum Sacrificia peraguntur ab accitis Parochis, & Sacerdotibus, qui deinde ad mensam vocantur ab Ecclesiæ Custode, seu Præfecto, & non semel Sæculares etiam cum viris Ecclesiasticis in his conviviis permiscentur.

III. Qui de illis, eorumque causis, ac de convivarum conditione sermonem audiat, ejusmodi convivia illis comparanda putabit, quæ veteres Christiani nuncupabant *Agapas*, & quæ Tertullianus *cap.* 39. *Apologetici* his verbis Senatui Romano plane recenset: *Inopes quoque refrigerio isto juvamus &c. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit: non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes cupiunt, bibitur, quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulatur, ut qui sciant, Dominum audire: Oratio convivium dirimit.*

IV. Ipse Plinius, licet Ethnicus, cum de Christianorum conviviis ad Trajanum scriberet, quæ in ipsorum cœtibus fieri solebant, casta, sanctaque fuisse testatur.

V. Non hæc sane ad nos perferuntur de conviviis, quæ ob allatas superius causas in hac Diœcesi statui consueverunt. Etenim non ignoramus sæpius accidisse, ut immoderatæ lætitiæ, vino, epulisque plus æquo nonnulli indulserint, remotisque mensis reliquum diei alea contriverint.

VI. Ex his corruptelis aliæ quoque non levis momenti dimanare solent. Aliqui inter Parochos ejusmodi convivia suis expensis instituunt, quod molestum, ingratumque plurimis est, qui licet rei familiaris angustia premantur, tamen sibi propositum exemplum sequi coguntur. Insuper aliqui Præfecti, seu Custodes magno sumptu, atque opulentia mensam paraverunt; hinc sequitur, ut cæteri non ita facile eamdem provinciam suscipiant.

VII. Aliqui vero Parochi, & Custodes quoque consilium ineunt plenum utilitatis, ne privatæ ipsorum res capiant detrimentum. Scilicet ut mensam splendidius extruant, & convivas lautius excipiant, partem ejus pecuniæ retinent, quæ pro expiatione Defunctorum impendi deberet, vel in Sacris Deo persolvendis ut præsentes calamitates longe depellat. Quamobrem Fideles aliqui subsidium Defunctis reddere prætermittunt, infensi per Urbem sermones feruntur, veteresque, ac recentes quærimoniæ excitantur, Sacerdotes lante vivere iis stipendiis, quæ pro Missarum Sacrificiis, vel Defunctis sublevandis conferuntur.

VIII. Librum primum Regum, & alios qui sequuntur percurrentes (4), exemplo Summi Sacerdotis Heli vehementer commoti sumus. Ipse quidem pietatem excolebat, sed ejus liberi pravis adeo moribus imbuti erant, ut in Sacris Litteris *Filii Belial* nuncupentur: *Porro filii Heli filii Belial nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum.* Inter cætera illud maximum crimen commemoratur, quod lautiores, ac magis delicatas victimæ partes sibi deligebant, priusquam Deo offerretur, licet *cap.* 7. Levitici designatæ essent victimæ partes, quæ ad Sacerdotem pertinerent, sive de Sacrificio *pro peccato* ageretur, sive de Sacrificio, quod *Hostia pacifica* vocabatur (5).

IX. Heli quidem liberos suos redarguit: *Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite, filii mei; non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini.* Sed quia nulla emendatio secuta est, nec sermone Prophetæ super hac re, ut debuerant, permoti sunt, universus Israel, & ipse pariter Heli maximis calamitatibus oppressi fuerunt, quæ in Sac. Litteris ita recensentur (6): *Fugit Israel coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo: insuper & duo Filii tui mortui sunt, Ophni, & Phinees, & Arca Dei capta est. Cumque ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus, mortuus est: senex enim erat vir, & grandævus, & ipse judicavit Israel quadraginta annis.*

X. Itaque, si liberi Heli tam gravi pœna affecti fuerunt, qui aliquid auferre non dubitarunt ad legis antiquæ sacrificium pertinens, quod sacrificia nostra, tanquam figura, solum præsefereba: ; Si parens quoque ipsorum, qui non adeo severe filiorum impudentiam arguit, repentinæ mortis supplicio pœnas dedit, quid de Sacerdotibus nostris statuendum videbitur, qui partem stipendiorum pro sacris faciendis in conviviis apparandis insumunt? Quid timendum nobis erit, si hujus improbitatis conscii, eos tantum leviter corrigamus; nec eo deveniamus, ut graviissimo malo satis idoneum remedium afferatur?

XI. Quare, ut supremi Numinis indignationem longe a nobis, nostrisque Sacerdotibus arceamus, illud solum opportunum remedium invenimus, si ejusmodi convivia penitus interdicantur, & ratio stipendiorum exposcatur, quæ pro indicendis per Diœcesim Officiis traduntur.

XII. Ideo convivia hæc prohibenda statuimus, quia hac pœna abrogantur consuetudines, quæ initio videbantur innocentes, ac deinde cursu temporis mali alicujus periculum, aut suspicionem inducunt. P. Suarez hac re diligenter examinata ita subdit (7): *Unde concludo consuetudinem posse esse irrationabilem, etiamsi ex materia mala non sit, ut patet, si contingat, materiam ejus esse indecentem, vel habere aliquid periculi, vel incommodi, si publice, & communiter introducatur, & nihilominus nec per se mala sit, nec prohibita jure aliquo positivo.*

XIII. Hic fas est in memoriam revocare ab ipsis Apostolis institutum fuisse, ut, percepta Divina Eucharistia, Fideles ad modestam simul mensam accumberent. S. Paulus eam disciplinam commemorat, & graviter queritur egenos ab eo conventu secludi (8): *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum; & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Num quid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Ea consuetudo pluribus sæculis permansit, ita ut in Gangrensi Concilio (9) contra Eustathianos anathema tancitum fuerit, qui in privatas domos conveniebant, spernentes templum adire, ut cum reliquis Fidelibus *Agapas* celebrarent: *Si quis contemnat eos, qui Agapas ex Fide faciunt, & propter Dei honorem Fratres convocant, & nolit vocationibus communicare, parvipendens, quod geritur, anathema sit.* Attamen paulo post graves corruptelæ cum his cœnis admixtæ fuerunt, ut eas penitus auferendas Ecclesia censuerit, uti ex Laodiceno Concilio deprehenditur (10): *Non oportet in Ba-*

*-silii-*

(1) *In Tract. de Jubilæo. & Indulg. notabil.* 21. (2) *Loco allato cap.* 12. §. *Ad tertium.* (3) *In eodem cap.* 12.
(4) *Cap.* 2. (5) *Thom.* 2. 2. *quæst.* 102. *art.* 3. *ad octavum.* (6) *In eodem lib.* 1. *Regum cap.* 4.
(7) *In Tract. de Legibus lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 11. (8) *Epist.* 1. *ad Corinth.* (9) *Can.* 11. (10) *Can.* 28.

*filicis, seu Ecclesiis se dictas facere Agapas, & in domo Dei manducare, & accubitus sternere.*

XIV. Similes Agapas Fideles instaurabant, cum dies festos Martyrum celebrari, vel Ecclesias dedicari contingeret, & etiam cum funera ducerentur (1). Verum S. Ambrosius illas Mediolani gravissimis de causis prohibuit, & S. Augustinus Epistola 64. Aurelium Carthaginensem Episcopum hortatus est, ut idem remedium adhiberet: Quare in tertio Carthaginensi Concilio hæc sancita fuerunt, suadente eodem Aurelio (2): *Populi etiam ab ejusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur.*

XV. Constituimus etiam, ut ratio de eleemosynis a Fidelibus oblatis exigatur: Cum enim hæc doceat S. Thomas (3): *sed, quantum ad effectum eleemosynæ, patitur detrimentum* (de Anima Defuncti sermo est, *non quidem ut pro hujusmodi tarditate puniatur, sed quia remedium ei non adhibetur, dum suffragia differuntur, ex quibus plurimum juvaretur*; cum hæc ita sint, quid dicendum videbitur, si non modo pro Defunctis suffragia protrahantur, sed pecunia pro illis collata in alium usum convertatur, ex quo nullum emolumentum in Fideles eam pecuniam solventes redundat? Accedit, quod Missæ Sacrificium infinitam quidem virtutem, ac pretium continet, si ipsius sufficientia perpendatur, non vero si de efficacia ratio habeatur: ex quo beneficium illud sane maximum dimanat, ut eadem suffragia semper augeantur; quamobrem, sicuti invigilandum necessario est, ut pro stipendiorum numero sacra quoque fiant, ita profecto de ipsis stipendiis, ac de Missarum Sacrificiis ratio postulari omnino debet.

XVI. Nos igitur hoc decreto per Diœcesim universam omnia convivia prorsus interdicimus, quæ parari solent, cum Officia pro Defunctis, pro Messis conservatione, aut aliis de causis indicuntur: Iisdem Parochis, & Custodibus, seu Præfectis, quibus eleemosynæ pro his Officiis peragendis committuntur, omnino præcipimus, quidquid acceperint in peculiarem libellum referre, idque scripto illius testimonio comprobare, qui eleemosynam præbuerit. Si litteras is nesciat, signo Crucis efformato coram duobus testibus rem confirmet; cum ex capsula eleemosynæ depromuntur, quidquid desumptum fuerit in libello adnotetur, & a Parocho, ac cæteris obsignetur, qui alteram capsulæ clavim custodiunt: Missarum numerus eodem libello describatur, qui Sacerdotum celebrantium testimonio comprobabitur. Alii quoque necessarii sumptus pro Officiis conficiendis explicentur, ut, cum in examen res vocabitur, *quid receptum, quidve expensum* fuerit, clare demonstretur.

XVII. Hæc ratio Vicario Foraneo reddenda videretur; pro Officiis autem, quæ in ipsius Vicarii Ecclesia fiunt, seniori Vicariatus Parocho persolvenda esset: Cum tamen experientia compertum sit, hujus Diœcesis Vicarios Episcopis *in partibus* comparari posse, cum honoris titulum sine ullo pondere sustineant, hoc tamen discrimine inter Episcopos, ac nostros Vicarios Foraneos, quod illi Turcarum perfidia impediti suis muneribus perfungi nequeunt, Vicarii autem, licet per nos admoniti, firmatique nostra auctoritate, hominum tamen ratione, vel timore ducti suum munus prætermittant, ut quietam vitam exigant, neminem offendant, & præclara quadam conditione ornati solum videantur. Cum igitur Vicarii Foranei hujusmodi sint, ipsos huic negotio præficere omittimus, eos solum monentes, ut accepti, expensique rationem paratam habeant eo modo, quem superius ostendimus. Siquidem deliberavimus, Conventus, qui in hac Diœcesi instituti quondam fuerunt, restaurare, quos in Civitate Vicarii Foranei celebrabant. In illis decernentur, qui libellos expensi, & accepti, uti dictum est, cognoscant, & aperte constabit, an vicarii Foranei reliquis muneris sui partibus satisfaciant.

XVIII. Confidimus, Parochos omnes hæc nostra jussa libentissime facturos, quibus etiam Dei cultus continetur. Ut facilius pareant, exemplum Sanctæ Monicæ Matris S. Augustini ipsorum oculis subjicimus. S. Ambrosius convivia prohibuerat, quæ diebus festis Martyrum, & in ducendis funeribus Mediolani proponebantur; sed ejusmodi Decretum in Africam adhuc delatum non fuerat. Quare Sanctissimæ mulieri, cum Mediolani versaretur, hæc accidisse Sanctus Augustinus memoriæ prodidit (4): *Itaque, cum ad memorias Sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes, & panem, & merum attulisset, atque ab Ostiario prohiberetur, ubi, hoc Episcopum vetuisse cognovit, tam pie, ac obedienter amplexa est, ut ipse miraret, quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit.* Expendant secum Parochi ea lege teneri, ut non solum in hoc negotio, sed in cæteris etiam nobis pareant. Id polliciti sunt, cum Ordines, & Parochiam a nobis, aut Decessoribus nostris acceperunt, quibus omnibus cultum, & obedientiam promiserunt. Postremo ipsis notum facimus, Episcopum non esse cum aliquo Concionatore, vel Sacrarum expeditionum Ministro conferendum, ita ut solum arguere, monere, atque hortari jussa detrectantes possit, nec alias rationes inire, ut eorum pervicaciam expugnet, facultatem coercendi a Sede Apostolica obtinet Episcopus, qua nos uti statuimus, decernentes, decem argentea scutata ab illis persolvenda, qui parere recusaverint iis omnibus, quæ præscripsimus, seu de conviviis agatur, seu de illis, qui accepti, expensique rationem non referant, vel fraudem aliquam intermisceant. Dimidium solvendæ pecuniæ delator consequetur, pars altera Parochiæ egenis in subsidium erogabitur.

## INSTITUTIO LV.

*De Paschali præcepto in propria Parochia adimplendo. Eidem præcepto minime illum satisfacere, qui Sacram Eucharistiam percipit extra suam Parochiam. Quid statuendum sit de iis, qui in Monasteriis Regularium inserviunt, quid judicandum etiam de Sacerdotibus. Quæ ratio tenenda sit cum pervicacibus, cum monentur obtemperare Paschali præcepto. De pœnis, quas subeunt, illi, qui Interdicto obligati jam fuerunt.*

I. In postrema Synodo, quam Cardinalis Jacobus Boncompagnus Decessor noster celebravit, sancitum fuit, Paschalis Communionis præceptum a Dominica *Palmarum* usque ad Dominicam in *Albis* concludi (5); ad celebritatem usque Ascensionis Domini monendos a Parochis pervicaces, ut jussa faciant: postea denunciandos, qui parere detrectaverint, vel quos Sacra Eucharistia indignos deprehenderint.

II. Nos autem alio loco (6) ediximus in eos, qui in Paschate sumere Eucharistiam prætermiserint, ut die 18. mensis Septembris in porticu nostræ Metropolitanæ publice exponerentur, uti factum est, illorum nomina, qui saltem Eucharistiam percipere omiserint octava die Septembris, cum Festum Nativitatis Beatæ Virginis peragitur: eodem decreto admonuimus, aliud consilium super hac re, aliamque rationem a nobis in posterum suscipendam: Itaque rursum indicimus ea, quæ in ipso Decreto, & omnia, quæ in allata Synodo Cardinalis Boncompagni continentur, uti superius indicavimus: Nomina quoque illorum, qui Paschali mandato non paruerint, in Diœcesi Parochiæ foribus affigi decernimus, in Civitate autem foribus Metropolitanæ, vel sub ejus porticu die 15. Augusti, cum Festum Assumptionis Beatæ Virginis celebratur; quos etiam ab Ecclesiæ ingressu interdictos eodem die declarari constituimus, nisi forte triduo ante ipsam celebritatem de percepta Sacra Eucharistia protulerint.

III. Sed quoniam plura negligenter, plura etiam magna cum difficultate perfici cognoscimus vel a Parochis, vel ab iis, qui Parochiæ præcepto satisfacere debent, aut pro iis denunciationibus, quæ fieri ante interdictum in pervicaces consueverunt, ideo in eam necessitatem adducti sumus, ut perpauca alia subjiciamus.

IV. Ac primum aliqui Rectores Ecclesiarum facile negligunt, illorum nomina Patri Pœnitentiario scripta referre, qui ad divinam Eucharistiam in Paschate non accesserunt, vel ea prorsus indigni judicati sunt. Quare ne gravissimum hoc malum invalescat, singulis Parochis tum Civitatis, tum Diœcesis præcipimus, ut intra designatum temporis spatium Patrem Pœnitentiarium admoneant, si forte aliquis in Paschate Eucharistiæ Sacramentum haud sumpserit, aut ob singularem Dei misericordiam præceptum ejusmodi nemo violaverit: ipsius Pœnitentiarii jussu ad pronunciandum in contumaces Interdictum devenient. Qui hæc facere contempserint, pœnas nostro arbitrio statuendas persolvent.

V. Sed jam sermonem ad eos convertamus, qui hoc præcepto adstringuntur. Institutionem evulgavimus 18. loco hujus libri positam, qua pro jure Parochiali contra plurimorum opiniones statuimus, Paschalem communionem in propria cujusque Parochia peragendam, nec impleri præceptum, si in nostra Metropolitana Sacra Eucharistia sumatur. Porro jus Parochorum, quod nos tuendum suscepimus, eorum negligentia ita imminutum est, ut nihil pene superesse videatur; nam illos

(1) *Baronius ad annum Christi* 57. *num.* 130. *& seqq.* (2) *Can.* 30. (3) *In Quodlibet* 6. *art.* 13.
(4) *Lib.* 6. *confession. cap.* 2. (5) *Cap.* 3. *lib.* 2. (6) *Instit.* 45.

los tantum ex populo, qui velint, ad Sacram Communionem in Parochia excipiunt, cæteris in agrum commigrandi potestatem, etiam in hebdomada majori facile concedunt, satisque habent, si in Urbem redeuntes aliquod testimonium peractæ Communionis afferant ab ejusdem agri Parocho obsignatum; ita ut plures inveniantur, qui consueta Parochi Indulgentia perducti per plures annos ad Parochiam, nequidem in Paschate, accesserint, & alibi Divinam Eucharistiam percepérint.

VI. Id quidem in aliquibus Conciliis Provincialibus, & Diœcesanis alias permissum fuisse non ignoramus. In Burdigalensi anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio hæc ita decernitur c. 11.: *Nemo extra suam Parochiam absque Rectoris sui facultate alio se conferat hoc Sacramentum percepturus*. In Aquensi vero, quod celebratum fuit anno 1585. (1) *Nec ulli liceat illud sumere ab alio, quam a proprio Parocho, vel de ejus licentia*. Idem in plurimis Conciliis in Italia coactis decretum fuit, ac præsertim in secundo Provinciali, quod Mediolani Sanctus Carolus habuit (2): *Nisi item, qui ab Episcopo, propriove Parocho facultatem scripto concessam exhibuerint alio loco communicandi*. Quoniam vero Parochi nimia facilitate in his facultatibus tribuendis utebantur, idem Sanctus Carolus in undecima Diœcesana Synodo relatis iis, quæ in secunda provinciali sanxerat, eam facultatem alternatim concedi vetuit, videlicet a Parocho, & ab Episcopo, sed illam sibi tantum reservavit (3): *Cui Decreto hæc præterea cautio adhibeatur, ne cuiquam, eadem proposita pœna, alibi Communionem Sacram accipere liceat, etiam concessu, permissuque Parochi nisi id scripto nos probaverimus*. Urbanos itaque Parochos serio monemus, ne ejusmodi facultatem ita facile elargiantur; caveantque diligentius, ne aliquis ex suo populo sibi de illorum facultate nimium confidens, alio commigret Sanctissimam Eucharistiam percepturus. Si aliter fiat, S. Caroli propositum exemplum, consiliumque sequemur.

VII. Deprehendimus etiam in controversiam revocari, an sæculares, qui Monialibus, aut Regularibus inserviunt, ad Parochiam pro sumenda Paschali Communione se conferre debeant, an vero in Ecclesiis ipsorum Regularium, aut Monialium præcepto satisfacere judicentur. Pro quo Tridentinum Concilium tres necessarias conditiones enumerat, ut nempe *ædium inserviant; intra eorum sepia, ac Domos resideant; ac sub earum obedientia vivant* (4). Quare Parochiam adire debet in Paschate, qui aliqua ex his conditionibus careat, licet in æde versetur, quæ pertineat ad Monasterium, eique conjungatur, ipsiusque circuitu per muros exteriores includatur: Quippe per *Domum* Monasteria, per *Septa* vero Claustra a Tridentina Synodo intelliguntur. Quod Scriptores unanimes affirmant (5).

VIII. Idque Sacræ Concilii Congregationis pluribus sententiis comprobatur, quarum nos ipsi exemplaria cognovimus (6). Cum autem ejusdem Congregationis Secretarii munere fungeremur die 22. Novembris anno 1721. propositum fuit (7): *An famuli, & famulæ Monialium sæculares degentes in mansionibus sitis in Atriis Monasteriorum muro circumvallatis, & quæ sunt contigua Monasteriis, & habent portam, quæ aperitur, teneantur recipere Sacramentum Eucharistiæ tempore Paschali a Parochis, in quorum Parochiis Monasterium, & Mansiones sitæ sunt*. Die 19. Septembris anno 1722. responsum fuit: *affirmative, & amplius*: quo vocabulo *Amplius* Cardinales omnes fuisse unanimes declaratur, nullamque in posterum de eadem re satis clara quæstionem habendam.

IX. Non ignoramus pariter, Sacerdotes in Paschate ea lege non obstringi, ut a suis Parochis Communionem accipiant, vel in Parochia rem divinam faciant, ut Rosignolius asserit (8) plurium scriptorum auctoritatibus confirmatus. Sed etiam cognitum habemus, Sacerdotes aliquos raro per annum in hac Diœcesi Sacro peragendo vacare, eam opinionem re ipsa probantes, quam S. Pius V. ex libris Cardinalis Cajetani deleri fecit, nempe levi culpæ solum obnoxios esse, qui nulla animarum cura præditi, nunquam per anni cursum Sacrificium Missæ celebraverint. Siquidem Sanctus Thomas (9), ac deinde reliqui Theologi fere omnes docent a Presbytero, licet nulli Ecclesiæ præposito, lethale crimen admitti, nisi solemnioribus Festis Sacrum conficiat, quod etiam Tridentina Synodus (10) indicat, & Juvenínus in quinta dissertatione de Sacramentis commemorat (11). Quare si Sacerdotes ejusmodi ne quidem in Paschate Sacrificium Missæ agere velint, aut impediantur, Eucharistiam ex manibus Parochi suscipiendam ipsis declaramus, ut præcepto satisfaciant: tunc enim ipsos velut inter laicos adnumeramus, uti Rosignolius idem testatur (12).

X. Postremo de citatione verba facienda sunt, quæ evulgari debet, antequam Interdictum pronuncietur. Illa igitur, ne contrarium aliquid contingat, per Scribam designatum Cursori commendabitur, eamque Cursor pervicacibus ipsis tradet, ac deinde rem perfectam refert. Quod si impedimentum aliquod obvenerit, veluti si contumaces e pristinis ædibus in aliam partem migraverint, quæ prorsus ignoretur, vel in aliquem locum secesserint, quem non audeat Cursor contingere, id statim per Cursorem ad Scribam eumdem deferatur, & tunc foribus Ecclesiæ Parochialis figatur citatio, ubi pervicaces ipsi Paschali tempore divinam Eucharistiam sumere tenebantur; & hac ratione satis huic negotio consultum judicamus. Si hanc propositam normam Cursor minime servaverit, *ipso facto* munere suo spoliatum illum edicimus.

XI. Porro die 18. Septembris anno jam præterito nostræ Metropolitanæ foribus illorum nomina fuerunt expositæ: qui intra constitutum temporis spatium Paschalem Comunionem omiserant, iidemque ab ingressu Ecclesiæ declarati sunt interdicti, & sine Ecclesiastica sepultura, si forte in tam misera conditione vita decederent juxta Lateranense Concilium (13), ac Decretum postremæ Synodi per Cardinalem Jacobum Boncompagnum habitæ (14). Nihilominus ex ipsis aliqui non accesserunt, ut Interdicto liberentur: ideoque tanquam appendicem hujus nostræ institutionis subjicimus, Ecclesiam ipsis ingredi non licere, ut rei sacræ, divinisque Officiis intersint. Id solum a Theologis in dubium revocatur, an templum adire possint, ut preces tantum Deo persolvant, uti ex Canone *Latorem* cap. 33. quæst. 2. deprehenditur: *Ita ut per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores Basilicæ orans, & deprecans Deum perseverent*. De hoc fusius agit Nogueira (15). Monendum pariter est, rem divinam confici non posse, si unus ex iis interdictis in Ecclesia versetur, quos etiam per Ecclesiæ (16) Ministros depellendos Canones decernunt: his adductus Suarez hæc scripta reliquit (17): *Ad Ecclesiæ Ministros spectat ex proprio officio expellere indignos a participatione Divinorum, & removere eos, quos Ecclesia removet, ac denique procurare, ut censuræ Ecclesiasticæ observentur; & ideo merito peculiaris obligatio eis imponitur excludendi interdictos, quando celebrant*. Solum ambigitur, an id fieri debeat, cum vis haud sufficere, vel aliquis tumultus excitari posse videatur: tunc enim idem Suarez hæc tradit (18): *Quando locus non est interdictus, sed tantum adest persona interdicta, & per vim cogi non potest, probabile mihi videtur, non deberi Sacerdotem ob eam causam omittere Missam: quod non affero sine formidine, quia non video casum expresse tractatum, & definitum ab Auctoribus: censeo tamen practice probabile*. Insuper præcipimus, ut proxime ineunte Paschatis tempore ad Eucharistiam sumendam, si forte accesserint, minime admittantur, sed palam amoveantur, nisi prius ostenderint Interdicto contra ipsos evulgato per nos, aut Delegatum nostrum fuisse absolutos. Nam omissa controversia, an *caput nuper, de sententia Excommunicationis*, quo statuitur, censuram a Confessario, vel Paroco solvi posse, cum illam Episcopus sibi tantum absolvendam non edixit, an, inquam, pro Confessariis, & Parochis hæc sententia abrogata fuerit, certum illud est, quod post latam excommunicationem, suspensionem, vel interdictum ab Episcopo in aliquem peculiarem reum, eam relaxa-

(1) *Tit. de his, quæ ad Sacramentum Eucharistiæ pertinent.* (2) *Decreto 41. tit. 1.* (3) *Tit. monita executionis Decretorum, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta pertinent.* (4) *Sess. 24. cap. 11. de reform.* (5) *Navarrus de Reliqiarib. comment. 4. num. 44. in principio. Bonacina. Oper. Moral. tom. 1. tit. de Clausura, quæst. 1. punct. 1. num. 2. & 3. Sanchez ad præcepta Decalogi tom. 2. lib. 6. cap. 25. num. 9.* (6) *Maceraten. variar. resolut. lib. 1. resol. 18. num. 4. Card. de Luca. de Jurisdictione disc. 4. num. 9.* (7) *In Causa Lauden. Jurium Parochi alium die 14. Aprilis anno 1685. lib. 35. Decretorum fol. 187. In Causa Spoletin. Jur. Paroch. 19. Apr. 1692. lib. 42. Decretorum fol. 234. In Causa Barcinon. 22. Januar. 1713. In Causa Ulyssponen. Occidentalis.* (8) *De Eucharistia tom. 15. arti. 3. qu. 7. num. 30.* (9) *3. Part. quæst. 81. art. 10.* (10) *Sess. 23. cap. 14.* (11) *Quæst. 7. cap. 1. art. 1.* (12) *Loco superius allato.* (13) *Cap. Omnis utriusq. sexus de pœnitentiis, & remissionibus.* (14) *Loco Superius allato.* (15) *In suis quæstionibus singularibus disput. 3. quæst. 20. de Interdicto num. 5. & seqq.* (16) *Cap. Permittimus de sententia excommunicationis, & cap. Alma, eod. tit. in 6.* (17) *In tractatu de Censuris disput. 34. sect. 2. num. 6.* (18) *Num. 10. loco allato.*

laxare nemo alius poteſt, niſi qui ſententiam ejuſmodi pronunciaverit, aut ipſius Delegatus, vel aliquis majori poteſtate præditus, poſtquam eamdem ſententiam injuſtam cognoverit. Quare Sylveſter poſt Canonicas ſanctiones diligenter examinatas hæc docet (1). *Si ſententia interdicti, vel ſuſpenſionis lata eſt, ab homine abſolvere, ſeu relaxare poteſt ille, qui eam tulit, vel ejus Superior, non autem alius, niſi de ejus mandato.* Idem P. Theſaurus (2) confirmat; P. vero Syrus (3) eamdem ſententiam his verbis teſtatur: *Major Pœnitentiarius, ordinarie loquendo, non ſolet abſolvere a ſententiis, & cenſuris ab homine contra aliquem nominatim latis &c. & hoc, ne turbetur juriſdictio Ordinariorum. A cenſura enim ſpeciali nominatim lata ab homine non poteſt abſolvere, niſi qui eam tulit, ejuſque Succeſſor, aut Superior, aut Delegatus ab illis.* Poſtremo Epiſcopus juxta Synodum jam toties allatam, & jus pariter commune poſt Interdictum ad excommunicationem devenire poteſt, per quam pervicaces a cœtu Fidelium ſejungantur, uti a Sacra Congregatione Concilii non ſemel ſtatutum, Fagnanus (4), ac Monacellus referunt (5). Hoc adhibere remedium nos conſtituimus, niſi contumaces reſipuerint, ideoque Parochis magnopere commendamus, ut illos de hac re certiores faciant, moneantque, ſi excommunicationem quoque neglexerint; majores in ipſos pœnas decernendas, quæ per Tridentinam Synodum indicuntur (6). *Excommunicatus vero quicumque, ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit, non ſolum ad Sacramenta, & communionem Fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, ſed, ſi obdurato animo cenſuris annexus in illis per annum inforduerit, etiam contra eum tanquam de hereſi ſuſpectum procedi poſſit.*

## INSTITUTIO LVI.

*De Miſſæ ſtipendio; de parte pecuniæ, quæ retineri poteſt pro utenſilibus, ac de Altaribus privilegiatis. Quam ob cauſam ſtipendium pro Miſſæ ſacrificio Sacerdotibus conferatur. De corruptelis, quæ ex hoc veluti fonte in Eccleſiam dimanaverant; qua ratione, & quo auctore illæ penitus ſublatæ fuerint. Non licere recenti Sacerdoti oblationes ex Altari ſuſcipere. Quinam teneantur ad celebrationem tantum, non vero ad applicationem Miſſæ. De ſtipendiis pro Miſſis perpetuis, atque adventitiis. De illis, qui tribuunt, aut capiunt ſtipendium conſueto majus. Quibus de cauſis Sacrarii Cuſtodes elicere queant partem ſtipendii pro utenſilibus. Utrum nova ſtipendia pro Miſſis celebrandis recipi poſſint, cum multis aliis ſatisfaciendum adhuc ſuperſit. Quo pacto Defunctis proſit Indulgentia in ſacrificiis Miſſarum, quæ ad Aras privilegiatas fiunt. An pro Aris privilegiatis obtinendis ſatis ſit intra ſpatium totius hebdomadæ implere numerum Miſſarum, quæ in ſingulos dies ſtatuuntur.*

I. ILlud ſtipendium, quod ex communi Eccleſiæ diſciplina Sacerdotibus traditur pro comparando fructu medio Sacrificii, & loco panis, ac vini, quæ antiquitus offerebantur, ſuffectum fuit, quodque ſæculo octavo propagari cœpit, ſi Thomaſſino (7), ac Mabillonio (8) rerum ſacrarum viris peritiſſimis fidem præſtamus, licet Pater Franciſcus Berlandus ex Ordine Theatinorum altius repetendam hanc conſuetudinem plurimis documentis, ac rationibus contendat (9); illud, inquam, ſtipendium multas curas, ac ſollicitudines in Eccleſia concitavit, vel ad coercendam Sacerdotum avaritiam, vel ad aliquam normam ſtatuendam, ne ipſi detrimentum caperent ob aliorum libidinem, & ne hoc neceſſario ſubſidio deſtituerentur, vel denique, ne Fidelium voluntas fraudetur, qui ſtipendium offerunt, ut res divina pro ipſis, vel pro aliis adhuc vitam agentibus, aut pro Defunctis conficiatur. Quamobrem Sanctus Franciſcus, uti Alvarus Pelagius teſtatur, pro his corruptelis evittandis conſtituit, ut ſui Ordinis Alumni quocumque loco degerent, ſemel tantum in die celebrarent. Sanctus quoque Ignatius Societatis Jeſu Fundator parte ſexta ſuarum Conſtitutionum cavit, ne aliquis ex ſuis Sacerdotibus ſtipendium pro Miſſæ Sacrificio perciperet.

II. Ac primum, licet animus maximo diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudio non inflammentur, ſi religione tamen aliqua præditus ſit, horrore ſane incredibili commovebitur, ſi perpendat quo Sacerdotum avaritia ſuperioribus temporibus progreſſa fuerit, cum de ſtipendiis Miſſarum ageretur. Plura Sacra uno die facere cœperunt ut majorem pecuniam congererent. Cum vero id contrarium Eccleſiæ inſtitutis agnoſcerent, eodem Sacrificio plures hoſtias offerebant, quarum numerus acceptas eleemoſynas exæquabat; qui mos etiam a Græcis retinetur, quos idcirco Arcudius (10) vehementer improbat. Poſt hæc, Miſſæ, quas Biſaciatas, vel Triſaciatas nuncupabant, ſubrogatæ fuerunt, cum nempe Sacerdotes bis, ter, & quater rem divinam inchoabant, & uſque ad Oblationem proſequebantur; deinde toties ſecretas Orationes repetebant, quoties Miſſam inchoaverant, Canonem vero ſemel percurrebant, ac poſtremo totidem addebant Collectas, quot initio, recitaverant; quæ omnia propter nefariam augendæ pecuniæ cupiditatem fiericonſueverunt.

III. Petrus Cantor in Eccleſia Pariſienſi, qui Sæculo XII. inter mortales agebat, has corruptelas graviſſime redarguit (11), & Sacerdotes ejuſmodi Juda deteriores affirmavit: *Turpius Chriſtum vendimus, quam Judas, eo quod deteriores ſumus: Ille enim*, inquit, *quem purum hominem credebat, cum familia etiam ejus indigeret, vendidit; nos vero, quem ſcimus verum Deum, & hominem vendimus*: Poſtea ſuperaddit: *Ille pro triginta argenteis, nos pro denario, & pretio viliſſimo.* Ignoramus quodnam pretium triginta denariis, quos proditor Judas accepit, Petrus Cantor tribuerit. Nam discrimen inter ſiclos Sanctuarii, & argenteos communes intercedit; hi enim novem ſcuta Romana pretio adæquabant; illi vero ſummam duplo majorem continebant, uti præſtantes eruditione viri tradiderunt: eſto tamen de minoribus ſiclis res intelligenda ſit, Petri Cantoris argumentum aptiſſimum ſemper judicabitur, quod etiam his verbis magis confirmat: *Ille pœnitens, licet non vere retulit, & rejecit triginta argenteos: in Eccleſia autem inter nos non eſt, qui turpiter acquiſita reficiat.*

IV. Supervacaneum eſt Decreta recenſere Conciliorum, ac Pontificum, quibus hæ corruptelæ vehementer improbantur. Qui tamen ea cupiant intueri, Chriſtianum Lupum (11), Cardinalem Bona (13), Thierſium (14), ac Patrem Berlandum (15) percurrant, qui eadem Decreta fuſe commemorant: ſatis erit innuere receptam quidem ab univerſa Eccleſia conſuetudinem, ut pro Sacro dentur, & accipiantur ſtipendia, cum ex Altari vitæ ſuſtentationem merito deſumere Miniſter Altaris debeat; ideoque non ſine imprudentia mos ejuſmodi damnari poteſt: *Sufficere debet*, inquit Gerſon (16) *ad conſenſum hujus veritatis uſus totius communis Eccleſiæ, qui habet, & recipit; cui ſi quis detrahit, imprudenter ſe decipit &c. Nihil æquius ſecundum omnem legem eſſe deducit Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. quam, qui Altari ſervit, de Altari vivat*: tamen procul dubio avaritiæ crimen, & ſpeciem quamdam ſimoniæ admitteret, qui pro Miſſæ ſtipendio pactiones aliquas, aut conditiones faceret; quemadmodum ex Tridentina Synodo deprehenditur (17): *Atque, ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, omnino prohibeat.* Nam, uti docet S. Thomas (18): *Sacerdos non accipit pecuniam quaſi pretium Conſecrationis Euchariſtiæ, aut Miſſæ decantandæ, hoc enim eſſet ſimoniacum, ſed quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis.* Inſuper alio loco (19) eamdem confirmat ſententiam his verbis: *Facere pactionem de Miſſa celebranda eſt ſimonia &c ſi tamen non habet alios ſumptus, & non tenetur ex officio Miſſam cantare, poſſet accipere denarios ſicuti conducti Sacerdotes faciunt, non quaſi pretium Miſſæ, ſed quaſi ſuſtentamentum vitæ.*

Su-

(1) *In ſumma ad verbum Interdictum 5. num. 16.* (2) *De pœnis Eccleſiaſtic. pa. 1. cap. 24. §. Dicendum primo: non turbetur juriſdictio Ordinariorum.* (3) *In tractatu manuſcripto Pœniten. Roman. in Commentar. part. 3. §. 1. Conſtitutio Summi Pontificis Innocentii XII. quo ad facultates Card. Majoris Pœnitentiarii.* (4) *Cap. Omnis num. 46. de Pœnitentiis, & Remiſſionibus.* (5) *Tom. 1. tit. 5. formul. 16. num. 2.* (6) *Seſſ. 24. de Reformat. cap. 3.* (7) *De veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina tom. 3. lib 1. cap. 71. num. 18.* (8) *In Præfat. ad part. 1. ſæcul. 3. Benedictin. n. 62.* (9) *In Diſſertatione Hiſtorico-Tebologica de Oblationibus Altaris part. 2. §. 2.* (10) *Lib. de Concordia.* (11) *In opere, cui Titulus*: Verbum abbreviatum *cap. 37.* (12) *In notis Concil. Roman. habiti ſub Alexandro II. tom. 5. novæ editionis ſuorum operum pag. 150.* (13) *Rerum. Liturgicarum lib. 1. cap. 15. n. 7.* (14) *Tom. 3. ſuperſtitionum cap. 15.* (15) *Diſſertatione ſuperius allata hiſtorico Theologica de oblation. Altaris part. 2.* (16) *In ſuo tractatu de ſolitudine Eccleſiarum particularium.* (17) *Seſſ. 22. in Decreto de obſervandis, & evitandis in Celebratione Miſſæ.* (17) *2. 2. quæſt. 100. art. 2. ad ſecundam.* (18) *4. Sentet. diſtinct. 5. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. ad quartum.*

Sacerdos, uti superius dictum fuit, partem aliquam suæ sustentationis ex stipendio tantum desumit, quod Juveninus hoc pacto declarat (1): *Sed Monitum velim Lectorem, rationi consonam non esse consuetudinem, quæ illud stipendium definit ex summa, quæ satis sit Sacerdotis in unam diem sustentationi. Ratio est, quia stipendia non conferuntur ad integram Præsbyteri sustentationem, sed ad illius adminiculum. Nec mirum; quippe quod seculares Sacerdotes fruantur aut Titulis Patrimonialibus, aut Beneficiis, quæ teneant eorum loco: vetant nempe Canones, ne seculares ordinentur, quin sufficiens ad vitam titulo. Mendicantes vero a populo fideli supponuntur recipere eleemosynas quibus vescantur: nec enim ad Monasterium admitti debent, qui plures, quam consuetæ eleemosynæ sustentare valeant.*

V. Sublatis ob legum severitatem his corruptelis, aliæ rationes excogitatæ sunt, ut auditus liber pateret avaritiæ, ac turpi lucro; quod juxta Concilium Tridentinum a simoniaca labe parum abesse videtur. Incredibilis librorum copia in vulgus emanavit, quibus variæ de Theologia Morali quæstiones in examen adducebbantur; in illis autem dirimendis causa potissima omissa fuit, ob quam S. Mater Ecclesia pro Missæ Sacrificio stipendium permittit, nempe, ut Sacerdotes ad vitam sustentandam aliquod ex ipso stipendio levamen suscipiant, non vero, ut divitiis cumulentur, quod nos paulo ante explicavimus; ideoque sordidos quæstus augeri Ecclesia semper improbavit. Itaque disputari cœpit, an Sacerdos, qui eleemosynam accepit minorem illa, quæ in Diœcesi constituta fuit, Sacrum tamen facere pro illo debeat, qui stipendium largitus est. Insuper, an Sacerdos collatis sibi per diversos fideles pluribus exiguis stipendiis, rem divinam conficere, illisque fructum attribuere teneatur; nec sane defuerunt Theologi, qui Sacerdotem in utraque quæstione ab onere celebrandi prorsus immunem judicarunt. Falso pariter existimatum fuit, Sacerdotem, qui stipendium consueto majus invenerit, posse alium Sacerdotem ad Sacrum faciendum subrogare, ipsique solitam tantum eleemosynam impertiri, ac reliquum, quod superest, sibi retinere. Nonnulli etiam perpendentes *fructum medium* Sacrificii, qui in Sacerdotis potestate, atque arbitrio relinquitur, in satisfactorium, atque impetratorium distingui, plures eleemosynas pro eodem Sacrificio comparari posse censuerunt, si videlicet Sacerdos fructum satisfactorium, exempli causa, pro aliquo defuncto, & simul pro ægroto impetratorium fructum attribuat. Sed alia quoque pro congerenda pecunia proposita fuerunt. *Fructum specialissimum*, qui Sacerdoti solum convenit, in Missa contineri excogitatum fuit, ideoque plures inquisierunt, an Sacerdos, qui pro fructu medio jam stipendium accepit, fructum specialissimum alteri pariter attribuere possit, ac pro illo novum stipendium exigere, quod facile satis affirmarunt. Illud solum cavendum monuerunt fructum specialissimum trium Missarum fructui medio unius Sacrificii tantum adæquari; quamobrem suscepto jam stipendio ob fructum medium, tertiam quoque partem alterius stipendii pro fructu specialissimo percipi posse docuerunt. Cognitum perspectumque omnibus est, quod capite *significatum de Præbendis* conceditur, nempe ut Sacerdos, qui Sacrum facere quotidie *per se ipsum* debet, illud aliquando prætermittere possit, vel quia a voluntate Fundatoris id minime alienum putatur, qui adeo rudis judicandus non est, ut Sacerdoti ad celebrandum designato tam grave onus constituere voluerit; vel quia ad Sacrum majori pietate, ac religione peragendum plurimum confert, si Sacerdos a re Divina aliquando abstinuerit. Nam evenire potest, ut ipse non semel eo pietatis studio minime incendatur, quod necessario requiritur, ut Sacrum Deo rite operetur. Hinc nova quæstio excitata fuit, an Sacerdos quo die immunis a re Divina conficienda censetur, si tamen Sacrum perficiat, ipsiusque fructum alicui attribuat, an, inquam, stipendium ab eo sumendum videatur; idque Scriptores aliqui rationi consentaneum putaverunt. Insuper, interposito discrimine inter Missæ celebrationem, ejusque applicationem, inquirendi locus oblatus fuit, an Sacerdos, qui in aliquo peculiari templo, atque Altari peculiariter expressis rem Divinam facere, non tamen applicare debeat, duo simul stipendia percipere possit, videlicet unum pro celebratione, alterum pro applicatione, quod aliqui pariter non improbarunt. Postremo eam consuetudinem in aliquas Diœceses invectam, qua novi Sacerdotes, cum primo Sacrum conficiunt, Ecclesiam circumeunt, ut eleemosynas congerant, omnino probandam nonnulli censuerunt.

VI. His sententiis ad Apostolicam Sedem delatis, quid statuendum esset, ipsa indicavit per Sacram Concilii Congregationem, quæ non modo ad explicandam Tridentinam Synodum instituta fuit, sed etiam, ut Ecclesiæ disciplinam per universum orbem integre sancteque tueretur. Plura igitur Decreta promulgata fuerunt; cum Urbanus VIII. Pontificatum gereret, qui primus Apostolica Constitutione (2), ac deinde Innocentius XII. peculiaribus litteris eadem Decreta confirmarunt. Ipsa quidem variis locis edita sunt, ac præsertim post Synodum diœcesanam Cardinalis Jacobi Boncompagni Decessoris nostri præclarissimi. In his sancitum fuit, ut, qui eleemosynam pro sacro acceperit, licet stipendium in Diœcesi constitutum non exæquet, ad ipsum Sacrum conficiendum teneatur, fructumque illi attribuere debeat, qui eleemosynam impertivit. Qui vero plura exigua stipendia a diversis Fidelibus congesserit, tot Missas celebret, quot pro ratione susceptæ pecuniæ celebrari queant. Qui stipendium solito majus consequutus fuerit, si alium Sacerdotem suo loco ad celebrandum sufficiat, integram pecuniam in illum conferat, sibique nihil omnino retineat. Id quoque servandum Sacra Congregatio (3) decrevit, licet Sacerdos ad faciendum Sacrum subrogatus rem totam plane noverit, & tamen se minori stipendio contentum fateatur. Alexander VII. ad eamdem Sacram Congregationem dijudicandum rejecit, an duplex stipendium pro fructu satisfactorio, atque impetratorio sumi liceret; Quare die 13. Decembris anno 1659. responsum fuit, id minime permitti posse. Ita Fagnanus, qui tunc Secretarii munere fungebatur (4). Idem Pontifex has duas sententias per Sancti Officii Congregationem inter proscriptas adumeravit (5): *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.* (6): *potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* In Pontificatu Innocentii XI. Collensis Episcopus hæc a Sacra Congregatione Concilii postulavit: *Primo an Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Cappellaniæ, legati, aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare; & quatenus affirmative; Secundo, quando, & quoties a dicta celebratione vacare possint; Tertio, an diebus licite vacationis possint Missam pro se ipsis, vel aliis, præterquam pro Fundatoribus celebrare; & quatenus affirmative; Quarto, an pro aliis celebrando, possint stipendium pro hujusmodi celebratione percipere; Quinto, an illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur Missam ab aliis celebrare facere juxta intentionem Fundatorum; Sexto, an Sacerdotes, ut supra, obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare;* Sacra vero Congregatio die 18. Septembris anno 1682. hoc pacto respondit: *Ad primum, & secundum affirmative, concurrente aliqua rationabili causa; ad tertium, quartum, & sextum negative, ad quintum distulit resolutionem* (7).

VII. Insuper, cum Tridentina Synodus (8) juxta superius allata verba nihil accipiendum sanxerit, cum novi Sacerdotes primo Sacrificium offerunt, disputari cœpit, an novus Sacerdos in medio Altari se ad populum convertere posset, & oblata munera suscipere; & utrum caveretur solum a Concilio, ne ob hanc causam Ecclesiam circumiret; hinc Gregorius XIII. anno 1573. audita prius S. Congregationis Concilii opinione, ita statuit: *Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione Congregationis Concilii, decrevit, licere se vertere in medio Altaris ad populum, & accipere oblationes, non autem circumire Ecclesiam.* Itaque illud solum examinandum superest, an possit duplex stipendium accipere, unum nempe pro celebratione, alterum pro Missæ applicatione, qui ad ipsam celebrationem solum adstringitur.

VIII. Passerinus (9) quidem Ordinis S. Dominici Procurator olim Generalis, qui Romæ plures annos exegit, duplex stipendium probavit; Cardinalis etiam de Lugo (10), qui post Urbani XIII. Decreta scripsit, eamdem sequitur opinionem,

(1) *De Sacramentis dissertat. 5. quæst. 7. de Sacrificio Eucharistiæ art. 5.* (2) *43. in Bullario Roman. tom. 4.*
(3) *In Romana eleemosyna die 23. Augusti anno 1664. lib. 24. Decretor. p. 246.* (4) *In commentar. ad cap. Fraternitatem num. 97. de sepulturis.* (5) *Num. 8.* (6) *Num. 9.* (7) *In lib. Decretor. 33. fol. 311.*
(8) *In l. 1. pag. 1. & 3.* (9) *Tom. 2. de statibus Hominum quæst. 187. art. 4. n. 971.* (10) *Disput. 21. de Eucharistia n. 16.*

nem, eam pariter amplectitur Auctor præclari libelli pro novis Confessariis instituendis Romæ nuper editi (1). Bartholomæus autem Gavantus, qui Sac. Rituum Congregationis munere Consultoris egregie functus est (2), Decretum Sac. Congregationis Concilii die 13. Junii anno 1630. promulgatum affert, cujus hæc sunt verba: *Quod quando in fundatione Beneficii, seu Cappellæ expresse cautum est, non teneri celebrantem ad applicationem Sacrificii, eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium, & unica Missa satisfacere obligationi Beneficii, seu Cappellæ, & item danti novum stipendium.* Attamen contrariam sententiam P. Diana magis approbavit (3); pro qua aliud Sac. Congregationis Concilii Decretum in medium profertur his verbis confectum die 9. Januarii, & 6. Februarii anno 1637. *An Sacerdotes, qui nulla alia obligatione in Confraternitatibus, vel Monasteriis Monialium celebrant, quam pro ornatu Ecclesiæ, vel ut Confratres, vel Moniales satisfaciant præcepto audiendi Missam, possint ultra stipendium quod recipiunt a Confraternitatibus, vel Monialibus aliud stipendium, recipere, Sacra Concilii Congregatio 6 Januarii, & 6. Februarii 1627. in Tragurien. respondit: non posse.* Decretum ejusmodi litteris etiam Senioris Cardinalis Paulutii ad Episcopum Comacli magis confirmatur (4): *Abrogata non fuit sententia probata in causa Tragurien.; siquidem Cappellani duplex stipendium accipere nequeunt pro Missarum celebratione, quamvis ad applicationem Sacrificii minime teneatur: Quare iisdem significare poteris &c.*

IX. Decretum, ac litteræ, quas modo commemoravimus, a multis Scriptoribus afferuntur, ac potissimum in appendice Synodi Diœcesanæ, quam Battistellius Fulginas Episcopus (5) celebravit, ubi virorum quoque præstantium auctoritates congeruntur. Attamen experientia compertum habemus, in errorem non semel eos adduci, qui Sacrarum Congregationum sententias usurpant; eos pariter plane novimus, qui in hoc negotio periti satis existimari debent. Quamobrem, cum totannis, quibus S. Congregationis Concilii Secretarium egimus, nulla unquam nobis occurrerit sententia ex iis, quæ ab utraque parte feruntur; ut pateat, an Sacerdoti ad celebrandum unice addicto liceat duplex stipendium percipere pro celebratione atque applicatione; cum nullum pariter hujus rei documentum habeatur in notis, ac Decretis, quæ nos maximo studio, diligentia, & incredibili labore collegimus, hac quæstionem non diremptam relinquemus, donec magis tuta monumenta deprehendantur. Neque enim res ita facilis ad judicandum videri potest: nam pro Sacrificii applicatione obtinenda satis est, ut ipsius celebratio indicatur. Si quis autem se applicationis onere prorsus immunem esse contendat, apertissime docere debet, a pio Testatore Missæ celebrationem unice requiri, & Sacerdotis arbitrio permitti, ut fructum Sacrificii, cui libuerit, attribuat. Hoc pacto constituit S. Congregatio Concilii die 18. Martii anno 1668. (6), eamdemque sententiam perpetuo sequuta fuit, cum simile aliquid evenit: *Ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio Testatore reperitur fundata quædam Cappellania cum onere Cappellano pro tempore Sacrum faciendi singulis Dominicis, aliisque festivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus suffragium applicandum esset Sacrificium: ideo Episcopus Atinen: supplicat per Sacram Congregationem declarari, an hujusmodi Sacrificium applicandum sit pro anima ipsius Testatoris, an vero ad libitum Cappellani, uti hactenus factum esse, comperit. Sacra Congregatio Concilii respondit, applicandum esse Sacrificium pro anima Testatoris.*

X. Sublatis iis corruptelis, quæ ex Sacerdotibus dimanabant, alia plurima sancita sunt, ut detrimentum reparetur, quod ratione legitimi stipendii, ipsis Sacerdotibus inferri consuevit. Nemo ignorat perpetuas, alias, alias vero adventitias Missas nuncupari. Primæ quidem quotidie, vel certis quibusdam diebus ratione Beneficii, aut Fundatoris instituto, vel Testatoris voluntate celebrantur; adventitiæ vocantur pro quibus stipendium a Fidelibus traditur, ita tamen, ut nullus fundus, nullumque onus in futurum tempus constituatur. Itaque, ne fraus ulla admittatur, Scriptores unanimes consentiunt, stipendii summam ex consuetudine, institutis Synodalibus, vel arbitrio Episcopi statuendam; idque Sacra Congregatio Concilii sua auctoritate confirmavit. Interamnensis Episcopus die 25. Novembris anno 1698. ab eadem Sacra Congregatione hæc petiit: *Primo quanta esse debeat eleemosyna Missarum manualium; Secundo, quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a Fundatoribus*; Sacra vero Congregatio hoc pacto respondit (7): *Ad primum, & secundum censuit, attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem, quatenus adsit; sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio.* Porro id Presbyteris sæcularibus æque, ac Regularibus observandum indicitur; nam die 15. Januarii anno 1639. eadem Congregatio hoc responsum edidit (8): *Eleemosynam pro qualibet Missa per Regulares celebrandam in eorum Ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii juxta moram regionis.*

XI. His peractis plures quæstiones excitatæ fuerunt, ut (si fieri posset) Decreta ejusmodi labefactarentur. Ac primum, an hæres præscribere posset eleemosynam, cum Testator nullum certum stipendium pro centum Missis celebrandis explicavit; verum in Decretis generalibus Urbani, quæ superius commemoravimus, ita decernitur: *Censuit, ubi nullam certam Eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam Eleemosynam congruam, quæ respondea oneribus Missarum celebrandarum secundum morem civitatis, vel provinciæ.* Aliqui falso quodam studio Ecclesiasticæ disciplinæ, & observantia erga Episcopos ducti libere asseruerunt, nullum stipendium a laicis tribui posse, quod summam ab Episcopo præscriptam excedat, nec illud jure a Sacerdotibus accipi posse, licet nulla conventione interposita, sed ultro concedatur. Aliquis etiam Episcopus hanc sententiam amplexus est; & censuras in eos minatus est, qui stipendia ejusmodi conferrent; verum id communi omnium opinione improbatum fuit; quippe nihil mali proficiscitur, si stipendium a Synodo, vel consuetudine, vel etiam Decretis Episcoporum designatum superetur, cum nulla pactio, seu conditio intercedat (9). Sacra Congregatio Concilii non semel, at præsertim die 16. Januarii anno 1649. ita (10) respondit: *Proponitur dubium, an possit Episcopus prohibere sub pœna censurarum laicis, ne pinguius stipendium taxæ solvant Sacerdotibus tam sæcularibus, quam Regularibus, Missam celebrantibus, & quod iidem sacerdotes illud acceptare non possint etiam a sponte dantibus:* Post Hæc ita decernit: *Prohiberi non posse, ideoque moderandum Decretum.* Episcopus Septempedanus hæc proposuit S. Congregationi examinanda: *Episcopus narrat, sacrosanctum Missæ Sacrificium quodammodo vilescere, dum Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis Eleemosynæ dimidii julii pro qualibet Missa; unde supplicat, declarari, an ipse statuere possit Elemosynam manualem unius integri julii pro qualibet Missa, imponendo pœnam celebrantibus pro minori quantitate.* Cui Sac. Congregatio ita responsum fecit: *Sacra &c. respondit affirmative quoad eleemosynam manualem.*

XII. Accessit alia quoque controversia, quam Locorum Piorum Curatores, & qui Custodes Sacrariis præpositi sunt, publica fere auctoritate concitaverunt, cum adhuc Urbanus VIII. Pontificatum obtineret, in cujus Decreti tota quæstio his verbis exprimitur: *An permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam Eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium*; quibus ita sejunctim respondetur: *Permittendum non esse, ut Ecclesiæ aut Loca Pia, seu illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione.* Ac paulo post: *Nisi cum Ecclesiæ, & Loca Pia alios non habeant redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; & tunc, quam portionem tinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessario sunt subeundæ.* Tertio loco ita subjicitur: *Et nihilominus eo etiam curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut supra deductis, obsolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.*

XIII. Edictum in eamdem prorsus sententiam vulgari jussit Clemens XI. die 23. Decembris anni 1706. (11). Cum deinde de eadem causa expensarum, quæ pro Missæ Sacrificio hebdomadario necessario debent ab Ecclesiis, Piisque Locis, quibus ob inopiam

(1) *Part. 2. cap. 17. num. 411.* (2) *Lib. 3. cap. 12. num. 5. de Rubric. Miss.* (3) *In suis Operib. & in suis Controversiis lib. 3. controver. 5. num. 55.* (4) *Datæ fuerunt die 30. Martii anno 2661.* (5) *Pag. 251.* (6) *In causa Atinen. Applicationis Sacrificii lib. 27. Decretorum fol. 61.* (7) *Lib. 48. Decretor. pag. 548.* (8) *Lib. 10. Decretor. pag. 238.* (9) *Cardinalis de Lugo in Responsionibus lib. 5. dub. 18.* (10) *In causa Pistorien. lib. 18. Decretor. pag. 575. a tergo.* (11) *Habetur in 2. parte Bullarii pag. 319.*

piam ea facultas non ſuppetit, cum, inquam, cauſa ejuſmodi in examen iterum adduceretur in Sac. Congregatione Concilii, cum nos ipſi Secretarii munus gereremus, hæc petita fuerunt (1): *An Archipresbyter Eccleſiæ Collegiatæ Oppidi Montis Curoni fuerit, & ſit obligatus ſubminiſtrare vinum, ceram, & hoſtias Cappellanis, aliiſque Præsbyteris de clero celebrare volentibus, vel obligatis celebrare Miſſas in Eadem Eccleſia:* Reponſum his verbis datum fuit: *Archipresbyterum non teneri ad miniſtranda utenſilia, de quibus agitur, iis, qui celebrant in ſua Eccleſia ex obligatione Beneficii, ſive Cappellaniæ: quo ad Miſſas adventitas admittendas, niſi ſolutis utenſilibus per celebrantes.* Inſuper die 14. Maji anno 1729. dum cauſa Maceratenſis ageretur, vetuſtius Sac. Congregationis Decretum, quod anno 1685. confectum fuerat, confirmatum eſt. Illud quidem Patribus Minoribus Conventualibus permittebat, ut aliquid retinerent pro expenſis Miſſarum, quas Presbyteri Sæculares in ipſorum Eccleſia celebrare ex officio tenebantur; non autem, cum reliqui Sacerdotes pietate ſolum ducti Sacrum in eadem Eccleſia conficerent: ex his ſatis aperte conjicitur, primum, ſi Eccleſiæ paupertas interveniat, aliquid retineri poſſe pro neceſſariis Miſſarum expenſis, cum perpetuæ ſunt; etenim conſuetum ſtipendium non minuitur, cum Teſtatores perpetuas Miſſas inſtituentes integro Sacerdotes ſtipendio, omnibuſque expenſis pro Sacrificio peragendo neceſſariis conſulere debuerint. Quod ſi aliquid deeſſe videatur, vel quia per Teſtatorem præſcriptum non fuerit, aut quia curſu temporis conſtituti proventus ad Miſſas agendas imminuti habeantur, aliquis inter hæredes ſortaſſe aderit, qui ære ſuo expenſis omnibus ſatisfacere debeat. Poſtremo, ſi nulla ex parte ſubſidium deſumi poteſt, ſemper aditus patet ad petendum, ut Miſſæ ejuſmodi ad minorem numerum redigantur. Secundo, ſi, uti ſuperius dictum eſt, Eccleſiæ paupertas interſit, aliquid retineri poteſt pro Miſſarum expenſis quæ in ipſa Eccleſia per aliquem pium Teſtatorem inſtitutæ fuerunt, vel cum Sacrarii Cuſtodes plurimis congeſtis eleemoſynis Miſſas celebrandas indicunt. Tunc enim ex conſueto ſtipendio aliquid plerumque detrahitur, quod tamen permitti nequit, cum Eccleſia privilegium a Sede Apoſtolica obtinuerit, ut pro expenſis in Sacrificio neceſſariis Miſſarum numerus minuatur; quo ſane privilegio aliquas Romæ Eccleſias gaudere non ignoramus. Tertio, etſi Sacrarium Eccleſiæ præmatur inopia, nihil pro expenſis Miſſarum neceſſariis exigi poteſt a Sacerdotibus, qui ad eamdem Eccleſiam accedunt rem divinam facturi, aut pietatis cauſa, aut certe nullo ducti ſtipendio per Eccleſiæ Miniſtros, quamvis ipſi nullo jure adſtringatur illis Sacerdotibus permittere, ut Sacrum ibidem perficiant. Quarto, ſi Sacerdos ipſe celebrare in eo templo omnino poſſulat de cujus paupertate conſtat, tunc aliquid pro expenſis depoſcere licet, vel a Præsbytero, qui ob pietatem ſacrum facit, vel ab eo, qui collato ſtipendio Sacrificium indixit, ſi forte Sacerdoti aliquid ſuperaddere velit pro conſuetæ eleemoſynæ detrimento, quod ratione expenſarum ſubeundum eſt; vel tandem, ſi aditus ejuſmodi præcludatur, ex ipſo conſueto ſtipendio aliquid expetere conceditur.

XIV. Non minorem ſane diligentiam Sedes Apoſtolica contulit, ut Miſſarum Sacrificia præſcripto tempore, ac loco, integroque numero perſolvantur. Decreta Urbani VIII. prohibent adventitias Miſſas accipere, niſi reliquæ omnes, pro quibus antea ſtipendium collatum fuit, penitus abſolvantur. Hinc orta quæſtio fuit, an Decretum ejuſmodi nulla pateretur interpretatio, reſponſumque eſt novas eleemoſynas admitti poſſe *dummodo infra modicum tempus poſſent omnibus ſatisfacere.* Porro hujus modici temporis ſpatium ad duos, vel tres menſes protrahebatur. At Sacra Concilii Congregatio die 17. Julii anno 1755. ita reſpondit: *Cum in declaratione undecimi impreſſa ſuper Decretis de celebratione Miſſarum permittatur receptio aliorum onerum Miſſarum celebrandarum dummodo infra modicum tempus poſſit omnibus ſatisfieri, hodie nonnulli Superiores Regulares pro conſcientiarum, ut inquiunt, quiete denuo quærunt, an dictum modicum tempus celebrandi Miſſas reputetur tempus duorum, vel trium menſium.* Sacra &c. reſpondit *modicum tempus intelligi infra menſem* (2). Quod pertinet ad numerum Miſſarum ſatis explicatur in Decretis Innocentii XII. litteris Apoſtolicis ejuſdem Pontificis inſertis, quibus Urbani VIII. Decreta confirmantur. In his præcipitur, ut figatur in Sacrario Tabella, in qua Miſſæ perpetuo celebrandæ deſcribuntur; ut duo libelli ſerventur, in quorum altero perpetuæ Miſſæ jam peractæ, in altero adventitiæ notentur, ut Fabrica S. Petri nullam compoſitionem elargiatur pro Miſſis, quæ prætermiſſæ fuerint, niſi ea conditio interceſſerit: *Dummodo malitioſe non omiſerint, animo habendi compoſitionem; alias, gratia nullo modo ſuffragetur:* præter alias pœnas, quæ ejuſmodi delinquentibus infliguntur. Quod ſi tanta pecunia pro Miſſis celebrandis in dies congregatur, ut infra præſcriptum tempus abſolvi nequeant in illa Eccleſia, vel Altari, quemadmodum ſtipendium conferentes expoſtulant, per Sac. Congregationem Concilii præcipi ſolet, ut palam in templo Tabella exponatur, quæ declaret, in ea Eccleſia, ſeu Altari infra certum tempus, ſacra quæ fieri poterunt, conficienda eſſe; quæ ſupererint, in alia Eccleſia, ſeu in diverſo Altari ejuſdem Eccleſiæ celebranda. Hoc pacto, qui eleemoſynas tribuunt, univerſa perſpecta habebunt, & pietati facilius obſecundare poterunt, prout ipſis libuerit.

XV. Id plerumque evenit, cum de aris privilegiatis agitur; de quibus illud certum, & commune eſt apud Theologos, Indulgentias Defunctis prodeſſe, non tanquam *ex poteſtate judiciaria*, uti contingit, cum Indulgentiæ degentibus adhuc inter vivos conceduntur, ſed modo tantum ſuffragii, quemadmodum Gabriel Biel fuſe demonſtrat (3). Hoc fundamento innitur Summus Pontifex, cum privilegiatas aras declarat, ac pro Miſſæ celebratione, quæ in illis indicitur ad expiandam Defuncti alicujus animam, Thaſauri Eccleſiaſtici eam partem attribuit *per modum ſuffragii*, quæ ſatis eſt, ut eadem anima, ſi Deo placitum ſic fuerit, e Purgatorii cruciatibus eripiatur, uti Gregorius XIII. explicat, cum privilegiatum Altare Metropolitanæ noſtræ Sancti Petri largitus eſt: *Eam a pœnis Purgatorii, quantum Divinæ bonitati placuerit, per modum ſuffragii liberare poſſit.* Extant monumenta, quibus ejuſmodi Altaria in Eccleſia fuiſſe comprobatur, cum Paſchalis I. Pontificatum obtineret. *Paſchalis I.* (inquit Bellarminus (4)) *Indulgentiam ita conceſſit, uti, qui pro Animæ Patris, vel alterius particularis Perſonæ defunctæ tot Miſſas celebraverit in Cappella Sancti Zenonis, quæ eſt in Eccleſia Sanctæ Præxedis, Animas illas de Purgatorii pœnis eripiat.* Eadem privilegia poſteriori tempore perſtiterunt; quin aliud magis amplum a Gregorio XIII. conceſſum fuit. Quamobrem, cum Paulus V. Sedem Apoſtolicam teneret, viſum fuit aliquam normam ſuper hac re conſtituere (5). Congregatio itaque indicta fuit ad quam celeberrimi Cardinales Baronius, Bellarminus, Du Perron, & Alculanus convenerunt. In ea ſancitum eſt, ut Altaria privilegiata iis tantum Eccleſiis permitterentur, quæ magis inſignes eſſent, & in quibus quotidie præſcriptus ab eadem Congregatione Miſſarum numerus haberetur. Verum, ut pro his indulgentiis, cæteriſque omnibus ratio quædam, ac methodus ſervarentur, in Pontificatu Clementis IX., ac deinde Clementis XI. Congregatio deſignata fuit, noſque ipſi inter Conſultores ejuſdem cooptati. Decretum in ipſa fuit, ut eæ ſolum Eccleſiæ Altari privilegiato ſemel in hebdomada fruerentur, in quibus quotidie ſaltem Miſſæ quinque agerentur, quæ certæ eſſent, non adventitiæ: Si vero decem ſacra quotidie certo fierent, eodem privilegio bis in hebdomada privilegiato Altari uti poſſent: quadraginta poſtremo Miſſas neceſſario requiri, ut idem privilegium eſſet quotidianum. Ea Congregatio nihil de illis Altaribus privilegiatis conſtituit, quæ Fidelibus adſcitis in ſacra ſodalitia, aliiſque peculiaris Iuſtituti viris a Pontifice tribuuntur. Porro licet ex his privilegiis plura nuncupentur perpetua, certo tamen temporis ſpatio definiuntur, ut illa præſertim, quæ poſteriori tempore per Sedem Apoſtolicam concedi ſolent. Oſtendit Thiers (6) qua ſervitute quidam Galliæ Epiſcopi in eos Rectores Eccleſiarum uſi fuerint, qui ſtipendia pro Miſſis ad Altare privilegiatum celebrandis acceperant, cum privilegii tempus abſolutum jam fuiſſet.

XVI. Nonnulli pariter aſſerere auſi ſunt nullo modo neceſſarium eſſe, ut præſcriptus Miſſarum numerus ſingulis diebus conficiatur, ſed ſufficere, ut Miſſæ pro privilegiatis Aris obtinendis deſignatæ pluribus cujuslibet hebdomadæ diebus celebrentur. Verum Innocentius XII. hoc Decretum Sacræ Congregationis Concilii ſua auctoritate approbavit: *Cum juxta ſtylum Secretariæ Brevium Apoſtolicorum in Indultis Altarium pro Animabus Fidelium Defunctorum ac pœnis Purgatorii liberandis, ut vocant, privilegiatorum præfiniri ſoleat certus* nume-

(1) *In Cauſa Dertonenſi propoſita die 8. Junii reſoluta die 6. Julii, & confirmata die 20. Sept. 1726.*
(2) *Lib. 16. Decretor. pag. 498.* (3) *De canone Miſſæ lect. 57.* (4) *In ſuo Tract. de Indulg. lib. 1. c. 14.*
(5) *Bellarm. epiſt. 48. de litt. familiaribus.* (6) *In ſuo tract. de Superſtition. tom. 4. c. 18.*

*numerus Missarum in Ecclesiis, in quibus Altaria hujusmodi sita sunt, quotidie celebrandarum, adjecta nimirum clausula: Dummodo in dicta Ecclesia tot Missæ quotidie celebrentur; frequenter vero contingat, ejusmodi conditionem non ita exacte adimpleri, & nihilominus nonnulli favorabiliter illam interpretantes asserant, sufficere, quod Missæ in iisdem Indultis, sicut præmittitur, præfinitæ, pluribus saltem diebus cujuslibet hebdomadæ celebrentur, nec necesse sit, illas singulis diebus celebrari; ideirco exortum fuit Dubium de mandato Sanctissimi Domini Nostri in hac Sacra Congregatione discutiendum. An, attenta clausula suprædicta, necessaria omnino sit singulis diebus celebratio Missarum in Indultis hujusmodi præfinitarum, vel potius sufficiat aliquibus, licet non omnibus, diebus cujuslibet hebdomadæ &c.* Die 5. Junii 1694. Sacra &c. *respondit affirmative quoad primam partem, negative quo ad secundam, ac proinde celebratio Missarum Indultis præfatis, ut præfertur præfinitarum omnino necessariam esse singulis diebus in eadem Ecclesia. Et, facta de præmissis relatione Sanctissimo die 17. Julii ejusdem anni, Sanctitas Sua Sacræ Congregationis sententiam benigne approbavit; & publicari mandavit: Die 11. Septemb. 1694. lib. 44. Decretorum pag. 467.*

XVII. Regularium, ac Sæcularium cœtus, cum Clemens XI. esset Pontifex, a Sacra Congregatione Concilii hæc petiverunt: *Primo, an absentibus Religiosis ex causa prædicationis tempore Quadragesimæ, & Adventus, quel quando occasione Festivitatum, vel funerum, aut similium a Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, Indulgentiæ concessæ cum certo numero Missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent, vel pro eo tempore, quo numerus non fuerit adimpletus, sint suspensæ, vel potius remaneant in suo robore. Secundo, an idem sit statuendum deficiente præfixo numero Missarum ob infirmitatem Sacerdotum tam Regularium, quam Sæcularium. Tertio, an pariter sit statuendum, deficiente dicto numero Missarum ob absentiam ab Ecclesiis Sæcularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, vel menses,* His ita responsum fuit die 30. Julii anno 1706. (1): *Ad primum quod primam partem pro tempore Adventus, & Quadragesimæ censuit remanere suspensas; non autem in reliquis, dummodo raro contingat. Ad secundum censuit, non remanere suspensas. Ad tertium, satis provisum in primo.*

XVIII. Hæc nobis exponenda fuerunt, ne muneri nostro pro hujus Diœcesis administratione deesse videremur; ut vero omnia perficiantur, Decreta in primis Urbani VIII. Innocentii XII., aliorumque Pontificum plurimum commendamus, nec non Decreta Sac. Congregationum, quæ superius commemoravimus.

XIX. Cum autem Cardinalis Boncompagnus statuerit (2), ut fors pro Missa perpetua 112. scutis Romanis constaret, nos hanc summam ad 60. Romana scuta redigimus, cujus rei causam hinc subjicimus.

XX. In Pontificatu Innocentii XIII. omnes fere Regularium Ordines summo studio petiverunt, ut onera pro Missis perpetuis imminuerentur. Tradita nobis fuit hujus negotii cura, habitisque cum Præfectis Regularium pluribus colloquiis, postremo sancitum fuit, ut onera pro singulis Missis perpetuis, ad 60. Romana scuta redigerentur, eaque summa perpetuo in ejusmodi Missis excipiendis servaretur. Id Summus Pontifex sua auctoritate probavit, ac per omnes Regularium cœtus Decretum eo modo confectum fuit, uti paulo ante explicavimus.

XXI. Coacto Romano Concilio per Benedictum XIII. in quo locum inter Canonum interpretes nos ipsi tenuimus, facultas Episcopis permissa fuit, ut in suis Diœcesibus 60. Romana scuta pro singulis perpetuis Missis decernerent, uti Pontifex Innocentius XIII. Præfectis Regularium ante prescripserat. Insuper ea conditio adjecta fuit, ne majorem, aut minorem pecuniæ summam pro Missis perpetuis in posterum statui paterentur.

XXII. Eadem ratione Sanctissimus Pontifex, qui Ecclesiam universam feliciter moderatur, nobis potestatem fecit, eamque prorogavit, ut in peragenda Pastorali Visitatione perpetuas Missas ad præscriptam normam redigeremus. Quare, si hac auctoritate præditi pro iisdem Missis 112. Romana scuta ad 60. solum scuta reduximus; quisquis consilii nostri rationem facile perspicere potest. Monendum quoque est, perpetuas Missas excipi non posse juxta Decreta Urbani VIII., atque Innocentii XIII., nisi facultas nostra, aut Vicarii nostri Generalis intercesserit.

XXIII. Nihil novi pro stipendiis Missarum adventitiis constituimus; sed morem jampridem inductum libenter probamus. Cum Benedictus XIII. Pontifex esset, magno apparatu, magnoque studio propositum fuit, ut idem stipendium augeretur, cum Romæ ad decem Romanos asses solum pertingeret: Sacræ Congregationi Concilii res examinanda tradita fuit, cum nos ipsi Secretarii munus ageremus. Quare dissertationem in lucem edidimus, in qua rationes pro utraque sententia continebantur; Die vero 14. Aprilis anno 1726. petitum fuit: *An, & in qua quantitate elemosyna manualis Missæ augenda esset in Urbe.* Responsum his verbis datum: *Nihil esse innovandum, & ad mentem; Mens est, ut agatur cum Eminentissimo Vicario super observantia Decretorum pertinentium ad utensilia, & ad non transmissionem Missarum extra Urbem.*

XXIV. Nihil pariter innovamus pro ea parte pecuniæ, quæ ratione utensilium Sacrariis confertur, cum Officium pro Defunctis, aut celebritas aliqua in honorem Sanctorum indicitur. Insuper, cum nihil utensilium causa requiri solet ab iis, qui solum ob pietatem in aliquo templo rem divinam facere instituunt, præcipimus, ut in hac Civitate ac Diœcesi eadem consuetudo perpetua, & constans habeatur. At vero pro stipendii parte, quæ utensilium causa retinetur, cum de Missis perpetuis agitur, vel de iis, quæ a piis Testatoribus præscriptæ fuerunt, volumus, ut Curatores Ecclesiarum infra tres menses Vicarium nostrum Generalem adeant, qui juxta normam superius expositam judicabit, an pars aliqua stipendii retinenda, & quænam summa statuenda videatur. Si id facere prætermiserint, & facultatem a Vicario Generali infra præscriptum temporis spatium non obtinuerint, jussu nostro nihil omnino retinere poterunt.

XXV. Postremo jubemus infra tres menses deferri ad Scribam Curiæ Archiepiscopalis diplomata, quibus Altaria privilegiata declarata fuerunt, ut ipse auctorem concessionum ejusmodi cognoscat. Nam plures Apostolica privilegia sine ullo jure jactantes, eam sibi facultatem attribuerunt. Idem Scriba deprehendet, num ea privilegia concessa perpetuo fuerint, an certo tempore concludantur; num tempus ejusmodi jam absolutum, an prorogatum sit; quænam conditiones adjectæ; & an diligenter perfectæ fuerint. Si hæc diplomata, ac testimonia constituto tempore non proferantur, Altaria privilegio carentia pronunciabimus, aliasque pœnas infligemus.

## INSTITUTIO LVII.

*De publico examine indicendo pro vacatione Canonicatus Theologalis in Metropolitana Ecclesia. Qua de causa, & quo tempore in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis lectiones Theologales institutæ fuerint. Non esse idoneum ad obtinendas præbendas Theologales, qui Doctoris lauream in probata Academia consequuntus antea non fuerit. De munere Canonici Theologi. Diversa in hac re plurium locorum esse instituta, & quare id eveniat.*

I. RE Nunciato in Episcopum Assisinatem Octavio Ringhierio, vacuus relinquitur in hac Metropolitana S. Petri Canonici Theologi locus, quem ille obtinebat; ad Summum Pontificem pertinet eum dignitatis gradum conferre, uti jure Pontificio constituitur (3). Muneris nostri partes in eo solum positæ sunt, ut publicum examen indicamus, quod deinde ad Cardinalem pro-Datarium transmitti debet, ut quid statuendum sit, Pontifex dijudicet.

II. Pontifex Alexander III. in Lateranensi Concilio tertio, quod anno 1179. coactum fuit, præcepit, ut in singulis Cathedralibus Ecclesis sufficiens Beneficium sapienti viro decerneretur, qui Clericos, ejusdem Ecclesiæ, aliosque egenos sine ullo stipendio sacras litteras, ac disciplinas edoceret (4). Cum tamen id prætermissum fuisset, Innocentius III. in Concilio quarto Lateranensi (5) Decretum Alexandri confirmavit, & insuper jussit, in quacumque Metropolitana Theologum designari, qui Presbyteros, cæterosque sacris litteris informaret, & ea præsertim traderet, quæ spectant ad animarum curam. Ipsi vero proventum statuit, quem percipere debeat, donec hoc docendi munere fungatur (6).

III. At vero de Metropolitanis solum agebat Innocentius. Hinc Basileense Concilium (6) Cathedrales omnes eodem Decreto complexum est. Tridentina autem Synodus (7) non modo Cathedralibus, sed Collegiatis etiam, quæ in aliquo insigni Oppido constitute essent, edixit, ut proventus, qui primo va-

ca-

(1) *In Bullar. Clementis XI. part. 2. c. 5.* (2) *In Synod. lib. 1. cap. 5.* (3) *Ad Regimen de Præbend. inter communes &c.* (4) *Can. 11.* (5) *Anno 1215.* (6) *Cap. Quia nonnulli de Magistris.* (7) *Sess. 21. c. 3.*

caret, Magistro ad sacras litteras explicandas præposito tribueretur. Illud pariter adjecit, ut in Monachorum Cœnobiis, ubi commode fieri posset, sacræ litteræ publice explanarentur. Postremo Benedictus XIII. anno 1725. Cathedrales, quæ adhuc Præbenda Theologali carerent, ad illam excitandam non modo hortatus est; sed etiam hæc sanxit (1): *Volumus insuper, ut tam illa* (de Præbenda Theologali recenter excitata agitur) *quam reliquæ omnes aliæ Præbendæ Theologales hactenus constitutæ, & deputatæ conferri semper debeant Doctori in Sacra Theologia, vel qui infra annum Doctoralem Lauream in eadem facultate suscipiat, & cæteroquin magis idoneo in formali concursu ab Examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo Parochiales Ecclesiæ conferuntur. Hunc porro in finem, quotiescumque ejusmodi Præbenda Theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur quicumque concurrere, & examini se subjicere voluerint, coram Episcopo, & quatuor Examinatoribus, etiamsi Synodales non sint, ab eodem Episcopo actu deligendis, ac deputandis, in Theologali tamen facultate conscriptis, & valde peritis, sive Sæcularibus, sive Regularibus; & illi, qui in ejusmodi concursu probatus, magisque idoneus renuntiatus fuerit, Præbenda conferatur. Quoties autem Præbendæ collatio ad Sanctam Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem Acta concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem Præbendam illi assignare, atque conferre possit, quem cæteris digniorem, & magis idoneum in Dominio judicaverit.* Hæc quidem Benedicti Constitutio excusa fuit post Romanum Concilium, quod non nisi Romanam Provinciam afficit; cum tamen illud contineatur: *In Cathedralibus quibuscumque Italiæ, Insularumque adjacentium*, procul dubio hanc nostram Metropolitanam idem Decretum complectitur.

IV. Ex ipso satis aperte colligitur, Præbendam Thologalem in eum conferri non posse, qui in Sacra Theologia Doctoris Lauream adeptus non fuerit, vel ipsam infra annum non susceperit, quemadmodum Dataria præcipere consuevit, cum alicui proventus ejusmodi conceditur: *Volumus autem, quod tu infra annum proximum gradum Magisterii in aliqua approbata Universitate Studii generalis, prævio rigoroso examine, ac aliis servatis servandis, suscipere omnino tenearis: alioquin Canonicatus, & Præbendæ vacent eo ipso.*

V. Neque sane, ut quis Doctor in Sac. Theologia declaretur, satis est, ut Lauream Doctoris in jure Pontificio consequutus sit, vel infra annum consequi ipsam deliberet; non, inquam, satis est, ut Præbendam Theologalem, de qua agimus, sibi comparet. Nam, licet nullum discrimen inter Theologum, & Canonum Interpretem prius agnosceretur (2), nunc aliter se res habet: siquidem Sacrorum Canonum studium, ac disciplina subjicitur Theologiæ, cui pariter Sacrorum Canonum scientia anteponenda est, non secus, ac naturalis Philosophia Medicorum facultati, ac Musicæ Arithmetica necessario præponitur. Insuper ad Theologum pertinet dogmata in medium proferre, ac publice explicare, ac de illis, tamquam de suis principiis disputationes instituere, quæ sane omnia Canonum Interpres jam pro certo habet, atque ex Theologiæ fontibus desumpta. Quam ob causam magnum discrimen inter ipsos intercedit, adeoque non sufficit ad obtinendam Theologalem Præbendam, si quis in jure Canonico Laurea Doctoris ornatus fuerit, aut infra annum ipsam consequi secum decernat, nisi forte privilegium Apostolicæ Sedis interveniat. Id sancitum fuit a Sac. Congregatione Concilii, cum nos ipsi Secretarii munus gereremus, tanquam generalis norma, die 5. Julii anno 1723. Cum enim petitum fuisset: *An provisis de Præbenda Theologali cum clausula de assumendo infra annum gradu Magistri in Sacra Theologia in aliqua approbata Universitate, de jure sufficiat, quod Magisterium intra annum recipiant in jure Canonico in aliqua approbata Universitate*: hoc pacto responsum est: *Negative, & babebitur ratio in casibus particularibus.*

VI. Neque ad Præbendam Theologalem satis habetur Magisterii gradus in Sacra Theologia, nisi ille in aliqua probata, ac publica Universitate comparatus fuerit. Id quidem ex allata sententia Sac. Congregationis deprehenditur, & Sancti Pii V. Pontificis auctoritate magis firmatur (3), qui ad Beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, quæ Doctoris titulum necessario requirunt, eos minime idoneos declaravit, qui in publica Academia Doctoris gradum in jure Canonico, seu Civili, aut in Sac. Theologia non obtinuerint, omnia quoque privilegia prorsus abrogat, quæ Decessores Pontifices impertiverunt. Accedit etiam, quod in controversiam adductum fuit, an post S. Pii Constitutionem impetrari queant Beneficia, quæ Doctoris gradum conjunctum exigunt, si Beneficio præditus eum gradum in publica Universitate non acceperit, sed ab aliquo, qui ex privilegio Doctoris titulum, atque honorem conferre possit, quod sane affirmatum fuit, uti perspicitur ex Decreto Sac. Congregationis Concilii, quod Galesii (4), & Præsulis Zaulii (5) operibus insertum continetur. Silentio præterimus litteras Apostolicas Gregorii XV. datas die 4. Julii anno 1622., quibus Clementis VII. litteras, & Cardinalis Alexandri Montalti Decretum anno 1604. evulgatum confirmat, præcipitque iis omnibus, qui Doctores constituti fuerint eo modo, quem nuper exposuimus, ne Togam Doctoris Bononiæ super induere, neque palam docere audeant.

VII. Munus Canonici Theologi in eo situm est, ut Sacram Scripturam interpretetur, quemadmodum docet his verbis Tridentina Synodus (6): *Ad ipsius Sacræ Scripturæ expositionem, & interpretationem.* Item alio loco sic habet: *Ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio habeatur.* De Monachorum autem Cœnobiis verba faciens, hæc tradit: *In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio Sacræ Scripturæ habeatur.* Hic sane Tridentinum Concilium de sacrarum litterarum interpretatione sic agere videntur, ut ipsam a Theologiæ Scholasticæ lectione sejungat. Primum enim de expositione Sacræ Scripturæ verba facit: *Ne cœlestis ille Sacrorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat.* Tum quia Decreti ejusdem causa controversiam excitatam non ignoramus inter Cassinatem Abbatem, & insignem Theologum Scotum ex Ordine S. Dominici, utra nempe ex lectionibus Scholasticæ Theologiæ, & Sacrorum Librorum præferri deberet (7): attamen cum ipsa Synodus de utraque simul lectione sermonem habeat: *Pro Lectoribus Sacræ Theologiæ*: Item, *ut Theologi lectio in eis commode haberi non possit*: Sacra Congregatio Concilii non semel respondit, munere suo perfungi, qui Præbendam Theologalem obtineat, si sacras litteras exponat, aut Scholasticam Theologiam tradat diligenter (8).

VIII. In quibusdam locis pro Sacra Scriptura, ac Thelogia Scholastica, quæstiones de Morali Theologia a Canonico Theologo explicantur. In hac vero Metropolitana Canonicus Theologus aut sacras litteras, aut Scholasticam Theologiam interpretabitur, cum nulla consuetudine ad Moralem Theologiam tradendam adducatur. Nam cœtus indicitur pro ejusmodi quæstionibus examinandis, ad quem statis diebus Metropolitanæ Canonici, Parochi, & Confessarii conveniunt, ipsique cœtui Teologus pœnitentiarius præficitur. Porro huic Civitati valde indecorum esset, si eam consuetudinem reciperet, quæ in parvis Oppidis dissimulatur, ubi præstantes doctrina viri non ita facile versantur, qui Sacram Scripturam explanent, aut Scholasticam Theologiam reliquos edoceant. Hæc autem præclara Civitas studiorum parens merito nuncupatur, in qua Innocentius VI. anno 1360. celebrem Thoologiæ Academiam excitavit (9). Noster quoque Civis Gregorius XIII. privilegium confirmans a Julio II. traditum qua civibus tantum conferenda Beneficia nostræ Urbis edixit, ipsam magna Theologorum copia redundare testatus est (10): *Nos itaque, quibus satis liquet, Civitatem nostram prædictam viris omni doctrinæ genere, & præsertim Teologiæ præditis abundare.* Nos etiam cognitum perspectumque habemus, plures in hac Civitate iis virtutibus præditos esse, quas Theologo Scholastico convenire Melchior Canus existimavit (11): *Quem vero intelligimus Scholasticum Theologum? Aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, qui de Deo, rebusque Divinis apte, prudente, docte, & litteris, institutisque sanis ratiocinetur.* Interim dies, quibus Canonicus Theologus suum munus exercere debeat, nos ipsi designabimus, ne ulla perturbationis occasio præbeatur. Tertiam partem Theologalis Præbendæ secernemus, quæ Sacrario hujus Metropolitanæ tribuetur habita dierum ratione qui-

(1) *In Constit. quæ incipit: Pastoralis officii &c.* (2) *Bulæus in Histor. Universitat. Parisiensis tom. 2. Sæculo 4. pag. 580.* (3) *In sua Const. 60. in Bull. Rom. tom. 2.* (4) *De restitut. in integrum cap. 7. num. 67.* (5) *Ad statuta Faventiæ tom. 1. lib. 2. rubr. 20. sub num. 10.* (6) *Cap. 1. sess. 5. de Reformat.* (7) *Pallavicinus in histor. ejusdem Concil. lib. 7. cap. 5.* (8) *Gallemart. ad dictum cap. 1. num. 16. sess. 5. de Reformat. Fagnanus in Cap. Quia nonnullis num. 29. & segg. de Magist. Garzias de Benefic. 5. part. cap. 4. num. 156. Pirringh. in jus Canon. tom. 4. lib. 5. §. 1. sub num. 7. vers. notandum sexto. Pignatellus Consult. 62. num. 27. tom. 3.* (9) *In sua Bulla 2. tom. 1. Bullar. Roman.* (10) *In Constitut. evulgatæ anno 1584.* (11) *Lib. 8. de locis Theologicis cap. 1.*

quibus præscriptas lectiones tradere idem Canonicus Theologus, prætermiserit, uti Benedictus XIII. decernit (1).

IX. Hæc breviter innuenda fuerant de publico examine, eorumque virtutibus, qui Præbendam Theologalem expetunt. Illud monendum superest, die 11. proximi mensis Maji idem examen habendum in nostris ædibus, cui nos ipsi, & Examinatores, quos nominabimus, hora 12. præsentes aderimus. Scriptæ quæstiones proponentur; responsiones pariter scripto, latinoque sermone exarari volumus quæ Romam ad Cardinalem Pro-Datarium mittentur. Nam examen pro Theologali Præbenda eodem modo, ac pro Ecclesiis Parochialibus obtinendis idem Benedictus XIII. præscribit.

## INSTITUTIO LVIII.

*Epistola encyclica Vicariis Foraneis inscripta, qui testimonia obsignant de meritis Ordinandorum, & illis etiam, qui hujusmodi testimonia accipiunt. Quid observandum sit erga Diœcesano, quis in Civitate diu versati fuerint, & posteain agrum redierint, si petant, aut proferant sola testimonia a ruralibus Parochis comparata. De testimoniis ad prolandam necessitatem, atque utilitatem Ecclesiarum, ad impetrandam facultatem ut solvantur interstitia tam pro Clero Sæculari, quam pro Regulari.*

I. UT in conferendis Ordinibus tum minoribus, tum majoribus quædam norma, ac recta methodus servetur, plures Institutiones evulgavimus, nempe 2. 23. 26., & 42. quæ in hoc libro continentur. Nunc re monemus, eosque simul, qui meritis Ordinandorum examinandis præpositi sunt, ut eas percurrant, antequam suo testimonio illos probent, qui ad Ordines provehendi sunt, caveantque, ne aliquid ab iisdem institutionibus alienum, ac dissonum deprehendatur. Hic autem duo subjicimus, que necessaria putamus. Ac primum, plures ex Diœcesi in Urbem confluunt, ut studiis operam præbeant; deinde, cum litterarum studia intermittuntur, quæ sane cessatio non exiguo temporis spatio concluditur, paternam domum repetunt. Postea, cum Ordines exposcunt, testimonium ruralis Parochi solum proferunt, qui fatetur, eos Ecclesiæ fuisse addictos, Christianæ legis, ac doctrinæ explicationi interesse, ad Sacramenta percipienda sæpius accedere, ac susceptum Ordinem exercere sedulo consueviſse. Itaque id minime sufficere declaramus; sed nos etiam certos facere debent, iisdem muneribus perfunctos diligenter fuisse, cum ratione studiorum in Urbe versarentur. Secundo, Tridentinum Concilium certos limites interstitiis constituit, videlicet anni spatium, ut a minoribus Ordinibus ad majores Clerici admittantur: *Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad Sacros Ordines promoveantur.* Annum pariter pro Presbyteratu suscipiendo. *In Diaconatu ad minus per annum integrum.* Episcopis tamen permittit, ut hæc interstitia remittant, si Ecclesiæ necessitas, vel utilitas id postulare videantur: *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud poscat* (2). Nos vero in conferendis Ordinibus discrimen inter Regulares, ac Sæculares statuemus. Profecto in dubium revocari non potest, Regulares etiam Decreto ejusdem Synodi comprehendi, quemadmodum a Sacra Congregatione Concilii sancitum fuit; nam, cum petitum esset (3), an Concilii Decreto Regulares quoque complecteretur: responsum ita fuit: *Sacra &c. censuit comprehendi* (4). Non ignoramus pariter, interstitiorum remissionem non ad ipsorum Præpositos Generales, aut Provinciales, sed ad Episcopum solum pertinere, uti Sacra Congregatio die 17. Maji anno 1693. decrevit: *Sacra &c. censuit, judicium hoc remittendi temporum Interstitia ad Episcopum solum pertinere, non autem ad Generales, aut Provinciales Ordinum* (5). Cum tamen eadem Congregatio die 31. Maji anno 1597. præceperit, ut causas remittendi interstitia Præfecti Regularium cognoscant, illisque Episcopus fidem adhibeat, eorumque testimonium sequatur: *Sacra &c. censuit, remissionem Interstitiorum etiam quo ad Regulares ex causis tantum a Concilio expressis faciendam pertinere ad Episcopum Ordinantem, cum tamen hac in re debere quo ad causas deferre judicio, & attestationi Superioris Regularis Ordinandi* (6); idem quoque die 1. Julii ejusdem anni confirmatum fuit (7), ac postremo eamdem sententiam iterum evulgavit die 12. Septembris anno 1609. (8): *Sacra &c. sæpius declaravit, remissionem Interstitiorum ex causis a Concilio expressis pertinere ad Episcopum Ordinantem, quo ad Regulares ab eo Ordines suscipientes, non autem ad Regulares Superiores; ipsum tamen Episcopum de causis remissionis teneri fidem adhibere, ac deferre, testimonio Superioris Regularis*; cum hæc, inquam, ita se habeant, propositam normam libenter amplectimus, cum præsertim veteri disciplinæ aptissime conveniat. Ofius præclarum Episcoporum lumen legem Interstitiorum primus in Concilio Sardicensi proposuit (9). Illam Concilii Patres unanimes probarunt, sed arbitrio Episcoporum eam facultatem permittendam censuerunt. Romani deinde Pontifices Siricius (10), Cœlestinus, ac Leo Magnus (11), tempus Interstitiorum sanxerunt, nempe per duos annos in Lectoratu, atque Exorcistatu permanendum, per quinquennium in Acolytatu, ac Subdiaconatu, ac per aliud quinquennium in Diaconatu. Gelasius primus, cum eo tempore Regiones Italiæ a Barbaris vastarentur, ob eam causam, & ob exiguum Clericorum Sæcularium numerum indulsit, ut post annum cum dimidio a Lectoratu ad Sacerdotium reciperentur. Regularibus vero unius anni spatium ob hanc præclaram rationem indixit: *Quia* (inquit), *quod annorum Interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte susceptu docetur præstitisse devotio.* At vero Concilii Tridentini Decretum servabimus, cum Ordines Clericis Sæcularibus conferri debebunt, neque pro remittendis Interstitiis tradita nobis facultate utemur, nisi necessitas, seu utilitas Ecclesiæ clare demonstretur. Tum quidem necessitas intervenit, cum peculiari Ecclesiæ Ministri desunt, nec alii Ordinibus præditi sufficere videntur, ut eadem munera sustineant; utilitas autem ostenditur, cum in aliqua Ecclesia parum idonei Ministri versantur, vel si de aliquo viro res agatur ætate jam matura, sed doctrinæ laude præstanti, quæ satis legitimæ causæ a Scriptoribus judicantur (12). Utilitas pariter ex eo proficiscitur, si aliquis Parochiam, aut Beneficium obtinuerit ea conditione, ut infra annum juxta Decreta Sac. Congregationis (13) Præsbyteratum, aut Sacrum Ordinem suscipere teneatur. Nos sane ex hac sententia nunquam recedemus, licet privilegia accipiendi Ordines *extra tempora* a Pontifice obtenta proferantur. Quippe Innocentius XII. declaravit, non esse Episcopos privilegiis ejusmodi ad conferendos Ordines, sed ipsorum arbitrio relinqui ad Ordines quemquam assumere *extra præscripta tempora*, si tamen id cum utilitate conjunctum arbitrentur. Ita decrevit Pontifex die 4. Decembris anno 1693. (14). De his te monendum necessario duximus, ut si forte aliquis sibi remitti contendat Interstitia, consilium, ac propositum te hortante deponat; nisi omnia, quæ superius exposuimus, in supplici libello non solum asserat, sed etiam clare demonstret. Hæc tibi significamus &c.

## INSTITUTIO LIX.

*De Seminario Archiepiscopali. Quam magnam utilitatem afferant Diœcesibus Seminaria: de ipsorum origine. Duæ species Seminariorum antiquitus fuisse. De laudibus Bononiæ. Quid decernant Sacri Canones pro Seminariis. Leges, ac norma recentis Siminarii Bononiensis.*

I. QUam magna utilitas in Diœceses ex Seminariis Episcoporum dimanet, facile deprehenditur ex Tridentina Synodo (15), quæ de iisdem Seminariis erigendis sermonem his verbis exordiur: *Cum adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, & nisi a teneris annis ad pietatem, & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, ac sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret &c.*

II. Sanctus etiam Carolus Borromæus, cum Seminarium suum instituteret, his verbis usus est (16): *Sunt igitur ea potissimum de causa Seminaria erecta, ut in iis boni, strenuique operarii ad curationem animarum, quas suo Sanguine pretioso fines*

(1) *In allata Constitut. §. ceterum.* (2) *Cap. 11. 13. 14. sess. 23. de Reformat.* (3) *In causa Mediolanen. anno 1573.* (4) *Lib. 1. Decretorum pag. 149.* (5) *Lib. 7. Decret. pag. 108.* (6) *Lib. 9. Decretor. pag. 18.* (7) *Lib. 9. Decretor. pag. 22.* (8) *Lib. 11. Decretor. pag. 65.* (9) *Can. 10.* (10) *In epist. ad Imerium Episc. Tarraconen.* (11) *In epist. ad Episc. Galliæ, ac Maurit.* (12) *In Theologia Morali Natalis Alexandri lib. 2. de Sacram. Ord. art. 5. regul. 12.* (13) *Gallemart. cap. 11. sess. 23. de Reformat.* (14) *In Bullario pag. 263.* (15) *Cap. 18. sess. 23. de Reform.* (16) *Part. 3. cap. 1.*

*simo Christus redemit, instituantur; & ii quidem adolescentes (qui ob ætatem, cum tenera sit, & proclivior ad voluptates, & flexibilis etiam ad bonarum rerum impressiones admittendas, in operibus virtutum eruditi debent, ut eam vitæ perfectionem adipiscantur, quæ in iis, qui Doctores populorum futuri sunt, elucere debet, & severioribus disciplinæ legibus coercendi.* Neque omittendum est judicium Concilii Provincialis Aquilejensi, quod an. 1569. celebratum fuit (1), quod his verbis continetur: *Seminariorum institutionem, conservationem, & promotionem in Ecclesia Dei summe fructuosam, qua Clericalis militiæ propagatur ordo, & progressio, tantopere necessariam esse constat, ut sine Ecclesiastica disciplina sine illorum subsidio, & adminiculo vix possit.*

III. Seminaria ejusmodi primum a generali Nicæna Synodo proposita censentur, uti conjicitur ex Capite 55., ubi de Corepiscopi munere sic decernitur: *Instituat Ministros &c. debetque distribuere eos per Ecclesias, & Monasteria, & providere, ut discant, ut reddantur apti, & idonei, ad ædificationem Monasteriorum, & Ecclesiarum, & aliorum locorum, qui horum opera indigebunt.*

IV. Hæc autem verba sic interpretatur Franciscus Turrianus Soc. J. admot. in Canones Arabicos, quos P. Labbeus anno 1671. Parisiis typis evulgavit (2) *Cernitur in hoc Canone ratio quædam Seminarii Ministrorum Ecclesiæ, seu vestigium quoddam Seminariorum, quæ nuper secundum Decretum Synodi Tridentinæ instituta sunt.*

V. Verum hic Nicænus Canon inter eos viginti minime adnumeratur, qui certissimi sunt, sed inter octoginta, seu octoginta quatuor, qui studio P. Francisci Turriani, ac deinde Abrahami Echellensis Maronitæ ex Arabica lingua in Latinam traducti fuerunt, & qui magnopere in dubium revocantur, uti fuse Schelstratius commemorat (3).

VI. Quare, ut viam tutissimam insistamus, Seminaria duplicis generis ex Sacra antiquitate cognoscimus: Ac primum in Monasteriis Pueri educabantur: Clerici vero adulti in ædibus Episcoporum institutionem addiscebant; quæ consuetudo ad annum usque millesimum permansit: Paulo post disciplina, quæ in Monasteriis, & ab Episcopis tradebatur, in desuetudinem abiit; ac publicæ Academiæ exitari cœperunt. Tunc Cardinalis Polus de reformando Anglicano Clero secum cogitans anno 1556. recentia Episcoporum Seminaria propoluit, quorum institutum in Tridentina Synodo diligenter examinatum anno 1563. postea Sanctus Carolus Borromæus feliciter invexit.

VII. Pater Tomassinus hujus rei seriem exponit, certisque documentis comprobat (4). Pueros a Monachis educari consuevisse historia Centulensis Cœnobii satis ostendit (5): *Trecentos Monachos regulariter victuros constituimus, centum etiam Pueros scholis erudiendos sub eodem habitu, & victu statuimus.* Quartum vero Toletanum Concilium, quod sæculo septimo coactum fuit, Seminaria in ædibus Episcoporum extitisse liquido declarat (6): *Omnis ætas ab adolescentia in malum prona est. Nihil enim incertius, quam vita adolescentium. Ob hoc constituere oportuit, ut, si qui in Clero impuberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commaneant, ut lubricæ ætatis annos, non in luxuria, sed in Disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo Seniori, quem, & Magistrum disciplinæ, & testem vitæ habeant.*

VIII. Hic nobis aditus opportune recluditur, ut aliquid de hac celebri Bononiensi Universitate dicamus. Verum in aliud tempus rejicimus inquirere, utrum ipsa per Theodosium minorem, an per Lotharium primum instituta fuerit; an juris Civilis Pandectæ reipsa inventæ fuerint, cum Amalphis obsidione cingeretur, easque Pisanis dono obtulerit Lotharius, quas deinde Irnerius explicare cœperit in hac Civitate, uti Ludovicus Bologninus commemorat, adductus Grifforum annalibus, de quibus graves controversiæ inter Professores Pisanæ Academiæ superiori tempore concitatæ sunt. Omissis pariter his disciplinis, quæ ad Ecclesiasticos non pertinent, pro certo affirmabimus, hanc nostram Academiam juris Pontificii Matrem, ac Sedem extitisse, cui posteriori tempore, nempe Sæculo XIV. studium Theologicæ facultatis additum fuit jussu Pontificis Innocentii VI. (7): Cum res tamen perfecta non fuisset, quod brevi Pontificatum absolvit, Urbanus V., qui ipsius locum suffectus fuit, hanc utilitatem Academiæ nostræ comparavit, quemadmodum Ghirardazzi testimonio ostenditur (8), secretoque libro Collegii Theologicorum, cujus pars excussa fuit in Tractatu, quem de Bononiensibus Doctoribus confecit Alidosius. In eo traditur accitos fuisse ex variis terræ partibus ad inchoandum ejusmodi studium viros doctrinæ laude clarissimos: *Ad fundandum, & inchoandum Bononiæ Studium Theologicæ Facultatis ex diversis Mundi partibus huc accesserunt Viri Sacræ Lectioni dediti, & in lege Domini eruditi, Doctores utique Theologica scientia, moribus, & virtutibus insigniti, quorum Magistrorum nomina digna memoria sunt ista.* Nominatur inter eos primus: *Magister Petrus Thomas Natione Aquitanus tunc Dei Gratia Patriarca Constantinopolitanus Ordinis Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo*; qui Beati cultum in Ecclesia obtinuit; ipsique Missam, & Officium Carmelitæ persolvunt.

IX. Hanc Universitatem juris Canonici Parentem, ac Sedem nuncupavimus; nam cognitum est omnibus, Canonum collectionem, quæ in scolis traditur, & in Foro usurpatur, a Monacho Gratiano Bononiæ conditam fuisse, quæ statim tanta cum laude, ac felicitate propagari cœpit, ut veteres alias a Dionysio Exiguo, Isidoro, Cresconio, Burcardo, & Ivone peractas in oblivionem adduxerit (9), ob eam potissimum causam, quod Gratiani collectionem hujus nostræ Academiæ Professores notis illustratam juvenibus tradebant, qui magna frequentia ex omnibus terræ partibus in hanc Urbem studiorum causa confluebant, qui deinde in Patriam revertentes non modo Gratiani opus, sed Professorum adnotationes secum deferebant (10).

X. Sanctus autem Raymundus de Pennafort Decretales Pontificum coegit, quibus in Foro, & Scholis utimur. Porro ipse jus Canonicum per tres annos in hac Urbe docuit, cum adhuc juventute floreret, uti Præsul insignis Penia Sac. Rotæ Auditor testatur (11), qui Sancti Raymundi res gestas conscripsit, cum inter Sanctos cooptaretur. Gregorius IX. Magistris, ac Discipulis Bononiensis Academiæ collectionem suam nuncupavit. Idem exemplum sequutus est Bonifacius VIII., adductus, ut librum sextum suarum Decretalium promulgaret, hortationibus Jacobi Cassetti Bononiensis Mansionarii, qui ad Pontificem Legatus ob hanc causam ab Academia nostra missus fuit; quemadmodum Joannes ab Andrea coævus auctor declarat (12): Joannes quoque XXII., licet abesset Italiæ finibus, cum typis dedit Constitutiones, quæ jussu Clementis V. collectæ fuerant, & quæ in Foro, & Scholis adhibentur, ipsas Bononiensis Academiæ Professoribus, ac Discipulis inscripsit, ut Decessorum Pontificum exemplis inhæreret. His revera documentis nostræ Academiæ præstantia, dignitas, & gloria satis commendantur. Frustra hanc laudem obscurare contendunt, qui Collectionem Gregorii IX. Parisiensi Academiæ fuisse inscriptam prædicant juxta litteras ejusdem Pontificis, quæ habentur in vita Sancti Raymundi, quam paulo ante commemoravimus (13). Nam id nullum attulit impedimentum, ne eumdem honorem huic Civitati largiretur, uti recte perpendit eo loco Penia; quem modo innuimus. Bonifacius autem VIII., & Clemens V. hanc solam Bononiensem Academiam suarum Collectionum munere cumularunt. Postremo, qui jus Pontificium majori cum laude interpretati sunt, aut Bononiæ nati, vel in nostra Academia Professoris munere præditi fuerunt (14).

XI. Cum fama hujus Academiæ longe, lateque dissemineretur, populi a nobis etiam disjunctissimi præclara in hac Urbe Collegia excitarunt, ut frequens ipsorum juventus honestam vitæ disciplinam, & egregiam ex publicis Professoribus doctrinam sibi compararet. Qui primum scripsit res gestas Urbani V., & postea excussas a Baluzio inter Pontificum vitas (15), qui Sedem Avenionæ tenuerunt, ipse idem memorat institutionem Nobilis Collegii Majoris a S. Clemente nuncupati pro Hispanis, quod Cardinali Ægidii Albornozii liberalitate fundatum, nunc etiam floret in hac Civitate. Lucas Lindensis Collegium nominat pro Hungaris constitutum ab Episcopo Paulo Sondi, quod adhuc juvenum frequentia celebratur vitæ honestate, ac litterarum studio præstantium (16).

Idem

(1) *Labbe tom. 15. pag. 1503.* (2) *Tom. 2. pag. 507.* (3) *Part. 2. Antiquit. Illustr. dissert. 2. cap. 4.*
(4) *De veteri, & nova Eccles. disciplina tom. 1. lib. 3. cap. 6. num. 3. tom. 2. lib. 1. cap. 102. num. 10.*
(5) *In Spicilegio tom. 4. pag. 466.* (6) *Can. 1. 12. quæst. 1.* (7) *Ughell. tom. 2. Italiæ Sacræ pag. 26.*
(8) *Lib. 24. pag. 278. & seqq.* (9) *S. Antoninus part. 3. suorum Chronicor. tit. 18. cap. 6. Card. Bellarminus in suo Tract. de Script. Eccl.* (10) *Du Roje in suis Institution. Canonicis lib. 1. de Proœmio* (11) *Cap. 2.*
(12) *In Comment. Præfat. lib. 6. in verbo:* A multis. (13) *Pag. 28.* (14) *Pancirolus de claris legum Interpretibus.*
(15) *Tom. 1. pag. 376.* (16) *In descriptionibus generalibus, ac peculiaribus Orbis terrarum pag. 442.*

Idem Scriptor reliqua Collegia diligenter enumerat, quæ Pontifices, aut privatas aliquas familias Auctores habuerunt, ut Bononienſibus, & cæteris Italis ad optimos mores, & ſapientiam addiſcendam domicilia paterent. Sed ad Seminaria redeamus, in quibus Eccleſiaſtica diſciplina juvenes imbuuntur. Cardinalis Gabriel Paleottus primus Bononienſium Archiepiſcopus Seminarium ejuſmodi primus in hac Civitate conſtituit. Ipſe quidem interfuerat Tridentino Concilio, ac deinde Cardinalis renunciatus, ſuſceptaque hujus Urbis adminiſtratione novum Seminarium anno 1568. aperuit, ut facile conjicitur ex illius Archiepiſcopali pag. 348. ac 358., & ex documentis, quæ in Tabulario ejuſdem Seminarii aſſervantur. Non exiguam ſane operam, ac laborem vir præclariſſimus pro condendo Seminario impendit: at vel immatura morte præreptus, vel ob alias cauſas ſtabilem pro Seminario ſedem decernere non potuit, nec ſtudiis alumnorum ita conſulere, ut Philoſophiæ, ac Theologiæ facultates, & jus Canonicum docerentur. Fortaſſe, ne in hac parte ſibi omnino deeſſe videretur, ſapienter excogitavit, Carolo Sigonio Latini ſermonis elegantia celeberrimo eam provinciam committere, ut duos libros Sacræ hiſtoriæ per Suplicium Severum confectos interpretaretur: *Quamobrem* (inquit Sigonius (1)) *recte prudentia veſtra breviarium ejus aliquod ex immenſo illo utriuſque Teſtamenti corpore conquiſivit, quo ſtudioſa juventus omnia ab Adam uſque ad Chriſtum, ideſt a peccato ad ſalutem, in ipſius Dei populo geſta quaſi in unam tabulam collata conſpiceret, & cum duos Beati Severi Sulpicii libros in hoc genere diſtincte, atque ornate admodum ſcriptos probavit, tum ad tollendum exquiſitioris interpretationis hominibus occupatis laborem, eoſdem etiam expoſitione illuſtrari aliqua voluit. Sic enim fere arbitrata eſt, ut univerſi non modo facilius ea, quæ præclare tradita ſunt, animo, & notitia comprehenderent, ſed ipſa etiam invitati facilitate alacrius, ac ſtudioſius ad eadem haurienda contenderent.*

XII. Poſteriori tempore, cum huic noſtræ Eccleſiæ Cardinalis Nicolaus Ludoviſius præeſſet, a veteri Sede, quam idem Card. Gabriel Palæottus initio ſtatuerat, in domos quaſdam contra Eccleſiam Metropolitanam Seminarium translatum fuit, quæ ad privatos Cives pertinebant, nec erant ſatis apræ pro tanta juvenum frequentia, uti quiſquis memoria repetere poteſt; aliquæ leges pro recte adminiſtrando Seminario per eumdem Ludoviſium præſcriptæ fuerunt, ejuſque exemplo permoti reliqui Archiepiſcopi multa pro Seminarii utilitate excogitarunt. Ad nos tandem graviſſimum negotium pervenit, ut commodum Clericis alumnis domicilium conderemus, & ne Seminarium careret neceſſariis ad tradendam Philoſophiam, Theologiam, & jus Canonicum Profeſſoribus. Hoc enim pacto ſatis proſpicitur non levi detrimento, quod obvenire ſolebat, cum alumni poſt Grammaticæ curſum, litteraſque humanas primis, ut ajunt, labris delibatas Seminarium relinquere, ſtudia intermittere, educationis ſpem in medio curſu præcidere cogebantur. Quare vix hanc Sedem attigimus, poſtquam labentem hujus Metropolitanæ porticum reſtauravimus, omnem curam, & cogitationem convertimus, ut Seminarium a fundamentis excitaretur, & inſignes Profeſſores acciri poſſent, qui ſcientiarum facultatibus, & Eccleſiæ diſciplina Clericos erudirent.

XIII. Præcipit Tridentina Synodus, ut Seminarium prope Eccleſiam collocetur, aut in eo loco, quem Epiſcopus deſignaverit (2). Patres Concilii Aquilejenſis, quod anno 1596. habitum fuiſſe diximus, hæc tradunt: *Locus Seminarii, ſi apud Eccleſiam Cathedralem fieri poſſit, non alibi optandum ut fiat; quo enim propius adſunt Clerici, eo facilius, & minore temporis diſpendio in Eccleſiam ſe conferunt.* Quare, cum domicilium ejuſmodi prope Metropolitanam noſtram ſitum eſſet, in eodem loco novum ædificium condidimus, quo ſatis commode honeſteque Clerici excipiantur. Licet abſolutum nondum ſit, quadraginta tamen alumni apte in eo verſari poſſunt. Quod ſi diu ſoſpites, & incolumes erimus, integrem perficiemus, & fortaſſe domicilii ſpatia quoque amplificabimus, & non exigua librorum copia exornabimus. Ipſa rerum experientia edocti ſumus, magna alacritate ſuſcipienda eſſe, quæ ad Dei cultum pertineant, ipſiuſque arcanæ providentiæ fidendum. Nam cœptum opus deveniſſe in eum locum vidimus, quem minime ſperabamus; & novi ſemper aditus patefacti ſunt, ut graviſſimas expenſas ſuſtineremus, quæ vires noſtras, ac tenuitatem Seminarii longe ſuperabant. Etenim Dei beneficio quædam vitæ commoda, ac remiſſiones libenter dimiſimus, eaſque difficultates, quibus humanæ naturæ conditio valde contraria eſt, alacriter ſubire non dubitavimus. Inſuper viris præpoſitis Congregationi, quæ verecundia ob hoc ſtipiam Civibus opitulatur, eam mentem Deus indidit, ut Collegium a Sole dictum, interpoſita Sedis Apoſtolicæ auctoritate, Seminario conjungi paterentur; & cum idem Collegium in ipſorum poteſtate eſſet, eam merito conditionem adhibuerunt, ut tot alumnos in poſterum pro Seminario nominarent, quot antea juvenes ipſorum ſuffragio locum in Collegio Solis obtinebant. Hæc memoravimus non ſolum, ut ipſis gratum animum perpetuo teſtemur, ſed quia ob hanc cauſam difficillimum condendi Seminarii negotium audacter ſuſcepimus.

XIV. Ad tria capita rediguntur, quæ de Seminariis a Tridentina Synodo ſancita fuerunt: de pietate, de exercitationibus, ac de ſtudiis potiſſimum agitur, quæ Clericis apte conveniant. Patres Concilii Aquilejenſis eadem prorſus tradiderunt. Nos profecto ſingulis magnam curam, ut fiant, ac diligentiam impendemus. Sed quoniam novum aliquid videtur, & inuſitatum hæc pro noſtro Seminario ſtudiorum Inſtituto, notum omnibus facimus, non futuros modo peritiſſimos viros, qui grammaticam, & humaniores litteras edoceant, ſed excellentem quoque eloquentiæ Profeſſorem, quæ neceſſaria prorſus Eccleſiaſticis habetur, ut Clerici verba ad populum faciant, Chriſtianæ legis diſciplinam explanent, aliiſque rite muneribus perfungantur. Deus ipſe in ſacris litteris ſermonis ornamenta ſæpius adhibuit, uti comprobat Mabillonius (3): *Cæterum quantum acuminis in Sacris Divinorum Vatum meditationibus adeſt! Quanta in elocutionibus gratia! Quanta Troporum, ac Figurarum varietas! Quis non miretur in Moralium Libris brevitatem, & apophthegmatum energiam? In Prophetis virtutis, ac vitii expreſſas ad vivum imagines, & obſurgationum, minarumque pondera?*

XV. Ad Philoſophiam, Theologiam, & jus Pontificium tradendum doctrina magis præſtantes Magiſtros ex publica hujus noſtræ Urbis Academia ſelegimus. Illos adibunt alumni Seminarii, ut fructum percipiant, qui ex frequentia, & æmulatione juvenum dimanat. Vir tamen ad hoc munus deſignatus alumnos comes proſequetur, quoties publicum Gymnaſium petent, ac domum revertentur. Illud quoque deliberavimus, parem in noſtro Seminario diſciplinam inſtituere, quam in Collegio Montalto per Sixtum V. erecto induximus, cum Cardinalis Annibal Albanus ejuſdem Collegii Protector illud inviſendum nobis ſuo nomine commiſit. Non levem ex eo utilitatem proficiſci cognovimus, quod alumni ejus Collegii ad publicum Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudium mittantur, earumque facultatum Repetitores domi deſignentur, qui poſt prandium doctrinas recolant, quæ a Profeſſoribus mane traditæ fuerunt, & qui cœtibus alumnorum, privatiſque exercitationibus interſint. Non levis etiam momenti judicavimus, quod ſtudiorum tempus ultra eos limites protractum fuerit, qui publicæ Academiæ præſcripti ſunt. Nos igitur eamdem viam inſiſtendum propoſuimus, cum de ſtudiis hujus noſtri Seminarii res ageretur. Repetitores alumnis Philoſophiam, ac Theologiam excolentibus dedimus, ipſorumque ſtudia produximus, etiam cum publica ſtudia intermittuntur: tandem hæc omnia ſancita ſunt ea ratione, ac norma, qua in Collegio Montalto nunc eadem perficiuntur.

XVI. Sæpius etiam coram nobis, ac Seminarii Præſidibus examen habebitur, quod plurimum prodeſſe certum eſt, ac præſertim, ne juvenes volare contendant, priuſquam alas induxerint. Non ſolum examini præſentes aderimus, ſed etiam Seminarium ſemel in menſe inviſemus, hortamurque Seminarii Præſides, ut nobiſcum conveniant. Eamdem diem huic negotio peragendo conſtituimus, quo Cœtus in noſtra Metropolitana ad quæſtiones Theologiæ Moralis examinandas indicuntur, quibus peractis ad Seminarium pergemus. Quibus autem menſibus cœtus ejuſmodi non coguntur, prima Feria VI. cujuſvis menſis a prandio res eadem a nobis perficietur. Hæc præſens Declaratio ſatis ſit pro indicendis diebus ad inviſendum Seminarii Præſides, ne per eos dies ullo impedimento teneantur, quo nobiſcum huic muneri ſatisfacere nequeant: nihil profecto nos ab hoc inſtituto, conſilioque retardabit; nam magnopere expetimus, ut noſtri alumni optimam diſciplinam accipiant, fructuque litterarum cumulentur.

XVII. Pagella Typis excuſſa tum fuit, in qua explicantur omnia, quæ pro ingreſſu in Seminarium omnino requiruntur. Si quis illam exoptet, facile ſibi ex Archiepiſcopali Typographia comparabit.

IN-

(1) *In epiſt. nuncupator.* (2) *Cap. 18. ſeſſ. 23.* (3) *De ſtudiis Monaſticis part. 2. cap. 11.*

## INSTITUTIO LX.

*De Fidei professione elicienda ab iis qui obtinent Canonicatum, aut Beneficium cum animarum Cura conjunctum, id expresse a sacris Canonibus præcipi. De corruptela, quæ super hac re in hanc Diœcesim inducta est. Teneri ad Fidei professionem emittendam eum ipsum, qui Beneficium assequutus fuit, & quo potissimum præsente id fieri debeat. Non adversari quamcumque contrariam consuetudinem. Utrum, qui omisit hujusmodi professionem, lucrari queat distributiones quotidianas. Quibus tantum pœnis obnoxius censeatur, qui Canonicatum, aut Beneficium cum animarum Cura obtinuit, etiam a Sede Apostolica. Utrisque proponitur ratio sibi consulendi, si Fidei professionem facere prætermiserint.*

I. TRidentina Synodus (1) constituit, ut: *provisi etiam de Beneficiis quibuscumque Curam habentibus teneantur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram Generali ejus Vicario, seu Officiali Orthodoxæ suæ Fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac jurent; Prov. si autem* (prosequitur eadem Synodus) *de Canonicatibus, & Dignitatibus in, Ecclesiis Cathedralibus non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo.* Pius IV. formam præscripsit, ut una esset Fidei Professio (2). Idem Pontifex Concilii verba repetens, quæ Beneficia cum animarum habentia, Canonicatus, ac Dignitates in Cathedralibus complectuntur, occasionem præbuit Sac. Congregationi Concilii, ut anno 1586. Collegiatas Ecclesias eximeret; sic enim propositum, responsumque tunc fuit (3): *Queritur, an provisi in Ecclesiis Collegiatis de Dignitatibus, vel Canonicatibus teneantur Fidei professionem facere, neque enim capite 12. sess. 24. aut Constitutione Pii Papæ IV. videntur adstricti. Sacra &c. respondit, provisos de Canonicatibus, & Dignitatibus in Collegiatis Ecclesiis, non teneri ex Concilio sess. 23. capite 12. neque ex Bulla Pii IV. emittere Professionem Fidei, quia Concilium loquitur de Cathedralibus.* Ob hanc sententiam, aliasque in medium adductas, cum nos ipsi Secretarium ejusdem Congregationis ageremus, die 9. Februarii anno 1726. petitum fuit (4): *An professio Fidei sit emittenda tam a Canonicis Cathedralis, quam Collegiatarum;* Responsum fuit ejusmodi: *Esse emittendum a Canonicis Cathedralis, & non Collegiatarum.*

II. Cum pervenimus in hanc Sedem, emitti Professionem Fidei cognovimus ab iis, qui Beneficium cum animarum cura, vel Canonicatus aut Dignitates in hac Metropolitana assequerentur, idque peragi coram nobis, aut Vicario nostro Generali, & in Capitulo rursus iterari: Fidei quoque Professionem ab illis fieri advertimus, qui Canonicatus in Ecclesiis Collegiatis, aut simplex aliquod Beneficium obtinerent. Illud tamen nos in admirationem vehementer adduxit; quod aliqui, licet in Civitate versentur, Fidei tamen Professionem juxta Concilium, & Pii IV. Constitutionum facere neglexerint, quia per Sedem Apostolicam aliquo Beneficio cum animarum cura in Urbe, vel Diœcesi, aut aliquo Canonicatu in Metropolitana nostra præditi fuerint. Quare huic malo pro muneris nostri ratione consulendum duximus, quod sane grave judicari debet, cum Tridentinæ Synodo, & Pontificum Decretis adversetur.

III. Nostræ admirationis ea potissimum causa fuit, quod non paucos annos diversis muneribus occupati Sedi Apostolicæ impendimus, & centies Parochias, aut Canonicatus positos in ultimis Hispaniæ, vel Lusitaniæ partibus conferri illis vidimus, qui Romæ degerent. Ipsi vero cum subpicarentur, ob locorum distantiam Fidei Professionem coram Episcopo, & coram Capitulo, si necesse erat, emittere non posse infra duos menses a die possessionis, quæ fieri quidem *per Procuratorem* conceditur, cum Fidei Professio agenda *per se ipsum sit*, uti S. Congregatio sanxit his verbis anno 1610. (5): *Sacra Congregatio Concilii censuit, Professionem Fidei per Procuratorem emitti nullo pacto potuisse, nec emissam suffragari*: quod pariter petitum fuit in allata causa Catanzarii: *An Professio Fidei emitti possit per Procuratorem*: responsumque: *negative*: cum, inquam, his difficultatibus implicarentur, qui Beneficia, aut Canonicatus acceperant, ad Sacram Congregationem confugerunt, ut aliquod levamen impetrarent. Ipsa vero potestatem iis fecit, ut coram Cardinali Urbis Vicario Fidem profiterentur, adhibita tamen conditione, ut idem, repeterent, statim ac Beneficii sedem attingerent, aut coram Episcopo, si cum Beneficio animarum cura jungeretur; sin autem Canonicatus in Cathedralibus, aut Metropolitanis obtinuissent, coram Episcopo, & iterum coram Capitulo Fidei Professionem peragerent.

IV. Cum hæc ita se habeant, nemo satis mirari possit, quod Professionem ejusmodi minime persolvant, qui Bononiæ degentes Parochiam, aut Canonicatum in Metropolitana nostra a Sede Apostolica consequuntur.

V. Nos quidem de hac re cum iis verba facientes, qui se peritos prædicabant, perpetuam, firmamque consuetudinem percepimus, quæ huic Bononensi Curiæ tribuitur, ut aliquo Beneficio præditi per Sedem Apostolicam, Fidem profiteri non teneantur, idque facile deprehendi ex mandato *de immittendo*, quod Pontificum diplomatibus addere Dataria consuevit, ubi de Fidei Professione nihil prorsus commemoratur. Levissimi tamen ponderis, ac momenti hanc argumentationem habendam esse quatuor de causis, quas modo subjicimus, liquido ostendemus.

VI. Ac primum, consuetudo quam jactant, nullo innititur fundamento; nam cognitis diligenter actis, quæ in Tabulario Archiepiscopali servantur, plures invenimus, qui collatis per Sedem Apostolicam Beneficiis Fidem professi sunt, cum Decessor noster huic Ecclesiæ præesset, & postquam nos ipsi in ipsius locum suffecti fuimus.

VII. Secundo, licet ejusmodi consuetudo constans haberetur, nihili tamen facienda esset, cum Tridentino Concilio apertissime repugnet. Quamvis enim post Decretum, quo Professio Fidei præcipitur (7). aliud Decretum non sequatur abrogans quæcumque in contrarium proferri possint, tamen id cautum satis fuit per Pium IV. Pontificem in ea constitutione, quæ incipit *Benedictus Deus*: & quæ in fine Concilii solet excudi, & libro secundo Romani Bullarii continetur. Illa quidem abrogat omnia, quæ Tridentinæ Synodo contraria esse videantur; ideoque singula ejusdem Concilii capita simul amplectitur, & nullius efficit momenti consuetudines, quæ leges aliquas in iisdem capitibus præscriptas violent. Id etiam confirmatur ex controversia a Pitonio Viro Clarissimo propolita (8), pro qua nos pariter haud exiguum laborem insumpsimus. Nam ille pro re diligenter examinanda tanquam senior inter Curiæ Patronos a Sacra Romana Rota delectus fuit; nobis quoque id negocium traditum, qui junioris locum inter Consistoriales Advocatos tenebamus.

VIII. Tertio, licet in mandato *de immittendo*, quod Litteris Apostolicis adjungitur, de Fidei professione nulla fiat commemoratio, tamen id non sublatum, sed insertum potius iisdem Pontificum litteris existimari debet, qui censendi sunt omnino velle, ut Concilii Tridentini sanctiones plene serventur (9). Tunc solum posset contrarium deprehendi, cum lex de facienda Professione Fidei expresse solveretur; quam aperta mentio de abrogando ejusmodi Concilii Decreto non occurreret. Illud enim potissimum tribuitur Tridentinæ Synodo, ut etiam sine ulla ipsius mentione sublata judicentur Concilii Decreta, cum aliquid contrarium illis a Sede Apostolica præscribitur (10): Quod sine ulla controversia admittitur, cum manu Pontificis res obsignatur. Ita Sanctus Pius V. declaravit (11), & non semel Sac. Congregatio Concilii decrevit (12).

IX. Quarto mandatum *de immittendo* eam solum ob causam litteris Pontificum additur, ut, qui Beneficium a Sede Apostolica percepit, absque ullo impedimento illud obtineat. Quare necesse non est, ut de Fidei Professione verba fiant, quæ infra duos menses post obtentum, occupatumque Beneficium emitti potest. Præterea, si per Pontificem tanquam nova lege sublata, an soluta habeantur ea, quæ in mandato *de immittendo* haud expressa fuerunt, quæ possessione accepta Beneficii adhuc perfici possunt; illud quoque sequeretur, ut per Sedem Apostolicam præditus aliqua Parochia, vel Canonicatu,

---

(1) *Sess. 24. cap. 12. de Reformatione.* (2) *In sua Constitut. 89. in Bullario tom. 2.* (3) *In Causa Avenionensi lib. 4. Decretorum pag. 128. a tergo pag. 185. a tergo, & pag. 186.* (4) *In causa Cantanzarii proposita die 26. Januarii an. 1726.* (5) *In causa Valentiæ lib. 11. Decretorum pag. 11.* (6) *Cap. 12. Sess. 21. de Reformatione.* (7) *Inter Controversias Patronales tom. 1. allegat. 5. per totam.* (8) *Card. Petra in suis Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 5. pag. 145. num. 145.* (9) *Marescottus variar. resolut. lib. 1. cap. 19. n. 11. & sequent. Gratianus Discept. 940. num. 15. & 16.* (10) *In motu proprio apud Garziam impresso de Beneficiis 4. part. cap. 5. num. 33. & sequentibus.* (11) *Fagnanus cap. Nulla num. 96. de Concessione Prebendæ.*

catu, neque in propria ſede commorari, neque horas Canonicas cum aliis perſolvere deberet, cum hæc omnia in mandato *de immittendo* minime explicentur.

X. Teſtati ſumus in maximam admirationem adductos nos fuiſſe, cum advertimus nonnullos, qui Parochiis, vel Canonicatibus in Metropolitana ſedis Apoſtolicæ gratia cumulati fuerunt, Fidei Profeſſionem omiſiſſe, cui malo proſpiciendum jure merito declaravimus. Itaque cum de cauſis admirationis noſtræ ſatis dictum putemus, ad remedium deveniendum eſt. Præcipimus igitur juxta Tridentinam Synodum, & Pii IV. Conſtitutionem, ut quicumque Beneficium cum animarum cura obtinuerint, coram nobis, aut Vicario noſtro Generali Fidei Profeſſionem emittant. Idem peragent coram nobis, aut Vicario noſtro, & Capitulo legitime congregato quicumque Canonicatum, aut Dignitatem in Metropolitana conſequantur. Id autem publici Scribæ teſtimonio obſignetur, ſeu Beneficium a nobis, ſive a Dataria Apoſtolica collatum fuerit; licet etiam de Parochiis agatur, quæ libere conferuntur, aut de illis, quæ Jure Patronatus ad Eccleſiaſticos, ſeu Sæculares pertinent. Monendum quoque ducimus, haud ſine commendatione noſtra futuros, ſi, qui Canonicatum in Collegiatis acceperint, Fidei Profeſſionem faciant coram nobis, aut Vicario noſtro, & Collegiatæ Capitulo, licet nulla adſtringantur lege, eos pariter commendabimus, qui comparato ſibi Beneficio ſimplici eamdem Fidei Profeſſionem agere coram nobis, aut Vicario Generali *non* recuſaverint, quamvis nullo jure adigantur, ſe conſuetudini conformantes, quæ multis ab hinc annis in hanc Curiam Eccleſiaſticam inducta eſt.

XI. Hæc quidem ad futurum ſpectant, ſed etiam ad præteritum jam tempus cogitatio convertenda eſt; nam, qui Parochia, vel Canonicatu, aut Dignitate præditus Fidei Profeſſionem facere omiſerit eo modo, quem nuper expoſuimus, per Tridentinam Synodum (1) huic pœnæ ſubjicitur: *alioquin prædicti omnes proviſi, ut ſupra, fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur*: Hic ſane de fructibus agitur. Porro diſceptari poſſet, an fructuum nomine diſtributiones quoque intelligantur, cum Synodus decernat poſſeſſionem illis minime ſuffragari. Nos tamen, qui putamus inhærendum ſententiis probatis per Eccleſiaſtica Tribunalia, ac potiſſimum per Sacram Congregationem Concilii, quæ ipſum unice interpretari poteſt, nos, inquam, de ſolis fructibus agi cenſemus, & pertinere diſtributiones ad Canonicum, qui Fidei profeſſionem ſtatuto tempore non emiſerit, ſi Canonicis horis interfuerit. Hoc pacto reſpondit eadem S. Congregatio (2). *Diſtributiones quotidianas non comprehendi in hoc caſu verbis Concilii capite 12. ſeſſ. 24. de Reformatione*. Id pariter confirmatum fuit in cauſa Catanzarii, cui reſponſum fuiſſe die 9. Februarii anno 1726. ſuperius commemoravimus. Nam cum peteretur etiam: *Quibus pœnis ſubjaceant non emittentes, vel debito modo non emittentes Profeſſionem Fidei*: Sacra Congregatio ſancivit: *Non facere fructus ſuos, ſed diſtributiones lucrari pro horis, quibus interſunt*.

XII. Quamobrem, cum de ſolis fructibus ſermo ſit, & cum negotium verſetur circa Canonicatus, Parochias, & Beneficia, quibus animarum cura conjungitur, ſi Epiſcopus ſummo jure uti vellet, certos limites ſtatueret, ut quicumque Parochias, aut Canonicatus in Metropolitana poſſident, certo documento oſtendant Fidei Profeſſionem rite feciſſe: nec enim Epiſcopo eam peractam non fuiſſe demonſtrandum eſt, ſed inferior rem perſpectam facere debet, quoties Epiſcopus id requirit. Aliter quidem eſt, cum inferior aliquis Parochum, aut Canonicum ad reſtituendos fructus adducere contendit, quod Fidei Profeſſionem omiſerint, tunc enim inferior Profeſſionem Fidei a Paroco, vel Canonico prætermiſſam probare teneretur (3).

XIII. Quod ſi Parochus aliquis, aut Canonicus, qui eum Profeſſionem non emiſerit, ignorantiam, imprudentiam, vel ſecuritatem quamdam animi pro cauſa excuſationis afferret, aut illud ſubjiceret, nullam declarationis ſententiam præhabitam fuiſſe, tunc Epiſcopus iis verbis, quæ tradidit Garzias (4) uteretur: *Dicendum eſt non excuſari in Foro exteriori, quia eſt ignorantia juris clari, quæ non excuſat*: nec ulla prævia declaratione opus eſſe, cum de conventione tantum, non de pœna lex indicatur (5).

XIV. Hinc neglectis his excuſationibus Epiſcopus poſt bimeſtre ſpatium *a die captæ poſſeſſionis* fructus Parochiæ, vel in ædificium Eccleſiæ, aut in egenos erogaret: Fructus autem Dignitatum poſt duos Menſes perceptos, aut eidem Eccleſiæ, vel alteri *Pio Loco* tribueret, cum ipſarum proventus a cumulo capitulari ſejungantur: Fructus vero Canonicorum ad ipſum cumulum referendos decerneret (6).

XV. Nihili facerent Scriptorum auctoritates, quæ contra proferri poſſent, cum in Foro res tranſigantur per ſententias, quæ a Sacris Congregationibus probantur, inter quas merito adnumerari debent illæ, quas nos paulo ante oculis ſubjecimus; & revera, cum Cardinalis Carolus Barberinus in celebri Synodo Farenſi, quam anno 1685. coegit, adhibito præſtantium virorum conſilio, inter quos Clemens XI. adhuc privatus in eadem Synodo multum laboris impendit, cum, inquam, Cardinalis Barberinus illud funditus inveſtigari vellet, an ſententia declarationis neceſſaria videretur, ne aliquis fructus ſuos faceret, qui Fidei profeſſionem, quam debuerat, minime peregiſſet, contrarium omnino deprehendit (7) atque ita ſanxit: *Alioquin meminerint abſque ulla hominis declaratione, ſe fructus ſuos non facere, nec illis pacificam poſſeſſionem ſuffragari juxta Concilii Tridentini, & Pii Papæ IX. Sanctiones*. Contrariæ opiniones quibuſdam medicamentis comparantur, quæ in libris exhibentur. Porro, ſi abſque periti Medici Conſilio ab ægrotis ſumantur, nihil profunt, aut etiam detrimentum aliquando afferunt.

XVI. Sed quoniam ab inſtituto noſtro ſeveritas aliena prorſus eſt, qui nihil aliud expetimus, quam prodeſſe populo nobis commendato, eumque ab omni errore, ac pernicie liberare, magnopere hortamur Parochos, ſeu Canonicos hujus Metropolitanæ, qui fidem profeſſi non fuerint eo modo, quem toties jam declaravimus, hortamur, inquam, ut ſibi conſulant, & ad Sacram Congregationem Concilii ſtatim confugiant, cum negotium ejuſmodi, neque in poteſtate noſtra, neque in poteſtate Capituli verſetur, licet de condonandis fructibus anteperceptis ſolum agatur (8). Tempus exponant, quo Parochiam, ſeu Canonicatum poſſident, & fructuum remiſſionem poſtulent, quos immerito perceperunt. Illos Sacra Congregatio facile elargiri conſuevit addita conditione, ut eleemoſynam in egenos diſtribuant arbitrio Confeſſarii, de qua certum teſtimonium proferatur. Si quis pro adeunda Sacra Congregatione adjutore careat, Scribæ noſtro omnia documenta, quæ neceſſaria ſunt, tradat, noſtramque operam pollicemur, ut ſine ullo ſumptu ad optatum finem perveniat. At ſi aliquis, quod futurum tamen minime ſuſpicamur, infra duos menſes poſt hanc noſtram declarationem pervicaciam haud deponat, & neque remiſſionem fructuum a Sac. Congregatione impetraverit, neque operam noſtram petierit pro re perficienda, uti modo expoſuimus, ea potiſſimum in illum ſtatuemus, quæ jure præſcribuntur.

*Bononiæ 26. Auguſti Anno 1736.*

XVII. Hac noſtra declaratione, conſilioque adducti Parochi, & Canonici ad Sacram Congregationem Concilii confugerunt, quæ litteras ad Cardinalem Archiepiſcopum dedit, ob quas Fidei Profeſſio coram Vicario Generali peracta fuit. Litteræ ſunt ejuſmodi.

Eminentiſſime, ac Reverendiſſime Domine Obſervandiſſime.

*NEgotium, de quo agitur in adjunctis precibus nonnullorum Canonicorum iſtius Metropolitanæ, aliorumque Parochorum tam Civitatis, quam Diœceſis, Eminentiſſimi Patres S. Congregationis Concilii remittendum eſſe duxerunt arbitrio, & prudentiæ Eminentiæ Veſtræ, cui proinde facultatem faciunt, ut Canonicos, & Parochos præſcriptos, qui Fidei Profeſſionem coram Ordinario, prout exponitur erronee, & contra diſpoſitionem Sacri Concilii Tridentini emittere prætermiſerunt, ad novam Fidei Profeſſionem faciendam coram Eminentia Veſtra, ſive ejus Vicario Generali admittere poſſint, eiſdemque fructus ſuorum reſpective Beneficiorum a die adeptæ poſſeſſionis perceptorum, erogata tamen aliqua ſummæ arbitrio Eminentiæ Veſtræ taxanda in eleemoſynam Chriſti pauperum, liberaliter condonare valeant. Id Eminentiæ Veſtræ ſignifico, ejuſque manus humillime oſculor.*

Romæ 10. Novembris 1736.

Eminentiæ Veſtræ

*Humillimus, & Addictiſſimus Servus*

A. Card. Gentili pro Eminentiſſimo Præfecto.

*Gratis & quoad ſcripturam.*

*Bononien. Eminentiſſ. Archiepiſcopo.*

C. A. Archiep. Philippen. Secr.

IN-

(1) *In cit. cap. 2. ſeſſ. 24. de Reformatione.* (2) *Lib. 2. Decretorum pag. 65. a tergo.*
(3) *Garzias de Beneficiis 3. part. cap. 3. n. 47. & ſequentibus.* (4) *Garzias loco allato n. 67.* (5) *Garzias n. 35.*
(6) *Idem Garzias loco ſuperius allato n. 36. & ſequentibus.* (7) *Cap. 1. ejuſdem Synodi.* (8) *Garzias loco allato.*

## INSTITUTIO LXI.

*Promulgatur Indulgentia, quam summus Pontifex elargitur illis, qui ad certum signum Campanarum sub horam primam noctis recitaverint Psalmum* De profundis, *aut semel* Pater, *& Ave, addito* Requiem *&c. pro* Defunctis. *Quid Fidelibus observandum sit in præmissis operibus implendis, ut propositam Indulgentiam lucrentur.*

I. BEnedictus XIII. litteras Apostolicas promulgavit die 14. Septembris anno 1724., quibus Indulgentiam plenariam perpetuo Fidelibus concessit iis, qui semel in mense post peccatorum Confessionem peractam, acceptamque Sacram Eucharistiam, tres Salutationes Angelicas *ad pulsum Campanæ* seu mane, seu meridie, seu vespere *flexis genibus* recitarent, Deumque obtestarentur, ut Christianos Principes ad concordiam deducat, hæreses evellat, & Sanctam Ecclesiam in ampliorem dignitatis locum extollat. Idem Pontifex centum dierum Indulgentiam largitus est iis, qui per annum quocumque die easdem preces contriti persolverent, Cardinalis autem Jacobus Boncompagnus Decessor noster eam Indulgentiam die 25. Septembris ejusdem anni promulgavit.

II. Clemens quoque XII. alias Apostolicas litteras in lucem edidit die 14. Augusti anno 1736., ac Indulgentiam impertivit omnibus, qui prima noctis hora *ad pulsum Campanæ*, flexis genibus Psalmum *De profundis* recitaverint, aut Orationem Dominicam, cum Salutatione Angelica addito versiculo *Requiem æternam*, ut suis cruciatibus Purgantes Animæ subleventur. Quoties hæc precatio peragitur, centum dies Indulgentiæ comparantur; si per annum integrum fiat eo modo quem explicavimus, plenaria Indulgentia conceditur; si tamen semel per anni cursum Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ percipiantur, Deique patrocinium imploretur pro illis causis, quas superius enumeravimus. Nos pariter hanc Indulgentiam palam facimus, omnesque curæ nostræ commendatos plurimum hortamur, ne Cœlestes hos thesauros lucrari prætermittant.

III. Propositis jam piis operibus, quæ e Pontifice præscribuntur, & quæ prius absolvi debent, antequam possimus Indulgentiam consequi, monendum superest, non satis esse, ut indictas preces percurramus, sed *flexis genibus* id peragendum. Porro hanc consuetudinem a primis Fidelibus receptam fuisse nequit dubitari: *Genuum inclinatio* (inquit Justinus Martyr) *in precationibus magis peccatores Deo commendat, quam si stantes orent, magisque ea res Divinam permovet commiserationem.* Tertullianus autem Scapulam Præfectum improbat, & enumerans res præclare, ac feliciter gestas, quas Christianorum preces Ethnicis etiam Imperatoribus obtinuerant, ac potissimum affluentem pluviam, quæ Marci Aurelii Copias siti vehementer afflictas ab extremo discrimine liberaverat, ita scriptum reliquit: *Quando non geniculationibus, & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?*

IV. Insuper jubent Pontifices pro comparanda hac Indulgentia preces *ad pulsum Campanæ* recitari, ut hac ratione preces simul a Fidelibus effundi videantur. Itaque nisi pulsentur Campanæ, nemo hæc jussa facere poterit. Judæi quidem, ut populum ad templum accirent, ubi Deum canticis, ac precibus celebrarent, Tubas argenteas adhibebant (1), quarum loco in Ecclesia Campanæ suffectæ fuerunt. Quamobrem cum preces *ad pulsum Campanæ* persolvendæ sint, ut jam declaravimus, signum iisdem Campanis dari præcimus sub auroram, in meridie, ac vespere, quemadmodum fieri consuevit, sub horam quoque noctis de more pulsentur Campanæ ex hac Metropolitana, ex S. Petronii Ecclesia, & quatuor Urbis regionibus, nempe ex Sancti Dominici, Sancti Francisci, Sancti Jacobi, & Regularium Servitarum Ecclesiis, itemque ex parochialibus tum in Civitate, tum in Diœcesi. Qui jussa detrectaverint, arbitrio nostro pœnas exsolvent.

V. Tandem summo studio Parochos monemus, ut quantocyus fieri poterit, Indulgentiam utramque populo promulgent, nempe quam Benedictus XIII. elargitus est, licet ipsam alias palam fecerint, & quam Clemens XII. nuper concessit: Populum summopere hortentur, ne oblatam cœlestis thesauri occasionem contemnat. Alio loco Institutionem Salutationis Angelicæ sub auroram, in meridie, ac vespere satis explanavimus (2). De precibus autem loquentes, quæ pro Defunctis sub horam noctis inductæ sunt *ad pulsum Campanæ*, sacrarum litterarum testimonio, ac verbis utemur: *Sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare* (3).

### INDULGENTIÆ.

Pro recitantibus sub horam noctis ad pulsum campanæ Psalmum *De profundis*, vel semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam versiculo *Requiem æternam &c.*

## CLEMENS PAPA XII.

### *AD PERPETUAM REI MEMORIAM.*

*COelestis Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem Nobis commisit Deus, ad Christifidelium pietatem fovendam, atque augendam, & animarum salutem promovendam libenter erogamus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui sub horam noctis ad pulsum campanæ Psalmum* De profundis, *vel semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam cum versiculo* Requiem æternam &c. *in suffragium Animarum Christifidelium defunctorum flexis genibus devote recitaverint, quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, seu aliis quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Insuper eisdem Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione vefectis, qui per annum præmisse peregerint, ac pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam in uno die cujuslibet anni dumtaxat per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur, præsentibus, perpetuis, futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

*Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Augusti 1736. Pontificatus Nostri Anno Septimo.*

F. Card. Oliverius.

## INSTITUTIO LXII.

*De Triduo celebrando, & exponenda Sacra Eucharistia in Basilica S. Petronii, ut animos præparent Fideles ad diem Natalem Domini recolendum, & beneficium obtineant, ut armenta liberentur tabida lue, qua finitima devastantur. Utrum Deus implorari possit pro bonis hujus sæculi comparandis. Utrum peccatores suis precibus aliquid a Deo consequantur. Quid agendum sit, ut per intercessionem Sanctorum nobis conciliemus beneficia, quæ superius memoravimus.*

I. DIE XIX. Decembris hoc anno S. Floriani Officium in hac Civitate persolvitur, qui pro fide tuenda sub Diocletiano Imperatore Martyrium Gazæ consequutus est. Ipsius Corpus in hanc Urbem detulit S. Petronius, cum ex Palæstinæ celeberrimis locis reverteretur, & illud in Basilica S. Stephani per ipsum Sanctum Petronium condita perhonorifice est collocatum, ubi nunc etiam servatur. Ab omni memoria S. Florianus inter Patronos, Sanctosque hujus Urbis tutelares adnumeratur, quem majores nostri tanquam Civem agnoverunt, postquam Sacrum ipsius Corpus hæc Civitas obtinuit.

II. Sanctum Florianum Martyrio affectum asseruimus, cum Diocletianus Imperium teneret ex accurato Caroli Sigonii testimonio, qui de S. Petronio verba faciens hæc tradit (4): *Jam vero Corpus Beati Floriani, qui sub Diocletiano passus Gazæ fuerat, inde Bononiam deportatum, in æde, ut nunc quoque est, Beati Stephani creditur collocasse.* Non enim tueri facile quis poterit, quod in multis annalibus deprehenditur, sub Heraclio Imperatore S. Florianum ad Martyrii palmam perveniisse. Siquidem Heraclius anno 640., decessit; Sanctus autem Petronius in Cœlum evolavit anno 450., cum Theodosius Arcadii filius, ac Valentinianus Imperium haberent.

Quare

(1) *Num* 10. (2) *Instit.* 12. (3) *Macchab.* 2. (4) *Lib.* 1. *Hist. Bononien.*

Quare alienus prorsus a veritate foret, quod Sancti Floriani Corpus a Sancto Petronio Bononiam deportatum fuerit, qui centum quinquaginta annis ante Heraclium e vita migravit.

III. Die 20. ejusdem Decembris pervigilium Sancti Thomæ Apostoli indicitur, quem diem prisci Fideles piis operibus, assiduisque precibus impendebant: *Jejunavimus* (inquit S. Ambrosius (1)) *Sabbato vigilias celebravimus, orationibus pernoctanter insistimus.*

IV. Die vero 21. mensis ejusdem Festum S. Thomæ Apostoli peragitur, quod celeberrimum est ob Apostolatus dignitatem (2) & quod ipse Parthis, Æthiopibus, Indis Sacrum Evangelium promulgaverit (3).

V. Per eosdem tres dies 19. 20. 21. circiter horam 16. peracto privatim Sacro, Divinam Eucharistiam in Basilica Sancti Petronii publice exponemus, eodemque triduo sub vesperam tradita benedictione populus dimittetur. Hos potissimum dies elegimus, tum quia ob allatas caulas magnam religionem Fidelibus injiciunt, tum quia Nativitatis Domini celebritati proximi sunt, tandem ut tempus aliquod statuamus, quo Divinam clementiam imploremus, ut ope interveniente S. Floriani, cujus Corpus in hac Urbe conservari diximus; meritis etiam S. Petronii, qui præstantissimum hoc munus nobis contulit, qui ambo nostræ Civitatis tutelam habent, tandem ob eximia merita S. Thomæ Apostoli, suam nobis gratiam in hac celebritate Natalitia impertiat, & Urbem, totamque Diœcesim a gravissimo morbo eripiat, qui jumentis impendet.

VI. *Homines & Jumenta salvabis Domine*, Psalmo 35. legitur, Hinc Theologi inquirunt, an caduca bona precibus expetsi a Domino possint, & S. Thomæ auctoritate (4) eadem bona expetenda fatentur tanquam præsidium ad immortalem vitam comparandam, cum necessaria sint, ut fragilis hujus vitæ spiritus sustentetur. Qua de re in proverbiis traditur (5): *Tribue tantum victui meo necessaria.*

VII. Quæstionem pariter instituunt Theologi, an scelesti homines aliquid a Deo precibus obtineant suis, & ejusdem S. Thomæ (6) testimonio respondent, ob Dei solam misericordiam id evenire posse, si tamen hæ conditiones intercedant: *Ut scilicet pro se petat necessaria ad salutem, pie, & perseveranter.*

VIII. Juxta hanc doctrinam tres impiorum ordines numerantur. Primi lethalis peccati labem, qua tenentur, ignorant, vel quia commissa crimina *penitus* obliti sunt, vel quia se contritos arbitrantur, cum attriti solum existant. Horum precibus, si rite fiant, Deus obsecundat.

IX. Secundus gradus est eorum, qui scelerum gravitatem agnoscunt, dolorem quidem de ipsis, sed non perfectum concipiunt, de quo iterum tristantur, & ad Deum supplices confugiunt, ejusque opem implorant. Illorum preces Deus, non ex justitia, sed tantum ex misericordia saltem in iis, quæ ad æternam ipsorum salutem spectant, exaudit.

X. De scelestis hominibus tertio loco propositis ita docet Suarez (7) *Tertius gradus est, quando peccator, licet suum statum cognoscat, & consideret, nullo modo de illo dolet, neque illum mutare proponit, & nihilominus a Deo postulat beneficia temporalia, vel etiam spiritualia. Et de oratione talis hominis probabile profecto est, non habere infallibilem promissionem, immo, & raro exaudiri, quia oratio talis hominis raro potest habere alias conditiones necessarias, sive quia indignus est exaudiri, qui Divinam amicitiam quodammodo contemnit.*

XI. Id sane probabile asserit eximius Doctor, neque enim certum est quanta uti velit misericordia erga scelestos ejusmodi Deus, qui infinita bonitate præditus est; nisi forte illorum pervicacia eo deveniat, ut nullum prorsus dolorem in posterum sibi edendum proposuerint, adhibita pariter conditione, ut quæ pro conversione ipsorum necessaria sunt, magna cum fiducia poscere non desistant (8).

XII. Quæ hucusque diximus satis ostendunt, quid unicuique proximo Triduo statuendum sit, ut ob merita Sanctorum Floriani, Petronii clarique Apostoli Thomæ duo præstantissima beneficia a Deo consequatur; primum nempe ut Natalem diem Salvatoris qua fas est pietate, ac religione prosequatur; alterum vero, ut lethali pernicie, quæ vicinas regiones invasit, jumenta nostra liberentur.

XIII. Necessario requiritur, ut vero dolore per Pœnitentiæ Sacramentum peccati labes expientur, & certo deliberatoque animo quis proponat, se nunquam nova crimina perpetraturum: si hæc fieri nequeant, saltem necessarium est, integram scelerum Confessionem, certamque emendationem animo deliberare, atque interim de ipsis graviter perfecteque dolore.

Si hæc omnia (quod nos vehementer expetimus) recte perficiamus, hisque peractis omni cum fiducia, ac pietate constanter a Deo petamus, ut Natalitiam ipsius celebritatem sancte prosequamur, si pro jumentorum quoque incolumitate Deum rogemus, sine quibus vita conservari nequit, & quæ non parum juvant, ut beatam in Cœlis, ac felicem vitam attingamus, prosperum nostris precibus exitum futurum speremus. At vero, si contrarium fiat (quod Deus avertat) frustra confidimus in ea parabola, quam S. Lucas describit (9): *Dico vobis, etsi non dabit illi, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Sed timendum potius, quod per Isaiam Deus promulgavit (10): *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

## INSTITUTIO LXIII.

*De spirituali opera præstanda infirmis, qui jacent in Xenodochiis hujus Civitatis. De ipsorum origine, & quo sæculo incæperint. Quonam tempore Xenodochia primum Bononiæ instituta fuerint. Plures Bononienses Cives ob pietatem, & insignem charitatem a Summis Pontificibus accitos fuisse, ut munus Commendatoris exercerent in valetudinario, quod Romæ a Sancto Spiritu in Saxia nuncupatur. De necessitate augendi Sacerdotum numerum, qui ægrotantibus pie assisterent. Quo pacto incitati fuerint animi Sacerdotum Sæcularium, ac Regularium, ut operam suam præberent, Quid agendum sit Sacerdotibus, qui in posterum ad invisendos infirmos designati fuerint. De norma præscripta in his muneribus obeundis.*

I. INter præclara Christianæ erga mortales charitatis opera merito adnumerari debent valetudinaria, quibus egeni excipiuntur, illisque necessaria omnia suppeditantur, ut in pristinam sanitatem restitui facile possint, quibus spiritualia quoque auxilia præstantur, ut si incolumes evadant, reliquam vitæ partem juxta Christianæ legis disciplinam traducant; sin autem decedant, sancte vitæ curriculum absolvant.

II. Sæculo IV., cum furor Ethnicorum in Christianos desiit, hoc institutum cœpit. Id S. Gregorius Nazianzenus his verbis testatur (11): *Amabilissimis ædibus extructis, atque annuis proventibus constitutis, quos a divitibus, & copiosis hominibus prudenti oratione ad largitatem impulsis collegerat; ægrotos omnes in unum coegit, Pauperum Gymnasia hæc loca appellans.*

III. Idem exemplum sequutus est S. Joannes Chrysostomus (12); ac de Fabiola nobili, & opulenta fœmina Romana hæc tradit S. Hyeronimus: *Omnem censum, quem habere poterat (erat autem amplissimus, & respondens generi ejus) dilapidavit, & vendidit, & in pecuniam congregatum usibus pauperum præparavit: & prima omnium Nosocomium instituit, in quo ægrotos colligeret de plateis, & consumpta languoribus, & inedia miserorum membra fovebat. Quoties morbo regio, & pædore confectos humeris suis ipsa portavit? Quoties lavit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat? Præbebat cibos propria manu, & spirans cadaver forbitiunculis irrigabat.*

IV. Posterioribus temporibus, sæculo præsertim XI., ac sequentibus hoc pium Institutum magis propagari cœpit. Tunc enim initium habuit Ordo Regularium S. Antonii Viennensis invectus a Gastone nobili genere nato in Viennensi Provincia Galliæ, qui Gerinum Filium suum, aliosque octo præstantes viros adjutores nactus fuit, qui omnes morbo ignis sacri tactos omni studio curare susceperunt. Iisdem temporibus adscribitur Institutio Regularis Ordinis, qui a S. Spiritu nuncupatur. Ille Comitem Guidonem Auctorem, ac Parentem habuit in Monte Pessulo, quem satis celebrem pietate erga egenos

(1) *Sermon. in Psalm.* 119. (2) *Can. Pronuntiandum de Consecrat. dist.* 3. (3) *Hieronymus Osorius Ep. de Indiar. reb. l.* 3. (4) 2. 2. *qu.* 83. *art.* 6. (5) *Cap.* 30. (6) *In loco superius allato art.* 16. (7) *De Religione tomo* 2. *lib.* 1. *cap.* 25. (8) *Suarez. loco allato.* (9) *Cap.* 11. (10) *Cap.* 1. (11) *In vita S. Basilii.* (12) *Palladius in ipsius vita.*

nos Innocentius III. Romam accivit, ut Nosocomium moderaretur ab ipso Pontifice in Urbe pro curandis ægrotis magno sumptu fundatum, & qui a S. Spiritu in Saxia appellatur. Iisdem quoque temporibus Equitum Melitensium militaris Ordo clarissimus incœpit, cujus leges Raymundus de Podio ita constituit, ut plures ex ipsis Equitibus tutissima itinera ad Sancta Palæstinæ loca præstarent, alii Cappellani munere cultum, Ecclesiæ Conventualis servarent, alii demum in Nosocomiis curam, operamque suam ægrotis impenderent. Postremo sæculis haud multum a nobis remotis S. Joannes de Deo Granatæ Ordinem suum anno 1538. instituit, eamque legem, ac votum suis indixit, ut ægrotantibus in Nosocomiis inservirent. Beatus autem Camillus de Lellis anno 1581. initium dedit Ordini Clericorum Ministrantium Infirmis, qui non solum Fidelibus extremum vitæ spiritum domi suæ exhalantibus præsto sunt, at etiam pietatis opera ægrotis detentis in publicis Nosocomiis persolvunt.

V. Porro hæc Civitas Bononiensis, quæ semper exterorum pietatem æmulata est, magnam sibi laudem iisdem, quæ jam indicavimus, temporibus comparavit conditis publicis Hospitiis, quibus ægrotantium inopiæ prospiceretur. Nam Sæculis XIII., ac XIV. duo Nosocomia extructa sunt, quæ nunc etiam existunt, quorum primum a S. Maria Vitæ dictum fuit, alterum a S. Maria Mortis, uti Sigonius commemorat (1). Sæculo autem XVI. præclaros cives in lucem edidit a Summis Pontificibus accersitos ob peritiam, ac pietatem, quos iidem Pontifices Commendatoris titulo ornatos administrando Nosocomio, Sancti Spiritus in Saxia præposuerunt. Ii fuerunt Carolus Ariostus, Franciscus Landus, Theseus Aldobrandus, Joannes Baptista Ruinus, Hieronymus Agochius, & Balthassar Bolognettus (2). Præter publica Nosocomia hujus Civitatis, quæ nuper memoravimus, alia quoque, licet minori sumptu, exstructa fuerunt. Regulares Ordinis S. Joannis de Deo, & Clerici ministrantes Infirmis in hanc pariter Urbem vocati, & liberaliter excepti sunt.

VI. Nos quidem eadem Nosocomia S. Mariæ Vitæ, & S. Mariæ Mortis invisimus, cum Ecclesiis, locisque piis Urbis, ac Diœcesis Sacra Visitatio indicta fuit; & sane deprehendimus, nec deesse ægrotis Medicorum curam, nec Ministrorum diligentiam, ac singularem munditiem, quæ curandis corporibus plurimum confert; morbis quoque levandis opportuna medicamenta, cibumque aptum suppeditari cognovimus. Attamen, si necessaria ad juvandas ægrotantium animas spectentur, copiosam quidem messem, Operarios autem paucos invenimus, videlicet unum Sacerdotem pro viris, alterum pro infirmis mulieribus in singulis Nosocomiis designatum, quæ cum magno ægrotantium numero redundent, sufficere duorum Sacerdotum opera nequit pro iis omnibus muneribus obeundis, quæ infirmis necessario præstanda sunt, ut ad pie vivendum, vel moriendum adducantur, quod potissimum est in hoc pietatis Instituto: *Exercitationem corporis* (inquit Saulnerius (3)) *ad modicum utilem esse, pietatem autem ad omnia, sapienter dixit Apostolus; unde liceat inferre, longe procurationem animarum antestare curationi corporum. Et vero nihil ipsa consequi potest, etiam cum succedit ex voto quam modicum infelicis exilii prorogationem; illa autem ad ipsam pertinet aternitatem omnium bonorum cumulo beatam &c. Quo attentiores esse convenit Nosocomiorum Præfectos, ne opportuna, atque adeo necessaria ad salutem animæ auxilia desint egris, quos interdum pejus mens habet quam corpus.*

VII. Quare jam tunc excogitavimus Operatorium numerum augere, qui salutarem ægrotantium curam susciperent, aliosque Sacerdotes ad hanc provinciam capessendam accersivimus, qui eam cum fructu gerere soli possunt uti Vanespen. recte perpendit (4): *Sane in magnis Nosocomiis, in quibus frequens solet esse infirmorum numerus convenit, ut speciales sint Presbyteri, qui infirmis assistant & ad Christiane moriendum vel viviendum disponant. Qui autem attenderit, quam crassa sæpe ignorantia laborent & quam multis criminibus frequentes sint onusti & implicati pauperes ad Nosocomia divertentes, facile intelliget, quod plures, quam bodie consueverint, Sacerdotes Nosocomiis pro cura spirituali infirmorum merito præficerentur, ne alias appareat, re vera plus curari corporum, quam animarum curationem.*

VIII. Quæ autem nobis objecta fuerunt nempe in Nosocomiis quæ modo nominavimus unum tantum Sacerdotem proviris, alterum pro ægrotis mulieribus retineri consuevisse imminuendum ægrotantium numerum, si plures Sacerdotes inducantur, Cappellanis se adjutores præbere Patres Oratorii Sancti Philippi Nerii, Societatis Jesu, & Clericos ministrantes infirmis: tandem unicum Sacerdotem in Nosocomiis Patrum Sancti Joannis de Deo cunctis ægrotantibus plene satisfacere; Hæ rationes, inquam, opinionem nostram immutare non potuerunt. Primum namque omittimus veterem morem, cui tanquam arci minus tutæ, cum de cultu Dei agitur, animarumque salute, male fidunt, aut inscitia aut desidia in iis peragendis, quæ ad Dei famulatum pertinent, vel cæteris Fidelibus salutaria judicantur. Præterimus etiam nullam fore suspicionem, ne ægrotantium numerus minuatur, cum excogitatum a nobis consilium nullas expensas Nosocomiis inferre debeat. Neque sane improbamus pietatem eorum Regularium qui operam suam Infirmis contulerunt; sed potius eos obtestamur, ut quam cœperunt viam, semper insistant, iisque solum quasdam leges præscribemus, quas paulo inferius indicabimus. Libere quoque fatemur, exemplum Regularium Sancti Joannis de Deo parum apte proponi. Nam primum ægrotantium numerus, qui ipsorum Nosocomiis admittitur, comparari nullo modo potest infirmorum copiæ, quæ in aliis publicis Hospitiis de quibus agimus, detinetur. Insuper quamvis Clemens Papa VIII. ipsis ad Sacros Ordines ascendere prohibuerit, deinde vero Summus Pontifex Paulus V. permiserit ex ipsis unum singulis in Cœnobiis, seu Nosocomiis ad Sacerdotium posse assumi, ut ipse ægrotantium animabus consuleret, tamen ob eam causam per unicum Sacerdotem plene id perfici potest, quod cæteri ejusdem Ordines in Tyrocinio edocti apprimeque instructi, dum corporibus ægrotantibus opitulantur, eosdem si opus sit, Christianæ legis disciplina, Fideique rudimentis imbuunt (5) quæ profecto spiritualia auxilia nostris in Nosocomiis minime præstantur.

IX. Postquam igitur deliberavimus Sacerdotum numerum augere ad cœtus universos Regularium, qui frequentes in hac Urbe degunt, confugendum putavimus exemplo Romanæ Urbis ducti, ubi Regulares tum Canonici, tum Monachi, tum Mendicantes, tum Clerici singulis diebus seorsim publica Civitatis Nosocomia invisunt, nempe Sancti Spiritus in Saxia Sanctissimi Salvatoris apud Sanctum Joannem Lateranensem, S. Mariæ Consolationis & S. Jacobi Incurabilium, ibique pietatis officiis funguntur. Ita enim Clemens X. præscripsit ac posteriori tempore constanter ad hos usque dies idem Institutum retinetur, cujus ea potissimum causa fuit, quod Cappelani in Nosocomiis designati omnia, quæ debent, perficere diligenter nequeunt, scilicet ægrotantium Confessiones audire ipsos Fidei mysteriis erudire, hortari, cedulamque illis operam dare qui in ultimo vitæ discrimine positi sunt. Regularium Prefectos accivimus, quos paratos omnino deprehendimus ad pium opus suscipiendum nec opus fuit jussa Pontificis proferre, quæ die 25. Februarii data nobis fuerunt ut difficultatem omnem, si res postularet, ipsius auctoritate, vinceremus: sed postea delatum nobis fuit per Urbem dictitari, Regulares Viros in duas Classes dividi posse, quorum primi vel senectute, vel infirma valetudine parum idonei videntur, ut ministrent in Nosocomiis; alteri vero juventute florentes studiis tempus impendere debent. Quare aliud cœpimus consilium, & Regularium Præfectis examinandum relinquimus, an proposita difficultas aliquo fundamento niteretur.

X. Non desunt in hac Civitate numero Sacerdotes seculares qui se adjutores prebere possint in duobus Nosocomiis, quæ superius memoravimus, pro his omnibus, quæ juvandis ægrotantium animabus necessaria sunt. At prius ipsorum voluntatem exploravimus, quos faciles, paratosque ad rem gerendam invenimus, uti sperabamus. Quare ipsos alloquuti sumus in Sacrario S. Luciæ, cum Festum Sancti Andreæ mane ageretur; & vix consilium nostrum explicavimus & ægrotantium necessitatem incredibili animi nostri lætitia ex ore, oculis, sententiisque omnium certissimum judicium percepimus, eos daturos operam, ut voluntati nostræ satisfacerent, & spirituales pro ægrotis Ministros augerent quod necessarium prorsus erat, ut saluti ægrotantium satis prospiceretur.

XI. Hos

---

(1) *Lib. 3. de Episc. Bononien. pag. 224. & pag. 137. antiq. edit. Bononien. anno 1586.*
(2) *Petrus Saulnier in dissert. de Cap. Sac. Ord. S. Spiritus cap. 5. argum. 5.* (3) *Lib. superius allato cap. 11. arg. 10.*
(4) *Juris Ecclesiastici par. 2. tit. 37. cap. 3. num. 43. pag. 140. & 156.* (5) *In Bullario ejusdem Ordinis edito Romæ anno 1724.*

XI. Hos itaque ſeculares Presbyteros ad hanc piam provinciam eligimus. Interim Patres Societatis Jeſu magnopere hortamur ut pium opus quod magna cum laude ſemper egerunt, proſequi numquam deſiſtant. Expendant, ipſos lectioni comparari, quæ certo quidem munere non adſtringitur, ſed cuncta aggredi præſto eſt, cum de augendo Dei cultu res agitur: *Quare tantum hæc Religioſa Sodalitas diſtat ab aliis, quantum in Exercitu diſtaret a peculiari officio vel Vigilum, vel Prætorianorum, vel rem tormentariam curantium, vel machinis ac foſſionibus incumbentium Cohors aliqua, quæ ſe ita Imperatori manciparet, ut ad labores, opera, pericula omnia, quocumque res vocet ſeparatam offerret* (1). Eadem verba facimus Patribus Oratorii S. Philippi Nerii qui plane intelligunt, curam ſtudiumque pro inviſendis, ac juvandis infirmis Romæ neglectum, ab eodem S. Philippo ſuis exemplis reſtauratum; ipſi norunt eumdem S. Philippum ſuis conſiliis eam mentem Beato Camillo de Lellis indidiſſe, ut Ordinem Regularium conſtitueret, qui Infirmis miniſtrarent (2). Poſtremo eamdem hortationem libenter convertimus ad Clericos Regulares Miniſtrantes infirmis, quibus in memoriam adducimus præclare geſta ab ipſorum Parente Beato Camillo de Lellis, quæ referre nobis arduum non eſſet, qui toties acta pro ſummis illius virtutibus probandis percurrimus, cum munere Promotoris Fidei fungeremur. Saulnerius vero Beato Camillo coævus eximiam ipſius charitatem complectitur, qua ægrotantes Romæ in Noſocomio Sancti Spiritus proſequebatur (3).

XII. Patres quidem Societatis Jeſu, Sancti Philippi Nerii, & Clerici Miniſtrantes Infirmis in Noſocomiis mortis, ac vitæ pietatem ſuam jam prius exercere conſueverant, quos, ut propoſitum ſervent, hortati ſumus, ea tamen methodo, quæ inferius tradetur. Ad ſanctiſſimum opus Clericos etiam Regulares Sancti Pauli vulgo Barnabitas incitavimus, qui ſummopere conferunt, ut hæc Diœceſis virtutibus ac morum diſciplina excellat. Neminem enim latere poſſunt labores egregii, quos aſſiduo, & magno cum fructu libenter perferunt. Illos igitur, qui viros Ordinis ſui idoneos paratos obtulerunt, cæteris adnumeramus, qui miniſtrare in Noſocomiis ſtatuerunt. De Carmelitis Excalceatis verba fient, cum de Valetudinario S. Urſulæ ſermonem habebimus. De reliquis Regularium Ordinibus nihil modo decernimus, quos quidem plurimi facimus, ſed impedimenta nobis ipſos eſſe allaturos ſuſpicamur. Illud etiam expetimus, ut difficultas, quæ de Senibus, ac Juvenibus Regularibus nobis expoſita fuit, inter ipſorum Præfectos diligenter antea perpendatur.

XIII. Sacerdotes igitur ſæculares, ac Regulares, quos jam nominavimus ad Noſocomia mortis, ac vitæ ſe conferrent, lectulorum ordines perluſtrabunt, in quibus tum viri, tum mulieres morbis affligantur, eamque ſervabunt normam, quam modo ſubiiciemus. Ægrotos alloquentur, ut ex ipſis conjiciant, an probe calleant, quæ ad immortalem ſalutem neceſſaria ſunt. Ipſos, ſi res exigat, paucis inſtruent, ad eliciendos fidei ſpei, & charitatis actus incitabunt, ad perfectum criminum dolorem hortabuntur; ipſos deinde Pœnitentiæ Sacramento expiabunt. Qua de re iiſdem Sacerdotibus facultatem impertimur, ut crimina nobis reſervata, diſſolvere, ac remittere poſſint. Cappellanos monebunt, ſi neceſſitas immineat, ut Divinum Viaticum, & ſupremæ Unctionis Sacramentum ægrotis adminiſtretur, quæ Sacerdotes ipſi perficere poterunt, obtenta prius a Cappellanis facultate, Superpelliceo, & Stola, aliiſque rebus, quæ pro re gerenda neceſſario requiruntur.

XIV. In Romano Rituali continentur omnia, quæ agenda ſunt iis, qui ægrotant, aut proxime morituris aſſiſtunt (4). Quamobrem peritis, piiſque Sacerdotibus ad hoc miniſterium electis injuria fieret, ſi aliquid ſuper his rebus a nobis adderetur. Illud ſolum monendum ducimus, quod morientibus, & potiſſimum in Noſocomiis, evenire ſolet. Nam aliqui ſe quietos adeo tacitoſque oſtendent, ut nihil de illis timendum videatur, & ob hanc cauſam omnis ipſorum cura prorſus abjicitur. Rerum naturalium periti tradunt aerem bis in die tranquillum magis eſſe, circa meridiem, cum frigoris vim magnitudo caloris ſuperavit, & circa mediam noctem, cum ipſe calor frigoris aſperitate penitus obtunditur: ita profecto morientes aliqui quietem præſeferunt, quia calor omne frigus depulit, qui nempe diuturnam vitam Chriſtianis moribus, ac virtutibus exegerunt, ideoque cœleſtis gratia ipſorum adverſarios penitus debellavit. Contra vero in quibuſdam morientibus falſa quies apparet, quia frigus omnem calorem reſtrinxit, qui nempe incolumes de animæ ſalute nunquam cogitarunt, ideoque eam pariter negligunt, licet jam ad extrema devenerint. Hos, licet tranquilli videantur, Sacerdotes prætermittere non debent, ſed pro ſalute ipſorum omnes vires intendere, donec ſupremum ſpiritum effuderint. Ita docet P. Segneri pietate, ac doctrina clariſſimus (5).

XV. Typis dabitur Index cum nominibus ſæcularium Sacerdotum, qui pro Noſocomio vitæ, ac eorum, qui pro Noſocomio mortis deſignati ægrotis miniſtrabunt. Deſcribuntur quoque nomina Sacerdotum, qui viris ægrotantibus, & eorum, qui mulieribus operam ſuam, ſtudiumque præbebunt. Dies ſtatuuntur, quibus Noſocomium invitant: ipſorum vero pietati, atque arbitrio permittitur, ſi aliis pariter diebus idem munus exercere velint. Die vero, qua pergent, ut munere ſuo fungantur, tres horas mane, duas autem cum dimidio poſt prandium pro juvandis impendent, quod Romæ pariter fieri conſuevit: qui diutius in eodem miniſterio verſabitur, rem Deo gratiſſimam, ſibique magis utilem faciet. In iiſdem Noſocomiis libellus aſſervabitur, in quo, miniſterio peracto, nomen ſuum ſinguli adnotabunt, ut ipſum percurrentes merita cujuſque facilius agnoſcamus, cum examen aliquod pro conferendis Parochiis indicetur, aut aliqua alia utilitatis occaſio ſe nobis offerret: Index quoque dies patefaciet, qui Patribus Societatis Jeſu, S. Philippi Nerii, & Clericis Regularibus Miniſtrantibus Infirmis, ac Barnabitis pro inviſendis Noſocomiis decernuntur, quos magnopere rogamus, ut pium opus ſuſcipiant, ne forte per eos dies ipſorum auxilio ægrotantes deſtituantur. Nomina Regularium non exprimuntur: nam ipſorum Præſides ex omni Familia eos libere conſtituent, qui magis idonei judicentur. Si aliis ſponte diebus ad Noſocomium accedent, ampliora merita ſibi apud Deum comparabunt.

XVI. Singulis autem Sacerdotibus tum ſæcularibus, tum Regularibus, quo die præſcriptis antea muneribus ſatisfacient, centum dies Indulgentiarum concedimus, eo modo, quo Romæ a Pontifice conſtitutum eſt illis, qui ægrotantibus in Noſocomiis Urbis eamdem operam perſolvant. Neque id ſane a noſtra facultate alienum eſt: nam licet quadraginta ſolum dies, vel annum, cum de Eccleſiæ dedicatione agitur (6), tanquam Archiepiſcopi, elargiri poſſimus (7), tamen cum inter Cardinales adnumeremur, centum dies Indulgentiarum promulgare nobis licet, uti Andreas Duvallius (8), & Giamachæus aperte demonſtrant. Inſuper, licet Indulgentiam impertiri certam juriſdictionem præſeferat, illam tamen ad Regulares, aliioſque immunes extendere poſſumus, qui degunt in noſtra Diœceſi, ne immunitatis privilegium, quod ipſis prodeſſe debet, in ipſorum detrimentum convertatur, quod Cokerius (9), Barboſa, ceterique omnes affirmant (10).

XVII. Extra portas Civitatis, ac ſub ipſius mœnibus ſitum eſt Noſocomium S. Urſulæ, ubi tum viri, tum mulieres non periculoſis, ſed diuturnis morbis curantur. Illud haud multum diſtat a Cœnobio Patrum Carmelitarum, qui ſatis perſpecta habent, quæ Ordinis legibus indicuntur, cum res eſt de juvandis ægrotis. Sciunt etiam quanta cum admiratione omnium, veteres, ac recentes Carmelitæ hoc pium miniſterium exercuerint. Itaque cum ægrotantes in Noſocomio Sanctæ Urſulæ alienam operam præter Cappellanum requirant, Præſidi Carmelitarum *pro tempore* plurimum commendamus (nam, qui modo Carmelitis præpoſitus eſt, fidem in hac re ſuam nobis dedit), ut ſæpius aliquos ex familia deligat, qui Noſocomium inviſant, & ægrotantibus præſto ſint, illiſque pietatis officia perſolvant, quæ neceſſaria videantur. Qui confeſſiones ægrotantium audient, reſervata nobis crimina condonare ex noſtra facultate poterunt, & ſibi centum dies Indulgentiarum comparabunt, quoties hoc pietatis munere fungentur. Si forte alii ſtudio charitatis ducti S. Urſulæ Noſocomium inviſere conſueverunt, vehementer eos rogamus, ut idem inſti-

---

(1) *Card. Pallavic. in ſuo comment. de Vindiciis Societ. Jeſu cap. 4.* (2) *Baccius in vita S. Philippi lib. 1. cap. 7. n. 9. Penottus in hiſtoria Tripartita, num. 2. cap. 74. Tamburinus de Jure Abbatum tom. 2. diſp. 24. quæſt. 4. num. 87. Barboſa Juris Eccleſiaſt. univerſi lib. 1. cap. 41. num. 199. & ſeqq.* (3) *Allato Opere cap. 8. argum. 6. pag. 69.*
(4) *Tit. de viſitatione, & cura infirmorum.* (5) *In libro qui inſcribitur;* Il Confeſſore inſtruito *cap. 24. §. 2.*
(6) *Cap. Cum ex eo, de Pœnitentiis.* (7) *In part. 2. Divi Thomæ, tract. de Indulgentiis quæſt. unic. art. 9. concl. 4.*
(8) *In Summa Theologica tom. 2. diſp. de Indulgentiis cap. 8.* (9) *De juriſd. in exemptos quæſt. 58. num. 6.*
(10) *De Officio, & Poteſt. Epiſcopi alleg. 88. num. 27.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſicutum conſtans, ac perpetuum eſſe velint; eas præſertim nobiles mulieres hujus Civitatis, quas hæc pia officia ægrotantibus præbere in eodem Noſocomio percepimus. Ipſas hortaturi, ne a propoſito deſiſtant, exemplum Placillæ Auguſtæ, quæ Theodoſio Magno nupta erat, oculis ſubjicimus: *Eccleſiarum hoſpitia* (inquit Theodoretus (1)) *viſere, egentis in lecto decumbentibus curationem adhibere; tractare ollas, juſculum guſtare, patinam illis deferre, frangere panem, offas porrigere, eluere pocula, omnia denique alia munera obire, quæ ſervi, & ancillæ exequi ſolent.*

XVIII. Poſtremo quo poſſumus maximo ſtudio Præſides Noſocomiis vitæ, mortis, ac Sanctæ Urſulæ hortamur, omni cura ſatagere, ut hæc noſtra voluntas finem ſuum aſſequatur, ac præſertim, ut Cappellani in iiſdem Noſocomiis conſtituti operam ſuam, & munus haud negligant ob novos Sacerdotes, qui ipſis in miniſterium adjunguntur, quos a nobis accitos ob hanc ſolum cauſam declarabunt, ut Cappellanos adjuvent, non vero, ut ipſos labore immunes efficiant; oſtendant, hos Sacerdotes voluntariis militibus comparari, Cappellanos ſimiles eſſe militibus ſtipendio conductis. Neque ſane animum noſtrum continere poterimus, ſi ad noſtras aures perveniet, quod ipſi diſſidia ſerentes huic noſtro conſilio objiciant impedimenta, poſtquam inviſentes Noſocomia vitæ, & mortis paſſi ſumus ab iiſdem audire, ſe nihil muneri ſuo deeſſe, ſuaque opera ſatis præſtari quæcumque ægrotantibus neceſſaria viderentur; quod utinam a veritate nunquam fuerit alienum.

XIX. Diem ſtatuemus, quo ſimul cum Sacerdotibus ſæcularibus eadem Noſocomia petentes pium Inſtitutum auſpicabimur. Si Deus nos incolumes velit, non ſemel idem præſtabimus, & nihil abſonum, nihil unquam alienum a voluntate noſtra futurum confidimus. Prælides Noſocomiis obteſtamur, ut præſentes interſint, cum ad illa accedemus ſtatuto die, qui & ipſis ſignificabitur; nam plura in loco ſuperaddi voce poterunt, quæ ſcripto exarata non fuerunt.

## INSTITUTIO LXIV.

*De Cadaverum ſectione facienda in publicis Academiis, utrum Conſtitutio Bonifacii VIII. ſectioni humanorum cadaverum adverſetur. Revera cadavera reorum concedi pro utilitate, & commodo facultati Anatomicæ. De corruptelis, quæ contigerunt, cum deeſſent reorum cadavera, quo tempore ipſorum ſectio inſtituenda fuerat. Quo pacto conſulendum ſit, ne in poſterum id eveniat.*

I. SIngulari Dei beneficio Medicinæ ſtudium in hac Civitate magnopere floret, cujus etiam Profeſſores ob eximiam virtutem in remotiſſimis terræ partibus commendantur. Ipſis ſane maxime profuit, quod incidendis mortuis corporibus diligentem operam contulerint, ex qua procul dubio præclaram artis ſcientiam, in conſultationibus obeundis pro ægrotorum ſalute præſtantiam, morbiſque curandis peritiam conſequuti ſunt. Id apertiſſime cognoſcitur ex teſtimonio celeberrimi Viri Marcelli Malpighii, cum erudite reſpondet diſſertationi inſcriptæ: *De recentiorum Medicorum ſtudio*, quæ reſponſio typis excuſſa fuit a Daniele Clerico, & Jacobo Mangeto (2): idem Sydenhami doctiſſimi Medici auctoritate comprobatur (3).

II. Porro hæc membrorum inciſio nullo modo adverſatur Bonifacii VIII. Conſtitutioni, quæ a S. Antonino (4) Bonifacio II. falſo tribuitur ob Typographi mendum, & quæ *cap. 1. de Sepulturis* deſcribitur (5). Illa quidem pœnam excommunicationis indicit, Pontifici ſolo remittendam, iis omnibus, qui audeant *cujuſcumque Defuncti corpus exenterare, ac illud membratim, vel in fruſtra immaniter concidere, ab oſſibus tegumentum carnis excutere:* tamen ex reliquis ejuſdem Conſtitutionis partibus clare deprehenditur, hanc pœnam illis infligi qui ſepulta corpora e tumulis eruentes ipſa nefario ſcelere in fruſta ſecabant ut alio deferrent, alioque ſepulcro collocarent. Quamobrem membrorum inciſio minime intercipitur, quæ adeo neceſſaria eſt medicinæ facultatem exercentibus: *Incidere autem* (inquit Celſus Medicus) *vivorum corpora & crudele, & ſupervacuum eſt; mortuorum corpora diſcentibus neceſſarium* (6). Idem Silveſter (7), ac Suarez (8), cum de Pontificis Bonifacii Conſtitutione verba faciant, unanimes teſtantur.

III. Neque omittendum eſt, quod tradit P. Theophilus Raynaudus his verbis (9): *Neque enim novum eſt, ut noxiorum Corpora dedantur Chirurgis, ac Medicis ad comparandam notitiam, qua ægris juvandis ſint aptiores.* Id vero juxta Vaneſpenii ſententiam conſuetudini tribuendum eſt, qui ita ſcribit (10): *Dedit & conſuetudo Judici arbitrium permittendi Medicis Cadavera iſta ad Anatomen.* Sed Hugo Grotius ad Principis facultatem in noxiorum corpora id referendum putavit. *Quibuslibet* (inquit (11)) *petentibus danda cenſuit Paulus Juriſconſultus.*

IV. Igitur in eo verſatur tota difficultas, quid ſtatuendum videatur, ſi publicæ hujus inciſionis tempus advenerit, & corpus noxiorum deſit, quod tradi poſſit ad incidendum: *Cum omnes* (inquit præclarus hujus noſtræ Academiæ Medicus Joannes Hieronymus Sbaraglius) *ægre patiantur, conſanguineorum cadavera aperiri in Theatris Anatomicis, & nos præ cæteris hanc rem teſtari poſſumus occaſione Anatomiæ publicæ, quam & cum difficultate, & cum protectione ſuſtinuimus: ſecus, nihil actum eſſet* (12).

V. Patavii quidem ob hanc cauſam corruptelæ eo devenerant, ut S. Franciſcus Saleſius, qui adhuc juvenis ſtudiorum cauſa in illam Urbem ſe contulerat, ad extrema vitæ redactus, corpus ſuum Medicis, & Chirurgis diſſecandum tradi juſſerit, ſi eo morbo decederet, ex quo tamen ſumma Fidei Catholicæ beneficio, & fidelium utilitate liberatus fuit.

VI. Carolus Auguſtus Saleſius ipſius Nepos rem totam commemorat (13). His autem verbis S. Franciſcus tunc temporis uſus fuit: *Magiſter optime, quam viventis curam habuiſti, mortui parem habeas, rogo: hoc ſolum expeto, ut, cum expiravero, corpus hoc diſſecandum Medicis, Chirurgis, & Anatomicis ſtudioſis tradas: unum erit in extrema vita ſolatium, ſi poſtquam nullius vivens fuero utilitatis, defuncti aliqua ratione reipublicæ proſim, impediamque præterea, nunc ſaltem, tot rixas, tot diſſidia, & cædes, quæ inter functorum parentes, aut conſanguineos, & Medicos candidatos eveniunt.* Marſollierius, qui ejuſdem S. Franciſci vitam Gallica lingua conſcripſit, egregium hoc charitatis monumentum ſumma laude proſequitur (14).

VII. Hic in memoriam non revocabimus, quæ funeſta in hac Urbe olim contigerint, cum ad publicam inciſionem noxiorum corpora defuerunt, ipſorumque loco alia cadavera ſubjecta ſunt. Breviter ſolum exponemus controverſias inter Parochum S. Michaelis *Mercati medii*, & ſtudioſos juvenes hujus Academiæ anno 1697. excitatas. Cum ipſi abſque ulla facultate corpus egeni, qui prope templum S. Mariæ a Populo dictæ repentina morte obierat, ſecandum arripuiſſent, juſſi fuerunt in eumdem locum, ex qua ſuſtulerant, corpus reſtituere, quod ſtatim perfectum fuit. Tunc Parochus traditum ſibi corpus integrum in Parochiali Eccleſia Sepulturæ mandavit.

VIII. Inſignius etiam fuit, quod evenit anno 1727., cum eadem ſtudioſa juventus ex ædibus eidem Parochiæ ſubjectis corpus hominis repente vita defuncti abripere tentavit, quin antea facultatem ullam, & propinquorum conſenſum ob eam cauſam obtinuiſſet. At ſuſcepto meliori conſilio ad Vicarium Generalem Archiepiſcopi confugerunt, qui defuncti uxore haud renuente, celebratiſque in Parochiæ templo exequiis idem corpus pro inciſione publica tradi præcepit.

IX. Anno proxime elapſo cupiditas obtinendi pro inciſione corporis eo pervenit, ut Anatomices ſtudioſi a Parocho S. Nicolai in via S. Felicis omni ſtudio petierint mulieris corpus, quæ vitam abſolverat, ac ſepulchro condita fuerat. Optatum tamen finem non aſſequuti ſunt, quod merito Parochus rem denegavit.

X. Igitur, ne corruptelis ejuſmodi pateat aditus, ac ne publicæ inciſionis fructus impediatur, declaramus, ad nos ipſos, aut Vicarium noſtrum adeundum, cum de corporibus agitur ſeu mulierum, ſeu virorum cujuſvis conditionis, quæ mortis quolibet genere interierint, & quæ in publicis Gymnaſiis ſecanda neceſſario videantur. Nos enim, ſeu Vicarius noſter Generalis, ne Anatomices ſtudioſi hac utilitate careant, ea provide conſtituemus, quæ ad conſenſum propinquorum elicien-

(1) *Lib. 5. cap. 18.* (2) *Præliminaribus tom. 1. de ſtatuto. Anatomica.* (3) *de Hydrope pag. 73.*
(4) *Part. 3. ſuæ Summæ tit. 24. cap. 64.* (5) *Inter communes extravagantes.* (6) *Lib. 1. de Re Medica ante cap. 1.*
(7) *In ſumma ad verb. Excomm. ſeptimo n. 79.* (8) *De Cenſuris diſp. 22. ſect. 5. num. 2.* (9) *Tom. 14. pag. 318. num. 11.* (10) *Juris Eccleſiaſt. univ. part. 2. tit. 38. cap. 6. num. 4.* (11) *De Jure Belli, ac Pacis lib. 2. cap. 19. num. 4.* (12) *In opere, cui titulus: Vigiliæ oculorum, & mentis, part. 2. Apologetica pag. 545.*
(13) *Lib. 1. de Vita S. Franciſci Saleſii ſui Avunculi pag. 27.* (14) *Lib. 2. pag. 51.*

ciendum, jus Parochi tuendum, persolvendaſque exequias pertinent, uti factum fuit anno 1727. Quod ſi de noxiorum corporibus res agatur, ad eos preces convertant, in quorum poteſtate eadem corpora ſita ſunt. Poſtremo ipſis ante oculos ſubjicimus, quæ ſuper hac re non a Theologis, aut Canonum Interpretibus, ſed ab iiſdem Medicis ſcripta fuerunt. *Quod ſi quis exerceat* (inquit Codronchius, (1) poſtquam ſermonem inſtituit de pœna excommunicationis, quam nos a Bonifacio VIII. indictam ſuperius memoravimus) *hujuſmodi ſectiones addiſcendi cauſa, vel alias erudiendi, non obtenta ab Epiſcopo facultate, peccat quidem mortaliter. Excommunicationis vero pœnam non ſubit; quoniam pœnæ non ſunt extendendæ ultra proprios caſus: qua in re erratum eſt a nobis in caſu trigeſimo octavo &c. ubi etiam peccato mortali annectebatur Excommunicatio.*

## INSTITUTIO LXV.

*Epiſtola encyclica ad univerſos Archipresbyteros, & Parochos Diœceſanos, in qua ſermo eſt de operibus ruralibus, quæ die Feſto exercentur. De corruptelis, quæ in diebus feſtis obſervandis inductæ ſunt. Certiſſimum eſſe non licere per dies Feſtos ſervilibus operibus vacare; id tamen permitti aliquod, ſi neceſſitas poſtulet; utrum ipſa cognoſci, ac probari debeat auctoritate Epiſcopi. De conſilio, quod initum fuit, ut dies Feſti rite excolantur; ac de norma pro hac obſervatione obtinenda.*

I. RElatum nobis fuit ruſticos in agrorum operibus per dies Feſtos verſari, poſtquam Sacro interfuerint, eique præcepto qualicumque pietate, ac religione ſatisfecerint.

II. Nihil novi ſtatuendum voluimus, priuſquam rei veritatem inveſtigavimus, & corruptelam ejuſmodi in aliquas Diœceſis Parochias inductam, deprehendimus, tantamque impudentiam in quibuſdam locis cognovimus, ut ſine ulla Parochi facultate diebus Feſtis agrorum opera ſuſcipiantur. In aliis vero locis idem ferme habetur facultatem ejuſmodi petere, atque obtinere. Ac poſtremo omnes fere Parochi (ſi perpauci excipiantur) hanc veniam petentibus voce tenus impertiuntur.

III. Non defuerunt etiam Parochi, qui, ut ſibi benevolentiam populi conciliarent, & ruſticos colendis agris die Feſto occupatos a lictoribus eriperant, non ſine injuria Eccleſiaſticæ, Divinæque legis teſtati ſunt iiſdem ruſticis ſe facultatem pro re gerenda conceſſiſſe.

IV. Et cum lictores eam facultatem ſcriptam requiri contenderent, eo progreſſi Parochi, ut parum de mendacio ſolliciti, facultatem ipſam tanquam prius a ſe obſignatam impertiverint.

V. Porro violandis diebus Feſtis hæc aditum patefaciunt, ideoque a nobis exigunt, ut opportunum remedium afferamus.

VI. Neminem latet ob ejuſmodi violationem publicum inferri ſcandalum, ex quo divina in nos, noſtramque Diœceſim ultio dimanat: *Quandoquidem* (inquit S. Carolus Borromæus (2) *publica peccata, ea maxime, quæ Divinum Cultum amoliuntur, in plebem vehementius irritant iram Dei, nobiſque ex officio incumbit, opportunis ea remediis ſubmovere &c.*

VII. Ex eodem fonte innumera prope damna profluunt, quæ verbis Clementis V. complectemur (3): *Ex quibus ſequitur, quod Lex Fidei, Articuli Fidei, & alia, quæ ad Religionem Fidei Chriſtianæ, & ſalutem animarum pertinent, a Fidelibus quaſi totaliter ignorantur, ex hoc Deus blaſphematur, Diabolus reveretur, pereunt animæ, Fides Catholica fauciatur.*

VIII. Sed quoniam a violatoribus dierum Feſtorum, & a Parochis ipſis, qui omni Religione ſpreta, negligenter in hoc negocio ſe gerunt, pro cauſa excuſationis neceſſitas ruralium operum adducitur, plura monenda per has noſtras litteras exiſtimamus. Ac primum Feſtis diebus ſervilia opera penitus interdici. Secundo inter ipſa, ruris opera adnumerari. Tertio, ſi neceſſitas interveniat, ruris opera, licet ſervilia exerceri poſſe, quin præceptum ſanctificationis infringatur. Quarto veram neceſſitatem reipſa intercedere debere, non ultro quæſitam, uti plerumque contingit, cum in idem feſtum rejiciuntur ea, quæ fieri pro feſtis diebus poterant. Poſtremo eamdem neceſſitatem ab illis, qui præſunt, cognoſcendam, & probandam, ne imperitus quiſque cauſam ſuam judicet.

IX. Primum quidem ab Exodo (4) ſine ulla controverſia deprehenditur: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo tu, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas.* Hoc fundamento innititur præceptum ſanctificandi dies Feſtos. Theologi vero ſejungentes ea, quæ ad cæremonias per Chriſti Adventum ſublatas, & ea quæ ad mores pertinebant, quæve in novam legem a veteri traducta fuerunt, rem totam ad tria capita redigunt, quibus abſtinendum prorſus eſt, cum dies feſtus agitur, nempe ad opera ſervilia, nundinas, cauſaſque forenſes.

X. Secundum facile oſtenditur, ſi diverſa opera expendantur, quibus Adam in Terreſtri Paradiſo, & ipſius poſteritas in excolendis agris detinetur: *Tulit ergo* (legitur Geneſis Capite 11.) *Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum.* Hanc ſententiam explanans S. Auguſtinus hæc tradit (5). *Quid abhorret, ſi credamus, hominem ita in Paradiſo conſtitutum, ut operaretur agriculturam non labore ſervili, ſed honeſta animi voluptate? Non erat laboris afflictio, ſed exhilaratio voluptatis .... unde Creator ipſe uberius laudaretur. Quid hoc opere innocentius vacantibus, & quid plenius magna conſideratione prudentibus?* Poſtquam vero peccavit Adam, hanc pœnam pro nefario ſcelere Deus inflixit: *Maledicta terra in opere tuo: in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas, & tribulos germinabit tibi* (6). Quamobrem cum in pœnam converſum ſit id, quod pro voluptate datum fuerat, ideo rura opera inter ſervilia referuntur. Hinc in Concilio Aurelianenſi III., quod anno 538. coactum fuit, cum S. Silverius (7) Pontificatum gereret, Canone 28. hæc habentur: *De opere tamen rurali, id eſt, aratro* (ſive ut alii putant) *aratura, vel vinea, vel ſectione, meſſione, excuſſione, exarto, vel ſepe cenſuimus abſtinendum* (Sermo eſt de Feſtis diebus) *quo facilius ad Eccleſiam convenientes orationis gratia vacent.* Idem Imperatorum legibus ſancitur. Nam Leo ſapiens, cum legem Conſtantini, de qua paulo inferius agemus, Sæculo IX. temperaret, hæc conſtituit: *Neque Agricolæ, neque quiſpiam alii in illo* (res eſt de Dominico die, ideoque de reliquis parcius Feſtis diebus) *illicitum opus aggrediantur. Si enim, qui umbram quamdam, atque figuram obſervabant, tantopere Sabbati diem venerabantur, ut ab omni prorſus opere abſtinerent, quomodo, qui gratiæ lucem, ipſamque veritatem colunt &c. diem, qui a Domino honore ditatus eſt, noſque ab exitii dedecore liberavit, non venerari par eſt?*

XI. Sed potiſſimum in Capitulari Aquiſgrani Carolus Rex anno 789. ita decrevit (8): *Statuimus quoque, ſecundum quod & in lege Dominus præcepit, ut opera ſervilia diebus Dominicis non agantur, ſicut & bonæ memoriæ Genitor meus in ſuis Synodalibus Edictis mandavit, quod nec viri ruralia opera exerceant, id eſt, nec in vinea colenda, nec in metendo, vel fœnum ſecando, vel ſepem ponendo, nec in ſilvis ſtirpare, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec domos conſtruere, nec in horto laborent, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant,*

XII. Tertium quoque, quod ſuperius de neceſſitate operum ſervilium propoſuimus, ob quam præceptum Feſtorum dierum minime diſſolvitur, ex reſponſione Nicolai V. clare deſumitur. Nam cum Tranſilvaniæ populi ab ipſo Pontifice petiiſſent, an die Dominico prandio jam peracto frumentum fecare, fœnum, cæteraſque fruges colligere poſſent, hoc reſponſum habuerunt (9): *Ceſſante neceſſitate, ab omni opere ſervili abſtinendum eſt diebus Dominicis, & Feſtivis; ſed, neceſſitate cogente, non tamen affectata, ſeu procurata, licitum eſt præmiſſa exercere.*

XIII. Laodicenum vero Concilium Canone 29. a ſervilibus operibus vacandum indicit, potiſſimum die Dominico, aliiſque diebus feſtis; ea conditione adhibita: *Si modo poſſint.* Zonaras hanc ſanctionem ſic interpretatur: *Lex Civilis a muneribus vacationem die Dominico, ſi agricolarum opera excipiat, omnino jubet; illis namque, quia forte operibus primo quoque tempore obeundis alium diem æque accommodatum nanciſci non*

(1) *De Chriſtiana, ac tuta medendi ratione lib. 1. cap. 31.* (2) *In Edicto pro dierum Feſtorum obſerv., quod inſertum fuit in actis Eccl. Mediolanen. tom. 1. edit. Lugdunen. pag. 348.* (3) *In Concilio Generali Viennenſi apud Raynaldum Anno Chriſti 1311. num. 57.* (4) *Cap. 20.* (5) *Lib. 8. de Geneſi ad litteram cap. 8. ac 9.* (6) *Gen. cap. 3.* (7) *In Collect. Labb. tom. 5. pag. 302.* (8) *Cap. 81.* (9) *Raynaldus Ann. Chriſti 1447. num. 28.*

*non ita facile fuerit. Dominica quoque die operam navandi facultas conceſſa eſt.*

XIV. Hæc lex, quam Zonaras commemorat lata fuit a Conſtantino, in qua ſic decernitur (1): *Ruri tamen poſiti agrorum culturæ libere licenterque inſerviant, quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta ſulcis, aut vineæ ſcrobibus mandentur, ne occaſione momenti* (nempe diei Feſti, uti explicant Interpretes) *pereat commoditas cœleſti proviſione conceſſa.*

XV. Quam legem Leo ſapiens ita quidem accepit, ut Conſtantinus ſine ullo diſcrimine, ac modo culturam agrorum diebus feſtis permiſerit, ideoque corrigendam putavit, quemadmodum ſuperius oſtendimus. In hoc tamen Leo deceptus eſt; nam, uti Thomaſſinus teſtatur (2): *Agebat Conſtantinus de operibus penitus neceſſariis, ne opportunum tempus elaberetur.*

XVI. Illud quoque certum eſt neceſſitatem ejuſmodi urgentem requiri, non autem voluntate, aut negligentia conquiſitam, uti evenit, cum in diem Feſtum differuntur, quæ feriatis diebus fieri commode poterant. Id ex reſponſione Nicolai V., quam ſuperius attulimus clare demonſtratur: *Neceſſitate cogente, non tamen affectata, ſeu procurata*: Quæ verba Vaneſpenius ſic declarat (3): *Nonnulli enim ea, quæ diebus feriatis agere, aut procurare deberent, in diem Dominicum, aut Feſtum ex propoſito differunt, atque ita neceſſitatem affectant, ſeu procurant.*

XVII. Alexander III. ante Nicolaum V. a quibuſdam populis prope mare degentibus interrogatus, an Haleces die Dominico, aliiſque Feſtis diebus piſcari liceret, ſi forte per eos dies piſces illi ad littus acceſſiſſent, id quidem Pontifex indulſit; cavendum tamen monuit, ne ſolemnioribus per annum Feſtis piſcarentur, nempe die Natali Salvatoris, ac diebus Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, uti declarant Interpretes hujus Pontificiæ reſponſionis, quam modo ſubjiciemus. Si vero aliis diebus Dominicis, aliiſque Feſtis Haleces in littus confluerent, piſcationem Pontifex permiſit ea conditione, ut lucri partem impenderent in proximas Eccleſias, aut in egenos erogarent: *Indulgemus* (inquit Pontifex (4)), *ut liceat Parochianis veſtris diebus Dominicis, & aliis Feſtis, præterquam in majoribus anni ſolemnitatibus, ſi Alecia terræ ſe inclinaverint, eorum captioni, ingruente neceſſitate, intendere, ita quod poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis, & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem.*

XVIII. Perpendi debent ea verba: *ingruente neceſſitate*: quæ ſane inducunt occaſionem, quæ prætermitti nullo modo poteſt, & quam illi populi ſtudioſe capere non poterant, ut piſcationem in diem Feſtum conſulto protraherent: *Magnum exiſtit* (inquit Thomaſſinus (5)) *in Antiſtite tantæ tuendæ Eccleſiæ diſciplinæ ſtudium. Cuncta enim expendit, ut lenius ageret cum illis, in quorum perniciem conſpiraſſe videbatur ſoli, & mariſ iniquitas.*

XIX. Idem ſentiunt unanimes Theologi morales; nam Sanctus Thomas hæc habet (6): *Opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum.* Cardinalis autem Cajetanus declarans ea verba: *damnum imminens*: ita ſubdit: *Imminente pluvia, vitatur licite damnum rerum ſub dio damnificandarum, auferendo inde eas, quæcumque res ſint.*

XX. S. Antoninus (7), poſtquam inter ſervilia opera culturam agrorum numeravit, eamque diebus Feſtis vetitam oſtendit, *niſi neceſſitas urgeat*, de hac neceſſitate verba faciens hæc tradit: *Si jacentibus ſegetibus in agro, vel fœnis in pratis, vel uvis in vineis immineat tempeſtas, vel aliud periculum amiſſionis illarum rerum, licere talia colligere: item de alia re, quæ deſtruitur, ſi in die Feſto circa eam manualiter non operatur, ut extenſio lanæ ad radios Solis, cum hyeme apparent.*

XXI. Eamdem tuetur ſententiam S. Raymundus de Pennafort (8), qui agros colere ſervile pariter aſſerit, ideoque per dies Feſtos id exerceri non poſſe; deinde de neceſſitate ſic ait: *Quid, ſi urgeat neceſſitas, vel arare, vel fructus colligere in diebus Dominicis, & aliis Feſtis propter periculum hoſtium, qui in aliis diebus caperent, vel occiderent eos? Satis videtur, quod tunc poſſit Eccleſia indulgere illis.*

XXII. Joannes autem de Friburgo, qui additiones ad Summam Sancti Raymundi confecit, in medium profert aliud neceſſitatis exemplum: *Credo, quod, jacentibus in agris, aut fœno in pratis, ſi immineat tempeſtas aut pluvia, quæ corrumpat, aut deterioret multum talia, ſi ſint a ſolo ſeparata, prohibendi non ſunt Domini illarum terrarum removere, & indemnitati ſuæ cavere.*

XXIII. Poſtremo Romani Catechiſmi Auctores idem conſtituunt (9): *Sed neque earum rerum opera hac lege prohiberi exiſtimandum eſt, quarum jactura facienda ſit, ſi die Feſto prætermittantur, quemadmodum ſacris etiam Canonibus permiſſum eſt.*

XXIV. Tandem in dubium revocari nequit ejuſmodi neceſſitatem ab illis, qui præſunt cogniſcendam, ac probandam, ne imperitus quiſque in ſua cauſa judicium ferat: ob hanc rationem, ne aliquis in eam ſuperbiam, atque inſolentiam prorumpat, ut divinas humanaſque leges in controverſiam temere adducat, iiſque privato ſe judicio liberum declaret, Sedes Apoſtolica in Conſtitutione: *Unigenitus*, hanc ſententiam ſeptuageſimo primo loco poſitam his verbis proſcripſit; *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.* Pontas de Feſtorum dierum obſervantia, ac de legitima cauſa, ut hoc præceptum ſolvatur verba faciens id ſapienter advertit (10).

XXV. Poſt has certiſſimas ſententias, quas expoſuimus, jam de ipſarum uſu ſermo inſtituendus eſt, ſive, ut clarius rem explicemus, poſtquam culturam agrorum ſervilem eſſe demonſtravimus, neque per dies Feſtos exercendam, niſi neceſſitas urgeat, & ſuperioris facultas intercedat, quiſnam ille ſit examinandum ſupereſt, qui de neceſſitate judicare debeat, & facultatem impertiri.

XXVI. Nemo ſane ignorat hæc muneri noſtro ſolum convenire, ſed quoniam ubique locorum verſari non poſſumus, arduumque, ac difficile eſſet agricolis Bononiam ſe conferre, ut, quoties neceſſitas poſtulet, a nobis, aut a Vicario noſtro Generali, ad agros colendos facultatem obtineant, ideo juxta conſuetudinem, & inſtituta Deceſſorum noſtrorum auctoritatem noſtram pro tua Parochia tibi committimus.

XXVII. Cardinalis Gabriel Palæottus primus hujus Civitatis Archiepiſcopus hoc nobis exemplum reliquit. Permiſit ipſe Parochis, quod nos pariter facimus, ut pro exercendis agrorum operibus facultatem elargiantur: *aut neceſſitate, aut publica utilitate id exigente* (11): Inſuper eam conditionem adjecit, ut mane poſtquam Sacro adfuerint, prandioque peracto, poſtquam Veſperis interfuerint agricolæ neceſſarios labores ſolum aggrediantur; inter quos enumerat herbam pro jumentis congerere, domum deferre, ac tuto loco collocare, frumentum ventilare, ipſumque in area purgare, & alia plura hujus generis, quæ ad fœnum pariter, ac paleam referuntur; caſtaneas, & glandes colligere, ac domum importare, vindemias inſtituere, plauſtra onerare, cum de locis agitur, quæ longe ab urbe diſtant, & cum agricolæ Bononiam cum plauſtris pervenire in ſequenti feriato die nequirent, niſi prius Feſto die iiſdem plauſtris onera in urbem deferenda compoſuiſſent.

XXVIII. Cum plurima nos fungiant, tum ea præſertim, quæ ſpectant ad agrorum culturam, hinc, ut nos omni difficultate expediamus, tibi concedimus, agricolis facultatem impertiri, ut Sacro audito ruris opera ſuſcipiant, ſi neceſſitas mane impendat, aut poſt veſperas, ſi prandio confecto, aliquod opus neceſſarium videatur. Hanc facultatem non voce tenus, ſed ſcriptam agricolis tradi præcipimus, non modo, ut pravos uſus, quos ſuperius enumeravimus, penitus evitemus; verum etiam, ut Synodo Cardinalis Hieronymi Columnæ Deceſſoris noſtri morem geramus, in qua ſic decernitur (12): *Facultas ſcripto ab iis concedatur, quæ nuntiis, ſeu lictoribus Curiæ Archiepiſcopalis poſſit exhiberi, ne ab his illi ut inobedientes compeſcantur.* Nos autem lictores monebimus, ne quid mali illis eveniat, qui legitimam ob cauſam facultatem a Parocho petere haud potuerint, veluti, ſi improviſo turbine compulſi, iis rebus ſtatim conſulere debeant, quæ plurimum detrimenti caperent, niſi ab impetu vindicarentur.

XXIX. His litteris Decretum adjungimus in Parochia promulgandum. Te pariter monemus, in hac noſtra Typographia formulam concedendæ agricolis facultatis, qua debes uti, in lucem editam eſſe; plura, ſi opus fuerit, exemplaria deſumi ex eo loco poterunt. Tandem explicanda ducimus opera ruralia,

(1) *L. Omnes &c. tit. de feriis.* (2) *De Feſtorum dierum celebratione lib. 3. cap. 4. num. 4.* (3) *Juris Eccleſiaſtici univerſi part. 2. tit. 17. cap. 1. num. 18.* (4) *Cap. Licet de feriis.* (5) *Loco ſuperius allato num. 9.* (6) *In 2. 2. quæſt. 122. art. 4. ad 3.* (7) *Part. 2. tit. 9. cap. 7. de negligentia Feſtorum §. 5.* (8) *In ſumma lib. 1. pag. 160. editionis Avenionenſis ann. 1716.* (9) *Cap. 4. de Feſtis num. 24.* (10) *In Dictionario de caſibus Conſcientiæ in verbo: Feſta. caſu 4. in fine.* (11) *Part. 6. Archiepiſcopalis pag. 455.* (12) *Part. 2. cap. 2.*

UAB Universitat Autònoma de Barcelona Biblioteques Socials

ralia, pro quibus peragendis facultatem tu poteris elargiri. Primum jumentis onera imponi nequeunt, ut in alium locum deportentur: non licet Mulionibus poteſtatem facere, ut iter habeant cum jumentis, & magis etiam cum plauſtris, quæ mercibus onuſta ſint. Idem Piſtrinariis interdicitur, qui neque frumentum, neque fruges, quæcumque illæ ſint, neque caſtaneas mola conterere poſſunt, neque res ejuſmodi ad piſtrinum ferre, aut e piſtrino deducere, ſive molæ jumentorum opera, ſive impulſu venti, aut aquæ circumagantur: eadem facultas omnino denegatur Piſtrinariis, qui chartam, & pulverem ſulphuream, & nitratam conficiunt; nos ſolum, aut Vicarius noſter Generalis facultates ejuſmodi impertiemus, cum res poſtulare videbitur,

XXX. Non ignoramus, quæ de Piſtrinis impulſu venti, vel aquæ circumactis a Theologis diſputantur, & Regionum conſuetudinem in hoc negotio ſervandam affirmari probe novimus: *Sed quid* (inquit Joannes de Friburgo (1)) *de molendinis ad ventum, vel ad aquam? Reſpondeo: Cum abſque majori opera hominis hujuſmodi officium poſſit expleri, credo, ſervandam eſſe conſuetudinem Regionis non prohibitam a Prælatis circa feriationem a talibus in Feſtis feriandis. De Molendinis autem, quæ trahuntur per jumenta, credo, quod debeant quieſcere diebus feriandis, cum ſecundum legem, non ſolum homines, ſed etiam jumenta vacare juſſa ſint in Sabbato, Exod. 20. &c. Illi autem qui volunt ſe excuſari de hoc, quod laborant in diebus feriandis poſt celebrationem Divinorum per hoc, quod audierunt Divina, excuſationes quærunt in peccatis, cum etiam ante, & poſt debeant vacare a talibus.* Sanctus quoque Antoninus eamdem ſententiam tuetur his verbis (2): *Item in Molendinis ad ventum, quæ ſine magna opera exercentur, poteſt ſervari conſuetudo patriæ non prohibita a Prælatis: Secus de molendinis cum jumentis; & hoc, niſi neceſſitas urgeret propter victualia neceſſaria, quia tunc liceret.*

XXXI. Quamobrem poſt tempus non adeo diuturnum Eccleſiæ præpoſiti ſumus, tamen certum perſpectumque habemus, nunquam in Diœceſi per dies Feſtos permitti conſueviſſe Piſtrinariis, ut fruges quaſcumque, frumentum, aut caſtaneas molerent, canalem expurgarent, molas aptarent. Si vero peculiaris aliqua cauſa obveniſſet, facultas prius ex hac Archiepiſcopali Curia ſemper impetrata fuit, quod ex noſtris hujus Cancellariæ documentis apertiſſime comprobatur.

XXXII. Inter quæſtiones Moralis Theologiæ Parochis hujus Diœceſis propoſitas, & examinatas anno 1646., quæ Typis Bononienſibus editæ fuerunt anno 1647. hæc menſe Decembri diſputata fuit: *Excuſat ſe Molitor, quod diebus Feſtis molat frumentum, eo quod molendinum ſola ventorum vi volvatur, nullo ſui corporali labore adhibito. At Confeſſarius urget, quod id ſit prohibitum, quia die Feſto opus ſervile non eſt exercendum, quale eſt molere frumentum. Quæſitum an excuſari poſſit Molitor, ſeclusa neceſſitate, vel conſuetudine.* Hoc pacto reſponſum fuit: *Non excuſari, ſeclusa conſuetudine legitime præſcripta.*

XXXIII. Qui vero additiones eidem quæſtioni confecit, illorum opinione adducta, qui licere id putant; cum Piſtrinum vento, vel aqua, vel Jumentorum opera circumducitur, ita ut hominis labor, ac præſentia haud continuo requiratur ita ſubdit: *Hæc tamen ſententia admitti non poteſt in noſtro Archiepiſcopatu, in quo eſt graviter prohibitum, ne molendina in Feſtis nedum molant, ſed nec etiam aperiantur, & maxime in Civitate, ut quiſque videre poteſt, & ideo dicendum eſt, Molitores, qui ſine licentia molunt, non ſolum non excuſari, ſed graviter peccare, nec eſſe abſolvendos, niſi deſiſtant.*

XXXIV. Illud quoque advertimus, ſcriptum eſſe in facultate, quæ de more ex hac noſtra Cancellaria ad molendum per dies Feſtos deſumitur: *Eadem facultas illos pariter immunes efficiat, qui ad Piſtrinum farinam, aut frumentum advehunt, & inde domos illud revehunt.* Cum typis novum exemplar dabitur, ea verba penitus auferemus, aut ſaltem modus aliquis ſtatuetur; cum illis adducti homines ad Piſtrinum cum jumentis frumento onuſtis diebus Feſtis ſe conferant non ſine offenſione Fidelium, qui pietate magis excellunt: nam ea facultas ob aquarum penuriam conceditur, & timoris cauſa objicitur, ne Feriatis diebus aqua deſit, quæ Feſto die ad Piſtrinum agendum ſuppetit; non autem permittitur fruges ad Piſtrinum tunc vehere, illaſque inde aſportare, quæ commode pro feſtis diebus curari poſſunt. Itaque cum novum ejuſmodi facultatis exemplar promulgabimus, edictum Santi Caroli Borromæi ſuperius allatum ſequemur: *Molendinorum quoque operarii ceſſent ab advehendo ad Molendinum triticum, revehenda ad Piſtores, aut privatorum ad ædes farina, dendis ſcalpro molis, reſarciendis votis, aut alio quovis oppræſtando circa Molendinum, niſi forſan ob plurium Feſtorum continuam frequentiam, aut urgentem utilitatis communis cauſam obtinuerint licentiam in ſcriptis.*

XXXV. Finem facimus, a te ſummopere petentes, ut has litteras non ſemel percurras, animoque defigas omnia, quæ in illis continentur. Tunc facilius neceſſitatis cauſas expendes, & omnem criminis labem effugies, quod non contingit, cum pro neceſſitate falſa quædam ſpecies admittitur, nec vera neceſſitas ab ea dignoſcitur, quæ nimio ſtudio quæſita in medium profertur. Sæpius tibi ante oculos proponas Felicis III. ſententiam (3). quæ ad illos pertinere videtur, qui nimia facilitate commodiorem ad Cœlum viam ſternere arbitrantur: *Se decipit ipſe, qui fallit; nihilque per noſtram facilitatem Tribunalis excelſi judicio derogari, cui illa ſunt rata, quæ pia, quæ vera quæ juſta ſunt.* Te minime pigeat ſcriptum facultatem impertiri, vel eam manu tua obſignare, quæ Typis impreſſa eſt: nam qui vitam omni ſollicitudine vacuam traducere exoptat, animarum curam nequaquam ſuſcipiat: id tamen levius fiet, ſi præceptum de celebrandis diebus Feſtis populo non ſemel explanabis: ſi verbis oſtendes, quantum Deo ingrata, inviſaque ſit eorum violatio, & quæ graviſſima mala ex ipſa proveniant, cum per dies Feſtos ad Eccleſiam accedere, ad Miſſæ Sacrificium, Veſperas, Chriſtianæ doctrinæ explicationem convenire populus prætermittit: ſi teſtimonia Sacrarum litterarum proferas, quibus demonſtres agrorum ſterilitatem, meſſis parcitatem, ſpes agricolarum horæ momento præciſas ob dierum Feſtorum contemptum obvenire, quem ſæpius hoc pacto Deus ulciſcitur. De hac re alias copioſe ſermonem inſtituimus (4). Si quæ a nobis prætermiſſa videantur, tua eruditione perficies. Profecto ita fiet, ut populus de Feſtorum dierum religione ſatis imbutus moleſtiam tibi rarius afferat pro obtinenda facultate, ut ſibi licear ægrorum operibus per dies Feſtos incumbere. Quod reliquum eſt, tibi, populoque tuo benedictionem noſtram elargimur.

## INSTITUTIO LXVI.

*Epiſtola encyclica Præfectis Hoſpitiorum, in quibus Puellæ tradoſitæ, ſive ſpuriæ detinentur. Item Præfectis aliarum Domorum, ubi honeſtæ Puellæ ſervantur, quæ pia domicilia a Baracano, a S. Maria, a S. Cruce, & a S. Joſepho in hac Bononienſi Civitate nominantur. De cauſa hujus Epiſtolæ ſcribendæ. Confeſſarium extraordinarium Puellis hujuſmodi bis, vel ter per annum eſſe concedendum. Conſentaneum videri maxime, ſi aliquis Sacerdos deſignetur quotannis, qui Puellas eaſdem ſpiritualibus exercitiis detineat: Magnum illarum valetudini detrimentum inferri ex eo, quod nullæ ipſis extra domicilium deambulatio permittatur. Id omnino neceſſarium eſſe. Quæ ratio, aut norma tenenda ſit, ut aliquando extra Hoſpitium deambulent abſque ulla mali ſuſpicione, vel periculo.*

I. NOn ignoratis, Viri præclariſſimi, cum Sacram Viſitationem perageremus, ad ea domicilia nos pariter acceſſiſſe, ubi ſervantur, atque inſtituuntur Puellæ, quæ deinde vel Matrimonium ineunt, vel Religionis voto ſe obſtringunt. Illud in iiſdem domiciliis, quod jam pro certo habebamus, magna cum animi noſtri lætitia deprehendimus, omnia nempe recte adminiſtrata veſtro aſſiduo ſtudio, ac diligentia, cujus ampliſſimam a Deo mercedem conſequemini. Perpauca Decretis noſtris inſeruimus, quæ in ſingulis domiciliis curanda videbantur. Sed quoniam libellus peractæ Viſitationis, in quem relata ſunt ea Decreta, vix oblatus fuit, ſtatim reponitur, nec vobis ante oculos ſubjicitur, ita ut nemo ex vobis fortaſſe viderit unquam libellum, in quo Viſitatio, ac Decreta a Card. Boncompagno Prædeceſſore noſtro confecta deſcripta fuerunt, hanc ob cauſam non modo ipſa domicilia iterum adibimus, ut cognoſcamus, an Decreta noſtra diligenter obſerventur, ſed has dare litteras neceſſarium putavimus, quibus complecti aliqua ſtatuimus, quæ ad univerſa ejuſmodi domicilia pertinent, nec levis momenti haberi debent, & quæ vobis perſpecta eſſe fas eſt, ut remedium afferatur pravæ conſuetudini, ob quam libellus Sac. Viſitationis, ſtatim ac devenit in manus veſtras, in tabulario conditur, ubi tanquam Sybillæ alicujus arcanum volumen aſſervatur; Certum, perſpectum-

(1) *Loco ſuperius allato.* (2) *Loco allato.* (3) *In Epiſtola 7.*
(4) *In noſtro Edicto de obſervantia Feſtorum edito die 14. menſis Julii anno 1736.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

simque est omnibus sedulam magis operam, ac studium impendendum, ut Puellæ, quæ his publicis Hospitiis detinentur, optima disciplina, ac moribus imbuantur, quam ne iis careant rebus, quæ ad hanc mortalem vitam pertinent. Primum autem obtineri nequit, nisi Christianam legem, ac doctrinam ipsæ percipiant.

Itaque declaramus, sancitum a nobis esse, ut singulis saltem Dominicis diebus aut mane, aut peracto prandio Confessarius pro singulis hospitiis designatus, aut alius Sacerdos a nobis eligendus, omnibus Puellis in unum locum coactis eamdem Christi legem, ac disciplinam explanet. Deinde, ut Hospitii moderatrix per hebdomadam eodem instituto Puellas exercent, pro quo adhibebitur libellus Christianæ doctrinæ, quem nos pro utilitate Diœcesis plurimis additis in lucem promulgari jussimus. Item quisquis facile intelligit plurimum ad eumdem finem conferre, si Pœnitentiæ Sacramentum recte administretur. Neque ignoramus Sacerdotem nostra auctoritate probatum ad Puellarum Confessiones audiendas a vobis constitui; nihilominus aliquid mali contingere posse suspicamur, nisi ter, aut quater per anni cursum alius quoque Sacerdos extraordinarius decernatur, qui Puellarum id petentium Confessiones excipiat; Tridentina Synodus unicum Monialibus Confessarium adeundum perpendit, ideoque ut illas omni sollicitudine, qua torqueri possent ob hanc causam, penitus liberaret, seu, ut clarius dicam, ne fortasse in perpetuam ruinam adducerentur illæ, quæ aliquod crimen Confessario patefacere ægre ferrent, ut virtutis opinionem sibi apud ipsum integre tueantur, aut ob aliam rationem, cujus rei funestissima exempla a Patre Segneri, & Clericato commemorantur (1), ita statuit: *Præter ordinarium autem Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat* (2). *Siquis* aliquando Episcopus Confessarium extra Ordinem Monialibus denegaverit, Sacra Congregatio, quæ Tridentinum Concilium interpretari, & exequi debet, id Episcopo haud licere respondit die 20. Septembris anno 1642. (3). Cum enim peteretur: *An Episcopus possit denegare Monialibus Confessarium extraordinarium bis, aut ter in anno*, Decretum ita fuit; *Non posse, immo teneri offerre*. In Actis Ecclesiæ Mediolanensis quæ Lugduni impressa sunt, quibusque nos utimur (4); a Sancto Carolo Borromæo hujusce rei causa in medium adducitur: *Ut quæ* (de Monialibus sermo est) *hujusmodi indigent medicina propter aliquem occultum animæ morbum, neque ipsæ eam postulare, aut accipere ab usitato Confessore unquam auderent, liberius mederi suis malis possint, ac Diaboli laqueos evadere, una cum reliquis Confessario novo sua peccata confitendo*. Id vero non Monialibus solum, sed Puellis etiam aptissime convenit, quæ in publicis Hospitiis degunt. Nam tota difficultas in eo posita est, quod semper eidem Sacerdoti peccata ipsa confiteri debeant. Itaque vobis notum facimus, nos omnino velle, ut bis, vel ter per anni spatium singulis ejusmodi Hospitiis Confessarius extra ordinem designetur; & quoniam haud facile eos dignoscitis, qui hanc provinciam cum fructu suscipere possint, his litteris adjungimus illorum nomina, qui inter Regulares, vel Sæculares Presbyteros ad hoc munus idonei a nobis judicantur; ex quibus unum (non tamen eumdem semper) eligetis. Præter ipsos nemo alius ad Confessiones Puellarum extra ordinem audiendas constituetur, licet pro administrando Pœnitentiæ Sacramento a nobis probatus fuerit. Insuper descripti Sacerdotes ad obeundum munus Confessarii extraordinarii ad ea solum domicilia acciri poterunt, quæ in indice adnotantur. Pietati quoque vestræ consentaneum videretur, si ex iisdem Sacerdotibus aliquem nuncuparetis, qui semel in anno vel omnes cujusvis Hospitii Puellas spiritualibus exercitiis uno tempore detineret, vel ipsarum cœtum in duas veluti classes divideret, ut commodius iisdem exercitiis vacarent. Hic finis Epistolæ nostræ daretur, si universæ de parum firma corporis valetudine, aut de morbis etiam nullatenus quererentur, uti paucarum exemplis docemur, quæ singulari virtute præditæ ægritudines a Deo postulant, ut pati in hoc vitæ curriculo, fructumque ex patientia colligere possint. Cum tamen arduum, ac prorsus difficile sit omnibus Puellis, quæ nostris Hospitiis immorantur, eximiam hanc virtutem tribuere, quam in paucis Deo gratissimis, divinisque muneribus supra modum affluentibus admirari solemus, ideo aliqua subjicienda a nobis supersunt, ut Evangelii non modo præceptis, sed etiam consiliis pareamus. Moniales revera Claustris perpetuo includuntur, quam legem sibi Religionis voto indixerunt. In Claustris quoque Puellæ instituendæ libere versantur. Illæ tamen non eamdem vitæ rationem habent, ac Puellæ, quæ in Urbis Hospitiis vitam agunt, & quæ diem laboribus impendere coguntur.

Item Monialium Claustra satis ampla, & magnifica sunt, nec ullum in tota Civitate Monasterium situm est, quod apertissimo cœlo non fruatur, hortosque adjunctos non habeat, ubi deambulationes ad tuendam valetudinem accommodatæ commode fiant. His omnibus vel penitus, vel partim carent Puellarum Hospitia. Ob eam causam Moniales meliori sanitate utuntur, ac potissimum Puellæ educandæ, quæ optimam valetudinem vultu etiam testantur. Aliter profecto de reliquis Puellis, quæ in Hospitiis degunt, dijudicandum est, si sanitatis indicia ex ore desumenda videantur. Hinc ipsæ raro in matrimonium peruntur, & magna cum difficultate inter Moniales cooptantur. Si Medicorum consilium exquiratur, statim affirmabunt, ipsis Puellis necessario permittendum, ut aliquando liberiore cœlo extra Hospitium utantur, quod plurimum ipsis conferet ad bonam valetudinem conservandam, tum quia motu corpus exercent, tum quia novam auram respirant. Si quis vero consilium nostrum expeteret, qua ratione absque ullo discrimine, vel mali suspicione id Puellis permitti possit, Romanæ Urbis normam, ac institutum illius oculis subjiceremus, ubi plura ejusmodi Hospitia prudenter administrantur. Libertatem prodeundi extra Hospitium iisdem Puellis non ita frequenter concedendam asseremus, sed toties per annum, quoties Decretis nostris indiximus, nempe cum dies sereni affulgent, iisque horis, quibus per Urbis compita frequens populi multitudo non occurrit, ea quoque lege, ut Puellæ binæ incedant, easque Hospitii Moderatrix, & unus ex Administris ipsius Hospitii comitetur. Venerabilis Dei Servus Cardinalis Bellarminus S. Francisco Salesio consulenti (5), utrum Claustris includere deberet quasdam Virgines, ac Viduas, quæ communem agebant vitam, sed nec vota Regularium emittebant, nec Claustri legem observabant, his verbis libere respondit: *Ego retinerem Virgines, & Viduas istas in statu, in quo sunt*. Veteres Moniales, quæ olim in Oriente, atque Occidente floruerunt idem Cardinalis commemorat, & statim subdit: *Sed illæ non erant clausæ in Monasteriis, ut non exirent, quando opus erat*. Hanc legem, & institutum Claustrorum tunc cœpisse fatetur, cum Bonifacius VIII. Pontificatum obtineret. Tandem Sanctum Episcopum exemplo Oblatarum S. Franciscæ Romanæ persuadere contendit, ut easdem Virgines, ac Viduas liberas esse patiatur: *Et nunc etiam Romæ floret valde Monasterium Nobilium Fœminarum a Sancta Francisca Romana institutum, in quo tamen neque Clausura est, nec solemnis illa professio*. De hac re verba fecimus, cum Puellarum Hospitia invisimus, & opportuna quoque Decreta confecimus; quæ, ut omni studio serventur, magnopere commendamus. Neque illud dissimulamus, æquo animo ferre non posse, ut per plures annos Hospitiis claudantur non sine valetudinis detrimento Puellæ, quæ nulla Claustri lege tenentur, & quæ integra, ac salva honestatis laude ob aliquam pietatis causam extre possent; quoties præsertim mulieres Regularibus Ordinibus cooptatas, & quæ Tertiariæ appellantur, per Urbem aut binas aut plures etiam vagari videmus, & cum perpendimus a S. Pio V. Decretum fuisse in Constitutione, quam superius nos ipsi memoravimus, cum Sac. Visitationem Monialibus instriximus, ne in posterum ullæ mulieres ad habitum ejusmodi reciperentur, nisi solemnia vota nuncuparent, & se perpetuo Claustris adstringerent, cum postremo cognitum habeamus cœtus harum mulierum, qui S Pii Constitutioni adversantur, non probari per Sedem Apostolicam, sed tolerari. Hæc pauca habuimus, nobilissimi Viri, quæ vobis significanda videbantur &c.

IN-

(1) *In celebri opere de Instituto Christ. par. 3. serm. 12. de Regularibus.* (2) *De Pœnitentia decis. 23. num. 5. & 6. Sess. 5. cap. 10.*
(3) *In Causa Saluzensi lib. 17. Decret. pag. 103.*
(4) *Tom. 3. pag. 46.* (5) *Epistola familiari 138.*

## INSTITUTIO LXVII.

*De consecratione novi Altaris excitati in hac Metropolitana Ecclesia. Quonam tempore, quove Auctore eadem Ecclesia primum consecrata fuerit. De veteri Ecclesia Metropolitana nihil in præsentia supereſſe: tamen primæ Dedicationis officium esse recitandum. Intercedere certum discrimen inter consecrationem Altaris, & Ecclesiæ. Monentur fideles ad hanc consecrationem frequentes convenire, ut propositam Indulgentiam consequantur.*

I. SUmmus Pontifex Lucius III. hanc S. Petri Ecclesiam Episcopalem olim, nunc vero Metropolitanam anno 1184. consecravit, cum Bononiam pertransiens ad Concilium se contulit, quod Veronæ celebravit. Id, prætermissis hujus Urbis monumentis, apertissime colligitur ex litteris, quas ad Gerardum Ravennæ Archiepiscopum ipse Pontifex dedit, & quas Rubeus (1), ac Pagius (2) commemorant. In illis enim Gerardum admonet Lucius duas Ecclesias suo juri Metropolitano subjectas a se consecratas, Bononiæ nempe Templum S. Petro, & Mutinæ Templum S. Geminiano nuncupatum.

II. Certissimum est nihil supereſſe Templi per Lucium Pontificem sacrati, cum Gabriel Cardinalis Palæottus anno 1566. Aram maximam excitaverit, quod ex Sigonio deprehenditur, & cum posteriori tempore reliquum, quod deerat, a fundamentis conditum fuerit, uti monumenta muris ipsius Templi defixa testantur. Quamobrem nova consecratio requiritur; nam cum illa muris inhæreat, & Crucibus ibidem designatis, quemadmodum jure Canonico decernitur, si semel antiqua mœnia diruta fuerint, & nova a fundamentis extructa; tunc necessario consecratione rursum indiget Ecclesia, quod Canonum Interpretes unanimi assensu confirmant (3), ac potissimum Engelius (4), Anacletus (5), ac Pirrhing. (6).

III. Si Dei beneficio salvi, & incolumes erimus, consecrationem hanc solemni pompa tunc temporis peragere statuimus, cum Synodus a nobis celebrabitur, ut totius Cleri frequentia magis ipsa decoretur. Neque nos ab hoc consilio retardabit, si Templi ædificium nondum absolutum fuerit; aut quod pro veteri Dedicatione quotannis officium adhuc persolvatur.

IV. Cum enim in majorem amplitudinem assurgere nec debeat, nec possit reliquum ædificii, si ad finem perducatur, ideo, licet imperfectum illud habeatur, nova consecratio nequit impediri. Id etiam auctoritate eorumdem Scriptorum clare ostenditur.

V. Officium vero Dedicationis per Lucium III. peractæ indicitur quotannis ob hanc causam, ut illius memoria sempiterna permaneat; si autem muris dirutis ipsa desierit, non inde sequitur, ut nova consecratio omitti debeat.

VI. Templum S. Petri a S. Silvestro Pontifice solemni ritu Romæ dedicatum fuit. Cum deinde veteres parietes dejecti fuissent, novumque ædificium incredibili sumptu a Julio II. inchoatum, & a Paulo V. confectum, adhuc tamen primæ Dedicationis Officium recitari consuevit, & nihilominus Urbanus VIII. iterum Basilicam Sancti Petri consecravit.

VII. Idem contigit in Basilica Lateranensi Sancti Joannis, quæ ab eodem S. Silvestro jam fuerat consecrata, ejusque Dedicationis Officium etiam recitabatur, postquam Clemens VIII., ac Innocentius X. novis ædificiis eam Basilicam restaurarunt, & tamen Benedictus XIII. paucis adhuc annis ipsam rursum consecrandam censuit.

VIII. Cum res ita se habeat Ecclesiam S. Petri consecrabimus, sed tamen aliquod temporis spatium prius elabetur, cum præsto non sint omnia, quæ ad Synodum cogendam requiruntur. At quoniam ex recenti Canonum disciplina Altaris Dedicatio ab Ecclesiæ Consecratione sejungitur (7), ideo vix in hanc Sedem pervenimus, Aram præclarissimam a Cardinali Jacobo Boncompagno erectam in Templo S. Petri sacrare haud prætermisimus; eademque ratione novum Altare dedicare intelligimus, quod nos ipsi in eodem templo condi jussimus Beatæ Virgini nuncupatum, Sanctoque Ignatio Societatis Jesu Fundatori, qui inter Patronos hujus Civitatis, ac Diœcesis adnumeratur. Ejusdem Altaris construendi consilium, ac mentem habuit Cardinalis Ludovisi hujus & ipse Urbis Archiepiscopus anno 1629., sed morte præreptus rem perficere non potuit. Ipsum quidem Altare penitus absolutum est, ac solum Tabernaculum deest, ubi Divina Eucharistiæ collocetur. Jam artifices operi incumbunt, ut cultu, qui maxime convenit, exornetur.

IX. Diem 14. hujus mensis Aprilis pro ejusdem Aræ Dedicatione statuimus, nempe diem Dominicam Palmarum, hora duodecima, cum longum tempus pro re gerenda exigatur, ac ne divina Officia impediantur, quæ in Ecclesiam per eum diem haberi solent. Hortamur omnes, ut frequentes conveniant, quibus etiam centum dies Indulgentiarum concedimus, si debita cum pietate interfuerint.

## INSTITUTIO LXVIII.

*De processione, quæ indicitur die Festo Ascensionis Domini ac præcedenti Dominica, in qua Beatæ Virginis effigies a Sancto Luca depicta circumfertur. Antiquissimum esse hoc Institutum. Describitur hora, certusque locus, ubi præsto esse debeant illi, qui eidem Processioni interesse consueverunt, ut ipsa majori ordine, ac majori pietate peragatur. Improbatur tempus parum consentaneum, quo solent inchoari, & absolvi Missarum Sacrificia, quæ ante Sacram effigiem celebrari mos fuit. Aliud tempus magis aptum constituitur.*

I. VEteri Instituto, ac more Beatæ Virginis Effigies a S. Luca depicta per hanc Urbem solemni pompa circumducitur diebus minorum Rogationum, quæ nempe ante Festum Ascensionis Domini celebrantur, de quibus etiam alio loco verba fecimus (8).

II. Id quoque ostenditur ex litteris Leonis X., quas die 6 Maji anno 1513. ad Moniales degentes in Cœnobio Sancti Lucæ Pontifex dedit, & quæ in recens Bullarium Ordinis Sancti Dominici relatæ fuerunt (9): *Exponi nobis nuper fecistis, quod, licet a tanto tempore, cujus contrarii memoria hominum non existit, quædam Imago gloriosa Dei Genitricis Virginis Mariæ a Beato Luca Evangelista, ut pie creditur, depicta in Ecclesia Monasterii vestri &c. reposita fuerit, & singulis annis tempore Rogationum per Civitatem Bononien. summa cum veneratione, & hujusmodi Rogationibus finitis, ad ipsam Ecclesiam reportari consueverit &c.*

III. Pia sane, ac celebris est supplicatio, qua Sacra Effigies per eosdem Rogationum dies ad plures Urbis Ecclesias defertur: ejus historia tradita in lucem fuit ab Ascanio Persio, & Coloniæ Typis edita anno 1619., ac deinde supperaddita Vitæ Beati Nicolai Albergati, quam P. Georgius Carnefeldius Carthusianus Colonienſis posterorum memoriæ commendavit: *Ad Urbem*: (inquit Ascanius Persius (10)) *quotannis ob solemnes trium dierum supplicationes, quas Rogationes appellamus, deportatur; ibique Cleri, cæterorumque fere Civitatis Secrorum Ordinum, Devotorum item (videlicet Laicorum Sodalium, qui in supplicationibus sub propriis instructi Vexillis ingrediuntur) longis agminibus, necnon Artium, quæ in Urbe exercentur, Collegiis spectabili pompa præeuntibus, Magistratibus subsequentibus, reliqua comitante Civitate, per tres eos dies matutinis horis ad certa Delubra deferri solet.*

IV. Cardinalis Jacobus Boncompagnus sapienter constituit, ne Sacra Effigies in Urbem noctu, sed clara luce deportaretur: quod accidit Sabbatho ante Dominicam quæ Festum Ascensionis antecedit. Hoc Decretum libentissime probamus, & perpauca etiam per has litteras addenda censemus, ut pietas in hac supplicatione peragenda magis augeatur, & quædam corruptelæ, quæ paulatim inductæ sunt, de medio auferantur.

V. Ac primo, dum Sacra Effigies in Urbem defertur, tormenta bellica exploduntur, & Campanæ in Turribus tum Regularium, tum Sæcularium Ecclesiarum pulsantur, quod hoc anno, ac perpetuo observandum decernimus. Aliquid augendæ pompæ valde consentaneum hic adjungi posse cupieremus: nam Sigonius (11) testatur, cum primo Sacra Effigies a mœnibus Civitatis non longe abesset, quo tempore Beatus Nicolaus hanc Ecclesiam obtinebat, testatur, inquam, quod: *Antiani, cæterique Magistratus una cum Clero, atque omnibus Religiosorum Ordinibus ad Portam Saragotiæ occurrerunt, atque apud Virgines Sancti Matthiæ collocaverunt.* Sed hanc rem

(1) *Lib. 6. Histor. Ravenn.* (2) *In Breviario Romanor. Pontificum in vita Lucii III. num 9.*
(3) *Tit. de Consecrat. Eccles. vel Altaris.* (4) §. 1. (5) §. 1. (6) §. 3.
(7) *Vanesp. Jur. Eccles. part. 2. tit. 16. cap. 4. num. 11.* (8) *Instit. tertia hujus libri.* (9) *Lib. 4. p. 296.*
(10) *Pag. 150.* (11) *In vita B. Nicolai Albergati.*

rem taciti modo præteribimus; nos proculdubio in Templo Sancti Matthiæ præsto erimus, cum Sacra Effigies adveniet, ubi jussu nostro in laudem Beatæ Virginis Litaniæ persolventur. Qua in re sequuti sumus exemplum clarissimi civis nostri Gregorii XV., in cujus Pontificatu Pater Dominicus a Jesu Maria Romam detulit Effigiem Beatæ Virginis miraculis celeberrimam; quæ in Victoriæ Templo collocata fuit (1).

VI. Die Dominico in sequenti ante ferias secundam, tertiam, & quartam, quibus Rogationes celebrantur, eadem Sacra Effigies ad plures Ecclesias, ac potissimum Monialium deportatur. Nihil novi super hoc statuimus; dissimulare tamen haud possumus, quod nos ipsi perspeximus, & plures etiam pietate insignes viri adverterunt, nempe Sacram Effigiem eodem die Dominico sine ullo ordine, ac dignitate circumferri, ita ut confusa militum turba potius, quam pia Fidelium multitudo illam prosequi videatur. Quamobrem pro muneris nostri ratione modum aliquem, certamque normam statuendam judicavimus.

VII. Deprehendimus malum ejusmodi non quidem a pietate, sed a necessitate quadam dimanare. Etenim fieri nullo modo potest, ut iidem semper viri ab aurora usque ad vesperas ordinem integre servare possint, piosque cantus exsolvere. Itaque peritos accivimus, quorum consilio deliberavimus, Sodalitiis, quæ Sacram Effigiem die Dominico comitari debent, horam, certumque locum decernere, quo convenient, ut hoc pium munus aggrediantur, & locum insuper, ubi munus idem absolvant. Rationem habebimus itineris, cujus descriptio ad supplicationem recte ordinandam Typis evulgabitur. Hoc enim pacto, si Sodalitia sibi invicem subrogentur, pietas facilius conservabitur, & laudes Beatæ Virginis, dum solemnis pompa peragitur, commode recitari poterunt.

VIII. Igitur hoc anno, & in posterum Sodalitiis omnibus, quæ supplicationi adesse consueverunt, ex nostra Cancellaria scripto indicabitur locus, ac tempus, quo singula Beatæ Virginis Effigiem comitari debeant, & etiam locus designabitur, ubi reliquis advenientibus locum concedant; singulis Sodalitiis, ut jussa faciant, omnino præcipimus. Hortamur autem summopere Fideles ipsis Sodalitatibus adscitos, ut frequentes conveniant, ne in hac supplicatione (quod superioribus annis semper contigit) illud indignum Civium oculis subjiciatur, ut videlicet vexillum præferri videant, & nullos inde, vel perpaucos Sodales, qui per ipsum sequantur. Nos centum dies Indulgentiarum impertimur omnibus Sodalibus, qui supplicationi interfint, ut ad pium munus obeundum studiosius incitentur. Easdem Indulgentias elargimur iis, qui, licet in ipsa Sodalitia cooptati non sint, tamen Præfectorum consensu Sodalium habitum induant, & solemnem pompam cum reliquis comitentur. Hortamur omnes vehementer, ut ordinati, modestique incedant, ac ne vanos sermones intermisceant: *Est sane* (inquit Theophilus Raynaudus (2) *manifesta honestatio Dei & incogitantia finis, ob quem Processio instituitur, sic fabulari. Non ita Hæbrei illi, qui Urbem Hierosolymitanam ritu procedentium religiose adibant. Silentes enim, & attenti, ac venerabundi procedebant. Quod exemplum æmulari inter Christianos pii quoque jam olim, nisi cavendum esset, exactissime silentium servarunt in Dei placationem intenti.* Quoniam vero preces huic piæ supplicationi non solum aptissime conveniunt, sed intempestivos etiam sermones impediunt, Sodales omnes, dum pompam sequuntur, Rosarium Beatæ Virginis, aut Litanias, vel Officium ejusdem Virginis alterno cantu recitabunt, cum præsertim eo die in privatis ipsorum Sacellis idem Officium prætermittatur.

IX. Paucis ab hinc annis prava consuetudo obtinuit, ut eodem die Dominico privatum Sacrum vix peracta media nocte celebretur in templo Monialium Sancti Mathiæ, ob eam scilicet causam, ut Sacrificium conficiatur, priusquam Sacra Effigies ab eo loco recedat. Cum in eamdem Ecclesiam Sacra Effigies ipso mane refertur, si Sacrum solemne indicatur, non semel accidit, ut ad vigesimam primam horam absolutum non fuerit, cum meridiei tempus hora decima sexta haberetur. Idem evenit in Festo Ascensionis, cum Sacra Effigies in Templum S. Lucæ positum in Monte Guardiæ restituitur; tunc enim Sacra fieri valde ante auroram, ac post meridiem consueverunt. Aliter se res habet, cum die Dominico privatum Missæ Sacrificium coram Cardinali Legato, nobis ipsis, ac Urbis Magistratu peragitur; aliter quoque est, cum Feriis secunda, tertia, & quarta, quibus Rogationes incidunt, solemni Ritu Sacrum conficitur in iis Ecclesiis, ad quas Sacra Effigies circumducitur: pietas enim Cardinalis Legati pastoralem nostram sollicitudinem magnopere adjuvet, ut præscriptis temporibus Sacerdotes rem divinam operentur.

X. Quare, ut hic pravus usus de medio auferatur, qui Ecclesiasticis institutis, ac Tridentinæ Synodo contrarius omnino est, non modo auctoritate nostra, sed etiam, ut morem geramus voluntati Summi Pontificis, quam die 20. Martii hujus anni Sacra Concilii Congregatio nobis declaravit, præcipimus Sacrum privatum, aut solemne die Dominico, & in Festo Ascensionis in Templis Sancti Matthiæ, aut Sancti Lucæ, aut quibusvis aliis nullum fieri, nisi iis tantum horis, quæ inferius adnotantur. Hoc autem Decreto quemcumque Sacerdotem Regularem, aut Sæcularem complectimur, etiam Ordinis Sancti Dominici, qui cum præsint Monasteriis Sancti Matthiæ, ac Sancti Lucæ, importunis aliorum studiis impulsi Sacra privatim facere, aut solemni etiam ritu extra designatum tempus congebantur: qui jussis ejusmodi parere detrectaverint, pœnæ suspensionis obnoxios *Ipso facto* eos declaramus, aliasque etiam graviores infligemus.

XI. Illud tamen monendum ducimus, hæc a nobis eo consilio proposita non esse, ut impedimentum afferamus, ne Sacra Effigies ad Ecclesias Monialium deferatur die Dominico, & in Festo Ascensionis juxta arbitrium illius, qui mortis Sodalitio præsidet, aut ne Sacra fiant in templis Monialium Sancti Matthiæ, & S. Lucæ eodem die Dominico, & in sequenti Feria quinta; licet pia supplicatio in eadem templa nondum pervenerit; illud solum decernimus, ne extra præscriptas horas Sacra privatim, aut solemniter peragantur in qualibet Ecclesia, in quam Sacra Effigies deportatur, & hac ratione Ecclesias etiam Sancti Matthiæ, ac Sancti Lucæ comprehendimus. Neque probare possumus, quod in medium asferri solet; solemnem pompam die Dominico ante auroram a templo S. Matthiæ inchoari, ut consuetum viæ spatium integre conficiat; ideoque Missæ Sacrificium ante Auroram pariter indicendum. Nam illud primum omittimus, breviori spatio pompam ejusmodi definiri posse; certissimum vero est a nullo Rituali constitui, ut Sacrum necessario præponi debeat, cum Beatæ Virgini piæ supplicationes instituuntur. Neque illud magni ponderis habendum est, quod adduci solet, peracta nempe supplicatione solemnem cum cantu Missam celebrandam: nulla quippe necessitas id postulat; nam licet die Dominico eidem pompæ finis imponatur in templo S. Matthiæ, die autem Festo Ascensionis in templo S. Lucæ, quod longe post meridiem evenire consuevit; tamen nulla ex hoc necessitas dimanat, ut horis indebitis Sacrum fieri liceat. Etenim, si gravis causa intercedat (veluti cum agitur de negligendis Ecclesiasticis legibus, ac Rubricis (tunc arbitrio Episcopi relinquitur interdicere, ne post supplicationes res divina conficiatur: *Processiones* (ita legitur in Rituali Romano tit. de Processionibus) *prius fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari, nisi aliter interdum ob gravem causam Ordinario, vel Clero videatur.* Postremo suaderi nullo modo potest, Sacrum, quod tunc agitur die Dominico, vel Feria quinta, pro illis fieri, qui sacram pompam comitati fuerint, qui sane omnes vix eadem pompa templum attigit Sancti Matthiæ, aut Sancti Lucæ, domum se recipiunt.

Subjicimus hic jussa Pontificis, de quibus superius dictum est, ne quis fortasse nullam ipsorum scientiam se habuisse contendat.

Eminentissime, ac Reverendissime Domine Observandissime.

*CUM ad aures Santissimi Domini Nostri devenerit, nonnullos forte per annos, antequam Eminentia Vestra istius Bononiensis Ecclesiæ regimini præficeretur, paulatim ea in Civitate irrepsisse abusum, ut occasione, qua Sacra quædam Imago Deiparæ Virginis a Sancto Luca, uti præfertur, depicta, ab Ecclesia Sancti Matthiæ, Religiosarum Ordinis Sancti Dominici ad alias plures Monialium Ecclesias die Dominica ante Ascensionem, servato Processionis ritu, transfertur, multas per horas ante auroram, priusquam nempe eadem Sacra Imago inde amoveatur, Missa lecta coram ipsa celebretur, deindeque eadem die, pluribus jam a meridie transactis horis, nimirum postquam dicta Sacra Imago ad ipsam Sancti Matthiæ Ecclesiam relata est, alia ibidem Missa solemniter canatur; Sanctissimus Pater, qui non sine gravi animi sui offensione, Ecclesiæ præceptum, ejusque Rubricas de tempore celebrandi Missas salubriter constitutas tanta horarum perturbatione violari, accepit,*

(1) *Quartus de Processionibus puncto* 5. (2) *Lib.* 15. *pag.* 204.

*pit, hæc ad Eminentiam Vestram jussit litteras dari, quibus significetur, Sanctitatis Suæ mentem esse, ut enunciatus abusus penitus eliminetur, utque in hunc finem Eminentia Vestra nedum ea, qua pollet, Ordinaria auctoritate juxta præscriptum Sacri Tridentini Concilii monentis in Decreto de observ. & evit. in celebr. Miss. locorum Ordinarios, ut Edicto, & pœnis propositis caveant, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, verum etiam facultate sibi ab eadem Sanctitate Sua, quatenus opus sit, specialiter delegata mandet, promulgari Edictum, quo sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrenda, aliisque etiam gravioribus arbitrio Eminentiæ Vestræ decernendis districte prohibeatur omnibus, & singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, & præsertim Fratribus Ordinis Prædicatorum, ne quisquam eorum in præfata Ecclesia Sancti Matthiæ Missam ullam sive lectam, sive cum cantu, præterquam debitis horis, audeat præmissa die Dominica, vel alia quacumque celebrare. Id itaque de mandato ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Eminentiæ Vestræ significo, ut ejus menti se conformare dignetur, ejusque manus humillime deosculor.*

Romæ 20. Martii 1737.

Eminentiæ Vestræ

*Humillimus, & Addictissimus Servus*

A. Card. Gentili pro Eminentissimo Præfecto.

C. A. Archiep. Philippen. Secr.

Hæc ita perspicua sunt, ut nulla interpretatione indigeant. In ipsis mentio habetur de Tridentina Synodo, ac de Rubricis Ecclesiæ; nam sessione 22. in Decreto, *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, hæc mandantur Episcopis: *Edicto, & pœnis propositis caveant, ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent*. Quo sane Decreto abrogantur privilegia omnia, quæ ante Tridentinum Concilium concessa fuerant, ut horis indebitis rem Divinam facere liceret: *Ante diem, & horis indebitis celebrare nulli liceat, etiam vigore Privilegiorum a Sede Apostolica ante Concilium Tridentinum concessorum*, uti Gallemartius advertit: quod etiam Sacræ Congregationis sententiis est consentaneum. In Rubricis autem Missalis id præcipitur: *Missa privata saltem post Matutinum, & Laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest*. Illud pariter adjungitur in litteris Pontificis in potestate nostra ordinaria positum esse, ut Missarum celebrationes extra præscriptum tempus interdicamus, censuras, ac pœnas arbitrio nostro decernentes, tum in sæculares Presbyteros, tum in Regulares, quos etiam comprehendi in Decreto Tridentini Concilii (1), quod modo expoluimus, Sacra Congregatio declaravit (2). Neque huic ordinariæ potestati quidquam adversatur Titulus Apostolicæ delegationis, qui in eodem Decreto Concilii superadditur. Nam certissimum est, quod his tradit verbis Cabassutius (3): *Pleraque enim jure Ordinario poterant, quibus superadditus est titulus Apostolicæ delegationis, qui titulus non officit eorum juri Ordinario, sed operatur ut facilius, & cum debita veneratione illis obtemperetur, præsertim ex eorum parte, qui prætenderent ipsorum ordinariam potestatem minuere, aut in controversiam revocare, aut ab ea se subtrahere*. Deinde plures alios ejusdem sententiæ Scriptores commemorat. Tandem Pontifex suam addit auctoritatem, si opus sit, quam supremam cum nostra Ordinaria libentissime conjungimus.

XII. Illud tantum superest, ut debitas ad celebrandum horas explicemus. Aliam institutionem promulgavimus die prima Decembris anno 1732., quæ post Kalendarium excusa est. In ipsa tertiam horæ partem ante auroram pro inchoandis Missis, exemplo Romanæ Urbis, statuimus, absolvendas vero jussimus, cum tertia pars horæ post meridiem effluxerit. Post idem Kalendarium imprimi curavimus tabellam, quæ surgentis auroræ *initium*, ac *meridiei tempus indicaret*; nihil novi sancimus circa tempus ad inchoandas Missas superius designatum; sed nullum ante id tempus fieri Sacrum præcipimus, & pœna suspensionis *ipso facto* illigatos eos enunciamus, qui parere recusaverint; eamdem pœnam illis indicimus, qui Sacrum facientes post meridiem constitutos antea limites prætergressi fuerint. Attamen vitæ rationem, quæ nunc invecta est, perpendentes, & præstantium quoque virorum auctoritatem, qui ob causam magnæ celebritatis tempus pro Sacris conficiendis protrahi posse existimant, loco præscripti temporis integram horam post meridiem subrogamus pro illis tantum Ecclesiis, in quibus Sacra Effigies opera Sancti Lucæ depicta exponitur, ac generatim in aliis pariter, ubi celebritatis piæ causa Missa cum cantu peragitur. Si quis Regularis aut sæcularis Sacerdos hos terminos post meridiem excesserit, illum eidem suspensionis pœnæ subjectum declaramus. Nam eo spatio temporis elapso nullum privatum, aut solemne Sacrum haberi volumus, illis quoque rationibus sublatis, quod Musici concentus longum tempus sibi postulaverint, vel Musici ipsi segnes ad Ecclesiam se contulerint.

## INSTITUTIO LXIX.

*De Sacra Supellectili Ecclesiarum, ac Locorum Piorum, quæ ad Montem Pietatis in pignus defertur. Id vetitum esse a Sac. Canonibus; licere tamen interposita facultate Episcopi, & ob causas necessarias. Præfecti Monti Pietatis, & cæteri omnes monentur, ne Sacram Suppellectilem in pignus unquam accipiant.*

1. SUmmi Pontificis jussu die 5. Martii anno nuper elapso litteras evulgavimus, quibus hortati sumus Rectores Ecclesiarum, Locorum Piorum Sæcularium, ac Regularium hujus Diœcesis, ut argentea vasa superflua ad monetariam officinam deferrent, & ea pariter, quæ pro solvendo ære alieno distrahenda necessario viderentur, illisque tot *loca Montium* oblata fuerunt, quæ pretium eorumdem vasorum adæquarent.

II. Res tamen non ita feliciter contigit, sed spem fefellit eventus, quod tamen nullam nobis attulit molestiam. Illud quidem animum nostrum magnopere commovet, quod argentea Templorum vasa tum superflua, tum necessaria, ex quibus honestus fructus comparari poterat, in *Monte pietatis* libere deponantur, ubi numerata pecunia, solvendæque usuræ debitis temporibus conditione interposita, eadem vasa excipiuntur, ac retinentur, iis etiam legibus neglectis, quæ forent observandæ.

III. In statuto ejusdem Montis cap. 11. præcipitur, ne in pignora accipiantur, quæ furti suspicionem præseferant; illique reddantur, qui certis documentis eadem pignora ad se pertinere ostendat, modo tamen integram pecuniam restituat, quam Montis Præsides furi persolverint, & reliquis expensis satisfecerit. Præsides ipsi die 28. Novembris anno 1680. sapienter decreverunt, ne Montis Administri pro pignore res sacras, vel benedictas caperent, inter quas Calices, Patenas, ostensoria, Pyxides, Casulas, Tunicellas, & Pluviales adnumeraverunt.

IV. Jure quidem suspicamur hoc Decretum non semel violatum. Nam invisentes quasdam Ecclesias, nonnullos deesse Calices advertimus, quos Monti Pietatis datos pignori deprehendimus. Insuper querimonias sæpius ad nos detulerunt, qui Parochiam consequuti sunt, aut Beneficium in publico Sacello erectum, Calices nempe Monti Pietatis traditos fuisse pignori ab iis, qui antea Parochiam, aut Beneficium obtinuerant. Immo nuper illud accidit, quod in totam *Urbem* late manavit, cum eidem Monti pignori data sunt Candelabra, Sacra Vasa, Thuribulum, & Pedum Abbatiale ob fraudem illius, qui hæc omnia vel commodata acceperat, vel ut referret, vel ut ipsa expoliret. Tunc rationem, qua id evenerit, perscrutari voluimus, responsumque nobis fuit, sacram ejusmodi supellectilem nonnisi fractam in pignus accipi consuevisse. Itaque ruptionem, ac detrimentum ejusdem supellectilis nos ipsi intueri vehementer expetivimus, fraudemque in eo implicitam apertissime cognovimus. Nam Thuribulum fractum appellabant, cujus pars superior ab inferiori distracta fuerat, cum qua prius per catenulas jungebatur. Fractam pariter acerram judicabant, cui globulus argenteus in medio solum deerat. Cum nobis hæc admirationem afferrent, accepimus parum difficultatis, ac religionis inesse, dum hæc argentea suppellex in pignus recipitur, si numeratam pecuniam re ipsa pretio suo exæquarent, & constitutum fœnus solveretur

(1) *Sess. 22. de observandis, & evitandis in celebratione Missæ.* (2) *Fagnanus c. Grave n. 46. de Officio Ordinarii.*
(3) *In Theoria, & praxi juris Canonici lib. 1. cap. 9. num. 5.*

tur ab iis, qui hæc argentea pignora ad Montem Pietatis asferebant.

V. Si cognita, perſpectaque eſſent, quæ a jure Civili, & ſacro præſcribuntur, aut ſi legum ignari, atque imperiti a ſapientibus conſilium peterent, nunquam tam prava exempla contigiſſent. In primis certum plerumque eſt Caji reſponſum (1): *Quod emptionem, venditionemque recipit, etiam pignorationem poteſt recipere*: & e contrario ſapienter quoque tradit Martianus (2); *Eam rem, quam quis emere non poteſt, quia commercium ejus non eſt, jure pignoris accipere non poteſt, ut Divus Pius Saturnino reſcripſit*. Itaque ſupellex Eccleſiæ vendi nequit, niſi legitima cauſa interveniat, & Summi Pontificis conſenſus, cum de ſuppellectili valde pretioſa res agitur, aut ſaltem Epiſcopi facultas cum legitima cauſa, & Summi Pontificis, ſi opus fuerit, vel Epiſcopi ſaltem approbatio interceſſerit.

VI. In quarto Concilio Conſtantinopolitano, quod octavum locum inter generalia obtinet, ac potiſſimum Can 14. ſic præcipitur (3): *Apoſtolicos, & Paternos Canones renovans Sancta hæc univerſalis Synodus definivit, neminem prorſus Epiſcopum vendere, vel utcumque alienare Cimelia, & Vaſa Sacrata*. Cimeliorum autem nomine pretioſam ſupellectilem intelligi ex Pontificali oſtenditur (4): *Sed & Vaſa Sacrata, vel Cimelia Sanctarum Dei Eccleſiarum tollentes*; Du Cangius quoque advertit (5) a venditione ad pignus rem transferri: (6) *Nullus Presbyter præſumat Calicem, vel Patenam, vel Veſtimentum Sacerdotale, aut Librum Eccleſiaſticum Tabernario, vel Negotiatori, aut cuilibet Laico, vel fœminæ in vadium dare*. Hoc loco pro *Vadio*, quod ſane idem eſt, ac *Vadimonium*, pignora intelliguntur, uti declarat ſapienter Hoffmannus (7).

VII. Jus tamen Pontificium juſtam ob cauſam ſupellectilem vendi, ac pignori dari permittit (8): *Excepta cauſa olim ab antiquis Canonibus ordinata*; Capite autem primo de pignoribus hæc habentur: *Niſi juſtiſſima neceſſitate urgente*. Hinc abſque ulla facultate pretioſa Eccleſiæ ſuppellex vendi poterat, ac pignorari ut egeni alerentur, vel ut captivi priſtinam ſibi libertatem compararent (9). Attamen, cum prava ſagacitas hominum hæc ſanctiſſima inſtituta labefactaret, & cum ipſa experientia compertum eſſet juſtam ejuſmodi cauſam temere, & inconſulto dijudicari pro alienanda, aut pignori tradenda Eccleſiæ ſupellectili, Paulus II. (10) id fieri in poſterum prohibuit, niſi prius legitima cauſa per Sedem Apoſtolicam probaretur: *Pretioſa mobilia Deo dicata &c.* ac paulo poſt: *omnium rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam &c.*

VIII. Cum vero Regulares aliqui peculiaribus Ordinis ſui privilegiis adducti ſine Pontificis auctoritate Eccleſiæ ſupellectilem a ſe pignorari, vendique poſſe contenderent, Urbanus VIII. die 7. Septembris anno 1624. conſilio Sacræ Congregationis Concilii, quæcumque abrogavit privilegia, ac ſuo Decreto illos etiam Regularium Ordines nominavit, qui expreſſe nominandi ſunt, ut Decretis ſubjiciantur: *Omnium rerum* (de bonis agitur omnium Regularium, qui in Europa verſantur) *& bonorum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur &c. abſque ipſius Congregationis licentia in ſcriptis, & gratis concedenda*. Cum nos ipſi Secretarii munus gereremus ejuſdem Sac. Congregationis Concilii, Patres Reformati ex Familia S. Franciſci citra Montes queſti ſunt varias a Syndicis ſuis fraudes committi, cum vendi, aut alienari deberent bona ſibi relicta *ex diſpoſitione Juris*, ideoque ſine Apoſtolicæ Sedis facultate, uti Fagnanus expendit (11). Quamobrem die 18. Martii anno 1719. petitum fuit: *An, & quale temperamentum ſit capiendum in caſu*: & Sac. Congregatio his verbis reſpondit: *Quoad mobilia Eccleſiæ incorporata, eſſe neceſſarium beneplacitum Apoſtolicum, quo vero ad omnes alias res, non poſſe Syndicos procedere ad venditionem, niſi prævia Edictorum affixione, ut venditio fiat majori oblatori*.

IX. Allatum Decretum Urbani VIII. plures commemorant, ac præſertim Donatus (12), inſertumque eſt Conſtitutionibus, ac Decretis Pontificum, quæ juſſu Clementis XI. anno 1716. in unum congeſta, ac promulgata Romæ fuerunt, ut Regulares ea facilius ante oculos haberent, quæ pro recta Ordinum adminiſtratione a Sede Apoſtolica ſancita graviſſime ſunt. Ex his omnibus aperte conſtat neque alienari, neque in pignus tradi poſſe pretioſam ſupellectilem Eccleſiarum Sæcularium, ac Regularium, Sodalitatum, & cujuslibet Loci Pii, nempe argentea, vel aurea Vaſa, Calices, Patenas, Oſtenſoria, Pyxides, Lampades, argentea Candelabra, Ampullas, conſacrata Vaſa, Aſperſoria, Thuribula, quæ inter pretioſam ſupellectilem adnumerantur (13), licet vaſa, quæ conſecrationem requirunt nondum ſacrata fuerint, vel aliqua ex ipſis ſacrari nunquam debeant. Nam illud potiſſimum alienationem eorumdem vaſorum impedit, quod ipſa ad Eccleſiam, aut Pium Locum pertineant (14). Conſtat, inquam, nihil ex his omnibus vendi, aut pignorari poſſe, niſi legitima cauſa Pontifici auctoritate, judicioque probetur, aut facultas noſtra prius obtenta fuerit, cum de rebus inferioris pretii agendum eſt. Quippe neque Pauli II. Decretum, quod incipit *Ambitioſæ*, neque ulla alia Canonica ſanctio jus Epiſcoporum imminuit, quod ex Canone *Terrulas* 12. quæſt. 2. deſumitur. Ita Fagnanus Sacræ Congregationis ſententiis adductus teſtatur (15). Regulares qui privilegio Canonis *Terrulas* uti volunt, eamdem a nobis facultatem omnino petere debent, ſi illam a Sede Apoſtolica non obtinuerint, vel neceſſarium minime exiſtiment ad Pontificem confugere, cum de tenui pretio res agatur. Id non ſemel a Sacris Congregationibus conſtitutum fuit (16).

Qui violaverit Decretum Pauli II., quod modo commemoravimus: *Et tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, ſententiam excommunicationis incurrat*: Summus Pontifex tantum ab hac excommunicatione diſſolvere reum poteſt, uti Tridentina Synodus decernit (17), quod etiam P. Theſaurus oſtendit (18). Regulares autem, qui Decretum contemnant Urbani VIII., non tantum obnoxii ſunt pœnis, quæ a Paulo II. ſtatuuntur, ſed etiam ſuis muneribus *ipſo facto* privantur, quod ex verbis ipſius Decreti clare deprehenditur.

XI. Cum plurima, quæ Bononiæ contigiſſe diximus, Romæ pariter evenerint in deferendis ad Montem Pietatis Sacris Vaſis, & pretioſa Eccleſiarum ſupellectili, magno ſtudio expetivimus qua ratione corruptelis ejuſmodi conſultum fuerit. Accepimus igitur conſtitutum eſſe, ne Montis Adminiſtri ſacra vaſa, aut ſuppellectilem Eccleſiæ in pignus acciperent, ſive integra forent, ſive fracta, niſi facultas expreſſa Congregationis, quæ Sac. Viſitationis dicitur, in medium proferretur. Hoc admoniti exemplo indicimus Adminiſtris Montium Pietatis, tum in Urbe, tum in Diœceſi univerſa, cæteriſque omnibus, qui ad recipienda pignora deſignati ſunt, ne pecuniam commodent, ac ne in pignus capiant ſacram ſupellectilem Eccleſiarum Sæcularium, aut Regularium, Sodalitatum, & Locorum Piorum abſque facultate noſtra, ſeu Vicarii noſtri Generalis (ſi pretium ſupellectilis facultatem noſtram nequaquam exſuperet) quæ ſcripto concedetur, poſtquam cauſæ, & pignoris neceſſitas cognita fuerit, utrum ſcilicet Curatores Locorum Piorum id temere faciant, an rei familiaris anguſtiam ſublevent, an vero pro Locorum eorumdem gravi neceſſitate, quæ nulla alia ratione depelli poſſit juxta Caput *Præſentium, de Pignoribus*. Inſuper, licet Sedis Apoſtolicæ facultas comparata fuerit, nihil ſacri in pignus accipiatur, niſi prius nos ipſi, aut Vicarius Generalis rem totam cognoverit, quod ſcripto obſignato conſtare debet. Etenim cum nobis Decreto Pontificis commendentur, ut executioni mandari queant *in forma commiſſaria*, ut ajunt, ideo perpendere debemus, an veritati conſentaneæ ſint cauſæ, quæ Pontifici propoſitæ fuerunt. Item declaramus id omnino perficiendum eſſe, ſive de vaſis argenteis, ſive de pretioſa ſupellectili res agatur, ſive integra illa ſint, ſive perfracta, ita tamen, ut

ſacra

---

(1) *L. ſed quoad res eſt de Pignoribus.* (2) *L. Pupillus §. Eam rem ff. Quæ res pignori &c.*
(3) *Ex Collectione P. Labbe tom. 8. pag. 1134.* (4) *In Vita Vitaliani Pontific.*
(5) *In celebri Gloſſario ad verbum Cemelia, & Cimilia.* (6) *Cap. 1. de Pignoribus in Decretal. Gregorii IX.*
(7) *In Lexico univerſali ad verbum Vadium.* (8) *Allato Canone 15. Concil. Conſtantinop.* (9) *In Can. Aurum 12. quæſt. 2. &c.* (10) *In Decretali quæ incipit* Ambitioſæ *extravag. comunib. de rebus Eccleſiæ non alienandis.*
(11) *Cap Nulli n. 27. & 28. de rebus Eccleſiæ non alienandis.* (12) *In Praxi Rerum Regularium tom. 1. num. 14. quæſt. 2.* (13) *Donatus Rerum Regularium tom. 1. tract. 14. quæſt. 54.* (14) *Azorius in Inſtitution. Moralibus part. 3. lib. 7. c. 6. §. Quæres, an ſolum prohibeamur.* (15) *Cap. Nulli, num. 23. de Rebus Eccleſiæ non alienandis.* (16) *Minacellus in Formul. For. Eccleſiaſt. tom. 1. tit. 5. form. 15. num. 28.*
(17) *Seſſ. 22. cap. 11. de Ref.* (18) *De Pœnis Eccleſiaſt. part. 2. cap. 1. nota b. 1.*

UAB Bibliothèque des Sciences Sociales

sacra supellex ad Pia Loca pertinens dignoscatur. Nihil etiam interest, an stemma incisum appareat, vel deletum fuerit. Nam inter sacra vasa, & pretiosam Ecclesiarum supellectilem, & inter privatos civium apparatus tam magnum formæ discrimen interponitur, ut ipsa facile sine ullo stemmate distinguantur. Itaque notum facimus Montium Administris, qui pignora ejusmodi capient absque facultate, quam exposuimus, ipsos excommunicationi subjici, quæ Summo Pontifici reservatur absolvenda, si nempe ea pignora accipiantur, quæ absque Sedis Apostolicæ facultate sumi nequeunt: si vero pignora fuerint inferioris pretii, quæ consensum nostrum necessario requirunt, eam excommunicationem subibunt, quæ a nobis solum remitti potest. Illud autem certissimum erit, quæcumque sit pignorum conditio, ac pretium, munere suo spoliandos, qui huic mandato non paruerint, sive in Civitate, sive in Diœcesi excipiendis pignoribus præpositi fuerint.

XII. Satis perspectum habemus pietatis studium, quo Præsides Montis ejusmodi in Civitate, ac Diœcesi præditi sunt; hinc pro certo ducimus operam daturos, ne ipsorum Ministri nostra hæc Decreta contemnant, quæ divino, humanoque juri innituntur. Nullam adhuc suspicionis causam merito habuimus, ne aliquid furto, vel fraude comparatum Montis Administri scienter pro pignore admiserint. Idem in posterum futurum confidimus, ac prope certum tenemus illorum probitate adducti, qui hoc munere nunc funguntur. Cum tamen anceps, dubiumque sit, quid diuturnitate temporis accidere possit, magnopere commendamus, ac probamus ea, quæ capite undecimo Statuti Montis Pietatis continentur; videlicet: *Præcipitur Custodibus supellectilis, & capsæ omnem curam, studiumque impendere, ne aliquid furto sublatum in pignus accipiant, cujus rei obsides ipsorum animas ante Supremum Dei Tribunal constituimus.* Eodem loco indicitur, ut cognito rei subreptæ domino, depositum pignus ipsi restituatur: *Postquam tamen pecuniam datam mutuam, & expensas, & Ministrorum stipendia Monti persolverit.* Verum præter hæc aliquid gravioris momenti a legibus decernitur (1); nam qui aliquid furto ablatum in pignus consulto cœperit, licet Principis auctoritate in eo munere versetur, ad subeundam corporis pœnam damnatur, pignusque legitimo Domino reddendum, qui vacuus, & immunis quacumque expensa judicatur. Quamvis autem pro statuenda corporis pœna, demonstrari debeat, furtivum pignus a Ministro cognitum apertissime fuisse, tamen indicia, & conjecturæ sufficiunt, ut adigatur pignus abreptum domino restituere sine ullo *ipsius* incommodo, vel impensa, quemadmodum Raynaldus ostendit (2).

## INSTITUTIO LXX.

*De Sodalitiis, ac numero Sacerdotum, qui invitantur ad associanda mortuorum cadavera. Quo pacto Sodales a suis Oratoriis proficisci debeant, ut se ad Parochias conferant. Quisnam designare debeat vias, per quas cadaver efferendum, sit, & quis eligere Sacerdotes, si ipsos acciri oporteat.*

I. CUm Parochias, ac Sodalitia hujus Civitatis invisimus, causas aliquas dissidiorum inter Parochos, ac Sodalitia deprehendimus.

II. Ac primum queruntur Parochi, Sodales ipsos, qui ad deducenda funera vocantur, inordinatos ad Ecclesiam confluere, usitatis vestibus induros, quas *ibi* deponunt, ut Sodalitii indumenta suscipiant. Ipsos plerumque segnes, ac tardos accedere, ita ut Parochus, dum illos operitur, plurimum temporis inutiliter conterere debeat. Quod si Defunctus inter Sodales adscitus fuerit, licet Sacerdotis dignitate præditus, feretrum ipsi deferre contendunt, quamvis ad pium munus obeundum se paratos alii Sacerdotes offerant. Tandem vias ipsi designant, per quas incedat Funebris pompa, & Parochi voluntatem, si forte contraria sit, parvi faciendam existimant.

III. Sodales autem hæc Parochis objiciunt, quoties aliqua Sodalitas inducitur, ut Defunctos ad sepulchrum comitetur, statim decem Sacerdotes accersiri juxta Decretum, quod Martinellius Vicarius Generalis hujus Urbis anno 1696. die prima Augusti promulgavit, ac deinde die 7. Augusti ejusdem anni confirmavit; stipendium vero, quod iis Sacerdotibus de more confertur impedimento esse, ne pro Sodalitiis invitandis novæ impensæ statuantur.

IV. Porro hæc dissidia finem haberent, si Decreta a jure communi, vel etiam constituta a Cardinali Gabriele Palæotto pro felici hujus Diœcesis administratione servarentur.

V. Nam Sodales, qui vocantur ad efferendos Defunctos, si legibus juris communis parere velint, ordinati debent progredi ex sacello, seu peculiari ipsorum Ecclesia, atque ita Sodalitii vestibus superinduti ad Parochiam se conferre, ut ibi præsto sint hora præscripta, quemadmodum Regulares facere consueverunt, qui ordine procedunt ab Ecclesia, seu Monasterio ad Parochiam, quoties aliquam funebrem pompam prosequi rogantur (3).

VI. Cardinalis autem Palæottus, cum de funeribus ageret, hæc sancivit (4): *Laici Laicos portent, Clerici Clericos, similiterque Sacerdotes tantummodo a Sacerdotibus efferantur, hocque charitatis munere unusquisque libenter, & in charitate Christi Domini fungatur.* Neque Sodales id sibi tantum tribuere possunt, cum Defunctus efferendus eidem Sodalitio adscriptus fuerit, nisi ipse inter Laicos adnumeretur, quod ex actis Mediolanensis Ecclesiæ colligitur, quorum sententiam, & exempla semper idem Cardinalis sequutus est (5): *Mortuum, quovis etiam generis, gradus, dignitatisque nomine illustrem, Laicum Ecclesiastici homines ne efferant; ne item inferioris ordinis Clericum, qui in superiori ordine constituti sunt: at vero Subdiaconum Subdiaconi, Diaconum Diaconi, & sic hoc ordine cæteri, nisi necessitas aliquando suadeat, dignores ab inferioris ordinis hominibus efferri &c. Laicum autem laicalis ordinis homines; quod officium etiam, qui Laici pie alicui Confraternitati adscripti sunt, præstare poterunt.*

VII. Ex communi jure Parochus viam pro funebri pompa decernere debet, quæ brevior eligi solet. Quartus his verbis quæstionem exponit (6): *Ad quem pertineat dirigere Processiones funerales*: Deinde hoc pacto respondet: *Respondeo, & dico primo, hoc munus, congregata Processione, pertinere ad Parochum. Quare potest Parochus ordinare, per quam viam sit incedendum, & deferendum corpus ad Ecclesiam sepultura, etiam quando in Ecclesia Regularium tumulandum est &c. & notandum est, Processionem funeralem dirigi debere recto tramite, & breviori via e domo, unde levatur corpus Defuncti, ad Ecclesiam, in qua tumulari debet.*

VIII. Postremo Decretum Martinelli, quod inhæret præscriptis in Archiepiscopali Bononiensi per Cardinalem Gabrielem Palæottum confecto: *Inhærendo etiam respective dispositis in Archiepiscopali Bononiensi*; in quo quidem Archiepiscopali hæc leguntur (7): *Cum ex Consortiis* (res est de Consortio Metropolitanæ Sancti Petri, aut Collegiatæ Sancti Petronii) *nullus invitabitur, tunc Parochus invitabit decem ad summum Sacerdotes; si Consortium accedat, tunc sex Sacerdotes invitabit*, Decretum, inquam, Martinelli hæc habet: *Declaravit, quod in Processionibus Funerum, in quibus fit aliqua pompa funebris, sicut etiam in funeribus nobilium, in quibus interveniat ad associandum cadaver Archiconfraternitas Sanctæ Mariæ de Vita, seu illa Sanctæ Mariæ de Morte, seu aliqua quæcumque Confraternitas, licitum sit Parocho Defuncti sumptibus illius hæredum eligere decem Sacerdotes, qui simul cum eodem Parocho sub Cruce Parochiali associent cadaver ad sepulturam, in aliis vero funerum Processionibus minus solemnibus eligantur ab eodem Parocho sex Sacerdotes, & etiam pauciores juxta statum, & conditionem Defuncti, quibus ab hæredibus solita eleemosyna tribuatur, & ita inviolabiliter observari mandavit.*

IX. Quamobrem, ut corruptelis omnibus, quas antea memoravimus, aditus occludatur, Sodalibus hujus Civitatis indicimus, quoties funebrem pompam comitari debeant, ut ordinati, & Sodalitii insignibus induti ab Ecclesia sua, vel Sacello procedant; ad Parochiam constituta hora conveniant; ac ne postulent feretrum Defuncti Sodalis efferre, si Ecclesiasticus fuerit, nec desint Ecclesiastici, qui hoc munere perfungi velint, quamvis in ipsorum Sodalitia cooptati non sint; ac postremo, ne sibi arrogent vias decernere, quibus funebris pompa ducatur, quod omnino Parochi arbitrio relinquendum est. Ipse rem totam statuet cum illo, qui Defunctis efferendis præpositus est. Siqui Sodales hæc jussa facere prætermiserint, ipsis interdicemus in funeribus associare cadavera, quamvis ab hæredibus invitentur: verum Sodalibus S. Peregrini, qui nudis pedibus certis anni temporibus incedunt, permittimus, ut tunc aliquem locum Parochiæ magis proximum eligant, ut ibi Sodalitatis indumentum suscipiant. Parochiæ tamen Ecclesiam ordinati ingrediantur, ut reliquis Sodalitiis pro-

(1) *L. In civilem C. de Furtis.* (2) *In observationibus Criminibus lib. 2. cap. 14. §. 19. a num. 1. ad num. 20.*
(3) *Bossus Episc. Ananiæ de Sodalitat. quæst. 5. num. 10.* (4) *In Archiepiscopali part. 3. pag. 188.*
(5) *Part. 3. pag. 250. tom. 2. edit. Lugdunensis.* (6) *In tract. de Processionibus punct. 5.* (7) *Part. 3. pag. 28.*

propositum fuit; nisi forte sequi velint exemplum Venerabilis Sodalicii, quod a S. Stigmatibus Romæ nuncupatur. Ipsius namque Sodales ob generis nobilitatem, ac dignitatem magna ex parte præstantes, nudis semper pedibus, ac velato capite per Urbem incedentes, quæ porticibus caret, singulis fere diebus indicta funebri pompa, atque ordine propria ab Ecclesia progrediuntur.

X. Tandem juxta Decretum Martinelli in funeribus nobilium, quos aliquod Sodalitium ad sepulchrum prosequitur, decem Sacerdotes a Parocho sumptibus hæredum acciri mandamus. Idem decernimus in funeribus ignobilium, cum ipsa funera aliqua pompa ducuntur. Tunc autem pompam aliquam fieri statuimus in Defuncto ignobili deferendo, cum duo Sodalitia interveniunt, vel unum tantum cum aliquo Consortio, aut cœtu Regularium accersitur. Nunquam aliter decem Sacerdotes ad associandum cadaver rogentur, nisi hæredum consensus intercedat, sed sex, aut quatuor, vel duo pro Defuncti conditione eligantur. Siquis Parochus aliquid ex his, quæ præcipiuntur, contempserit, facultate carebit eosdem Sacerdotes deligendi, quam tunc Vicario nostro Generali tribuendam constituimus.

## INSTITUTIO LXXI.

*De Habitu Clericali: Vestem oblongam Clericis aptissime convenire. Quonam tempore Clerici tanquam propriam hanc sibi vestem assumpserint. De corruptelis, quæ novam formam, & colores vestibus Clericorum tribuerunt. Soli Episcopo facultatem inesse, ut in sua Diœcesi Clericalem habitum decernat; Ipsius forma, & color indicitur.*

I. QUamvis illud nonnulli affirmaverint, quod S. Bernardus commemorat (1): *Num de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus?* & illud etiam communi proverbio usurpetur: *Habitus non facit Monachum*; tamen Ecclesia singulare studium semper impendit, ut Clerici vestes dignitati suæ consentaneas eligerent non modo in Civitate, sed etiam, cum iter aliquod susciperent (2): *Nullus eorum, qui in Cleri catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat neque in Civitate degens, neque iter ingrediens, sed utatur vestibus, quæ iis, qui in Clerum relati sunt, attributæ sunt.* Hæc lex vetustissimi Trullani Concilii Gratiani Decreto inserta fuit iis fere verbis, quæ modo retulimus (3), ob eam potissimum rationem, quam Sanctus Bernardus oculis subjicit (4). *At forma hæc vestium deformitatis mentium, & morum indicium est. Quid sibi vult, quod Clerici aliud volunt? Id quidem minus castum, minusque sincerum; nempe habitu milites, quæstu Clericos, actus neutrum exhibent; nam neque pugnant ut milites neque ut Clerici evangelizant.* Eamdem sententiam Patres Tridentini Concilii his verbis approbant (5): *Quia vero, etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen, Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant &c.*

II. Cum primum Dei beneficio, ac Sedis Apostolicæ munere, hujus Ecclesiæ cura nobis delata fuit, imperiti rerum Ecclesiasticarum adeo non eramus, ut nos lateret vestem oblongam, & ad pedes usque defluentem Clericis unice convenire, eamque consuetudinem, ac disciplinam tunc inductam fuisse, cum laici post annum 1300., depositis longis vestibus, breviores sumpserunt: *De veste oblonga*: (ait Thomassinus (6)) *frequens in his sermo* (nempe in Conciliis illius ævi)*: propterea quod, cum circa annum Christi millesimum trecentesimum vulgus hominum laicorum longas abjecerit, & brevioribus impensius delectari cœperit vestibus, in hoc excubuit vigilantia Episcoporum, ut Clericos compesceret a laicorum imitatione, & ad vestes eligendas adduceret consentaneas potius dignitati suæ, quam corporeæ discursationi accommodatas.* Neque sane nostra mente exciderat, licet diuturno tempore longe a patria vitam egerimus, hanc Civitatem porticibus ornatam esse, ideoque facilius, quam in aliis locis, Ecclesiasticos oblonga veste uti posse, quorum potissimum nullus tanto apparatu, ac pompa incedere ob dignitatis rationem cogitur, ut brevis indumentum adhibere judicetur, ne incommodum, ac molestiam reliquis afferat, qui ipsum prosequi deberent, si oblonga veste uteretur.

III. Non ignorabamus Clericis Mediolanensis Ecclesiæ, cui hæc nostra Ecclesia tanquam suffraganea olim jungebatur, eam legem dictam fuisse, ut numquam sine oblonga veste in publicum prodirent. Cognitum pariter nobis erat, Clerum Comensem omnium Judicum sententiis damnatum fuisse, cum publico edicto, pro oblonga veste deferenda per Cardinalem Cleri illius urbis Episcopum promulgato, parere recusaret (7). Illud quoque perspectum nobis erat Sedis Apostolicæ auctoritate, maximoque studio defendi eos Episcopos, qui vestis oblongæ usum Ecclesiasticis præciperent (8).

IV. Tandem ignotæ nobis haud erant juris Canonici sanctiones de comis appositis, ac de circulis ex capillis confectis, & capiti aptatis, quod facile quisquis intelligere potest, si dissertationem percurrat, quam nos ipsi magno labore confecimus, & quæ typis excusa fuit in consueta pagella, quam Sacra Congregatio habita die 8. Augusti 1722. in lucem de more edidit. Siquidem in ea Congregatione probatum magna contentione fuit edictum ab Episcopo Melphitensi evulgatum, quo non solum Clerici Beneficio præditi, sed etiam cæteri Sacris Ordinibus, vel prima Tonsura initiati infra duos menses comas appositas deponere jubebantur; nos tamen alio loco solum præcepimus (9), ne ullus Sacerdos ad Ecclesiam, vel Sacrarium sine oblonga veste accederet, cum Sacrum facere, vel ad ipsum conficiendum se parare instituit. Item rem Divinam operari prohibuimus adhibitis oblongis vestibus, aut epitogiis, quæ a Sacrarii Custodibus commodari solent. De comis autem appositis nihil novi sanximus, satis arbitrantes esse ea, quæ super hac re per Cardinalem Jacobum Boncompagnum in sua Synodo præscripta fuerant.

V. Hæc nostra humanitas permovere omnes debuerat, qui aliqua doctrina, & honestatis laude præditi sunt, ut propositis limitibus continerentur. Sed quoniam iis virtutibus non omnes excellunt, ideo superiori tempore coloratam vestem non semel mane, & frequentius peracto prandio nonnulli induerunt, qui absque pallio, retento solum collari Sacerdotum insigni, & bacillum manibus gerentes urbem circumire cœperunt, pedibus conterentes Clericalem dignitatem, & observantiam, quæ nobis, licet immerentibus, ob nostri muneris rationem præstanda est; parvi quoque facientes hujus patriæ gloriam, quæ cum ignobili oppido hujus Diœcesis conferri non debet. Non omisimus illos accire, quos nos ipsi, sive aliorum fideli testimonio delinquentes cognovimus, eosque pro hac libertate graviter objurgavimus. Cum tamen hæc corruptela latius in dies propagetur, eoque devenerit hominum temeritas, ut aliquis eadem veste superindutus ad Metropolitanam accesserit, cum nuper dies Festus Sancti Petri celebrate, & Vesperæ solemnes coram nobis agerentur; & idem contigerit die Dominico proxime elapso, cum in parochia Sanctæ Mariæ Majoris pia supplicatione indicta, magnaque populi frequentia Divina Eucharistia circumferretur, id amplius ferre taciti non possumus. Quare non privatim ejusmodi pervicaces admonere, sed palam verba facere, & ea potissimum decernere, quæ modo subjicientur, constituimus.

VI. In nostra solum potestate situm est formam indumenti Clericalis definire: *Juxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum* (10). Idem post Tridentinam Synodum in Concilio Mechlinienſi statuitur; *Et quoniam mundana curiositas quotidianas adinvenit novitates, omnis ille habitus quibuslibet Ecclesiasticis Personis interdictus sit, a quo Episcopus abstinendum mandavit.* Primo igitur Clericis omnibus etiam prima Tonsura, & nullo beneficio præditis, aliisque multo magis, qui Beneficia obtinent, & Sacris Ordinibus initiati sunt, præcipimus ut collare, qui Sacerdotibus tribuitur, & Coronam capitis, breveſque deferant capillos. Si comis appositis ob nostram facultatem utantur, nihil leve, aut inane in ipsis deprehendatur, & corona appareat. Clericis enim operam, studiumque comis nutriendis dare non licet (11): Item discrimen inter Coronam, ac Tonsuram intercedit (12), & utrasque Cle-

(1) *De Consideratione ad Eugenium III. lib. 3. cap. 5.* (2) *Canone 27.* (3) *Canone secundo 21. quæst. 4.* (4) *Loco superius allato.* (5) *Sess. 14 cap. 6. de Refor.* (6) *De veteri, & nova Ecclesiæ disciplina part. 1. lib. 2. cap. 51. num. 6.* (7) *In Causa Comensis Edicti die 4. Aprilis anno 1693. lib. 43. Decret. Sacræ Congregationis Concilii pag. 128.* (8) *Monacellus in Formulario Legali lib. 1. tit. 5. formul. 9. num. 2. & tom. 4 in addit. tom. 1. tit. 5. formul. 9. num. 2.* (9) *Institution. 34.* (10) *Sess. 14. cap. 6. de Reform.* (11) *Canone: Prohibere. Canone: Clerici, & Canone: Non licet dist. 23.* (12) *Interpret. in caput unicum de Clericis conjugatis in sexto.*

Clericis gerendas Innocentius III. his verbis incidit (1): *Coronam, & Tonsuram habeant congruentem.*

VII. Secundo: vestem oblongam, aut brevem, tibialia, femoralia nigri coloris adhibeant, de quo Cardinalis Baronius hæc tradit (2): *Irrepsisse autem color niger in Clerum videtur, cum & Monachismus in nonnullis Ecclesiis a Clericis receptus est, & ex Monachis Episcopi creati sunt*: & paulo ante explicans ea verba Sancti Hieronymi ad Nepotianum (3): *Vestes pullas æque devita, ut candidas*: hæc habet: *Cum igitur neque candidus color Clericis congruere videretur, possumus intelligere, castaneum colorem, necnon violaceum in Ecclesia Catholica antiquo usu receptum, retentumque usque hodie ab eis, qui Familiæ sunt Summi Pontificis, necnon ab Alumnis Romanæ Ecclesiæ Seminarii, & aliis, ut omittamus Episcopos, illis exceptis, qui ex Claustralium Ordinibus ad eam promoti sunt Dignitatem.* Sanctus Carolus Borromæus in prima Provinciali Synodo ita statuit (4): *In omni vestitu color tantum niger adhibeatur*; Thomassinus autem (5) hæc scripta reliquit: *Post Synodos Tridentinam, & Mediolanensem rara prohibitio rubei coloris, viridisque, quod absolutissime jam & præciperetur nigra vestis, & in mores induceretur.*

VIII. Tertio: vestem oblongam, seu Talarem præcipimus, quam Clericis aptissime convenire non solum constat ex iis, quæ modo commemoravimus, sed etiam ex Conciliis Provincialibus, ac Diœcesanis Italiæ, Pontificum decretis, & Sacrarum Congregationum sententiis apertissime comprobatur, uti quisquis facile intelliget, si volumen secundum Theologiæ Moralis Genetti percurrat (6), aut ea perpendat, quæ Baptistellus Fulginas Episcopus accurato studio congessit in appendicem suæ Synodi, quam in examen adduxit, & auctoritate probavit peculiaris Congregatio, cui nos ipsi a Secretis delecti fuimus, cum Innocentius XIII. Pontificatum obtineret (7).

IX. Quarto: cum in primo Mediolanensi Concilio Provinciali, quod Sanctus Carolus Borromæus celebravit, hæc legantur: *Verumtamen, si iter faciendum sit illis*, (nempe Clerici) *uti liceat habitu contractiore, & ad iter accommodato, sed simplici, & in quo honestas, & decorum Ordinis eluceat*: Item in secundo Concilio diœcesano ejusdem S. Caroli: *Clericis iter habentibus, quamvis vestitu contractiori uti licebit, decentem tamen illum, atque ejusmodi esse oportet, ex quo, eos esse Ecclesiastici Ordinis homines, agnosci facile possit.* Ideo nos quoque hanc consuetudinem libenter permittimus, & eam pariter æquo animo feremus, quæ multo ab hinc tempore invecta est, ut Clerici minoribus, aut majoribus Ordinibus initiati, sive aliquo Beneficio, sive nullo præditi sint, ut Sacerdotes, etiam cum pro suis privatis negotiis expediendis Urbem circumeunt, breviori vestitu utantur, non autem id concedimus, cum ad Ecclesiam pro Sacro peragendo se conferunt, uti paulo ante statuimus, iterumque confirmamus. Caveant etiam, ut idem vestitus exterior nigrum colorem, & decentem honestatem præseferat, ac ne ad latera nimis extendatur; ne interior tunica argento, vel auro exornetur, nec alii colores nigro intermisceantur, ne postremo levitatem illam admittant, ob quam candida subucula aperta circa pectus tunica profertur: nigrum pallium gerant, ut plurimi virtute præstantes Ecclesiastici solent, qui patientia nostra abuti nolunt, nec illorum exempla sibi imitanda proponant, de quibus S. Hieronymus tradit: (8) *Tales cum videris, sponsos magis existimato, quam Clericos.*

X. Quinto: tolerantiam nostram ultra consuetos terminos proferentes, indulgemus pariter Clericis, ut sine pallio, bacillum manu gerentes deambulent in locis ab omni populi frequentia remotis, vel extra mœnia Civitatis; item ut hyemis, vel pluviæ tempore pallium violacei, sive alius modesti coloris adhibeant, modo tamen vestitus interior niger fuerit; ac postremo, si rus proficiscantur, vestitum ipsum, licet diversi coloris suscipiant, juxta eam formam, quam paulo ante exposuimus. Porro id conceditur, quod pulvis, ac cœnum nigro colori plurimum adversantur. Quod si ruri Sacrum facere velint, nigri coloris vestitum induant necesse est (9), ut alias ostendimus.

XI. Dum conficimus has Institutiones, non modo indicamus quid faciendum existimemus, sed ratione etiam, ac fundamenta disciplinæ, quam in nostris Ecclesiasticis vehementer expetimus, ante oculos ponere contendimus. Quoniam vero hujusmodi Institutiones etiam in volumina redigantur, optamus, ut de hac nostra agendi ratione universi judicium ferant. Jam profecto facili conjectura perspicimus patientiam nostram in iis rebus, quas superius enumeravimus, vehementer improbandam ab illis, qui Religionis ardenti studio ducuntur, & in jure Canonico, ac Pontificum Decretis plene versantur, tamen hanc maculam a non exiguo hominum numero nobis inferri patiemur, ne parum humani a Clero nostro charissimo judicemur; sic etiam fient ut rationi omnino consentaneum videatur, si inviti quidem hæc nostra jussa detrectantes puniamus.

XII. At vero cognitæ omnibus sunt pœnæ, quæ in illos decernuntur. Tridentina Synodus (10) Clementinam Secundam *De vita, & honestate Clericorum*, renovat, & post monitionem edicto peractam, siqui adhuc parere recusent, illos obnoxios suspensioni Ordinum, Officii, ac Beneficii & proventuum declarat: si vero in dies pervicacia urgeatur, tunc Officia, ac Beneficia ipsis adimenda constituit. Sixtus V. eosdem cunctis Dignitatibus, Canonicatibus, Beneficiis simplicibus, ac pensionibus *ipso facto* privatos decernit (11): *Sive ulla monitione, citatione, Judicis decreto, aut ministerio, ipso facto privatos declaramus.* Deinde suos quidem Familiares hac pœna liberavit, ac cæteros, quorum pensiones aureos sexaginta non excederent, & ob hanc causam quæstio instituta fuit, utrum hæc secunda Constitutio, quæ primam temperabat, eos pariter complecteretur, qui ex suis Beneficiis proventum sexaginta aureis minorem perciperent, tamen Sacra Congregatio Concilii respondit, de pensionibus tantum rem haberi, non autem de Beneficiis, quæ primæ Constitutioni subjecta voluit, quamvis aureos sexaginta non afferrent. Ita sancitum fuit die 4. Septembris anno 1677. (12); quod Decretum integre commemorat Synodicon Ecclesiæ Beneventanæ, typis editum anno 1693. jussu Benedicti XIII., cum illam Ecclesiam administraret. Hanc sententiam Romana Tribunalia in ferendis judictis semper secuta sunt.

XIII. At vero, cum in nostra faculeate positum sit novas pœnas indicere, si præsertim executioni facilius demandari queant, salvis tamen, & integris iis pœnis, quas superius explicavimus, cum pro illis quoque subeundis non una solum violatio sufficiat, sed temporis aliquod spatium intercedere debeat juxta Doctorum opiniones, ideo normam, quam subjicimus, statuendam intelligimus. Nonnulli Clericalem habitum exposcunt, ut ad primam Tonsuram sibi aditum patefaciant; alii vero prima Tonsura, ac minoribus Ordinibus jam initiati sunt, sed nullum obtinent Beneficium: si aliquis ex ipsis mandatum perfregerit, primam Tonsuram non accipiet, nec ad reliquos Ordines admittetur. Pro certo habeant universi nos haud defuturos huic promissioni, datamque fidem constantius servaturos, si aliorum commendationes interponant. Item alii minoribus Ordinibus, simulque Beneficio præditi sunt, alii vero majores Ordines & Sacerdotium cum Beneficio, vel sine Beneficio assecuti jam sunt, qui si mandatum violaverint, toties ad persolvenda *decem scuta Romana* teneantur: sex quidem ex ipsis, Locis Piis conferri volumus, quatuor reliqua scuta lictores sibi comparabunt, qui ejusmodi Ecclesiasticos vestibus indutos, quæ Decreto nostro adversentur, libere comprehendent, eosque cogent manu sua rem obsignare: non tamen in carcerem trudant, nisi obsignare recusaverint, aut insolenter impetum facere in lictores ipsos contenderint.

XIV. Sed quoniam vestitum haud nigri coloris, sed modesti permisimus Ecclesiasticis, cum rus se conferunt, hinc facile suspicamur, eam causam excusationis proferendam ab omnibus, qui in lictores incident, nempe tunc iter sibi rus constitutum fuisse: ideo, si id continget, conditionem Ecclesiastici expendemus, & locum, ubi comprehensus fuit, quibus peractis, si exteri inveniantur in suas regiones, si Diœcesani in sua oppida discedere præcipiemus; si vero fuerint Bononienses, Civitatis ambitum ipsis pro carcere designabimus quo pacto nostrum animum qualibet sollicitudine, illos vero a proferendis mendaciis vindicabimus.

XV. Hoc Decretum in tota Diœcesi observandum jubemus, ac præsertim in Oppidis Centi, Plebis, S. Joannis in Persiceto, S. Agathæ, Bazani, Butrii, Medicinæ, Vergati, Balneorum,

---

(1) *Cap. Clerici, de vita & honestate Clericorum.* (2) *Anno Christi* 393. *num.* 48. (3) *De vita Clericorum.*
(4) *Part.* 2. *pag.* 7. *Actorum tom.* 1. (5) *Loco superius allato num.* 6. (6) *Tract.* 1. *cap.* 9. *de veste talari.*
(7) *Pag.* 172. *& seqq.* (8) *In Epist.* 22. *ad Eustochium.* (9) *Institut.* 34.
(10) *Sess.* 14. *c.* 6. *de Reformatione.* (11) *In Constitutione, quæ incipit: Cum Sacrosanctum* 92. *in Bullario Romano t.* 2.
(12) *Lib.* 29. *Decretorum pag.* 147. *&* 500.

rum, Caſtellucii, Treppii, Caſtilionis, Minerbii, Baricellæ, in Caſtris Francorum, S. Petri, & Guelphi: in illis omnino ſerventur, quæ ſuperius ediximus, nempe ut Sacrum facturi Sacerdotes oblongam veſtem ſuſcipiant, decentem veſtitum nigri coloris, ſive oblongum, ſive brevem habeant, cum oppidum circumeunt, cum in iis locis portæ non multum diſtent a domiciliis; id autem in illis oppidis ſtatuendum magis eſt, ubi domicilia portæ minime conjunguntur.

XVI. Finem ſermoni facimus oculis noſtris ſubjicientes Sancti Bernardi verba quibus Eugenium III. objurgavit (1). Pontifex in Rhemenſi Concilio pœnam privationis Officii, ac Beneficii in illos decreverat, qui veſtem Clericis conſentaneam non induerent; ſed nulli hæc pœna infligebatur. Hinc Sanctus Bernardus ad Pontificem, qui olim inter ſuos Monachos adſcriptus fuerat, Apoſtolica libertate hæc ſcripſit: *Luxus veſtium interdictus, ſed non reſtrictus; pœna addicta, ſed minime ſecuta eſt.* Quare omnem operam, ſtudiumque impendemus, ne nobis etiam ejuſmodi objurgatio fieri poſſit.

## INSTITUTIO LXXII.

*Epiſtola Encyclica univerſis curam animarum habentibus in hac Diœceſi. Ad eliciendum actum fidei neceſſarium ad ſalutem, non ſatis eſſe fidem præſtare iis omnibus, quæ S. Mater Eccleſia credit, tanquam a Deo revelata. De lege, qua tenentur Fideles repetere actus virtutum Theologalium. De norma, qua Divina eloquia tradenda ſunt per explicationem Catechiſmi. De teſtimoniis, quæ fieri ſolent pro Clericis ordinandis. Quis initio Eccleſiæ hæc teſtimonia redderet. Nunc omnes hujuſmodi Parochis tribui. De veritate, quæ ineſſe debet his teſtimoniis. De eleemoſynis, atque oblationibus impendendis juxta intentionem offerentium. De ſumma cura, & ſtudio, quo perpetuo Miniſtri Eccleſiæ oblationes, & eleemoſynas cuſtodire ſoliti fuerunt. De quibuſdam corruptelis circa ipſorum uſum inductis. Proponuntur certæ leges pro his corruptelis in poſterum evitandis.*

I. Vicarii Foranei hujus Diœceſis convenerunt quidem, cum cœtus nuper habitus fuit nobis præſentibus juxta ſuam conſuetudinem, & inſtitutum, quod jampridem inductum plures ex Deceſſoribus noſtris integre ſervaverunt. Decreta quoque in ipſo cœtu confecta Parochis ejuſdem Diœceſis communicari quidem debent, quod per has litteras efficimus, tamen hanc pariter epiſtolam ad Parochos omnes ſcribendam exiſtimavimus, qua non ſolum hortamur eos vehementer, ut ipſa Decreta diligenter perfici curent, ſed etiam ipſorum oculis qualdam res graviſſimas ſubjicimus, de quibus in eodem cœtu verba fecimus, tum ut cognita ſiant illis, qui cœtui non interfuerunt, tum ut cæterorum, qui adfuerunt, animis altius defigantur.

II. Ac primum ſermonem inſtituimus de Parochorum munere, quo ſacra eloquia dilucide ſuo populo explanare tenentur, & ea potiſſimum, quæ neceſſario credi debent, ut ſalus æterna comparetur. De utilitate, ac neceſſitate actuum Fidei, Spei, & Charitatis plura diſſeruimus. De teſtimoniis etiam, quæ tum Vicarii Foranei, tum Parochi obſignare ſolent, ut nobis approbent morum integritatem, & certa vocationis indicia in illis oſtendant, qui minores, aut majores Ordines expoſcunt, loquuti ſumus. Egimus quoque de fide, ac religione, qua impendi fas eſt eleemoſynas, quæ a Fidelibus conferuntur; & facinus indigniſſimum coram Deo, & hominibus oſtendimus, ſi in alium uſum, quam offerentes poſtulant, eleemoſynæ convertantur.

III. At vero cauſas ſingulorum capitum percurramus. Populum de rebus ad ſalutem neceſſariis ſedulo inſtituendum diximus, quia plures deprehendimus, qui ad examen venerant pro Tonſura, vel pro minoribus ſeu majoribus Ordinibus accipiendis, & cum de actu Fidei interrogarentur, hoc reſponſum dederunt: *Satis eſſe, ſi Fide teneantur omnia, quæ credit Sancta Romana Eccleſia, cui Deus revelavit totum id, quod neceſſario credi debet. Ipſa vero Eccleſia Fidelibus Myſteria tanquam a Deo revelata proponit, & alia, quæ ad ſalutem neceſſaria habentur.*

IV. Item neceſſitatem, atque utilitatem actuum Fidei, Spei, & Charitatis expoſuimus; nam in examen vocati non ſemel reſponderunt: *Satis eſſe, ſi actus Fidei, Spei, & Charitatis ſemel intra quinquennium fierent.*

V. De Teſtimoniis pariter agendum duximus, quæ dare nobis conſueverint Vicarii Foranei, & Parochi de virtute, moribus, atque indole Ordinandorum; nam non pauca ex illis veritati parum conſentanea reipſa cognovimus: & profecto (omittimus vitæ rationem parum honeſtam, quam Clerici aliquando poſt acceptos Ordines inſtituunt) non ſemel deprehendimus ex litteris Vicarii Foranei, qui teſtimonium probitatis confecit, invito animo illud obſignatum fuiſſe, nempe ut aliorum voluntati morem gereret, & interpoſitis commendationibus obſecundaret. Id autem nobis Vicarius patefecit, poſtquam Ordines Clerico collati fuerant, videlicet cum de ejuſdem Clerici improbitate, corruptiſque moribus quereremur. Contigit etiam, ut duo diverſa inter ſe pugnantia teſtimonia ab eodem Parocho oblata nobis fuerint, primam quidem ante ſacram Ordinationem, quo neceſſariam illam pro Eccleſiæ ſuæ utilitate teſtabatur, alterum vero, quo affirmabat facultatem impertiri poſſe, ut Clericus alio migraret, cujus opera nullo modo Eccleſia indigeret.

VI. Poſtremo de eleemoſynis non aliter impendendis, quam voluntas offerentium poſtulaverit, agere coacti ſumus: eo quod aſſiduæ querimoniæ ad aures noſtras pervenerunt, illas non Eccleſiæ tribui, ſed a Parochis in proprios uſus convertit. Illud quoque magnopere expetimus, ne ulla diſſidia inter Parochos, & populum intercedant, ac ne Sacerdotum dignitas, uti ſolet accidere, immerito proſcindatur; ſed de ſingulis his rebus ſeorſim verba faciamus.

VII. Exploratum in primis omnibus eſſe debet a Gregorio XI. tanquam (2) hæreſim damnatam fuiſſe hanc ſententiam, quam P. Nicolaus Emericus ex Ordine Sancti Dominici ita commemorat (3): *Octava hæreſis eſt, quod laicus non tenetur ad aliquem Fidei articulum explicite credendum, ſed ſufficit ſibi iſta concluſio in genere, quod credat omne illud, quod credit Sancta Mater Eccleſia Dei.* Porro Clariſſimus Penia hæc advertit: *Non excuſare pravam conſuetudinem in contrarium, cum pauci ſint, qui explicite articulos ſciant.* Idem celeberrimi doctrina Scriptores confirmant (4).

VIII. Sed ut oſtendatur nequaquam ſufficere aliquando intra quinquennium actus Fidei, & Spei, & Charitatis elicere, ſatis eſſe fortaſſe poterit, ſi aſſeratur, errorem hujuſmodi duxiſſe originem a quinta, ſexta, ſeptima, decima ſeptima, ac ſexageſima quinta ſententia, quas omnes Innocentius XI. proſcripſit, quarum prima his exponitur: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Altera vero: *Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis obligare præceptum Charitatis erga Deum. Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus: ſatis eſſe actum Fidei ſemel in vita elicere: ſufficit Myſteria Trinitatis, & Incarnationis ſemel credidiſſe*; Enim vero ſi damnata eſt illa aſſertio *unicum toto vitæ tempore ſufficere actum Fidei*, ſi reprobati ſunt, qui ſethalis culpæ reum pronunciare non audent *illum, a quo unius tantum dilectionis actus in Deum per integrum vivendi tempus eliciatur*; ſi proſcripti quoque ſunt ii, *qui probabile cenſent neminem præcepto charitatis in Deum, etiam intra quinquennium obſtringi*: ſi demum illorum opinio rejecta eſt, *qui putant eodem charitatis præcepto tunc ſolum nos adſtringi, cum tenemur juſtificari; nec alius ſuppetit modus, ut juſtificationis gratiam aſſequamur*; ex his profecto confici nullo modo poteſt ſatis eſſe, aut bis in vita curſu actus Fidei, ac directionis in Deum, aut ejuſdem dilectionis actum intra quinquennium emittere, ut charitatis præceptum impleatur. De his agit fuſius Pater Viva, quem libenter nominamus ob eximiam ipſius ſapientiam, ſingularemque amicitiam, quæ nos invicem conjunxit, cum adhuc vita fungeretur. Hanc ille quæſtionem inſtituit (5): *Ubi damnatur aliqua propoſitio, attendenda eſt ratio condemnationis, quæ ſi æque militet pro propoſitione affini, hæc pariter implicite declaratur falſa, & omnino improbabilis. Quis autem non videat, diſſonantiam fere eamdem contineri, quod quis ſemel, ac quod quis bis tantum in vita actum Fidei eliciat? utrumque irrationabile, & abſonum. Quod in ſimilibus proſcriptis theſibus eſt ad-*

(1) *In loco ſuperius allato.* (2) *In Directorio Inquiſitorum.* (3) *Part. 2. quæſtion. 10.*
(4) *Suarez de Fide, Spe, & Charitate diſp. 13. ſect. 4. num. 5. Tom. 7. tract. 17. de Fide diſput. 6. dub. 2. §. 3. Baldellus tom. 2. Theologiæ Moralis lib. 1. diſp. 5. num. 21. Card. Gottus tom. 10. ſuæ Theologiæ dub. 3. qu. 2. §. 2. num. 4.*
(5) *In notis ad primam propoſitionem inter damnatas ab Alexandro VII. num. 6.*

*advertendum; dum enim ex. gr. damnatur ab Alexandro VII. propositio* 34. *dicens: In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto, male quis inferret, quod satisfaciet præcepto, qui recitet Officium Paschale in Dominica Passionis, quando ratio condemnationis eadem, aut fere eadem est pro utroque casu.*

IX. Insuper satis esse videtur, ut querimonias nostras esse justas ostendamus in Parochos, ac Vicarios Foraneos, qui testimonia pro Clericis ordinandi obsignant, si palam faciamus ipsorum culpæ nequaquam tribui, si plures susceptis Ordinibus vitæ rationem ingrediantur eorum dignitati parum accommodatum. Id quidem nobis molestissimum est, sed Vicarios, ac Parochos accusare nullo modo possumus, si habita ratione præteriti, ac præsentis temporis post sedulam indolis morumque disquisitionem nulla hominum commendatione producti de innocentia alicujus Ordinandi scriptum testimonium concedant, eumque fore utilem Ecclesiæ testentur, licet post ordinationem fato ipsorum, nostroque misero corruptis moribus imbuantur. Cum nos ab Archidiacono petemus, utrum Ordinandos satis idoneos agnoscat, id quidem affirmat his verbis interpositis: *quantum humana fragilitas nosse finit*: ex quibus constat evenire revera posse iniquos homines sub specie probitatis non semel latere, nec illos certo dignosci, quamvis omnis diligentia conferatur; illud autem facilius contingere. Nos ipsi, priusquam manus imponamus super eos, qui ad Diaconatum assumuntur, his verbis Divinam opem exposcimus: *Et nos quidem tanquam homines Divini sensus, & summæ rationis ignari horum vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem, Domine, que nobis sunt ignota, non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor es secretorum, tu scrutator es cordium. Tu horum vitam cælesti poteris examinare judicio, quo semper prævales, & admissa purgare, & ea, quæ sunt agenda concedere.* Illos tantum Vicarios, ac Parochos arguimus, qui temere, & inconsulto scribunt ejusmodi testimonia, affirmantes ea, quæ ignorant; aut nullam impendunt operam, ne se ipsos, & nos quoque decipiant. De illis præsertim querimur, qui rem opinioni suæ contrariam testantur ob hanc nefariam causam, quæ in hac Diœcesi jampridem nimis invaluit, ne scilicet populi sui benevolentiam amittant, ac ne molestiam cuipiam inferant; quo pacto obsequium Deo præstandum hominum gratiæ indignissime postponunt. Singularis fuit Abulensis opinio (1), qui Judam improbum jam tum existimavit, cum inter Apostolos cooptatus fuit. Sanctus vero Joannes Chrysostomus, ac Sanctus Cyrillus Alexandrinus aliter putaverunt. Sanctus quoque Hieronymus hæc (2) tradit: *Interroga eum (nempe Christum), cur Judam elegerit, cur ei loculos commiserit, quem furem esse non ignorabat? Vis audire rationem? Deus præsentia judicat, non futura, nec condemnat ex præsentia, quem novit, talem fore, qui sibi postea displiceat; sed tantæ bonitatis est, & infallibilis clementiæ, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum, dans ei potestatem conversionis, & pœnitentiæ.*

X. Tandem satis haberi debent, quæ in quinquagesimam quartam hujus libri Institutionem luculenter congessimus, ut universi cognoscent eleemosynas pro voluntate offerentium impendendas, ac nefas esse, si in privatum commodum, aut apparandas epulas conferantur. Egregiam Tertulliani sententiam, & ad hanc rem valde accommodatam pariter subjicimus (3), qui capsulam in templis adhibitam ab ipso Ecclesiæ exordio pro congerendis Fidelium eleemosynis fatetur, nec illarum usum posteris explicare prætermittit: *Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, si modo velit, & si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi depositæ sunt pietatis. Nam inde non epulis, potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris, ac puellis re, ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectæ alumni confessionis suæ sunt.*

XI. At enim, quæ huc usque dicta sunt, altius investigare constituimus. Itaque nona, decima, & quadragesima quarta Institutiones hujus libri satis patefaciunt gravissimum munus, quo Parochi explanare debent divina eloquia, populumque docere mysteria ad comparandam animæ salutem necessaria, atque adeo actum Fidei, qui cunctis suis partibus constet; eumdem denique populum monere haud satis esse, si quis seriatim credat omnia, tanquam a Deo revelata, quæ Sancta Romana Ecclesia Fide tenet. Singulos obtestamur, ut easdem Institutiones diligenter percurrant, & in memoriam quoque revocent, quæ ipsis olim Theologiæ Professores tradiderunt, aut ejusdem Divinæ facultatis Scriptores evolvant. Tunc enim aliquis procul dubio se muneri suo defuisse deprehendet, & ex eo fonte perniciem omnem, ac detrimentum, de quo agimus, dimanasse.

XII. Institutio nona satis aperte comprobat a Parochis omnino per dies Festos explicandam populo Christianam Doctrinam, illisdemque diebus pias conciones ad populum habendas Institutione decima demonstravimus. Cum vero de ruralibus Sacellis ageremus (4), quæ plusquam mille passus a Parochia distant, sacrum in illis fieri permissimus hora, quæ vicinis ruricolis apte conveniret. Sacerdoti vero præcepimus, etiam sub pœna suspensionis *a Divinis*, de futuris proxime diebus Festis populum monere, Evangelium ab Altari declarare, necessaria ad æternam salutem tradere, & Christianæ legis explanationem nunquam omittere pro iis omnibus, qui ad sacrum convenerint. Porro hæc omnia Sacrorum Canonum auctoritate, ac Sedis Apostolicæ Decretis confirmavimus; nam summopere optamus perspecta omnibus esse fundamenta, quibus Decreta nostra innituntur.

XIII. Si vero Theologos consulant, facile intelligent omnes, utile quidem esse, si quis omnia generatim credat, tanquam a Deo profecta, quæ credenda proponit Sancta Romana Ecclesia, haud tamen Fidei præcepto satisfacere, qui peculiaria quædam distincte non credat. Fides profecto salutis humanæ exordium, & veluti radix justificationis nuncupatur, sine qua fieri nequit, ut Deo placeamus, & consortium filiorum Dei consequamur. Dum Fidem exercemus, animos ad accipiendam justitiam comparamus, ac per Divinam gratiam excitati, & corroborati, Fidem auditu concipientes erga Deum libere movemur, Fide tenentes omnia, quæ ipse manifestavit, & pollicitus est, ut Synodus Tridentina docuit (5).

XIV. Quamobrem Theologi unanimes sentiunt nonnulla *explicite* credi oportere, nempe Deum existere absque ullo principio, immensum, omnipotentem, incomprehensibilem, qui sempiterno præmio, vel pœna probos, improbosque afficit: *Sine Fide autem* (inquit Sanctus Paulus (6)) *impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hinc vigesima secunda inter prescriptas ab Innocentio XI. sententias his verbis recensetur: *Nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

XV. Porro id Fide tenendum est *necessitate medii*, ut inquiunt Theologi, nec ulla causa excusationis afferri potest. Eadem necessitate credendum proponitur Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, unum nempe natura Deum, Trinum vero personis; item Mysterium Incarnationis, Passionis, Mortis, & Resurrectionis Divini Salvatoris. Ita docent communiori, tutiorique sententia Theologi: Sanctus Thomas inquirit (7): *Utrum explicite credere Mysterium Incarnationis Christi sit de necessitate salutis apud omnes.* deinde articulo octavo: *Utrum explicite credere Trinitatem sit de necessitate salutis.* Utrumque Sanctus Doctor affirmat, primum quidem ea sacrarum litterarum auctoritate (8): *Non est aliud nomen* (de Christi nomine sermo est) *datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; alterum vero Sancti Matthæi testimonio comprobat: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Insuper Sanctus Thomas (9) expendit Incarnationis Mysterium explicite credi non posse, nisi Sanctissimæ Trinitatis Mysterium eadem fide teneatur: *Quia in Mysterio Incarnationis Christi hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit, & iterum, quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit.* Theologi Salmanticenses eamdem super hac re opinionem tuentur (10): Cardinalis autem Gottus (11), quem superius nominavimus, hanc sententiam magis probabilem, magisque tutam esse contendit; finius quoque id sustinet Pater Maurus Societatis Jesu, qui Romæ per plures annos eximia cum laude Sac. Theologiæ facultatem tradidit (12).

XVI.

(1) *Quæst.* 43. *cap.* 10. *S. Matthæi.* (2) *Lib.* 3. *adversus Pelagium cap.* 2.
(3) *In suo libro Apologetico cap.* 39. (4) *Institut. XIV.* (5) *Cap.* 6. *&* 7. *sess.* 6.
(6) *In Epistola ad Hebræos cap.* 11. (7) 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 7. (8) *Act. Apost. cap.* 4.
(9) *Eodem art.* 8. (10) *Lib.* 7. *tract.* 17. *disput.* 6. *dub.* 1. §. 3. *finali dicendum.* (11) *Quæst.* 2. *dub.* 4. §. 2.
(12) *Lib.* 2. *Operum suorum lib.* 7. *quæst.* 43. *a num.* 45. *usque ad finem.*

XVI. Post hæc Mysteria, quæ *necessitate medii* Fide explicite tenenda sunt, alia proponuntur, quæ pariter explicite *necessitate præcepti* profiteri debemus; nisi forte interveniat, ignorantia, quæ nulla diligentia vinci potuerit. Hæc autem sunt, quæ in Symbolo Apostolico continentur, tria Sacramenta, Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia, & reliqua alia, cum percipienda sunt. Item oratio Dominica, quæ omnia vel speranda, vel a Deo petenda complectitur; postremo Decalogi præcepta, quibus vitam, moresque nostros conformare debemus, ut beatissimam gloriam assequamur. Hæc universa Cardinalis Lauræa (1), & ante illum P. Suarez (2) sapienter exponunt. De Symbolo Apostolorum mentionem fecimus, quod illi Spiritu Sancto afflati confecerunt, antequam in diversas Orbis partes iter susciperent pro disseminando Christi Evangelio, ut eadem unanimiter sentirent, certumque indicium, ac testimonium daretur, ut veri a falsis fidelibus distinguerentur (3). Quilibet autem Apostolorum peculiarem Symboli articulum pronunciavit, uti Sanctus Leo scribens ad Pulcheriam Augustam his verbis testatur (4): *Siquidem ipsius Catholici Symboli brevis, & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes Hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio obtruncari.* Eamdem sequuntur sententiam Venantius Fortunatus, Albinus Flaccus, & Rabanus, quem nominat Baronius (5). Omittimus duos sermones Sancto Augustino adscriptos, quibus ad id probandum veteres scriptores utebantur, & quos Sancto Augustino tribuendos recentiores minime existimant. De eodem Apostolico Symbolo hæc habentur in Canone, *Vos ante*, de Consecratione (6): *Ante omnia Symbolum, & Orationem Dominicam & vos ipsi teneat, & illis, quos susceperitis de sacro fonte, ostendite.*

XVII. Hæc omnia Scriptores fere omnes aperte commemorant, & præsertim Christianæ Doctrinæ libello indicantur, quam si Parochi explanarent, nisi cœli intemperies pro exercitatione adduceretur, aut alia causa solemnis Festi, ut Sacrum in aliis Ecclesiis conficiant, atque ita Christianæ legis explicandæ munus prætermittant, si Catechesis de more institueretur, si quoque Parochi sibi ante oculos ponerent non modo primarium munus *Supra Corpus Christi verum*; sed alterum pariter *supra Corpus Christi mysticum*; si animo perpenderent populum ab ore ipsorum legem requirere, uti docet Sanctus Thomas (7): *Alii autem promoventur ad alium actum, qui est supra Corpus Christi mysticum, & a talium ore populus legem requirit; unde scientia legis in eis esse debet, non quidem, ut sciant omnes difficiles quæstiones legis, quia in his debet ad Superiores recursus haberi, sed, ut sciant ea, quæ populus debet credere, & observare de lege*; si, inquam, hæc fierent diligenter, ea tristitia careremus, quam percipimus intelligentes in quibusdam Parochiis earum rerum populum imperitum esse, quæ ad æternam salutem necessario requiruntur. Neque illud generale respectum datum nobis fuisset, quod superius indicavimus, cum ordinandi de actu Fidei interrogati fuerunt; quorum aliqui Deum revelantem exprimere non semel omiserunt, & ob ignorantiam lapsi sunt in sententiam, quæ inter proscriptas ab Innocentio XI. vigesimum tertium locum obtinet: *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.*

XVIII. Aliqui revera Diœcesis Parochi, cum de his rebus sermonem haberemus, nobis testati sunt, neque Catechesim, neque pias ab Altari conciones, neque Christianæ legis explicationem prætermitti, sed inter agricolas plures ingenio tardos, adeoque rudes versari, qui nihil omnino percipere, & animo defigere possunt, alios, licet vehementer admonitos, ad Parochum audiendum cum reliquis haud convenire, alios demum, qui prius ad salutem necessaria bene didicerant, post aliquod tempus Parochum docentem audire negligentes, omnia dedisce re. Nos vero commendamus primum, & gratias illis agimus, qui suo munere perfunguntur; deinde optimo jure respondere ipsis possumus in medium prolatas rationes ordinandis nullo pacto suffragari. Nam si crassi, rudesque deprehenduntur, si raro interfuerunt, dum Christianæ legis doctrina explicaretur, si ipsam bene addiscere non poterunt, testimonium, quod a Parochis exquirimus ante Ordinationem, illis obsignare non debebant. Item si declarantes populo actum Fidei pro æterna salute necessarium, populum in hoc errore versari deprehendissent, nempe satis esse, si quis profiteatur omnia, quæ docet Sancta Romana Ecclesia, tanquam a Deo manifestata; hanc sane erroris maculam detergere oportebat, sumque Fidei tradere, qui Mysteria, aliosque articulos, quos nuper enumeravimus, explicite comprehenderet, ac postremo clausulam subjicere, Fidem nempe præstare reliquis omnibus, quæ Sancta Romana Ecclesia tenet, & nobis Fide tenenda proponit ob eam causam, quod illa Deus patefecerit, qui summa veritas est quive nec ipse decipi, nec alios in errorem ducere potest.

XIX. Verum, ut omnem de medio tollamus oppositionem, quæ speciem aliquam præseferre videtur, affirmari potest explicite percipienda esse omnibus ea, quæ *necessitate medii*, *& necessitate præcepti* credenda proponuntur, sed non eamdem in singulis, paremque earum rerum cognitionem postulari. Nam Ecclesiastici Laicis magis excellere debent, adulti pueris, ac puellis; & qui mentis præstantiam, ac celeritatem majorem obtinent, iis anteire debent, qui tardiores sunt ingenio. Id sapienter expendit gravissimus Vir in cura animarum probe versatus, qui libellum anno 1719. Typis edidit Florentiis hoc titulo inscriptum: *Hæc dece* (8): *Dico ultimo* (inquit ipse) *non omnes fideles teneri æqualiter ad explicitam notitiam eorum, quæ hactenus memoravimus, sed attendendum statum, munus, necnon ætatem, ac capacitatem uniuscujusque.* Idem clare docet S. Thomas (9), qui ait: *Post tempus gratiæ revelatæ tam majores, quam minores tenentur habere Fidem explicitam de Mysteriis Christi, præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, publice proponuntur, sicuti sunt articuli Incarnationis. Alias autem subtiles considerationes circa Incarnationis articulos tenentur aliqui magis, vel minus explicite credere, secundum quod convenit statui, & officio uniuscujusque.* Illud etiam accedit, non satis esse Parochis, ut certo asserant se omnem operam contulisse, ut necessaria ad salutem populus doceretur, & si aliter contigerit, non sibi, sed populis vitio tribuendum, non, inquam, satis esse, si datis diebus Christi doctrinam, ac legem explicaverint, sed etiam requiri, ut importune, vel opportune illos graviter objurgaverint, qui Parochum audire negligerent, & parentes etiam, qui liberos suos haud cogerent in Ecclesiam convenire, dum Parochus populum institueret; opus esse, ut piis concionibus frequenter ante oculos populi subjecerint quæ potissimum credenda sint, & quæ facienda, ut ad beatam vitam fideles perveniant; oportere etiam, ut prius imbuerit rerum necessaria cognitione pueros, ac puellas, quæ ad Sacram Eucharistiam primum accedere debent, nec ullos ad Corpus Christi sumendum accedere passus fuerit, quos antea plane idoneos non cognoverit: opus esse, ut sponsos diligenti examine probaverit, an Christi legem, & doctrinam bene intelligerent, dum ipsorum mutuum consensum pro sponsaliis ineundis exploravit, antequam illos matrimonio conjungeret, quod nos alio loco demonstravimus (10); postremo opus esse, dum Pœnitentiæ Sacramentum administravit illis, quos jure merito suspicari potuit, aut nunquam didicisse, quæ *necessitate medii*, *& necessitate præcepti* credenda explicite sunt, aut illorum penitus oblitos fuisse, opus, inquam, esse, ut eorum saluti, ac bono prudenter consulerit. Innocentius XI. hanc sententiam sexagesimo quarto loco proscripsit: *Absolutionis capax est homo, quamtumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.* Hinc patet illicite, & invalide criminum absolutionem illi impertiri, qui Deum ignorat mercedem bonis, atque improbis supplicium illaturum, quod *necessitate medii* Fide tenendum est. Invalidam, vel saltem illicitam quoque constat esse absolutionem, quæ conceditur Mysteria Sanctissimæ Trinitatis, atque Incarnationis Domini ignorantibus. Primum quidem, si magis probabilem, magisque tutam eorum opinionem sequi velimus, uti nos faciendum putamus, qui eadem bina Mysteria *necessitate medii* profitenda necessario existimant. Secundo saltem illicitam absolutio-

(1) *In 3. lib. Sententiarum tom. 3. part. 1. disput. 10. art. 4. §. 1.* (2) *Lib. De Fide, Spe, & Charitate dis. 13. sect. 4.*
(3) *Rufinus in Præf. Expos. Symboli Apostolici.* (4) *Epistola 27. alias 13.*
(5) *Ad annum Christi 44. num. 17.* (6) *Distinct. 4.* (7) *In supplemento part. 3. quæst. 36. art. 2. ad primum.*
(8) *Num. 17.* (9) *2. 2. quæst. 2. art. 6. per totum, & art. 7. in corpore.*
(10) *Institut. 46.*

tionem affirmavimus; nam si amplectamur eorum sententiam, tanquam in sola speculatione probabilem, qui asserunt eadem Mysteria solum *necessitate præcepti* necessario credenda, *in voto* tamen *necessitate medii*, si, inquam, Confessarius hanc sententiam admittat, tamen illam sequi nequit, dum reipsa confert absolutionem ignorantibus eadem Mysteria per oscitantem, ac vincibilem negligentiam, uti plerumque contingit, aut ignorantiam habentibus eorumdem Mysteriorum, quæ vinci, ac depelli nequaquam potuit. Nam Innocentius XI. hanc sententiam primo loco damnavit: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* De his Cardenas (1), P. Viva (2), ac P. Zuccherius (3) copiose disserunt. De his quoque sermonem habet P. Segneri in eo libello, *qui Parochus Instructus* (4), & in alio, *qui Confessarius Instructus* inscribitur (5). Tandem omnes Scriptores unanimes affirmant nullo modo absolutionem rite concedi posse imperitis earum rerum, quæ *necessitate medii* necessariæ proponuntur, eosque prius edocendos, quam a criminibus dissolvantur. Item protrahendam illis absolutionem, qui necessaria *necessitate præcepti* non sine culpa ignorant, quibus tamen impertiri absolutionem aliquando permittunt, si tamen necessaria *necessitate medii* bene calleant, ac de prissima socordia, in addiscendis necessariis *necessitate præcepti* dolorem testentur, illisque percipiendis se operam sedulam daturos polliceantur (6). Hæc universa, quæ exposuimus, Rectores animarum iterato perficere debent, ut se culpa vacuos omnino probent, eamque in populum conferant. Quod si muneri suo plene satisfecerint, nec tamen ignorantiæ tenebras ab omnibus depulerint, nihil aliud superest, nisi ut a Deo requirant fontem lacrymarum, quem Jeremias exposcebat: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte interfectos filios populi mei.*

XX. Hæc monenda necessario duximus de iis, quæ proposita primo fuerunt in cœtu, quem in Civitate habitum superius memoravimus. Nunc ad ea veniamus, de quibus secundo loco tunc actum fuit; nempe de necessitate, atque utilitate actuum Fidei, Spei, & Charitatis, quos intra quinquennium solum elicere nefas ostendimus. Ac primum illud certissimum est, divino, naturalique præcepto nos impelli, ut in vitæ curriculo actus Fidei, Spei, & Charitatis aliquando proferamus. Alia quoque præcepta nos adigunt eosdem actus iterare; nempe cum Dæmonis insidiis occupati, illas effugere nullo modo possumus, nisi eosdem actus exprimamus. Id aperte colligitur ex prima sententia, quam Alexander VII. inter proscriptas adnumeravit: *Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi Præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Hinc constat haud satis esse virtutem charitatis erga Deum, quæ in observandis ipsius præceptis continetur, juxta testimonium Sancti Joannis: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Idem comprobatur ex sententia, quam Alexander VIII. tanquam hæreticam proscripsit: *Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut moralis actus tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.* Porro hæc sententia non de *virtuali*, sed de formali dilectione intelligi debet. Huc etiam referri merito potest illa sententia, quam Innocentius XI. decimo sexto loco improbavit: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

XXI. Cum hæc ita se habeant, Dissertationem Theologicam conficere animus non est, neque decernere quoties actus Fidei, Spei, & Charitatis emittere teneamur, aut *per accidens*, ut inquiunt Theologi, atque ob alia præcepta peculiaria, quæ eosdem actus fidelibus indicunt. Quippe nulla in Theologia Morali disputatio tam diversis Scriptorum opinionibus implicatur. Nos solum afferemus quædam sacrarum litterarum testimonia; ac primum de actu Fidei illud S. Joannis objicitur (7): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Pro Spe autem illud Psalmi 4. aptissime convenit; *Sacrificate sacrificium Justitiæ, & sperate in Domino.* Pro actu dilectionis nihil accommodatius excogitari potest, quam illud Deuteronomii (8): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, & ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ.* Porro hoc testimonium aliis auctoritatibus Sanctorum Matthæi, Marci, ac Lucæ confirmatur. Quamobrem, abjectis sententiis, quas Summi Pontifices improbarunt, uti superius dictum est, omissis pariter omnibus, quæ in disputationem vocantur, illud pro certo asseremus, magno in discrimine amittendæ salutis versari, qui diutius hos actus elicere prætermittit. De actibus Fidei Cardenas copiose verba facit (9). De actu Charitatis hæc tradit Cardinalis Gottus (10): *Per se obligat præceptum actus Charitatis in Deum super omnia, non semel in anno, sed frequenter infra annum: ita tutius, & probabilius. Præceptum enim maximum, & primum, latum cum tanta, ex parte Dei, cautione, quod, ut ex Deuteronomio cap. 6. superius allato, hominum oculis, & cordibus semper obversari, ac insertum esse debet, nec potest sine piaculo per longum tempus negligi. Immo ingratum se exhiberet homo, qui, cum continuis a Deo beneficiis cumuletur, diu staret, quin ad suum benefactorem per amorem se converteret.* De singulis vero actibus Fidei, Spei, & Charitatis hæc habet P. Viva (11): *Propterea ad hos præstantissimos actus eliciendos sæpe conari debemus.*

Qua de causa, cum salus animarum, quæ nobis tradita fuit, nos vehementer, uti decet, sollicitet, ac potissimum cogitantes in ea conditione Diœcesanos versari, ut eorum institutio a solo Parocho dependeat, ideo in cœtu sancitum fuit, & nunc idem repetitur, Decretisque adjungitur, ut Parochi omnes, ac reliqui Sacerdotes, qui subsidiariis Ecclesiis præsunt, aut Sacellis per mille passus a Parochia sejunctis, & explicare omnino debent populo Christianæ legis disciplinam, atque instituta, ut, inquam, singulis diebus Festis, priusquam rem divinam incipiant, actus Fidei, Spei, & Charitatis alta voce pronuncient, eosque populus ad verbum repetat: iidem actus libello adduntur Christianæ doctrinæ, quæ Typis edita fuit anno 1733. Confidimus autem Dei bonitatem, ac clementiam non defuturam, ut Illos animis populi denigat, eumque permoveat, ut diebus etiam profestis eosdem actus renovet, ac potissimum in extrema vitæ periodo, cum de salute æterna dimicatur. Monendum pariter censemus in libello Christianæ doctrinæ his verbis actum Fidei explicari: *Ego credo quidquid in Symbolo Apostolorum continetur, & quidquid Sancta Ecclesia credendum proponit &c.* Sed prius in eodem libello agitur de duobus Mysteriis Trinitatis, atque Incarnationis, aliisque, quæ *necessitate medii, ac necessitate præcepti* cognoscenda, ac Fide tenenda necessario sunt.

XXII. Tertio loco actum fuit in eadem Congregatione de testimoniis, quæ Vicarii Foranei, vel Parochi Ordinandis obsignant. Cum memoria repetimus veterem Ecclesiæ disciplinam, eadem lege obstrictos intuemur Episcopos, ne temere manus imponerent, magnumque studium eos contulisse, ut ad Ordines majores, & minores aliquem, nisi idoneum, reciperent, aliosque omnes secluderent, qui parum digni hoc honore viderentur: illi tamen quibusdam subsidiis præditi fuerunt, quibus nos omnino caremus. Archidiaconi partes, ac munus fuit eorum doctrinam, & indolem expendere, qui Ordines ab Episcopo poscebant; omissis aliis documentis id potissimum comprobatur duabus Innocentii III. Decretalibus (12). Nunc autem petitur quidem ab Archidiacono, dum Sacra Ordinatio peragitur, utrum Ordinandos satis idoneos arbitretur, quod ipse affirmat; sed hæc fiunt, ut Ritus antiquitatis servetur, ac ne formulæ, quæ a majoribus inductæ fuerunt, labefa-

---

(1) *Diss. 41. de Propos. inter proscriptas ab Innoc. XI. cap. 5.* (2) *Eodem loco num. 4. & seq.*
(3) *In Decisionibus Moral. Cleri Patav. casu 1. Mensis Febr. num. 13.* (4) *Cap. 22. §. 1.* (5) *Cap. 7.*
(6) *Salmanticenses Theol. tom. 5. de cursu Morali tract. 21. cap. 2. part. 5. num. 58. & seq.*
(7) *Cap. 3.* (8) *Cap. 6.* (9) *De Propositionibus proscriptis dissert. 42. propositione 65. cap. 2.*
(10) *Lib. 10. dub. 1. qu. 3. de Charitate §. 4. n. 25.* (11) *De prima Propositione ab Alexandro proscripta n. 7.*
(12) *In cap. ad hæc, & cap. ut nostram, de Officio Archidiaconi.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

befactentur. Etenim neminem latet Ordinandorum ingenia, ac mores ab Archidiacono nullo pacto cognosci; olim Fidelis alicujus meritis, ac virtute ducti fere per vim Episcopo illum proponebant, ut Ordinibus initiaretur. Id S. Augustino contigisse narratur (1). *Eum ergo tenuerunt, & ut in talibus consuetum est, Episcopo Ordinandum intulerunt, omnibus id uno consensu, & desiderio fieri, perficique petentibus, magnoque studio, & clamore flagitantibus, ubertim eo flente &c. & eorum, ut voluerunt, completum est desiderium;* quod sapienter interpretatur post clarissimum Virum Cardinalem Noris Pater Joannes Salinas Canonicus Regularis, qui non sine magno Ecclesiasticæ eruditionis detrimento, ac pernicie paucis abhinc annis e vita decessit: *Sensus est* (inquit), *invitum; at per populi tumultum evectum fuisse ad Clericatum. At vero cum non facile* (ait Thomassinus (2)) *regeretur, sed ultra recti limites quandoque evehertur populi tumultuantis impetus, eo tandem deventum est, ut dominarentur Canones, nec plebi quidquam permitteretur, quam ut de vita, & moribus eligendorum testimonium diceret.* Eamdem consuetudinem in vita Alexandri Severi Lampridius commemorat: *Ubi aliquos voluisset vel Rectores Provinciis dare, vel Præpositos facere, vel Procuratores, id est Rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quod haberet criminis, probaret manifestis rebus, si non probasset, subiret pœnam capitis. Dicebatque, grave esse, cum id Christiani, & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in Provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita.* Nunc quidem in ordinandis Diaconis, ac Sacerdotibus Episcopus populum interrogat, an aliquid contra illos in medium proferre possit, sed nullus omnino responsum reddit, aut quia latinum sermonem, quo Episcopus utitur, populus ignorat, vel quia cognitum, perspectumque habent universi hac solum ratione id fieri, ne vestigia ritus antiqui obliterentur.

XXIII. Tridentina Synodus id perpendit, servatoque veteri ritu novam disciplinam invexit (3), jussitque promulgari in Ecclesia illorum nomina, qui Ordines exquirunt, ipsorumque conditionem, ætatem, familiam, ac mores a probatissimis viris investigari. Deinde præcipit Episcopis (4), ut eadem ipsi diligenter expendant, adhibito consilio Sacerdotum, virorumque præstantium, qui scientia divinarum legum, & sanctionum Ecclesiæ plurimum commendentur. Plura alia decreverunt Patres ejusdem Synodi, quæ Abelly in eum librum congessit, qui inscribitur: *Episcopalis sollicitudinis Enchiridion* (5). Ibi præsertim hæc monentur: *Cum autem, in amplis præsertim Diœcesibus, solus Episcopus eorum omnium, quæ ad Ordinationes prærequiruntur, pondus sustinere nequeat, tales sibi hoc in negotio coadjutores, & cooperatores adhibere debet, quibus plene confidere queat, hoc est, probos, peritos, expertos, ac prudentes, nec, quæ sua sunt, quærentes, sed quæ Jesu Christi.* Romæ anno 1719. probus Ecclesiasticus præclarum opus in lucem dedit, cui titulus: *De vita, atque officio Episcopi:* Quoniam (inquit ipse (6)) Episcopus fidem præstare aliis debet, nempe Ludimagistris, ac Parochis, cum Ordines conferendi sunt, ideo cognitum faciat omnibus nullam se in hoc negotio diligentiam, studium, operamque omittere velle; graviter objurget, qui negligenter se gesserint, gravius etiam illos puniat, qui fraudem aliquam moliuntur, nempe testimonia falsa proferunt, aut titulos Patrimonii simulant, ut Episcopum, si possint, in errorem adducant. Magnopere commendat idem auctor Episcopos, qui cœtum virorum instituerint Fide, ac probitate præstantium, ut merita ordinandorum accurato studio examinent. Illud postremo asserit haud satis esse, ut de ordinandis Episcopus recte judicet, quod ipsi ad breve, ac perfunctorium examen de more vocentur, & de ingenio, ac doctrina periculum faciant, cum fortasse illos nec Episcopus, neque Examinatores unquam viderint.

XXIV. Cœtum ejusmodi virorum statuimus, cum primum hanc Ecclesiam administrare cœpimus, & nos ipsi semper interfuimus; neque profecto desumus, cum Ordinandi de peractis studiis, ac doctrina examen subeunt. Plures super hac re Institutiones edidimus: Ac primum de Clericis Ecclesiæ addicendis, & de Ordinibus exercendis, priusquam ad reliquos gradus aditus pateat, multa disseruimus (7): de studiis suscipiendis ab iis, qui Ordines expetunt (8), ac de Interstitiis (9) pariter egimus. Pagellas imprimi jussimus, quibus Clerici Ecclesiæ adscripti, peractumque exercitium Ordinum certo probetur; aliam quoque adjunximus de ratione interrogandi Ordinandos, cum ipsorum ingenium, ac doctrina in examen revocantur. Die octava Aprilis anno 1732. ad omnes Vicarios Foraneos litteras Encyclicas dedimus, certamque normam, ut merita Ordinandorum tuto nobis indicarent. Nunquam eos nominavimus, qui circa mores Ordinandorum aliquid nobis aperuerunt, nec illis unquam Ordines contulimus, quos nec graviter, nec honeste vitam agere deprehendimus: *Verum* (inquit Vanespenius (10)) *quid ex his testimoniis securitatis ordinarie habere poterunt Episcopi? Apprime noverint, Præsides, aut Parochos esse tales, qui ejus sint eruditionis, prudentiæ, & pietatis, ut merito confidant, quod nullis hujusmodi testimonialibus sint daturi, nisi iis, quos sciant qualitates Ordinibus Sacris necessarias habere.* Ideo maximo, quo possumus, studio Vicarios Foraneos, ac Parochos hortamur, ne testimonia Ordinandis temere impertiant: ut Deum solum, non hominum gratiam, ac benevolentiam sibi ante oculos ponant, cum de virtute illorum testantur; ut eamdem sententiam ante, & post Ordinationem constanter habeant: atque, ut uno verbo complectamur omnia, ab illis summopere petimus, ne ullam fraudem nobis inferre velint. Rei gravitas, ac magnitudo, Sacerdotis dignitas, qua ipsi prædicti sunt, munus, quo funguntur, & jusjurandum, quo fidem polliciti sunt Episcopo Ordinanti, ac cæteris in ejus locum subrogandis, id postulare omnino videntur; ac postremo id maxime consentaneum est voluntati nostræ, qui Diœcesim affluere imperitis Sacerdotibus nunquam feremus. Quod si hanc diligentiam adhibitam nullus fructus consequetur, sed prava consuetudo magis in dies propagabitur, Ordinationes haud sine mœrore animi nostri intermittemus, & Summo Pontifici declarabimus fieri vix posse, ut fraudulenti in externo foro jure plectantur; nam dolus aperte ostendendus, qui Deo quidem manifestus, hominibus tamen ignotus plerumque efficitur; nullamque aliam rationem nobis exhiberi, ut mores Ordinandorum, & Ecclesiæ necessitatem percipiamus, nisi ejusmodi testimonia adhibeantur. Quamobrem, nisi aliud nobis præcipiatur, ad Ordines tantum illos suscipiemus, qui in Civitate versantur, quos bene cognoscere possumus, & Regulares, qui nullam in statuendo Patrimonio fraudem intermiscere possunt. Si de ipsorum Interstitiis agatur, non semel Sacri Concilii Congregatio respondit debere Episcopum ad sententiam, & fidem Præsidum Regularium conformari, uti nos alio loco demonstravimus (11). Insuper eadem Congregatio die 27. Aprilis 1595. illud etiam statuit (12): *Sacra &c. censuit, Regulares non comprehendi cap. 5. sess. 25. de Reformatione Concilii Tridentini, sed sufficere testimonium ab eorum Regularibus Superioribus allatum.* Neque pro examinandis Regularibus adeo solliciti sumus, uti fusius probavimus Institutione 23., nam certum fere habemus etiam post Ordines studiis operam daturos, quod affirmari nequit de Clericis sæcularibus, qui vix Altaris gradus contigerunt, studiis omnibus nuncium perpetuum mittunt.

XXV. Ultimo loco agendum superest de eleemosynis, quæ impendi debent juxta voluntatem offerentium; & quoniam non deest, qui *fingit laborem in præcepto*, aliqua superaddenda necessario existimamus. Consilia nostra super hac re probanda ab omnibus pro certo habemus, quæ rationi prorsus consentanea videbuntur. Metum deponent, ne virtutis opinionem apud populum amittant, quæ profecto nunquam magis concitari in animis solet, quam si de congestis eleemosynis aperta fronte ratio persolvatur, ut palam constet eas Parochorum commodo nequaquam tribui, sed piis operibus insumi, quemadmodum offerentes exigunt.

XXVI. Neque sane novum, aut insuetum videri debet, si queratur populus male impendi eleemosynas, & si aditus his corruptelis occludi velit, salva tamen, & integra probitatis laude, quæ Sacerdotibus convenit. Dimidiam sicli partem a singulis Judæis persolvi Deus imperaverat, quæ pretium animæ nuncupabatur, ut diuturnum, beatumque vitæ cursum obtinerent (13): *Media pars sicli offeretur Domino &c. ut sit monimentum eorum cordi Domino, & propitietur animabus eorum;*

---

(1) *Possidius cap.* 4. (2) *De veteri, & nova Ecclesiæ disciplina tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 5.
(3) *In cap.* 5. *sess.* 23. (4) *In cap.* 7. *ejusdem sess.* (5) *Cap.* 10. *sect.* 1. *in sess.* 4. (6) *Pag.* 71.
(7) *Institut.* 2. (8) *Institut.* 42. (9) *Institut.* 58. (10) *In suo Jure Ecclesiast. part.* 2. *tit. de Sacram. Ordinis cap.* 5. *num.* 34. (11) *Institut.* 58. (12) *Lib.* 8. *Decretorum pag.* 110. (13) *Exodi c.* 30. *v.* 13.

*rum*; tota hæc pecunia pro reſtaurando Templo conferri debebat. Cum Jojada Pontificatum gereret, cujus voce ſalutatus in Templo Rex fuit Joas, qui unice ſupererat ex Regali ſtirpe, juſſu, ac ſcelere Attaliæ penitus extincta, ſermo inter populum divulgari cœpit, eamdem pecuniam haud impertiri Templo, uti fuerat inſtitutum, novum conſilium, quod inferius explicabimus, initum fuit, ne locus in poſterum his querimoniis daretur. Interim Pontifex Jojada haud ſe laceſſitum, offenſumque queſtus eſt, dum Fides Levitarum, quibus ipſe præerat, in dubium revocaretur. Initio novæ Legis Apoſtoli diſtribuendis eleemoſynis Judæos præfecerant, qui veteres ritus, ac diſciplinam abjecerant, ut Chriſtum Dominum ſequerentur, cujus diſcipulis fortaſſe adſcripti fuerant, eique ſemper adhæſerant, dum adhuc vita fungeretur. Quare ſapientius hi Miniſtri deſignari non potuerant. Poſt celebrem illam concionem, qua Sanctus Petrus Judæos plures convertit in iis provinciis natos, ubi Græca lingua ſolum colebatur, graviter ipſi conqueſti ſunt, parce ſuis viduis, largius vero cæteris eleemoſynas dividi, qui Hebraice loquerentur. Tunc Apoſtoli partes, cauſamque diſcipulorum tuendam non ſuſceperunt, neque ullam ſibi injuriam fieri arbitrati ſunt, ſi munus diſtribuendæ inter Fideles pecuniæ aliis demandarent. Opportunum conſilium excogitarunt, quod Acta Apoſtolorum commemorant (1). Ibas non quidem Vicarius Foraneus, aut Parochus aliquis, ſed Edeſſæ Metropolitanus in judicium adductus fuit, tanquam infidus adminiſter pecuniæ, & ſupellectilis, quæ ad Eccleſiam pertinebat, uti ex Actis Concilii Calcedonenſis deprehenditur, in quibus etiam remedium huic corruptelæ adhibitum continetur, & occaſionem inde ſumptam intelligimus, ut lex generalis indiceretur, de qua paulo poſt ſermonem habebimus. Sed nemo colligere poteſt ex hiſtoria ejuſdem Concilii reliquos Metropolitanos, aut Epiſcopos id ægre tuliſſe, ſuamque dignitatem contemptam exiſtimaſſe. Nullus ex ipſis Ibam ſolum puniendum propoſuit, cæteris autem rationem habendam, qui tam nefarium crimen non admiſerant, ſed eleemoſynas, & Eccleſiæ ſupellectilem magna cum fide adminiſtraverant.

XXVII. Si Sacerdotes minime lædunt querimoniæ, quas populus ob collatas ipſis eleemoſynas diſſeminavit, eos minime lædet, ſi certo conſtet eaſdem eleemoſynas fideliter aſſervatas, ac deinde erogatas, uti Offerentes ſtatuerunt, neque hoc negotium in ſola fide eorumdem Sacerdotum eſſe collocatum. Sed conſilium Jojadæ Pontificis in medium proferamus, quo finem querimoniis impoſuit, uti ſuperius indicavimus (2): *Et tulit Jojada Pontifex Gazophylacium unum, aperuitque foramen deſuper, & poſuit illud juxta Altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo Sacerdotes, qui cuſtodiebant oſtia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini: cumque viderent nimiam pecuniam eſſe in Gazophylacio, aſcendebant Scriba Regis, & Pontifex, effundebantque, & numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in Domo Domini, & dabant eam juxta numerum, atque menſuram in manu eorum, qui præerant cæmentariis Domus Domini, qui impendebant eam in fabris lignorum & in cæmentariis iis, qui operabantur in Domo Domini*. Conſilium hoc pariter initum fuit a Synodo Calcedonenſi, ut querimonias in Ibam concitatas ſedaret: *Ut Eccleſiæ ſubſtantiam deinceps per OEconomos regeret* (3). Hinc dimanavit Canon. 26. ejuſdem Concilii, quem memorat etiam Gratianus (4), quo decernitur, ut Epiſcopi bona Eccleſiæ nullo tunc diſcrimine ſejungerentur: *Ut nec ſine teſtibus ſit Eccleſiæ miniſtratio, nec ideo res ejus diſſipentur, & probrum, ac dedecus Sacerdotio inuratur*.

XXVIII. Tunc igitur dignitas Sacerdotum in eo ſita non fuit, ut bona Eccleſiæ, eleemoſynas, & oblationes ſoli adminiſtrarent, ſed ut bona Eccleſiæ tradita, illibata fide cuſtodirent, alioſque teſtes adhiberent, ac Miniſtros, cum Eccleſiaſtici redditus inſumerentur: *Quo quidem* (de Œconomo loquitur Zonaras) *ea, Epiſcopi tamen ſententia, bona procurante, & quos in uſus Eccleſiaſtici redditus inſumantur, facile apparebit; nec erit, cur quiſpiam, in Eccleſiæ patrimonio diſſolutum Epiſcopum fuiſſe ſuſpicari queat &c. Qua quidem ex re cum Epiſcopi fides multitudini ſuſpecta eſſe conſueverit, tum offenſiones quoque populi, velut ex odio, nonnunquam ſpes ſatis excitantur*. Hæc omnia conſilium, quod inivimus, plene confirmant: nam iterato nobis querimoniæ delatæ fuerunt, & aliqui Parochi ingenue confeſſi ſunt pecuniam pro Sacris faciendis, cum Defunctorum Officia indicerentur, aut pro conſervandis meſſibus congeſtam, in apparandis epulis abſumi conſueviſſe. Quamobrem interdiximus ejuſmodi convivia; juſſimus deponi in Capſulis eleemoſynas, eaſque duabus clavibus cuſtodiri, nec ullam deſumi pecuniam, niſi præſentes adſint, qui claves eaſdem ſervandas acceperunt. Præcepimus etiam adnotari deſumptam pecuniam, ejuſque uſum alio libello deſcribi, rationemque accepti, & expenſi nobis quotannis exhiberi. Hæc omnia fuſius exponuntur Inſtitutione 54., cui pauca adjungimus, quæ in calce Decretorum ſignificabuntur.

XXIX. Quæ huc uſque diximus ſatis haberi poſſunt, ut perſpectum fiat, Sacerdotum dignitati nullas tenebras offundi, licet plura decreta pro ſervandis integre, & fideliter impendendis eleemoſynis, atque oblationibus promulgentur, nec ullum laicis aditum præberi, ut de fide Sacerdotum ſuſpicentur. Sed quoniam nonnulli recentioris ævi magis, quam antiquitatis exemplis delectantur illorum voluntati libentiſſime morem geremus. Tridentina Synodus mulctas irrogare Epiſcopo permittit (5) ea conditione, ut piis operibus inſumantur; illas tamen Epiſcopo tribui concedit, quæ jam ſancitæ ſunt a jure, vel a ſtatuto, non autem eas, quas Epiſcopus judicio ſuo imponit, ne forte ipſas augere magno ſtudio cupiat, ut divitiis cumuletur (6). Procul dubio Epiſcopi Vicariis Foraneis, & Parochis fama honeſtatis, & publicæ exiſtimationis ſe præferendos merito cenſebunt. Attamen nullus inter probos Epiſcopos invenietur, qui mulctam irrogans, Decretum ob eam rem non conficiat, in Acta Cancellariæ referendum, qui mulctarum Cuſtodem non habeat, qui poſtremo depoſitam pecuniam erogare pie conſtituens, mandatum non obſignet, quo mulctarum Cuſtos pecuniam depromat; quæ revera fieri magna diligentia conſueverunt, ut dati, acceptique omnis ratio palam oculis ſubjiciatur. Item Capitula in Metropolitanis, & Cathedralibus magna ſe honeſtatis laude prædita exiſtimant: tamen in illis Diœceſibus, ubi poſt mortem Epiſcopi bona vacantis Sedis adminiſtrant, rationem de acceptis, & expenſis novo Epiſcopo reddere juxta Tridentinam Synodum tenentur (7). Cuſtodes Regulares Sacrarii probitatem præſeferunt: tamen Urbanus VIII. hæc conſtituit in Decretis Generalibus, quæ deinde Innocentius XII. confirmavit: *Debeant ulterius Regulares prædicti omnes, & quaſcumque eleemoſynas tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium Miſſarum reponere in capſa particulari ſub duabus clavibus, quarum una penes ſuperiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de eiſdem eleemoſynis, & celebratione Miſſarum coram Patribus Diſcretis ſeu Conciliariis, vel alio ſimili modo nuncupatis, ſingulis menſibus diſtinctam rationem exigere, & reſpective reddere*. Inſuper Parochos, qui Eccleſiis in hac Diœceſi præfuerunt, cum Cardinalis Palæottus, & Cardinalis Jacobus Boncompagnus hanc Sedem obtinebant, probos, & innocentes fuiſſe nullo modo eſt dubitandum; tamen Cardinalis Palæottus hæc ſtatuit (8): *Eleemoſynam in capſula Societatis Sanctiſſimi Sacramenti, quam Parochus ad id paratam eſſe populum monet, reponet, quæ duabus clavibus occludatur, quarum unam Maſſarius, aliam Curatus teneat &c. Juſtum pretium in eadem capſula reponent &c. Eleemoſynas e capſula Parochus extrahet coram populo, & pecuniam totam numerabit, numerum in Libro Societatis annotabit*. Eiſdem legibus adminiſtratur Sodalitium Divini Sacramenti cum in hac Civitate, tum in Diœceſi univerſa, quas Cardinalis Boncompagnus promulgavit, eaſque nos approbavimus, & anno 1731. Typis imprimi curavimus (9).

XXX. Dum noſtras has litteras ad finem perducebamus, ſupplex libellus redditus nobis eſt, quo nonnulli Parochi, qui neque nominantur, neque obſignantur in eodem libello, fitentur ſe ob magnam in nos obſervantiam in cœtu nuper habito

(1) *Cap.* 6. (2) *Lib.* 4. *Regum cap.* 12. *v.* 9.
(3) *Lupus in Notis, in Concilia Generalia, & Provincialia tom.* 1. *primæ Editionis pag.* 856.
(4) *Diſtinct.* 89. (5) *Seſſ.* 25. *de Reformat. cap.* 3. (6) *Thomaſſinus de veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 10. *Fagnanus cap. Præsbyteri num.* 4. *& ſeq. de Pœnit. Monacellus in Formul. Legal. lib.* 1. *tit.* 1. *formul.* 13. *num.* 1. *& ſeq.* (7) *Seſſ.* 24. *cap.* 16. *de Reform.* (8) *In ſuo Archiepiſcopali pag.* 407. *part.* 5.
(9) *Pag.* 13.

bito sententiam suam minime dixisse; nunc autem libere sensus animi sui patefacere. Itaque declarant agricolarum naturam non ita nobis, sicuti Parochis cognitam, exploratamque esse. Quamobrem, ut propositum finem assequamur, satis esse existimant, si, dum piæ conciones ab Altari peraguntur, populo nota fiat omnis pecunia, quæ in capsulis continetur, si demum Parochi jurejurando testentur, quoties id postulabimus, eam pecuniam fideliter administratam, & eleemosynas, atque oblationes eo modo insumptas, quo offerentes requirebant.

XXXI. Ne sine responsione illos dimittamus, in usum receptum fuisse dicimus jusjurandum, cum Joiada, Apostoli, Patres Concilii Calcedonensis, ac Tridentini, Cardinales Pacecchus, & Boncompagnus, & Pontifices Urbanus VIII., & Innocentius XII. inter mortales agerent, & rerum potirentur, cum tamen ipsi jusjurandum interponi noluerint, ab eorum exemplis recedendum nobis non est, ut hoc novum amplectamur. Fatemur sine mores agrestium haud multum nobis esse perspectos; hominum tamen indolem, & naturam diuturna experientia satis cognovisse, inter quos Vicarii Foranei, Parochi, & Agrestes etiam adnumerantur. Fatebimur etiam majorem, ac meliorem vitæ partem Romæ traduxisse in exercendis judiciis, quæ primariis Tribunalibus adscribuntur, atque illud cum Plinio usurpare merito posse, *Nos, qui in Foro, litibusque trivimus ætatem, multum maliti æ, quamvis noluerimus, didicimus*, Hæc habuimus, quæ vobis significaremus &c.

## INSTITUTIO LXXIII.

*De Effigie S. Crucis, atque Sanctorum, quæ in muris Domorum pingi solent. Hoc institutum esse commendandum, & probari ab Ecclesia. Non licere juxta Sac. Canones, & leges Civiles, ac patissimum statuta peculiaria hujus Urbis, Crucem, vel Sanctorum Imagines coloribus exprimere in locis immundis Civitatis. Norma præscribitur, ob quam decenter Sacræ Imagines habeantur.*

I. LAude quidem dignissimum est, atque ad pietatem excitandam valde accommodatum, si non solum in Templis, sed etiam in Compitis, Beatæ Virginis Effigies, vel Sanctorum, aut Sanctissimæ Crucis exponantur; tamen haud ferendum, ac veræ pietati, ac Religioni contrarium prorsus est, si vilissimis in locis, & sordibus hominum palam defigatis eædem effigies proponantur.

II. Pater Franciscus Amatus Pouget hanc quæstionem exhibet: (1) *Probatne Ecclesia, an tolerat solum usum hunc multi in locis celebrem, ut in vicorum angulis, & Urbium compitis sculptæ Beatæ Mariæ Virginis, cæterorumque Sanctorum Imagines collocentur?*

III. Deinde hoc facto respondet: *Hunc usum Ecclesia non præcipit quidem, sed nec reprehendit: immo probat, utpote nihil habens alienum a fidei, & morum regula.*

IV. Sanctus Carolus Boromæus disciplinæ Ecclesiasticæ restaurator Episcopos hortatur, ut hoc pium institutum promoveant (2): *Illud curet, ut hoc Sacrosanctæ Crucis Insigne vel ligno, vel lapide, vel, ubi commode per facultates fieri potest, marmore expressum in Urbe, & Diœcesi sua, ubi trivia frequentiora sunt, publice proponatur, atque erigatur, quo crebrius perspecta ex Sacræ Crucis Arbore, Fideles sese erigant tum ad Summi Mysterii in ea peracti gratam memoriam, tum ad veram illam gloriam, ad quam, Christo Duce, Populus fidelis, qui Populus est acquisitionis, contendere debet.*

V. Hæc monenda fuerant de Sacris Imaginibus, quæ in compitis Civitatis collocari solent; nunc de injuria, & contemptu agendum superest, quo Sacræ Imagines immundissimis locis statuuntur. Itaque certissimum est id gravissime prohiberi humanis legibus, quas jus Pontificium magnopere probat, & amplectitur, exemplis etiam virorum dignitate præstantium, Conciliis, & omnium Theologorum sententiis, qui de hac re scripserunt, ac tandem peculiaribus hujus Urbis statutis.

VI. Et quidem inter humanas leges celeberrima est, quam Theodosius, ac Valentinianus promulgarunt, ac deinde Justinianus Imperator in suum Codicem retulit, ubi sub hoc titulo unica proponitur: *Nemini licere signum Salvatoris Christi*; sic autem decernitur: *Cum sit nobis cura diligens, per omnia Superni Numinis Religionem tueri, signum Salvatoris Christi nemini licere vel in sola, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere, sed quocumque reperitur, tolli, gravissima pœna mulctando eum, qui contrarium statutis nostris tentaverit, specialiter imperamus.*

VII. Hanc Legem Sacri Canones sibi adoptarunt; nam in veteri Concilio Trullano Canone 73. ita sancitum fuit: *Crucis figuras, quæ a nonnullis in solo, ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoriæ nobis tropæum injuria afficiatur.* Ex eadem lege Petrus Crinitus vir impius vocabulum *humi* penitus abstulit, ut falsam opinionem suam confirmaret, ob quam Signum Crucis minime adorandum disseminavit. Sed Cardinalis Perronius fraudem magna cum laude patefecit, hominique nefario vehementer dolum exprobravit (3).

VIII. Inter virorum Principum exempla merito prædicatur, quod de Tiberio Augusto memoriæ proditum fuit (4): *Deambulans per Palatium vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua Crux Dominica erat insculpta, & ait: Crucem tuam, Domine, frontem nostram munimus, & pectora, & ecce eam sub pedibus conculcamus: & dicto citius jussit eam auferri.*

IX. Inter Concilia tertium Provinciale adduci debet, quod Sanctus Carolus Mediolani celebravit. In ipso post allatam superius sententiam hæc adduntur: *Quod præterea alias sancitum est, id pro sacrosanctæ Crucis Cultu, & Veneratione servari Episcopus jubeat, ut ne ea humi exprimatur, neve sordidis, & aliqua labe inquinatis locis.* Idem Sanctus Carolus alio loco sic habet (5): *Cruces, & Jesu Christi Nomina, aliæque Sacræ Imagines terræ insculptæ, aut in loco indecoro depictæ, saltem intra mensem inde auferantur.*

X. Si quis autem Theologorum opiniones intelligere velit, Sylvestrum (6), Tabienam (7), & Graphium percurrat (8), nec Raymundum Cassinam ex Ordine Sancti Dominici prætermittat, quem magnopere commendat Pater Jacobus Echardus (9). Ille quidem enumeratis Decretis, ne Crucis Signum humi, vel in pavimentis insculpatur, id posterorum memoria dignum tradit: *Ex quo patet, quam recte olim fecerim, removendo Crucem quamdam ferri in summitate muri affixam in occisi ibi hominis indicium, quæ certis temporibus, sole ea percutiente, reddebat humi in via publica ad nos pertinente aliam Crucem, quæ a prætereuntibus perfundabatur. Removi, inquam, ut Sanctissimum Signum, qualecumque esset, a tali injuria vindicarem, licet aliqui parum hæc percipientes id deriderent.* Qui denique Juriperitos expendere cupiat, Tortum ipsis proponimus (10), & Raynaldum, qui legem explicans a Theodosio, & Valentiniano confectam, uti dictum est, atque ea potissimum verba: *gravissima pœna*, hæc scribit, *pœnam in dicto Textu indictam, esse mortem*, subjicitque graviter juxta puniendos eos, *qui pingunt, vel pingere faciunt Cruces, vel Sanctos ad pedem parietum in carreriis lutosis, & fœtidis, ne gentes ibidem mingant: nam, non obstante consuetudine, debent puniri tam qui pingunt, quam qui pingere faciunt, aut picturas non delent, & tollunt* (11).

XI. Verum ad peculiares hujus Civitatis leges super hac re sermonem convertamus: Cardinalis Benedictus Justinianus Bononiensis de Latere Legatus inter cætera hæc mandavit: *Præcipit, ut nemo audeat pingere, seu pictum retinere in extrema parietum cujusvis ædificii parte signum Crucis, aut effigies Dei, Beatæ Virginis, aut alicujus Sancti; ne populus ad eum locum mingat, vel ob aliam hujusmodi causam.* Idem sancitur in Synodo Cardinalis Jacobi Boncompagni Decessoris nostri: *Amoveantur Cruces ab immundis locis, nec audeat quis easdem pingere in infimo pariete ad avertendam plebem a lotio, sive a sordidis egerendis.* Id pariter confirmatum ab ipso fuit die 17. Octobris an. 1727., cum Parochis eamdem legem indixit.

XII. Cum hæc ita se habeant, Sacras Imagines in porticibus, ac parietibus domorum collocari summopere commendamus, & singulos hortamur, ut debitum honorem, cultumque illis persolvant, quem valde imminutum non sine animi nostri

(1) *In suis Cathol. Institution. tom. 2. pag. 944. edit. Parisiensis anno 1725.* (2) *In suo tertio Concil. Provinc. Mediolanen. inter Acta illius Eccl. tom. 1. edit. Lugdunen. pag. 74.* (3) *In Colloquiis apud Fontem Bellaqueum habitis.* (4) *S. Gregorius Epist. Turonen. lib. 5. cap. 19.* (5) *Pag. 700. lib. superius allati.* (6) *In verbo Imagines num. 5.* (7) *Eodem verbo num. 2.* (8) *In Decis. aureis lib. 2. cap. 2. num. 16.* (9) *In Cathalogo Script. Dominic. tom. 2. p. 622. In sua Catechesi mystagogica Regularium pag. 398.* (10) *Ad Statuta Papiæ, in libro Criminali tit. Mingentes in Ecclesia majori rubr. 48. In suis Oper. Criminal. tom. 1. pag. 103. num. 2. & seq.*
(11) *Pag. 104. num. 18. & 19.* (12) *Lib. 1. cap. 7.*

noſtri mœrore perſpicimus, ſi ſuperiora tempora cum recentioribus conferantur.

XIII. Signum vero Crucis in parietibus externis Templorum pingi concedimus, ut lotum, aliæque populi ſordes ab eodem loco amoveantur: attamen altius a terra pingatur, ne fortaſſe Divinum hoc Signum inquinetur, ſi aliquis imprudenter ad eoſdem parietes accedat, ea ejecturus, quæ ibi peragenda non ſunt.

XIV. Signum tamen Crucis, quod muris externis, vel interioribus domorum appingitur ob eamdem cauſam, non ob ullam pietatem; quod facile ex loco, ubi collocatur, & non ſemel ex verbis deprehenditur, quæ circa ipſum Crucis Signum inſcribuntur, penitus obliterari intra menſis ſpatium ab hac die præcipimus; nec ullus in poſterum audeat id facere; nam Diviniſſimo Crucis Signo Fideles uti nequaquam debent, ut a muris privatarum ædium ſordes arceant, cum præſertim populus reipſa non impediatur, ne ſordes ipſas egerat, cum neceſſitas impellit. Præterea non viliſſima ſolum habentur loca, in quibus Crucis ſigna pinguntur, ſed aliquando Crucis Inſigne (de quo ſcripſit Sanctus Hieronymus (1): *Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli Salvatoris pictura conſecrat*) turpiter objicitur, vel etiam abjectiſſimis humanæ naturæ ſordibus ſubjicitur.

XV. Nonnulli pietatis ſtudio adducti contemptum ejuſmodi nobis expoſuerunt, quorum voluntati morem gerentes has litteras edidimus. Nullam pœnam illis infligimus, qui non paruerint; etenim neminem inventum iri putamus, qui hæc juſſa detrectet; ſed pietas, ac religio facile omnibus perſuadebit, ut abſque timore pœnæ illa exequantur. Si tamen has paternas hortationes contemni videbimus, quod futurum non arbitramur, auctoritate noſtra pervicaces coercebimus.

## INSTITUTIO LXXIV.

*De ſolemni Feſto S. Petronii, ac de ſupplicationibus conſuetis, in quibus Sacrum ipſius Caput circumfertur. De Inventione Corporis S. Petronii; ac de genuinis actis, quibus res ab illo geſtæ ad nos pervenerunt. De cauſis, ob quas pietas, ac religio in ipſum magis augeatur.*

I. DIE IV. Octobris de more celebratur Feſtum S. Petronii Epiſcopi Bononienſis, cujus patrocinio, ac tutela hæc Civitas, ac Diœceſis commendantur. In pervigilio ejuſdem celebritatis, nempe tertia die Octobris, Sacrum illius Caput a templo Sancti Stephani ad *illud Sancti Petronii* ſolemni ſupplicatione indicta transferetur; peractis deinde Veſperis die quarta Octobris Sacrum Caput eadem pompa in priſtinum locum reſtituetur, ut fieri quotannis conſuevit.

II. Exploratum eſt omnibus, binas ſupplicationes, quas modo commemoravimus, opera, ſtudio, ac pietate Thomæ Vaccarii Sacerdotis plurimum ſplendoris ſemper accepiſſe; cum tamen ille vitæ curſum abſolverit, nec alius in ipſius locum ſubrogatus fuerit, nos ipſi per has litteras, ne Sancti Petronii cultus imminuatur, magnopere hortamur Sodalitates omnes, alioſque privatos Cives, qui ſuperiori tempore his ſupplicationibus non defuerunt, & pompam intorticia præferentes ſecuti ſunt, hortamur, inquam, ne in poſterum hoc pietatis Inſtitutum deſerant, ſed eamdem ſemper religionem, ac modeſtiam oſtendant, quæ maximum rebus ſacris affert ornamentum.

III. Ita profecto exempla majorum imitabimur. Nam licet publicæ pietatis erga Sanctum Petronium vetuſtiſſima documenta non ſuppetant, cum deceſſerit quinto ſæculo, ejuſque Corpus in Baſilica Sancti Stephani conditum fuerit, quam ille a fundamentis excitaverat, nec ullum ſuperfuerit monumentum loci, in quo Sacræ ipſius Reliquiæ depoſitæ fuerant, tamen anno 1141. ſingulari Dei beneficio Sacrum Corpus e tenebris emerſit, quibus tamdiu delituerat, cum Innocentius II. Pontificatum, & Henricus ſedem hujus Civitatis tenerent. Tunc vero Civium animi tanto ſtudio, ac pietate incenſi ſunt erga Sanctum Epiſcopum, Parentemque amantiſſimum, ut publicis etiam ſignis illam teſtarentur. Nam Baſilicam ipſi maximo ſumptu nuncuparunt, quæ inter præclariſſima Italiæ delubra merito adnumeratur; ſupplicationes ad ipſius honorem frequenter inſtituerunt, cultumque aſſiduum, ac peculiarem illi perſolverunt; quippe dies certa propoſita fuit, qua ſolemni honore memoriam ipſius celebrarent, & proprium Officium, ac Miſſam cum octava impetrarunt. Hæc non modo commemorant rerum noſtrarum Scriptores, ſed exteri pariter, qui ſevero judicio vetuſtatis monumenta diſquirunt (2).

IV. Ut pietatis ſtudium erga Sanctum Petronium augeatur, cum exemplis majorum noſtrorum eximiam ipſius Sanctitatem conjungemus, ac præclara beneficia, ac prodigia, quibus Deus hanc Civitatem, Diœceſim, populum, & nos omnes ob Sancti Petronii merita cumulavit. Hæc tamen ſilentio præteribimus, cum plenæ ſint hiſtoriæ, & noſtri Annales, & ſæpius diſertorum virorum piis Concionibus ipſa prædicentur.

V. De ipſius tamen ſanctitate pauca verba nobis facienda ſunt, quamvis ſatis eſſe poſſit teſtimonium Sancti Eucherii, qui Sancto Petronio coævus fuit, ac de ipſius integritate hæc poſterorum memoriæ commendavit (3): *Hilarius nuper, & in Italia nunc Antiſtes Petronius, ambo ex illa pleniſſima (ut ejunt) mundanæ poteſtatis Sede, unus in Religionis, alius in Sacerdotii nomen aſcendit.* Illud tamen Sanctiſſimi Epiſcopi virtutem magis declarat, quod plures annos piis exercitationibus impendit, & priuſquam in Italiam veniret, amore incredibili ſolitudinis adductus, paternæ domus commodis, ac deliciis poſthabitis in deſerta loca Thebaidos, atque Ægypti (ubi pluries aperta vitæ diſcrimina ſubiit) ſe contulit, ut celebertimos Anachoretas inviſeret, cum quibus integerrime verſatus eſt, ipſorumque exemplis acriores ſtimulos ad exercendam pœnitentiam, & jucundiſſimas rerum Divinarum contemplationes ſibi comparavit. Hæc profecto ſingularem Petronii ſanctitatem certiſſimis documentis patefaciunt. Ob eam cauſam Gennadius, qui vixit ſæculo quinto, hæc de Petronio tradidit (4): *Petronius Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir ſanctæ vitæ.* Porro, ſi hæc Gennadii ſententia Sancti Eucherii verbis ſuperius allatis adjungatur, apertiſſimum de ſumma virtute, ac probitate Sancti Petronii teſtimonium conficietur. Nam graviſſimi illi Scriptores, & Petronio coævi eo tempore ſcripta tradiderunt, quo judicium de rebus certum, rectumque ferre conſueverunt, neque laudes, aut criminationes temere, & inconſulto impertiri (5).

VI. Qui Sancti Petronii res geſtas in lucem ediderunt, vitæ rationem, quam in Ægypto, ac Thebaide duxit, haud multum commemorant, neque profecto Sacros Oratores de hoc differentes unquam audivimus. Qui tamen hanc cognitionem expetunt, librum percurrant, qui inſcribitur: *de vita, ac rebus geſtis Monachorum Ægypti*, cujus Auctorem nonnulli Sanctum Petronium exiſtimant.

VII. Id quidem inficiatur Roſweydus (6), nec ſpernenda profert argumenta. Gennadius autem (7) rem dubiis proponit: *Petronius Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopus, Vir ſanctæ Vitæ, & in Monachorum ſtudiis ab adoleſcentia exercitatus, ſcripſiſſe putatur Vitas Patrum Monachorum Ægypti, quas velut ſpeculum, & normam profeſſionis ſuæ Monachi amplectantur.* Aubertus quoque Miræus hæc ſubdit (8): *ſed quandoquidem Gennadius dicat: putatur ſcripſiſſe: non omnino certum eſt, eum Vitas ſcripſiſſe.*

VIII. Procul dubio Gennadius librum ſecundum intelligit: *de rebus geſtis Patrum*, quem Sanctus Hieronymus Rufino pro certo adſcribit. Sed quoniam certiſſimum eſt eum librum a Rufino confectum fuiſſe alterius nomine, cujus etiam itinera, & virtutes memorat; ideo non immerito affirmari poteſt ex eodem libro deprehendi, & cognoſci præclara ſanctitatis monimenta, quæ Petronius in Ægypto, ac Thebaide reliquit. (9) Nam ille, cujus itinera, reſque geſtas Rufinus deſcribit, nonniſi Sanctus Petronius fuiſſe judicatur.

IX. De his monendus fuerat populus hujus Civitatis, ac Diœceſis, cujus gerimus curam, ut pietatem retineret erga hunc Sanctiſſimum Epiſcopum, in cujus præſidio, ac tutela hæc Civitas acquieſcit, non modo cum binæ ſupplicationes, quas expoſuimus, publice indicentur, ſed, ut aliis quoque temporibus debitos honores illi perſolvat.

IN-

(1) *In Epiſtola ad Letam.* (2) *Tillemont. tom. 15. Operum ſuorum pag. 35. Baillet. in vitis Sanctorum dum refert vitam S. Petronii.* (3) *In Epiſtola ſua paræneticа de contemptu Mundi, & Sæcularis Philoſophiæ.*
(4) *In Lib. de Viris Illuſtribus.* (5) *Tillemont. in loco ſuperius allato.* (6) *In ſuo Prolegom. 4. 5. 7.*
(7) *Loco ſuperius allato.* (8) *In Scholiis ad Gennadium.* (9) *Tillemont. in loco allato.*

## INSTITUTIO LXXV.

*De Eleemosynis, quæ a Græcis expostulari solent. De summo studio, ac diligentia, quam semper contulerant Romani Pontifices, ut Schismaticos ad bonum consilium traducerent. Quam magnam perniciem, ac damnum ipsi Schismatici intulerint Catholicis in Oriente. Quam male impenderent ipsi eleemosynas, quas in his Provinciis congesserunt. Qua de causa vetitum fuerit illis tradere eleemosynas; & quibusnam tribuendæ sint illæ, quæ jam congestæ fuerunt.*

I. UNiversis cognitum est odium, quod a Michaele Cerulario in Græcos Orientales Schismaticos dimanavit contra Apostolicam Sedem, ac Fideles in Occidente, qui arctissimo Fidei vinculo ipsi conjunguntur. Non semel etiam ostenderunt se paratos esse finem dissidiis imponere, & aliquando rebus cum Romano Pontifice compositis, iterum defeciverunt; illud pariter certissimum est Turcarum præsidio ipsos abstulisse loca Palæstinæ veteri Religione consecrata, quæ Sedes Apostolica Regularibus Franciscanis custodienda tradiderat, & amantissimi Salvatoris monumentum, quod singulari prodigio inter tot clades, & excidia Civitatis Hierusalem integrum ab omni discrimine vindicatum fuerat (1). Cum hæc ita se habeant, tamen Romani Pontifices nihil intentatum reliquerunt, ut errantem hanc gregis partem ad ovile revocarent. Ipsi quoque Pontifices eximiam in eosdem Græcos benevolentiam testari nunquam omiserunt, quæ eo devenit, ut per Judices Sedis Apostolicæ sæpius declaraverint Alexandri III. Decretum in Concilio Lateranensi (2) in eos, qui Christianos mercatores in servitutem abriperent, aut illos mercibus spoliarent, ad Græcos, licet Schismaticos, pariter extendi, ne ipsi in itineribus aliqua molestia vexarentur (3). Eorum tamen audacia limites omnes excessit, uti ex hoc Decreto Innocentii [illegible] deprehenditur (4): *Cum Sancta Loca Hierosolymitana, quibus Verbum Caro factum est, & nostræ reparationis Mysteria, Deo miserante, completa sunt, hactenus adzinistrationi, & custodiæ Fratribus Sancti Francisci de Observantia a Sancta Sede Apostolica commissa, nuperrime bisce diebus a Græcis Schismaticis, subornatis Aulæ Turcicæ Ministris, de manu dictorum Fratrum Sancti Francisci, summo Latinorum dedecore usurpata sint, iis præcipue subsidiis, quæ ex Fidelium Christianorum elecmosynis iidem Græci perceperunt.* Post hæc audent frequenter in Italiam se conferre, ut magna pecuniæ subsidia congerant, eam causam adducentes, ut se incolumes ab immanitate Turcarum tueantur, aut Templa igni, ferroque devastata restaurent. Litteras proferunt, quibus dissidium, erroresque abjecisse coram Episcopis, vel Inquisitoribus testantur. Deinde, cum revertuntur in patriam, peractam Fidei Confessionem abrogare non dubitant, & Fidelium pietati illudere, qui eos pecunia liberaliter cumularunt. Comparandi sane videntur Peregrino veteri Philosopho, de quo tradit Lucianus, simulata Christianorum Religione, graves itinerum expensas ab illis obtinuisse, congestaque ingenti pecunia ob fallacia semper artificia, & fidelium pietatem, cum postremo in carcerem truderetur, illud usurpare solitum fuisse: *Satis sibi in hospitalitate Christianorum.* Quamobrem Romani Pontifices huic malo consulendum censuerunt. Innocentius XI. Græcis interdixit has eleemosynas petere, & singulis Episcopis præcepit, ut traditas Græcis facultates ob eam causam auferrent, & Romam mitterent ad Sacram Congregationem *de Propaganda Fide*, licet a Viris quavis dignitate præstantibus obsignatæ essent, vel ab ipsa Sacra Congregatione, nisi forte abrogatum in illis hoc Pontificis Decretum indicaretur, & post ipsum Decretum editum facultates obsignatæ cognoscerentur. Alexander VIII. die 25. Octobris anno 1690. Decretum ejusmodi probavit, & Clemens XII. die 25. Martii anno 1636. id confirmavit, & Litteras simul Apostolicas, quas in forma Brevis Alexander VIII. promulgaverat. Illud pariter addidit congestas a Græcis eleemosynas, si forte aliquæ depositæ inveniantur, ad sequestrum deferri oportere, ac deinde ad Sacram Congregationem *de Propaganda Fide* mitti, quæ illas eo modo impendet, quem utiliorem judicabit. Eadem Sacra Congregatio litteras ad nos dedit mense Septembri nuper elapso, quibus Decreta ejusmodi Pontificum observanda magno studio commendat, eorumque memoriam in nostra Cancellaria retineri jubet. Tandem præcipit, ut eadem Decreta non solum Civitati, sed etiam toti Diœcesi perspecta faciamus, ob quam causam has litteras evulgavimus.

## INSTITUTIO LXXVI.

*Epistola Encyclica Archipresbyteris, Vicariis Foraneis, & Parochis Diœcesanis. De Choreis; Utrum natura sua culpæ obnoxiæ sint. An illis Laicus interesse possit sine ullo crimine. Quænam pœnæ præscribantur viris Ecclesiasticis, qui saltationes ducere non erubescunt.*

I. NON parum dubitavimus, utrum quæ his litteris concludimus, magis explicanda forent publico Decreto, quod deinde consuetis locis figeretur; an vero simplex edictum promulgandum esset, quod nullam voluntatis, consiliique nostri rationem patefaceret; an tandem edicto hujusmodi litteræ adjungendæ forent, quæ Typis editæ haud mediocriter adjuvant eos, qui litteras scribunt, & eos simul, qui litteras easdem accipiunt. Primum igitur improbavimus, ex quo præclara de charissimo Clero nostro virtutis opinio valde labefactatur, cum perpauci solum adnotandi sint. Secundum pariter abjecimus consilium, ex quo sufficiens malo remedium nequaquam adhibetur. Tertium elegimus, quo nempe indicatur, quid faciendum sit, & per adjunctas litteris rationes explicantur, & impedimenta omnia de medio tolluntur, quibus aliqui Sacros Canones, ac præstantium Theologorum sententias parvi facientes vivendi licentiam misere tuentur. Cum hæc deliberamus, exemplum fortissimi Martyris, & Episcopi Sancti Cypriani imitamur, qui causam, ac negotium suscipiens a nostro parum dissimile, librum *de spectaculis* populo suo inscripsit, eumque initio sic alloquitur: *Quamvis ego certus sim, vos non minus esse in vitæ actu graves, quam in Sacramento Fideles: tamen, quoniam non desunt vitiorum assertores blandi, & indulgentes patroni, qui præstant vitiis auctoritatem &c. & eo usque enervatus est Ecclesiasticæ disciplinæ vigor, & ita in omni languore vitiorum præcipitatur in pejus, ut jam non vitiis excusatio, sed auctoritas detur, placuit paucis vos nunc non instruere, sed instructos admonere, ne quia male sunt vincta vulnera, sanitatis obductæ perrumpant cicatricem.* Librum *de spectaculis* Sancto Cypriano tribuimus; tametsi non ignoramus plurimorum opinionem, qui illud magni æstimant, sed Cypriano adscribendum non arbitrantur. Nos autem sapientium Virorum sententiam amplectimur, inter quos Cardinalis Baronius, Jacobus Pamelius, Petrus Faber, Jacobus Sirmondus, Desiderius Eraldus, Cardinalis Bellarminus, ac Stephanus Baluzius enumerantur, qui librum eumdem *de spectaculis* non modo vetustissimum, & omni laude commendandum, sed Cyprianum illius Auctorem putant.

II. Sed ad rem veniamus, quam agendam suscepimus. Cum anno superiori Bacchanalia permissa essent, delatum nobis fuit aliquos ex Clericis Sacris Ordinibus initiatos, & Sacerdotes etiam nostræ Diœcesis publicis Choreis interfuisse, & saltationes pariter exercuisse; Parochos vero nonnullos Choreis non modo indulsisse, sed etiam locum in propria sede præbuisse, ubi viri cum mulieribus saltationes instituerent. Aliqui inter ipsos pœnas scelere suo dignas non dederunt, non quod innocentes haberentur, sed quod ipsorum crimen satis aperte demonstrari non potuit: cæteros, quibus indignum facinus occultare non contigit, in Urbem accivimus, & graviter objurgatos debitis etiam pœnis affecimus. Tunc aliqui non quidem ob nequitiam, sed ignoranter, aut imperite nimiam severitatem nobis objecerunt, quod Clericos majoribus Ordinibus præditos, Sacerdotes, & Parochos pœnis ejusmodi corrigendos putaremus, qui Choreis operam dederant, licet mulie-

(1) *Lib. 2. de Hist. Polemica Schismatis Græcorum scripta a Card. Cozza part. 4. c. 25. num. 1041.*

(2) *In cap. Excommun. de Raptoribus.*

(3) *In Thesauro de Pœnis Ecclesiast. part. 2. in verbo Schisma §. 4. Card. Albitius de Inconstantia in Fide cap. 10. num. 41. sub §. vigore tamen: Pignatellus Consult. 99. tom. 8.*

(4) *In Generali Congregat. de Propagan. Fide habita coram ipso die 29. Januarii anno 1677.*

lieres quoque admiscerentur. Choreas, ajebant, nullam ex se crimenis labem, aut maculam inurere, præsertim Bacchanalium tempore, cum singuli homines remissionem aliquam sibi concedere jure possint; *Pudor me tenet* (cum Cypriano exclamamus) *præscriptiones eorum in hac causa, & patrocinia referre*. Quamobrem jam tum cogitavimus aliquid super hac re in lucem proferre, cum præsens occasio id requireret; ideoque imminentibus rursum Bacchanalibus has litteras exarandas censuimus, quibus ostendemus, primum Choreas cum scelere reipsa plerumque conjungi, licet in se nihil nefarii contineant: Secundo ad Sacerdotes pertinere, ac potissimum ad Parochos, virorum, ac mulierum oculis subjicere magnum innocentiæ discrimen, dum simul in Choreis versantur. Tertio, licet ejusmodi saltationes aliquando sine ullo crimine exerceantur, non ideo tamen Clericis, Sacerdotibus, ac præsertim Parochis convenire. Quarto tandem, Bacchanalium dies haud ipsis Choreas permittere. Quæ omnia, si clare probentur, neminem fore putamus, qui nos reprehendat ob nimiam severitatem superioris anni, aut edictum vituperet, tanquam inhumanum, quod his litteris adjungimus, & proxime futuris Bacchanalibus, & in posterum perpetuo servandum præcipimus.

III. Scriptores Theologiæ Moralis unanimi sententia affirmant, nullum crimen admittere, qui Choreis indulget. Bartholomæus Fumus inter vetustiores id apertissime docuit (1): *Choreas ducere ex suo genere peccatum non est*. Idem tradit Azorius (2): *Primo quæritur, an Choreæ sint damnandæ, ut peccata mortalia? Respondeo ex communi opinione omnium, quas jam retuli, non esse damnandas, ut peccata mortalia quoniam ex se illicitæ non sunt. Sed tantum ex mala intentione, aut abusu, aut ex probabili periculo libidinis in aliquo, aut ex aliqua alia circumstantia*. E contrario Sancti Patres Choreas criminibus obnoxias, & implicatas exclamant: *Ubi Cytharæ* (inquit S. Ephraem (3)) *& Choreæ, ibi vitiorum tenebræ, mulierum perditio, Angelorum tristitia, diaboli festum*. Sanctus autem Basilius (4) asserit in mulierum saltationibus corporis, aut animæ integritatem amitti: *Quod si nonnullæ peccatum corpore effugerunt, omnes tamen animo depravatæ, atque inquinatæ sunt*. Qui diligentius hanc rem perscrutari velit, Sanctum Ambrosium (5) inter Latinos Doctores, & Sanctum Joannem Chrysostomum (6) inter Græcos expendat. Quantum vero adversentur in hoc recentioribus Theologis sapientiores Christianæ Ethices Magistri, liquido apparet ex Balthasare Francolino (7), qui hos ita loquentes inducit: *Omnes tam Latini, quam Græci Doctores Choreas damnant tanquam delictum Deo graviter invisum &c. Vestri tamen Casuistæ recentiores gravem in eis fœditatem ineste, negant. Num hoc etiam est illud, quod pertinet ad solam veterem disciplinam, & nostro tempori non congruit, ut paulo ante dicebas? Ita profecto nostro tempori virtutes non congruunt, sed sola vitia; & Patres fuere suorum temporum Doctores, non autem nostrorum. Puto quod hæc dicturus sis, quid enim aliud respondere possis, non video*. Omissis tamen omnibus, quæ graviter, sapienterque subdit Francolinus numero 33., concordiam afferamus, qua Pater Segneri Theologos simul, & SS. Patres jure merito conjungit (8): *Ajunt Theologi saltationibus nullam sceleris fœditatem ineste, quod verum est; nam ipsarum naturam solum considerant. SS. Patres agunt de iis, quæ ab iisdem saltationibus consequuntur, & vehementer illas improbant, quia in extremam perniciem fideles adducunt. Hoc pacto hæ sententiæ, quæ contrariæ videntur, simul conciliari queunt. Ambæ quidem, diversa tamen ratione veritati consentaneæ sunt. Peccatum sane non admittit, qui ad Choreas pergit, periculum tamen subit innocentiæ, quæ inter saltandum accidere consueverunt; tum quippe libidinis flamma magis incenditur, animæque excidium facilius inducit, quod profecto Theologi non inficiantur; imo SS. Patres tunc sequuntur, affirmantes, Choreas ob ejusmodi periculum criminibus graviter obnoxias*.

IV. Cardinalis quoque Bellarminus, cum in Belgio sermonem haberet, Choreas eadem de causa magno studio infestatus fuit: *De Choreis* (inquit) *tantum dicam unum verbum, atque ideo potissimum, quod intelligam, nonnullis non videri hoc verum malum, & sciam, Lovanii esse publicas scholas, ubi docetur ars tripudiorum. Sed ego profecto, si adulterium, & fornicatio est malum, videre non possum, quomodo virgo cum fœminis tripudiare non sit malum; cum ad hoc illud maxime provocet &c. Tu ad calorem adolescentiæ addes calorem potationis, deinde ibis, & redibis, cantabis, saltabis cum puellis, & ego nihil mali suspicabor?* Idem docet Sanctus Carolus Borromæus (9), qui Choreas nuncupat *offensionum & peccatorum Seminaria*. Postremo in eadem opinione versatur S. Franciscus Salesius, qui (10) postquam asseruit Choreas natura sua neque bonum, neque malum præseferre; deinde recentem, vulgaramque saltandi consuetudinem periculi, ac detrimenti plenam esse; tandem ante oculos ponit, quæ a Fidelibus necessario adhibenda sunt, ut sese, tueantur, si ob aliquam honestam causam in hoc discrimen saltandi pertrahantur. Id fusius explicavimus alio loco (11), ubi S. Francisci doctrinam plene commemoravimus.

V. Esto igitur, nulla insit Choreis turpitudo, si illas inspiciamus, tanquam facultatem aliquam, ob quam certa lege, & veluti ad numerum, sonitumque pedes moveantur. Illud quoque concedatur, virtutem aliquando cum Choreis implicitam contineri, quemadmodum cum Maria Soror Aaronis reliquas mulieres excitavit, ut secum una cantibus, Choreisque indulgerent: *Quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare*; idem ferme de Davide Rege sacræ litteræ commemorant: *Cumque introisset Arca Domini in Civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram vidit Regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino* (12): non hujus tamen generis, ac naturæ saltationes nunc instituuntur; ob aliam causam, rationemque fiunt. Saltationes, quæ ex se criminosæ nequaquam sunt, sine crimine non peragantur. Pudor, & castimonia in aperto discrimine versantur. Tot denique pericula occurrunt, quæ ante oculos exponemus, non quidem ab Anachoreta descripta, vel a severiori Theologo, aut aliquo Concionatore, qui res amplificare soleat, sed a Francisco Petrarcha, qui in Dialogo 24. de Choreis hæc scripta reliquit. *Non tam ibi delectatio præsens est, quam speratæ delectationis auspicium. Veneris præludium illud quidem sunt stupidas, ac miserias circumducere, atque urgere, & stringere, ac specie urbanitatis attingere, liberæ ibi manus, liberi oculi, liberæ volant voces, pedum strepitus, & multorum cantus dissoni, & tubarum clangor, conversatio, & pulvis, & quæ sæpe ludis additur, hostis pudicitiæ, & amica scelerum nox ipsa; hæc sunt, quæ timorem ac pudorem pellunt; hi sunt libidinum stimuli, hæc laxamenta licentiæ*; tandem ob easdem periculi causas Corradus Clingius Theologus ex Ordine Sancti Franciscí hæc monuit (12): *Chorea mundana est circulus, cujus centrum est Diabolus, & circumferentia Angeli ejus circumstantes, & ideo raro, aut nunquam sine peccato fit*. Cum hæc ita sint, quis unquam inficiabitur, Choreas, licet natura sua minime pravas, a scelere tamen raro sejungi? Si id verum est, quis in dubium revocabit spectare ad Sacerdotes, ac potissimum Parochos, ut Fideles intelligant, quibus periculis implicentur, dum viri cum mulieribus una Choreas ducunt? Sacerdotibus quidem Episcopus, cum ipsos ad eam dignitatem extollit, divinam gratiam implorat: *Ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod crediderint doceant*. Deinde hæc pariter subdit Episcopus: *Cæteraque virtutes in se ostendant, exemplo præbeant, admonitione confirment*. Parochis autem Tridentina Synodus indicit, ut diebus Dominicis, aliisque Festis conciones ad populum habeant (13): *Docendo, ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant*. Parochi in Patavina Diœcesi hanc veritatem penitus attigerunt, cum sæpius

---

(1) *In Summa Aurea, cui titulus est Armilla, verbo Choreæ.*
(2) *In suis Institution ib. Moralib. part. 3. lib. 3. cap. 36. quæst. 1.*
(3) *De Ludis fugiendis.* (4) *In Orat. 8. de Temperantia, & Incontinentia.*
(5) *In lib. 3. de Virginibus.* (6) *In Homil. 3. de Davide.*
(7) *In lib. Clericus Romanus colum. 7. disp. 7.* (8) *In suo lib. cui titulus est Christianus Instructus part. 3. serm. 29. sub num. 2.* (9) *In Actis Eccl. Mediolanensis.*
(10) *In l. Instit. ad vitam piam, ac devotam suscipiendam cap. 33. & 34.*
(11) *Instit. XIV.* (12) *In Exodo c. 15. lib. 2. Regum c. 6.* (13) *In suo Catechismo Catholico lib. 4. cap. 14.*

pius in cœtum coacti de graviſſimis harum ſaltationum detrimentis agentes, rationem excogitarunt, ut a ſuis parochiis illas prorſus eliminarent (1).

VI. Nonnulli Subdiaconi ſuo munere ſatis perfunctos ſe exiſtimant, ſi uxorem non ducant, Clericalem habitum deferant, & Canonicas horas ſingulis diebus perſolvant. Id etiam Diaconi ſibi ſufficere arbitrantur. Sacerdotes autem ſi Sacrum faciunt; Parochi vero, ſi ſedibus ſuis immorentur, & Sacramentis adminiſtrandis præſto ſint, nihil amplius ab ſe requirendum falſo judicant. Illud etiam ſine criminis labe ſibi concedendum putant, quod in laicis minime reprehenditur. Secum animo perpendunt laicos aliquos ad Choreas convenire, ipſaſque exercere innocenter poſſe; hinc ſibi facilius perſuadent, ſe, licet ſacris Ordinibus, & cura animarum præditi ſint, nullum crimen admittere, ſi Choreis interſint, ſi cum reliquis etiam ſaltent, & domi ſuæ ſaltandi locum exhibeant. Sed omittimus libidinis periculum, ad quam facile viri, ac mulieres incitantur, uti modo dictum fuit, cum ſimul Choreis indulgent; omittimus ea, quæ tradidit P. Francolinus, de quibus ſuperius mentionem fecimus, qui hoc pacto reſpondet accuſantibus recentes Theologos, quod Patrum Eccleſiæ doctrinam abiecerint, cum de Choreis quæſtiones inſtituunt: *Quod ut intelligas tandem, & inſultare amplius non poſſis, inſtituunt ne Patres citati has quæſtiones? an omnes Choreæ inter ejuſdem ſexus perſonas ad ſaltandum tempus ducta; an ſemper ſint illicitæ, quæ exercentur inter perſonas diverſi ſexus? an quæ licite per ſe ſunt, exerceri ab omnibus, aut in omni loco poſſint? Has certe quæſtiones non inſtituunt Patres, ut faciunt Theologi Morales, ſed invehuntur in choreas utique: non in omnes, alioquin peccaſſet David, animo ſimul & corpore ante Arcam exultans: ergo ſolum in aliquas. Ita profecto explicandi ſunt, quamvis non diſtinguant. At quis Caſuiſtarum omnes abſolvit? Quis non fere omnes, quæ miſcentur a perſonis diverſi ſexus damnavit?* His omiſſis illud ſolum inquirimus, an reipſa ſine labe tribui poſſint ſacris Ordinibus initiatis, ac Parochis ea, quæ laicis abſque ulla criminis nota permittuntur? Id enim nobis omnino falſum videtur. Siquidem laicus in quolibet Foro cauſas agere poteſt, nec ullam ex eo culpam, ſed virtutis meritum conſequitur. Idem contingit, ſi medicinam, aut Chirurgi facultatem meritum exerceat. Item merces commutare, venatione qualibet tempus inſumere, & alia plura laicis quidem, non vero Eccleſiaſticis ſine ulla peccati macula conceduntur.

VII. Si nos tantum hanc ſententiam tueremur, parum roboris certe haberet, nam tenuitatem ingenii noſtri ſatis intelligimus, ſed certiſſimum eſt nullos Scriptores ab hac opinione abiecos unquam fuiſſe. Id clare oſtendemus, ſed cujus teſtimonio, mox aperte conſtabit, cum de Choreis ipſis ſermo habetur: *Quia enim* (inquit S. Thomas (2)) *impoſſibile eſt ſemper agere in vita activa, & contemplativa, ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia ſeveritate fraugatur, & ut homo promptius vacet ad opera virtutum, & ſi tali fine fiat de ludis cum aliis circumſtantiis, erit actus virtutis, & poterit eſſe meritorius, ſi gratia informetur. Iſtæ autem circumſtantiæ videntur in ludo choreali obſervandæ, ut non ſit perſona indecens, ſicut Clericus, vel Religioſus, ut ſit tempore lætitiæ, ut liberationis gratia, vel in nuptiis, & hujuſmodi, ut fiat cum honeſtis perſonis, & cum honeſto cantu; & quod geſtus non ſint nimis laſcivi, & ſi quæ hujuſmodi ſunt. Si autem fiant ad provocandam laſciviam, & ſecundum laſciviam, & ſecundum alias circumſtantias; conſtat, quod actus vitioſus eſt.* S. Antoninus (3) cauſas enumerans, ob quas criminoſæ fiunt ſaltationes, hæc docuit: *Tertia cauſa eſt ſumpta ex officio perſonæ, ſicut Clericis interdicitur venatio, & alii ludi, quia in ſortem Domini electi aliis exercitiis debent occupari &c. Tertio quod fiat a perſonis ſæcularibus, nam Monialibus, Monachis, & Clericis, propter quod debent in aliis occupari, omnem Choream puto illicitam.* Item poſtquam improbavit graviter ſui temporis conſuetudinem, ut in Eccleſiis ruralibus feſti Sanctorum dies choreis celebrarentur, de ipſis ita judicat: *Videtur eſſe magis mortale, quam veniale.* Extremo hæc ſubjicit: *Cum autem a Clericis, vel Religioſis fit inter ſe, non in præſentia laicorum, ex quodam ſolatio etſi levitate*, eſt peccatum, *non tamen mortale.*

VIII. Idem tradunt Fumus, Azorius, Francolinus, & Macan (4), quos ſuperius nominavimus, aliique plurimi. Sed quod permovere magis debet, eamdem legem proponit Eccleſia (5): *His igitur lege Patrum cavetur, ut a vulgari vita ſecluſi; a mundi voluptatibus ſe ſe abſtineant; non ſpectaculis, non pompis interſint;* de Clericis ſermo eſt (6): *Non oportet, Miniſtros Altaris, vel quoslibet Clericos ſpectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut in ſcænis exhibentur, intereſſe.* Tridentinum vero Concilium (7) abrogata qualibet contraria conſuetudine veteres Canones, ac Decreta renovat *De luxu, conceſſationibus, Choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, nec non ſæcularibus negotiis fugiendis.* Inſuper Sanctus Carolus Borromæus hæc quoque decernit (8): *Clerici perſonati non incedent, Choreas privatas, aut publicas non agent, nec ſpectabunt.* Sanctus Franciſcus Saleſius pœnam ſuſpenſionis infligit Sacerdotibus, qui ſaltationes inibunt (9). Deceſſores noſtri rem eamdem ſuis Synodis, Decretiſque ſanxerunt. Poſtremo eadem docentur a Sede Apoſtolica, fidei, morumque magiſtra, uti colligitur ex Decretis Sacrarum Congregationum, quarum voce ſuas declarat ſententias: *Interdicet ergo Epiſcopus ipſiſmet Clericis Choreas præfatas agere, ducere, vel dirigere, in quibus fœminæ ſaltent. Porro conſtitutis in Sacris prohiberi poteſt, ut Choreas cum fœminis agant &c. & cunctis Clericis Choreas ducere, vel in iiſdem ſonare &c. Quin immo & Clericis prohiberi poteſt, ne Choreas permittant fieri, & idem de ſpectaculis, acque comœdiis, in ſuis ædibus Eccleſiaſticis, Canonicalibus, Parochialibus, ſeu aliter Beneficialibus, deputatis, pro domicilio Beneficiati; & hoc etiamſi talia fierent nomine conſanguineorum ibidem ſecum cohabitantium.* Hæc deſumpta fuerunt ex ſententiis Sacrarum Congregationum, quas accurato ſtudio congeſtas Braſchius in lucem promulgavit (10). De his etiam nos ipſi teſtes ſumus: nam a Secretis adlecti fuimus in ea Congregatione, quæ habita eſt anno 1722., cum Synodus Baptiſtelli Fulginatis Epiſcopi in examen adducta fuit: Decretum illius Congregationis idem Braſchius commemorat. At vero, licet Canones ſuper hac re nihil ſtatuiſſent; licet etiam veteres, recenteſque Theologi de ſententia, de qua verba facimus, nullam diſputationem peregiſſent, quis rationis ipſius naturalis lumine non intelligat graviſſimam populo offenſionem præberi, dum Sacerdotes, ac Parochi ſaltationibus indulgent? Id facilius, & clarius ex doctrina Sancti Thomæ deprehenditur (11): *Ad quartum dicendum, quod dictum alterius poteſt eſſe dupliciter alteri cauſa peccandi: uno modo per ſe, alio modo per accidens. Per ſe quidem, quando aliquis ſuo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel etiamſi ipſe hoc non intendat, ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quod ſit inductivum ad peccandum, puta, cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati; & tunc ille, qui hujuſmodi actum facit, proprie dat occaſionem ruinæ: unde vocatur ſcandalum activum.* Exploratum eſt omnibus, Sacerdotum mores laicorum oculis ita obſervari, ut ex ipſis vitæ exempla deſumantur: *In eos* (monet Tridentina Synodus (12)) *tanquam in ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur*, qui ſibi licere maximo jure putant ea, quæ gerunt Eccleſiaſtici: *In te omnium* (ait Sanctus Hieronymus (13)) *oculi diriguntur: domus tua, & converſatio tua quaſi in ſpecula conſtituta, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ. Quidquid feceris, id ſibi omnes faciendum putant. Cave, ne committas, quod, aut qui reprehendere volunt, digne laceraſſe videantur, aut qui imitari, cogantur derelinquere.* Cum igitur offenſiones, atque innocentiæ diſcrimina frequenter inter Choreas objiciantur, an commentitium aliquod fingi dicendum eſt, quod ipſarum cauſa ad Pœnitentiæ Sa-

(1) *Clericat. Vicarius im deciſ. 4. num. 9. & deciſ. 18. num. 6.*
(2) *In cap. 3. Iſaiæ.* (3) *In ſumma par. 3. tit. 6. cap. 6. de Choreis.*
(4) *In Horto Paſtorum tom. 3. num. §. 6. peccant.* (5) *Can. His igitur diſt. 23.*
(6) *Can Non oportet, de Conſecratione diſt. 5.* (7) *Seſſ. 22. cap. 5. de Reformatione.*
(8) *In primo Concilio Provinciali part. 2. tom. 1. in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis editionis Lugdunenſis pag. 18.*
(9) *In ſuis ſtatutis ſynodalibus part. 3. tit. 4.*
(10) *In Promptuario ſynodali capit. 99. a n. 5. uſque ad n. 8.*
(11) *22. quæſt. 42. artic. 1.* (12) *Seſſ. 22. cap. 1. de Reformatione.*
(13) *In epiſtola 3. ad Heliodorum.*

Sacramentum aliquis accedere debeat, & quod Parochus ab Altari piis Concionibus, magnaque contentione ejusmodi Choreas compescere teneatur? Tunc vero, ut ingenue loquamur, quem fructum Sacerdos, aut Parochus ferre queat, dum Choreas, quibus ipsimet induserunt, improbare contendant? *Quomodo enim potest observari a populo, qui nihil habet secretum a populo, dispar a multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? Si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat? Si quæ in se erubescit, in te quem reverendum arbitratur, offendat* (1)? Si Ecclesiasticus a saltationibus abstineat, easque improbet, populum facilius commovebit: *Bene vivendo, & bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere* (2). Si contrarium Ecclesiasticus egerit, tunc, *Bene autem docendo, & male vivendo, Deum instruis, quomodo te debeat condemnare*. Quamobrem Joannes Gerson, cum de Choreis disserit (3), hæc sapienter exponit: *Videndum est, si per aspectum suum, vel assistentiam videatur dare audaciam, & approbationem dissolutioni, est periculum peccati, & abstinendum. Sic debent facere Prælati, Curati, & Religiosi*.

IX. At vero Bacchanalium tempore, inquiet aliquis, saltationes improbari tanta severitate non oportet. Responderi facile posset hoc temporum discrimen neque a Sacris Canonibus, aut Patribus, aut Theologis indicari; rationes autem, quas nuper exposuimus, ejus generis esse, ut omne tempus complectantur. Sed his omissis petimus ab iis, qui hoc discrimen temporum intercedere putant; an Bacchanalium licentiam, institutum, & causas intelligant, ob quas a Magistratibus permittuntur? An etiam noverint Bacchanalium consuetudinem ab Ecclesia dissimulari? Postremo, an pro certo teneant Bacchanalia nullum pondus, aut momentum habere, ut patrata crimina apud Divinum Judicem excusentur? Gratianus Amerinus Episcopus, qui non minus ob tot ingenii monimenta, quam ob pietatem eximie commendatur, Bacchanalium dies sic exponit (4): *Hos ipsos publicæ amentiæ dies carnevalia appellamus. Quo tempore nequius, corruptiusque excogitari nihil potest, nihil, quod magis omnium flagitiorum licentiæ sit imlutum; cum homines alioquin minime leves, minimeque impuri a se alienum nihil putent, quod a modestia, gravitate, honestate, alienissimum sit*. Cœlius Rhodiginus eruditione celebris ineptias enumerat, quas accolæ Ponti, aliæque gentes in Bacchi honorem instituere solebant; deinde ita subdit: *Dicas, inde Italicas carnisprivii debacchationes prorepsisse*. Magistratus autem Bacchanalium dies indulgent ob eam causam, quam Cassiodorus explicat: *Hæc nos fovemus necessitate populorum &c. Expedit interdum desipere, ut possimus populi desiderata gaudia continere* (5). Ecclesia, uti dictum est, Bacchanalium instaurationem dissimulat; nam ipsa lugubres, tristesque dies inter Septuagesimam. Fidelibus proponit, illosque insani homines in risum, licentiamque converterunt: *Adeo nos* (inquit idem Gratianus) *pravæ pervertit consuetudo, ut Septuagesimam inter, & Quadragesimam interjecti dies, quos Sancta Mater Ecclesia magno mysterio veluti lugubres, funebresque habet, prævalent lasciviæ, risus, hilaritatis amor, non in lætitiam solum inconditumque gaudium verterit, sed pene communi cuidam insaniæ dedicaverit*. De hac re fusius alio loco sermonem egimus (6). Memoria dignissimum est, quod Krantzius tradit de Ludovico Archiepiscopo Magdeburgensi (7): *Ad dies* (inquit) *solutos carnisprivii vocabat: Archiepiscopus in primis Choreis inerat*. Tunc repente: *Apparuit ignis in camera*: & dum ille cum cæteris fugam arripere properabat *concidit gradus lapideus, cui imminebant; ruebant una plusquam trecenti homines utriusque sexus; ex omnibus læsus est nemo, præter Archiepiscopum, & tres alios; ille delatus in domum postera die spiritum efflavit*. Funestissimam hanc Archiepiscopi mortem Paulus Langius etiam commemorat (8): *Mortuus, non ut Episcopus, non ut Sacerdos, sed velut histrio vanus, & vir sæculo deditus; mortuus, inquam, non in atrio, sed theatro, non in loco sacro, sed profano, non in Ecclesia, sed in Chorea*. Idem scribit Raynaldus (9), qui cum eodem Paulo Langio S. Gregorii sententiam refert, nempe toties morte dignos esse Pastores animarum, quoties vitæ suæ prava exempla posteritati relinquunt.

X. Hæc sane monenda fuerant, ut rem propositam accurate prosequeremur, ac ne muneri Apostolico deesse videremur. Illud tantum superest, ut percurras omnia, sedulogue expendas, quæ his litteris continentur. Nostrum est conciones habere, gregem instituere, quod perfici datis in lucem litteris majori cum fructu non immerito confidimus. Quare, si illas legere, si expositam disciplinam suscipere aliquis prætermittat, judicium de nobis, ac de sacris Concionatoribus a Deo ferendum eodem modo speramus. Nam frequenter contigit, ut populus ad concionem invitatus convenire negligat, aut animo alieno sit, dum Concionator verba facit, ut etiam somno indulgeat, aut nullum ad virtutem stimulum inde concipiat; ex hoc tamen Concionatoris merita non imminuuntur, omnisque culpa solum auditoribus tribuitur. Promulgabis ab Altari, & figendum consuetis locis curabis Edictum, quod his litteris adjungimus; universis declarabis illud nos consilium cœpisse, ut, Concionatoris insignibus depositis, Episcopi Auctoritatem in illos exerceamus, qui jussa facere recusaverint. Postremo tibi, populoque tuo Benedictionem nostram impertimus.

## INSTITUTIO LXXVII.

*De vino, quod in Missis celebrandis adhibetur. De veteri Ecclesiæ disciplina in eo seligendo, ac diligenter expurgando. De accusationibus illatis in eos, qui vinum parum conveniens suppeditarunt. Quæ vini species ad Sacrum conficiendum inepta videatur. De vino, quod* medium & longum *nuncupatur. De vino communi. Quodnam hoc nomine significetur in hac Diœcesi. Tutiorem opinionem tenendam esse in hac re, ne gravetur conscientia.*

I. MAjores nostri vinum optimum pro Sacrificio Missæ seligebant, quemadmodum ex Innocentio III. deprehenditur (10): *Diligenti studio*, inquit, *vinum optimum quærendum est*. Illud quoque ex historiarum Scriptoribus proditum fuit, Ecclesiis tribui consuevisse quasdam vineas, *ut ex illis optimum vinum fieret in usum Sacrificii* (11). In Officio Sancti Wenceslai Bohemiæ Regis illud memoria dignum commendatur, quod: *Sacerdos veneratus, suis manibus triticum ferebat, & vinum exprimebat, quibus in Missæ Sacrificio uterentur* (12). In more positum quoque fuit, ut Diaconus in Calicem subjectum vinum infunderet per colum, aut cocleare minutissimis foraminibus elaboratum, ne aliquid impuri cum vino admisceretur. Id aperte colligitur ex *Ord. Rom. vi. ap. Mabillon.*, & ex aliquibus argenteis colis ejusmodi, quæ servantur in Musæo Marci Antonii Sabbatini Civis nostri, qui superiori tempore Romæ decessit. Illorum formam tabulis expressit Blanchinus, cum suas Interpretationes ad vitam S. Urbani Pontificis in lucem promulgavit (13). Tandem Sacrarii Custodes in judicium vocari non consueverunt, si in Missæ Sacrificio vitioso vino Sacerdotes uterentur, sed Episcopus, & etiam Metropolitanus reus statuebantur, si hæc ipsi cognita, malum tamen negligenter dissimulassent. Id suoexemplo confirmavit Ibas Edessæ Archiepiscopus, qui in Ephesino Concilio accusatus fuit; *Quia, dum memoria fieret Sanctorum Martyrum, non est datum vinum ad Sacrificium Altaris, ad sanctificationem, & populi distributionem, nisi admodum exiguum, & vitiosum, ac lutosum, & quasi eo tempore vindemiatum &c. & hæc acta sunt, conscio, & admonito eo, qui potestatem ministeriorum habebat, cui & dictum est, ut & ipse admoneret Episcopum cum fiducia: & cum nihil fecisset, illo tempore coacti sumus nos & ipsum Reverendissimum Episcopum rursus admonere, & cum didicisset, haud permotus est, sed contempsit; ita ut multi nostræ Civitatis hinc scandalizarentur*. Christianus Lupus hoc vetustatis exemplum perpendens, ita scriptum reliquit (14): *Hodie frequenter melius*

---

(1) S. *Ambrosius lib.* 2. *Epist.* 20. (2) *Auctor operis imperfecti in Matthæum Homilia* 42.
(3) *In suo sermone Dominicæ* 3. *Adventus tom.* 3. *ultimæ editionis Antuerpien. pag.* 923.
(4) *In Synodo habita anno* 1595. (5) *Cardinal. Baronius ann. Christi* 509. *n.* 5. *& anno Christi* 523. *n.* 1., *& 2.*
(6) *Instit. XIV.* (7) *Anno Domini* 1382. (8) *In suis Chronicis.*
(9) *Anno Christi* 1352. *num.* 31. *& anno Christi* 1382. *num.* 28.
(10) *Lib.* 4. *cap.* 30. *Mysterior. Missæ.* (11) *Flodoardus lib.* 1. *de Historia Rhemensi cap.* 18.
(12) *In proprio Officio.* (13) *Tom.* 2. *Anastasii fol.* 178.
(14) *In notis ad Concil' General. & Provincialia tom.* 1. *primæ edition. pag.* 480.

*ja gulæ ad mensam profanam, Deo ad Divinam damus vina viliora; neque tamen, quod pejus, punimur, aut accusamur.* In hac autem Civitate, ac Diœcesi non viliora tantum vina Missæ Sacrificio tribuuntur, sed etiam subacida tempore æstivo, ac deinde tenuissima hyberno tempore, quibus uti non liceret in re Divina conficienda, vel magnopere indecorum est. Id nobis incredibile visum fuisset, nisi Sacerdotes vitæ probitate, ac doctrinæ laude præstantes certum rei testimonium attulissent.

II. Quamobrem Apostolico muneri, quo fungimur, deesse plurimum videremur, si hanc corruptelam penitus extinguere negligeremus; ac primum de subacido vino verba faciamus, quod etsi ad conficiendam Sanguinis consecrationem satis esse non ignoramus; tamen præcipimus, ne illud in Civitate, ac Diœcesi, dum Sacrum agitur, quisquam adhibeat, ob eam causam, quod indecora res est, nec criminis labe carere potest. *Dicendum, quod vinum* (inquit Sanctus Thomas (1)) *fit acetum per corruptionem: unde non fit reditus de aceto in vinum; & ideo sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc Sacramentum, ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut & de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.* Hujus doctrinæ fundamento innititur Missalis Rubrica, quæ sic decernit: *Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre &c. conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.* Ille solum Sacerdos culpa immunis, & vacuus declaratur, qui sacrum facere debeat, nec tamen commutandi vini potestatem habeat, quod Regularibus contingit. Tunc enim (nisi vinum corruptum penitus fuerit, sed acescere solum incœperit) in Præsides omnis culpa confertur, aut in Ministros, qui vinum pro Missæ Sacrificio suppeditare tenebantur. Ita sentiunt Quartus (2), ac recens Consultor Sacrorum Rituum Congregationi Pater Meratus (3), qui Gavanti (4) opus explicavit, commentariisque exornavit.

III. Sed ad vinum tenue, seu vappam sermonem convertamus, quæ nempe ita conficitur; expressis uvis vinum ex vale detrahitur; racemi solum cum exiguo musto relinquuntur, ut simul per horas viginti quatuor ebulliant, quibus magna aquæ copia superinfunditur, ita ut musti partem plurimum eruperet; hoc vini genus, quod latini *loram*, seu *loream* appellant (5), pro Calicis consecratione idoneum non judicatur; ideoque illud non adhiberi jubemus in civitate, ac diœcesi in sacris conficiendis.

IV. In hac sententia Theologi omnes versantur: *Non potest confici Eucharistia* (inquit Silvester (6)) *ex vappa, seu aquarello, quia non est vinum, sed aqua infusa super acinos uvarum habens aliquantulum vini acumen.* Suarez autem hæc tradit (7); *hic vero dubitari potest de illo vino, quod dicitur* lora, *Hispanice* aguapie, *quia illud non ex uvis, sed, postquam jam uvæ sunt expressæ, illis miscetur aliqua quantitas aquæ, ex qua mixtione fit hujusmodi vinum: unde non videtur habere substantiam vini, sed aliquam ejus similitudinem:* Post hæc subdit, *materiam* plerumque in consecratione Calicis non reperiri. Salmanticenses quoque Theologi (8) idem docuerunt: *Quomodo dissolvenda sit quæstio de* lora, *sive acinaceo, Hispanice* aguapie, *aut* vinada &c. *Conficitur namque lora ex solis uvis expressis: sed, postquam uvæ expressæ jam sunt, admiscetur illis quantitas aquæ, ex qua mixtione procedit liquor ille. Et quia magis communiter admiscetur magna quantitas aquæ respectu parvæ, aut nullius substantiæ vini, quæ remanet ex uvis jam expressis; ideo, si loquamur juxta ea, quæ magis communiter contingunt, prædictus liquor non est vere vinum, nec proinde materia consecrabilis.* Cardinalis de Lugo, qui Sacrarum Congregationum sententias apprime noverat (9), hoc pacto scripsit: *Infertur secundo, loram non esse materiam validam, quia non est vinum, sed aqua infusa in racemis expressis, seu in acinis.* Cardinalis Laurea, qui vitam impendit Sacris Congregationibus: *Aquaticum*, inquit (10), *quod vulgo dicitur* acquaticcio, *non est materia sufficiens pro consecratione Calicis, quia* aquaticum *prædictum non est vinum: vinum enim est liquor ex uvis expressus; sed aquaticum illud est mera aqua corticibus uvarum expressis superinfusa: nam aqua modico vino admixta, &, ut ita dicam, vinata, non vinum, sed aqua dicitur.* Pater Patterinus, qui ingenii sui monumenta Romæ dedit, & Ordinis Sancti Dominici Procuratorem Generalem egit (11): *Quid dicendum est,* inquit, *de lora, quæ apud nos dicitur* acquaticcio &c.? *De lora igitur loquendo, vel tanta est quantitas aquæ, ut certum sit, non salvari substantiam vini, licet aliquam ejus consuetudinem habeat: & ita lora satis communiter fit; & hoc modo certum est, quod tale vinum nec est vinum, nec potest valide consecrari.* Idem habet Pater Cotton (12): *Et ego addo, quod lora, seu vappa ex aqua, cui acini uvæ per aliquod tempus immersi fuerint, non est materia consecrabilis.* Bonacina pariter hæc docet (13): *Adde loram, quæ Mediolani vocatur* posca, *Romæ appellatur* acquato, *non esse materiam Eucharistiæ sufficientem; nam hujusmodi vinum, seu potus, majori ex parte conficitur ex aqua: consequenter non est vinum ex vite, sed quid tertium, vel potius aqua vino temperata, nam mixta sequuntur naturam prædominantis.* In eamdem opinionem Gonnet (14), Leander (15), Rosignolius (16), & Quartus (17) conveniunt. Pater autem Meratus hæc superaddit (18): *Rursus vinum illud, seu potius liquor ex uvis secundo, aut tertio compressis, magna aquæ copia superinfusa, & vocari solet lora, non est materia apta ad hanc consecrationem, quia tametsi aliquem præseferat saporem, & odorem vini, ob nimiam tamen aquæ copiam, & ob vini paucitatem, quæ reperitur in talibus uvis, nullo modo credibile est, habere speciem vini, sed esse vel naturæ aquæ, aut alicujus tertiæ substantiæ.*

V. Aliud etiam vini genus conficitur, quod *longum* nuncupatur, cum nempe vinum post uvas expressas secluditur, relictaque musti majori copia tantum aquæ superadditur, quæ musti vel adæquet, vel etiam superet: aliquando parum vini veteris etiam admiscetur, quod Vincentius Tanara Civis nostrer advertit (19). Itaque vinum ejusmodi e Sacris prorsus amovendum præcipimus; tum, ne lora fraudulenter apponatur loco hujus vini, quod modo explicavimus; tum, quod Scriptores omnes affirmant, rem Divinam confici hoc vino non licere, nisi aperta necessitas exposcat.

VI. *De vineta* (inquit Bartholomæus Fumus (20)) *multum adaquata non potest confici Eucharistia, quia vinum non est. Secus, quando parum esset de aqua, ita quod non mutasset speciem vini. Non tamen liceret, nisi cum aliud non posset haberi.* Suarez etiam, quem superius nominavimus, de lora sermonem faciens hæc tradit (21): *Judicandum de illo erit juxta majorem, vel minorem expressionem uvarum, & quantitatem aquæ, ex quarum rerum mixtione liquor fit, ut dixi; semper tamen erit grave sacrilegium in hac materia conficere propter dubium, & irreverentiam.* Eodem pacto differunt Salmanticenses (22): *Quolibet autem modo lora fiat: si autem uvæ non fuerint valde expressæ, & quantitas aquæ illis infusa modica sit, peccatum erit illa uti ad consecrationem, quia vel est materia dubia, vel saltem minus pura, & decens.* Idem probat Passerinus (23): *Vel dubium est, an ex admixtione soluta fuerit vini substantia & corrupta; & in hoc casu, cum dubius etiam sit valor Consecrationis, peccatum magnum est uti hoc vino in Consecratione: vel tertio certum est, tam exiguam aquam admixtam fuisse, ut vere dissoluta non sit substantia vini, sed illud sic admixtum certe sit vinum simpliciter;*

---

(1) *Part. 3. quæst. 74. art. 5. ad secundum.* (2) *Ad Rubricas Missalis lib. 3. tit. 4. dub. 12.*
(3) *In libro impresso hoc anno 1737. Romæ.* (4) *Part. 2. tom. 1. pag. 745. num. 14.* (5) *Plin. & Varro.*
(6) *In summa in verbo Eucharistia primo n. 4.* (7) *In 3. part. Divi Thomæ t. 3. quæst. 74. art. 8. disp. 45. sect. 1.*
(8) *In tract. 23. de Eucharistia disput. 9. dub. 21. p. 117. n. 38.* (9) *De Sacramento Eucharistiæ disp. 4. sect. 1. n. 9.*
(10) *Tom. 1. in 5. sent. disput. 18. art. 3. de materia Eucharistiæ pag. 470. & 472.*
(11) *In suis Commentariis pag. 3. Divi Thomæ quæst. 74. art. 5. comm. 7. nu. 10.* (12) *In suis Controversiis lib. 2. de Sacramentis controv. 4. cap. 1. num. 18.* (13) *Operum tom. 1. disput. 2. quæst. 2. punct. 2. num. 7.*
(14) *Tom. 5. disput. 3. de materia Eucharistiæ art. 2. pag. 224.* (15) *Operum tom. 1. part. 2. tract. 7. de Eucharistia disput. 8. quæst. 29.* (16) *Tom. 15. de Eucharistia quæst. 4. de materia art. 2. num. 5.*
(17) *Ad rubricas Missal. part. 3. tit. 4. dub. 4.* (18) *In loco superius allato pag. 744.*
(19) *In lib. 7. de Oeconomia Civis in Villa, qui Venetiis editus fuit anno 1713. pag. 49.*
(20) *In sua Summa antiqua verbo Eucharistia num. 9.* (21) *In loco allato.*
(22) *In loco superius allato.* (23) *In loco allato.*

*ter; & tale vinum est materia sufficiens, cum sit proprie vinum. Non tamen est conveniens materia, & est peccatum sine necessitate uti tali vino ob irreverentiam Sacramenti, in cujus Consecratione impura materia adhibetur, & imperfecta.* Idem habet Castropalaus (1): *Lora, Hispanice* aguapie, *quod ex uvis jam expressis mixta aqua conficitur, nullatenus est materia Consecrationis, ut communiter fit, quia non est vinum, sed aqua temperata; erit tamen, si in minima quantitate id contingat. Illud certum est esse grave peccatum in ea consecrare.* Postremo Filliuccius eamdem docet sententiam (2): *Si tamen pars aquæ admisceretur, & ex uvis expressis multum etiam substantiæ vini conferretur in hujusmodi mixtum, posset esse apta materia. In dubio autem esset peccatum grave in ea consecrare.*

VII. Quamobrem constituimus, ut primum vinum, quocumque alia inferioris notæ secluso, in consecratione solum adhibeatur; nam licet aquæ plurimum admisceatur, dum primum hoc vinum exprimitur, vini tamen natura retinetur, & communi hujus Civitatis, ac Diœcesis usu verum vinum habetur, quod ita Passerinus exponit (3): *Si tantum aquæ adhibeatur, quantum communiter juxta morem patriæ adhiberi solet, ad hoc ut melius decoquatur, vel conservetur, nullum peccatum incurretur ex usu talis vini in consecratione.* In examen nequaquam adducimus rei causam a Passerino excogitatam, nempe: *Talis enim quantitas parva est, & in vinum convertitur.* Alteram quidem rationem, quam ille subdit, veritati omnino consentaneam judicamus: *Et præterea tale vinum est commune, & usuale patriæ.* Quartus (4), quem superius commemoravimus: *Solet in aliquibus locis*, inquit, *fieri vinum cum infusione aquæ in musto, vel in racemis antequam exprimantur. Quæritur, an valide & licite consecrari possit? Respondeo distinguendo: si parum aquæ musto infundatur, certum est, fieri verum vinum; consequenter valide & licite consecrari potest. Probatur, quia est vinum usuale, & in multis locis, ubi dicto modo solet conci, vinum vix aliud reperitur.* Rosignolius (5) verba faciens de vinis Bononiensibus primum asserit veram consecrationis materiam esse vinum reipsa non corruptum, ut plurimum vitiatum, deinde hæc subjicit: *Nam si præcise aliquo modo alterarentur, puta si calefierent, & etiamsi modice coquerentur, ut fieri consuevit in Piceno, & Umbria, si modico aquæ immiscerentur, ut fieri solet Bononiæ &c. certe non desinerent esse materia apta consecrationis.*

VIII. Neque satis est, si contra objiciatur vinum communi usu receptum in Sacris agendis sufficere, cujus generis sunt in hac Urbe, ac Diœcesi inferiora vina, quæ paulo ante explicavimus; nam prius ostendi debet vinis ejusmodi rationem, naturamque veri vini inesse, & communis usus aliquid momenti, ac ponderis habere videbitur. Certissimum ex Fide est, verum vinum pro materia consecrationis institutum a Christo Domino, qui ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* (6): Incertum tamen est, nec probari ullo modo potest, an lora, vinum verum appellari queat; nam si quis vini cadum persolvere debeat, & loræ cadum tribuat, creditori satisfecisse non existimatur; ob hanc causam, licet communis usus loræ in medium proferatur, tamen pro consecratione adhiberi posse nunquam demonstrabitur. Equidem Pater Andreas Zucherius Cleri Patavini Theologus (7), cum quæstionem dissolveret propositam mense Aprili anno 1708., & materiam pro consecratione Calicis explicaret, primum penitus improbat omphacium, sive succum uvæ immaturæ atque acerbæ, deinde idem docet *De vino corrupto, aut cocto, aut nimis aqua diluto, quale Patavini solet esse in deliciis* (8).

IX. Præterea non tantum validi Sacramenti ratio habenda est, sed ejusdem Sacramenti decus etiam conservandum, ut quælibet peccati labes evitetur: nam materia valida quidem, haud tamen decens esse potest, uti musti exemplo deprehenditur. Quare, cum vinum, quod subacidum est, aut loræ simile honestis viris dignum non habeatur, quod plane constat exemplo illius, qui vini cadum debeat, cujus loco loram, aut vinum infimæ conditionis persolvere nequaquam potest, cum, inquam, hæc, ita sint, licet vinum aliquod subacidum, aut lora aliqua satis esse pro Consecratione putetur, nemo tamen unquam arbitrabitur id Sacramenti dignitati convenire. Porro eadem ratione vinum subacidum, ac lora a Missæ Sacrificio penitus excluduntur.

X. Post hæc illud quoque superaddi potest, non licere sequi in hac re probabilem solum opinionem, sed tutiorem omnino requiri, quemadmodum Innocentius XI. statuit (9), cum primam hanc sententiam proscripsit: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Quamobrem neminem inveniri putamus, qui non probet summopere, quæ nos superius indiximus. Cardinalis quidem Lauræa (10), cum de tenuissimo aliquo vino verba prius fecisset, hæc statim subjecit: *Ab iis dubiis est abstinendum, ne irreverentia inferatur Sacramentis, & vice Sacramenti fiat sacrilegium, si in materia non apta fiat.*

XI. Nullus omnino suspicandi locus nobis supereſt, ne populus, & Clerus noster operam libenter daturus sit, ut corruptelæ ejusmodi, quæ in aliquas Ecclesias inductæ fuerunt, de medio prorsus auferantur; sed quoniam de gravissima re agitur, præcipimus, ut nostræ hæ litteræ in Sacrariis omnibus, & publicis sacellis hujus Civitatis, ac Diœcesis oculis omnium subjectæ conserventur; pœnam *suspensionis a Divinis* iis Sacerdotibus infligimus, qui vino subacido, seu lora qualibet in re Divina peragenda consulto utantur, vel aliud vinum idoneum non exposcant, si commode id fieri possit. Pœnam eamdem illis subeundam decernimus, qui vina ejusmodi semel adhibuerint, nec facultas ipsa immutandi data fuerit dum Sacrum facerent, si iterum rem Divinam operari suscipiant, antequam Ministros de vini conditione monuerint, nec certum documentum habeant, quod aliud idoneum vinum suffectum fuerit. Eadem pœna illigatos constituimus Sacerdotes Sacrariis præpositos, qui se in hac re negligenter gesserint, nec statim Domorum Præfectos de vini immutandi necessitate certiores effecerint. Item ipsos Præfectos eidem pœnæ obnoxios declaramus, nisi vinum Sacrificio accommodatum, aptumque protinus subrogaverint. Postremo arbitrio nostro pœnam indicemus Clericis, aut Laicis, qui Custodes in Sacrario alicujus templi, aut sacelli designati sunt, aut curam Sacrarii quocumque modo gerunt, nisi jussa hæc nostra fecerint, & omnino curaverint, ut observentur omnia, quæ superius constituimus.

## INSTITUTIO LXXVIII.

*Epistola Encyclica Archipresbyteris, Vicariis Foraneis, & Parochis ruralibus. De Dissidiis inter Ministros Monialium Sancti Lucæ, & Curatores ædificii ejusdem Ecclesiæ ob eleemosynas, quæ conferuntur ab Oppidis ditionis Bononiensis. Quænam peragere debeant Parochi priusquam populus sibi subjectus iter Bononiam suscipiat, ut sumum offerat munus. De sorte divisoria, & quas ob causas licita, vel illicita judicetur. Quæ ratio tenenda sit a quolibet Oppido pro congerendis eleemosynis, ut Beatæ Virgini Sancti Lucæ munus offeratur.*

I. Absolutis jam magno opere, magnoque sumptu Porticibus, quæ excitari cœperunt anno 1674., & a porta, quam Cæsarauguſtanam appellant, ad Templum pertingunt in Monte Guardiæ positum, ubi Beatæ Virginis Effigies, opera Sancti Lucæ, uti fertur, depicta pio cultu servatur, hoc, inquam, ædificio perfecto in mentem venit anno 1723. novum quoque Monasterium condere, quod jam fere conditum dici potest, in quo Moniales Sancti Dominici commodius versarentur, quæ curam, & custodiam gerunt ejusdem Sacræ Imaginis, quibusque possessio ejus loci restituta & confirmata fuit anno 1513. interposita Leonis X. Pontificis auctoritate (11). Novum quoque Templum magnifico ornatu extruendi consilium initum, probatumque fuit, cujus opus in dies crescit liberalitate Fidelium, qui pecuniam, ac munera ob eam causam libenter conferunt, ut nempe Templum splendore, ac magni-

(1) *Operum tom. 4. tract. 2. disp. unic. punct. 4. in fine.* (2) *Oper. Moral. tom. 1. tract. 4. cap. 3. sub. n. 87.*
(3) *Loco allato.* (4) *In loco superius allato dub. 3.* (5) *Tom. 15. de Eucharistia quæst. 4. art. 2. num. 6.*
(6) *S. Matthæus cap. 26.* (7) *In suis decisionibus de Venerabili Eucharistiæ Sacramento dub. 2.*
(8) *In fine num. 17.* (9) *Die 2. Martii anno 1679.* (10) *In loco superius allato.*
(11) *In ipsius Constitut. tom. 4. novi Bull.*

magnificentia nitidiſſimas porticus exæquet, & Fideles magno numero confluentes facilius excipiat, & poſtremo erga Sacram Effigiem pietas magis augeatur. Illam ſane ab Eccleſia Sanctæ Sophiæ Conſtantinopoli ſublatam ignotus Peregrinus in hanc Civitatem detulit an. 1160., cum Gerardus Civis Bononienſis, & Canonicus Regularis Lateranenſis hanc Sedem teneret, atque eamdem Effigiem in Monte Guardiæ collocavit; quod duplici de cauſa contigiſſe ferunt Scriptores, vel quia Montem Guardiæ præ cæteris locis ipſe peregrinus deſignaverit Deo ſic afflante, uti Sigonius commemorat (1), vel quia (ſicut Aſcanius Perſius contendit (2)) in extrema parte Sacræ Tabulæ illud inſcriptum, monitumque fuerat, ut in Montem Guardiæ ea deportaretur.

II. Anno 1723., quo novum Monaſterium, novumque Templum excitare decretum fuit, publicas conventionis tabulas haud ſine auctoritate neceſſaria obſignarunt Cives iiſdem ædificiis præpoſiti, & Moniales; quæ in binis Monaſteriis Sancti Lucæ, ac Sancti Matthiæ vitam communem agunt. In illis tabulis illud præ reliquis cautum fuit: *Ne Curatores ædificiorum tum præſentes, tum futuri poſſint, aut debeant ullo modo ipſi per ſe, vel aliorum opera detrahere, vel impedire eleemoſynas communes, aut peculiares, quæ pro Sacra Imagine, ac Monaſterio fieri conſueverunt, ſi aliter obvenerit, eſſe in poteſtate Monialium, ut a Templo, ejuſque ambitu ſtatim amoveantur eleemoſynas quærentes, aliique Miniſtri, qui ejuſmodi impedimentum afferant.* Hæc tamen conventio neque diſſeriis finem impoſuit, neque diſſidiis inter Moniales, & eorumdem ædificiorum Curatores aditum interclusit.

III. Qui Monialium partes tuebantur, cum illarum Monaſterium, Templumque anno nuper elapſo inviſimus, nobis teſtati ſunt poſt inceptum novi Templi ædificium valde imminutas eſſe eleemoſynas, quas Fideles ruralium Oppidorum Sacræ Imagini, & Monaſterio impertiri ſolebant, cerea dona, ſeu pecuniam deferentes per illud tempus potiſſimum, quod inter duas celebritates Paſchales interjicitur. Adminiſtros Curatorum ædificii fraudes innectere, ut pro novo Templo perficiendo munera, aut pecuniam conferant illi, qui eadem dona Sacræ Imagini, vel Monaſterio tribuere ſecum ſtatuerant; collocare nempe plures in itinere, qui cereos ferentibus pagellam his verbis inſcriptam tradant: *Pro ædificio*: atque ita cereos pro extruendo Templo congerere, quos Sacræ Imagini, ac Monaſterio offerre conſtituerant Fideles, ignari quid ſcheda illa, verbiſque inſcriptis contineretur.

IV. Contra vero, qui Curatores ædificii defendere ſuſceperant, affirmabant non ſemel contingere, ut cerei pro ædificio novi Templi Fidelium voluntate jam antea deſtinati, ad Sacram Imaginem, vel Monaſterium convertantur ob exiguas opulas, quas Moniales parare ſolent munera ſibi perſolventibus. Illud pariter aſſerebant, conſuetudinem quamdam inductam eſſe, quæ vim pene inferre videtur Fidelibus, ut Sacræ Imagini, vel Monaſterio tribuant, quæ Templi ædificio decreverant. Nam, ſi ſemel Eccleſiam ipſi ingrediantur, licet cereos libere inſcriptos pro ædificio deferant, illos tamen Sacræ Imagini, vel Monaſterio concedendos omnino Moniales judicant, uti jam factitatur.

V. Hæc quidem omnia percepimus, dum Sacram Viſitationem perageremus, quibus etiam facili ratione proſpici poſſe cognovimus, ſi finem diſſidiis, ineptiſque rumoribus imponere aliquis revera contenderet. Siquidem quæſtio non inſtituitur, an Parochus, in cujus ditione Monaſterium Sancti Lucæ ſitum eſt, jure ſuo repetere poſſit munera a Fidelibus oblata, uti modo commemoravimus. Nam idem Templum ad Regulares Sancti Dominici jure pertinet, quibus etiam Moniales ipſæ ſubjiciuntur, vel in Monialium poteſtate eſt, quæ Sancti Dominici inſtitutum ſequuntur; ob quam cauſam nihil omnino tribuendum eſt Parocho, uti Fagnanus perpendit (3). Neque illud in dubium revocatur, an Curatores ædificii Miniſtros decernere queant, qui eleemoſynas quærere, & accipere poſſint, quæ pro ipſo ædificio abſolvendo conferuntur. Nam facultatem ejuſmodi a nobis obtinuerunt, & conventionem pro hac re cum Monialibus ipſis ſtatuerunt. Inſuper Laici procul dubio eleemoſynas, & oblata munera adminiſtrare poſſunt, quæ piis operibus impenduntur (4). Neque auctoritas noſtra labefactatur, ob quam munerum ejuſmodi rationem exigere poſſumus, non ſolum ab ædificii Curatoribus (5), ſed etiam a Monialibus, quæ licet Regularibus pareant, tamen proventuum rationem perſolvere nobis debent, ideoque munerum pariter, quæ ad ipſarum Eccleſiam deferuntur; idque ex Conſtitutione XVIII. Gregorii XV. (6) noſtraque Inſtitutione XXXIX. plane probatur.

VI. Sed illud ſolum inquirendum eſt, an Fideles pro novi Templi ædificio cereos, & munera conferre ſecum propoſuerint, an vero Sacræ Imagini, vel Monaſterio ipſa devoverint. Nam certiſſimum eſt, munera ſponte oblata attribui oportere juxta mentem, ac voluntatem quam Fideles expreſſe declarant (7). Ita Vaneſpenius, aliique plures, quos Dominicus Urſaya celeberrimus in Romana Curia Juriſperitus plene recenſet (8). Inquirendum pariter, utrum Fidelium animus fraude aliqua circumventus fuerit, quod ab Eccleſiæ Inſtitutis longiſſime abhorret. Quam ob cauſam indictæ ſunt cenſuræ, quæ a ſolo Pontifice diſſolvi poſſunt, in eos Eccleſiaſticos Sæculares, aut Regulares, qui Fideles adducunt, ut jurejurando ſe obſtringant, aut polliceantur ſe in ipſorum Eccleſia ſepulchri locum fore delecturos (9).

VII. Omittimus opinionem illam omni prorſus ratione deſtitutam, nempe Sacræ Imagini, vel Monaſterio impertiendos cereos, ſtatim ac offerentes Templum ingreſſi ſunt, licet antea cereos ipſos ædificio conſtruendo impertiri ſecum decreverint. Nam, licet ædificii Curatores, aut ipſorum Adminiſtri cereos in Templo ſibi depoſcere nequeant, idque Monialium Adminiſtris tantum liceat, illud tamen neceſſario requiritur, ut offerentium voluntati ſatisfaciant, ideoque cereos ipſi accipiant, eoſdemque Miniſtris ædificii extra fores Eccleſiæ reſtituant: quod etiam Parochi exemplo comprobatur, qui oblationes quidem in Eccleſia ſua percipit, ea tamen conditione, ut ipſas pro offerentium voluntate impendat, nec unquam fas eſt pro ſua utilitate, ſeu quacumque alia de cauſa illas inſumere (10). De Præfecto Regulari idem prorſus ſtatuitur, qui licet Adminiſtrator oblationum exiſtat, quæ in ejus Eccleſia conferuntur; tamen expreſſæ, vel tacitæ voluntati ferentium parere debet, nec eos limites unquam excedere permittitur, uti Cardinalis Petra ſapienter advertit (11), quod prius etiam Donatus ex Ordine Sancti Dominici ſcriptum prodiderat (12): *Prælati Regulares non ſunt domini oblationum, & eleemoſynarum ſuis Eccleſiis factarum, ſed tantum Adminiſtratores: quorum eſt exequi donantium voluntates, non autem de illis ad ſuum beneplacitum diſponere.*

VIII. Cum hæc ita ſe habeant, & nulla fraudis ſuſpicio interveniat, nullus diſſidiis aditus, locuſque patere videtur, ſi frequentes cœtus, qui ſupplicationes ad Templum Sancti Lucæ publicas indicunt, & cereos offerre pro novi Templi ædificio conſtituunt, illos tradant ipſius ædificii Miniſtris, qui in porticu non longe ab Eccleſia, ſed extra illius ambitum præſto ſunt; qui vero pro Sacra Imagine, aut Monaſterio cereos detulerunt, iter ad Templum proſequantur, ubi Miniſtri Monialium ad eoſdem cereos ſuſcipiendos diſpoſiti, paratique ſunt.

IX. At vero hoc conſilium novis difficultatibus, ſi proponi velit, aditum referat. Nam plerumque offerentes ipſi ad pias ſupplicationes minime conveniunt, nec ipſi cereos præferunt, ſed puellæ ſeliguntur, quæ hoc munere ipſorum loco fungantur. Ipſæ vero, vel accepti mandati prorſus obliviſci, vel ipſum conſulto, aut imprudenter, vel alicujus gratia immutare facile poſſunt. Illud quoque accidere poteſt, ut captioſis Miniſtrorum petitionibus implicatæ falſum aliquid invite fateantur.

X. Quamobrem hoc conſilium improbamus, licet æquum fortaſſe videatur, aliudque ineundum proponimus. Priuſquam ſupplicatio ad Sancti Lucæ Templum a populo ſuſcipiatur, quam vel ipſe comitari debes, aut alium Sacerdotem loco tuo ſufficere. Feſta die, cum populus frequentior eſt, vel in cœtu ob hanc cauſam convocato, palam notum facies, cereos,

(1) *In Vita ipſius Gerardi.* (2) *In Hiſtoria ejuſdem Sacræ Imaginis.* (3) *In Cap. Paſtoralis num. 35. de his, quæ fiunt a Parochis.* (4) *Vaneſpen. Juris Eccleſ. part. 2. tit. 33. c. 10. num. 26. & ſeq.*
(5) *Seſſ. 22. de Reformat. cap. 8. & 9.* (6) *Bullar. Rom. tom. 4.* (7) *Vaneſpen. loco allato num. 13.*
(8) *Lib. 7. ſuarum diſſert. part. 1. diſſert. 8. num. 38. & ſeq.* (9) *Cap. Anim. de Sepult. in ſexto, & Clementina ſupientes 3. in fine de Pœnis.* (10) *Merlinus in ſua præclara dec. 257. num. 9. & 10.*
(11) *In notis Conſtitut. Anaſtaſii IV. tom. 2. ſeſſ. 2. num. 40. & ſeq.*
(12) *Rer. Regular. tom. 2. tract. 13. quæſt. 25. num. 1.*

reos, qui deferuntur, impendi posse pro novi Templi ædificio absolvendo, aut pro cultu Sacræ Imaginis conservando, splendisque Monialibus, quibus Sacræ Imaginis custodia demandata est. Deinde populum certum facies, utrumque a nobis æquali studio probari. Tertio populum monebis Beatæ Virgini gratissimum futurum quicumque modo oblationes impendantur. Nam, aut Templum magnificentius, populique frequentiæ commodius ipsi B. Virgini excitabitur: aut rebus omnibus copiose redundabit, quæ ad augendum ipsius cultum requiruntur, piasque Moniales sustentandas, quæ tanto studio tantaque religione curam ejus Imaginis gerunt. Postremo admonebis declarandam a singulis voluntatem suam, ut optatum finem assequantur; illorumque munera, qui tradenda ædificio apertissime non patefecerint, Sacræ Imagini, aut Monasterio esse attribuenda, cui prius omnia conferebantur, antequam novum ædificium extrueretur.

XI. His diligenter peractis, ut rem quisquis intelligat, quæ tamen luce clarior videtur, nisi forte quis inveniatur tam pravo, tenuique ingenio, ut rebus etiam perspicuis tenebras offundat, his, inquam, peractis, illorum nomina pagella seorsim adnotabis, qui oblationes pro edificio dare statuerunt. Eandem pagellam tecum habebis, dum Bononiam venies cum populo, vel ipsam Sacerdoti trades, si quem tuum in locum subrogabis. Statim ac pervenies ad locum, ubi Ministri ædificii præsunt muneribus accipiendis, populus subsistet, donec singillatim nominaveris, si præsens adfueris, aut Sacerdos substitutus nominaverit cereos omnes, qui pro ædificio designati, notatique fuerunt, illique statim Ministris tribuentur, nec ulla ratio habenda est schedæ cereis superpositæ, atque inscriptæ: *Pro ædificio, aut pro Beata Virgine Sancti Lucæ*. Nam schedæ ejusmodi fraudibus obnoxiæ posthabendæ sunt libello, in quo nomina offerentium, explorata prius eorum voluntate, describuntur. Post hæc cum populo ad Ecclesiam perges, ubi Monialium Administris tradentur reliqui cerei, qui in libello notantur.

XII. Quod si nullus ex tuo populo munus offerre pro ædificio statuerit, iter susceptum minime retardabis, sed recte ad Ecclesiam tendes, omnesque cereos Monialium Administris tribues, uti paulo ante exposuimus.

XIII. Hoc pacto voluntas offerentium finem suum obtinebit, nullumque impedimentum obveniet, nec quidquam proderunt schedæ illæ *pro ædificio*. Illa tandem falsa opinio prorsus evanescet, nempe Sacræ Imagini, aut Monasterio, etiam invito offerente, attribuenda esse munera, statim ac pedem in Ecclesia ipse posuerit, licet eadem munera prius ædificio decreverit.

XIV. Antequam has litteras daremus, consilium hoc nostrum quibusdam Parochis aperuimus, qui populum suum ad Ecclesiam Sancti Lucæ, supplicatione indicta, prosequuntur. Ipsi haud ignari illorum, quæ olim contigerunt, idem consilium tanquam facile, & omnino consentaneum probaverunt, si tamen certi, signatique sint offerentes, eorumque nomina perspecta, qui cereos devovent. Attamen nos iidem Parochi monuerunt in quibusdam locis diversa ratione hoc negotium peragi. Nam tum pecunia, tum alia dona a populo conferuntur, antequam supplicatio ad Templum Sancti Lucæ suscipiatur; eorumque pretio cerei comparantur, quorum aliqui nummis etiam circumornantur. Quamobrem in iis locis alia ratio statuenda est: etenim nihil aliud certi deprehendi potest, nisi quod ea pecunia, ac munera pro Beata Virgine S. Lucæ cumulantur: nec ulla conjectura cognosci potest, utrum populus velit dona sua impendi pro ædificio, an pro cultu Sacræ Imaginis, & Monialium sustentatione. Porro affirmari potest Beatæ Virgini persolvi, quæ pro qualibet ex iisdem causis persolvuntur.

XV. Qui temere judicium ferre vellet, ea munera dividenda proponeret, quod reipsa licitum est, nisi jus aliquod peculiare adversetur, uti contingit in electionibus Ecclesiasticis, vel cum totum pertinet ad illum, qui sorte ducitur, vel cui, partibus inæqualibus positis, sorte statuendum est, cui pars amplior, & cui minor conferatur. Ita docent Theologi, ducti auctoritate Sancti Thomæ (1), & rem magis explicant exemplo Sacerdotum, qui in Urbe permanere, vel ab ea possunt excedere, cum pestis grassatur; & illorum pariter exemplo, qui in naufragii discrimine in mare projici debent, ut navim exonerent pro aliorum incolumitate, qui supersunt; tandem militum exemplum ante oculos subjiciunt, qui parem culpam admiserunt; cum tamen universi morte plectendi non videantur, aliqui vita donantur, alii vero carnifici tradantur, de quibus omnibus, ducta sorte, judicatur.

XVI. Verum, ut certa solum, ac tuta sanciantur, consilium ejusmodi rejicimus, quod magno sane cum periculo conjungitur, ne aliquid ab æquitate alienum committatur. Nam cum sorti aliquid permittitur, rei eventus a solo Deo debet expectari, non ab ulla fortunæ temeritate. Nos autem difficilis occasionem omnem præcidere solum inquirimus, non vero Dei voluntatem hac insolita ratione explorare audemus.

XVII. Nonnulli aliud consilium dederunt, ut nempe binæ capsulæ, binique sacelli constituantur, unus pro ædificio, alter vero pro Sacra Imagine, ac Monasterio, quod tamen pluribus de causis sequendum minime existimavimus. Nam plures hic rei novitate percussi nihil in posterum pro ædificio, vel pro Sacra Imagine, & Monasterio conferent: alii vero munera elargiri prætermittent, ne aliorum conviciis, & contumeliis proscindantur, qui fortasse eadem dona, non offerentium liberalitati, pietatique tribuenda esse, sed ex fortunis dominorum conflata suspicabuntur.

XVIII. Itaque post varias sententias, & consilia illud decernendum putavimus, ut in locis omnibus, ubi pecunia, & dona a populo colliguntur, pristinum Institutum, ac ratio omnino teneatur, nempe, ut, ceris juxta congestum partium comparatis, Parochus una cum primoribus Parochiæ in tres æquales partes eosdem cereos distribuat, & eodem modo pecuniam, quæ cumulata fuerit, partiatur. Deinde tertiam pecuniæ, ac cereorum partem ædificii Ministris largiatur, quos opperietur in Portico, ubi locum obtinent. Tandem, cum Ecclesiam attigerit, reliquam, quod superest, Monialium Ministris attribuet. Porro id Sacris Canonibus consentaneum est, qui partem oblationum pro ædificio semper decernunt (2). Declaramus tamen hæc omnia, quæ sanximus, servanda esse, donec Templi ædificium absolutum fuerit: deinde pristinam consuetudinem, atque institutum pro muneribus, quæ offeruntur, tenendum indicimus.

XIX. Prudentiam tuam, studiumque tanti facimus, ut quæ superius exposuimus, negligenda minime suspicemur. Quod si aliquis nullam subire molestiam animo sibi proposuisset, quamvis ad illam ferendam tum necessitas, tum justa impellerent Episcopi, cui se morem gesturum pollicitus est, pro certo habeat mulctam sibi irrogandam esse, cujus pars tertia perficiendo ædificio, reliquæ duæ, Sacræ Imagini, & Monasterio tribuentur.

## INSTITUTIO LXXIX.

*De Indulgentia, quam Summus Pontifex concessit omnibus, qui felicia, ac fausta precentur Copiis Christianorum contra Infideles decertantibus. Quo animo preces ejusmodi solvendæ sint. De Victoriis, quas Fideles ob intercessionem B. Virginis ex Turcis retulerunt. Copulari posse Mariæ Virginis intercessionem cum mediatione Christi Domini, & etiam intercessionem Sanctorum cum intercessione Beatæ Virginis. De Piis Operibus, quæ Pontifex indicit ad comparandam Indulgentiam.*

I. PErpauca monenda sunt, antequam Indulgentiam promulgemus, quam Summus Pontifex elargitus est (quæ etiam Animabus in Purgatorio detentis suffragari potest) illis, qui Romæ preces Deo persolvunt, ut Christianæ acies victoriam ex Turcis obtineant; quam Pontifex Indulgentiam huic Civitati, ac Diœcesi liberaliter concessit.

II. Ac primum, cum pacem expostulare Ecclesia inter Fideles Principes consueverit, & felicitatem Christianis Militibus in Turcas, & Infideles decertantibus, studium omne partium quisquis deponere debet, ut Ecclesiæ exemplum sequatur. Itaque si Christiani Principes inter se bellum gerant, pax a Deo petenda est. Sin autem Fideles inter ac Turcas bella excitentur, Dei clementia, ac bonitas imploranda, ut Fideles ex prælio victores revertantur. Id nostræ Religionis primum, & peculiaris deinde cujusvis utilitas requirit.

III. In actis quintæ Synodi Lateranensis habetur elegantissima Oratio, quam Bernardus Zane Patritius Venetus, ac Spalati Episcopus coram Julio II. in prima sessione pronunciavit (3). In ipsa præclarus Orator exponit intra spatium 180. anno-

(1) 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 8. *in corpore.* (2) *Can. Vulterranæ, & Canone Quatuor* 12. *quæst.* 2.
(3) *Tom.* 14. *Collectionis Labbeanæ Conciliorum pag.* 49.

annorum, nempe ab Imperio Othomanni ad illud Bajazecis, majorem Asiæ partem a Turcis occupatam fuisse, & Europæ partem in ipsorum potestatem redactam *cum magna Christiani cruoris effusione*, duodecim Imperia, & duodecim Regna subacta, post quæ ita subdit: *Imperium suum Dalmatiam, & Liburniam usque dilatavere, a quo quidem loco ad Urbes Tuæ Sanctitatis Picentinas unius noctis spatio commodissime possunt transfretari*. Deinde Turcarum indolem, ac mores, quales ipse perspexerat, non autem quales temere a multis finguntur, his verbis complectitur: *Effrænata gens, immanissima, Christiano nomini inimicissima. Suo enim sordidissimo Mahometo obsequium maximum se præstare putat, Christianos insequendo, dilaniando, occidendo*.

IV. Secundo, qui felices eventus Christianis militibus bellum contra Turcas agentibus vehementer exoptat, omnem sane in Deo Optimo Maximo spem collocare debet, qui victorias impertitur. Cum Ezechias Regnum teneret, Angelum Deus misit, qui 185. millia hominum in exercitu Sennacherib trucidavit. Quin etiam absque ullo Angelorum præsidio victorias amplissimas illis concedit, qui nec copiis, neque numero, neque virtute cum hostibus conferri possunt. Exemplis ejusmodi sacræ litteræ redundant. Illud in primis memoriam dignum proditur (1). Cum Moabitæ simul, ac Ammonitæ fœdus inierunt, & maximum exercitum in Regem Josaphat compararunt, ipse ad Deum suppliciter his verbis confugit: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere*. Tunc Propheta Jahaziel Deo afflatus inquit: *Hæc dicit Dominus. Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem, non est enim vestra pugna, sed Dei*. Nec spem fefellit eventus; nam pugna pio Regi feliciter cessit. Eodem lib. cap. 16. traditur Ananias Propheta continuam bellorum seriem Asæ Patri Josaphat indixisse, eo quod in Rege Syriæ magis, quam in Deo fidem suam collocasset: *Nonne Æthiopes, & Libyes multo plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia, quos cum Domino credidisses tradidit in manu tua?* Postremo talium exemplorum plena est Machabæorum historia, ubi Judas Machabæus Sacerdos, ac populi Princeps ipsum sic alloquitur (2): *Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum ne formidetis &c. Conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie, & scient omnes gentes, quia est, qui redimat, & liberet Israel*. Eodem loco posteris commendantur insignes victoriæ, quas Judas ex quatuor Ducibus Antiochi Epiphanis Syriæ Regis consequutus est, licet ipsos viribus nequaquam exæquaret (3): *Et exivit Judas obviam illis cum paucis, & dixerunt ei. Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem? Et nos fatigati sumus jejunio hodie. Et ait Judas: Facile est, concludi multitudinem in manu paucorum; & non est differentia in conspectu Dei Cœli liberare in multis, vel in paucis. Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est; ut cessavit autem loqui, insiluit in eos subito, & contritus est Seron, & exercitus ejus in conspectu ipsius*.

V. Tertio, quemadmodum Deus auctor est victoriæ, ita Beata Virgo Christianis militibus in Turcas illam obtinet, si illius opem debita pietate, studioque imploremus. Inter celeberrimas sane victorias, quas Christianorum virtus ex Turcis retulit, expugnatio Sanctæ Civitatis Hierusalem merito adnumeratur, quæ contigit sæculo undecimo, cum pius Dux Gothfridus bellum administravit. Id autem Beatæ Virgini tribuendum nemo inficiatur, cujus tutelam expetiit Urbanus II. in Concilio Claramontano, ubi Clericis eam legem indixit, ut singulis diebus Officium, quod nunc B. Virginis appellamus, ipsi persolverent: hoc autem pium Institutum a Clericis ad Laicos dimanavit, uti post Cardinalem Baronium Pagius advertit (4). Summis etiam laudibus celebratur victoria, quam in Hungaria Joannes Hunyades Vaiuoda, opera, studioque Sancti Joannis a Capistrano pariter interposito, ex iisdem Turcis reportavit, cum Fridericus III. Imperium, & Eugenius IV. Pontificatum gererent, nempe circa dimidium sæculi XV., ex qua sane victoria se posse vinci Turcæ didicerunt, uti rerum Scriptores commemorant. Illa autem Beatæ Virgini procul dubio concedenda est. Nam Uladislaus Rex Hungarorum, cum Budam magno triumphi apparatu, pompaque instructa ingrederetur, ad Templum ipsius Virginis nudis pedibus se contulit, priusquam Regiæ limen attingeret, ibique vexilla hostibus detracta reliquit, ut perpetuum monumentum extaret, eam victoriam B. Virgini referendam (5). Illa quoque præclarissima fuit, quam Joannes Austriacus Dux Christiani exercitus ad Naupactum, sive ad Echinadas Insulas obtinuit, cum S. Pius V., Philippus II. Hispaniarum Rex, & Venetorum Respublica suas vires in Turcas simul conjunxerunt. Illius historiam accuratissimo studio Joannes Baptista Lambertinus conscripsit (6), qui eam provinciam se suscepisse fatetur, ut certissima, ac peculiaria hujus victoriæ documenta posteris relinqueret (7): An vero Beatæ Virgini ipsa adscribenda quoque sit ex Romano Martyrologio clare deprehenditur (8): *Eodem die Commemoratio Sanctæ Mariæ de Victoria, quam Pius V. Pontifex Maximus ob insignem victoriam a Christianis bello navali ejusdem Dei Genitricis auxilio hac ipsa die de Turcis reportatam quotannis fieri instituit*. Idem ex litteris Gregorii XIII. confirmatur, quibus celebritatem Sanctissimi Rosarii die primo Dominico Octobris constituit, ob eam potissimum causam, quod die septimo ejusdem mensis eadem victoria obtigerit; eoque anno dies Dominicus tunc agebatur, cum Sodalitia Sanctissimi Rosarii nuncupata supplicationes publicas instituunt: *Pias ad Deum preces effundendo, quas per intercessionem Beatæ Virginis ad dictam victoriam consequendam multum profuisse, pie credendum est*. Omittimus eam victoriam eximiam, cum Viennæ Civitas anno 1683. Turcarum vehementissima obsidione liberata fuit: aliamque victoriam in Hungaria comparatam anno 1716., cum Caroli VI. Imperatoris copiis invictissimus Eugenius Sabaudiæ Princeps cum summa potestate præesset. Omittimus tandem Corcyrensem Urbem eodem anno Turcis obsidentibus ereptam, quæ omnia sane beneficia a Deo consequuti sumus, ope, ac præsidio Beatæ Virginis interpositis. Nam pro prima victoria, quam superius memoravimus, Festum Sancti Nominis Mariæ ad universam Ecclesiam ab Innocentio XI. propagatum fuit, decretumque in posterum, ut die Dominico infra Octavam Nativitatis ejusdem Virginis celebraretur. De secunda victoria hunc sermonem habuit in frequenti Cardinalium cœtu Clemens XI.: *Cum tamen abunde omnibus compertum, ac longe perspicuum sit, validissima in primis Beatæ Virginis ope, quam toties repetitis precibus imploravimus, prosperos hosce successus mirifice provenisse, ratio omnis postulat ut maximas æque, ac publicas in Liberiana Basilica eidem Augustissimæ Virgini sacra, Omnipotenti quidem Deo pro large collatis, Sanctissimæ vero ejus Matri pro clementer impetratis beneficiis gratias agamus*. Postremo ob Corcyræ Urbem a Turcarum obsidione vindicatam Sacrorum Rituum Congregatio Officium S. Virginis Rosarii pro universa Ecclesia constituit, quod idem Pontifex approbavit (9).

VI. Quarto, ac ultimo cum Beata Virgo pro fidelibus exorari queat, & simul Christus Salvator, uti docent Theologi, sua pro nobis merita possit interponere; cum etiam conjungi queant Beatæ Virginis, & Sanctorum pro nobis deprecationes, ideo præ cæteris ad S. Pium V. confugiendum pariter hortamur, ut Turcæ, atque Infideles Christianorum virtute conterantur. Ipse quidem non victoriam modo, de qua dictum est, præsagiit, sed illud a Deo beneficium assequutus est, ut ex Vaticanis ædibus, ubi morabatur, ipsam tanquam suis oculis subjectam perspiceret, & iis, qui circumaderant patefaceret. Porro ipsi diem, horamque adnotarunt, & omnia, quæ Pontifex enunciaverat, quæ veritati consentanea prorsus inventa sunt, cum partam victoriam nuncii detulerunt. Id referunt (10) Sac. Rotæ Auditores, ad quos tunc pertinebat causas agere de iis, qui inter Beatos cooptandi essent. Idem confirmatur ex diplomate Pontificio pro indicenda ejusdem Sancti Pii Apotheosi, quod inter cætera simul congesta typis impressit Fontaninus Ancyræ Archiepiscopus (11): *Defixis* (sic habetur pagina 499.) *oculis in Imagine Redemptoris nostri e Cruce pendentis cum anxiis precibus, & voce fletus sui solito uberioris Divinam Misericordiam exoraret, ne gentibus efferatis hæreditatem suam diripiendam relinqueret, sed in brachio excelso populum suum salvum faceret, in excessu mentis supremo lumine illustratus videre meruit Christianæ classis prosperos eventus illo ipso die, ac eadem hora, qua feliciter ad Echinadas Insulas pugnatum fuit*.

VII.

(1) 2. Paral. 20. (2) Lib. 1. cap. 4. (3) Cap. 3. (4) In vita Urbani II. n. 51.
(5) Spondanus ad annum Christi 1443. 12. (6) In Historia Reg. Hisp. (7) Pag. 110.
(8) Die Septima Octobris. (9) In Bull. pag. 574. (10) Tit. de aliis indultis Sanctitatis Pii V. edit. Tom. posth. Annal. Bzovii pag. 1202. (11) Pag. 499.

VII. Cum hæc ita sint, quæ procul dubio Pontifex ante oculos habuit, cum die 19. Februarii hujus anni Indulgentiam impertivit omnibus, qui Romæ divinam opem pro bono Christiani exercitus in Turcas obtestarentur; cum, inquam, hæc ita sint, Fidelibus universis utriusque sexus notum, perspectumque facimus, Pontificem tanta humanitate præditum fuisse, ut ejusdem Indulgentiæ participes declaraverit omnes, qui in hac Civitate, ac Diœcesi versantur, si tertiam Rosarii partem Beatæ Virgini persolvent, & ter Orationem Dominicam cum Angelica Salutatione in honorem Sancti Pii V. Pontificis ea mente recitabunt, ut Turcarum vires a Christianis militibus comprimantur.

VIII. Summi Pontifices Rosarium pie recitantibus plures Indulgentias elargiti sunt, quibus Pontifex hoc tempore novam hanc Indulgentiam adjungit, ea tamen conditione, ut *Pater*, & *Ave* ter superaddant, uti modo exposuimus.

IX. Igitur quinquaginta annos Indulgentiæ, & totidem Quadragenas concedit omnibus, quoties in Ecclesias convenient, ubi Rosarium publice recitabitur, quas nos inferius designabimus.

X. Annos vero triginta, ac totidem Quadragenas illis, qui privatim hoc pio exercitio, institutoque vacabunt.

XI. Postremo plenariam Indulgentiam, & criminum remissionem tribuit universis, qui mensis spatio easdem preces egerint vel in templo, vel privatim domi, si per illud tempus ad pœnitentiæ Sacramentum, Sacramque Eucharistiam semel accesserint, & semel etiam templum inviserint quod a nobis decernetur. Is thesaurus semel tantum in quolibet mense comparari potest, si perficiantur omnia, quæ explicavimus. Indulgentiæ vero tempus ad mensem Octobris protrahitur, cum milites in hyberna secedere consueverunt.

XII. Constituimus Ecclesiam Regularium Sancti Dominici, ut in ipsa publicæ fiant preces, quas pro obtinenda Indulgentia præscriptas superius memoravimus. Nam in eadem Ecclesia Rosarium singulis diebus publice recitatur. Ipsam Ecclesiam invisent, qui in Civitate plenariam Indulgentiam lucrari volunt, postquam pium institutum recitandi Rosarium, & ter Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica per mensem constanter retinuerint, & Sacramento Pœnitentiæ prius expiati Divinam Eucharistiam perceperint. Illud præsertim monemus, ut preces effundant ad Aram, quæ Beatæ Virginis Rosarii nuncupatur, & pariter ad illam, in qua Sanctissimi Pontificis Pii V. Effigies exhibetur. Adeant *pariter* Altare in quo Sacra ossa Sancti Dominici collocantur, quem Auctorem, & institutorem Rosarii Summi Pontifices suis diplomatibus, quibus præstanda fides est, merito appellarunt. Porro ipse hoc divino Rosarii, beatæque Virginis præsidio formidolosam Albigensium hæresim vehementer extenuavit (1).

XIII. Confugiamus igitur ea pietate, quam explicavimus, fidenter ad Beatam Virginem, quam toties facilem, propitiamque experti sumus, ut votis nostris obsecundet: eadem fiducia opem, ac tutelam Sancti Pii V., nec non Sancti Dominici exposcamus. Nam, omissis causis, quas nuper enumeravimus, certum quoque est, Sanctos quodam peculiari studio permoveri, ut suorum Civium preces Deo exhibeant.

XIV. *Equidem Sanctus Pius V. in Oppido Insubriæ, quod Boscum vocant, natus, sed e Bononia oriundus ex nobili Ghisleriorum Familia* (2). Idem testantur Catena (3), Spondanus (4). Ciaconius (5), Oldoinus (6), & Paulus Masini in libro, qui inscribitur: *Bononia Perlustrata*, ubi de Romanis Pontificibus Bononiensibus sermonem habet (7). Certissimum pariter documentum publicis tabulis obsignatum occurrit, de quo mentio est *in Compendio Historiæ Bononiensis*, quod præit opus inscriptum: *Elenchus Antiquorum, & Consulum Bononien. pagina* 38.

XV. Sanctus autem Dominicus Calaguriæ natus est; cum tamen in hac Urbe vitæ cursum absolverit, in eaque conditus sit, Civis hujus nostræ Patriæ nominari potest. Nam uti tradit Teophilus Raynaudus (8): *Distingui porro potest triplex Sanctorum Patria, nimirum originis, diuturnæ commorationis, & mortis. Nam primis duobus modis jus Civitatis inter homines comparatur, tertius autem suffragantem manifeste habet Ecclesiam, quæ diem felicis obitus Sanctorum vocat natalem eorum &c. ex eo quod nascantur ea die Sancti ad veram vitam.* Alii quoque Scriptores idem affirmant (9).

XVI. Non ignoramus esse in hac Civitate, ac Diœcesi Moniales, Oblatas, Puellas, aliasque mulieres sæculares, quæ ob facultatem Sedis Apostolicæ in Monasteriis, aliisque piis domiciliis immorantur. Non ignoramus pariter, Regulares aliquot suis Monasteriis clausos perpetuo detineri, aliosque morbo, vel alia legitima causa impeditos inveniri; Pontifex igitur Confessariis facultatem impertit, ut alia pietatis opera ipsis injungant, si aliquid ex præscriptis exequi nequeant.

XXII. Insuper nonulli ex Sæcularibus, ac Regularibus Ecclesiam Sancti Dominici adire non poterunt, ut cum reliqua Rosarium Beatæ Virgini persolvant. Cum tamen Pontifex animadvertat magis jucundas, Deoque gratas preces, quæ a Fidelibus simul coactis peraguntur, hortatur pater familias, ut domesticos omnes in cœtum convocent, cum preces ipsæ recitandæ fuerint; monet etiam Præfectos Regulares, ut idem exemplum, normamque sequantur.

XVIII. In Diœcesi Parochialem Ecclesiam pro his precibus publice absolvendis decernimus, cum difficile sit, ut se conferat populus ad templum Sancti Dominici in Urbe positum eamque potestatem nobis Pontifex elargitus. Tandem præcipimus omnibus Præsbyteris cum in Civitate, tum in Diœcesi, ut Orationem *contra paganos* addant dum sacrum conficiunt.

## INSTITUTIO LXXX.

*Epistola enciclyca universis curam animarum gerentibus tum in Civitate, tum in Diœcesi de iis matrimoniis, quæ vetitis temporibus contrahuntur. Quocumque tempore iniri posse matrimonia. Solemni pompa carere debere matrimonia, quæ vetitis temporibus statuuntur. Quid hujus pompæ solemnis nomine intelligatur. Quid velit Ecclesia dispensare, quoties iniri matrimonia vetitis temporibus permittit. Quænam fuerit perpetuo hujus Diœcesis consuetudo in his matrimoniis celebrandis.*

I. JAM veteri consuetudine concedi solet, in hac Ecclesiastica Curia, cum peculiaris aliqua, & legitima causa postulaverit, facultas, ut Matrimonium temporibus vetitis contrahatur, nempe ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, & a Feria quarta Cinerum ad totam octavam Paschatis. Idem Nos ipsi institutum servavimus, cum justa causa intercesserit, neque illud abrogandum in posterum ducimus. Attamen non ignoramus, cum de his Matrimoniis agitur, non omnes Parochos in eadem sententia, ac disciplina versari. Plerique, dum Matrimoniis interfunt, Benedictiones Ecclesiæ, quæ in Missali præscribuntur, nequaquam omittunt: perpauci fortasse eas negligunt. Aliqui putant eos Conjuges, qui, facultate accepta, Matrimonium vetitis temporibus inierunt, sine crimine permisceri non posse, nisi postquam vetitum tempus effluxerit. Alii vero diversam opinionem tuentur. Quamobrem has litteras Parochis omnibus scribendas existimavimus, postquam rem totam diligenti, accuratoque studio perpendimus, & mentem nostram viris doctrina præstantibus exposuimus, ut suum nobis consilium patefacerent, quod nostro prorsus consentaneum deprehendimus. Itaque censemus, non impertiendas Benedictiones a Missali indictas illis Conjugibus, qui vetitis temporibus matrimonio junguntur, licet ad rem gerendam facultas necessaria interveniat: Parochum vero, qui illis utatur, peccati labem admittere judicamus; neque ullam religionem, aut criminis metum injiciendum illis, qui matrimonio indulgeant, quod vetitis temporibus celebrarunt.

II. Atque ut primam sententiam, quam proposuimus, ratione comprobemus, hæc potissimum pro certo asserimus; Primo, Matrimonium quocumque tempore contrahi posse; Secundo, illud solum certis temporibus ab Ecclesia prohiberi, pompam nempe, apparatumque nuptiarum; Tertio, hujus pompæ nomine Benedictiones præsertim Nuptiarum contineri, ita ut sicut solemnis pompa interdicitur in Matrimoniis, quæ ve-

(1) *In Const. 90. S. Pii. Ferdinandus Castiliæ part. 1. cap. 11. Spinelli in coment. Mariæ Deiparæ pag. 161.*
(2) *In Offic. ipsius.* (3) *In ejusdem vita lib. 1. cap. 1.*
(4) *Ad Annum Christ. 1566. fol. 608.* (5) *In historia Pontif., & Cardinalium tom. 3. fol. 995.*
(6) *In Additionibus fol. 1003.* (7) *Pag. 3.*
(8) *Tom. 8. Operum suorum pag. 524. Quintanaduenas in Sanctis Toletanis monit. 3. pag. 5.*
(9) *Guyet. de Festis propriis Sanctorum lib. 2. cap. 2. quæst. 1.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

vetito tempore fiunt, etiam Benedictiones elargiri non liceat; Quarto, cum facultas obtinetur Matrimonium ineundi vetitis temporibus, non ideo permitti affirmamus, ut etiam Benedictiones Matrimonio superaddantur, aut ulla pompæ species instituatur; Ultimo, consensu unanimi hujus Civitatis, ac Diœcesis observata semper, ac probata fuisse omnia, quæ superius enumeravimus.

III. Sed jam singula percurramus. Matrimonium quocumque tempore iniri posse ex auctoritate Cœlestini III. satis aperte colligitur: *Licet* (inquit (1)) *ea sit Romanæ Ecclesiæ consuetudo; ut quocumque tempore Matrimonium contrahatur, consensu interveniente legitimo de præsenti*. Idem in Rituali Romano his verbis decernitur (2); *Matrimonium autem omni tempore contrahi potest*.

IV. Secundo loco pompam, & apparatum nuptiarum certis temporibus ab Ecclesia penitus improbari asseruimus, quod ex jure Pontificio deprehenditur (3): *Nuptias celebrare, convivia facere*. Nec profecto Tridentina Synodus quidquam novi super hac re constituit, sed solum *Antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari, Sancta Synodus præcipit* (4). Sermo est de tempore, quod ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, & a Feria quarta Cinerum ad totum usque Paschatis Octavam interjicitur: *In aliis vero temporibus nuptias celebrari permittit*. Insuper Canone II. sic habetur: *Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab Ethnicorum superstitione profectam &c. anathema sit*. Idem prorsus statuitur in Rituali Romano (5): *Postremo meminerint Parochi, a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive, solemnitates nuptiarum prohibitas esse*.

V. In hac eadem opinione non solum Theologi: sed Canonum Interpretes unanimes versantur. Inter primos hi recensentur potissimum Sanchez, (6), Pontas, Perez, aliique plurimi (7).

VI. Inter Canonum Interpretes afferri possunt Barbosa, Anacletus, Laurent. aliique plurimi. Postremo hanc, eamdem sententiam approbat Sacra Concilii Congregatio, ut inferius demonstrabimus.

VII. Tertio, sicuti feriatis temporibus omnis nuptiarum celebritas, ita eadem ratione Matrimonii consuetæ Benedictiones prohibentur. Id apparet clarissime ex Romano Rituali (8), ubi inter res vetitas hæ potissimum numerantur: *Nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia*. Theologi pariter, quos superius indicavimus, Benedictiones primum locum inter celebritates Matrimonii obtinere testantur (9); & ideo minime adhibendas, cum vetitis temporibus aguntur Matrimonia, & Parochum, qui contrarium fecerit, gravi criminis labe inquinari: *Et ideo* (inquit Sanchez (10)) *in his feriarum temporibus Benedictiones nuptiarum prohibitas esse nemo dubitat, quia consuetudo totius Ecclesiæ id testatur &c. Quare culpa esset lethalis huic præcepto contravenire: Nam tanquam de re gravi semper intellexit Ecclesia*. Pontas vero sic tradit (11): *Mihi quidem videtur, in violatione ejus legis committi peccatum lethale: & quidem, quod attinet ad Benedictiones Ecclesiæ, clarum est, cum sit violatio legis in materia gravi*. Idem Rofignolius docuit (12): *Quod autem graviter peccet Parochus solemniter benedicens, & contrahentes recipientes Benedictiones pro temporibus feriatis, ex eo arguitur, quod Concilium Tridentinum gravibus verbis præcipit, servari hanc Ecclesiæ prohibitionem, & Ecclesia consuevit hoc præceptum recipere tanquam de re gravi. Ergo transgressores talis præcepti culpæ gravis rei constituuntur*. Idem sentiunt Leander (13), ac Giribaldus (14): imo, cum aliqui Theologi putaverint illos levis tantum culpæ reos, qui in celebrando tunc Matrimonio exiguam solum pompæ speciem instituerint, omnes tamen, cum de Benedictionibus agitur, lethali culpæ obnoxios declarant, qui tali præcepto non paruerint: *Utrum vero* (ait Coton (15)) *hæc prohibitio sit sub mortali? Quo ad Benedictionem, omnes affirmant*.

VIII. Satis perspectum est omnibus, quid gerendum sit, cum Matrimonium celebratur. Nam peractis jam tribus promulgationibus, ex quibus nullum impedimentum cognitum fuerit, Parochus Stola, ac Superpelliceo indutus adesse in Templo debet, ac Clericum habere comitem cum Superpelliceo, qui Librum, & Vas aquæ lustralis præferat. Deinde coram duobus, vel tribus testibus a viro exposcit, an eam mulierem sibi in legitimam uxorem ducere velit; post hæc ad mulierem idem sermo convertitur, an eam virum in legitimum maritum sibi depoſcat, Postquam mutuum ipsorum consensum Parochus expressit, hæc verba pronunciat: *Ego conjungo vos in Matrimonium: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Eodem tempore signum Crucis manu efficit, & Conjuges aqua lustrali aspergit. Deinde Parochus Benedictionem annulo impertit, & aquam lustralem superinfundit, eumque Sponso tradit, qui digito annulari Sponsæ innectit. Interim Sacerdos reliquas preces prosequitur, quæ a Rituali Romano præscribuntur, & signum Crucis toties efformat, quoties in ipso Rituali indicatur.

IX. Nulla sane Benedictio solemnis in his omnibus continetur, & peragi sine ullo dubio possunt, licet feriarum temporibus Matrimonium fiat. Id præsertim ex eo comprobatur, quod hæc omnia, quæ superius explicavimus, permittuntur in celebrandis secundis nuptiis, quæ tamen solemni Benedictione carere debent (16); quod etiam præcipitur in Rituali Romano (17): *Caveat etiam Parochus, ne, quando Conjuges in primis Nuptiis benedictionem acceperint, eis in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam Vir ad secundas Nuptias transeat*.

X. His peractis Parochus Sacrum facit *pro Sponso, ac Sponsa*, quod ultimum inter Sacra Votiva in Missali proponitur. Sed quoniam die Dominico, aut aliis Festis diebus Sacrum ejusmodi fieri nequit, si tunc nuptiæ faciendæ fuerint, Sacrum præscribitur de die Dominico, seu Festo, cui superadditur Oratio *pro Sponso, ac Sponsa*, uti in Missali perhibetur. Aliæ pariter Orationes *pro Benedictione Sponsi, ac Sponsæ* adduntur, quæ post *Orationem Dominicam, & Ite Missa est*, proferri consueverunt (18).

XI. Dum hoc Sacrum agitur, solemnis Benedictio Sponsis dari intelligitur: *Benedictio* (inquit Bissus) *Nuptiarum fit cum Missa, quæ habetur pro Sponso, & Sponsa in Missali in fine Missarum Votivarum*. Quare, cum hæc Missa solemnes Benedictiones contineat, tunc solum celebranda est, cum licet Nuptiis Benedictionem impertiri, non autem, cum hæc Benedictio prohibetur: *His expletis* (sic legitur in Rituali Romano, *si benedicendæ sint Nuptiæ; Parochus Missam pro Sponso, & Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus, quæ ibi præscribuntur*. Sacrum ejusmodi, cum pompam, ac solemnitatem Ecclesiasticam præseferat, quam tempore Adventus, & Quadragesimæ Ecclesia improbat, ideo celebrari nequit a prima Dominica Adventus, usque ad Epiphaniam, & a Feria quarta Cinerum usque ad totam Paschatis Octavam, quo tempore Benedictiones solemnes Nuptiarum non permittuntur, quæ cum eodem Sacro conjunctæ sunt, uti Bissus expendit, qui post ea verba, quæ nuper commemoravimus, nempe, *Benedictio Nuptiarum fit cum Missa, quæ habetur pro Sponso, & Sponsa, in Missali in fine Missarum Vo-*

*sti-*

---

(1) *In cap. Cappellanos sub tit. de Feriis.* (2) *In Rubrica de Sacramento Matrimonii.*
(3) *In Decreto Gratiani causa 23. quæst. 4. Can. 8. & seq.*
(4) *Cap. 10. sess. 24. de Reform. Matrimonii.* (5) *In Rubrica superius allata de Sacramento Matrimonii.*
(6) *De Matrimonio lib. 7. disp. 7. num. 10. & seq.* (7) *De Matrimonio lib. 6. cap. 8. num. 8.*
(8) *De Matrimonio disp. 22. Sect. 2. n. 7. & seq. Disp. 23. de Matrimonio diffic. 1. n. 2. &c.*
(9) *In loco allato.*
(10) *In locis allatis.* (11) *In loco superius allato n. 3.*
(12) *In loco allato num. 10. In loco allato num. 4.* (13) *In loco superius allato quæst. 78.*
(14) *In tract. 10. de Sacram. Matrimonii cap. 9. dub. 3. num. 21. & 22.*
(15) *In lib. 5. de Sacram. Matrimonii cap. 4. num. 282. & seq.*
(16) *In cap. Cappellanum, & cap. Vir autem de secundis Nuptiis.*
(17) *In dicta Rubrica de Sacram. Matrimonii.*
(18) *Bissus in sua Hierurgia tom. 1. verbo Benedictio num. 72. §. 8. Meratus in tom. 1. par. 1. super Gavantum tit. 4. num. 10.*

*tivarum?* hæc ſtatim ſubjicit: *Hæc Benedictio Nuptiarum fieri non poteſt a prima Dominica Adventus uſque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque ad Octavam Paſchatis inclusive, quo tempore prohibentur Nuptiæ.* Quamobrem, ſi novi Sponſi Sacrum expoſcant, in quo Divinam Euchariſtiam ſimul percipiant, uti conſentaneum eſt, Parochus Sacrum ejus diei faciet, non illud tamen, quod modo indicavimus, cum quo ſolemnes Benedictiones feriarum temporibus vetitæ junguntur. Neque eas Orationes *pro Sponſo, & Sponſa*, recitare poterit, uti perſpicue oſtendimus, cum diebus Dominicis, aliiſque Feſtis extra feriarum tempus aguntur matrimonia, quibus diebus Sacrum *pro Sponſo & Sponſa* in Miſſali propoſitum fieri non conceditur, quod paulo ante expoſuimus.

XII. Illud pariter affirmavimus, neque Benedictionem, neque ullam pompam permitti ob eam facultatem, quæ ad contrahenda matrimonia feriarum temporibus tribui conſuevit. Id ex verbis ipſius facultatis apertiſſime deſumitur. Nam Parocho conceditur, ut ſupplices coram Eccleſia in Matrimonium conjungat, licet feriarum tempus intercedat, tamen hæc ſimul præcipiuntur: *Sponſis tamen indicimus, ne ullam Nuptiarum pompam hoc tempore ſtatuant &c.* Rejecto quocumque vano apparatu, hæc Parocho mandantur: *Inſuper tu ſervabis conſuetam normam Sacri Concilii Tridentini, ac Ritualis Romani.* Quare, cum ſolemnes Benedictiones, quas antea memoravimus, juxta Tridentinam Synodum, ac Rituale Romanum feriarum temporibus impertiri non liceat, neque id ſane licitum erit ob facultatem, quam Sponſi pro ineundo iiſdem temporibus Matrimonio conſecuti ſunt.

XIII. Quid igitur ponderis habet hæc facultas, inquiet aliquis, ſi hoc beneficium, & Matrimonii ſolemnitatem nequaquam præſtat; cum antea dictum a nobis præſertim fuerit, Matrimonium feriarum tempore confectum eſſe licitum, & validum, ſi tamen apparatu, ac celebritate careat. Attamen hoc reſponſum ſatis eſſe ducimus, ut omnem dubitationem auferamus.

XIV. Equidem ejuſmodi Matrimonium omnino probatur, ſi juris communis ratio habeatur; contra vero ob Synodi Decreta, aut peculiarem alicujus diœceſi conſuetudinem idem Matrimonium non licet; quamvis ſine apparatu, ac pompa ducatur, dum feriarum tempus interjicitur: Ita rem ſapienter exponit Vaneſpenius, cujus teſtimonium inferius afferemus (1), eadem ſententiam tuetur Clericatus (2). Hac pariter ratione poteſt explicari quorumdam Theologorum opinio, qui aſſerunt nullo modo feriarum tempore Matrimonium iniri poſſe, ſive ſolemnitas intercedat, ſive omni pompa careat (3).

XV. His itaque præhabitis, cum in hac diœceſi ob veterem conſuetudinem Matrimonia contrahi vel abſque pompa non liceat, dum feriarum tempus agitur, neceſſario facultas obtinenda eſt, ut ipſa licite conficiantur (4). Cum hæc ita ſint, eadem facultas non exiguum affert beneficium, quæ Matrimonia his temporibus vetita permittit, quamvis ob ipſam nec vanus pompæ apparatus, nec ulla Eccleſiæ ſolemnitas adhiberi poſſit. Neque ſane Deceſſores noſtri, ac nos ipſi facultatem eamdem pro ineundis feriarum tempore Matrimoniis abſque ulla celebritate temere, aut inconſulto conceſſimus. Quippe in dubium revocari nequit nos ea auctoritate præditos eſſe, ut contrariam conſuetudinem abrogemus; dubitari tamen poteſt, an ſolemnitatem ullam Nuptiarum vetitis temporibus elargiri poſſimus, cum omnis pompa a Sacris Canonibus tunc proſcribatur. Illud ſaltem incertum ſemper foret, an ſufficiens cauſa interveniret; nam qui auctoritatem Epiſcoporum in hac re magnopere prædicant, maximam ſemper cauſam exquirunt, ut Sacrorum Canonum Decretis iidem Epiſcopi contrarium aliquid ſuſcipiant (5).

XVI. Poſtremo loco expoſuimus probata ſemper fuiſſe in hac Diœceſi, ac diligenter obſervata omnia, quæ ſuperius declaravimus. Franciſcus Leo Vicarius generalis hujus Civitatis ac Diœceſis, cum Alphonſus Palæottus hanc Sedem teneret, librum Typis edidit ita inſcriptum: *Theſaurus Fori Eccleſiaſtici* (6), in quo hæc docet: *Et licet Nuptiarum ſolemnitates tertii anni temporibus etiam prohibitæ reperiantur, tamen etiam tempore prohibito ſine Nuptiarum ſolemnitatibus Matrimonium contrahi poteſt, cum tantum ſolemnitates, non matrimonia ſint prohibita.* Paulo ante Patris Giribaldi opinionem adduximus, qui per tot annos Pœnitentiarii munere in hac civitate functus eſt. Ipſe præſertim inquirit (7): *Quid intelligatur per ſolemnitates Nuptiarum, quæ dictis temporibus* (nempe adventus, & Quadrageſimæ) *prohibentur?* atque ita reſpondet: *Per ſolemnitatem prohibitam Nuptiarum intelligi Benedictionem ſolemnem, quæ ſcilicet ſolemniter intra Miſſæ Sacrificium in Eccleſia celebratur, necnon ſecularem pompam cum feſtivis lætitiæ ſignis, traductionem Sponſæ in domum Sponſi cum plauſu, comitatu, & ſtrepitu, convivia, choreas, cantus, & ſimilia, juxta communiorem Doctorum ſententiam.* Deinde (8) etiam quæſtionem inſtituit, cujuſnam culpæ reus habeatur, qui hoc mandatum detrectaverit, & ſtatim hæc ſubdit: *Reſpondeo, Benedictionem ſolemnem graviter prohiberi, adeo ut peccent mortaliter Sacerdotes Benedictionem illis temporibus dando, & Laici ipſi conjugati eam petendo, & ſuſcipiendo; quia eſt res gravis, & ſub verbis præceptivis præſcripta a Tridentino, & ita in praxi ſervatur.* Cardinalis autem Gabriel Palæottus (9), poſtquam indixit, ne Sacerdos ſecundis Nuptiis benedicat, ita ſermonem proſequitur: *Neque item primis ipſis Nuptiis benedicet temporibus a Sacro Concilio prohibitis, hoc eſt a prima Dominica Adventus uſque ad Epiphaniam inclusive, & a feria quarta Cinerum uſque ad Octavam Paſchatis Reſurrectionis inclusive ſub pœnis, & cenſuris a Sacris Canonibus injunctis.* Alphonſus Palæottus, qui in ejus locum ſuffectus fuit, hæc quoque decernit (10): *Sacerdos nunquam ſecundis Nuptiis benedicet, ſive Mulier, ſive Vir tantum ad ſecundas Nuptias tranſierit; Neque primis Nuptiis benedicat, cum feriarum tempus interponitur; nempe a prima Dominica Adventus uſque ad Epiphaniam, & a feria quarta Cinerum uſque ad Octiduum totum Paſchatis.*

XVII. Sed jam ſermonem convertamus ad eam quæſtionem, utrum Matrimonio vacare liceat, quod initum fuit feriarum temporibus. Non inficiamur Canonum Interpretes magis præclaros in ea fuiſſe opinione, ut id ſine culpa fieri non putaverint, adducti auctoritate *Capitis Cappellanus* illiſque poſtſimum verbis *quocumque tempore de Feriis.* Illorum teſtimonia Fagnanus etiam probat, atque integre commemorat (11). Illud pariter non ignoramus aliquas ſententias a Sacra Concilii Congregatione promulgatas eſſe, quæ opinionem eamdem tueri, ac confirmare videntur. Neque Pignatellus eo loco, quem inferius nominabimus, hanc difficultatem ſatis diſſolvit, cum affirmat haud ſatis conſtare de iiſdem ſententiis; vel editas fuiſſe, cum peculiare aliquid ſtatuendum proponeretur. Nam illas nos ipſi perſpeximus (12), & licet pro eventu aliquo peculiari pronunciatæ fuerint, plurimi tamen faciendæ ſunt, legemque indicunt, dum mentem Concilii interpretantur. Illud quoque fatebimur moneri a Tridentina Synodo (13), ne Sponſi Matrimonio indulgeant, priuſquam a Sacerdote Benedictionem acceperint. Attamen, ſi contra fiat, nullum crimen admitti exiſtimamus, quod etiam a celeberrimis Theologis, & Canonum Interpretibus merito defenditur.

XVIII. Ac primum Cardinalis Bellarminus (14) Sanctum Thomam, Cajetanum, & Navarrum prius nominat, ac deinde ſic tradit: *Non interdici illis temporibus celebrationem Matrimonii per verba de præſenti; & etiam conſummationem, ſed ſolemnem tantum Sponſæ deductionem, & publicam illam pom-*

---

(1) *In loco allato num. 17.* (2) *de Sacram. Matrim. deciſ. 37. n. 11. & 12.*

(3) *Habertus in Theolog. Dogm. & Moral. tom. 7. tit. de Matrimonio cap. 8. §. Quæro autem. Juvenin. de Sacramentis diſſ. 10. quæſt. 7. cap. 13. art. 2. Cardinalis Gotti tom. 4. in 3. par. quæſt. 8. dub. 1. §. 1. n. 7.*

(4) *Roſignolius in loco ſuperius allato n. 8. §. Ratio ſecundæ partis. Braſchius in loco allato num. 6. & 7.*

(5) *Giribaldus in tract. Sacr. Matr. c. 9. dub. 3. n. 23. Lander in 2. par. tom. 1. tract. 9. diſp. 7. quæſt. 79. Monacellus in Formulario n. 1. tit. 8. formul. 8. n. 3. Braſchius in loco allato c. 6. & 7. n. 8. Pont. de Matrimonio lib. 6. cap. 8. n. 11.*

(6) *Par. 2. c. 24. n. 56. & 57.* (7) *In loco ſuperius allato n. 19.* (8) *Num. 22.*

(9) *In part. 3. ſui Archiepiſcopali hujus Eccleſiæ pag. 159.*

(10) *Pag. 84.* (11) *Eodem cap. Capellanus num. 6. & ſeq. de Feriis.*

(12) *In Actis lib. 9. pag. 17. 67. 86. 97. 133. & lib. 12. pag. 4. & 19. a tergo.*

(13) *Seſſ. 24. cap. 1. de Reformatione Matrimonii.*

(14) *Lib. 3. ſuarum controverſiarum lib. 1. de Sacr. Matrim. c. 31.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*pompam, & convivia, quæ in solemnitate Nuptiarum adhiberi solent*. Ipsius sententiam plurimi alii unanimes sequuntur (1).

XIX. Illam tenendam reipsa ducimus, ne vinculum Fidelibus injiciatur, quod a nulla lege clare præscribitur. Insuper id consuetudini, & instituto Ecclesiæ valde consentaneum est, quæ humanæ fragilitatis gratia, rationeque habita, paulatim a veteri disciplina recessit, cum de re ejusmodi quæstiones inducerentur. Siquidem primis temporibus feriati dies non impedimentum simplex, sed dirimens inferebant, uti conjicitur ex epistola 11. Sancti Petri Damiani (2): *Censura Canonica Nuptias illicitis temporibus institutas, remoto omni scrupulo dividit*. Hinc Christianus Lupus hæc scripta reliquit (3): *Quod contractum extra tempora Conjugium fuerit omnino substantialiter nullum, fateor cum Sancto Petro Damiano*. Olim feriati dies totum spatium a Septuagesima usque ad Paschatis Octavam, & præter Adventum Domini tres quoque hebdomadas ante Festum Sancti Joannis Baptistæ complectebantur (4).

XX. Nunc autem ii solum dies feriati dicuntur, quos Tridentinum Concilium expressit, uti jam dictum est. Neque nobis adversari possunt sive Canonum Interpretes, qui contrarium sentiunt, neque Decreta a Sacra Congregatione Concilii Typis evulgata, neque ipsum Tridentinum Concilium. Equidem Canonum Interpretes severitati veterum Canonum plus æquo inhærentes tanquam præceptum statuerunt, quod intra concilii limites solum continebatur: *Quidquid sit de hac sententia* (inquit Vanespenius (5), qui Canonum Interpretes, & Paganum ipsum, uti nos etiam, magni pendebat), *attenta Canonum antiquorum rigorosa expressione, hoc certum est hodie, dictis temporibus* (de vetitis ad incundum Matrimonium diebus sermo est) *nequaquam vetitum esse actum Matrimonialem, sed ad summum consilii esse eis temporibus abstinere, ut mente elatiore, & a carnalibus voluptatibus magis libera vacent orationi, & pietatis exercitiis*. Neque sane contraria sunt Decreta Sacræ Congregationis, quæ non Matrimonium, sed ipsius pompam feriarum temporibus prohibuit, videlicet convivia facere, Sponsam domum deducere, & corpora permiscere: *Sacra &c.* (ita semper respondit Sacra Congregatio) *censuit, etiam temporibus expressis cap. 10. sess. 24. de Reformat. Matrim. posse Matrimonium contrahi coram Parocho, sed Nuptiarum solemnitates, convivia, traductiones ad domum, & carnalem copulam prohiberi*. Attamen adhuc incertum est, utrum his sententiis agatur, *tam de privata, quam de solemni traductione ad domum*. Incertum pariter est, an Sponsi ab omni commercio abstinere debeant; *post publicam traductionem ad domum*: an vero *post privatam traductionem*. Cum tamen in Farfensi Synodo, quam Cardinalis Carolus Barbarinus habuit anno 1625. (6), juxta mentem Sacræ Congregationis, expositum fuerit, quod *licentia hujusmodi obtenta sufficiat etiam ad traductionem Sponsæ ad domum Sponsi statim post celebratum Matrimonium, ita tamen, ut omittantur solemnitates in traductione aliàs adhiberi solitæ*. Hinc quisquis intelligere potest, non ita facile Sac. Congregat. Decreta congruere, ut suas opiniones ipsi Interpretes sustineant. Postremo illa Tridentinæ Synodi verba contraria non videntur: *Præterea eadem Sancta Synodus hortatur, ut Conjuges ante Benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent*. Hæc enim nequaquam rem præcipiunt, sed consulunt, uti Monacellus (7), ac Baruffaldus (8) hujus nostri Centensis Oppidi Archipresbyter sapienter advertunt: Baruffaldus variis etiam rationibus corroborat ea omnia, quæ in has litteras congessimus.

XXI. Paulo ante declaravimus licentiam pro contrahendo Matrimonio feriatum temporibus satis esse, ut Sponsa privatim ad ædes Sponsi deducatur, quod Sacræ Congregationi consentaneum est. Id autem declaravimus non solum adducti Farfensi Synodo, quam nuncupavimus, sed quia nos ipsi hoc Decretum ipsius Congregationis deprehendimus inter Pagellas, quas accuratissimo studio collegimus, cum in eadem Sacra Congregatione Secretarii munere fungeremur.

## DUBIUM TRADUCTIONIS SPONSÆ.

*Nonnulli Parochi pro sua, & Matrimonia contrahentium quiete supplicant declarari: An, concessa per Episcopum licentia contrahendi Matrimonium temporibus a Sacro Concilio vetitis, in iis locis, in quibus dispositio ejusdem Concilii ad ipsum quoque Matrimonii contractum reperitur a consuetudine extensa, dicatur etiam permissa traductio Sponsæ, seu Uxoris, ad domum Viri*.

XXII. Altovitus quidem tunc temporis a Secretis contrariam opinionem exhibuit ob reliquas Sacræ Congregationis sententias, quas superius indicavimus. Id apertissime constat ex ipsius suffragio, quod nos diligenter servamus. Verum Sacra Congregatio sic respondit: *Affirmative, dummodo traductio fiat absque solemnitatibus*.

XXIII. Quamobrem nemo in posterum hac de causa nec sibi, nec aliis religionem, aut scrupulum injiciat; quod si pravas consuetudines in hac re de medio tollere vehementer cupiat, curam omnem, studiumque conferat, ut penitus extinguat falsam illam opinionem vulgi, quæ jam nimis invaluit, nempe infaustis auspiciis Uxorem duci mense Majo: *Abolenda sane* (sic decernitur in Synodo Burdigalensi (9)) *perversa illa, ac superstitiosa quorumdam opinio, mense scilicet Majo Uxorem non ducendi, quasi aliquid ex eo mali augurii emanans fidelitati Contrahentium, ac prosperitati Nuptiarum officere possit*. Doceatur igitur populus, & ab omnibus Parochis sæpe instruatur, ut superstitiosis illis nugis fidem haudquaquam adhibeat; sed, præter ea tempora, in quibus ex præscripto Ecclesiæ a celebratione Nuptiarum abstinetur, nullum esse, quo ipsæ jure, & canonice celebrari prohibeantur.

## INSTITUTIO LXXXI.

*De Sacris Oleis quæ distribui, tradique Parochis consueverunt. De ipsorum origine. Debent Episcopi ea consecrare, ac deinde Parochi illa ab Episcopo accipere. De quibusdam corruptelis, quæ ratione Olei Infirmorum contigerunt. Utrum Parochus graviter peccet, qui administrans Infirmis Extremam Unctionem utitur Oleo superioris anni. Proponuntur remedia, & consilia ad eas corruptelas evitandas*.

I. Benedictio, & Consecratio Sacri Olei pro Catechumenis, ac pro infirmis, & Sacri Chrismatis, quæ ab Apostolis primum instituta in Ecclesiam dimanavit, uti Pouget asserit his verbis (10): *Ritus ille* (de Sacri Olei Benedictione sermo est), *traditione Apostolica ad nostra usque tempora perseverat*; quæ pariter Episcopis ita convenit, ut Sacerdotes, qui Benedictionem ejusmodi sibi depoposcerant, in II. Carthaginensi Conc. graviter objurgati fuerint: *Ab universis Episcopis dictum est: Chrismatis confectio, & puellarum Consecratio a Presbyteris non fiant*; hæc, inquam, Benedictio feria quinta *in Cœna Domini* a S. Fabiano Pontifice sæculo III. decreta fuit (11). Quod si huic documento fides præstanda non videatur, ad sæculum VII. ex veteri, universaque Ecclesiæ disciplina hujus Benedictionis initium referendum est. Nam de ipsa Olei Consecratione *in Cœna Domini* mentio est in Sacramento Sancti Gregorii, atque in veteri Ordine Romano. Ipsam quoque commemorant Scriptores, qui circiter ea tempora

---

(1) *Sanchez de Matrimonio lib. 7. num. 21. & seq. Pontas lib. 6. cap. 8. num. 9. Perez de matrim. disput. 22. sect. 20. num. 2. Filiuc. tract. de Sacr. Matrim. contract. 15. poenit. 3. num. 3. Cotton. lib. controvers. cap. 4. num. 283. Bonacina tom. 1. de Impedimentis quæst. 3. punct. 14. propos. 1. vers. ex dictis sequitur. La Croix tom. 2. lib. 6. part. 3. num. 470. Bissus in Hierus. tom. 2. num. 27. Diana edition. coordinata tom. 2. resolut. 102. Giribal. tract. 10. de Sacram. Matrim. cap. 9. n. 19. Leo in Thesauro Fori Ecclesiastici par. 2. cap. 24. num. 57. Schmalzgrueb. tom. 4. tit. 16. num. 39. Monacellus in Formul. Legal. tom. 1. tit. 8. num. 2. Pignatel. tom. 6. consult. 47.* (2) *Lib. 5.*

(3) *Lib. 4. de Conciliis pag. 43. antiq. editionis.*

(4) *Can. 10. 33. quæst. 4. & cap. de Feriis.*

(5) *Par. 2. Juris Ecclesiast. tit. 13. cap. 2. sub. num. 16. tom. 1.*

(6) *Cap. 14. num. 12.* (7) *In eodem loco num. 2.*

(8) *In suis observationibus de Rituali Romano tit. 41. de Sac. Matrim. num. 41.*

(9) *Anno 1642. cap. 7. de Matrimon. num. 5.* (10) *In suis Institutionibus Catholicis lib. 2. cap. 8. §. 3.*

(11) *In Canone* Litteris vestris 18. *de Consecration. dist. 3.*

pora *de Divinis Officiis* aliquid in lucem tradiderunt: *Videtur autem* (inquit Vanespenius (1) *seculo septimo præsens disciplina de conficiendo Chrismate in Cœna Domini invaluisse.*

Insuper non solum dies pro eadem Benedictione peragenda, sed locus etiam, nempe Cathedralis Ecclesia designata fuit (2). Peculiaris etiam Ritus præscriptus fuit, nempe, ut tot Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, & Acolythi interessent, quemadmodum in Romano Pontificali decernitur (3). Is tamen Ritus vetustissimus est. Nam Martene rerum Sacrarum eruditione clarissimus putat hac de causa excitatos fuisse simplices Sacerdotes, ut Sacri Olei Benedictionem sibi expostularent, quod non solum a Concilio Carthaginensi, uti dictum est, sed a Sacris Canonibus denegatum fuit (4): *Et quidem* (inquit Martene) *huic præsumptioni occasionem præbere potuit antiquissimus Ecclesiæ usus Presbyteros una cum Episcopo adhibendi ad Chrismatis Consecrationem, si non ut cooperatores, saltem ut tanti Misterii testes.*

II. Sicuti debent Episcopi Sanctum Oleum Feria quinta Majoris Hebdomadæ consecrare, ac benedicere, ita pariter Diœcesani Oleum ipsum jam consecratum ab Episcopo suscipere tenentur. De illis diœcesanis agimus, quibus Sanctum Oleum necessarium est, videlicet de Parochis, qui habent Fontem Baptismalem: nam cum Benedictio ipsius facienda est Sabbato Majoris Hebdomadæ, Chrisma, & Oleum Catechumenorum necessario requiruntur (5). Idem Oleum exigitur, cum Baptismus administratur. Ad Episcopum pariter se conferre debent Præfecti Regulares, qui ea facultate præditi sunt, ut Altaria tum immobilia, tum portatilia, Patenas etiam, & Calices consecrare possint, & Campanis benedicere pro suis tantum Ecclesiis, quemadmodum alio loco ostendimus (6). Nam uti necessario debent Chrismate, Oleoque Catechumenorum in sacrandis ejusmodi Altaribus; Chrismate solum ad Patenas, & Calices consecrandos, tandem eodem Chrismate, Oleoque Infirmorum, cum Benedictio Campanis impertitur. Insuper Parochi Civitatis, ac Diœcesis, Præsides Monasteriorum, & Collegiorum Regularium, Confessarii Monialium, qui Sacramentum Extremæ Unctionis per se, vel per alium administrare debent, Sanctum Oleum ab Episcopo Diœcesano petant necesse est; illisque penitus interdicitur ad alium Episcopum confugere, ut Sacra Olea percipiant. Gratianus (7) Canones ejusmodi commemorat: *Si quis de alio Chrismate, quam de illo novo, quod proprii Episcopi largitione, vel concessione acceperit, baptizare, nisi præoccupante morte, tentaverit, pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur* (8). Item Canone 123. ita statuitur: *Presbyteri, qui Diœcesanas regunt Ecclesias, non a quibuslibet Episcopis, sed a suo ante Paschæ solemnitatem Chrisma petant*, secluſa quacumque immunitate, quæ cum lege Diœcesana contineatur, nullo modo adversari potest iis rebus, quæ potestati Ordinis conveniunt. Id sancitur in Capite *Veniens, de Prescriptionibus*; idemque monent Canonum Interpretes, qui explicantes Canonem, *Presbyteri dist.* 45. sic tradunt: *Peccant ergo Abbates, qui volunt hoc* (nempe Chrisma), *potius accipere ab aliis, quam a suis*: Plura alia superaddit Passarinus (9), cujus auctoritas maximi facienda est, quia Sacrarum Congregationum sententias plane novit; idemque sui ingenii monimenta Romæ promulgavit, ac pluribus annis Procurator generalis Ordinis Sancti Dominici magna cum laude hoc munus exercuit. Abrogantur pariter quæcumque peculiaria privilegia, ob quæ Sancta Olea percipere a quolibet Episcopo liceat; vel quia hujusmodi privilegia tunc solum vim obtinent, cum Episcopus schismaticus, hæreticus, suspensus, & interdictus habetur; vel cum idem Episcopus munus aliquod ob rem sacram exquirit. Id constat ex Privilegio, quod Honorius III. præclaro Sancti Dominici Ordini concessit (10). Illa postremo causa afferri potest, quæcumque, licet amplissima, privilegia post Tridentinam Synodum ad eos limites redigenda esse, quos paulo ante exposuimus: Cardinalis Petra id sapienter demonstrat (11).

III. Nos profecto Sanctum Oleum pro Infirmis, pro Catechumenis, Sanctumque Chrisma quotannis Feria quinta in *Cœna Domini*, postquam in hanc Sedem Dei beneficio, & Sedis Apostolicæ gratia pervenimus, consecrare, ac benedicere nunquam omisimus, omnemque solemnitatem in hac Metropolitana tunc indiximus. Nec sane deprehendimus aliquem ex nostris Diœcesanis, qui Sanctum Oleum extra Diœcesim petierit. Illud tamen animum nostrum magnopere commovit, quod aliquis non semel Sanctum Oleum a nobis consecratum exposcere prætermiserit, & veteri usus fuerit, cum necessitas impulit, ut supremam Unctionem ægrotantibus conferret. Etenim pro certo habebat, nequaquam designari illorum nomina, quibus idem Oleum conceditur, neque eorum, qui aliquem sub loco ad Urbem mittunt, ut Sacrum Oleum decenter accipiant; quod necessarium revera est, ut ii potissimum cognoscantur, qui Oleum a nobis singulis annis consecratum habere neglexerint. His proculdubio prospicere debemus, ne apud Deum gravis incuriæ rei constituamur. Sed prius paterna benevolentia monendos illos volumus, quos Christianæ charitatis gratia haud nominamus, ut sibi consulant, quod Sacrum Oleum pro Infirmis expostulare per se ipsos, aut per alium contempserint; illudque Oleum pro Sacramento Extremæ Unctionis adhibuerint, quod superioribus annis consecratum fuit.

IV. Nequicquam investigavimus rationem aliquam, ob quam ipsi a gravi criminis nota vindicentur. Illud fortasse pro causa excusationis adducent, veteris Olei copiam sibi superfuisse. Sed quis ignorat vetus Oleum comburendum, cum novum consecratum fuerit? *Vetus autem Chrisma* (sic legitur in Pontificali Romano), *& Oleum Catechumenorum, ac Infirmorum, si quod remanserit in ampullis, ponitur in Lampadibus Ecclesiæ ante Sacramentum, ut comburatur. Reliquum autem, quod est in Pyxidibus, sive Capsulis cum bombice, igni comburitur; & novum deinde cum novo bombice in Pyxidibus, sive Capsulis imponitur.* Idem statuit Sanctus Carolus Borromæus (12): *Parochus ubi primum Olea Sacra nova acceperit, vetera statim comburat in Lampade, quæ ante Sanctissimum Sacramentum colluceat, bombice in Sacrario plane exusto.* Postremo cognitum satis est omnibus, quod tradit Clericatus (13): *Sexta tandem difficultas est, an possit administrari Sacramentum Extremæ Unctionis Oleo benedicto veteri, idest annis præteritis consecrato? Et respondent Doctores, valide posse, non autem licite; quia singulis annis vetus Oleum Sacrum est comburendum, & novum consecrandum feria quinta Cœnæ Domini.* Id patet ex Canone 122. de Consecrat. dist. 4. clare desumitur, quemadmodum verba superius relata demonstrant. Dicet fortasse aliquis traditum a Theologis legisse, Oleo jam consecrato superaddi posse haud consecratum Oleum, eoque supremam Unctionem ægrotantibus administrari, eamque sententiam, ac normam secutos se fuisse affirmabunt. Illam certe nos minime improbamus, si Oleum, quod superinfunditur, Olei consecrati copiam non exuperet, quod monetur in Rituali Romano (14). In quarto Mediolanensi Concilio, quod modo nominavimus, & a Sacra Congregatione Sancti Officii, quæ die 23. Septembris anno 1682. idem constituit, illudque Sacræ Congregationis Decretum integre Clericatus commemorat (15). At vero hujusmodi opinio tunc solum locum habet, cum accepto Oleo præscriptis temporibus, illud deesse incipias priusquam recens Oleum ab Episcopo consecretur; non autem cum Parochus Oleum petere neglexit, ac ne ipsum desit, non consecratum Oleum cum sacrato permiscet. Illud quoque in medium proferent rite conferri Sacramentum Extremæ Unctionis, quamvis Oleum vetus adhibeatur; verum in eo controversia posita non est, utrum possit hoc pacto Sacramentum administrari, sed an liceat. Tandem reponent, id procul dubio licitum esse, si necessitas urgeat conferendi Sacramenti, nec aliud Oleum suppetat, nisi pristinis annis consecratum. Id nequaquam nos inficiamur, cum præsertim probatum fuerit a Sacra Congregatione pro causis Episcoporum designata, & a pluribus scriptoribus, quos Diana sequitur, ac fuse recen-

---

(1) *In Jure Eccl. univ. par.* 2. *tit.* 3. *num.* 13. (2) *In Decretali*, Te referente, *de celebratione Missarum.*
(3) *Tit. de Officio in feria quinta Cœnæ Domini* (4) *Can. si jubet* 1. *Can. Presbyter. nu.* 26. *quæst.* 6. *de antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis tom.* 4. *pag.* 240. *n.* 3. (5) *Cap. unico de Sacr. Unctione.*
(6) *Instit.* 20. (7) *De Consecrat. dist.* 4. (8) *Can.* 122. (9) *De statibus hominum tom.* 3. *quæst.* 189. *art.* 10. *inspect.* 10. *n.* 910. *& seq.* (10) *An.* 1218. *tom.* 1. *Bull. novi illius Religionis.*
(11) *In Comment. Constit.* 5. *Innocentii tom.* 3. *sect. unic. a n.* 25. *usque ad finem.*
(12) *In quarto Concilio Provinciali Mediolanensi part.* 2. *to.* 1. *de Actis Ecclesiæ Mediolanensis editionis Lugdunen. p.* 107.
(13) *De Extrema Unctione decis.* 105. *num.* 16. (14) *De Sacramento Extremæ Unctionis loco superius allato. nu.* 14.
(15) *Gavantus in Manuali verbo Extrema Unctio num.* 10. *Diana in editione coordinata tom.* 1. *tract.* 4. *resol.* 1.

censet. At vero is tantum culpa vacuus, & immunis erit, qui Oleo veteri ægrotantes unxerit ob eam rationem; quod recens Oleum accipere legitima causa impeditus non potuerit. Aliter tamen de illo judicandum est, qui novum Oleum exposcere negligenter omiserit, & consulto in eam necessitatem redigitur, ut Oleo veteri utatur.

V. Post hæc ad remedia deveniamus, quæ proponenda sunt, ut corruptelæ hujusmodi in re gravissima de medio auferantur. Pauca subjiciemus de loco, ubi Sanctum Oleum recens consecratum distribuitur, de tempore, de Ministro, qui Oleum impertit, ac de illis, qui idem Oleum poscere debent; postremo de accurato studio, quod impendendum est, ut dignoscitur, qui Sanctum Oleum, & quo tempore perceperint. Ac primum in Sacrario nostræ Metropolitanæ Oleum tribuitur a sacerdote, qui huic negotio præponitur, nec quidquam novi decernendum in hoc putamus. A feria quinta *in Cœna Domini*, statim ac Oleum sacratum fuerit, usque ad Sabbatum *in Albis* pro ipso accipiendo tempus statuitur omnibus, qui vel in Civitate, aut in Diœcesi versantur. Parochos tamen Diœcesanos, qui Baptismalem fontem suis in Ecclesiis habent, magnopere hortamur satagere omni studio, ut Oleum a nobis eadem feria quinta consecratum statim obtineant, quo utantur Sabbato majoris hebdomadæ, cum Benedictio Fontis Baptismalis instituitur, quæ Sacrum Chrisma necessario requirit; & valde commendandi sunt, si tunc recens Chrisma a nobis sacratum adhibeant. Accedit etiam, quod Parochi subjectis Ecclesiis præpositi ad eamdem Benedictionem conveniunt, vel alium Sacerdotem suo loco sufficiunt, quibus eodem tempore Oleum pro Infirmis tradi posset, quod ipsi ex Urbe attulerunt. Præcipimus autem, ut Oleum viro solum Ecclesiastico, *qui Sacris* Ordinibus initiatus sit, tradatur a Sacerdote, cui hoc munus fuerit demandatum, qui libro quoque adnotabit Ecclesias, quibus idem Oleum traditum fuerit: sic enim a S. Carolo decernitur (1): *Cui in Ecclesia Cathedrali id muneris datum est, ut Oleum, aut Chrisma Sacrum Plebanis, aliisve distribuat, is in Librum eo nomine confectum illarum Ecclesiarum nomina referat, quibus dederit*. Nos autem in hebdomada post Sabbatum *in Albis* duos Canonicos hujus nostræ Metropolitanæ nominabimus, qui librum eumdem percurrant, & quos delinquentes invenerint, nobis pacefaciant, ut pœnam debitam ipsis irrogemus.

VI. Nemo miretur nos indixisse, ut Sanctum Oleum viro tantum Ecclesiastico, Sacris Ordinibus prædicto, concedatur. Nam haud sine magno animi nostri mœrore deprehendimus illud ob pravam consuetudinem tradi consuevisse pueris, aut rusticis, aut mulionibus, quod indignum est, & a Religione penitus alienum. Nam cultus, ac veneratio præstanda est Sacro Chrismati, Sanctisque Oleis, quæ pro Catechumenis, atque Infirmis consecrantur. Oleum quidem Infirmorum est materia remota pro Sacramento postremæ Unctionis, alio tamen modo, ac peccata in Sacramento Pœnitentiæ materia quoque remota appellantur; nam peccata destrui, & expiari, Oleum vero retineri, & applicari debet. Insuper ea corruptela, ob quam pueris, rusticis, aut etiam mulionibus Oleum tradi solebat, Conciliorum Decretis prorsus adversatur. Nam in quarto Carthaginensi ita sancitur (2): *Presbyteri, qui per Diœceses Ecclesias regunt, non a quibuslibet Episcopis, sed a suis, nec per juniorem Clericum, sed aut per ipsos, aut per illum, qui Sacrarium tenet, ante Paschæ solemnitatem Chrisma petant*. In primo Toletano sic habetur (3): *De singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, ut confectum Chrisma ab Episcopo destinatum ad diem Paschæ possit occurrere*. Plura alia Concilia Martene memorat (4), & Pater Ursius ex Ordine Sancti Dominici, qui multa nuper erudite posteris commendavit (5). Id quoque contrarium est juri communi, quo sic decernitur (6): *Diaconus, aut Subdiaconus ante diem Paschæ de singulis Ecclesiis ad Episcopum destinetur*; contrarium etiam Decreto Concilii Provincialis Mediolanensis, quod superius indicavimus: *Si vero omnes* (de illis agitur, qui Sancta Olea distribuunt), *ne illa aliis deferenda dent, nisi iis, qui sacris Ordinibus initiati sunt*; contrarium denique iis, quæ Cardinalis Jacobus Boncompagnus constituit (7): *Ecclesiastico, non Laico, deferenda Vasa Oleorum Sacrorum hebdomada Sancta committent, cum ad Metropolitanam nostram Ecclesiam pro iisdem transmittuntur*. Cum vero non explicaverit, utrum is Ecclesiasticus sacris Ordinibus præditus esse debeat, nos per has litteras id declaramus, & ipsius menti consentaneum censemus, quam a sacris Canonibus alienam nunquam fuisse suspicamur.

## INSTITUTIO LXXXII.

*De Parochis, ac Sacerdotibus, qui habitant cum mulieribus vel consanguineis, vel servitio sibi addictis. Quinam gradus consanguinitatis requirantur. Quibus de causis induci posse videantur mulieres ad servitium rei domesticæ præstandum. Quibus dotibus excellere debeant viri Ecclesiastici, ac mulieres, quæ ipsis inservire permittuntur.*

I. COmmendandum proculdubio magis esset, si Parochi nullis mulieribus suum domicilium commune esse permitterent, licet cognationis vinculo conjungantur, tamen inhærentes recentiori disciplinæ concedimus, ut in societatem contubernii recipiant eas mulieres tantum, cum quibus cognatio intercedit in primo, & secundo gradu, nempe cum matre, avia, amita, ac matertera, cum neptibus etiam sive ex fratre, sive ex sorore; item cum mulieribus affinibus in primo gradu, nempe cum noverca, cum nuru, & cum uxore fratris, sive ipse inter vivos agat, seu vita decesserit; tandem concedimus, ut idem contubernium habeant cum mulieribus, cum quibus affinitatis secundus tantum gradus intervenit; *si alter alteri reverentiam debeat*; uti tradunt Scriptores: inter has mulieres uxor defuncti avunculi adnumeratur.

II. Certissimum est non licere Parochis vitam agere, nisi cum illis mulieribus, quas nuper indicavimus; cum tamen ea consuetudo invaluerit, ut famula pro obeundis ministeriis domi habeatur, ideo permittimus, ut non solum mulieres consanguineas, sed illarum quoque famulas in domicilium sunm Parochi accipiant. Quod si famulus etiam uxorem duxerit, & in Parochi domo moretur, uxor etiam in iisdem Parochi ædibus ex nostra facultate detineatur. Sin autem Parochus nec mulieres consanguineas, nec ullum famulum secum habeat, unam vel etiam duas famulas in domum recipiat, modo tamen has conditiones observet. Primum constet opera famulæ alicujus ipsum necessario indigere. Neque enim novum, aut inusitatum videri debet, si opera sui consanguinei, vel consanguineæ domi utatur, vel etiam affinis, quæ gradus attingat, quos superius memoravimus; opus est etiam, ut Parochus virtutis fama, ac præsertim honestatis erga famulas opinione palam commendetur: nec satis est ostendere vitæ anteactæ rationem, moresque ita immutatos, ut novam disciplinam, novumque vivendi institutum susceperit. Siquidem non decet eam mulierem diutius in Parochi domicilio retineri, de qua suspicio aliqua in populum pervasit. Neque ipsi facile permitti potest, ut novam famulam conducat, nisi ipsius ad tuendam Parochi existimationem cautiones aliquæ adhibeantur.

III. Honestæ pariter esse debent, & communi opinione probatæ mulieres, quæ consanguineis Parochis inserviunt in ipsius domicilio; idem statuendum est de uxore famulorum, ac de ancillis Parochi, quibus idem cum Parocho contubernium permittitur. Ipsarum quoque ætas cognita sit, ita ut Parochi famulæ, qui consanguineis careat, quadraginta saltem annos jam absolverint; aliter tamen decernendum est, si cum Parocho etiam mulieres consanguineæ versentur, aut si famulæ servis in matrimonium datæ fuerint, aut tandem, si aliqua ex Parochi consanguineis curam domus gerat, si tamen iis gradibus cum Parocho juncta fuerit, quos superius enumeravimus. Magnum sane discrimen interest, cum plures simul mulieres, aut mulier una cum viro suo, aut consanguinea cum Parocho eadem domo continentur; diverso tamen modo se res habet, cum sola mulier, nulla sanguinis propinquitate, sed famulæ tantum conditione accita, cum Parocho versatur, qui fortasse per hyemem longissimum noctis spatium non precibus, aut libris impendit, sed cum ipsa famula prope ignem vanis colloquiis insumit. Itaque necesse est, ut eædem mulieres testimonio sui Parochi, cui subjectæ sunt, omnino commendentur; sin autem ad eumdem Parochum spectent,

(1) *In secundo Concilio Mediolanensi tit. 1. Decret. 9. in Actis Ecclesiæ Mediolanensis tom. 1. editionis supradictæ pag. 32.*
(2) *Canone 36.* (3) *Canone 20.* (4) *Loco jam allato cap. 22. n. 3. pag. 266.* (5) *in sua dissert. Historica Theologica de Chrismate Confirmatorio cap. 6. in fine.* (6) *Canone Omni tempore de Consecrat. dist. 4.*
(7) *In sua Synodo lib. 3. cap. 2.*

UAB Universitat Autònoma de Barcelona

ſtent, qui ipſas mulieres famulas accerſit, teſtimonium vicinioris Parochi, aut Vicarii Foranei requiritur. Pro ætate illarum cognoſcenda teſtimonium obſignatum Baptiſmi proferatur.

IV. Qui diſciplinam, & inſtituta Eccleſiæ penitus non ignorat, facile intelligit illud conſilium a nobis haud ſuſceptum eſſe, ut graviſſimum jugum Clero noſtro ſuperaddamus, ſed potius, ut leviorem reddamus eam diſciplinam, quam indicere conſtituimus, quæ nullam ſane novitatem continet, ſed uſu recepta ſemper fuit, & poſteriori hoc tempore ſolum negligi cœpit. Illud tamen expreſſe declaramus, ſi Parochi mulieres conſanguineæ infamia aliqua notentur, non licere cum ipſis in eodem domicilio vitam degere, irritaſque facultates omnes, quas antea ob evulgatam mulierum honeſtatem obtinuerint. Idem ſancimus de ancillis etiam pluſquam quadragenariis, ſi rumor aliquis excitetur, qui ipſarum, vel Parochi nomen offendat. Ingenue pariter fatemur nullam a nobis rationem, vel excuſationem probandam contra ea, quæ his litteris decernimus, cum de negotio res agatur maximi momenti, ac ponderis.

V. Quæ cum ita ſint, præcipimus univerſis Parochis hujus Diœceſis, ut intra ſpatium menſis Auguſti ad Scribam noſtrum Archiepiſcopalem deferant ancillæ, vel ancillarum nomina, quas domi retinent, quamvis etiam mulieres conſanguineas ſecum habeant, & famulæ maritus in iiſdem ædibus cum uxore degat. Teſtimonia de honeſtate, atque opinione, & ſimul de ætate ipſarum mulierum proferent, uti ſuperius indicavimus; facultatem ipſas retinendi a nobis obtinere teneantur, quam nos ipſi, vel noſter Vicarius Generalis obſignabit, *gratiſque* omnibus tribuetur; quotannis eamdem ſibi facultatem confirmari petent, quod etiam *gratis* fiet, uti ſuperiori tempore ſemper in more poſitum fuit. Quod ſi famula, pro qua facultatem a nobis impetravit, intra annum dimittenda ſit, & nova domum inducenda nihil eorum negligat, quæ paulo ante explicavimus. Qui hæc juſſa facere prætermittent, decem ſcuta Romana omnino perſolvent, quæ piis operibus impendentur. Inſuper alias pœnas arbitrio noſtro ſtatuemus, ſi aliquis pervicacius his mandatis parere recuſaverit.

VI. Sacrorum Canonum verba, quibus omnia, quæ ſuperius dicta ſunt, innituntur, non modo Parochos comprehendunt, verum etiam Sacerdotes: quamobrem quæ de illis ſtatuta ſunt, de his quoque *volumus intelligi*. Indicimus præterea, ut quilibet Parochus de omnibus Sacerdotibus Parochiæ ſuæ incolis nos certiores faciat; ſcilicet ut perſpicere valeamus, an ſit inter eos aliquis qui leges haſce quoquo modo auſus fuerit violare.

VII. Omni demum ſtudio præcipimus, ut Vicarii Foranei juſſa hæc noſtra exequentes, bono præluceant exemplo, invigilentque integræ noſtrorum mandatorum executioni, atque in teſtimoniis, quæ pro iis ſcripto tradent, qui ad ſacros Ordines ſunt aſſumendi, illud non omittant, nimirum, cujus aut domum inhabitent iidem Clerici, aut contubernio gaudeant: quod pariter a Parochis non eſſe prætereundum edicimus ſuis in teſtimoniis; alias nihili a nobis habebuntur.

## INSTITUTIO LXXXIII.

*Epiſtola encyclica Parochis Diœceſanis, qua præcedens Inſtitutio fuſius explicatur. De occaſione ſcandali, quod oriri poteſt ex eo, quod mulieres ſimul habitent cum Parochis. De variatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ in hac re. Quoſnam gradus conſanguinitatis attigerit. Qui vero gradus in hac Diœceſi requirantur. De mulieribus introducitis, extraneis, & Agapetis. Quænam ſerio perpendi debeant, antequam Parochis concedatur commune domicilium cum his mulieribus habere. Nullam ineſſe huic diſciplinæ ſeveritatem. Reſponſa redduntur cauſis excuſationem, quæ afferri poſſent.*

I. INſtitutionem ad te mittimus a nobis confectam pro delenda ea graviſſima corruptela, quæ jam per totam Diœceſim invaluit, ut in ædes Parochi pro domeſticis miniſterii obeundis, mulieres inducantur antequam facultas a nobis petatur, quod ſane alienum eſt a Synodo præclariſſimi Deceſſoris noſtri, & ab ipſa conſuetudine, ac diſciplina, quæ retenta fuit, donec ipſe vita deceſſit. Has quoque litteras adjungimus, quibus ſententias ejuſdem Inſtitutionis interpretamur, & aliqua ſuperaddimus, quæ in ipſam Inſtitutionem congerenda non exiſtimavimus. Nemo profecto ſuſpicabitur ex Sacris Canonibus nequaquam deſumi, quæ Clero noſtro præcipimus; ſed facile intelliget omne ſtudium, curamque noſtram in eo poſitam eſſe, ut præſcripta Clero diſciplina facilior ſit, ipſiuſque fragilitatis magis accommodata. Id excitare omnes deberet, (ſi tamen aliquod veſtigium debitæ nobis obſervantiæ in ipſorum animis ſupereſt) ut alacrius juſſa facerent, ne, licet inviti, pœnis a lege conſtitutis ad parendum pervicaces adigamus.

II. III. Sic exorſi ſumus Inſtitutionem: *Commendandum procul dubio magis eſſet &c.* Sanctus Poſſidius res geſtas a Sancto Auguſtino poſteris tradidit: In his commemorat (1) Sancto Auguſtino fuiſſe ſororem, neptim ex fratre, & conſobrinam ex patruo, quibus domicilium ſuum commune nunquam fecit, quamvis iiſdem mulieribus ob cognationis cauſam, & Conciliorum etiam ſanctiones id liceret: *Quas perſonas Sanctorum Epiſcoporum Concilia in exceptis poſuerunt*; eamque rationem hujus ſeveritatis afferre ſolebat: *Dicebat vero, quia etſi de ſororibus, & neptibus ſecum commorantibus nulla naſci poſſet mala ſuſpicio; tamen, quoniam illæ perſonæ ſine aliis neceſſariis ſecumque manentibus fœminis eſſe non poſſent, & quod ad eas aliæ etiam a foris intrarent, de his poſſe offendiculum, aut ſcandalum infirmioribus naſci.* Sanctus autem Gregorius Magnus, cum illos octo Legatos epiſtola 39. lib. 7. inſtrueret, quos ad Patrimonium Eccleſiæ Romanæ adminiſtrandum deſignaverat, illis potiſſimum præſcribit monere Rectores animarum, uti Sancti Auguſtini exemplum ſequantur. *Incautæ præſumptionis eſt, quod fortis pavet minus validum non timere. Sapienter enim illicita ſuperat, qui didicerit etiam non uti conceſſis.*

IV. V. Inſuper hæc habet eadem inſtitutio: *Inhærentes recentiori diſciplinæ &c.* Diverſa quidem diverſis temporibus decreta fuerunt in eam ſententiam, an liceat Presbyteris, & Parochis cum mulieribus conſanguineis ſub eodem tecto immorari. Nicæna Synodus id permiſit (2): Nannetenſis autem (non Moguntina juxta ipſius Synodi inſcriptionem in *Decretalibus* Gregorii IX.) idem interdixit (3): Innocentius III. rem in priſtinum ſtatum reſtituit, quem Nicæna Synodus conſtituerat (4): Interpretes vero (5) rationes varias proponunt, quibus iidem diverſi Canones ſimul concilientur; ac de his quidem longos ſermones conficiunt. Sed ut breviſſime rem totam perſtringamus, Patres Concilii Nannetenſis, ob graviſſima ſcelera, quæ inter Sacerdotes, eorumque conſanguineas in eodem domicilio commorantes acciderunt, indulgentiam, facilitatemque Nicænæ Synodi de medio tollendam arbitrati ſunt. Nam in eodem Capite, *Inhibendum*, hæc leguntur: *Quia, inſtigante Diabolo, & in illis* (de mulieribus Sacerdotum conſanguineis ſermo eſt) *ſcelus perpetratum reperitur*. Deinde Innocentius III. perpendit ea potiſſimum a Legislatore Decretis coerceada, quæ frequenter, non autem quæ raro eveniunt, ideoque Concilii Nannetenſis ſanctionem abrogavit, & permittendum cenſuit, quod a Nicæna Synodo conceſſum antea fuerat: *Cum Clericis* (inquit (6)) *quoque non permittas mulierculas habitare, niſi forte de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale fœdus nihil permittit fœvi criminis ſuſpicari*. De his copioſe differunt Alteſerra, Granonetius (7) & Anaſtaſius Germonius (8).

VI. VII. Poſt hæc ita perſcripſimus in eadem inſtitutione: *Concedimus, ut in ſocietatem Contubernii recipiant eas mulieres &c.* Equidem Nicæna Synodus (9) *Matrem, aut ſororem, aut amitam* cum Sacerdotibus, & Parochis commorari permittit. De reliquis mulieribus conſanguineis mentio eſt in Carthaginenſi Concilio (10): *Cum omnibus omnino Clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, ſed ſolæ matres, aviæ, & materteræ, amitæ, ſorores, & filiæ fratrum, aut ſororum*. Interpretes autem Sacrorum Canonum hæc ſuperaddunt (11): *In linea tranſverſali uſque ad ſecundum gradum poſſunt habere Clerici conſanguineas*. Quæſtionem etiam inſtituunt de illo, qui ante Sacerdotium uxorem duxerit, & ex ipſa plures filias acceperit; item de illo, qui ex aſcendentibus plures mulieres conjunctas habeat, ita reſpondent: *In deſcendentibus, vel aſcendentibus videtur quod uſque ad quartum gradum, ſit am-*

(1) *Can. 26. de convict. fœminarum.* (2) *Can. 3. relato a Gratiano Can. interdixit, dict. 32.* (3) *Cap. Inhibendum de cohabitatione Clericorum, & Mulierum.* (4) *Cap. A Nobis, ſub eodem titulo.* (5) *Super Cap. Inhibendum, verbo Canones.* (6) *Cap. A Nobis.* (7) *Num. 3. eodem cap. A Nobis, & tit. de cohabitatione, Cleric. & Mulier. num. 3.* (8) *Lib. 2. ſuarum Animadv. cap. 18.* (9) *Eodem Can. Interdixit, dict. 32.* (10) *Can. cum omnibus dict. 81.* (11) *Cap. Inhibendum, verbo Canones, de cohabitat. Cleric., & Mulier.*

*amplius poteſt extendi permiſſio, quam in collaterali*. Nihil prorſus agitur de mulieribus affinibus, uti Piringhius advertit (1): *In Sacris Canonibus, in quibus prohibetur cohabitatio mulierum cum Sacerdotibus, & Clericis, nominatim excipiuntur affines, non autem conſanguineae; conſtat enim, majus eſſe fœdus, ſeu conjunctionem inter conſanguineos quippe per ſe immediate conjunctos, quam inter affines, qui per accidens tantum, ſive mediantibus conſanguineis, junguntur*. Cum idem Piringhius mulieres affines iis gradibus, quos jam expoſuimus ſimul cum Sacerdotibus habitare indulgeat, nos pariter illius ſententiam amplexi ſumus.

VIII. IX. *Certiſſimum eſt* (verba ſunt ejuſdem inſtitutionis) *non licere Parochis &c.* id potiſſimum deſumitur ex eodem Canone Nicæni Concilii (2): *Interdixit per omnia Sancta Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, vel alicui omnino, qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem*. Qui Canonum ſcientiam cum rerum ſacrarum cognitione conjunctam profitentur, quid nomine hujus *mulieris ſubintroductæ* intelligatur, magno ſtudio inquirunt. Chriſtianus Lupus (3) *ſubintroductionem* inter contractus innominatos adnumerat, qui ſolum ſacras inter perſonas iniri conſuevit, eamque conventionis ſpeciem Adoptioni, vel Arrogationi comparandam exiſtimat. Siquidem ob hanc *ſubintroductionem* quælibet mulier matris, filiæ, aut ſororis loco habebatur, & hac de cauſa Sacerdos cum illis morabatur: *Hunc ergo contractum* (inquit Chriſtianus Lupus (4)) *Canon noſter iniri vetat a Clericis, niſi cum matre, ſorore, amita, aliiſque perſonis levis ab omni ſcandalo, periculo, piarumque aurium, & oculorum offendiculo*: Hæ vero mulieres, quæ in locum matris, filiæ, aut ſororis ſubrogari ſolebant, *Agapetæ* vocabantur; hanc conſuetudinem improbare S. Joannes Chryſoſtomus nunquam deſitit, donec a ſua Diœceſi prorſus eliminavit. Sanctus quoque Hieronymus eamdem corruptelam vehementer objurgavit (5). Du-Cangius (6), ac Thomaſſinus (7) de his Agapetis verba faciunt. Non inficiamur quidem a Nicæna Synodo has Agapetas fuiſſe prohibitas, ſed illud aſſerimus nomine mulieris *ſubintroductæ* cæteras quoque extraneas contineri; congruit his verbis Carthaginenſe Concilium, quod ſuperius nominavimus (8): *Cum omnibus omnino Clericis extraneæ fœminæ non cohabitent*. Affirmamus etiam, mulieres ſubintroductas, & mulieres extraneas eas appellatas fuiſſe, quæ nullo cognationis vinculo ad Sacerdotem pertinebant. Il multiplici eruditione clare oſtendit Ferdinandus Mendoza in eo libro, quem Clementi VIII. nuncupavit (9): *Quæ autem diceretur mulier extranea, quæ alias ſubintroducta, dubii & anxii vacillant Scriptores; cum tamen perſpicuum videatur variis Conciliorum Decretis, & Pontificum Conſtitutionibus, eam extraneam dici, quæ nullo ſanguinis jure tenetur &c. Subintroductam, quod clam, & contra Canones domum ducerent Clerici, vel ſubintroducerent*.

X. XI. *Cum tamen ea conſuetudo invaluerit &c.* (Sic habetur in eadem inſtitutione,) *ut famula &c.* De ancillis mulierum cognatarum hæc docet Pirhinghius (10): *Epiſcopus matri, aliiſque mulieribus in primo, & ſecundo gradu conjunctis, ſicut alii Sacerdotes, & Clerici, licite cohabitare poteſt intra eamdem domum cum ancillis, & pediſequis, ſed in cubiculis, ſeu conclavibus diſtinctis*. Deinde cum *ex allato pluries Canone, Interdixit diſt.* 32. Sacerdotibus, ac Parochis liceat cum matre, ſorore, atque amita ſimul in iiſdem ædibus commorari, Pirhinghius has quoque mulieres ipſis adjungit, *aut etiam eas idoneas perſonas, quæ fugiant ſuſpicionem*; ut alii malunt, *vel eas tantum perſonas quæ omnem fugerint ſuſpicionem*. Interpretes vero *idoneas perſonas* explicantes hæc ſuperaddunt *ut uxores ſervorum ſuorum*. Iidem Canones: *Cum omnibus diſt.* 81. ſic declarant, *uxoribus ſervorum ſuorum*. An ancillæ retineri poſſint a Parocho, ſi uxores ſervorum non ſint nec in eodem domicilio mulieres Parochi conſanguineæ ſimul verſentur, ex illis verbis ejuſdem Canonis: *Cum omnibus* conjici poteſt, nempe *domeſtica neceſſitate*.

XII. XIII. Cum autem conditiones enumerantur, hoc pacto ſermonem proſecuti ſumus: *Primum conſtet opera famulæ alicujus &c.* Equidem ancillæ neceſſitatem, ipſiuſque probitatis opinionem prius examinandam eſſe Scriptores teſtantur (11), antequam Parocho concedatur ipſam domi ſuæ retinere. Traditur de celeberrimo viro ob generis ſui præſtantiam, & auctoritatem, qui ampliſſimam juriſdictionem, curamque animarum gerens, florente adhuc juventute, plures ipſe familiares, ac domeſticos ſibi adlegerat. In iis autem locis degebat, ubi viri cum mulieribus abſque ulla populi admiratione verſantur. Domi ſuæ diu retinuerat mulierem, ob quam illius probitas non exiguum detrimentum acceperat. Interjecto aliquo temporis ſpatio, jamque adultus vitæ rationem, atque inſtitutum mutavit; mulierem tamen haud dimiſit, licet nulla cum ipſa conſuetudo intercederet, adductus ſententia quorumdam Theologorum, qui falſo contendebant nulla ipſum lege teneri, ut eamdem mulierem domo expelleret. Clemens X. ætate, ac doctrina inſignis litteras ad illum dedit ſua manu exaratas (12), quibus omnia; quæ delata fuerant, plene exponit, ac deinde his verbis ad illum monendum utitur: *Fidem iis præſtandam duximus* (agit Pontifex de conſilio retinendi mulierem) *ob certiſſima, atque iterata documenta, quæ nobis expoſita fuerunt. Porro id contigiſſe ob eam cauſam putamus, quod falſo arbitratus es muneri tuo ſatisfeciſſe, poſtquam pravam omnem conſuetudinem abjeciſti cum muliere, de qua ſermo eſt; quam opinionem tibi fovere non dubitarunt ex iis fortaſſe aliqui, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Quamobrem, cum in graviſſimo hoc negotio circumfuſam erroris nebulam diſſipare omnino teneamur, ſecretiſſimas has litteras ad Te manu noſtra ſcripſimus, ut paterna benevolentia, & ſtudio quo poſſumus maximo te moneamus, haud ſatis eſſe pro animæ ſalute atque innocentia conſervanda, ſi criminis labem effugias, ſed etiam requiri neceſſario, ut ædibus tuis, omnique ditione tua mulierem eamdem depellas. Hoc enim pacto ante oculos populi tibi ſubjecti nunquam obverſabitur tuorum criminum monumentum, ideoque ſimul de medio tolletur impedimentum omne, ne populus ipſe ad virtutem incitetur, quod præſtare omnino debes tuis præceptis, ſanctiſque vitæ exemplis. Pro certo habeas a veritate longe alienos eſſe, qui contrarium affirmant, verbiſque noſtris fidem præ ceteris habendam, non ſolum ob teſtimonia amoris noſtri, quæ tibi jam per tot annos dedimus, ſed præſertim ob cauſam Apoſtolici muneris, quo pro anima tua æquæ, ac pro noſtra, rationem Deo reddere debemus*. Hactenus Clemens XI.

XIV. Præter conditiones, quæ ad cauſæ ipſius æquitatem, & Parochi exiſtimationem pertinent, conditiones quoque adjunximus, quæ in ancillis requiruntur: his autem verbis uſi ſumus: *Honeſtæ pariter eſſe debent, & communi opinione probatæ &c.*

XV. Equidem Braſchius Parochis ancillas quinquagenarias concedit (13), ejuſque ſententiam Monacellus tuetur (14). Idem ſtatuit Carolus Cardinalis Barberinus in celebri Synodo Farſenſi, quam celebravit anno 1686. (15): *Honeſtæ ſemper famæ* (inquit) *& quinquagenaria majorem*. Idem decernit Epiſcopus Monteflaſconen. Bonaventura (16), licet inter famulam & Parochum ſanguinis propinquitas intercedat: *Famula autem morum probitate commendata ætatem quinquaginta annorum excedat: quod intelligi volumus etiam de illa, quæ ad ſervitium admittitur conſanguineorum, cum quibus convivunt Eccleſiaſtici*. Nos quidem teſtimonium honeſtatis de ancillis ejuſmodi proferendum indiximus, quadragenarias tamen permiſimus, ſi ſolæ cum Parocho fuerint; hac etiam ætate minores indulſimus, ſi aliæ mulieres Parochi conſanguineæ in eodem domicilio vitam exigant, aut ſi ipſæ ancillæ famulis matrimonio jungantur: etenim deprehendimus id receptum alias in hac Diœceſi, aliiſque Synodis probatum. Ita ſancitur in Piſana, quam Archiep. Froſini anno 1708. celebravit (17): *Mulieres bonæ famæ ſaltem annum quadrageſimum attingentes*. Magnum diſcrimen expoſuimus, cum horas hibernarum noctium prope ignem cum ſola ancilla Parochus inſumit. Qui id perſpicere magis expetat, P. Theophili Raynaudi librum percurrat, quem ipſe hoc pacto inſcripſit: *De ſobria frequentatione mulierum per ſacros homines* (18). His omnibus, quæ Raynaudus copioſe, eruditeque commemorat, illud tantum ſuperadditmus vocabulum (19) *Focaria*, quod famulam reipſa ſignificat, curam ignis gerentem, pro Sacerdotis ac Parochi concubina a multis Scriptoribus intelligi (20).

XVI.

(1) *Tit. de cohabitat. Cleric. & Mulier. §. 1. n. 4.* (2) *Can. allato interd. diſt.* 32. (3) *Tom. 1. Concilior. 7. edition. ſuper Can.* 3. *pag.* 21. *& ſeq.* (4) *Pag.* 25. (5) *In Epiſt.* 22. *ad Euctochium.* (6) *In Gloſſario verbo* Agapeta. (7) *De Benefic. part. 1. lib. 2. cap. 61. num.* 10. (8) *In allato Can.* Cum omnibus *diſt.* 81. (9) *Tom. 1. Concilior. Collect. Labbe pag.* 1190. *edit. Pariſienſis anno* 1691. (10) *In eodem loco num.* 6. (11) *Braſchius in ſuo Promptuar. Synodali cap.* 98. *num.* 28. *&* 30. *Monacellus in Formul. practico tom. 1. tit. 6. formul. 2. num.* 3. (12) *Habentur lib. 2. Epiſtolarum pag.* 642. (13) *In loco allato num.* 10. *& num.* 30. (14) *In eod. loco num. 1.* (15) *Pag.* 185. (16) *Pag.* 402. (17) *Pag.* 80. (18) *Tom.* 12. (19) *Du Gange in Gloſſ. ad verb. Focaria.* (20) *Macrius in Vocab. Eccleſiaſtico ad idem verbum.*

XVI. Tandem prope finem ejuſdem noſtræ inſtitutionis illa quoque ſubjecimus: *Qui diſciplinam, & inſtituta Eccleſiæ &c.*

XVII. Qui diligenter expendet omnia, quæ in hac noſtra Inſtitutione proponimus, non diſciplinæ ſeveritatem a nobis optari fatebitur, ſed id ſolum, quod juſtum, Cleroque noſtro conſentaneum prorſus videtur. Qui de Parochis, eorumque conſanguineis mulieribus ſimul commorantibus verba faciunt, ſanguinis cognationem honeſtatis famæ conſervandæ plurimum ſuffragari teſtantur. Id vero nullam vim, nullumque pondus præbere ajunt, ſtatim ac documenta aliqua contra afferantur, ex quibus non ſolum crimen aliquod deprehendatur, ſed legitima tantum mali ſuſpicio deſumatur. Tunc enim prohibendum judicant Parochum, aut Sacerdotem cum mulieribus conſanguineis in eodem domicilio contineri (1). Thomaſſinus præſertim multa Concilia Provincialia, ac Diœceſana memorat, quibus id conſtituitur. In Conventibus Eccleſiaſticis Diœcesis Petricorensis de uſu Sacramentorum traditur (2), hanc Parochi cum mulieribus ſibi cognatis domicilii ſocietatem impediendam fore omnino ab Epiſcopis, ſi eos non laterent graviſſima mala, quæ ab hac conſuetudine dimanant. Recentiores etiam Canonum Interpretes aſſerunt (3) ſanguinis vinculum, ætatem, & facultatem impetratam tamdiu ſolum probari, donec ſcelus aliquod, vel ſceleris legitima ſuſpicio in vulgus (4) emanaverit. Sanctus autem Carolus Borromæus (5) ſibi tantum facultatem attribuit concedendi Parochis, ut cum mulieribus etiam conſanguineis ſimul habitent, quod nunquam ſe permiſſurum teſtatur, niſi antea de honeſtate earum mulierum certiſſima teſtimonia conquiſierit. Poſt hæc Vicariis Foraneis ſcidit, ut poſt ſingulos tres menſes illarum mulierum domos inviſant, *quæ cum Eccleſiaſticis etiam ex ſcripta noſtra facultate habitant, de itſdem præterea inquirant.*

XVIII. Superest, ut diluamus ineptas prorſus excuſationis cauſas, quæ proferri ſolent, atque ad tria capita rediguntur. Primum ajunt id conſuetudine firmatum eſſe, quod pravus uſus nuncupari debet; moremque veterem appellant id, quod paucis ab hinc annis a quorumdam contumacia profluxit. Neque præ cæteris illud expendunt nullam admitti conſuetudinem, cum agitur de animæ ſalute, quæ ad Jus Divinum pertinet: *Lex naturalis* (inquit S. Thomas (6)) *& Divina precedit a voluntate Divina: unde non poteſt mutari per conſuetudinem procedentem a voluntate hominis, ſed ſolum per voluntatem Divinam mutari poteſt. Et inde eſt, quod nulla conſuetudo vim legis obtinere poteſt contra Legem Divinam, & naturalem.* S. quoque Iſidorus hæc ſubdit (7): *Multa ſunt conſuetudine vitiata, multa pravo uſu præſumpta, multa contra pudicos mores illicite uſurpata: cedat conſuetudo auctoritati, pravum uſum lex, & ratio vincat; adime conſuetudinem, ſerva legem.*

XIX. Secundo ajunt mulieres, quæ juventute floreant, a Parochis neceſſario requirendas, ut poſſint ipſæ injunctis miniſteriis operam dare, & Parochis etiam prodeſſe, ſi morbo aliquo crucientur. Verum, qui ita ſentiunt, æquo animo patiantur, ſi Sancto Hieronymo potius, quam illis fidem habeamus. Scripſit S. Doctor ad Nepotianum epiſtolam 12. lib. 2. inſcriptam: *De vita Clericorum, ac Sacerdotum*, poſtquam eadem epiſtola pie, ſapienterque objurgavit Clericos, ac Sacerdotes, qui commune cum mulieribus domicilium haberent, ægritudinis difficultatem ſibi proponit, & ſtatim his verbis reſpondet: *Ægrotanti tibi quilibet Sanctus Frater aſſiſtat, & germana, vel mater, aut probata quælibet apud omnes fidei. Quod ſi hujuſcemodi non fuerint conſanguinitatis, caſtimoniæque perſonæ, multas anus nutrit Eccleſia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant miniſtrando, ut infirmitas quoque tua fructum habeat eleemoſynæ. Scio, quoſdam convaluiſſe corpore, & animo ægrotare cæpiſſe. Periculoſe tibi miniſtrat, cujus, vultum frequenter attendis.* S. Hieronymus de illis viduis pluſquam ſexagenariis verba facit, quæ alebantur ab Eccleſia, & Nepotianum, cæteroſque omnes admonet, ut ipſarum opera utantur, ſi forte in morbum labantur. Conſtat igitur non probari a S. Hieronymo illorum opinionem, qui ancillas haud majores viginti quinque annis expetunt, ut tuendæ ſanitatis curam ſuſcipiant.

XX. Tertio affirmant a criminibus ſolum abſtinendum, reliquas autem ſollicitudines, metuſque penitus abjiciendos: ſi quæſtioni, de qua ſermo eſt, accomodari poteſt hujuſmodi ſententia, manus victas ipſis præbemus. Sin autem e contrario ſe res habet, procul dubio magis confirmantur omnia, quæ huc uſque nos expoſuimus. Duplex itaque peccati ſpecies objicitur; prima quidem, ſi inter virum, ac mulierem ſcelus aliquod reapſe admittatur; ſecunda vero in populi offenſione continetur, ob quam nempe ruinæ ſpiritualis occaſio populo traditur, cujus oculis ratio vitæ noſtræ, atque inſtituta ſubjiciuntur. Primum non ſemel accidit, & facile evenire poteſt non ſine graviſſimo illius detrimento, qui ejuſmodi crimine inquinabitur: ſecundum vero ſemper contigit, & in poſterum continget, quoties in eodem domicilio mulier cum Parocho verſabitur, quæ careat iis conditionibus, quas enumeravimus in ſuperiori Inſtitutione, & hic litteris magis explicavimus.

XXI. Equidem diximus non ſemel accidiſſet, & in poſterum evenire poſſe, ut homo, ac mulier ob hanc conſuetudinem grave ſcelus perpetrent, quod tamen nullam affert Eccleſiaſticis noſtris injuriam, quos ſane magni facimus, nec iraſci, aut queri de nobis poterunt, si ipſos Sanctitate Davidi, fortitudine Samſoni, ſapientia Salomoni comparamus. Attamen cum S. Hieronymo (8) illud repetimus *non ſemel accidiſſe, & in poſterum evenire poſſe, ut homo, ac mulier ob hanc conſuetudinem grave ſcelus perpetrent*, nisi cautiones neceſſariæ interponantur: *Ne ſub eodem tecto mantas, nec in præterita caſtitate confidas. Nec Sanctior David, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quod Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier ejecerit.* Etenim, neque honeſtas anteactæ vitæ neque ulla turpitudo animos a diſcrimine vacuos & immunes præſtare poteſt. S. Paulus uſque ad tertium Cœlum raptus fuerat, & quinquageſimum ſeptimum ætatis annum attigerat, juxta accuratum præſtantium virorum judicium, cum ſecundam ad Corinthios Epiſtolam ſcripſit, ubi hæc libere fatetur: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me, colaphizet.* Hic autem *Angelus Sathanæ* non fuit velementiſſimus capitis dolor, uti Faber, & Eraſmus falſo interpretantur, ſed acerrimum prælium, quod pro tuenda caſtimonia frequenter habere cogebatur. Id præclare oſtendit Eſius doctrinæ fama clariſſimus (9). S. Beatus ob ſeveriſſimam vitæ rationem, ac diſciplinam, & inuſitata prodigia omnium laudibus celebrabatur, tamen Sanctus Gregorius commemorat magna libidine inflammatum eum fuiſſe, poſtquam in mulierem oculos conjecerat, itaut inter ſpinas nudum corpus projecerit, ut libidinis impetum coerceret: ſi Sancto Ferrerio credimus, ea mulier nulla venuſtatis ſpecie prædita erat, ſed potius gibboſa, ac deformis (10): *Cæpit cogitare de quadam muliere gibboſa, quam viderat in civitate, & in tantum tentatio augmentabatur, quod volebat dimittere eremum, & redire ad mundum ad inquirendam dictam gibboſam: quid feciſſet, ſi fuiſſet pulchra!* Equidem Dæmon ita callidus eſt, ut fœdas etiam mulieres eleganti pulchritudine ornatas nobis effingat: *Cupidini* (inquit idem S. Doctor (11)) *nulla deformitas &c. Sed Diabolus pingens ſpecioſum efficit, quidquid fœdum, & horridum fuerit.*

XXII. Graviſſimum fore detrimentum innuimus, atque incredibilem perniciem, ſi peccati ejuſmodi labes contrahatur. Nam facile contingere poteſt, ut varii iteratique actus in proximam, & voluntariam occaſionem convertantur. Inſuper in pluribus locis hujus Diœceſis ſolus Parochus obtinet Confeſſiones audiendi facultatem; ob quam cauſam ſæpius a nobis petitur, ut eamdem facultatem alteri Sacerdoti conferamus; licet non omnino idoneus ad hoc munus obeundum judicetur, ex quo ſatis conſtat id neceſſarium haberi. Cum hæc ita ſint, ſi mulier ſcelera expiare velit Sacramento Pœnitentiæ, nequit abſolvi a Parocho criminis inhoneſti complice, quod cautum fuit hujus Sedis Archiepiſcopalis legibus. Neque Parocho hæc facultas reſtituitur, licet ſolemne aliquod Jubilæum indicatur. Tunc enim Pontifex auctoritatem impertit, ut crimina Pontifici, vel Epiſcopis reſervata condonentur per eos ſolum Confeſſarios, qui ab Epiſcopis probati fue-

(1) *Raynaudus lib. all. pag.* 359. *Thomaſſinus par.* 1. *de Beneficiis lib.* 2. *cap.* 64. (2) *Part.* 2. *edit. Pariſien. anno* 1693. *pag.* 247. (3) *Tit. de cohabitat. Clericor. & Mulierum.* (4) *Pirhing. eod. tit. §.* 1. *num.* 4. *Schmalzgrueber §.* 1. *Anacletus §.* 1. *Engelius num.* 2. (5) *Lib.* 1. *Act. Eccl. Mediolanen. edit. Lugdunen. anno* 1682. *pag.* 331.
(6) *In p.* 2. *quæſt.* 97. *art.* 3. *ad* 1. (7) *Lib.* 2. *Synonymorum can.* 16.
(8) *In ead. epiſt. ad Nepotianum.* (9) *In Commen. cap.* 12. *ejuſdem epiſt.* 2. *ad Corinthios.*
(10) *In Serm. de S. Benedicto.* (11) *De ſingularitate Clericor.*

fuerint. Quare, si Confessarius in hac Diœcesi peccati sui complicem absolvere nequaquam permittitur, ut patet ob facultatem ipsi ademptam, illud necessario consequitur haud posse mulierem a Parocho absolvi, qui particeps ipsius sceleris extiterit, licet Jubilæum promulgatum fuerit (1). Accedit etiam, quod Parochus, si confiteri velit, antequam Sacrum faciat, aliquem adire debeat, qui facultate absolvendi a criminibus reservatis præditus sit, aut absolutionem saltem indirectam exposcere ab aliquo Sacerdote, qui illa facultate careat; ea semper conditione interposita, ut quam primum poterit ad Confessarium accedat, qui facultatem ejusmodi obtinuerit. Quippe, uti dictum est, scelus inhonestum a Parocho cum sua Parochiana patratum, a nobis tantum dimittendum reservatur: neque illorum opinionem probamus, qui putant ancillam, qui paternum domicilium in aliena Parochia situm habet, nequaquam pertinere ad ditionem ejus Parochi, cui famulatum præstat. Id quidem verum est, cum de incundo matrimonio res agitur, non autem, cum Paschali mandato parendum est. Quare cum nos solum rem declarare pro ratione muneris nostri possimus, decernimus, ut sicuri ancilla in ejus Parochi ditione posita censetur, in cujus ædibus commoratur, cum Paschali præcepto satisfacere debet, sic etiam eidem Parocho subjecta judicetur, cum reservatum nobis incontinentiæ crimen inter ipsos contigerit.

XXIII. Addidimus etiam paulo ante, quod populi offensio, ac scandalum *semper contigit, & in posterum continget, quoties in eodem domicilio mulier cum Parocho versabitur, quæ careat iis conditionibus, quas enumeravimus in superiori Institutione, & his litteris magis explicavimus*. Id vero neque dictum temere, aut inconsulto fuit. Theologi quæstionem de scandalo instituunt, illudque sic definiunt *dictum vel factum minus rectum, prebens alteri occasionem spiritualis ruinæ*. Illud autem *dictum, vel factum minus rectum* existimant, quod reipsa pravum est, vel aliquam pravitatis speciem præbet. Reliquis omnibus omissis, quæ ad rem nostram non faciunt, illud etiam docent *scandalum activum*, de quo verba facimus, *aliud per se, aliud per accidens* nuncupari. Primum sane, cum aliquis pravo dicto, vel facto contendit alium ad crimen patrandum allicere, aut sic careat hujusmodi voluntate, nefarioque consilio, dictum ipsum, vel factum ejus conditionis est, ut in scelus pertrahat; secunda vero scandali species in eo sita est, cum nempe aliquis ex dicto, vel facto alterius peccandi occasionem ob pravam indolem desumit, licet dictum ipsum vel factum ab omni pravitate alienum sit, neque illius auctor nefarium aliquid ingerere unquam cogitaverit (2). Cum hæc ita se habeant, quis a gravi scandali crimine Parochum vindicare poterit (3), qui domi suæ retinuerit, aut in posterum ancillam retinebit, quæ destituatur iis conditionibus, quas exposuimus, quamvis ipse eam mentem nunquam habuerit, ut populo offensionem, ac perniciem afferat? Nam res ipsa mala est, quia sacris Canonum legibus interdicitur; neque in dubium revocari potest aliquid saltem mali præseferre. Porro id totum ex epistola S. Pauli colligitur (4), ubi licere quidem fatetur uti dapibus, quæ Idolis antea propositæ fuerunt, tamen hæc statim addit: *Videte autem, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolo recumbentem, nonne conscientia ejus cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. Hæc sane libertas, quæ jam multum invaluit, & ob quam nonnulli cum mulieribus habitant, licet ipsæ necessariis conditionibus careant; eorum pariter falsa opinio, qui a criminibus solum reipsa abstinendum prædicant, reliqua vero, tanquam ineptias, flocci æstimanda, hæc, inquam, libertas, & falsa opinio a Sanctis Patribus vehementer improbantur, ac præsertim, si agatur de Sacerdotibus, & animarum Rectoribus: *Quid si dixeris* (ait S. Hieronymus (5)), *& mihi sufficit conscientia mea; habeo Deum judicem qui meæ vitæ est testis; non curo, quid loquantur homines: audi Apostolum scribentem, providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*. Idem S. Doctor statim ac percepit se a Romanis obtrectari, quod frequenter cum sanctis, & primariis Urbis mulieribus Paula, Eustochio, ac Melania versaretur, quas impulerat, ut relicto Civitatis vano strepitu Monachis parem disciplinam, & institutum amplecterentur, eas obtrectationes, & maledicta nequaquam aspernatus est, sed consilii sui rationem, atque innocentiam patefacere voluit; deinde ex Urbe migravit, & præclaram ad Asellam epistolam dedit, quæ libro primo quadragesimum quintum locum obtinet. Theodorus Cappadociæ Sacerdos monitus a S. Basilio, ut ancillam, quam domi habebat, statim depelleret, septuagenarium se esse respondit, & omni libidinis motu penitus immunem. Sanctus tamen Basilius hæc subdidit: *Neque enim credo, cum, qui septuaginta annos natus est, cum muliere animi perturbatione commotum habitare. Nec tamen ob aliquam turpem actionem, quæ facta fuerit statuimus, ea, quæ statuimus, sed quia ab Apostolo ducti sumus, fratri non est ponendum scandalum, vel offendiculum. Scimus autem, quod recte, & sane factum ab aliquibus, erit aliis occasio ad peccatum. Ea de causa decrevimus Sanctorum Patrum constitutionem sequentes, ut a muliere separeris*. Equidem mulieres juxta Ritum Hebræorum suos Magistros sequebantur, quibus etiam necessaria ad vitam sustentandam administrabant. Id Sunamitis exemplo in Elisæum satis comprobatur (6), Sanctus etiam Lucas commemorat (7), quod *Mulieres aliquæ ministrabant ei de facultatibus suis*. Deinde Apostoli pias quoque mulieres suorum itinerum comites habere non dubitarunt, quæ suis expensis, vel congestis eleemosynis alimenta necessaria suppeditabant. Id Divini præceptoris exemplo ducti faciebant, ea tamen cautione adhibita, ne mulieres hujusmodi ullam mali suspicionem, aut speciem inferrent: *Consuetudine* (ait Estius (8)) *in tantum recepta, ut & Christus Dominus eamdem circa se admittere non fuerit dedignatus. Neque enim assumebantur ad hujusmodi ministerium mulieres, nisi quarum castitas cum pietate conjuncta adeo nota esset, ac probata, ut omnem excluderet incontinentiæ suspicionem*. Igitur consueverunt Hebræi pias mulieres secum adducere, a quibus vitæ alimenta perciperent. At vero, post quam S. Paulus, ac Barnabas gentibus Evangelium promulgare cœperunt, agnoscentes hanc mulierum societatem, licet necessariam atque innocentem, obtrectationibus locum exhibere, ad Corinthios Paulus scripsit (9), Barnabæ, sibique alimenta præbenda esse: *Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi &c. Quis militat suis stipendiis unquam?* Asserit quidem in ipsorum potestate esse, ut mulieres Administras secum adducant; *Numquid non habemus potestatem mulierem Sororem circumducendi?* Sed illud respondet: *Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi*. Quamobrem S. Hieronymus, dum caput 27. Evangelii S. Matthæi interpretatur, his verbis sententiam nostram confirmat: *Consuetudinis Judaicæ, fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum Præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulum abjecisse se memorat*.

XXIV. Reliqua omnia, quæ in superiori Institutione proposita sunt, nulla indigent explicatione; ideoque finem facimus nostram tibi benedictionem impertientes. Nos quidem hanc Institutionem confecimus, hasque litteras exaravimus, ut voluntatem nostram declararemus; illud tantum superest, ut jussa nostra executioni demandata intelligamus, utque obsequente commendemus, pervicaces autem, inviti puniamus. Deus tibi propitia omnia concedat.

IN-

(1) *Bonacina disp. 5. de Sacramentis quæst. 7. punt. 8. §. 5. num. 10. Viva in suo Tract. de Jubil. quæst. 11. art. 3. n. 4.*
(2) *S. Thomas 2. 2. quæst. 43. art. 1.* (3) *S. Matthæus cap. 18.* (4) *1. ad Corinth. cap. 8.*
(5) *Lib. 2. epist. 9. quæ inscribitur de evitando suspecto contubernio.* (6) *Lib. 4. Regum cap. 4.*
(7) *Cap. 8.* (8) *Cap. 9. prima epist. ad Corinth. pag. 280.* (9) *Cap. 9.*

## INSTITUTIO LXXXIV.

*Responsum redditum Vicario foraneo, qui nonnullas quæstiones proposuit. Utrum facilius videatur generatim decernere, quod Infantes privatim domi baptizati in Diœcesi iterum Baptismo abluantur* sub conditione, *cum ad Ecclesiam deferuntur. De illis Sacerdotibus, qui in aliena Diœcesi ad confessiones Fidelium excipiendas probati, tempore Jubilæi in hac nostra Diœcesi Pœnitentiæ Sacramentum administrarunt. Item Sacerdotibus, qui in hac Diœcesi Bononiensi ad certum tempus probati, eo temporis spatio jam peracto, tamen Jubilæi tempore Confessiones audire non dubitarunt, utrum sicut illicite, ita invalide Sacramentum Pœnitentiæ contulerint.*

I. ACcepimus tuas litteras, ex quibus nulla sane molestia, aut dolor, sed voluptas singularis in animo nostro concitata est, ob quam gratias tibi persolvimus; nihil enim magis expetimus quam a præstantibus doctrina, ac pietate viris moneri de iis, quæ ad hanc civitatem, ac Diœcesim recte administrandam conferre plurimum videantur, cujus curam Dei gratia, ac Sedis Apostolicæ beneficio suscepimus; sed rem aggrediamur.

II. Primum fateris, te Institutionem nostram de Obstetricibus, quæ octavo loco posita est, percurrisse, ubi decernitur, Baptizatos ab ipsis, si superstites fuerint, ad Ecclesiam deferendos, ut ritus, ac cæremoniæ, quas Obstetrices omiserunt, perficiantur; nec hujusmodi infantibus conferendum a Parocho Baptismum *sub conditione*, ob eam causam, quod illi in privato domicilio Baptismum susceperint, sed rationem, modumque investigandum, quo Baptismus collatus fuit, nam si materia, ac forma, quæ necessario requiruntur, minime defuerint, soli ritus Ecclesiæ superaddendi sunt. Quod si dubitandi de his legitima causa objiciatur, tunc non cæremoniæ solum addendæ sunt, sed iterum Baptismus *sub conditione* conferendus: ex his omnibus illud desumis, tutius, ac facilius futurum esse, si generatim statuatur, iterum baptizandos *sub conditione*, cum ad Ecclesiam feruntur pueri, quos privatim Obstetrices, aut alius quilibet salutaribus undis abluit.

III. Hanc quæstionem proponunt Scriptores, qui varias, ut moris est, opiniones tuentur: plures id probant; alii tamen in iis tantum locis, ac Diœcesibus id permittendum censent, ubi Ritualia, ac Decreta Episcoporum facultatem ejusmodi concedunt: aliqui tandem putant infantes tantum *sub conditione* tunc iterum baptizandos, cum in dubium revocatur post accuratum examen, an rite Baptismus per Obstetricem privatim collatus fuerit (1).

IV. Dissertationem conficere nolumus de illa jam prope communi omnium sententia conferendi Sacramenta *sub conditione*; & absolutione, atque *dispensatione ad cautelam*. Illam pene omnes amplexi sunt. Hoc enim pacto diligens rerum gestarum inquisitio prætermittitur, nec magna librorum copia evolvenda est, neque diversæ Auctorum opiniones expendendæ: attamen illos magnopere probamus, qui judicant Baptismum *sub conditione* non esse iterum conferendum infantibus, qui privatim per Obstetricem abluti jam fuerunt; nisi forte, re diligenter examinata, legitima dubitandi causa exhibeatur, an Baptismus per Obstetricem rite peractus sit.

V. Rationem hujus sententiæ alio loco adduximus (2), & in ea magis confirmati sumus, cum hæc in Romano Catechismo scripta deprehendibus (3): *Neque enim desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, si quemvis sive delectu cum adjunctione illa baptizet: quare si infans ad eos deferatur, nihil prorsus quærendum putant, an is prius ablutus fuerit, sed statim ei Baptismum tribuunt, quin etiam, quamvis exploratum habeant, domi sacramentum administratum esse, tamen sacram ablutionem in Ecclesia, adhibita solemni cæremonia, cum additione, repetere non dubitant, quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, & eam maculam suscipiunt, quam Divinarum rerum Scriptores irregularitatem vocant. Nam ea Baptismi forma ex Alexandri Papæ auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter discussa, dubium relinquitur, an Baptismum rite susceperint; aliter vero nunquam fas est etiam cum adjunctione Baptismum alicui iterum administrare.* Advertimus etiam sententiam eamdem firmatam fuisse auctoritate Sacræ Congregationis Concilii, quam universi plurimi facere debent; siquidem quæstionem tuam Cardinalis Marescottus Sacræ Congregationi proposuit, cum Tiburtinæ Ecclesiæ præesset, ejusque statum eidem Congregationi referret. Die autem 19. Decembris anno 1682. hoc Sacra Congregatio responsum dedit: *Infantes ab Obstetricibus baptizatos posse rebaptizari sub conditione in casibus particularibus, ubi rationabile dubium oritur circa validitatem Baptismi prima vice collati.*

VI. Sed illud hanc sententiam magis confirmat, quod sancitum fuit ab Ecclesia, videlicet Baptismum ab Hæretico collatum esse validum, si nihil eorum, quæ ab Ecclesia Romana præscribuntur circa materiam, formam, atque intentionem, fuerit omissum; & cum disputatio instituitur, an baptizatus ab Hæretico, iterum *sub conditione* Baptismum suscipere debeat, cum in sinum Romanæ Ecclesiæ restituitur, id solum peragendum omnes testantur, cum de validitate collati antea Baptismi non immerito dubitatur (4). Præ cæteris Cardinalis Albitius (5) fatetur hoc institutum a Congregatione S. Officii penitus observari, nec unquam contrarium aliquod decerni, nisi cum incertum, dubiumque est, utrum Hæreticus, qui Baptismum administravit: omnia perfecerit, quæ circa materiam ac formam Baptismi requiruntur: sed novum aliud afferamus Sac. Congregat. Concilii documentum.

VII. *Frater Matthias Hernandes Ordinis Prædicatorum in supplici libello a Sanctissimo remisso exponit, quod in Civitate Navarra, aliisque locis Diœcesis Sancti Jacobi de Cuba in Indiis Occidentalibus, Parochi solent rebaptizare sub conditione tum infantes domi in casu necessitatis baptizatos, non alia ratione, quam quia Baptismus non fuit in Ecclesia Parochiali collatus, tum etiam Hæreticos ad Catholicam Fidem conversos, licet asserentes, se baptizatos fuisse servata forma, & adhibita materia ab Ecclesia prescripta sub unico pretextu, quod ignoretur, quæ, & qualis fuerit intentio, cum qua fuerunt baptizati; supplicat præterea, opportune desuper provideri. Ut igitur Parochi ex hujus Sacræ Congregationis oraculo edoceantur, Eminentissimi Patres respondere dignabuntur.*

*Primo, an infantes domi in casu necessitatis baptizati, sint sub conditione rebaptizandi.*

*Secundo, an, & in quibus casibus Hæretici debeant sub conditione rebaptizari, si ad Fidem Catholicam convertantur.*

Die autem 27. Martii anno 1683. ita responsum.

*Ad primum negative, nisi adsit dubium probabile invaliditatis Baptismi;*

*Ad secundum, ut supra.*

VIII. Pro certo habeas Sac. Congregationis Decreta, quæ proferimus, non desumpta ex iis Scriptoribus, qui ipsa commemorant, licet nunquam ea subjecta oculis habuerint; Nos illa in actis perspeximus, & manu nostra pariter descripsimus, cum perhonorifico Secretarii munere fungeremur: magnum quidem tunc laborem impendimus, cujus tamen nunquam pœnituit, nec in posterum pœnitebit.

IX. Eadem nostra Institutio, quæ scribendi occasionem tibi præbuit de irregularitate pariter agit, quæ a Parocho contrahitur, si Baptismus *sub conditione* administretur, antequam diligenter examinaverit, utrum, & nequaquam temere, suspicari possit aliquid ad Baptismum necessarium fuisse prætermissum. Porro hujumodi irregularitas colligitur *Ex Cap. ex litterarum* Alexandri III. *de Apostatis, & iterantibus Baptisma*: Scriptores autem inquirunt; an hæc pœna illos tantum afficiat, qui iterum Baptismum conferunt nulla adhibita conditione, an eos pariter, qui absque ullo examine Baptismum iterum *sub conditione* administrant; insuper, an eadem pœna contra baptizatum, & baptizantis administrum solum infligatur, an baptizantem quoque ipsum comprehendat. Postremo, utrum hæc irregularitas ad ulteriores Ordines, aditum intercludat, an vero impediat solum exercere Ordines, qui jam percepti fuerunt.

X. Aliqui profecto pœna hujusmodi eos minime illigari pu-

---

(1) *Layman in Theolog. Moral. lib. 5. tract. 2. cap. 5. num. 3. vers. Quod vero Sotus &c. Leander tom. 1. tract. 2. disput. 3. quæst. 45. Gobat. quæst. Theolog, Sacrament. tractat. 2. cas. 13. sect. 1. n. 368. & 378.* (2) *Instit. 8.*

(3) *Part. 2. de Sacram. Baptismi num. 37. & seq.* (4) *Card. de Lugo Respons. Moral. lib, 1. dub. 2. per totum Gobat. quæst. Theolog. Sacram. tract. 2. cas. 13. sect. 2. Raynaudus in Heteroclit. Spiritual. tom. 16. punct. 10. num. 26. & seq. folio 142.* (5) *Card. Albit. in tract. de Inconstantia in Fide cap. 33. num. 24. & seq.*

putant, qui Baptiſmum *ſub conditione* iterum conferunt, ob eam cauſam, quod adjuncta conditio rem ſuſpenſam, & ancipitem relinquit, ita ut Baptiſmum reipſa adminiſtrare non intelligat, niſi forte in primo Baptiſmo neceſſarium aliquod defuerit (1).

XI. Alii tamen judicant hanc pœnam irregularitatis in illos quoque decerni, qui baptizant *ſub conditione*, licet prudenter dubitare nequeant, an primus Baptiſmus rite collatus fuerit juxta Eccleſiæ diſciplinam, & inſtituta: nam temere, & inconſulto rem maximi ponderis ſuſcipiunt; accedit etiam, quod interpoſita conditio deliberatum baptizandi animum nequaquam immutat. Siquidem, qui hoc modo baptizat, nullum in dubium revocat, an vere, & valide primus Baptiſmus fuerit adminiſtratus. Hinc dicitur ipſe Baptiſmum ſecundum re ipſa contuliſſe; quippe novum Baptiſmum jam baptizato tradit, qui ſane verus Baptiſmus nuncupari debet, licet ea conditio interponatur. De his plures Auctores copioſe dixerunt (2).

XII. Perpauci exiſtimant hac pœna irregularitatis baptizantem non devinci, ſed plurimi arbitrantur ob eamdem pœnam ſolum aſcenſum ad ſuperiores Ordines impediri, inter quos Gibalinus (3), ac Pyrhinghius (4) numerantur; non deſunt tamen, qui cenſeant ob hanc irregularitatem ſuſceptos Ordines exerceri non poſſe; eos Sayrus fuſe commemorat (5).

XIII. Nos quidem expoſita ſuperius Catechiſmi Romani auctoritate adducti illorum opinionem probavimus, qui putant irregularitatem ab illis contrahi, qui *ſub conditione* Baptiſmum adminiſtrant, cum nulla eſt ſuſpicandi cauſa, an primus Baptiſmus rite peractus fuerit. Illorum quoque ſententiam amplectimur, qui tradunt ob hanc irregularitatem ſuſceptos Ordines exerceri nequaquam poſſe; nam Romanus Catechiſmus Sacerdotes etiam, ac Parochos commemorat, quos etiam nominat S. Carolus Borromæus, qui in tertia Synodo Mediolanenſi irregularem eum pariter declarat, qui *ſub conditione* Baptiſmum iterum confert: conſtat autem nullum Ordinem inveniri, ad quem Sacerdotes, ac Parochi provehantur. Idem monuit Altovitus a Secretis Sacræ Congregationis Concilii (6): *Siquidem*, inquit, *Synodus Mediolanenſis, & Catechiſmus Romanus; quorum maxima eſt auctoritas, & cæteris præferenda, inquuntur expreſſe de Sacerdotibus & Parochis rebaptizantibus ſub conditione: unde irregularitas, quæ inibi ſtatuitur, & reſpective præſupponitur adverſus dictos Sacerdotes, & Parochos, neceſſario intelligenda eſt de impediente exercitium Ordinum ſuſceptorum, cum non detur alius Ordo ſacer, ad quem Sacerdotes, & regulariter Parochi aſcendere poſſint.*

XIV. Sed jam deveniamus ad illud, quod ſecundo loco in tuis litteris proponitur: nos igitur admonens recentis Jubilæi tempore, quod Pontifex indixit, & nos in civitate, ac Diœceſi promulgavimus, aliquos Sacerdotes tum Regulares, tum Sæculares veniſſe ex vicinis Diœceſibus, in quibus facultatem ad Confeſſiones audiendas obtinet, ipſoſque Pœnitentiæ Sacramentum Diœceſanis noſtris adminiſtraſſe; inſuper mones alios Sacerdotes pro excipiendis Confeſſionibus ad certum tempus a nobis probatos, poſt idem tempus elapſum per eos dies Confeſſarii munus exercuiſſe. De his omnibus conſilium noſtrum expoſtulas.

XV. Si Sacerdotum hujuſmodi nomina nobis perſpecta fuiſſent nihil tuis litteris ſuper hac re foret reſcribendum; nam juſſu noſtro Fiſcalis Promotor judicium confeciſſet, ut debita pœna delinquentibus infligeretur, cum tamen ipſorum nomina nobis ignota ſint, ideo reſponſum quæſtioni tuæ faciemus.

XVI. Itaque duo perpendenda ſunt: primum an liceat iiſdem Sacerdotibus Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare: ſecundum, an valide per ipſos conferatur. Primum libere, ac tutiſſime deneganus; nam Summus Pontifex decernit Confeſſarium etiam tempore Jubilæi auctoritate Epiſcopi probandum. Illi autem veritati magis conſentaneam ſententiam defendunt, qui ſolum Epiſcopum loci intelligunt, ubi Fidelium Confeſſiones excipiuntur. Quare probatus ab Epiſcopo loci appellari nequit, ubi Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrat, qui ab Epiſcopo alterius Diœceſis eam facultatem accepit; neque inter approbatos Confeſſarios referri poteſt, qui facultatem habuit certo temporis ſpatio, quod peractum, abſolutumque jam fuit. De Sacerdote, qui ab Epiſcopo alterius Diœceſis ad Confeſſiones audiendas deſignatus eſt, non autem ab Epiſcopo loci, ubi Fideles confitentes excipere non dubitat, ſapienter dixerunt Cardinalis de Lugo (7), aliique plures (8). De aliis Sacerdotibus, qui Pœnitentiæ ſacramento Fideles audeant expiare, licet facultatis conſtitutum tempus jam defierit, copioſe verba faciunt Cardinalis de Lauræa (9), Tamburinus (10), ac Bordonius (11).

XVII. Difficilius eſt judicare, an valide Sacramentum ejuſmodi conferatur; ratio illorum Fidelium habenda eſt: & calamitas expendenda, qui eos Sacerdotes publice expoſitos ad Confeſſiones audiendas intuentur, ad quos accedunt pro certo habentes facultate ipſos preditos eſſe, quæ ad rem gerendam neceſſario requiritur.

XVIII. Diſſentiunt in hac re Scriptores; aliqui prorſus inanem, & irritam ejuſmodi abſolutionem fatentur; neque enim communis error ad ipſam impetrandam ſatis eſſe ducitur, niſi alius titulus adjungatur. Horum nomina Paſſerinus recenſet (12); alii vero nullam vim ineſſe his abſolutionibus teſtantur: confitentes tamen *coram Deo* abſolutos dici poſſe contendunt, & veteri quodam Decreto Sacræ Congregationis Concilii ſuam ſententiam confirmant; ajunt a Sancta Matre Eccleſia tunc ſuppleri, quæ deſunt, ea tamen conditione, ut crimina ſua legitimo Confeſſario iterum pateſaciant, ſtatim ac errorem illi detexerint (13).

XIX. Contrarium alii tuentur ob eam cauſam, quod abſolutus *coram Deo* dici nequeat, niſi qui revera ad Pœnitentiæ Sacramentum accedens abſolutionem conſecutus eſt, quod ſi ipſi crimina a Sacerdote rite condonata fuerunt, cur, inquiunt, ſua ſcelera rurſum confiteri teneatur (14)?

XX. Iidem Scriptores putant ob communem errorem rite collatam fuiſſe abſolutionem, licet nullus alius titulus interveniat, quod magis affirmandum eſt, ſiquis titulus ſuperaddatur (15). In medium quoque proferri poteſt ſuffragium præclariſſimi viri Fagnani, quod confecit, cum eſſet a Secretis Sacræ Congregationis Concilii: hanc ipſe opinionem ſequitur in quadam cauſa Aretina die 22. Martii anno 1614. propoſita, cui reſponſum fuit, poſtquam ſuum Theologi conſilium ſcriptum dederunt (16).

XXI. Sed memoria digniſſimum eſt, quod accidit Patavii, cum Innocentius XI. Jubilæum indixiſſet, eamque Sedem Venerabilis Dei Famulus Cardinalis Gregorius Barbadicus obtineret.

XXII. Id memorat Clericatus (17); ſed nos rem integram ex actis Sacræ Congregationis deſumptam exponemus.

P A-

(1) *Suarez. in 3. quæſt. 71. art. 4. diſput. 31. ſect. 6. dub. 5. Navarr. in Manuali tom. 1. cap. 27. n. 246. Bonacina Oper. Moral. tom. 1. in tract. de Cenſuris diſput. 7. quæſt. 3. n. 4. Layman. Theolog. Moral. lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 2. verſ. 4. Gibalin. de Irregularit. cap. 5. conſectur 4. per totum pag. 312. Tamburinus Oper. Moral. tom. 2. lib. 10. tract. 4. cap. 13. §. 2. Leander Oper. Moral. tom. 1. tract. 2. diſput. 6. quæſt. 9. & tom. 5. tract. 2. diſput. 18. quæſt. 12. Diana in edit. coordinat. tom. 5. tract. 5. reſol. 20. Franc. de Magiſtris in Praxi Fori Eccleſiaſt. tom. 2. lib. 1. tit. 8. cap. 4. num. 7. verſ. Et nota. Caſtropal. Oper. Moral. tom. 6. diſput. 6. punct. 10. num. 6. Pirhing. in quintum decretal. tit. 9. n. 13.*

(2) *Salzed. ad Diaz in praxi canon. c. 13. vers Aqua quidem irregul. Sayr. de cenſuriſ. lib. 7. c. 8. n. 23. & ſeq. Majol. de irregularitate lib. 3. cap. 14. num. 5. Hugolin. in eodem tract. cap. 35. §. 3. num. 4. Barboſ. cap. De quibus n. 3. de Baptimo. Filliucc. Oper. Moral. tract. 20. num. 182. Vulp. Reſolut. Moral. 103. num. 3. & ſeqq. Fernandez de Herrodia de ſacram. Baptiſmi part. 4. dub. 2. num. 4. Megal. part. 3. Inſtit. Confeſſ. & Pœnit. lib. 7. cap. 2. num. 36.*

(3) *In eodem cap. 5. part. 4. num. 7.* (4) *In allato tit. 9. §. 3.*

(5) *De Cenſuris lib. 7. cap. 3. num. 5.* (6) *In Cauſa Tudertin. Baptiſmi ſeu Irregularit. die 17. Novembris ann. 1685.*

(7) *De Sacram. Pœnit. diſput. 21. ſect. 1. num. 23.*

(8) *Card. de Lauræa lib. 4. ſentent. diſput. 20. art. 3. num. 145. & ſeq. Paſſerinus de ſtatu Hominum tom. 2. quæſt. 187. art. 1. num. 157. Tamburinus in Theolog. tom. 2. lib. 5. cap. 5. §. 4. num. 11. & ſeq.*

(9) *In eodem loco n. 147. & ſeqq.* (10) *Ibidem n. 28. & ſeqq.*

(11) *Tom. 2. Oper. Moral. reſol. 34. num. 55.* (12) *In cad. quæſt. 187. num. 347.*

(13) *Diana tom. 1. Oper. Moralium tract. 3. reſolut. 26. num. 7. Molfeſ. tract. 7. cap. 12. n. 20. Barboſa ad Concilium ſeſſ. 23. cap. 17. num. 15. Vulp. in reſolut. 163. num. 12. in fine &c.* (14) *Paſſerin. eod. loco num. 364. Vulp. in cad. reſol. 163. n. 18.* (15) *Paſſerinus in cad. queſt. 187. n. 350. & 355. & ſeq. Vulp. in cad. reſolut. 163. n. 16. & ſeq. Gobat. in quæſt. Theolog. Sacramental. tract. 7. caſ. 3. num. 107. & ſeq. & n. 109.*

(16) *Tom. 64. Poſition. fol. 385. & ſeq.* (17) *De Pœniten. deciſ. 31. n. 14.*

## PATAVINA

*Facultatis absolvendi.*

*Occasione universalis Jubilæi nuper indicti pro imploranda Divina ope adversus Turcas, tres Sacerdotes Capuccini in Patavina Diœcesi absque approbatione & licentia Eminentissimi Episcopi confessiones sacramentales plurium sæcularium personarum publice exceperunt; & quamvis fuissent moniti a Parocho de eorum inhabilitate, attamen ab incœptis desistere noluerunt. Accersiti postea ab ipsomet Eminentissimo Episcopo ad docendum de eorum prætensa facultate absolvendi, respondérunt, quod in opinione probabili aliquorum Auctorum Regularium primus eorum uti Guardianus, & Prælatus Regularis, secundus uti approbatus in aliena Diœcesi, & tertius uti approbatus ab ipso Episcopo Patavino in alio loco Diœcesis ad annum licet jam elapsum, potuerunt licite & valide tempore Jubilæi excipere dictas confessiones absque nova Ordinarii approbatione. Eminentissimus autem Episcopus animadvertit, huic prætensioni resistere tum Constitutiones sanctæ memoriæ Urbani VIII. & Innocentii X. relatas per Fagnan. in Cap. Sane, de offic. & potest. Judicis delegati, tum Constitutiones sanctæ memoriæ Alexandri VII. 3. Januarii 1656. & Clementis X. de anno 1670. quæ omnes expresse prohibent, ne Regulares absque approbatione Ordinarii confessiones audiant, quamvis in alio loco approbati; tum etiam responsa hujus Sacræ Congregationis super dubiis ad Bullam sanctæ memoriæ Gregorii XV. incipien. Inscrutabili; tum denique expressam mentem Sanctissimi Domini Nostri, qui in Bulla præfati jubilæi requisivit. Confessarios ab Ordinariis Locorum esse approbatos: unde plurimum dubitans de viribus hujusmodi confessionum, ab oraculo hujus Sacræ Congregationis quanto citius responderi petit.*

*Primo, an licite;*

*Secundo, an valide dicti Capuccini Sæcularium confessiones exceperint?*

Sacra autem Congregatio die 11. Decembris anno 1683. ita respondit:

*Ad primum illicite;*

*Ad secundum invalide, sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen, si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate confessionis dubitaverint; eosdem teneri reiterare confessionem.*

*Quo vero ad Capuccinos, Eminentissimus Ordinarius conficiat Processum circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ ab iisdem exercitam, non obstante contraria dispositione Sacri Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum, & transmittat.*

XXIII. Hæc tibi declaranda habuimus, ut quæstionibus tui accommodatum fieret responsum. Benedictionem nostram tibi impertimur.

## INSTITUTIO LXXXV.

*Epistola ad Joannem Antonium Castelvetri Parochum Sanctæ Margaritæ, & Monialium Confessarium tradita. Veterem esse Monialium consecrandarum ritum. Decere maxime hujusmodi ritum in Monasteriis promovere. Quænam sint Moniales consecrationi idoneæ. Quænam requirantur in iis quæ consecrandæ sunt. Esse aptas Moniales S. Margaritæ, sicut eas, quæ S. Benedicto nomen dederunt. Utrum hæc consecratio necessario spectet ad Episcopum. De loco huic rei peragendæ magis accommodato, deque variis modis, & quinam sit consuetudini, Sacrisque Canonibus magis consentaneus.*

I. TE nequaquam ignorare putamus a Monialibus S. Christinæ eam semper disciplinam retentam fuisse, ut consecrarentur; non modo cum Monachis Camaldulensibus subjectæ parebant, sed postquam in potestatem Bononiensis Archiepiscopi anno 1627. Pontificis auctoritate interposita, transierunt. Equidem Cardinalis Hieronymus Bon-compagnus hujus Civitatis Archiepiscopus anno 1658., ac deinde anno 1675. hanc Monialium Consecrationem peregit; Cardinalis Jacobus Boncompagnus Decessor noster de instituto hujusmodi nihil unquam dubitavit, sed de ratione, qua peragendum esset; ideoque Sacrorum Rituum Congregationem consuluit, quæ die 5. Julii anno 1698. ita respondit: *Servetur Pontificale, & quo ad egressum in Ecclesiam exteriorem, arbitrio Eminentissimi Archiepiscopi.* Cum deinde nova controversia post hoc Decretum excitata fuisset, eamdem Sacra Congregatio die 27. Septembris ejusdem anni in hunc modum rescripsit: *Ad Secretarium ad mentem:* Ipse vero Secretarius literas dedit, & mentem Sac. Congregationis hoc pacto explicavit: *Servandum Pontificale absque ulla immutatione in egressu, ac regressu ad Moniales sacrandas ex consueta Monasterii porta debere prodire, ut in exterius Templum veniant, & eadem porta Monasterium repetendum. Quam ob rem primam Sacræ Congregationis responsionem intelligi solum de modo, & cautionibus incundis, ne, dum Moniales sacrantur, tumultus excitentur.* Post hæc Cardinalis idem die 11. Januarii 1699. Moniales consecravit, uti constat ex publicis Tabulis, quas Joseph Lodius Scriba hujus Curiæ Archiepiscopalis exaravit. Ipse Cardinalis hoc idem perfecit paulo antequam vita decederet.

II. Statim ac nos suscepimus hujus Ecclesiæ administrationem cogitare cœpimus, an reliquas quoque Moniales ritus ejusmodi participes facere teneremur; si necessariis conditionibus præditæ essent, ut velum Consecrationis acciperent. Id vero Institutum cæteris Monialibus convenire duximus, ob sacram ipsius vetustatem, & ob consilium S. Caroli Borromæi, qui in quarta Mediolanensi Synodo sic decrevit: *Ubi Religiosus iste & vetus Moniales solemniter velandi nostris temporibus antiquatus est, ad pristinum usum ex veteri instituto & ritu revocetur, dummodo intra Monasterium id fiat* (1).

III. Paulo inferius verba faciemus de conditione, quam S. Carolus Borromæus præscripsit, ut intra septa Monasterii fieret consecratio: illud autem magnopere comprobat hanc a nobis ritum promovendum in illis Monasteriis, quæ idonea sunt, quod nempe consecrationis velum Virginibus tantum Monialibus concedi solitum, cum velum Professionis etiam Viduis impertiatur, velum, inquam, consecrationis, si ita percipiatur, aut gratiam auget, tanquam pium, ac religiosum opus (2), aut ipsam gratiam confert, tanquam species aliqua Sacramentalis, ac levia peccata detergit, nisi impedimentum aliquod interponatur (3). S. quidem Thomas (4). Postquam docuit initum a Divino Salvatore cum Ecclesia Matrimonium haud fœcunditate carere, quæ tamen ab integritate nequaquam sejungitur, illud subdit: *Sicut ergo per Matrimonium carnale repræsentatur Matrimonium spirituale quantum ad fœcunditatem, ita oportuit, aliquid esse, quod repræsentaret prædictum spirituale Matrimonium quantum ad ejus integritatem: & hoc fit in velatione Virginum, sicut per omnia, quæ ibi proferuntur, & geruntur, ostenditur; & propter hoc solus Episcopus, cui Ecclesiæ cura committitur, Virgines desponsat, velando non sibi, sed Christo, quasi Sponsi Paranymphus & amicus. Et quia integritatis significatio plene potest esse in continentia virginali, sed in continentia viduali est semiplena, propter hoc etiam Viduis aliquod velum, non quidem cum illa solemnitate, qua Virginibus, datur.*

IV. Itaque, vix persuasum nobis fuit hunc ritum Consecrationis amplificandum in illis pariter Monasteriis, quæ ad illam suscipiendam apta judicantur, licet superiori tempore in mora posita non fuerit, statim mentem, animumque convertimus ad Monasterium S. Margaritæ, ubi tu designatus es Confessarius perpetuus, & in quarum Ecclesia Parochi locum, ac dignitatem obtines. Nam merito affirmari potest ab illis Monialibus exempla perfectæ virtutis universæ Civitati præberi. Sed priusquam consilii nostri rationem exponamus, rem penitus investigare statuemus, ut cognoscamus, an conditiones omnes in ipsis Monialibus deprehendantur, quæ pro hac Consecratione necessario requiruntur.

V. Porro aliæ ad easdem Moniales pertinent, aliæ vero ad instituta, & leges Ordinis, quem profitentur. Ac primum

V. Por-

(1) *Tom. 1. Act. Eccl. Mediolan. edit. Lugdunen. ann. 1682. p. 159.*
(2) *Suarez tom. 4. de Religione lib. 1. cap. 11. n. 14.*
(3) *S. Antonin. in 3. part. tit. 2.*
(4) *In 4. sentent. dist. 38. quæst. 1. art. 5. in corpore.*

Moniales debent esse Virgines, & viginti quinque annis majores, de ordine illud præscribitur, ne inter Mendicantes adnumeretur. De iis copiose disserunt Scriptores (1).

VI. Quare, cum respectum fere habeamus nullam ex Monialibus S. Margaritæ matrimonio junctam fuisse, vel si aliqua inter ipsas Vidua est, cum reliquæ omnes virginitatem excoluerint, & magna illarum pars viginti quinque annos jam excesserit; Insuper, cum Ordinis S. Benedicti nomen dederint, qui inter Mendicantes non adscribitur, ideo ad Consecrationem indicendam nihil omnino deesse videtur.

VII. Te non latet quæstionem haberi inter eruditos viros, an S. Benedictus quemadmodum Monachorum, sic etiam Monialium Ordinem instituerit; utrum etiam S. Scholastica ipsius soror claustris inclusa fuerit, an pie, sancteque in suis privatis ædibus vitam solum traduxerit. In vita S. Benedicti (2), quam S. Gregorius Magnus latine scripsit, & S. Zacharias in græcum transtulit, illud traditur, quod non longe a Monasterio ipsius Sancti Benedicti *erant quædam sanctimoniales fœminæ*, pro quibus ad virtutem instituendis frequenter aliquos ex suis Monachis S. Benedictus designabat. Hæstenus contendit eas fuisse reipsa Moniales, quæ Claustri, Chorique legibus tenerentur. Idem Hæstenus, & Angelus De Nuce, ac Mabillonius in Præfatione ad sæculum primum Benedictinum (3) asserunt illud Monasterium a S. Benedicto conditum, & in ipso S. Scholasticam versatam fuisse. Eruditus Auctor, qui vitam eamdem S. Benedicti Venetiis in lucem edidit anno 1723. advertit (4) ex illo vocabulo *Sanctimoniales*, quo S. Gregorius utitur, non desumi eas Claustris addictas fuisse. Nam idem S. Gregorius *Sanctimonialis* nomine (5) quasdam pias mulieres indicat, quæ suis privatis ædibus detinebantur. Idem Mabillonius ingenue fatetur (6), hanc ad rem probandam *nihil magis* conferre *Asceterii* vocabulum quod a S. Zacharia, qui S. Gregorii Dialogos græce est interpretatus, adhibetur (7): *Ibi quædam sanctimoniales inerant, sed in ipso emporio erat Asceterium Religiosarum, & venerandarum Virginum.*

VIII. Sed omissa hac controversia, certissimum est plures Moniales legibus, & institutis Sancti Benedicti se devovisse, & quamvis Consecratio ejusmodi superiori tempore fere in desuetudinem abierit (8), ritus tamen ipsius retentus est, præsertim ab iis Monialibus, quæ Sancti Benedicti disciplinam sequuntur (9). Mabillonius autem id commemorat (10) contigisse, cum ipsis Venetiis anno 1685. moreretur: *Die Dominica apud S. Zachariam facta est a Patriarcha sex nobilium Benedictinarum Consecratio, quæ aliquot a Professione annis fieri solet cum magna pompa, & multo apparatu. Post lectam Missæ Epistolam Patriarcha ad Chorum Virginum accedit, & peracto Consecrationis ritu, omnes, qui in Consecratarum virginitatem aliquid tentare ausi fuerint, diris vovet. Factum bene, si mores & habitus ab illa Consecratione non discordent.* Nos ipsi Moniales Benedictinas, quæ Romæ a S. Ambrosio nuncupantur, solemni pompa consecrari vidimus a Benedicto XIII., qui de nobis adeo bene meritus est.

IX. Proculdubio hæc satis videntur, ut liquido constet Moniales S. Margaritæ æque ac Benedictinas consecrari posse. & hac ratione ipsis suaderi posse, ut eamdem Consecrationem percipiant. Verum, ut tutissimum semper iter insistamus, subjiciendam duximus rem gestam a Cardinali Leandro Porzia ex Ordine S. Benedicti, præclaro Theologo, & tunc Abbate S. Pauli in Urbe, cui parent Moniales S. Ambrosii, cum celebrem illam Consecrationem Benedictus XIII. indicit. Itaque litteras dedimus ad Cardinalem Porziam, quibus declaravimus situm esse Bononiæ Monasterium Sanctæ Margaritæ jurisdictioni nostræ subjectum, ubi Monialia S. Benedicti leges, ac disciplinam profitebantur, ignotum prorsus esse, an ullo unquam tempore ipsæ consecratæ fuissent; ob quam causam ab eodem Cardinali petivimus, utrum novo privilegio opus esset, ut Moniales sacrarentur. His autem verbis Cardinalis nobis responsum fecit.

Eminentissime, ac Reverendissime Domine.

*Redditæ mihi fuerunt litteræ Eminentiæ V. post reditum a balneis Nucerienſibus, ad quæ simul cum Præsule Cerato, atque Abbate Constantio me contuleram. Nunc, ut jussa faciam, respondeo a Monialibus Benedictinis juxta ipsarum institutum, Veli Consecrationem suscipiendam, ut reipsa faciunt, permittente, atque assistente illarum Episcopo, seu Abbate. Neque ullo opus est privilegio Pontificis, quod necessario tunc solum requiritur, cum privatæ Moniales præscriptam ætatem nondum attigerunt; qua de re potest Eminentia Vestra Monialibus S. Margaritæ eam consolationem impertiri, quæ reliquis Monasteriis ejusdem instituti permitti consuevit. Pro certo habeat Eminentia Vestra, nihil magis a me optari, quam ut voluntatis meæ studium, & observantiam pariter testatam Eminentiæ Vestræ declarem.*

Romæ die 24. Julii anno 1737.

*Humill., & addictissimus Famulus*

Leander Cardinalis Porzia.

X. Episcopum, aut Abbatem his litteris Cardinalis commemorat: Nam primum Moniales ab Episcopo pro muneris sui ratione sacrantur, *Scio* (inquit Sanctus Hieronymus ad Demetriadem), *quod ad imprecationem Pontificis flammeum virginale sanctum, operuit caput.* Insuper in epistola ad Oceanum: *Heri Catechumenus, hodie Pontifex, vespere in circo, nunc in Altari, dudum fautor histrionum, nunc Virginum Consecrator.* Sanctus quoque Ambrosius (11) scriptum reliquit quod Mediolanum ex variis Orbis partibus Virgines confluebant, ut flammeum acciperent: *De Placentino sacrandæ Virgines veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur.* Insuper iisdem litteris etiam de Abbate mentionem facit Cardinalis. Quippe nonnulli Generales Abbates Ordinis Monastici, vel ob privilegium Sedis Apostolicæ, vel ob inveteratam consuetudinem, quæ eidem privilegio adæquatur, Virgines sibi subjectas consecrant, uti de Abbate Vallis Umbrosæ Pellizarius (12), ac de Abbate Generali Camaldulensium idem Pellizarius, ac Tamburinus testantur (13). Neque id abrogat aliorum quoque hujus generis privilegia, aut ullo modo imminuit Episcoporum auctoritatem, cum de illis Monialibus agitur, quæ ipsorum potestati addictæ sunt, vel parent iis Abbatibus, qui privilegio ejusmodi careant (14).

XI. Pietatis studium, quo te præditum non semel experti sumus, facile nobis persuadet, omnem a te operam, ac diligentiam impendendam, ne Moniales S. Margaritæ sacrum hunc ritum prætermittant. Ipsæ vero ob eximiam virtutem, qua plurimum commendantur, facile adducentur, ut Consecrationem a nobis suscipiant. Sed jam de modo verba faciamus, quo ipsam perficiemus.

XII. Primum, Episcopus cum Administris Claustrum ingredi potest, atque interiori Monialium Sacello Moniales consecrare. Hoc pacto Ambrosius Abbas Generalis Camaldulensium caput suarum Monialium, quæ in hac Civitate a S. Christina appellantur, Flammeo operivit, cum Eugenius IV. Pontificatum teneret. Id colligitur ex vita ipsius præstantis Viri Ambrosii, quam post historiam Ordinis Camaldulensis Augustinus Florentinus typis evulgavit (15). Hanc eamdem rationem præ reliquis S. Carolus Borromæus proponere videtur (16). Tandem

(1) *S. Antonin. ibidem. Silvester in Sum. ad vocab. Consecratio. Barbos. Jur. Eccles. univers. cap. 44. a num. 15. ad 20. Pellizar. de Monial. cap. 3. sect. 3. num. 74. Tambur. de jure Abbatis. disp. 27. quæst. 3.*
(2) *Cap. 19.* (3) *§. 2.* (4) *In notis cap. 19.* (5) *Lib. 3. Dial. cap. 7. & 14.*
(6) *In Annal.*
(7) *In vita S. Benedicti cap. 19.*
(8) *Thomassin. de Antiq. Eccles. discipl. part. 1. lib. 3. cap. 49.*
(9) *Martene de Antiq. Eccles. Ritib. lib. 2. cap. 6. num. 16. pag. 5. 25. ultim. edit. Antuerp.*
(10) *In suo Itiner. Italico pag. 34.*
(11) *Lib. 1. de Virginib. c. 10.*
(12) *De Monial. c. 3. sect. 3. n. 91. Ibidem.*
(13) *De Jure Abbatis. disp. 27. quæst. 3.*
(14) *Martene loco all. pag. 520. Thomassin. in loco allato c. 47. & 48.* (15) *Cap. 15. in princ. pag. 361.*
(16) *In Conc. 4. Mediolan. superius allato.*

dem hoc consilio usus est Patriarcha Venetus anno 1684., cum Moniales Benedictinas Sancti Zachariæ consecravit.

XIII. Sed, ut verum fateamur, id facile executioni demandari non potest. Qui contrariam rationem tenuerunt, adducti sunt auctoritate Tridentinæ Synodi (1), & S. Pii V. Constitutione octava, qua Pontifex enumerat causas, ob quas Moniales Claustris egredi possunt; inter quas non recensetur causa adeundi templum exterius Monasterii, ut ibi Consecrationem percipiant. Sed contrarium statuit Sacra Congregatio Concilii anno 1587., cum Episcopo Hieracensi respondere t, qui hæc postulaverat (2): *Illustrissimi & Reverendissimi Domini, devotus vester Orator Episcopus Hieracensis supplicat Illustrissimis & Reverendissimis Dominationibus Vestris pro resolutione infrascriptorum dubiorum stante Concilio Tridentino cap. 5. sess. 25. de Regularibus & Monialibus ubi cavetur, nemini Sanctimonialium licere post Professionem exire e Monasterio etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.*

*XIV. Ac Extravaganti felicis recordationis Pii V. incipien. Decori &c. qua dictæ exeundi causæ ad tres dumtaxat, videlicet, magni incendii, lepræ, & epidemiæ, restringuntur.*

*XV. Et quod in Civitate Hieracensi Monasteria Monialium non habent Ecclesias interiores.*

*XVI. Et quod ex Libro Pontificali Consecratio Monialium, & Benedictio Abbatissæ inter Missarum solemnia fieri debeant.*

*XVII. Et quod in dicta Civitate fuerit, & sit consuetudo, quod actus Consecrationis Monialium, & Benedictionis Abbatissarum semper fuerit factum in Ecclesia exteriori.*

*XVIII. An dicta Consecratio & Benedictio fieri possit in dicta Ecclesia exteriori, & ad hunc effectum censeatur legitima causa exeundi.*

*XIX. Sacra Congregatio Concilii censuit, in exteriori Ecclesia posse fieri, iis dumtaxat Monialibus adhibitis, quæ ad Consecrationem erunt necessarie.*

XX. Insuper Sac. Congregatio causis Episcoporum, ac Regularium præposita anno 1591. Cardinali Columnæ respondit, Monialium Consecrationem in interiori templo peragendam, idque jussu Gregorii XIV., qui Episcopus Cremonensis antea fuit, & ad Concilium Tridentinum convenerat. Deinde Cardinalis a Gregorio XIII. creatus, inter cæteros Cardinales cooptatus fuit, qui Decreta ejusdem Concilii interpretari deberent. Subjicimus Litteras Sacræ Congregationis: *Pontifex vetuit Flammeo donari Moniales inter Claustra, ut scandalo, & corruptelis quæ accidere consueverunt, aditum penitus occluderet. Præcipit id fieri in posterum in templo interiori. Quod si Ecclesia ad rem ita gerendam parum accomodata fuerit, ipsam pannis, ac tabulis aptari omnino jubet, ita ut eadem Consecratio commode instituatur. Ob hanc causam Illustrissimi Præsules hujus Congregationis desiderio tuo satisfacere haud potuerunt, quorum voluntatem, studiumque presto semper futurum, si quid novi contigerit, tibi polliceor: Ego interim Tibi a Deo &c.*

XXI. Postremo Sacra Congregatio Concilii anno 1632. Sabinensi Episcopo plura postulanti sic respondit (3).

*XXII. Eminentissimus Sabinen. Episcopus supplicat, per Sacram Congregationem declarari.*

*XXIII. Primo, an violantes Clausuram Monialium ad malum finem, non tamen prætextu licentiarum, incidunt in Excommunicationem soli Summo Pontifici reservatam.*

*XXIV. Secundo, an admittentes hujusmodi violantes in Clausuram sint Excommunicationi obnoxii.*

*XXV. Tertio, an Decretis Conciliaribus, & Constitutionibus Apostolicis Clausuram præcipientibus obstet contraria consuetudo etiam post Concilium introducta.*

*XXVI. Quarto, an in Consecratione Monialium possint Moniales egredi, aut Episcopus ingredi Clausuram in ipso actu Consecrationis.*

*XXVII. Quinto, an occasione hujusmodi Consecrationis possit Magister Cæremoniarum, Consanguineæ, seu Consanguinei ipsarum Consecrandarum, saltem ex permissione Episcopi, Clausuram impune ingredi.*

XXVIII. Die 3. Julii 1632. Sac. Congregatio &c. *ad primum respondit, esse reservatam Summo Pontifici; ad secundum, Superiores admittentes hujusmodi violatores in Clausuram, esse Excommunicationi obnoxios; ad tertium, Decretis Conciliaribus, & Constitutionibus Apostolicis Clausuram præcipientibus nullam consuetudinem obstare; ad quartum, in Consecratione Monialium servandum esse Pontificale Romanum; ad quintum, ingressum in Monasterii Clausuram neque Magistro Cæremoniarum, neque Consanguineis ipsarum Monialium esse permissum.*

XXIX. Ex his omnibus satis constat non licere in posterum uti ratione illa consecrandi Moniales in templo interioti, quam plures tradiderunt, aliique reipsa probarunt.

XXX. Romanum Pontificale a Clemente VIII. promulgatum secundum hujus Consecrationis modum indicit, nempe, ut Moniales, quæ Flammeo donandæ sunt, e Monasterio prodeant, & a senioribus Matronis in templum exterius deducantur, & peracta Consecratione ad Portam Monasterii cum iisdem Matronis redeant, ubi Abbatissa Moniales suas excipiat. Buonmatthæus (4), Piscara (5), ac Tamburinus (6) verba Pontificalis diligenter expendentes de his copiose disserunt. Cum vero idem Pontificale Clementis VIII. Constitutione firmatum, vim legis obtineat (7), ipsi parendum esse videtur: accedit, quod Sac. Congregatio Concilii ea sententia, quam paulo ante memoravimus, propositam a Romano Pontificali normam omnino servandam præcepit; eamdem prorsus viam tenuit Sac. Rituum Congreg. cum de causa Monialium Sanctæ Christinæ, uti dictum est, ageretur. Id etiam exemplo suo confirmavit Benedictus XIII., cum Romæ Moniales S. Ambrosii sacravit.

XXXI. Tertio, hæc Consecratio fieri potest ad Fenestellam, ex qua Moniales Divinam Eucharistiam suscipiunt. Id aliquando monuit Sac. Congregatio pro causis Episcoporum, ac Regularium constituta, cujus Decreta Gavantus (8), & Piscara recensent. Sed non mediocrem difficultatem agnoscimus, tum quia hæc Consecrationis ratio Pontificali Clementis VIII. adversatur; Decreta vero Sac. Congregationis, de quibus modo verba fecimus, haud confecta fuerunt, ut lex generalis indiceretur, sed ut quibusdam peculiaribus corruptelis eadem Congregatio consuleret (9); tum quia hic modus Consecrationis improbatus fuit, cum Cardinalis Jacobus Boncompagnus pro sacrandis Monialibus Sanctæ Christinæ illum proposuisset.

XXXII. Secundus igitur hujus Consecrationis modus probandus videtur, licet duæ difficultates contra objiciantur. Nam primum, corruptelæ omnes evitandæ sunt, sed id facile obtineri potest, si serventur cautiones, quibus usus fuit Cardinalis Boncompagnus, cum Moniales Sanctæ Christinæ bis consecravit. Secundo, expensarum ratio habenda est. Quamobrem studio, quo possumus, maximo tibi indicimus hortari tuas Moniales, ut omnem contentionem deponant. Si quid defuerit ad pompam apparatumque, id nobis tribuunt, qui ea solum parari jubemus, quæ necessaria sunt; etenim hanc Consecrationem instituimus, ut fructum aliquem ipsarum animæ, nostræque percipiant, non ut solemnis aliqua pompa celebretur. Tandem ipsas admonebis, ut consilii nostri rationem omnino sequantur. Etenim de modo peragendæ Consecrationis simul ita deliberabimus, ut proventus Monasterii nullum capiant detrimentum.

IN-

(1) *Cap. 5. sess. 25. de Regular.*
(2) *Lib. 4. Decret. fol. 224. a tergo.*
(3) *Lib. 14. Decret. fol. 637. a tergo.*
(4) *In suo Tract. de modo consecrandi Virgines.* (5) *In Praxi Cæremoniarum lib. 2. sect. 12. c. 7.*
(6) *De jure Abbatiss. disp. 27. quæst. 7.*
(7) *Fagnan. cap. Presbyter. n. 41. de Sacram. non iterandis. Maceraten. Variar. resol. 112. cas. 14. vers. Nec verbum. Pax Jordan. Elucubrat. tom. 1. lib. 5. tit. 5. num. 9. vers. Quia Pontificale, & num. 27.*
(8) *In Manuali ad vocab. Monial. Consecrat. numer. 1. & numer. 5. In Praxi Cæremoniar. lib. 2. cap. 7. num. 15. in fine.*
(9) *Buonmatth. in allato tract. cap. 7. Tambur. de Jur. Abbatissar. disp. 27. quæst. 6. num. 4.*

## INSTITUTIO LXXXVI.

*De iis, quæ ſpectant ad facultatem Confeſſionum excipiendarum. Juxta Sacros Canones nemini licere abſque approbatione Ordinarii Fidelium Confeſſiones excipere. Nulli Sacerdoti, cæterequin idoneo, tribui ſolere poteſtatem audiendi in hac Diœceſi Confeſſiones niſi prius publicum ſubierit examen. Quomodo a Sacris Canonibus hujuſmodi conſuetudo ſancita ſit. Hanc facultatem nulli concedi, niſi ad præfinitum tempus, ſive Regularis, ſive Sæcularis ſit. Utrum ea conſuetudo Sacrorum Canonum auctoritate ſemper invaluerit, in eo quod ad Regulares attinet. Penes Epiſcopum eſſe iterum examinare doctrinam eorum Presbyterorum, qui acceptam facultatem ſibi prorogari cupiunt.*

I. PErpauca monenda duximus, ut quiſque intelligat qua ratione Sacerdotibus in hac Civitate, ac Diœceſi facultatem audiendi Confeſſiones impertiamur,

II. Primum, nullus Sacerdos Regularis, aut ſæcularis Pœnitentiæ Sacramentum ſæcularibus adminiſtret, niſi poteſtas ipſi per nos facta fuerit, licet in aliis Diœceſibus Fideles confitentes audire, & expiare poſſit; quamvis etiam Rector ſit animarum in aliena Diœceſi, ipſumque aliquis ex noſtris Parochis accerſat, ut populi ſui Confeſſiones excipiat.

III. Secundo, facultatem eamdem omnino denegamus cuicumque Sacerdoti Regulari, aut ſæculari, niſi prius examine probatus a nobis fuerit, licet ſæcularis Sacerdos quacumque Academia Doctoris Lauream in Sacra Theologia, vel jure Canonico ſibi comparaverit; Regularis autem in ſuo Ordine præclara munera, & quemlibet dignitatis locum obtinuerit. Attamen examine liberabimus eum, qui ſatis ob doctrinam, ac vitæ probitatem cognitus ad Confeſſiones audiendas accitus ſit, dum hanc Civitatem pertranſit: Parochum quoque alterius Diœceſis immunem faciemus, ſi a Parocho hujus noſtræ Diœceſis pro conferendo Pœnitentiæ Sacramento invitetur.

IV. Tertio, facultatem audiendæ Confeſſionis certis limitibus concludendam volumus, ita ut anni ſpatium nunquam excedat, eoque peracto Sacerdos tum Regularis, tum ſæcularis illius prorogationem a nobis petere teneatur.

V. Quarto, cum ea prorogatio conceditur, noſtræ poteſtatis erit quecumque Sacerdotum Regularem, aut ſæcularem in examen vocare, & Sacerdotes etiam, ſive ex Regularibus, ſive ex ſæcularibus eligere præſtantiores, ut nobiſcum ad examen conveniant, cum vel priſtini Confeſſarii a nobis confirmandi, vel novi probandi fuerint.

VI. Quinto, examen hujuſmodi, cum recentes Confeſſarii ſtatuendi ſunt, aut aliis prima facultas proroganda, coram nobis tantummodo in Civitate, ac Diœceſi judicetur. Equidem nos præſto fuimus, & in poſterum quoque futuri ſumus, ut ſimul cum delectis Viris Sacerdotes pro Confeſſionibus audiendis ſingulis Feriis ſextis examinemus. Idem etiam præſtavimus, & in poſterum præſtabimus ſingulis diebus, licet Examinatores deſint, cum Diœceſim Sacra Viſitatione indicta perluſtramus. At vero ſingillatim de his omnibus verba faciamus.

VII. Primum ſane, ne ulli Sacerdotes abſque noſtra facultate ſæcularium Confeſſiones audiant tum in Civitate, tum in Diœceſi, Tridentinum antea Concilium decreverat (1). Urbanus VIII. deinde quodlibet privilegium abrogavit Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandi (2), niſi Epiſcopi ejus loci facultas intercedat. Alexander vero VII. hanc ſententiam proſcripſit: *Qui Beneficium Parochiale habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Innocentius XI. (3) illorum opinionem improbavit, qui tradebant leves culpas, aut lethales etiam, ſi alias expiatæ Confeſſione fuerint, abſolvi poſſe a quolibet Sacerdote, quamvis ipſi ab Epiſcopo munus ejuſmodi demandatum non fuerit. Inſuper Innocentius XII. (4) præcepit illis etiam, qui privilegium ſibi deligendi Confeſſarium obtinuerunt, uti qui Indulto Cruciatæ præditi ſunt, illis, inquam, præcepit, ne alii Sacerdoti, quam probato ab Epiſcopo loci crimina ſua confiteantur. Idem Innocentius XIII. confirmavit in ea Conſtitutione, quam pro ſtatuenda in Regnis Hiſpaniarum diſciplina promulgavit (5). Illam deinde Benedictus XIII. ſua auctoritate probavit, & poſt Concilium Romanum imprimi juſſit, ut ex ipſa reliqui Epiſcopi ſibi normam, & exemplum deſumerent. Tandem quibuſcumque Sacerdotibus, & Parochis etiam alterius Diœceſis facultatem audiendi Confeſſiones in hac Civitate, ac Diœceſi denegabimus. Nam Clemens X. hæc ita conſtituit (6): *Religioſos ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis Pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, a quo ipſi Religioſi jam fuerunt approbati.* Quod ſi id decernitur in Sacerdotes Regulares, multo magis de Sacerdotibus ſæcularibus ſtatuendum eſt. Id magis conſtat ex ea controverſia, an Parochus alicujus Diœceſis accitus a Parocho alienæ Diœceſis poſſit in ipſa Confeſſiones audire, ſine facultate Epiſcopi, cui Diœceſis eadem ſubjicitur. Equidem diverſæ feruntur opiniones (7). Imo, cum Sacra Congregatio Concilii die 16. Julii anno 1667. de ea controverſia nullam ſententiam tuliſſet (8); poſtremo die 3. Decembris anno 1707. (9) judicium ſuum evulgavit. Porro id petitum fuerat: *An Curati unius Diœceſis vocati a Parochis alienæ Diœceſis poſſint in iſta audire confeſſiones tam ſuorum ſubditorum, quam alienorum abſque licentia Epiſcopi?* Reſponſum fuit: *Affirmative quoad ſubditos: Negative quoad alios?* Omnes quidem unanimes affirmant permitti Parocho, ut populum ſuum in aliena Diœceſi confitentem excipiat, licet conceſſio Epiſcopi ejus Diœceſis non interveniat.

VIII. Secundo loco propoſuimus, nulli Sacerdoti facultatem audiendæ Confeſſionis a nobis tribuendam, quamvis *ſæcularis Sacerdos in quacumque Academia Doctoris Lauream in Sacra Theologia, vel jure Canonico ſibi comparaverit; Regularis autem in ſuo Ordine præclara munera, & quemlibet dignitatis locum obtinuerit.* Nam Tridentina Synodus Epiſcoporum arbitrio permiſit eos in examen, vocare, quos ad confeſſiones Fidelium audiendas deſignat: *Per examen, ſi illis videbitur:* Sacra Congregatio S. Officii anno 1640. illos improbavit, qui contendebant Sacerdotibus Sacræ Theologiæ, & juris Pontificii Laurea donatis haud requiri facultatem, & examen Epiſcopi (10). S. Pius V. indixit etiam Regularibus, licet dignitatem inter cæteros obtinentibus, ut examen Epiſcoporum ſubeant, ſi confeſſiones excipere velint (11).

IX. Tertio, *facultatem audiendæ Confeſſionis certis limitibus concludendam diximus, ita ut anni ſpatium non excedat, eoque peracto Sacerdos tum Regularis, tum ſæcularis illius prorogationem a nobis petere teneatur.* Si de ſæcularibus Presbyteris agitur, id nunquam in dubium revocatum fuit. Pro Regularibus tantum rationes afferuntur, ob quas contendunt aliqui facultatem audiendi confeſſiones, quæ nullo temporis ſpatio definita fuit, Regularibus adimi non poſſe, niſi legitima cauſa obvenerit, quæ ad confeſſiones ipſas pertineat (12). Nec profecto deſunt, qui id magno ſtudio tuentur; nec deſunt ſententiæ editæ a Sacra Congregatione Concilii, quæ ſtatuunt ab Epiſcopo facultatem excipiendi confeſſiones ſæcularium, aut penitus denegandam Regularibus, aut ſine ulla limitatione concedendam (13). Nos plures ex his ſententiis congeſſimus (14). Attamen Clemens X. (15) aditum Epiſcopis reſeravit, ut limitatas ejuſmodi facultates Regularibus impertirent, præcipiens, ut magis idoneis abſque ulla limitatione, contra vero minus idoneis circumſcripta facultas tribuatur: *Illos autem* (inquit) *Religioſos, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis generaliter quoque, & indiſtincte abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittendos: quoad cæteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui,*

(1) *Seſſ. 23. c. 11. de Reformat.* (2) *In Conſtit. 92. Bull. tom. 4.*
(3) *In Decreto de frequenti Communione die 12. Februarii anno 1679.*
(4) *In Conſtit. edita apud Caſnedum tom. 3. Controverſ. pag. 452.*
(5) §. 17. (6) *In Conſtitut. 7. §. 4.* (7) *Apud Leand. tom. 1. tract. 5. diſp. 9. quæſt. 58.*
(8) *In Cauſa Cadurcen. Confeſſionis lib. 25. Decret. pag. 486.* (9) *Apud Monacell. tom. 4. pag. 16. num. 172.*
(10) *P. Viva in propoſit. 13. proſcript. ab Alexand. VII. n. 7.* (11) *In Conſtit. 33.*
(12) *In Conſtit. 32. Innoc. X. §. ſecundo an Epiſcopus.*
(13) *Apud Clericatum deciſ. 38. num. 20. de Pœnitentia.*
(14) *In noſtris Commentar. in cap. 15. ſeſſ. 23. de Reformat.* (15) *In allata Conſtitut. 7. §. 4.*

*qui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere.* Quamobrem, cum hæc doctrinæ, virtutisque præstantia dignosci nequeat, nisi examen circa quæstiones Theologiæ Moralis instituatur, quod ita facile non est, ideo facultas tantum limitata tum sæcularibus, tum Regularibus Presbyteris tradi consuevit, ita ut magis idoneis ad annum, cæteris autem ad minus temporis spatium eadem facultas prorrahatur (1). Scriptores etiam ex Regularibus idem unanimes asserunt: *Hinc infero primo* (inquit Cardinalis de Lugo (2)), *non debere damnari approbationem cum ejusmodi limitationibus ab Episcopis datam* (inter quas illa temporis limitati numeratur) *tanquam injustam etiam respectu Regularium, possunt enim de facto intervenire vel omnes, vel aliqua ex rationibus adductis, vel aliæ similes, quibus prudenter moveatur Episcopus ad non approbandum absolute, & universaliter, sed cum aliqua limitatione.* Congruit etiam Fagnanus (3), qui fatetur probari a Sacra Congregatione pro Episcoporum, & Regularium causis instituta, ut limitatæ facultates Regularibus tribuantur. Cum vero nonnulli Regulares in hac re adversarentur Cardinali Sandoval, & Episcopo Andegavensi, Urbanus VIII. opinionem ejusdem Cardinalis confirmavit (4). Alexander autem VII. die 30. Januarii anno 1659. hanc sententiam tanquam falsam, temerariam, pravamque proscripsit: *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare* (5). Tandem illud etiam certissimum est, quod Constitutiones Innocentii XIII. a Benedicto XIII., uti dictum est, confirmata, sancitur: *Declaramus, Sacerdotes tam sæculares, quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus, non posse Pœnitentiæ Sacramentum administrare extra tempus, vel locum vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum, quocumque privilegio, etiam in vim Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, competente, nullatenus suffragaturo.*

X. Ultimo loco proposuimus; *cum facultatis istius prorogatio conceditur, nostræ potestatis esse, quemcumque Sacerdotem Regularem, aut sæcularem in examen vocare* eo modo, quem superius indicavimus, illudque examen coram nobis habendum. Quippe non ignoramus in Confessario requiri non probitatem modo, sed peritiam pariter, ac doctrinam (6): *Caveat spiritualis Judex, ut sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ; oportet enim, ut sciat cognoscere quidquid debet judicare: judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare, discernat.* Porro temere queruntur illi, qui semel probati ad examen iterum vocantur, nec iis prorogatio, quam expetant, conceditur. Nam satis experientia compertum est obliterari, quæ antea didicimus, nisi assiduo studio excolantur: *Nam sicut ille* (ait Cardinalis de Lugo (7)) *qui hodie idoneus est, potest postea corruptis moribus, vel oblivione doctrinæ fieri ineptus; ita eum qui hodie declarat idoneum, poterit postea declarare ineptum, & retractare revocationem pro tempore sequenti. Et certe si Episcopi hoc non possent facere, non possent satis consulere suo Gregi, cum non possent prohibere illi Confessarium ineptum sibi approbatum, etiamsi clare constaret de ejus ineptitudine.* Illud etiam perspectum habemus a Gregorio XIII. (8) redactam fuisse ad prisinam sententiam juris Pontificii, ac Tridentinæ Synodi S. Pii V. (9) Constitutionem, ob quam Regulares semel ad Confessiones audiendas ab aliquo Episcopo probati, examinari amplius non debent, nisi ab Episcopo, qui in ejus locum sufficitur, si aliqua religione, metuque teneatur. Insuper Alexander VII. decimo tertio loco hanc sententiam damnavit: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Postremo nobis ignotum non est Patavium, ejusque Diœcesim, cum Cardinalis Gregorius Barbadicus eam Sedem teneret, doctis, idoneisque Confessariis plurimum redundasse ob hanc causam, quod facultas audiendi Confessiones post novum examen solummodo traderetur. Sic habet Clericatus (10), qui tunc Vicarii generalis munus exercuit.

XI. Expositа methodo, quam probamus, & reipsa semper antea servavimus, causisque illius adductis, nihil aliud superest, quam pauca Confessariis hujus Civitatis, ac Diœcesis nota, & perspecta facere. Primum, quod præsertim ad Diœcesanos spectat, nullam excusationem longi, vel impediti itineris satis futuram declaramus: ut primum, aut aliud examen evitetur, necquiquam etiam in medium proferent se infirma valetudine detineri, vel præstandam ab ipsis operam ægrotantibus, qui gravi morbo laborant. His enim causis fidem vix habere possumus, quæ plerumque afferri solent, cum illi ad examen venire jubentur. Illud quoque nos ad suspicandum de hac re magnopere impellit, quod ipsi sæpius per anni cursum in Urbem libere se conferant, ac deinde impedimentum aliquod semper obtingat, postquam examen illis indictum fuit. Accedit tandem, quod aliqui ex ipsis, cum nos in Diœcesi versaremur ad eos examinandos parati, id negotium effugerunt. Deinde post nostrum ad Civitatem reditum, audiendi confessiones facultatem, aut prorogationem, brevi temporis spatio interjecto, a nobis petierunt, ita tamen, ut nullum examen fieri deberet, aut hæc examinandi provincia alicui Diœcesano tribueretur ob aliquam ex iis causis, quas ab illis effingi superius ostendimus. Quare sensu pene communi carere debet, qui calliditatem ejusmodi non intelligat. Itaque pro certo habeant omnes, si causam a veritate non alienam nobis exhibeant, a nobis de more probandam esse, ut nempe Confessarii facultas ad aliquod breve tempus protrahatur, non tamen ut consuetum examen vitetur, aut alicui Diœcesano illud committatur.

XII. Secundo, ipsos ad examen magna humanitate excipiemus, neque ineptas quæstiones, ad ingenii ostentationem inductas proponemus, sed de illis interrogabimus, quæ reipsa contingere solent, & necessariæ prorsus habentur. Nos vero, designatique Examinatores coram nobis perspicuitatem rerum, ac sermonis omni studio sectabimur. Novimus enim in Confessariis optandam quidem eminentem scientiam, mediocrem tamen satis esse, quæ ab Innocentio sic explicatur (11): *Scientiam reputamus eminentem, quæ subtiles quæstiones discutere, & definire novit, & in promptu responsiones habet. Ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere, & qui in libris veritatem eorum, quæ scire tenetur, scit quærere, etsi in promptu omnia non habeat.* Novimus etiam in quibusdam Diœcesis partibus probari debere scientiam inferiorem, quæ scilicet neque ad mediocrem pertingit. Id sapienter advertit Cardinalis de Lugo (12), ut timidos, ac religiosos Episcopos consoletur.

XIII. Tertio, (ut re confirmemus, quæ nuper diximus) monemus ipsos præter alias quæstiones semper a nobis interrogandos *super reservatis in Bulla Cœnæ, & super reservatis* in hac Diœcesi. Nam merito suspicamur a quibusdam Confessariis imperitis ea crimina, easque censuras condonari, quæ ipsorum facultatem excedunt, atque ita protendi plus justo limites potestatis *directæ super non reservatis*, atque *indirectæ super reservatis*. Illos quoque interrogabimus juxta Decreta Congregationis Sancti Officii, circa Constitutionem Gregorii XV. contra *sollicitantes*. Inquiremus pariter sententias ab Alexandro VII., & Innocentio XI. proscriptas, ac potissimum 24. 25. 40. 41., ab Alexandro VII., & 9. 34. 49. 50. 51. 60. 61. 62. 63. ab Innocentio XI. damnatas, quæ pertinent ad crimen incontinentiæ; vel ad improbos homines nefaria peccandi consuetudine, aut proxima occasione devinctos. Profecto terret nos magnopere, quod Cardinalis Bellarminus scriptum reliquit (13): *Non esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.*

XIV. Quæ de facultate, aut prorogatione audiendi Confessiones a nobis dicta sunt, in eos tantum Sacerdotes decernuntur, qui nullam gerunt animarum curam. Nam qui Parochiam obtinuerunt, eamdem facultatem in Parochia absque ulla limitatione conjunctam habent, ita ut si Parochus in Diœcesi constituatur, Fideles confitentes per universam Diœcesim audire possit: si Civitatis Parochus habeatur, Confessarii munus in tota Civitate queat exercere. Ita sanxit Sacra Congregatio Concilii (14) ubi propositum fuit: *An provisus de Pa-*

---

(1) *Nicolius Lucubrat. lib. 5. tit. 38. n. 9. Clericatus in dec. 38. de Pœnitentia. num. 17.*
(2) *De Sacramen. Pœnit. disp. 31. §. 1. n. 59.* (3) *In cap. Grave n. 50. de Officio Ordinarii.*
(4) *In sua Concilt. anno 1639.* (5) *Cabasul. in Theoaia, & Praxi Juris Canonici lib. 1. cap. 10. num. 13.*
(6) *In Can. Qui vult. dist. 6. de Pœnitentia.* (7) *In loco allato §. 2. num. 65.* (8) *In Constit. 9.*
(9) *In Constit. 133. §. 2.* (10) *Decis. 37. sub num. 18. de Pœnitentia.* (11) *Cap. Cum in cunctis, de Electione.*
(12) *De Sacram. Pœnit. disp. 22. sect. 4. num. 74. Diana in edit. coordin. tom. 5. tract. 5. resol. 7. num. 13.*
(13) *In Concione 4. in Dominica 4. Adventus.* (14) *Apud Piasec. in Praxi Episc. part. 2. cap. 1. num. 16.*

*de Parochiali per concursum, censendus sit approbatus idoneus Minister ad audiendas confessiones in illa Diœcesi, in qua illam Parochialem obtinet*: hoc responsum editum tunc est: *Censeri dumtaxat in ea Civitate, vel Oppido, ubi sita est Parochialis, non autem passim per totam Diœcesim*. Ea tamen conditio semper interveniat necesse est, ut Confessarius Rectorem Ecclesiæ adire non prætermittat, ubi Sacramentum Pœnitentiæ administrare debet. Idem officium præstandum est a Diœcesis Parocho, si in Urbe, & a Confessario Urbano, si in Diœcesi confessiones audire velint. Hoc enim institutum, ac disciplina diuturna consuetudine in hac Civitate, ac Diœcesi firmantur, eamque consuetudinem probari Clericatus testatur (1). Sin autem Parochus abdicet, nova facultas requiritur, ut confitentes Fideles audire, & expiare possit (2), quæ sane a nobis haud concederetur, nisi novum examen intercedat.

XV. Attamen cum difficile sit Confessariis, a Parochis ea omnia circa Matrimonium plene cognoscere, ob quæ necessitio ad Cardinalem Pœnitentiarium confugiendum est: insuper, cum ipsis ignota fortasse sit ratio, ac modus, quo Brevia ejusdem Cardinalis executioni demandentur in lucem edimus Typis Archiepiscopalibus institutionem, quam in exiguum libellum congessimus.

## INSTITUTIO LXXXVII.

*Instruuntur Parochi, & Confessarii, quemadmodum confugere debeant ad Cardinalem Pœnitentiarium, & executioni mandare, quæ ab illo præcipiuntur, præsertim in difficultatibus ad Matrimonium pertinentibus.*

I. EX quo pervenimus in hanc Sedem, hujusque Civitatis, ac Diœcesis administrationem suscepimus, adesse nunquam prætermisimus, cum examen indiceretur pro Ordinandis, Confessariis, aut Parochis, quibus absque ullo examine, vel prævio Concursu, animarum cura confertur. Assidue pariter convenimus ad cœtus Ecclesiasticos, qui statis temporibus in hac Metropolitana haberi solent, ubi quæstiones Theologiæ Moralis proponuntur; idemque institutum retinere in posterum decernimus, donec singulari Dei beneficio salvi, & incolumes erimus. Itaque præ cæteris advertimus, a plerisque ignorari rationem, ac modum, quo ad Cardinalem Pœnitentiarium, ipsiusque Tribunal confugiant, cum aliquid ipsis difficultatis circa matrimonium obvenerit. Certissimis etiam documentis adducti cognovimus eos male se gessisse, cum executioni mandarunt immunitates ab eodem Cardinali concessas, ex quo magnum detrimentum in illos præsertim emanavit, qui temere, & inconsulto rem gravissimi momenti peregerunt; ex quo pariter neglectæ fuerunt leges in iisdem immunitatibus præscriptæ. Quamobrem consilio etiam addito præstantium virorum hanc institutionem promulgare constituimus, in qua non solum usi sumus auctoritate, ac sententiis scriptorum sed experientia, quam ex Romana Pœnitentiaria nobis per tot annos comparavimus, quibus Canonum interpretis munus in eodem Tribunali exercuimus. Congregationibus indici consuetis interfuimus, operam laboremque nostrum impendimus, cum judicium nostrum scripto etiam ferremus in iis rebus, quæ in medium proferebantur. Accedit etiam, quod vita functo Lancetta Sacræ Rotæ Decano in ejus locum per aliquod tempus Rectoris Pœnitentiariæ munus obivimus. Mens tamen non est dissertationem conficere, sed Clerum nostrum solummodo instituere; neque de iis omnibus verba facere, quæ Romæ in Sacra Pœnitentiaria proponuntur, sed tantum de matrimonialibus dispensationibus, quæ ab eodem Tribunali concedi consueverunt. Itaque omittimus Sacræ Pœnitentiariæ institutionem, quam fuse, ac sapienter explicavit Cardinalis Petra, cui nos suffecti fuimus pro Sacris Canonibus interpretandis, & qui modo Summi Pœnitentiarii dignitatem obtinet. Cætera quoque omittimus, quæ ad ipsum Sacrum Tribunal pertinent, & duabus eximiis lucubrationibus exponuntur, quas nos ipsi nondum in lucem editas servamus. Eas magno studio congesserunt P. Thesaurus ex Societate Jesu, qui Romæ in Basilica Santi Petri Apostolici Pœnitentiarii munere perfunctus est, & Pater Syrus ex Ordine Minorum Sancti Francisci Strictioris Observantiæ, qui in Basilica S. Joannis Lateranensis Pœnitentiarium pariter egit. Quare ad matrimoniales dispensationes hunc sermonem redigemus, & primum ordiemur a facultatibus ejusmodi, quas Pontifex Summo Pœnitentiario solet impertiri. Nam ad ipsas referuntur omnia, quæ inferius subjiciemus.

II. Innocentius XII. Constitutione 12. quam Sacra Pœnitentiaria veluti normam sequitur, hæc decernit. *In Matrimoniis contrahendis possit idem Major Pœnitentiarius in foro conscientiæ tantum super impedimentis occultis, quæ Matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare.*

III. Tria potissimum impedimenta scriptores enumerant: nempe votum simplex, sponsalia jam inita cum alia muliere, & Ecclesiæ Interdictum (3). Innocentius XII. Summo Pœnitentiario facultatem omnimodam tribuit pro votis simplicibus *in foro conscientiæ* commutandis, & ob hanc causam, qui simpliciter vovit castitatem, aut aliquem Regularium Ordinem ingredi, seu Sacros Ordines suscipere, vel uxorem nequaquam ducere, si ipse matrimonium inire velit, ad Cardinalem Pœnitentiarium confugere potest, ut voti peracti commutationem obtineat, quæ permitti solet, si legitima causa interveniat; nempe, si libidinis impetu vehementer concitetur, qui votum castitatis emisit (4). Illud vero immutari solet hac conditione, ut singulis mensibus ad Pœnitentiæ Sacramentum accedat, aliisque piis operibus vacet, quæ a Confessario præscribuntur. Ea pariter conditio pro ineundo matrimonio adjicitur, ut castitatem deinceps observet, postquam uxor vita decesserit. Quod si crimen aliquod cum alia muliere admittat, vel novum matrimonium absque nova facultate contrahat, pro certo habeat votum castitatis gravi scelere violari, neque jure novi matrimonii uti posse, quæ omnia patefacere debet Sacerdos, a quo litteræ Sacræ Pœnitentiariæ sunt executioni mandandæ (5).

IV. Si aliquis cum muliere sponsalia contraxerit, ac deinde aliam mulierem in matrimonium ducere peroptet, facultatem pro solvendis primis sponsalibus, dummodo occulta fuerint, & justa causa intercedat, *in foro conscientiæ* impetrare potest, ut animæ suæ saluti, atque innocentiæ prospiciat. De Interdicto Ecclesiæ dicere prætermittimus, quod publicum semper est, nec unquam Sacra Pœnitentiaria de rebus publicis judicium ferre consuevit.

V. Post hæc Summus Pontifex impedimenta dirimentia de rebus, ac de ineundis Matrimoniis verba faciens hæc statuit: *At a Dispensationibus super quocumque impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, sive ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiæ tantum, tametsi impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum immineat, in iisdem Matrimoniis contrahendis abstineat.*

VI. Cum hæc ita sint, si quis forte aliquo ex allatis impedimentis teneatur, non quidem confugere ad Sacram Pœnitentiariam, sed ad Datariam oportet.

VII. Præterit silentio Summus Pontifex occultum impedimentum publicæ honestatis, quod ex occultis sponsalis inter virum, ac mulierem dimanat; quemadmodum Auctores fere unanimes sentiunt, licet Dataria nullum prorsus impedimentum *in foro conscientiæ* provenire contendat ex illis sponsaliis, quæ clam inita fuerunt (6). Quamobrem in dubium revocari potest, an Summus Pœnitentiarius idem impedimentum *in foro conscientiæ* solvere possit, si fortasse contractum fuerit, juxta communem sapientum virorum opinionem, & occultum sit, quia de initis sponsaliis nulla cognitio in vulgus emanavit. Nam Summus Pontifex, uti modo exposuimus, solum agit *de impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis, sive ex cognatione spirituali proveniente*. Itaque cum idem Innocentius XII. post evulgatam Constitutionem declaraverit *oraculo vivæ vocis* integre se restituere Tribunali Sacræ Pœnitentiariæ universa, quæ ad ipsum antea spectabant, eis tantum sublatis, quæ in sua Constitutione recensuerat, hinc sequitur Majori Pœnitentiario tribuendam esse fa-

(1) *De Pœnitentia decis. 37. num. 12.* (2) *Barbosa de Parocho cap. 19. num. 6. & in Concil. Trident. sess. 23. cap. 14. num. 21. Vanespen. jur. Eccles. univers. tom. 1. par. 2. tit. 6. cap. 6. num. 6. Piacef. in Praxi Episc. part. 2. cap. 1. num. 10. Clericat. de Pœnitent. decis. 37. num. 14.* (3) *Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 17. num. 9. Pontas in eodem tract. lib. 6. cap. 4. Perez de Matrimonio disp. 23. sect. 8. numer. 2. Salmanticen. in cursu Moral. tom. 2. tract. 9. de Matrimon. cap. 13. punct. unic. num. 15.* (4) *Rosign. de Sacram. Matrim. part. 2. tom. 7. prænot. 25. clausul. 2.* (5) *Navarrus in manu duct. ad Praxim exercit. Epistol. Sacræ Pœnitent. part. 1. pag. 47. & seq.* (6) *Corradus in Praxi Dispens. lib. 8. cap. 7. num. 10. Zerola in sua Praxi part. 2. in vocabulo Sponsalia.*

facultatem solvendi propositum impedimentum, licet *de contrahendo* res agatur; nam hac eadem facultate præditus olim fuit, cum idem impedimentum occultum esset, & ad forum conscientiæ res omnis solum redigeretur: neque ullo modo verba Pontificiæ Constitutionis adversantur, quæ impedimentum ejusmodi silentio prætermittunt.

VIII. Postquam de contrahendis Matrimoniis sermonem habuit Pontifex, ad Matrimonia jam contracta descendit, & hæc potissimum præscribit: *In Matrimoniis vero contractis a Dispensatione, seu Matrimonii revelatione in gradibus primo, & secundo, seu secundo tantum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita etiam in occultis pariter abstineat, præterquam, si in hujusmodi secundo gradu tantum impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, & oratores simul publice contraxerint, & convixerint, & uti conjuges legitimi reputati fuerint.*

IX. Quare qui Matrimonium hoc pacto inierit, si remedium expectat, ad Datariam confugere debet, non autem ad Pœnitentiariam, nisi forte *impedimentum in secundo gradu saltem per decennium duraverit occultum, & oratores simul publice contraxerint, & uti conjuges legitimi reputati fuerint*. Post hæc Innocentii Constitutio Summo Pœnitentiario permittit, ut possint, *In tertio autem, & quarto gradibus publicis revalidare Matrimonia nulliter contracta ex causa subreptionis, vel obreptionis occultæ Litterarum Apostolicarum, præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen antea non intercesserat.*

X. Magnum hic discrimen advertendum est inter eos, qui a Dataria dispensationem obtinuerunt, non explicantes in supplici libello copulam, quæ intercessit, aut voluntatem, & consilium, quod tunc habuerunt, nempe, ut facilius ejusmodi dispensationem assequerentur, & inter illos, qui copulam interveniisse falso exponunt, ut a Ministris Datariæ tutius dispensationem sibi surripiant. Equidem primi, si consulere sibi velint, propriam turpitudinem declarare debent; ideoque Summus Pontifex aditum ipsis ad Pœnitentiariam reclusit. Secundi vero detegant necesse est, ea labe, ac macula se esse immunes, quam in supplici libello contractam falso testati sunt. Quare, si quis ob hanc falsitatem impetravit dispensationem in quocumque gradu consanguinitatis, vel affinitatis ad Datariam se convertere debet, novamque ex ipsa dispensationem exposcere.

XI. Pontifex agit, uti superius dictum est, *de Matrimoniis cum impedimento contractis in gradibus primo, & secundo, vel secundo tantum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita*; agit etiam de Matrimoniis contractis *in tertio, & quarto gradibus publicis*: sed nullam habet mentionem de occulto *spiritualis* cognationis impedimento, quod aliquando contingit. Hinc in dubium vocari potest, an summus Pœnitentiarius hac facultate præditus sit, cum de contractis jam Matrimoniis res agitur; (nam, si de contrahendis adhuc Matrimoniis sermo fiat, jam superius ostendimus nullam Pœnitentiario inesse auctoritatem, ut ipsa dispensare possit). Itaque nemo inficiatur in Matrimoniis initis eam facultatem Majori Pœnitentiario tribuendam. Quippe id consuetudine, institutoque Pœnitentiariæ comprobatur; neque adversari potest *oraculum vivæ vocis* Summi Pontificis post Constitutionem, uti superius indicavimus. Accedit etiam, quod Pontifex rem aperte declaravit, cum abrogare vellet auctoritatem, ne contrahenda Matrimonia dispensarentur, si impedimentum cognationis spiritualis intercederet. Quare facultatem eamdem non quidem sublatam, sed potius præservatam in contractis Matrimoniis conjicere debemus, quia Pontifex nullum de ipsa verbum fecit, cum de iisdem Matrimoniis ageretur.

XII. Paulo ante diximus reclusum esse aditum ad Pœnitentiarium illis, qui *a Dataria dispensationem aliquam obtinuerunt, non explicantes in supplici libello copulam, quæ intercessit, aut voluntatem, & consilium, quod tunc habuerunt, nempe, ut facilius ejusmodi dispensationem assequerentur.*

XIII. Equidem decertant inter se Scriptores, an hæc aperte exponenda sint, ut consanguinitatis, vel affinitatis impedimentum a Sede Apostolica dispensetur (1); reipsa tamen nullus dubitandi locus superest, cum Summi Pontifices mentem suam super hac re clarissime declaraverint. Nam in suis litteris, cum dispensationem aliquam impertiunt, sub pœna *subreptionis*, vel *obreptionis* indicant, ut non modo copula explicetur, si prius obvenerit, sed etiam quo consilio, ac voluntate inita fuerit. Id autem sapienter constituerunt, ut gravissimum crimen incestus longe a consanguineis arceretur (2).

XIV. Cum hæc ita se habeant, quæ Innocentius XII. indulserit, afferamus. *Quod si oratores, qui obtinuerint a nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito tam in primo, & secundo quam in secundo tantum, ac etiam in tertio, & quarto, tacita copula inter eos secuta, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, & ratione hujusmodi taciturnitatis petant dispensationem pro Matrimonio contrahendo, seu revalidationem Matrimonii contracti, possit idem Major Pœnitentiarius, si culpa sit adhuc secreta, in foro conscientiæ tantum concedere, facta, quando agitur de primo, & secundo, vel secundo tantum gradu, compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum ut inconcussi moris est, erogandi in eleemosynas.*

XV. Hæc postrema Innocentii XII. verba referri debent ad ea, quæ Pontifices antea constituerunt, ut nempe piis operibus totum impendatur, quod ex matrimonialibus dispensationibus percipitur; ac potissimum ad litteras, quas Innocentius X. die 8. Novembris 1644. promulgavit, decernens, ut ejusmodi pecunia cum reliqua confundatur, quæ tradita est curæ Præfecti generalis ærarii Pontificii, sed in Monte Pietatis deponatur, nec inde auferri possit, nisi prius mandatum a Pontifice obsignatum intercesserit; per quod eadem pecunia in pium opus convertatur.

XVI. Verum Innocentii XII. propositam Constitutionem explicare prosequamur, quæ proculdubio servanda est in ea parte, quam modo commemoravimus, sive de gradibus consanguinitatis, sive affinitatis sermo habeatur, cum Pontifex nullos distincte, ac peculiariter gradus enumeret. Adjungimus pariter quinquaginta ducatos non esse persolvendos, cum dispensatio circa primum, aut secundum gradum, non vero circa tertium, vel quartum comparatur; immo neque hanc pecuniam enumerandam esse, si primus, vel secundus, aut secundus tantum gradus dispensetur, si *in forma pauperum* litteræ expediantur: *Nisi prius gratia* (inquit Pontifex) *expedita fuisset in forma pauperum, quo casu etiam hæc gratia absque ulla compositione similiter expediatur.*

XVII. Disputatum olim fuit, utrum si quis dispensationem a vetito gradu consequutus fuerit, explicans quidem copulam, quæ prius intervenit, non autem nefarium consilium obtinendi facilius hac ratione eamdem dispensationem, quæritum, inquam fuit, utrum Major Pœnitentiarius facultatem satis haberet, ut crimen ejusmodi remitteret, si copula esset publica, intentio vero occulta. Equidem P. Thesaurus (3) docuit ad Datariam pertinere dispensationem ejusmodi occultæ intentionis, quemadmodum ad illam solummodo spectat a publica copula dispensare. Sed Innocentius XII., cujus verba inferius subjiciemus, Majori Pœnitentiario concessit, ut dispensationes ejusmodi impertiri possent; hinc nemini dubium esse debet, quin hæc facultas Majori Pœnitentiario tribuatur, licet publica fuerit copula, intentio vero occulta. Porro ea copula publica dicitur, quæ in Dataria fuit exposita, & litteris Apostolicis inserta, quæ per Delegatum executioni mandantur.

XVIII. Itaque facultatem dispensandi ab occulta intentione, licet copula sit publica, Majori Pœnitentiario denegari nequit, sive Matrimonium contractum jam fuerit, seu contrahi debeat: sed jam verba Pontificis afferamus: *Si vero oratores, qui obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, & secundi, sive secundi duntaxat gradus consanguinitatis, sive affinitatis cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita, occulta, & malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius habendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis recurrant ad dictam Pœnitentiariam, & possit idem major Pœnitentiarius desuper dispensare cum miserabilibus personis explicite affirmantibus, se uti tales, & sub illa expressa qualitate & forma miserabilium, dispensationes a Dataria obtinuisse. Cum iis vero, qui non tanquam pauperes, sed uti ex honestis Familiis, sive uti nobiles, sive uti illustres fuerint similiter ab eadem Dataria dispensati, idem Major Pœnitentiarius non dispenset, nisi soluta prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxa cum*

(1) *Salmanticens. lib. 2. tract. 9. de Matrimon. cap. 4. punct. 3. num. 9. & seqq. & seqq. Syrus in Constit. Innoc. XII. facult. 32. §. 26. & facult. 33. §. 37. in Praxi Ecclesiast. part. 2. ad vocab. Incestus cap. 2. §. Verum est.*

(2) *Corradus ibidem lib. 6. cap. 5. nu. 36.*

(3) *In sua Prax. ms. Pœnitentiar. tit. 6. num. 6. &*

*cum Datario pro tempore existente concordanda. Quod si supplicantes, sint pauperes, ita ut vere & realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere nequeant, præfatus Major Pœnitentiarius insimul cum eodem Datario opportune provideant.*

XIX. Ex his verbis primo desumitur nihil omnino solvendum esse *pro obtenta dispensatione primi, & secundi gradus, sive secundi dumtaxat cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita, & occulta malitiosa intentione*, si dispensatio ejusmodi a Dataria conceditur *in forma pauperum*. Paupertas vero testimonio eorumdem oratorum comprobatur. Nam revalidatio dispensationis ad forum conscientiæ tantum pertinet. Secundo, si illis dispensatio tribuatur, qui ex honestis Familiis, atque uti nobiles, & illustres habeantur, quædam pecuniæ summa necessaria est, quam Major Pœnitentiarius una cum Datario constituit, ob hanc potissimum causam, ut detrimentum a Dataria susceptum in prima dispensatione compensetur. Tertio, si oratores in eam paupertatem redacti fuerint, ut pecuniam ab eodem Pœnitentiario, ac Datario decretum nec integre, nec partim persolvere queant, tum Pontifex indicit, ut ipse Pœnitentiarius, ac Datarius *opportune provideant*. Porro oratores nullas facere expensas tunc consueverunt, veluti si prima dispensatio *in forma pauperum* peracta fuerit. Quarto, si tertius, aut quartus gradus dispensetur *cum expressione quidem copulæ, sed tacita, & occulta intentione*, nihil prorsus expenditur; nam id solum exigitur in dispensatione primi, & secundi gradus, vel secundi dumtaxat, uti nuper explicavimus.

XX. Crebro evenire solet, ut impedimentum affinitatis *ex copula illicita* ante Matrimonium contrahatur. Major autem Pœnitentiarius *in foro conscientiæ* tantum ab hoc impedimento liberare potest, sive Matrimonium initum fuerit, vel adhuc ineundum sit, modo tamen idem impedimentum occultum habeatur: *Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu actu fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineat, vel non adesset, in Matrimoniis tam contractis, quam contrahendis in foro conscientiæ tantum*. Si Pontifex illis verbis *ex actu fornicario* nequaquam usus esset, in dubium revocari posset, utrum Major Pœnitentiarius dispensare queat impedimentum affinitatis *ex copula illicita*, cum ad eamdem copulam stuprum, sive adulterium adjungitur. Cum tamen Pontifex addiderit *ex copula illicita, seu ex actu fornicario*, satis intelligitur ex illa particula *seu*, quæ alternationem indicit, in eo consilio fuisse Pontificem, ut omnem copulæ speciem complecteretur, sive fornicaria tantum existat, sive stupro etiam, atque adulterio contaminetur.

XXI. Tandem illud constat in more positum non esse, ut Sedes Apostolica in Matrimoniis jam contractis, seu contrahendis dispensationem impertiat *super impedimento criminis*, si illud publicum fuerit, vel conjugi mors illata sit *altero, aut utroque machinante* (1); & profecto Clemens VIII. viris potentissimis id expetentibus constanter denegavit (2). Attamen, ut saluti animarum aliquo modo prospiceretur, Summo Pœnitentiario facultatem Pontifex concessit, ut *in foro conscientiæ tantum impedimentum criminis* dissolveret, si ipsum crimen occultum sit: monet vero Pontifex id raro peragendum, si conjugis mors patrata fuerit *utroque vel altero machinante*: necessitas intercedere debet, aut gravissimum periculum; nec ullo modo tribui dispensatio hæc potest, nisi prius in Congregatione, vel Signatura Sac. Pœnitentiariæ res diligenter examinetur. Id nos præ cæteris testari possumus, qui ad eos cœtus sæpissime convenimus, nostrumque suffragium tulimus aut scriptum, aut ore tenus, cum in eodem Tribunali Canonistæ munere fungeremur: *Super impedimento occulto criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante commissum, possit tam in contrahendis, quam in contractis matrimoniis dispensare: si vero crimen hujusmodi fuisset, utroque, vel altero machinante, patratum, possit dispensationem concedere, raro tamen, & quando necessitas postulaverit ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Pœnitentiarii, re præsertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.*

XXII. Hæc potissimum ab Innocentio XII. præscribuntur de matrimonialibus dispensationibus, quæ a Sacra Pœnitentiaria tribui consueverunt, ac de illis etiam, quæ Summi Pœnitentiarii facultati unice conceduntur. Porro necessarium haud ducimus enumerare hic etiam reliqua omnia, quæ ad eamdem Pœnitentiariam simul & ad Episcopum communi jure pertinent. Nam Pœnitentiarius facultatem impertiri potest ineundi Matrimonii in quacumque orbis parte absque promulgationibus, quæ fieri ante Matrimonium solent: idem in sua Diœcesi præstare potest Episcopus. Item, si conjux post initum Matrimonium affinitatem cum altero conjugum per illicitam copulam contraxerit, Pœnitentiarius dispensare potest innocentem ex conjugibus, ut debitum exposcat, quo jure reus conjux post patratum scelus destituitur: *quoties vero* (sic habet Innocentius XII. in eadem Constitutione) *affinitas hujusmodi post contractum Matrimonium supervenerit, ut debitum peti possit, in eodem conscientiæ foro dispensari, & dispensari mandare possit & valeat*. Eadem sane auctoritate Episcopus in sua Diœceli præditus est (3). Prætermittimus etiam celeberrimam controversiam, utrum Episcopi dirimentia impedimenta dissolvere possint in foro conscientiæ, antequam Matrimonium contrahatur, & postquam contractum jam fuerit: non ignoramus magnis difficultatibus hanc quæstionem implicari, & neminem prorsus Episcopis eam facultatem tribuere, nisi gravissima aliqua causa id postulaverit (4).

XXIII. Satis verba fecimus de ordinaria facultate Cardinalis Majoris Pœnitentiarii; quod si extraordinaria opus fuerit, illam a Pontifice per se obtinere potest, vel ipsam per Præsulem Sacræ Pœnitentiariæ moderatorem exposcere; nunc de iis sermonem instituamus, qui ad eamdem Pœnitentiariam debent confugere. Id potissimum Parochis, & Confessariis contingit. Nam perraro evenire solet, ut, qui dispensationes implorant, amicos, & familiares Romæ habeant, qui negotium ejusmodi perficiant: sed quicumque ille sit, qui hoc peragendum suscipiat, necessario requiritur, ut res plane exponatur, & nihil a veritate sit alienum; nam fieri potest, ut contractum impedimentum falso existimetur. Omissis pluribus exemplis, quæ afferri possent, illud satis sit, nullum affinitatis impedimentum obvenire, licet ante Matrimonium cum aliqua consanguinea futuræ uxoris copula habita fuerit, si ipsa perfecta non extiterit (5). Item si inter duos affines copula intercesserit, ac deinde facultas a Dataria Matrimonii ineundi, & gradus dispensatio ab ipsis obtineatur, licet copulam in supplici libello non declaraverint, tamen fieri potest, ut nullam aliam dispensationem a sacra Pœnitentiaria petere debeant, nempe, si mutuam inter se affinitatem antea cognitam, perspectamque non habuerint, cum scelus admiserunt, sed inito solum Matrimonio in hanc cognitionem venerint. Tunc enim incestus, uti fatentur Garzias (6), ac Thesaurus (7), *materialis* non *formalis* habetur.

XXIV. Arcanum pariter, ac prudentia servanda, id satis ostenditur exemplo Parochi, quod P. Tiburtius Navarrus commemorat (8): nam cum ipse ex sermone forte deprehendisset occultum impedimentum dirimens Matrimonium, quod jam palam celebratum fuerat, adeo incautus fuit, ut pluribus aliis rem patefecerit, quæ silentio occultanda erat: eosque conjuges publice disjunxerit, quos impedimenti ignaros, & inscios pati debuerat, donec Major Pœnitentiarius de toto negotio certior per ipsum fieret, opportunumque remedium afferretur. Aliam quoque viam inire poterat, nempe, eosdem conjuges clam separare, si impedimentum haud ignorarent, deinde ad sacram Pœnitentiariam rem totam deferre, remediumque exposcere. Qua de causa in libello, qui olim Romæ typis evulgatus est pro instruendis Parochis, & Confessariis, qui ad sacram Pœnitentiariam confugere debeant, hæc monen-

(1) *Conrad. Prax. dispensat. lib. 8. cap. 9. num. 4. & seqq. De Justis de Dispens. Matrimonial. l. 2. cap. 16. n. 64 & seqq. Schmalzgrueber ad tit. decretal. de eo, qui duxit in Matrimonium num. 65. & seqq. Miglioruc. Jur. Canon. l. 2. p. 242.*

(2) *P. Pyrus ibid. facult. 25. § 29. num. 20.* (3) *Sanchez. de Matrimon. lib. 8. disput. 12. num. 15.*

(4) *Sanchez de Matrimon. lib. 2. cap. 40. a num. 1. ad num. 12. & num. 8. Pont. de Matrimon. lib. 8. cap. 13. num. 2. Perez de Matrim. disput. 44. sect. 6. num. 50. N. Alexand. in Theol. Dogm. Moral. lib. 2. de Sacrament. Matrimonii regul. 10. tom. 2. edit. Venet. Salmaticen. in cursu Theologiæ Moral. tom. 2. tract. 9. cap. 14. punct. 1. num. 7. & seqq.*

(5) *Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 25. n. 10.* (6) *De Beneficiis part. 8. cap. 3. num. 106.*

(7) *In Praxi Sac. Pœnitentiariæ tit. 6. num. 8.* (8) *In libro, qui inscribitur*: Manuductio ad Praxim executionis litterarum Sac. Pœnitentiariæ: *part. 2. pag. 87. edit. Rom. an. 1714.*

nentur *Caveant ne, quod occultum est, palam faciant, præsertim impedimenta occulta Matrimoniorum; nam publica, vel ad publicum redacta non pertinent ad sacram Pœnitentiariam.*

XXV. Insuper universæ rei circumstantiæ, & causæ, ob quas dispensatio postulatur, plane exprimantur necesse est: *Accidit etiam nonnumquam* (sic in eodem libello, quem modo nominavimus, traditur) *per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxta exposita obtentæ, irritæ evadant, eo quia causas & circumstantias necessarias reticeant: unde fit, quod litterarum executores, casu postea pœnitentium examinato, rem aliter se habere, quam expressum fuerat, comperiant, & gratias subreptitias, aut obreptitias esse inveniant: quare pœnitentes confusi remanent, & spe novæ dispensationis se carere putantes, in prædictis vinculis, & obligationibus miserabiliter remanent.*

XXVI. Paulo post agitur de causis, quæ ad obtinendum dispensationem explicandæ sunt. Etenim communi omnium consensu, & juxta Tridentina Synodum (1), nulli unquam dispensatio concedi solet, nisi legitima causa intervenerit. Idem institutum, & disciplinam sequitur Pœnitentiaria, cum præsertim matrimoniales dispensationes petuntur, quas sine causa impertiri non consuevit. Idem observari a Dataria non videtur, cum aliquis religione adductus, licet pro dispensatione impetranda veram, ac legitimam causam in medium proferre queat, tamen anxius, & sollicitus, an validum sit initum matrimonium dispensationem expetit, & ne causam adducere cogatur, pecuniam largius persolvit, ut omni sollicitudine, metuque amittendæ beatitudinis eripiatur. Hac enim ratione, loco causæ, quæ exponi debuerat, gravis multa sufficitur, quam ille libenter impendit, ut egenis, piisque operibus erogetur. Hæc sapienter docet Cardinalis Pallavicinus (2).

XXVII. Sed perpauca de causis ejusmodi percurramus. Si de impedimentis, ac præsertim de voto res agitur, satis, superque jam ostendimus, quæ peragenda sint. Pro dispensandis sponsaliis aliqua ex iis causis proferri debet, quæ si probetur in foro externo, satis est ut eadem sponsalia dissolvantur.

XXVIII. Si vero de impedimentis dirimentibus sermo habeatur, Innocentius XII. in sua Constitutione plures causas enumerat, nempe, cum prætermissa silentio fuit copula, cum dispensatio gradus a Dataria peteretur; pro causa afferri solet metus, ne communi honestati conjugum macula inureretur; Item, cum agitur de impedimento affinitatis contracto *ex copula illicita*, aliqua causa rationi consentanea proponitur, licet copula, quæ prius intercessit, palam fieri posse non videatur, nec ulla mali species, aut offensio populo præbeatur; causa vero desumi solet ex metu, ne aliquod detrimentum dissidium, aut scandalum excitetur, quæ fortasse evenirent, nisi dispensatio tribueretur. Porro causa ejusmodi semper probatur, cum res est de contractis Matrimoniis, & palam celebratis: etenim Matrimonia vix ulla dissolvi possunt, quin gravissima mala subsequantur, quæ sane dispensatione impedienda sunt, uti recte perpendit Auctor institutionis, quæ pro novis Confessariis Romæ promulgata est (3).

XXIX. Postremo res tota cum suis causis, & necessariis circumstantiis Cardinali Majori Pœnitentiario declaranda est per litteras, Latina, seu hac nostra Italica lingua confectas: reticetur illius nomen, qui dispensationem expostulat, ejusque loco littera N. sufficitur; locus tamen designatur, ubi dandæ litteræ, ut quo responsa mitti debeant, innotescat: in fine litterarum nomen etiam, & cognomen describuntur illius, ad quem responsum dari necesse est: neque sane Parochus, aut Confessarius, cui Fidelis impedimento aliquo illigatus animum suum detexit, hanc provinciam recusare debet; ne forte ille totam urbem circumire cogatur, ut inveniat, qui litteras datas a Pœnitentiaria executioni demandet. Accedit, quod sacra Pœnitentiaria jam consuevit ejusmodi executiones non tantum Parochis, sed quibuscumque Sacerdotibus committere (4).

XXX. Hoc pacto sibi quisque consulere potest absque alia expensa; nam sacræ Pœnitentiariæ tribunal suis Administris stipendia persolvit, qui, dum munus ineunt, his verbis jusjurandum pronunciant: *Officium meum fideliter exercebo, & gratis, ejusque ratione nihil ab aliquibus etiam sponte oblatum, vel donatum accipiam, præterquam salarium mihi constitutum.* De hoc monendi erunt, qui dispensationem aliquam petere debent: Nam *in periculoso statu manere coguntur, & sibi persuadent, sacræ Pœnitentiariæ tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum revera sacræ Pœnitentiariæ Ministri nec aliquid, quamvis minimum, nec etiam sponte oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, singulos ad se reccurrentes serena fronte complectantur* (5).

XXXI. Sed jam sermone explicemus, quæ peragenda sint illis, qui litteras a Majori Pœnitentiario datas exequi debent. Responsum sacræ Pœnitentiariæ, quo continetur facultas dissolvendi propositum impedimentum, vel hoc pacto traditur *Discreto Viro Confessori, Magistro in Theologia*, vel *decretorum Doctoris ex approbatis ab Ordinario*; vel *discreto Viro Confessario ex approbatis ab Ordinario*. Quocumque tandem modo id eveniat, nonnisi Confessarius ab Episcopo loci probatur litteras Pœnitentiariæ exequi potest; nec satis habetur, si olim hanc approbationem consequutus fuerit, sed necessario requiritur, ut tempus ad Confessiones audiendas præscriptum nondum absolutum sit. Adverti quoque debet, dispensationes mulieribus permissas executioni mandari non posse a Confessariis, qui viros tantum confitentes audire, & expiare queunt; e contrario Sacerdos, qui solis mulieribus Pœnitentiæ sacramentum administrare potest, idoneus non est ad exequendas dispensationes viris concessas.

XXXII. Quod si litteræ Sac. Pœnitentiariæ ita scribantur: *Discreto Viro Confessori, Magistro in Theologia, vel decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario*, tum requiritur, ut Doctoris lauream a publica aliqua Academia consequutus ille sit in Theologia, vel jure Canonico. Si Regularis ipse fuerit, haud satis habetur, quod Theologiæ facultatem aut jus Pontificium profiteatur, cæterosque Regulares in suis Claustris edoceat: neque satis est, si Magistri titulo, atque honore penes suos fruatur. Patres solummodo Societatis Jesu a Gregorio XIII. (6) privilegium acceperunt, quo Sac. Pœnitentiariæ litteras aperire possint, easque exequi, licet Doctores in publica Academia declarati non fuerint, modo tamen inter Confessarios ab Episcopo probatos recenseantur, & sint ex illorum numero, quos Præpositus Generalis Societatis designare solet, ut litteras Pœnitentiariæ accipiant, & exequantur. Eodem ferme privilegio prædicti fuerunt ab Innocentio XI. Lectores Regulares S. Francisci, qui Minores Observantes appellantur (7). Putant nonnulli ipsos hoc frui beneficio, qui participes sunt privilegiorum, quæ in Societatem Jesu collata fuerunt, quod tamen Pellizzarius falsum omnino testatur: (8) omissis tamen his controversiis Ordinum Regularium, quas dijudicandas minime suscipimus, id certum statuimus, probandos ab Episcopo esse Regulares Confessarios, si veris privilegiis haud muniantur (9).

XXXIII. Si litteræ Sac. Pœnitentiariæ hoc modo inscriptæ fuerint: *Discreto Viro Confessori, Magistro in Theologia*, vel *Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario*, & alicui reddantur, qui iis titulis careat, & tamen eas aperiat, non ideo novæ litteræ petendæ sunt a Pœnitentiaria, sed primæ tradi possunt viro, qui propositis titulis exornetur. Temere quidem se gessit, qui eas litteras sibi nequaquam inscriptas aperuit; ipsius tamen culpa nullum afferre debet detrimentum illi, qui litteras tradidit, neque ipsarum executionem impedire, si tamen hæc per Doctorem in Sac. Theologia, aut jure Canonico perficiatur (10). Illud etiam in disputationem vocari consuevit, utrum qui litteras accepit a Pœnitentiaria insci-

(1) *Cap. 18. sess. 25. de Reformatione.* (2) *In loco allato.*
(3) *Part. 2. cap. 15. num. 324.* (4) *Idem auctor. institut. pro recent. Confessar. loco cit. num. 322.*
(5) *Card. Petra de Sac. Pœnit. part. 1. cap. 7. num. 23.* (6) *La Croix lib. 6. part. 3. de Matrim. n. 978.*
(7) *Sporer. in supplem. Theol. Moral. pag. 319.* (8) *In Manual. Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 180. & 193.*
(9) *Marcus Paulus Leo in Praxi ad lit. Majoris Pœnitent. part. 1. a pag. 11. ad pag. 15. edit. Mediol. 1655. Vanespen. Jus Ecclesiast. universi part. 1. tit. 23. n. 24. & 25. Clericat. de Sacram. Matr. dec. 40. a n. 20. ad num. 25. La Croix tom. 2. lib. 6. part. 3. num. 954. & num. 978. Giribald. de Sacram. Matr. tract. 10. cap. 8. §. 1. num. 90. & seqq. Auctor. Instit. pro Recent. Conf. loco allato num. 322.*
(10) *Rosignol. de Matrim. part. 2. tom. 7. de Matrim. tertio prænot. 25. clausul. 1. n. 5.*

scriptas aut Doctori, aut Confessario per Episcopum approbato, ita tamen, ut quemlibet inter ipsos eligere queat, utrum, inquam, semel traditis litteris, ipsas repetere a Confessario possit, aliique Doctori, seu Confessario illas committere. Id sane affirmant plures, inter quos Rosignolius (1), Giribaldus (2), Diana (3), & Naldus (4) recensentur. Contrarium alii tuentur, nisi nova dispensatio a Sacra Pœnitentiaria expoſcatur; ac præsertim Marcus Paulus Leo (5) rerum ad Sac. Pœnitentiariam spectantium peritissimus ejusmodi licentiam semper improbat, nisi forte delectus Confessarius, quod solet contingere, ignarus, & imperitus deprehdatur.

XXXIV. Post hæc agendum superest de clausulis, quibus uti consuevit Pœnitentiaria. Porro illa numquam deest: *si ita est*. Quare, qui litteras exequitur omnem curam, ac diligentiam impendere debet, ut cognoscat, an verum sit, quod Majori Pœnitentiario fuit expositum. An res ipsa, circumstantiæ, & causæ, ac rationes ad obtinendam dispensationem prolatæ veritati prorsus consentaneæ sint. Nam ejusmodi executio committitur haud *pro mero* solum, sed *pro mixto* etiam foro conscientiæ. Quamobrem monere debet eum, qui dispensationem petiit, ut nihil a veritate alienum proferat. Deinde opus est, ut diligenter investiget, utrum revera probentur omnia, quæ ille testatus fuerit (6). Non tamen ulli testes inquirendi sunt, sed illum examinari solum fas est, qui dispensationem impetravit. Pontas censuit jusjurandum elici posse, ut *rei veritas magis comprobetur* (7). Hinc tamen sententiam reliqui omnes improbant. Quare, paucis jam superius dicta complectamur, adhibendam ab executore accuratam diligentiam, quam modo ostendimus; aliter irritam fieri dispensationem, nisi forte ipse aliunde rei veritatem, justamque causam cognoverit (8). Quod si Confessarius pro certo habeat falsum esse, quod Summo Pœnitentiario propositum fuit, ab exequendo dispensationem abstineat, licet qui ipsam postulavit, rei falsitatem tueri contendat, modo tamen Sacerdos id non perceperit, cum Pœnitentiæ Sacramentum dispensando administravit: non enim uti licet iis, quæ tunc deprehenduntur (9).

XXXV. Disceptabant olim Theologi, utrum necessario requiratur, ut Sacerdos confitentem prius audiat, & expiet dispensandum, & tunc solum dispensationem, quæ a Pœnitentiaria data fuit, exequatur; omnis tamen dubitatio sublata est; nam sic in Pœnitentiariæ litteris indicitur: *Audita prius Sacramentali Confessione*. Qua de re conditio præscribitur, qua si careat dispensatio irrita prorsus efficitur (10): *Advertę, facultatem Confessoribus per Brevia, seu Bullas Majoris Pœnitentiarii concessam non esse liberam, ut possit Confessor ea simpliciter, & ad suum libitum, hoc est in Confessione Sacramentali, vel extra illam uti, sed est ita limitata, ut nonnisi in Sacramentali Confessione illam exercere valeat, &, si secus facit, nulliter facit, nam excedit fines mandati, qui fines diligenter sunt observandi etiam in minimis*; & paulo post: *Illa clausula* Audita Sacramentali Confessione, *importat conditionem, sine qua non fuisset concessa hujusmodi facultas Confessario*.

XXXVI. Si dispensatio conceditur, *Audita prius Sacramentali Confessione*, & dum ipsa Confessio peragitur, aperte constat, irrogandam esse pœnam consentaneam crimini, quod impedimentum intulit eadem dispensatione solvendum. Id cavetur in litteris Sac. Pœnitentiariæ. *Injuncta ei, pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentia salutari*. Advertendum pariter id est, quod Syrus (11) admonet his verbis: *In Commissionibus, aut rescriptis Sacræ Pœnitentiariæ, pro quorum executione inter alia præscribitur quod oratori pœnitenti injungatur Confessio menstrua, ideſt singulis mensibus peragenda, ut sæpius in formulis habetur, numquam prætermitti potest, cum talis pœnitentia quę inter graves computatur, sit individuata a Majori Pœnitentiario, cui parendum est ut deleganti, & sit de stylo Pœnitentiariæ, qui facit jus*.

XXXVII. Eodem modo statuendum est de aliis pœnis, quæ a Sacra Pœnitentiaria præscribuntur: observari quoque debet, quod Syrus idem tradit (12), si forte Confessarii arbitrio relinquatur pœnas sceleri consentaneas infligere: *Arbitrium, quod relinquitur Pœnitentiario in ordine ad pœnitentias individuandas, & injungendas, non importat meram & liberam voluntatem, ita ut possit illas libere injungere, prout sibi placuerit, sed importat arbitrium regulatum, ideſt arbitrium boni viri, & juri conforme*.

XXXVIII. Quamobrem Confessarius, ut suo muneri recte satisfaciat, neque severitatis, neque humanitatis fines excedat (13). Rationem quoque habebit conditionis, ætatis, & sexus illius, cui pœna irrogatur (14).

XXXIX. Non ita facile percipiuntur reliquæ clausulæ, quas inferius subjicimus, neque facile modus, ac ratio dignoscitur, qua executioni mandentur. Prima quidem est ejusmodi, quæ in cunctis dispensationibus matrimonialibus indicitur: *Dummodo impedimentum præfatum occultum sit*, sive hoc modo: *Dummodo omnino occultum sit*.

XL. Id proculdubio implicatum est, ac difficultatis plenum, si Theologiæ Moralis scriptores, aut etiam forenses percurrantur. Marcus Paulus Leo (15) docet id occultum nuncupari, quod omnes ignorant, vel perpauci sciunt, ita ut, nec manifestum, neque fama evulgatum dici queat. Hanc definitionem adeo planam affert, ut nulla explicatione indigere videatur. Addit occultum vocari posse, quod duobus tantum, vel tribus innotescit. Alii tamen rem diligentius investigantes, quærunt, an occultum impedimentum existimari debeat, quod lateat majorem partem incolarum alicuius loci, quemadmodum si is locus affluat quinque millibus incolarum, inter quos mille, aut bis mille tantum illud impedimentum noverint, utrum occultum ipsum habeatur. Id autem unanimes inficiantur. Quippe vident occultum præscriptum a Sac. Pœnitentiaria hoc pacto in publicum manare, si publicum ex communi omnium sensu explicetur. Quare intelligentes in eo positam esse quæstionem, nempe, quot personis manifestum esse debeat impedimentum, ne occultum existimetur, consentiunt omnes prudentes Judicis arbitrio, ac sententiæ id relinquendum esse.

XLI. Plures aliæ quæstiones in hac re proponuntur, nempe, utrum occultum impedimentum censeatur, quod quidem publice cognoscitur in eo loco, ubi contractum fuit, sive alibi, occultum tamen est, ubi degunt qui dispensationem expostulant, & ubi dispensatio ipsa conceditur; utrum impedimentum, quod fuit aliquando publicum, diuturnitate temporis occultum fieri possit, ita ut, dispensatio tribuenda videatur; postremo, utrum occultum habeatur impedimentum, si patratum crimen publice quidem innotescat, criminis tamen conscii prorsus ignorent, an impedimentum dirimens cum eodem crimine conjungatur. Res exemplo declaretur. Centum incolæ alicujus oppidi, quod tria millia hominum continent, cognitum, perspectumque habeant Civem aliquem, priusquam cum muliere Matrimonium iniret, cum ipsius sorore incontinenter, & impudice versatum esse: Hi tamen centum, qui hoc scelus deprehenderunt, adeo imperiti sint, ut penitus ignorent ex *hac illicita copula* dirimens impedimentum manare, cujus causa Matrimonium cum sorore contrahi nequaquam possit, irritumque fieri, si contrahatur. Inquirunt Theologi, an ejusmodi impedimentum occultum vocandum sit?

XLII.

---

(1) *In eodem loco num.* 11. (2) *In suo tract.* 10. *de Sacram. Matrim. cap.* 18. §. 1. *num.* 92.
(3) *In edit. coord. tom.* 3. *resol.* 105. (4) *In voc.* Litteræ *num.* 8.
(5) *In Praxi ad lit. Major. Pœnitent. part.* 1. *de forma Votor.* §. *Remanet tamen.*
(6) *Syrus in suo opere edito de Praxi executionis litterarum & resp. Sac. Pœniten. quæst.* 9. *prælim-*
(7) *Pont. lib.* 8. *de Matrim. cap.* 11. *num.* 16.
(8) *Bonacin. tom.* 2. *oper. tract. de legibus disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 5. *Diana loco cit. resol.* 161. *Clericat. de Matrim. decis.* 40. *n.* 25. *Rosign. loco cit clausula* 3. *n.* 19. *& seq. Giribald. in loco cit. cap.* 18. *de Sacram. Matrim.* §. 2.
(9) *Sanchez de Matrim. lib.* 8. *disp.* 34. *n.* 21. *De Justis Dispensat. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 129. *Rosign. loco allat. clausul.* 3. *num.* 22. *& seq. Clericat. in allata dec.* 40. *de Matrim. num.* 25.
(10) *Marcus Paulus Leo loco cit. pag.* 19. (11) *Syrus in opere edito de praxi execut. epist. Pœnitentiar. part.* 2. §. 2.
(12) *Ibidem.* (13) *Sanchez de Matrim. lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 35. *& seq. Pontas de Matrim. lib.* 2. *cap.* 21. §. 1. *num.* 28. *Clericat. in allata decis.* 40. *de Sacram. Matrim. num.* 28.
(14) *Navar. in Manuduct. practr executionis lit. Sac. Pœnitent. pag.* 65.
(15) *Part.* 2. *Formular. dispens. Matrimonial. pag.* 151.

XLII. Nos itaque judicamus hujus generis impedimentum *materialiter publicum* (ita rem explicant Theologi) *sed formaliter occultum appellari*. Scriptores fere omnes putant satisfieri hac ratione Pœnitentiariæ mandato, quo illud jubetur: *Dummodo impedimentum sit occultum* (1). *Similiter* (inquit Giribaldus (2)) *potest esse nota multis, & toti vicinia copula incestuosa ab aliquo commissa, & tamen erit formaliter occulta, si ignoretur ab illa nasci impedimentum affinitatis dirimens Matrimonium*, deinde sic habet (3): *Executorem posse Absolutionem, seu Dispensationem concedere, si delictum, seu impendimentum sit occultum formaliter, quamvis sit materialiter publicum, quia sufficienter verificantur verba in dispositione posita: dummodo impedimentum sit occultum*. Navarrus (4), & Rosignolius (5) eamdem probant sententiam, aliosque nominant, qui idem docuerunt. Ipsi tamen diversis opinionibus cæteras quæstiones pertractant, quas nuper indicavimus.

XLIII. Antequam judicium nostrum in hac difficillima re exponamus, duo potissimum monenda sunt; primum a Confessario, priusquam litteras Pœnitentiariæ exequatur, diligenter, accurateque examinandum illud mandatum: *Dummodo occultum sit impedimentum*, quo talis conditio præscribitur: *Sine qua non* (ait Navarrus) (6) *Sacra Pœnitentiaria tali materiæ manum non apponeret*. Secundo, ut occultum impedimentum dignoscatur, parum conferre putamus, si illorum sententiæ tantum investigentur, qui nulla experientia præditi Sac. Pœnitentiariæ, de hac re temere scripserunt; sed necessarium ducimus perscrutari, quid hoc vocabulo occulti impedimenti ab eodem Sac. Tribunali intelligatur. Hæc autem cognitio ab illis solum comparari potest, qui munus aliquod in ipso Tribunali gesserunt.

XLIV. Prosper Fagnanus Correctoris munere magna cum laude functus est, ad quem pertinet emendare supplices libellos, qui a Procuratoribus Sac. Pœnitentiariæ traduntur (7). Ipse quoque diplomata percurrit, & corrigit, siquid imprudenter exciderit. Itaque Fagnanus de occulto impedimento sapienter sermonem instituit (8), & primum ostendit illud occultum impedimentum dici, quod nullo pacto demonstrari potest, & Dei solum judicio permittitur. Impedimentum vero quasi occultum illud esse, quod solum, duobus, tribus, aut quinque testibus comprobatur. Post hæc scriptum reliquit. *Dicitur impedimentum, vel crimen occultum, licet aliquibus sit notum, puta quatuor, vel quinque, & hanc opinionem servat Sacra Pœnitentiaria*. Deinde hanc ipsam opinionem improbat (9), si Sac. Pœnitentiaria iis verbis non utatur: *Dummodo impedimentum occultum sit*, sed illis potius: *Dummodo impedimentum omnino occultum sit*. Plerumque id accidit, cum impedimentum *criminis* dispensandum proponitur, potissimum vero, cum uterque conjux novo matrimonio copulatur necem prioris conjugis molitus fuerit: *Dummodo omnino occultum sit, quod uterque Oratorium in morte dicti mariti machinatus sit, & plane ignoretur, quod ejus mors inde secuta sit*, & delinquentibus solum innotescat. Quod si duo, quatuor, aut quinque crimen ipsum deprehenderint, tunc occultum minime diceretur.

XLV. Marcus Paulus Leo Procuratoris munus in Tribunali Sac. Pœnitentiariæ sustinuit, antequam Societatis Jesu nomen daret (10). P. Thesaurus ex eadem Societate Pœnitentiariæ peritissimus fuit, idque præclara ipsius dissertatione nondum in lucem edita satis comprobatur. Insuper in Vaticana Basilica per plures annos Apostolicum egit Pœnitentiarium. Idem munus diu exercuerunt in Lateranensi Basilica Tiburtius Navarrus, & Syrus ex Ordine S. Francisci Strictioris Observantiæ. Illis autem, qui hoc munere præditi sunt, inscribuntur frequentissime litteræ a Majori Pœnitentiario, ut illos absolvant, qui Romæ versantur. Itaque Marcus Paulus Leo hæc tradit (11): *Dicendum secundo, notitiam duorum, vel trium nec minus nocere, quominus aliquod delictum sit occultum*. Thesaurus etiam ita scribit (12): *Etiamsi res sit nota duobus, vel tribus, res occulta dicitur: Item si quinque, vel sex personis in aliquo Oppido, vel septem, aut octo in Civitate res nota sit, non dicitur publica, sed occulta*; Idem affirmat, irritam dici nequaquam posse dispensationem a Pœnitentiaria concessam illis etiam verbis superadditis, *dummodo occultum*, licet impedimentum notum sit tot hominibus, quot superius indicavit: Tiburtius Navarrus idem plane fatetur (13): *Res adhuc est occulta, si in Oppido est nota quinque, aut sex personis, in Civitate vero septem, aut octo, adhuc occulta censeri debet, modo scilicet ab illis non fuerit divulgata*. Syrus p. 269. hæc habet: *Si delictum sit notum duobus, vel tribus alicujus Loci, aut Communitatis, aut Capituli, occultum censetur. Si in Oppido sit notum quinque, aut sex personis, in Civitate vero septem, aut octo, adhuc censetur occultum*. Navarrus vero, ac Thesaurus (14) monent Confessarium, ut abstineat ab exequendo dispensationem, si prudenti conjectura intelligat post breve tempus futurum esse publicum, quod a paucis antea cognoscebatur.

XLVI. Non omittunt iidem Scriptores reliquas quæstiones, quas paulo ante memoravimus in examen vocare; ac primo *utrum occultum impedimentum censeatur, quod quidem publice cognoscitur in eo loco, ubi contractum fuit, sive alibi; occultum tamen est, ubi degunt, qui dispensationem expostulant, & ubi dispensatio ipsa conceditur*. Navarrus (15) sapienter admonet Confessarium, ut minime exequatur dispensationem, si forte quis Majori Pœnitentiario declaraverit crimen esse occultum in Civitate, exempli causa, Bononiæ, ubi vitam agit, & dispensatio tradenda est executioni, deinde silentio prætermiserit idem crimen publicum esse Neapoli, ubi patratum fuit. Tunc Confessarius reum hortetur, ut ad Pœnitentiariam rursum confugiat, ipsique patefaciat, quod prius omisit, suum nempe crimen per Urbem Neapolis esse divulgatum. Sin autem id totum expositum fuisse in supplici libello Confessarius deprehendat ex litteris Sac. Pœnitentiariæ, tunc absque ulla difficultate pareat, & litteras exequatur.

XLVII. Secundo inquirunt, *utrum impedimentum, quod fuit aliquando publicum diuturnitate temporis occultum fieri possit, ita ut dispensatio tribuenda videtur*. Equidem Marcus Paulus Leo (16) sic respondet: *Notandum quarto, & ultimo, non implicare, quod aliquid a sui origine, & principio fuerit publicum, & tractu temporis fiat occultum. Tempus enim omnia devorat: & quæ non delet ab hominum memoria diuturnitas temporis? Hoc autem genus occultorum etiam pluries meo tempore Signatura Officii Sac. Pœnitentiariæ admisit; sed non eodem modo in omnibus casibus: in Dispensationibus Matrimonialibus per decennium; in Irregularitatibus per viginti, & triginta annorum spatium*.

XLVIII. Postremo judicium nostrum libere feremus de illa quæstione, an occultum, ideoque solvendum censeri debeat impedimentum, quod Theologi *materialiter* publicum, sed *formaliter* occultum appellant. Exemplis rem totam planam faciemus. Siquis Monialium Claustra ingressus fuerit absque facultate, quam tamen ipsi concessam antea cæteri omnes arbitrantur: item si quis hominem consulto interfecerit, populus tamen judicet id fortuito contigisse, ut vitam suam tueretur; tandem si quis excommunicatus rem divinam fecerit, antequam illis vinculis, ac pœna solveretur; illum tamen jam absolutum omnes putent, si, inquam, ita se res habeat, nos ingenue fatemur, & credimus crimen ejusmodi tanquam occultum a Sac. Pœnitentiaria dispensari posse, & ipsis literis executioni mandandas a Confessario, cum ipsum crimen occulti limites non excedat. Contra vero est, si crimen publice innotescat, licet omnes fere ignorent pœnam ipsi criminis irrogatam, quæ *ignorantia juris* dicitur. Exemplum afferatur de muliere, quæ consilium nefarium iniit cum alio viro de marito suo necando. Si hoc scelus in populum evulgatum certo fuerit, licet perpauci intelligant ob hanc causam *criminis* impedimentum interponi, ne eadem mulier post illatam marito necem cum illo scelesto homine Matrimonio jungatur; si, in-

(1) *Marcus Paulus Leo loco allato pag.* 132. *Bonacin. tom.* 2. *tract. de legibus disp.* 1. *quæst.* 2. *prop. unica num.* 7. *De Justis de dispensat. Matrimonial. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 175. (2) *Tra.* 10. *de Sacram. Matrimon. cap.* 18. §. 4. *num.* 111.
(3) *Num.* 112. (4) *In Manuduct. pract. execut. literar. Sac. Pœnitent. pag.* 19. §. *Advertere*.
(5) *In cit. prænot.* 14. *de Matr. claus.* 6. §. *Hic duplex*. (6) *In laudata manuduct. pag.* 18.
(7) *Card. Petra in tract. de Sac. Pœnit. p.* 144. *&* 379.
(8) *Cap. Vestra* 106. *& seq. de cohabit. Cler. & Mulier. num.* 45. *& seq.* (9) *Num.* 120.
(10) *Card. Petra pag.* 386. (11) *Pag.* 131. (12) *In oper. de Pœnis Ecclesiast. part.* 1. *cap.* 21.
(13) *Pag.* 19. (14) *In locis all.* (15) *Ci. manud. pag.* 20. *&* 21. (16) *Loco cit. pag.* 133.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

si, inquam, id contingat, tunc rem captu difficilem semper existimavimus impedimentum hujus generis tanquam occultum haberi posse, litterisque parendum Pœnitentiariæ, quibus illud decernitur: *Dummodo occultum*; & profecto, si hoc statueretur, jam crimen omne affinitatis *ex copula illicita*, & omne impedimentum *criminis*, licet hæc publica sint, dispensari tamen poterunt, tanquam occulta. Nam satis experientia compertum est, omnia impedimenta (si illud consanguinitatis, & affinitatis *ex copula licita* solum omittes) ignota esse non modo oppidanis, sed illis etiam, qui in magnis Civitatibus versantur. Postremo nos ipsi jurejurando affirmare possumus per tot annos, quibus Sacræ Pœnitentiariæ addicti fuimus, suffragiumque nostrum, cum res ejusmodi proponerentur, scriptum, seu voce tenus dedimus, semper in more positum fuisse, ut impedimentum publicum *materialiter* spectaretur, & nunquam eo nos devenisse, ut examen fieret, an impedimentum *formaliter* occultum censendum esset. P. Thesauri (1) auctoritatem proferamus, qui superius allatam sententiam improbat, tanquam Sacræ Pœnitentiariæ institutis, ac consuetudini omnino contrariam, cui se accommodare debent, qui ipsius litteras, ac diplomata exequuntur: *Aliqui* (ait Thesaurus) *audent ulterius, & dicunt; etiamsi sit publicum ut delictum, si tamen sit occultum in ratione pœnæ annexæ a Jure, posse dispensari, vel absolvi ab illa tanquam in occultis. Tamen contrarium tenendum est, quia hoc est Juris ignorantia quæ non excusat ad hunc effectum, & hoc observat Sac. Pœnitentiaria.*

XLIX. Tridentina (2) Synodus impertit Episcopis, ut sibi subjectos dissolvere queant ab irregularitatibus, cunctisque suspensionibus, quæ ab occulto crimine proveniunt; deinde certos quosdam limites huic ampliſſimæ facultati constituit, ac præsertim, si ipsum crimen in forum contentiosum fuerit antea deductum: *Exceptis aliis deductis ad forum contentiosum.* Eosdem limites præscribit Sac. Pœnitentiaria, quæ non occultum, sed publicum, & omnibus perspectum crimen illud existimat, ex quo venit impedimentum, si semel *in forum contentiosum* adducatur; nisi forte reus sententia judicis in eodem foro declaratus fuerit innocens; tunc enim crimen tanquam occultum putat, & dispensatione solvendum: *aut tanquam repertus innocens* (inquit Fagnanus) *& non culpabilis, aut tanquam absolutus ex hactenus deductis, vel ex observatione Judicii, seu tanquam non repertus culpabilis, nec de Jure punibilis* (3). Idem Fagnanus monet dissolvi non posse impedimentum, cum in forum contentiosum crimen allatum fuit, ubi reus nullam ex iis sententiis, quas superius memoravimus, obtinuit, sed in libertatem redditus est interposita illa conditione, & cautione *de repræsentando*. Cæteri, qui de his rebus scripserunt, occultum fore docent crimen, quod in foro contentioso examinatur, si forte aliqua ex iisdem sententiis comparetur per falsos testes, aliasque rationes, quæ ab æquitate abhorrent. Nam licet hoc pacto semper impedimentum supersit, infamia tamen obliteratur, & crimen ipsum quibusdam tenebris obducitur (4).

L. In Matrimonialibus dispensationibus illud semper subjicitur: *Ita quod hujusmodi Absolutio, & Dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur*, sive *aliudque non obstet*. Aliquando id quoque decernitur: *Præsentibus lacceratis, quas sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ lacerare teneatis, ita ut nullum earum exemplar extet, neque eas latori restituas. Quod si restituerit, nihil ei præsentes litteræ suffragentur.* Quandoque excommunicatio Sacerdoti exequenti litteras Pœnitentiariæ infligitur, nisi peracto negotio illa dilaceret, quandoque vero hæc pœna non indicitur. Cum Major Pœnitentiarius nullam curam suscipiat de criminibus ad forum contentiosum deductis, sed tantum expetat reum a crimine solvere, & in foro conscientiæ de medio tollere impedimenta, ideo magnopere notandum, quod Navarrus tradit (5): *Si contigeret aliquando etiam post contractum in vim dispensationis matrimonium, ut impedimentum ex occulto fieret publicum, posset Ordinarius Loci eos separare a thoro &c. Verum tamen est, quod in foro conscientiæ, seu in foro animæ, isti essent veri conjuges, quia vere fuerunt legitime dispensati in vim litterarum Sacræ Pœnitentiariæ quoad forum conscientiæ, & sic, si tempore separationis, remoto scandalo, debitum conjugale sibi ad invicem redderent, nullum peccatum committerent, quia per secretam dispensationem Sac. Pœnitentiariæ vere esset sublatum impedimentum tunc occultum.*

LI. Idem Navarrus (6) affirmat ab Episcopo irrogari posse pœnam crimini in foro externo, quamvis Pœnitentiariæ dispensatio intercesserit, sed hanc conditionem præscribit, nempe si idem Episcopus de dispensatione certior factus, ipsi tamen fidem præstare recuset. Porro in hac re duo perpendenda videntur, quæ a Sac. Pœnitentiaria continuo probari nos ipsi testamur. Primum, si Episcopus perceperit aliquem matrimonio se junxisse mulieri, cujus matrem, aut sororem antea per *illicitam copulam* violaverit, nec idem Episcopus ullo modo deprehenderit, illum in foro conscientiæ fuisse absolutum, initumque matrimonium post dispensationem Sac. Pœnitentiariæ, neque eo fidem adhibere velit, qui se facultate ejusdem Pœnitentiariæ omni impedimento solutum fatetur; si, inquam, hæc ita se habeant, nemo Episcopum reprehendet, qui conjuges separare potest, reumque in foro externo plectere, postquam illius crimen plane comprobatum fuerit. Sin autem Episcopus, qui ejusmodi crimen cognovit, dum parat judicium constituere, moneatur Pœnitentiariæ dispensationem intercessisse, quemadmodum si has partes cum Episcopo suscipiat Confessarius, qui Pœnitentiariæ litteras executioni mandavit, & qui id facere secreto potest, uti Filliucius testatur his verbis: *Non puto tamen prohiberi, quominus fieri possit aliqua fides a Confessario de absolutione, vel dispensatione impensa pro consolatione pœnitentis, vel pro testimonio apud Episcopum obtentæ dispensationis in foro conscientiæ*; si, inquam, res ita sit, tunc Episcopus Confessarii testimonio omnino debet acquiescere, nec ullam afferre illis molestiam, qui dispensationem sibi comparaverunt: *Judex habuit* (inquit Clericatus (7)) *talem qualem notitiam hujus delicti, procurat per examen testium illud probare, ut puniat delinquentes, poteritne Confessarius eumdem Judicem admonere de dispensatione ut supra elargita, ad hoc ut desistat a formatione Processus? Affirmative respondent, dummodo Confessarius secreto moneat Episcopum, Parochum, & Judicem, qui omnes acquiescere debebunt hujusmodi notitiæ, ac certificationi.* Non semel etiam accidit, quod pervicacibus indixerit Summus Pœnitentiarius, ut ab omni molestia, judicioque abstinerent.

LII. Tempus conterendum non est, ut illud declaretur, *Aliunde non obstet*, quod satis per se intelligitur. Monet enim Pœnitentiarius irritam esse dispensationem impedimenti propositi, si aliud silentio omissum fuerit; matrimonium nequaquam ineundum, si nondum celebratum sit. Sin autem peractum jam fuerit, sejungendos conjuges, donec ad Datariam rursum confugerint, si illud impedimentum publicum habeatur, sive ad Pœnitentiariam, si impedimentum ipsum in tenebris adhuc delitescat. Quare Sacerdos, cui Sac. Pœnitentiariæ litteræ, aut diplomata traduntur, prius exquirat necesse est, utrum aliud impedimentum interveniat præter illud, quod Pœnitentiariæ declaravit.

LIII. Illud quoque paucis expediemus, *præsentibus lacceratis*, aut *laniatis*: Monetur Sacerdos, qui Pœnitentiariæ litteras, aut diplomata exequitur, vinculo majoris excommunicationis alligari, nisi pareat. Quippe de illa semper agitur, cum hoc solum vocabulum excommunicationis pronunciatur. Sciat etiam indici *ipso facto*; nam illa verba *latæ sententiæ* adjunguntur (8). Reliqua Marcus Paulus Leo, & Navarrus plane declarant: *Neque eas latori restituas; quod si restitueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur, ideſt non suffragentur in foro judiciario; nam secuta executione legitimæ gratiæ & dispensationis in foro conscientiæ, semper validæ remanent in eodem foro conscientiæ, quamvis in foro fori suffragari non possint.*

LIV. Ex illo Pœnitentiariæ *lacceratis*, seu *laniatis*: gravissimæ nonnunquam difficultates excitatæ fuerunt. Vir, ac mulier, qui impudica consuetudine, atque amore simul degebant, conjuges vulgo putabantur. Oblatus fuit supplex libellus Majori Pœnitentiario, ut liceret ipsis coram Parocho, ac duobus testibus

(1) *In tract. de Pœnis Ecclesiast. §. Advertendum secundo.* (2) *Sess. 24. cap. 6. de reformat.*
(3) *Cit. cap. vestra num. 130. & seqq. de cohabit. Cleric. & Mulier.* (4) *Boschius de tripl. Jub. priv. sect. 1. casu 10. §. 3. num. 91. Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 37. num. 10. Giribald. tract. 10. de Sacram. Matrim. cap. 18. §. 4. num. 110. Rufignol. part. 2 de Matrim. contract. 15. clausul. 6. num. 53. Clericat. de Matrim. decis. 40. sub num. 29.*
(5) *Part. 2. dispen. Matrimon. cap. 1.* (6) *Loco citato.* (7) *Oper. Moral. tom. 1. tract. 10. part. 2. n. 358.*
(8) *Loco citato num. 34.* (9) *Marcus Paulus Leo in praxi lit. Summi Pœnitent. part. 2. pag. 166.*

bus clam matrimonium inire, quod illis conceſſum fuit addito quoque privilegio, ac facultate, ut conſuetæ promulgationes omitterentur. Illud literis Pœnitentiariæ juſſum poſtremo fuit, *laceratis*. Confecto itaque matrimonio, laceratæ fuerunt literæ, quas dederat Pœnitentiaria. Poſt *mortem* Parochi, qui matrimonio interfuerat, conjuges teſtimonium de contracto matrimonio petierunt ab eo qui in Parochi defuncti locum ſuffectus fuerat, ut jam procreatis liberis conſulerent. Ille peracti negotii prorſus ignarus morem conjugibus gerere recuſavit, eoſque ſuaſit, ut mutuum conſenſum coram duobus teſtibus, ac ſe ipſo renovarent. Sacram ipſi Congregationem Concilii adiverunt, ubi die 19. Septembris anno 1684. propoſitum fuit: *An in conſcientia & abſque peccato poſſent præfati contrahentes coram dicto Parocho, & teſtibus renovare conſenſum*. Sacra Congregatio *negative* reſpondit, novoque Parocho præcepit, ut accepto illorum teſtimonio, qui præſentes adfuerunt, cum matrimonium celebratum fuit, & elicito a conjugibus jurejurando de matrimonii jam contracti veritate, in conſuetum librum referret ipſum matrimonium, & ob eam cauſam, traditum fuit ipſi novum litterarum exemplar, quas Pœnitentiaria pro ineundo eodem matrimonio conceſſerat.

LV. Id fortaſſe conſilium rei aptiſſime conſentaneum viſum eſt iis, qui carebant experientia Sacræ Pœnitentiariæ, quæ nec Parochi, neque contrahentium nomina exprimit, cum literas, ac facultatem impertit concubinariis, ut matrimonium clam ineant coram Parocho, ac duobus teſtibus, & ſolitæ promulgationes in Eccleſia prætermittantur. Ex hoc autem conſequitur, quod tribui nequeat duplex harum literarum exemplar, ſi forte opus fuerit. Quare, ſi concubinarii, qui veri conjuges cenſentur, Epiſcopum adire nolint, ut permittat omitti promulgationes, & matrimonium coram Parocho tantum, ac duobus teſtibus familiaribus celebrari, ipſumque in librum ita referri, ut palam omnibus nequeat innoteſcere, ſed potius eligant ad Summum Pœnitentiarium ſe convertere, ut hæc omnia conſequantur, tunc, ſi ipſe facultatem, ac diſpenſationem ejuſmodi elargiatur, inſtitutum eſt, ut in literis illud omittat, *laceratis*. Item Parocho indicat matrimonium in conſueto libro adnotare ea diligentia, quam modo expoſuimus, ut teſtimonium, ſi forte requiratur, peracti matrimonii tradere poſſit, cauſamque ſuam Parochus tueri, ſi opus fuerit, eodem exemplari literarum Sac. Pœnitentiariæ, quas ipſe retinebit.

LVI. Hoc ſane pacto ſublatum de medio eſt impedimentum, ob quod probari nequaquam poterat matrimonium, quod Sac. Pœnitentiariæ facultate conficiebatur, idque graviſſimum detrimentum aliquando ipſis conjugibus, aut procreatis liberis afferebat. Attamen non omnia ſatis impedimenta ſublata fuerunt. Non ſemel contingit concubinarios, qui veri conjuges habentur, illigari impedimento dirimente, quod niſi ſolvatur, contrahi nequit matrimonium, irritumque eſt, ſi contrahatur. Jam ſuperius indicavimus Epiſcopus haud ita facile ſe immiſcere poſſe, cum dirimens impedimentum intercedit. Quamobrem ſupplex libellus Sac. Pœnitentiariæ exhibendus eſt. Porro ipſa neceſſario ſuperaddere illud debet *laceratis*, cum de impedimento dirimente res agitur, ex quo ſequitur eiſdem difficultatibus Parochum implicari, qui facultatem accipit, ut matrimonio clam celebrando interſit. Etenim, cum ipſa facultas ſimul contineat a propoſito impedimento diſpenſationem, ſi illam lacerare jubetur, nec ſe ipſum purgare, ſi contra aliquid contigerit, neque in libro matrimonium caute deſcribere poteſt; neque tandem conjuges matrimonii teſtimonium elicere queunt, ſi aliqua neceſſitas expoſtulet.

LVII. Quamobrem, cum in Tribunali Sac. Pœnitentiariæ Canonum interpretem nos ipſi ageremus, mos inductus fuit, ut quoties ejuſmodi diſpenſationes a Pœnitentiaria poſtulantur, duo ſeorſim diplomata fierent, quorum primum ſolveret impedimentum, ibique adderetur, *laceratis*; alterum abſque mandato lacerandi literas, eoque tribueretur facultas ineundi matrimonium coram Parocho, ac duobus teſtibus ac demum juberetur Parochus matrimonium ea diligentia in librum referre, quam nuper memoravimus. Id totum fuſius explicavimus in diſſertatione, quam de matrimoniis *conſcientiæ* confecimus, & quæ typis edita fuit poſt conſuetam pagellam Sac. Congregationis Concilii, quæ habita fuit die 9. Septembris anno 1724. Finem facimus admonentes Presbyteros, qui Sac. Pœnitentiariæ diplomata exequuntur, ut ſibi ante oculos ponant, quæ ſuperius dicta ſunt, utque diplomata lacerent, ſi jubeantur, & quæ ſervanda ſunt, magno ſtudio retineant, cum res eſt de matrimoniis, quæ ſuperius indicavimus.

LVIII. At vero imperiti difficilius ſe expedient, ut reliquis omnibus ſatisfaciant, quæ a Pœnitentiaria decernuntur. Illa ſubjicimus, ut pro muneris noſtri ratione vehementius excitemus Confeſſarios, ac Parochos, quibus Pœnitentiariæ diplomata inſcribuntur.

LIX. Si de contractis jam matrimoniis agatur, & occultum impedimentum interveniat, quod uni ſolum ex conjugibus perſpectum ſit, tunc, ſi petatur a Pœnitentiaria, ut idem matrimonium ejus facultate confirmetur, in hanc ſententiam diplomata traduntur: *Demum dummodo impedimentum præfatum occultum ſit, & ſeparatio inter latorem, & dictam mulierem fieri non poſſit abſque ſcandalo, aliundque non obſtet, cum eodem latore, ut, dicta muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata, ſed ita caute, ut latoris delictum nunquam detegatur, matrimonium cum eadem muliere, & uterque inter ſe de novo ſecrete ad evitanda ſcandala, præmiſſis non obſtantibus, contrahere, & in eo poſtmodum remanere legitime valeat, miſericorditer diſpenſes*.

LX. Præter eas conditiones, *dummodo occultum ſit*, & *aliud non obſtet*; de quibus ſatis jam diximus, tria rurſum jubentur: Primum, ut iſti conjuges ſeparentur, ſi *id fieri poſſit abſque ſcandalo*. Porro ſapienter id cavetur a Sacra Pœnitentiaria; ſi publice matrimonium celebratum fuit, proculdubio veri conjuges exiſtimantur; ideoque, ſi ſejungantur, admirationem id populo, & ſcandalum concitabit. At vero id continget, ſi domicilii, non autem ſi *thori* ſeparatio præſcribatur; nam ſi jubeantur *ejuſmodi* conjuges fraterno tantum amore ſe proſequi donec obtineant diſpenſationem, tunc major difficultas objicitur. Etenim ſi mulier impedimenti ſit ignara, ex hac nova vitæ ratione aliquid mali ſuſpicabitur. Sin autem, uterque ipſum impedimentum noverit, tunc periculum incontinentiæ intercedet: *Animadvertas* (inquit de Juſtis (1)), *quod variſſime, aut nunquam erit neceſſarium experiri, an poſſint conjuges ſeparari, & honeſte vivere tanquam frater, & ſoror, quia ſæpe ex hujuſmodi ſeparatione oriuntur ſcandala, & periculum incontinentiæ, ſicut etiam cohabitatione dicto modo facta*. Itaque judicamus a Parocho, qui literas a Pœnitentiaria, & facultatem expoſcit, vel ab aliis expoſci deprehendit, monendes eſſe conjuges (ſi impedimentum uterque cognitum habeat) vel alterum ex conjugibus, qui rei conſcius eſt, ne in copulam conſentiat, donec diſpenſatio reddatur: *Monendus eſt* (ait Navarrus (2)) *a Confeſſario, ne prius conſentiat in copulam, quam contrahat Matrimonium renovato conſenſu; quia tunc, quamvis abſolutio, & diſpenſatio non redderetur nulla, fornicaretur tamen, quia ante matrimonium in copulam conſentiret*.

LXI. Secundo indicitur, ut alter conjugum, qui impedimentum ignorat, certior fiat primum conſenſum irritum fuiſſe, ita tamen, ut crimen, ex quo proficiſcitur ipſum impedimentum, minime detegatur. Tertio, his peractis, clam matrimonium renovandum eſt, nempe, iterum mutuus conſenſus præſtari debet.

LXII. Magno ſtudio diſceptatum olim fuit, utrum novus hic conſenſus, qui matrimonium reipſa conſtituit, coram Parocho, ac duobus teſtibus peragendus videretur. Nam Tridentina Synodus Parochum, ac duos teſtes præſentes neceſſario requirit, dum matrimonium celebratur. Attamen nulla difficultas amplius ſupereſt, ſi diſcrimen inter occulta, & publica impedimenta habeatur. Si matrimonium publice initum eſt *coram Parocho, & duobus teſtibus*, & impedimentum quoque publice innotuerit, idem matrimonium rite confirmari nequit, niſi conſenſus iterum *coram Parocho, & duobus teſtibus*, præbeatur. Contra vero eſt, ſi matrimonium celebratum fuit *coram Parocho, & duobus teſtibus*, & impedimentum dirimens occultum ſervatur. Tunc novus conſenſus certe præſtandus eſt, ſed clam inter contrahentes; nec amplius Parochus, duoque teſtes requiruntur. Nam ſemel mandato Tridentini Concilii jam paruerunt conjuges, cum primo matrimonium, *licet interpoſito occulto impedimento*, confecerunt.

LXIII. Hæc ita decrevit Pœnitentiaria S. Pii V. Pontificis auctoritate, uti Navarrus (3) fatetur, qui per tot annos eidem Sacro Tribunali operam præſtitit ſuam. Id etiam probat Sac.

(1) *Diſpenſat. Matrim. lib. 1. cap. 8. num. 178.* (2) *In allata part. 2. pag. 76.* (3) *In ſuo conſil. 4. de Sponſalib.*

Sac. Congregatio Concilii (1), uti tradit Fagnanus (2), qui per plures annos a Secretis præclare munus gessit; idemque Scriptores docent (3). Insuper, cum Sacræ Rotæ Auditores hujus sententiæ veritatem in dubium revocassent, Cardinalis Carafa Congregationis Concilii Præfectus duos ex iisdem Auditoribus accivit, Seraphinum nempe, & Comitolum, quibus ostendit Decreta a Sacra Congregatione super hac re confecta, Pœnitentiariæ institutis, & S. Pii V. declarationi esse consentanea. Qua de re Patres Sacræ Rotæ in posterum expositam paulo ante sententiam sequuti constanter fuerunt (4). Etenim Tridentina Synodus, cum jussit matrimonium contrahi coram Parocho, & duobus testibus, nihil aliud statuendum voluit, nisi clandestina matrimonia impedire, ex quibus gravissima mala derivare consueverunt; ac potissimum, cum secreto matrimonium initum fuerat sine Parocho, ac testibus, novum matrimonium simili ratione ab eodem conficiebatur, vel etiam publice adhibitis testibus, accitoque Parocho; quæ sane corruptela nequit obtingere, cum publice matrimonium celebratum fuit, licet irritum ob impedimentum dirimens occultum habeatur; quamobrem, cum Parocus, ac testes primo matrimonio jam interfuerint, quod rite celebratum putabatur, quia impedimentum nequaquam innotuerat, ideo satis est, ut clam inter conjuges novus consensus præbeatur, cum ipsum matrimonium Sacræ Pœnitentiariæ facultate rite confirmandum est (5).

LXIV. Ex his apertissime constat, quod sermo est de matrimonio coram Parocho, ac duobus testibus inito, ubi dirimens impedimentum occultum interponitur. Ex his omnibus desumitur, quoties indicit Pœnitentiaria renovari matrimonium ejusmodi, novumque assensum præberi: *Secrete ad evitanda scandala*: id mutuo a conjugibus perficiendum esse, nec Parochum, aut testes præsentes requiri, neque ipsum Confessarium, qui licet Parochus haud sit, ad litteras exequendas Pœnitentiariæ designatur. Libellus (6) pro novis Confessariis instruendis Romæ evulgatus idem prorsus docet: *Nihilominus monemus, quoties, ab ejusmodi conjugibus novus consensus præstandus est, ipsos cogi haud posse a Confessario, ut testes, sequi præsentem adhibeant. Tunc quia id non præcipitur in litteris Sacræ Pœnitentiariæ; tum quia pro certo habetur idem matrimonium jam fuisse rite celebratum in facie Ecclesiæ.*

LXV. Porro veritati id consentaneum adeo est, ut Silvius hæc docuerit (7): *Quid, si dispensentur super impedimento occulto, sed ea conditione, contrahant servata forma Concilii Tridentini? Respondeo, etiam tunc illos posse consensum renovare absque Parocho & testibus, si prius contraxerant coram illis; neque enim attentaverunt contrahere aliter, quam coram Parocho, & testibus.* Quam sententiam Pontas (8) magnopere commendat, Gutierrez (9) tamen adversatur ob hanc causam, quod verba dispensationis apertissime contrarium præferunt, Giribaldus (10), aliique plures eamdem opinionem sequuntur: nos autem totam quæstionem solvemus affirmantes: *Agi de subjecto non supponente.* Siquidem Pœnitentiaria nequaquam utitur his verbis, *Servata forma Concilii*: cum jam peractum matrimonium sua facultate confirmandum proponitur, sed tunc solum, cum solvendum est occultum impedimentum pro matrimonio adhuc ineundo. Id constat ex formulis dispensationem, quas Navarrus congessit.

LXVI. Itaque rei difficultas in eo posita est, nempe, qua ratione fieri possit, ut aliter conjugum ignarus impedimenti, certior de ipso reddatur, ita ut latoris crimen nequaquam innotescat; *Dicta mulieve de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nunquam detegatur.* Vanespenius (11) rei magnitudinem, & gravitatem expendens hæc habet: *Magna hic prudentia, ac circumspectione opus est: unde merito executor hic non tantum humana, sed vel maxime Divina consilia, & auxilia adhibebit, recurrendo ad Patrem luminum, ut cum lumine suo illuminet, quid in casu adeo perplexo agere debeat.* Clericatus autem (12) fatetur plurimum se laboris impendisse, ut huic Pœnitentiariæ mandato, qua opus est diligentia satisfaceret.

LXVII. Nonnulli, ut se facilius ab hac difficultate expedirent, solam instructionem, non vero conditionem illis Pœnitentiariæ verbis contineri censuerunt, ita ut Confessarius moneatur sedulam curam insumere, ut illud matrimonium irritum declaret, non autem patefaciat ignaro ex conjugibus causam impedimenti. Sin vero reipsa obtineri id nequeat, sed potius occasionem diffidii inter conjuges præberi intelligat, & ineisse suspicionem, ne alter ex ipsis matrimonii vinculum dissolvi contendat, aliamque vitæ rationem suspicere, tunc Sacerdos ab eo consilio desistat, irritum detegere matrimonium omittat, idque solum diligenter curet, ut consensus inter ipsos conjuges renovetur eo modo, quem superius indicavimus. Hæc docet de Justis (13), idemque Sanchez (14) antea scripserat: *Sed mihi persuadeo, non esse conditionem, sed instructionem quamdam Confessarii, ut certior sit posterioris Matrimonii contractus.* Plures alii sententiam eamdem tradiderunt (15), qui ex verbis Sacræ Pœnitentiariæ conditionem saltem inferri testantur, ita ut parendum sit, quoties fieri possit. aliter tamen, si discrimina nuper enumerata impendere videantur.

LXVIII. Nos tamen pro ingenii nostri tenuitate judicamus haud probari posse illorum opinionem, qui instructionem solum, non vero conditionem indici per illam Sacræ Pœnitentiariæ clausulam arbitrantur; nam certissimum est inter Jurisperitos, quod vera conditio ex *ablativo absoluto* consequitur: qua de re prætermitti nullo modo potest, licet gravissima incommoda jam exposita interponantur. Siquidem illud Pœnitentiariæ mandatum innititur juri communi, quod pro matrimonio rite confirmando expostulat novum a conjugibus consensum, & declarari impedimentum ignaro, ne idem consensus *per errorem* elicitus putetur, sive (ut res clarius explicetur), ne permaneat primus consensus cum errore conjunctus, qui tradirus fuit, cum matrimonium primo celebraretur. De impedimento conditionis non deest juris auctoritas (16), quæ matrimonium inter liberum, ac famulam irritum decernit, si ille mulieris conditionem ignoret, neque aliter confirmari posse, nisi novum consensum præstiterit, qui ante matrimonium conditionem conjugis nesciverat. Juris autem interpretes in Cap. *Depositum*, ad illa verba, *Inscia de eo, qui duxit in matrimonium*; affirmant consensum *per errorem* permanere, donec qui matrimonium cum famula iniit, consensum iterum reddat, postquam ipsius conditionem deprehendit. His auctoritatibus, & Interpretum sententia Scotus (17) adductus ita scriptum reliquit: *Primus consensus non fuit matrimonialis; & ideo ad hoc, quod sint conjuges, requiritur novus consensus: & tunc dico, quod, si impedimentum non exprimatur personæ inscię, ipsa in copula carnali sequenti non consensit novo consensu, sed solum reddit in virtute primi consensus, qui nullus fuit, & ideo licet persona sciens de novo consentiat, non tamen sufficit. Hoc expresse dicit Glossa in cap. 1. de eo, qui duxit in matrimonium, quam pelluit per adulterium. In primo consensu, qui nullus fuit, intelligitur perdurare, sicuti probatur de servo, qui creditur liber, cum quo contrahatur perdurare, sicuti probatur de servo, qui creditur*

---

(1) *In Causis Hispalen. 20. Julii 1609. Decretor. lib. 11. fol. 58., & Constantinopolit. 2. Decemb. 1634. Decretor. lib. 15. fol. 130.* (2) *Cap. is, qui fidem num. 14. de Sponsalib. & Matrim.*

(3) *Zarol. in sua praxi ad verb. dispensatio §. quintum dubium. Vanesp. in Jur. Eccles. univers. part. 2. tit. 14. cap. 7. num. 10. de Sacram. Matrim. cap. 18. §. 6. num. 127. & seqq. Salmanticen. in curs. Theologiæ Moral. tom. 2. tract. 9. de Matrimon. cap. 3. punct. 5. num. 118. & seq. Pignatell. cons. 27. per tot. tom. 8.*

(4) *In decis. 900. coram Seraph. & 395. n. 1. coram Ludovis. 405. num. 9. & seq. part. 18. Recent. & in Spalaten. Nullit. Matrim. die 3. Martii anno 1653. coram Præsul. Albergato.*

(5) *Pontas in suo dictionar. cas. Conscient. in verbo matrimon. quart. cas. 4. & 5.* (6) *Part. 2. cap. 15. num. 326.*

(7) *In supplem. ad D. Thom. quæst. 45. art. 2. quæsit. 2. conclus. 4.* (8) *Loco cit. cas. 5.* (9) *De Matrim. cap. 46. num. 26.* (10) *Tract. 10. de Sacr. Matrim. cap. 18 §. 6. num. 132.* (11) *Part. 2. suorum operum tit. 14. c. 7. n. 9.*

(12) *Decis. 40. de Sacr. Matrim. num. 31.* (13) *Lib. 2. de dispensat. Matrim. cap. 8. num. 181.*

(14) *De Matrim. lib. 8. disputat. 34. num. 61.* (15) *Aversa de Matrim. quæst. 11. sect. 4. in vers. demum juxta hoc. Tonacin de Matr. quæst. 2. punct. 9. num. 7. Rosignol. de Matr. part. 2. tom. 7. prænot. 25. clausul. 7. num. 57. Giribald. tract. 10. de Matrim. cap. 18. §. 5. num. 124, & seq.*

(16) *Cap. proposuit, & cap. ad nostram, de conjugio servorum.*

(17) *In 4. Sentent. dist. 35. quæst. 1.*

*ditur liber, cum quo contrabatur, si post manumittitur, uxore ignoranie, non contrahitur matrimonium, quia post manumissionem factam manendo cum eo, semper intelligitur approbare consensum primum, qui fuit erroneus, & non matrimonium.*

LXIX. Difficilius se res habet, cum aliquis ob vim, seu metum in matrimonium consensit. Nonnulli ex Theologis asserunt pro matrimonio ejusmodi confirmando satis esse liberum illis consensum, qui ad illud ineundum coactus fuit, non autem requiri, ut qui jam prius libere assenserat, & vim alteri conjugi allatam ignoraverat, rursum ad exprimendum consensum adigatur. Clemens tamen Octavus, a quo super hac re consilium petitum fuit, expendens primum illum consensum pertinuisse ad materiam neque legitimam, neque idoneam, respondit pro matrimonii confirmatione novum consensum ab utroque conjuge esse tribuendum, ab eo nempe, qui matrimonium per vim contraxit; & simul ab altero, qui vim ejusmodi ignorans, ultro, ac libenter eodem se matrimonio illigavit. Insuper adjecta fuit ea conditio, ut maritus, qui jam libere consenserat, prius moneretur, irritum fuisse matrimonium, eo quod uxor ad assentiendum coacta fuerit, cum primo celebratæ sunt nuptiæ: *Admonito prius marito de matrimonii nullitate.* Hoc Pontificis responsum Comitolus (1), ac Pontas fuse commemorant (2). Postremo Sanchez (3), cujus auctoritas plurimi facienda est, binas opiniones exponit, quarum prima tuetur haud necessarium esse, ut qui nescierat impedimentum, de ipso certior fiat, cum matrimonium novo consensu confirmandum proponitur; altera vero id necessarium prorsus affirmat; quam procul dubio magis probabilem idem Sanchez (4) fatetur. Porro id satis est, ut hæc opinio præ ceteris teneatur, cum de Sacramento agitur, juxta proscriptam his verbis ab Innocentio XI. sententiam: *Non est illicitum in conferendis Sacramentis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet Lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia tantum probabili utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

LXX. Ex his duabus opinionibus modo explicatis, de quibus etiam Schmalzgrueber fusius verba facit (5). Sacra Pœnitentiaria tutioribus sententiis adhærere consueta (6), secundam amplexa est, uti constat ex formula, quam huc usque declaravimus. Itaque Sacerdos, qui Pœnitentiariæ diplomata, ac litteras exequitur, eidem sententiæ conformare se debet, quod Syrus copiose demonstrat (7).

LXXI. Qui periti sunt moris, & instituti Sacræ Pœnitentiariæ jam pro certo tenent, ad confirmandum matrimonium requiri novum consensum, & simul ignaro conjugi detegendum impedimentum. Quamobrem rationem, modumque perscrutantur, ne crimen impedimenti causa in lucem proferatur. Ac primum, qui impedimenti conscius est, se ignarum fingat; deinde ostendat se suspicari, ne ob aliquam causam rite celebratum fuerit matrimonium, ideoque mutuum ultro consensum præstari debere, ut in posterum ab omni sollicitudine animi, metuque religionis liberentur.

LXXII. Secundo, qui impedimentum cognitum habet, testimonium ab altero conjuge novi amoris eliciat, ita ut se paratissimum fateatur eodem se matrimonio adstringere, si adhuc in libertate versaretur. Tunc novum mutuo consensum exprimant, & sic omnia in tuto collocantur.

LXXIII. Tertio, impedimenti conscius libere declaret, haud rite matrimonio consensisse, cum primo celebratum fuit; ideoque oportere consilio Confessarii, atque internæ tranquillitatis causa, ut ambo consensum renovent, seque id libenter facturum ostendat. Quod si alter conjux eamdem voluntatem patefaciat, id satis erit, ut novus consensus juxta præscriptam normam elicitus intelligatur.

LXXIV. Quarto, si ob gravissimas difficultates nullus alius modus suppetat, tunc maritus impedimenti conscius *accedat ad conjugem insciam impedimenti, & cum ea habeat copulam affectu maritali.* Cum enim conjux, quæ impedimentum ignorat, eodem tunc amore permota, ac devincta putetur, id satis pro consensu utriusque conjugis existimatur, ut matrimonium confirmari possit, nec innotescat crimen, ex quo venit impedimentum. Plures (8) hanc rationem exhibent: Auctor vero libelli pro instituendis novis Confessariis confecti id quidem probat, nisi forte conjugem ignarum impedimenti pœniteret ipsius matrimonii, animumque ab eo prorsus alienum haberet. Tunc enim consensus eo modo expressus nullam vim, nullumque pondus assequeretur.

LXXV. M. Paulus Leo (9) rationem primo loco expositam minime approbat, & quidem merito. Ipse prius affert clausulam Pœnitentiariæ: *Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur;* Et inde asserit, quod, *hæc clausula est substantialis, & magni momenti.* Illud etiam superaddit: *Mulier insicia est certioranda de nullitate prioris consensus, hoc est carta efficienda. Non sit autem certa per verbum illud: suspicor; sed solum titubans; nam certitudo dubitationem omnem excludit.* Idem M. Paulus secundæ rationi nequaquam subscribit, ob quam conjux ignarus impedimenti nunquam detegit irritum esse matrimonium, quod tamen necessarium ostendimus: *Remanet* (inquit) *in sua ignorantia.*

LXXVI. Porro, si Marcus Paulus Leo improbet rationes primo, ac secundo loco positas, nos certe rationem quartam gravissimis difficultatibus implicitam intuemur. Omittimus quæstionem, utrum *per copulam affectu maritali habitam*, renovari consensus intelligatur. Inquirendum est, an id probari possit, cum litteris, seu diplomatibus Sacræ Pœnitentiariæ, quibus adjungitur superius allata clausula, parendum indicitur.

LXXVII. Itaque vel *copula affectu maritali* ante dispensationem, vel post dispensationem suscipitur. Primum absonum est; cum impedimenti conscius neque petere, neque persolvere debitum queat alteri Conjugi, licet infamiæ, seu vitæ periculum immineat, uti constat ex Cap. *Inquisitione de sentent. excommunic.: In primo casu, quando alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere.* Tum Innocentius III. ita statuit: *Debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.* Idem Jus (10), idem Salmaticenses confirmant (11), qui reliquos Theologos unanimes commemorant. Sin autem *copula habetur post obtentam dispensationem*, quo pacto conjux ignarus impedimenti, qui primum matrimonium rite confectum arbitratur, certior factus de eodem impedimento judicabitur, uti jubet Pœnitentiaria illis verbis: *Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata.* Hic quartus modus improbandus non esset, si diplomatibus Pœnitentiariæ satisfacientes illorum opinionem amplecti possent, qui pro novo consensu haud putant monendum esse insicium conjugem de impedimento, quod irritum matrimonium constituit. Cum tamen Pœnitentiaria contrariam sequatur sententiam, ideo ab ipsa discedere nequit, qui Sacri illius Tribunalis diplomata, ac litteras exequitur.

LXXVIII. Quamobrem prima, & quarta ratione prætermissa, de secunda, ac tertia verba facienda superfunt. Secundam rejicit M. Paulus Leo, quemadmodum indicavimus. Illam tamen probat Sanchez (12) ob hanc causam, quod licet assensus cum errore, & ignorantia conjungantur, id tamen Theologi *se habere concomitanter* testantur, neque voluntatis liberum consensum adimere. Pontius ab hac opinione se alienum præbet, & ejusmodi consensum per dolum expressum judicat (13). Cum hæc ita sint modus tertio loco propositus æquitati potius consentaneus videtur. Nam conjux ignarus matrimonium irritum cognoscit, non tamen crimen notum efficitur, ex quo consecutum est impedimentum; neque

---

(1) *Lib. 1. Respons. Moral. quæst. 120.* (2) *De Matrim. lib. 4. cap. 24. & 25.* (3) *Lib. 2. de Matrim. disp. 36.*
(4) *Sub num. 4.* (5) *Lib. 4. in Decret. tit. 16. num. 60. & seq.*
(6) *Card. Petra in allato opere de Sac. Pœnitent. part. 1. cap. 9. num. 4. & seq.*
(7) *In suo opere quæst. 8. prælim. Genet. tom. 4. suæ Theol. Moral. tract. 6. cap. 11. quæst. 14. & tom. 5. Tract. 9. cap. 7. quæst. 8.* (8) *Navar. part. 2. de dispens. Matrim. pag. 60. & pag. 74. Syrus in praxi executionis mandat. Sacr. Pœnit. tom. pag. 126. & seq. M. Paulus Leo part. 2. formul. dispens. Matrim. pag. 174. & seq. Giribald. tract. 10. de Matrim. c. 18. §. 5. num. 124. Auctor. lib. pro novis Confessar. part. 2. cap. 15. n. 326. & seq.*
(9) *Part. 2. formul. dispens. Matrim. pag. 174.* (10) *In cap. liter. de restit. spoliat.*
(11) *Citato tract. 9. punct. 4. cap. 14.* (12) *De Matrim. lib. 2. disp. 36. num. 5.*
(13) *In suo tractat. de Matrim. lib. 4. cap. 25. n. 5.*

que ullum mendacium admiscetur. Quippe certissimum est primo matrimonio haud rite traditum fuisse consensum; neque a veritate abhorreret, si impedimenti conscius affirmaret: primo matrimonio se nequaquam consensisse. Nam verus consensus appellari nequit, qui rite præstitus non fuit. Postremo hanc tertiam rationem unanimes Theologi reliquis omnibus anteponunt (1).

LXXIX. Priusquam in lucem hæc nostra institutio prodiret, tenuitatem nostram agnoscentes, viris doctrina præstantibus illam ostendimus, qui judicium ferre possent. Rem sane gravissimam ipsi monuerunt, quid nempe agendum sit, si conjux haud immerito suspicetur, ne alter conjux de irrito matrimonio certior factus novum consensum dare recuset; solutoque matrimonii vinculo, procreati jam liberi tamquam spurii habendi sint; impedimentum tum detegi, aliaque mala, atque diffidia certo esse futura: utrum omissa tertia ratione, aliam seligere liceat ex his, quas paulo ante improbavimus, quæ tamen plurimum Scriptorum auctoritatibus corroborantur.

LXXX. Hæc sane facienda plurimi existimamus. Quare respondemus primo legitimam prolem haberi, cum impedimentum non innotescit, alterque conjugum rite contractum matrimonium arbitratur; illudque coram Parocho celebratum fuit (2). Deinde prætermittimus pericula omnia, quæ ex secunda, ac tertia ratione prius exposita dimanare queunt, ita ut necessario ad quartam deveniendum esse videretur. Quapropter si gravissimis incommodis tertia ratio, ac modus obnoxius judicetur, ad Majorem Pœnitentiarium confugiendum est eo pacto, quo Delegatus, si ob aliquam difficultatem exequi præscriptam legem nequeat, Delegantem adire debet; ejusque voluntati, & consilio acquiescere. Quippe Major Pœnitentiarius magnis illis difficultatibus fortasse adductus, aut aliquid de severitate remittet; aut facultates a Pontifice necessarias postulabit, qui, si non agitur de *impedimento erroris personæ*, quod refertur ad jus naturale, sed de aliis impedimentis, quæ a jure scripto decernuntur, non solum auferre de medio potest incommoda, quæ jam secuta ab illo sunt (3), uti constat quotidiana experientia, cum *in radice matrimonii* legitimam prolem declarat, sed etiam ob consensum naturalem initio præstitum, dispensare potest, si velit, a renovando consensu, quemadmodum apud Indos confirmata fuerunt quædam matrimonia, quæ Pucueles, & Quartarones (sic enim nuncupantur) haud rite iniverant, interposita Clementis XI. auctoritate, qui die 2. Aprilis anno 1705. ob hanc rem litteras Apostolicas promulgavit. Si vero id spectandum minime videatur, quod nos ipsi difficillimum asseramus, cum solum eveniſſe certum sit, quoties ex impedimento juris positivi irrita matrimonia confecta fuerant a magna hominum multitudine, non autem a peculiari homine, si, inquam, obtinere id arduum habeatur, & *periculum sit in mora*, si adeundus sit Pœnitentiarius; tunc Confessario, & Parocho liber ad nos aditus semper patebit, ut nobis patefaciant impendentia pericula, silentio prætereuntes contrahentium nomina. Nos procul dubio divinam opem prius exposcentes, illud consilium dabimus, quod magis rei convenire videbitur. Equidem Genettus (4) consulendum monet Episcopum, cum ejusmodi difficultates objiciuntur. Continget etiam fortasse, ut rebus omnibus diligenter examinatis præter quatuor rationes superius expositas, alia deprehendatur, ob quam ignaro conjugi irritum matrimonium declaretur, nec tamen pateat crimen, quod impedimentum induxit, & nulla prorsus incommoda consequantur.

LXXXI. Hæc potissimum explicanda duximus, ut Confessarii, ac Parochi intelligant, antequam libellos supplices offerant Pœnitentiariæ, rem sedulo expendendam, utrum ad illam pertineat, & circumstantias omnes accurato studio investigandas; post hæc litteris suis ad Majorem Pœnitentiarium singula complectantur. Statim ac litteræ, seu diplomata ipsis a Pœnitentiario reddentur, sæpius illa percurrant, ut iis omnibus fideliter satisfaciant, quæ præscribuntur. Id autem peragendum est, dum pœnitentiæ Sacramentum administrant, & postquam consueta verba absolutionis a censuris, & peccatis pronunciarunt. Si res agitur de ineundo matrimonio his verbis utantur; *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento; ut, præfato impedimento non obstante, matrimonium cum dicta muliere publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, consummare, ac in eo manere licite possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

*Insuper eadem auctoritate Apostolica, prolem, quam ex matrimonio susceperis, legitimam fore nuntio, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

LXXXII. Si de jam inito matrimonio res est, post consuetam absolutionem a censuris, & peccatis, hæc ita pronuncient: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento, ut eo non obstante matrimonium consummare, & in eo remanere licite possis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

*Et pariter eadem auctoritate Apostolica, prolem, si quam suscepisti, & susceperis, legitimam fore decerno, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

LXXXIII. His peractis litteras, seu diploma dilacerent, si illud indicatur: *laceratis &c.*

## INSTITUTIO LXXXVIII.

*Responsum redditum dubio a Viro Religioso proposito circa Institutionem XXXIII. Iterum ostenditur matrimonia exterorum, quæ celebrari Bononiæ solent, & eorum pariter, quæ in Monasteriis educantur, contrahenda esse præsente Parocho, cujus ditione Monasterium, aut domus subjecta sit. Contrahi debere matrimonia eorum, quæ educari consuescunt, coram Parocho, in cujus Parochia paterna, materna, aut fratris domus constituta est. Hoc idem statuendum est de famulis Bononiensibus, qui domicilium in alia Parochia habent.*

I. SIngulari in nos benevolentiæ tuæ tribuendum est, quod nobis exposueris difficultatem, quæ ex trigesima tertia nostra Institutione concitata est, ubi asseruimus rite matrimonium iniri a Prætore, Judice, & Medico, & quod gravius videtur, a famulis etiam coram Parocho illius loci, in quo degunt, eoquod obtinuerint, si non verum domicilium, saltem quasi domicilium, nisi forte brevissimo temporis spatio in eodem loco versati fuerint. Id quidem alienum videri potest iis, quæ ibidem constituimus, a famulis nempe celebrandum esse matrimonium coram Parocho Domini, in cujus ædibus morantur, nisi forte paternum, maternum, seu fraternum domicilium in alia Parochia positum habeant. Tunc enim hic Parochus, non alius in conficiendo matrimonio accersendus est; idem præscripsimus cum de matrimoniis puellarum, quæ a Monialibus educantur, sermo haberetur. Illud pariter superaddis, rationem ex quasi domicilio desumptam, quæ Judici, Medicis, Professoribus, ac famulis suffragatur, aptissime convenire puellis educandis, de quibus verba fiunt, & famulis etiam, de quibus agitur. Quidquid ergo indicitur, nempe, matrimonium rite contrahi coram Parocho ejus loci, ubi Judex, Prætor, Medicus, & studiis addicti juvenes immorantur, id famulis quoque, & puellis educandis esse tribuendum affirmas, nec investigandum, utrum in alia Parochia domicilium paternum, maternum, aut fraternum obtineant.

II. Propositam difficultatem facile exsolvere possumus, si asseramus eam nobis mentem non fuisse, ut controversia ulla de peculiari aliquo matrimonio excitata nostra illa institutione, judicioque dirimeretur, sed tantum, ut quædam leges statuerentur Sacerdoti, qui accersitur, ut matrimonia rite celebrentur. Etenim, cum eamdem institutionem in duas partes divisimus, his verbis usi sumus: *Ut clarius id agatur in duas quas quasi classes res dividetur. Primum, asseremus, quæ per Sacram Congregationem constituta fuerunt, & quæ etiam ab universis fere Auctoribus probantur: Secundo, peculiaria quædam addentur, quæ, veluti normam, in hac civitate, ac Diœcesi observanda præcipimus, ut dissensiones omnes, si fieri poterit, de medio auferantur.* Deinde cum secundam partem aggredimur, hæc prius monemus: *Sed jam deveniamus ad secundam partem, qua certam normam huic nostræ civitati, ac Diœcesi statuere proposuimus, ut super ejusmodi rebus aditus controversiis omnibus præcludatur.*

III. Itaque solum examinandum supereſt, cur nos, qui indici-

(1) *Sanchez loco cit. sub num. 7. Pontas allato loco num. 5. Syrus Navar. Marcus Paulus Leo locis cit. Pontas in suo Dictionario ad verb. Matrim. quart. cas. 2.* (2) *Pirhing. citat. tit. decret. §. 1. num. 4. & 5.*
(3) *In Clementina unica de Communitate Ecclesiarum.* (4) *Loco allato.*

cimus matrimonium ineundum a Judice, Medico, Professoribus, & studiosis juvenibus coram Parocho, ubi quasi domicilium assecuti sunt; cur, inquam, statuamus, ut puellæ educandæ a Monialibus matrimonium contrahant coram Parocho, in cujus ditione situm est Monasterium, nisi paternum, maternum, ac fraternum in alia Parochia domicilium habeant, idemque postremo famulis etiam permittimus; qui in Dominorum ædibus versantur. Porro nos id constituimus, quia ad rectam hujus civitatis, ac Diœcesis administrationem, & tranquillitatem conferre plurimum pro certo putavimus; neque sane Tridentina Synodus jubet matrimonium omnino contrahi coram Parocho, in cujus ditione sponsi domicilium, seu quasi domicilium possident; Illud perscribit, ut Parochus adhibeatur, vel alius Sacerdos, modo tamen ipsius Parochi, aut Episcopi facultas intercedat (1). *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de licentia ipsius Parochi, vel Ordinarii, & duobus, vel tribus testibus &c.* Hac facultate utuntur Episcopi, cum matrimonia fiunt in Nosocomiis. Capellanis nimirum concedentes, ut Parochi munere fungantur, ob eam videlicet causam, ut controversiis aditus occludatur, quæ inter illos, ac Parochos haberi frequenter consueverunt, aut etiam ipsos inter Parochos, in quorum nempe ditionibus, aut domicilium haberet ægrotus, aut Nosocomium positum esset.

IV. Rem totam confirmare liceat exemplo Episcopi, qui ad celebrandum matrimonium Parochum designaverat, cui subjectum esse alterum contrahentium existimabat, quemadmodum falso delatum fuerat: eo matrimonio confecto, deinde revocari in dubium cœpit, an rite peractum fuisset? Nonnulli Cardinalis de Luca auctoritate (2) permoti, illud irritum censuerunt; alii tamen contrariam sententiam magis probarunt, eo quod Tridentina Synodus solum decernat matrimonium, ut rite fiat, non nisi *præsente Parocho, vel alio Sacerdote* de licentia ipsius Parochi, vel Ordinarii esse celebrandum. Idque sententia Sac. Congregationis Concilii, quam Fagnanus commemorat (3), plane comprobatur; eamdem opinionem sequuta est Sac. Congregatio die 9. Septembris anno 1684. quam nos integram ex actis descripsimus.

## DUBIUM MATRIMONII.

*Sequenti casus Sacræ Pœnitentiariæ propositus, fuit ab ea ad hanc Sacram Congregationem pro decisione remissus.*

*Fulanus, & Berta matrimonium inter se contracturi, statum suum liberum probarunt apud Acta Curiæ Episcopalis, instantes subinde, juberi Parocho, ut ad trinam denunciationem procederet. Interrogati autem a Notario quisnam esset eorum Parochus, responderunt (per errorem tamen, & citra contemptum Clavium), esse Parochum Sancti Demetrii, in cujus Parochia jampridem habitaverant, sed tunc temporis non habitabant. Peractis itaque a Parocho Sancti Demetrii juxta sibi traditam facultatem denunciationibus, nulloque impedimento detecto, Ordinarius impertitus est solitam licentiam per dictum Notarium extensam sub hac verborum formula,*

*Concedimus facultatem Parocho Sancti Demetrii, ut adesse possit matrimonio contrahendo inter Fulanum, & Bertam ejusdem Parochiæ.*

*Celebratum proinde fuit coram dicto Parocho, & Testibus matrimonium: sed post aliquod tempus Fulanus Librum Moralem casu legens invenit, communem esse sententiam, quod ad Matrimonii validitatem requiritur præsentia Parochi saltem unius ex contrahentibus; unde consultis pluribus Confessariis, quid sibi agendum esset; suasus fuit, ut una simul cum Berta consensum renovaret coram proprio Parocho, & Testibus. At Fulanus, explorata Bertæ voluntate, an casu, quo non esset ipsius conjux, vellet sibi matrimonialiter copulari, responsum habuit absolute negativum. Nihilominus, habita nuper notitia, quod inter declarationes desumptas ex Bibliotheca recol. mem. Cardinalis Bellarmini, & typis impressas, ad caput primum Sess. 24. de Reformat. Matrim. extat infrascripta: Item licet non proprius Parochus, sed alius de consensu Episcopi interfit, Matrimonium tenet, etiamsi Episcopus credat, fuisse vocatum Parochum: spem aliquam validitatis matrimonii concepit: sed ad omnem dubietatem removendam suppliciter instat, declarari.*

*An præfatum Matrimonium inter ipsum, & Bertam contractum fuerit validum.*

*Sacra Congregatio Concilii rescripsit affirmative.*

V. Hæc tamen omittimus, cum nihil novi sancire nostra illa institutione unquam putaverimus, sed ea solum indicare) quæ a communi jure desumuntur; propositam nobis quæstionem æquis jam viribus expendamus, nullamque repugnantiam in sententiis nostris deprehendemus. Primum de famulis agitur, a quibus rite Matrimonium contrahi fatemur coram Parocho in cujus ditione commorantur. Sed de quibusnam famulis agitur? De illis nempe, qui exteri sunt, nec Bononiæ nati, ubi nullum habent domicilium, sed solummodo quasi domicilium, quod sibi in ædibus sui Domini comparaverunt. Id apertissime colligitur ex verbis ejusmodi nostræ institutionis: *Secundo contingit, ut plurimi studiorum causa in hanc urbem confluant, vel etiam, ut juventuti facultatem aliquam tradant, vel aliquod artificium exerceant, sive ut opulentis Civibus inserviant, vel aliquo alio munere detineantur.*

VI. Item de Famulis verba fiunt, sed de quibusnam? Proculdubio de illis, qui Bononiæ nati, non modo quasi domicilium in ædibus Domini, sed etiam proprium, paternum, maternum, aut fraternum obtinent. Si quis percurrat eam Institutionem, Romani Cleri decretum in eo commemorari videbit: *Qui habent domum & familiam in alia Parochia, ad illam pertinere statuimus, licet apud Dominos infirmentur, & occumbant.* Insuper eodem loco Famulis ea omnia præscribuntur, quæ Puellis educandis antea præscripta fuerunt. Sed quænam hæc sunt? *Dicimus itaque, si puella, quæ Matrimonii fidem præstitit, in alia Parochia domicilium non habet, tunc, Parochus, quem primo loco nominavimus, puellam in matrimonium conjunget: sin autem paternum, maternum, vel fraternum domicilium habebit, tunc Parochus, cui domicilium idem subjicitur, pro conficiendo Matrimonio præsens assistet.*

VII. Quamobrem, si uno loco eos Famulos complectimur, qui solum quasi domicilium habent in ædibus Domini; alio vero loco de iis Famulis agimus, qui præter quasi domicilium, aliud etiam in civitate possident, quod ad Patrem, Matrem, vel ipsorum Fratrem pertineat, quænam inter hæc duo diversa capita dignosci potest repugnantia?

VIII. Quamobrem explicemus potius, quæ iisdem capitibus continentur, & ea quidem optimo jure dicta ostendamus.

IX. Itaque præcipimus, illorum Matrimonia, qui Bononiam veniunt ad artem aliquam exercendam celebrari coram Parocho, intra cujus limites habitant, eo quod quasi domicilium assequantur, nisi forte brevissimo temporis spatio, atque ut ita dicam, momentaneo in urbe consistant: neque sane id nos in commenti sumus. Plenas Virorum præstantium auctoritates eo loco protulimus; idem congruit Sacræ Congregationi Concilii, uti ex ipsius Decreto confirmavimus. Quod si aliter statuendum esset, illud sequeretur ab Helvetiis militibus iniri Bononiæ matrimonium haud posse, nisi prius facultatem ab Helvetico Parocho suo acciperent, ubi verum habent domicilium, eamque traderent Parocho Regularium Cœlestinorum, intra cujus terminos, stationes, atque ita quasi domicilium possident. Illud autem juris decretum, nempe (4): *Miles ibi habere domicilium videtur, ubi manet, etsi nihil in Patria possideat*, eos tantum milites comprehendit, qui veluti in præsidiis, non vero *in expeditione* versantur (5).

X. Neque sane illud temere finximus, videlicet a puellis, quæ in Monasteriis educantur, matrimonium ineundum coram Parocho, in cujus finibus Monasterium collocatum est. Eamdem Passerinus (6) docuit coram Monialium Confessario id esse peragendum. Sed quis hanc sententiam æquo animo probare queat? Cum præsertim certissimum sit ex Sacris Congregationibus, puellarum ejusmodi matrimonia, nisi impedimentum aliquod peculiare interveniat, celebrari oportere coram Parocho, cujus ditione Monasterium includitur: *Matrimonium* (inquit Monacellus (7)) *contractum a puella, quæ exiit in Monasterio ad crates Monasterii coram Testibus, & Paro-*

(1) *Cap. 1. sess. 24. de Reform. Matrimon.* (2) *Disc. 1. numer. 4. & seqq. de Matrim. & disc. 26. num. 25. in annotation. Concil.* (3) *In L. Municeps ff. ad Municipalem.* (4) *In leg. Municeps. ff. ad Municipalem.*
(5) *Manfeld de Jurisdictione & Jure Milit. Belgicæ tract. 1. cap. 6. pag. 68. Villos de Servis fugitiv. cap. 20. §. num. 46.*
(6) *De statu homin. tom. 2. q. 187. art. 1. n. 896.* (7) *In Formul. Legali practic. tom. 2. tit. 16. formul. 2. n. 34.*

*Parocho Eccleſiæ Parochialis, intra cujus limites ſitum eſt Monaſterium validum reputatur*. Ibique ſententias quoque a Sac. Congregationibus evulgatas exponit. *Validum eſt matrimonium* (inquit Braſchius (1)) *contractum ab educanda ad crates Monaſterii coram Parocho loci, ubi Monaſterium ſitum eſt*. Urſaya pariter iſtarum rerum peritiſſimus, & celeberrimus Canonum interpres ſcriptum reliquit (2), Juriſperitos conveniſſe, ut propoſitam cauſam diligentius expenderent, eoque cœtu tutiſſimam unanimi conſenſu habitam fuiſſe opinionem, quam nuper expoſuimus. Reliquis omiſſis, hos præclaros Viros, tanquam duces eligendos duximus, ut in hac civitate, ac diœceſi rite fierent matrimonia.

XI. Eodem loco certos quoſdam limites huic ſententiæ ſtatuimus, a puellis nempe educandis matrimonium alia ratione contrahendum, ſi domicilium paternum, maternum, aut fraternum habeant; tunc enim, præſente proprio Parocho, matrimonium celebrari debere, non autem alio Parocho, cujus ditione Monaſterium continetur; id etiam famulis præſcripſimus qui, licet apud Dominos habitent, tamen domicilium paternum, maternum, vel fraternum poſſident. Tunc ipſi proprium Parochum accerſere debent, uti modo de puellis educandis oſtendimus; aliter tamen eſt, ſi ſolum quaſi domicilium in ædibus Domini teneant: nam matrimonio fieri tunc oportet coram Parocho, intra cujus limites ædes Domini conſtituuntur.

XII. *Si Puella* (ait Clericatus (3)) *ponatur a parentibus in aliquo Monaſterio Monialium, non cenſetur deſerere domicilium paternum, ſed in Parochia ſui domicilii habere ſuam habitationem: & ideo, ſi nuptui tradatur, ejus matrimonium celebrandum eſt coram Parocho, ſub cujus Parochia eſt domicilium ejus paternum*. Porro Clericatus longa experientia, ac doctrina præditus fuit, qui per plures annos in Patavina diœceſi Vicarii munus cum laude geſſit, cum Venerabilis Dei ſervus Gregorius Cardinalis Barbadicus Sedem illam occuparet. *Quæres* (inquit Giribaldus (4)), *quinam ſit proprius Parochus in ordine ad matrimonium puellarum, quæ educantur in Monaſteriis Monialium? Reſpondeo, proprium Parochum, qui debet illarum matrimoniis aſſiſtere, eſſe illum, in cujus Parochia ſita eſt domus paterna, ad quam ſe recipiunt matrimonium celebraturæ: non enim amittunt Parochiam, nec domicilium paternum per hoc, quod cauſa educationis degant in Monaſterio &c. Quod ſi puellæ, & fœminæ degentes in Monaſterio nullum habeant in civitate domicilium, non domum paternam, ſeu maternam, aut fratrum, ad quam ſe recipere valeant, tunc proprius illarum Parochus erit ille, in cujus Parochia ſitum eſt Monaſterium*. Cujus ſane Regularis auctoritas plurimi facienda eſt, tum ob ejus ſapientiam, tum maxime ob diuturnam experientiam hujus diœceſis; nam pluribus annis in hac Metropolitana munere Pœnitentiarii functus eſt, & cauſis matrimonialibus præfuit: Pignatellus (5) juxta Romani Cleri ſtatutum aperte demonſtrat puellas, quæ in Monaſteriis vita decedunt, in Parochiali Eccleſia ſepeliendas eſſe, ubi domicilium habent, non vero in Eccleſia Monaſterii, ubi educabantur. Nos pariter idem ſtatutum in medium attulimus, quo ſancitur, ut famuli Cardinalium, Principum, ac Præſulum Romæ commorantium, ſi domicilium in alia Parochia teneant, licet in ædibus Domini vitam abſolvant, ubi quaſi domicilium conſecuti ſunt, ad Parochiam tamen deferantur, ubi proprium obtinent domicilium. Poſtremo opus eſt perpendere in additionibus ad ejuſmodi ſtatutum, ea, quæ decreta fuerunt a peculiari Congregatione Cardinalium, quam Clemens XI. deſignavit, ubi ad matrimonia pariter extendi jubentur omnia, quæ pro funeribus ducendis indicantur. Cum hæc ita ſint, quis unquam inficiabitur plurimum habere momenti, ac ponderis id, quod Romano cum inſtituto ſimul, & Bononienſi diſciplina conjungitur?

XIII. Neque ſane infirmare hanc ſententiam tam bene confirmatam poteſt, quod contra objicitur a Prætore nempe, Judice, Mercatore, famuliſque exteris, matrimonium rite confici coram Parocho, in cujus ditione Sedem ſibi delegerunt, eo quod in eo loco quaſi domicilium aſſecuti ſunt, ita pari ratione ſtatuendum eſſe de puellis educandis, ac de famulis Bononienſibus, ita ut liceat ob allatam cauſam iiſdem puellis matrimonium inire coram Parocho, ubi poſitum eſt Monaſterium, famulis autem coram Parocho, cui ædes Domini ſubjiciuntur. Illud etiam pro augenda difficultate in medium proferatur, quemadmodum puellæ ejuſmodi, ac famuli Bononienſes, in alia Parochia paternum, maternum, aut fraternum habent domicilium, ita Prætorem, artificem, & famulum exterum in alio loco paterno, materno, vel fraterno domicilio non carere.

XIV. Hoc, inquam, argumentum propoſitam antea ſententiam nullo modo *labefactat*; & quidem conficere diſſertationem facile poſſemus, ut conſtet, quam tenue, infirmumque ſit *argumentum a pari*, cum de rebus ad Theologiam Moralem, ſeu Canonum ſcientiam pertinentibus diſputatur; accedit vero, quod maxima diſcrepantia inter duo exempla, quæ modo prolata ſunt, apertiſſime intercedit.

XV. Etenim licet Prætor, Medicus, miles, aut famulus exterus verum in alio loco domicilium habeat, & quaſi domicilium in Parochia, ubi degunt Bononiæ, idemque prorſus puellæ educandæ, famuloque Bononienſi conveniat; certum tamen eſt, matrimonia plurimis difficultatibus implicatum iri, ſi a Prætore, vel Medico, aut famulo exteris acciri deberet veri domicilii Parochus; id vero contingere nequit, ſi puellæ, quæ in Monaſteriis habitant, domicilium paternum, maternum, aut fraternum poſſideant, quod reipſa ad illas pertinet. Idem dicendum de Bononienſi famulo, qui in alia Parochia ſuum habeat domicilium; quamobrem tum a puellis, tum a famulis Bononienſibus matrimonium celebrari oportet coram Parocho, in cujus ditione non quaſi domicilium, ſed verum ipſorum domicilium reperitur.

XVI. Sed quoniam argumentatio *a pari* exemplo deſumpta adeo probatur, nos etiam ſimili ratione utemur, ut rem propoſitam magis demonſtremus. Quo tempore ob ignorantiam, rerumque imperitiam Parochus proprius ad implendum Paſchale præceptum, & ad matrimonium ineundum minime dignoſcebatur, quæſtio concitata fuit, ad quem Parochum accedere deberent exteri juvenes, qui ſtudiorum cauſa in aliquam civitatem, ſive academiam confluerent. Tunc unanimes fere omnes cenſebant, haud exiſtimandum eſſe proprium Parochum illum, intra cujus limites ejuſmodi Juvenes habitarent, licet diuturnitate aliqua temporis quaſi domicilium ſibi comparaſſent; itaque non licere ipſis manu illius Parochi Divinam Euchariſtiam in Paſchate ſuſcipere, niſi prius facultatem a Parocho proprii loci impetrarent (6). At vero Cardinalis Ottienſis (7) ſapienter expendit graviſſimas difficultates, quibus premerentur ejuſmodi juvenes, ut Paſchali præcepto ſatisfacerent, & illum proprium eſſe Parochum docuit, ubi quaſi domicilium obtinerent, eoquod prorſus arduum videatur ad Parochum veri domicilii confugere, aut facultatem ab ipſo neceſſariam expoſcere. Hanc eamdem opinionem Navarrus attulit his verbis (8): *Videtur ſufficere habitatio bona fide, & ſine fraude ſuſcepta in aliquo loco, unde non poteſt commode reverti ad ſumenda ſacramenta in loco Parochiæ, ubi habebat domicilium*. Cum igitur Parochus quaſi domicilii ob allatas difficultates ſatis idoneus judicetur, ut cæteris Divinum Euchariſtiæ Sacramentum in Paſchate adminiſtret, ita profecto matrimonium ob eaſdem cauſas, atque impedimenta, ab exteris celebrari permittitur coram Parocho quaſi domicilii; ita tamen, ut ſtatim hic aditus occludatur, ſi nulla interveniat difficultas, uti conſtat exemplo puellæ educandæ, & famulorum, qui verum domicilium in alia Parochia poſſident; ex quo ſequitur, ut nec ejuſmodi puellis, neque famulis matrimonium inire liceat coram Parocho quaſi domicilii, ſed Parochus veri domicilii accerſendus neceſſario ſit. Hæc pauca habuimus, quæ tibi reſponderemus; interim gratias, quas poſſumus maximas, tibi perſolvimus, qui hanc nobis ſcribendi occaſionem præbuiſti.

IN-

(1) *In ſuo Promptuario Synodali cap. 63. num. 14.* (2) *Tom. 1. part. 3. diſcept. 29. n. 101. & ſeqq.*
(3) *De Sacrament. Matrimonii deciſ. 35. num. 15.* (4) *Tract. 10. de Sacram. Matrim. cap. 7. dub. 7. num. 56. & 57.*
(5) *Conſult. 63. tom. 7.* (6) *Sanchez de Matrim. lib. 3. diſput. 23. ſub num. 11.* (7) *In ſua celebri ſumma lib. 3. tit. de Parochis num. 7.* (8) *In conſil. 1. lib. 3. de Parochis num. 3.*

## INSTITUTIO LXXXIX.

*Cum viæ campestres publicæ præruptæ, ac viatoribus admodum difficiles sint, & cum Parochis onus incumbat, vel Viaticum infirmis ministrandi, vel mortuos efferendi; agricolæ, & vicinorum prædiorum domini liberum illis transitum per eadem præbere tenentur. Semitas hujusmodi non esse inter vias publicas recensendas ob delata per eas cadavera, Cruce prælata. Quænam requirantur, ut via constituatur publica. Quomodo se gerere debeant Parochi, si id forte contigerit.*

I. DElatum nobis fuit a quibusdam Parochis, Dominos, seu Colonos prædiorum, cum via publica impedita prorsus est, omnes aditus occludere, ne transeant iidem Parochi per ipsa prædia, cum Divina Eucharistia ad ægrotum aliquem, seu vita functus ad sepulchrum defertur. Quare has literas encyclicas promulgare decrevimus; sed quoniam aliquis, licet ignarus, ac imperitus, judicium tamen suum, uti moris est, ferre volet, & plures fortasse non deerunt, qui pro certo teneant, eam viam habendam esse publicam, qua cadaver effertur, prælato Crucis vexillo; ideo literas etiam has scribendas duximus, quibus ostendamus, nullo pacto intercludi posse viam privatam Sacerdoti, qui ad ægrotum cum Divina Eucharistia properat, si per viam publicam nullo modo possit, vel magna cum difficultate incedere debeat. Idem præstandum Sacerdoti probabimus, cum ad sepulchrum cadavera comitari oportet, quin ob hanc causam privata in publicam viam convertatur.

II. A primo exordiamur, quod a jure liquido decernitur (1): *Cum via publica vel fluminis impetu, vel ruina amissa est, proximus viam præstare debet cuilibet de populo.*

III. Insuper Bartholomæus Cæpolla juris peritissimus ita scriptum reliquit (2): *Quæro penultimo, an quis possit ire, seu transire per fundum alienum, & an Dominus possit prohibere volentes ire, seu transire per fundum suum; & dic, quod ire per agrum alienum fas est, Ius non est &c., sed licet sit fas, & sit æquum de Iure Divino, tamen non est Ius; idest, Ius non dat civilem actionem: ubi enim aliquid mihi prodest, & tibi non nocet, æquum est, ut me non prohibeas, licet Ius ibi deficiat.*

IV. Deinde plura exempla enumerat, quibus Jus ipsum suffragatur, ita ut per fundum alienum transire liceat; porro inter alia illud recenset: *Quando via publica est destructa.*

V. Quamobrem, si, quando via publica in ruinam abiit, vel magnis difficultatibus impeditur, *cuilibet de populo* conceditur per alienum fundum liber transitus, quanam ratione id recusari poterit Sacerdoti, qui ad ægrotum cum Sacris Mysteriis accedit, vel defunctum ad Ecclesiam prosequitur, iisque omnibus, qui tunc Sacerdotem comitantur?

VI. Suspicari profecto haud possumus, aliquem reperiri, qui privatam Sacerdoti viam concedendam affirmet, ea tamen conditione, ut aliquid persolvatur. Nam quis Christianus pecuniam a Sacerdote repetere audeat, qui aditum deposcit, ut gravi morbo laborantem Eucharistiæ Sacramento reficiat, vel preces effundit pro illius expiatione, qui ad tumulum deportatur? Sed his omissis, tunc solum aliquod pretium jure postulari fas est, cum publica via destructa per fundum alienum iter sibi quis sternere contendit, ut domum suam, sive ad agrum commodius revertatur, sive aliam ex eo utilitatem percipiat (3): *Si quis sepulchrum habeat, viam autem ad sepulchrum non habeat* (ait Ulpianus (4)) *& a vicino ire arcebitur: Imperator Antoninus cum Patre rescripsit, iter ad sepulchrum peti precario, & concedi solere, ut quoties non debetur impetretur ab eo, qui fundum conjunctum habeat. Non tamen hoc rescriptum; quod impetrandi dat facultatem, etiam actionem civilem inducit, sed extra ordinem interpelletur.* Concludit etiam Iudicem posse impellere, ut transitus concedatur, pretio tamen, quod justum est soluto: *Præses etiam compellere debet justo pretio iter ei præstari, ita tamen ut Judex etiam de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum.* Attamen jure exposci nequit ab eo pecunia, qui *destructa via publica* privatam suscipit ea conditione, ut nullum jus perpetuum assequi contendat, sed tantum *ad tempus*, donec illa in pristinum restauretur (5). Interpretes etiam ad Legem *si locus ff. Quemadmodum servitutes amittuntur*, sermonem instituunt de privato, qui, corrupta via publica, iter cuilibet præbere tenetur, & inquirunt, an Princeps eidem privato persolvere aliquid pro incommodo debeat, idque ex jure affirmant, licet reipsa non observetur: *Præstare debet* (de vicino sermo est) *cuilibet de populo, ut in fossatis hujus Civitatis Bononiensis, fit secundum Azonem, sed an dato pretio a Fisco, videtur, quod sic, contra tamen observatur.*

VII. Sed jam deveniamus ad illud, quod secundo loco propositum est, utrum privata via in publicam vertatur, statim ac cadaver prælata Cruce per illam infertur. Haud temere suspicamur, errorem hunc Plebis *ex lege 2. cap. de Religiosis, & sumptibus funerum* initium traxisse, cum in ipsa Antoninus Imperator ita decreverit: *Invito, vel ignorante te, ab alio illatum corpus in puram possessionem tuam, vel lapidem, locum religiosum facere non potest. Sin autem voluntate tua mortuum aliquis in locum tuum intulerit, religiosus iste efficitur. Quo facto monumentum neque venire, neque obligari a quoquam prohibente Juris religione posse, in dubium non venit.*

VIII. Quidnam ex hac auctoritate contra quæstionem, quam pertractamus, desumi potest? Agit Imperator de sepulchro, quod in alieno fundo constituitur, nos autem de transferendo per viam privatam cadavere, quod in alio loco, nempe in Ecclesia, aut sepulchreto humandum est. Antoninus non integrum fundum, sed locum sepulchri tantummodo religiosum esse declarat, *Monumentum*. In nostra vero quæstione non solum cadaveris translatio cum sepulchro permiscetur, sed illud etiam falso putatur, non exiguam tantum fundi partem, sed integram viam religiosam, & publicam existimari.

IX. Illud sane omnem dubitandi locum abstulit, quod jus Canonicum veterem Antonini legem abrogavit, uti Scriptores unanimes fatentur (6), inter quos Molina hæc scripta reliquit (7): *Illud etiam præmittendum est, quod quamvis, Jure Civili considerato, eo ipso quod quis inferebat mortuum in sepulchrum, locum religiosum efficiebat, Leg. 2. Cod. de relig. & sumptib. funer. hoc tamen de jure Canonico non procedit: immo, quamvis quis mortuum inferat in sepulchrum; sepulchrum ipsum non efficitur religiosum, nisi auctoritate Episcopi ad hujusmodi usum deputatum fuerit, Text. in Cap. Ad hæc, de religiosis domibus. Ex quo infertur, quod tale sepulchrum factum, non interveniente Episcopi auctoritate, poterit vendi, aut alienari, quamvis, Jure Civili considerato, alienari non possit. Cum enim ratio, & causa finalis, quare sepulchrum, postquam corpus in eo humatum erat, vendi, seu alienari non poterat, esset, quia eo ipso, quod corpus in eo inferebatur, religiosum efficiebatur, atque per consequens non erat in hominum commercio, consequens etiam est, ut, ratione Legis cessante, cessare debeat ejusdem Legis dispositio.* Jus autem Pontificium in hac re non solum Civili anteponitur in ditione Ecclesiæ, sed in Orbe universo, uti Frances advertit (8).

X. Sin autem hac difficultate omissa ad Crucem in alieno fundo prælatam tota quæstio redigatur, omnis dubitatio dissolvi facile poterit, si, qui hoc in errore versantur, animo suo perpendant, has privatas ædes Archiepiscopales ob eamdem causam habendas fore publicas, ex quo Cardinalis Gabriel Palæottus primus hujus Urbis Archiepiscopus renunciatus, Crucem præferre cœpit, & sic prodire ex suis ædibus, atque in eas reverti: eadem ratione plures Domus privatorum Civium, ac Palatia jam publica censeri deberent, quæ tot Crucibus prælatis aditum præbuerunt, quot in Urbe Sodalitia enumerantur, quæ per dies Rogationum Beatæ Virginis effigiem, aut etiam Eucharistiam prosequuntur, cum in festo Corporis Christi per Urbem circumfertur. Tunc enim solemnis, ac sacra pompa easdem privatorum ædes, ac Palatia libere pertransit.

XI. Postremo ad viam publicam efficiendam tria requiruntur; ut communis sit omnibus; ut solum illud publicum fit, aut pecunia publica comparatum; tandem ut publicum ad locum

---

(1) *In L. Si locus ff. quem ad modum servitutis amittuntur.* (2) *in tract. de servitutibus rusticorum prædiorum cap. 3. num. 22.* (3) *In rubr. 27. num. 33. Statut. hujus Civitatis nuper edit. tom. 1. pag. 63.* (4) *In celebri L. Si quis Sepulchrum ff. de religiosis & sumptibus funerum.* (5) *Mansius consult. 655. num. 10.* (6) *Gonzalez cap. Abolendæ num. 4. de Sepulturis. Tolosanus in Partitionib. Juris Canonici lib. 1. tit. 15. de Sepulturis cap. 2. Gratianus discept. 110. n. 1. & seqq.*
(7) *De Primogen. Hispan. lib. 1. cap. 24. num. 38. & seqq.* (8) *De Ecclesia Cathedrali cap. 26. num. 136. & 153.*

cum ipsa perducat. Via quoque publica dicitur, quæ per diuturnum & immemorabile tempus publica semper habita fuit. Publica vero appellari nequit via, quæ undequaque occluditur, aut in qua suas arbores quis obtinet (1). Itaque si, licet Parochus aliquam privatam viam iniverit, cum ad ægrotos Eucharistiæ Sacramentum detulit, aut cadavera ad Ecclesiam comitatus est, si, inquam, dici nullo modo queat solum illud ærario publico emptum, si propriæ arbores semper in eo loco permanserint, & adhuc permaneant, si nemo prohibet fundi aditus obserari, postquam via publica reparata fuerit; quis sanæ mentis unquam putabit viam privatam conversi in publicam, cum nullæ conditiones ex iis interveniant, quæ publicam efficiunt, quis, inquam, id putabit ob eam solum causam, quod Parochus eamdem viam aliquando suscoperit, cum suis muneribus fungeretur? vanum pariter, ac ridiculum esset, si quis metueret quamdam servitutem constitui, si Parochus id frequenter faciat, & etiam diuturnitate temporis fieri posse, ut privata via in publicam reddatur. *Nam lege Prætor ait ff. de itinere, actuque privato*, hæc tradunt: *Julianus recte ait eum, qui propter incommoditatem rivi, aut propterea quia via publica interrupta erat, per proximi vicini agrum iter fecerit, quamvis id frequenter faciat, non videri eundo usum esse*. Tum quia restaurata via publica transitus ille secluditur; postremo, cum notum fecerimus hoc publico mandato vias ejusmodi privatas non immutari, nec in publicum usum cedere, quamvis Sacerdos, ut suis vacet muneribus, easdem vias non semel conterat, id satis est, ne ulla consuetudo immemorabilis inducatur, ob quam illas fieri publicas contingant.

XII. His rationibus agere cum illis poteris, qui contrarium sibi persuaserint. Primum, si via publica incedere queas absque gravi incommodo, privatam in alieno fundo deferes. Secundo, cum publica via paulatim destruitur, Magistratus huic negotio præpositus de imminenti ruina certior fiat, aut res ad nos ipsos deferatur, qui hanc viæ reparandæ causam cum Magistratu ipso libenter transigemus. Tertio, cum per alienum fundum iter necessario habendum est, moneatur prius qui fundi claves tenet, non modo urbanitatis gratia, quam viri Ecclesiastici semper excolere debent, sed potissimum ne Sacerdos improviso adventu fores occlusas deprehendat, ex quo scandalum, aut dissidium aliquod excitetur. Ultimo, si privata via tenenda sit, nullum inferatur detrimentum, & brevior semita diligatur.

XIII. Quam consentanea sint hæc postrema monita, celebri Moysis exemplo confirmatur (2). Cum iter per regionem Amorrhæorum suscipere deberet, hæc prius nuncianda voluit: *Obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam.* (En urbanitatis exemplum: ) *Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos. Cui respondit Edom: Non transibis per me; alioquin armatus occurram tibi. Dixeruntque filii Israel: Per tritam gradiemur viam, & si biberimus aquas tuas nos, & pecora nostra, dabimus, quod justum est: Nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus.* Quibus verbis satisfacturum se detrimentum omnibus declarat.

XIV. Proponas tibi ante oculos, cum privata aliqua via transeundum erit, Moysis exemplum, cui publica via in alterius regione iter faciendum fuit. Hoc solum discrimen interfit, quod Moyses Edom reluctantem, ejusque exercitum dissipavit, viamque sibi ferro patefecit, tu vero mansuetudine, atque officiosa humanitate, si quod invenies obstaculum, & impedimentum, superabis; secus autem Sacram Eucharistiam ad ægrotum deferre, vel cadaver ad tumulum comitari quacumque via, ac ratione poteris, non permittes. Deinde nos admonebis de iis, quæ contigerint, ut jure debitam pervicacibus pœnam irrogemus. Postremo nostram tibi benedictionem impertimur.

## INSTITUTIO XC.

*Invitantur Fideles ad Ecclesiam Metropolitanam promulgata ibidem in Nativitate Domini centum dierum Indulgentia ob recenter detecta Altaria duo, quorum alterum S. Apollinari, alterum S. Ambrosio dicatum est. Indicantur causæ, quæ excitare debent fideles, ut ea, qua possunt, animi devotione religiosum cultum prædictis Sanctis exhibeant.*

I. QUamvis anno 1605., cum Alphonsus Palæottus hanc Sedem obtineret, Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ S. Petro nuncupatæ fieri cœperit ædificium, nemo tamen ignorat Altaribus semper caruisse duas postremas Cappellas non longe a Presbyterio, & Ara majori collocatas. Quamobrem eadem Altaria condere pro tenuitate nostrarum virium proposuimus, postquam perfectum a nobis fuit aliud Altare, ubi Divina Eucharistia servatur. In Tabella primi Altaris Sacrum illud monumentum præclaris coloribus expressum oculis fidelium subjicitur, cum S. Petrus Apostolus in Æmiliam S. Apollinarem Episcopum, ac Martyrem misit, ut Christianam fidem disseminaret. In tabella vero alterius Altaris haud dissimili arte, atque industria S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus exhibetur, cum Theodosium Imperatorem ab aditu Ecclesiæ prohibuit post nefariam cædem, quæ Thessalonicæ perpetrata fuerat. Arte peritissimus reliqua omnia perfecit, quibus eadem Altaria circum exornantur. Nam singulari Dei beneficio factum est, ut hæc nostra Civitas adhuc pingendi gloria supra ceteras efferatur. Exhiberi voluimus in priori S. Apollinarem a B. Petro in Æmiliam pro annuncianda Christi Religione designatum, tum quia veritati parum consentaneum videtur, quod S. Apollinaris hanc Civitatem prætermiserit, quæ inter Æmiliæ primarias enumeratur; tum quia longe a veritate abhorret, quod S. Zamas hanc primus Episcopus Ecclesiam administraverit, cum ille primus illorum tantum existimari debeat, quorum nomina clare innotescunt. Porro affirmari nequit ante S. Zamam alium neminem huic Ecclesiæ præfuisse, quæ tunc per tercentum fere annos Pastore caruisset, postquam opera S. Apollinaris Christiana fides Bononiam illata fuit. Verum alias id fusius, & clarius demonstrabimus.

Jam de alia picta Tabella verba facimus, quæ S. Ambrosium exprimit, cum Theodosium, uti diximus, ab Ecclesiæ ingressu prohibuit: satis est percurrisse semel præclara ingenii monimenta ab eo confecta, ut ipsius in hanc Civitatem benevolentia dignoscatur, & quam libenter in ipsa moratus fuerit; quantaque ipsius lætitia, & majorum nostrorum voluptate Martyrum S. Agricolæ, Sanctique Vitalis ossa detexerit. Quamobrem merito vetustiores inter patronos hujus Civitatis ipse recensetur; sed de his hactenus. Itaque S. Apollinari, ac S. Ambrosio perpetuum monumentum in hac Metropolitana constitui voluimus eoquod primis sæculis hic Episcopatus juri Metropolitico Romani Pontificis tantum subjectus, cum deinde Mediolanensis Ecclesia in Metropolim redacta fuisset anno 374., tunc idem Episcopatus S. Ambrosii suffraganeus extitit, donec ab ea jurisdictione sejunctus, Ravennati Ecclesiæ adjudicatus fuit, quæ sane Ecclesia S. Apollinarem auctorem, ac Parentem habuit, & anno 439. in Metropolim conversa est. Nostra vero Ecclesia eamdem conditionem obtinuit, cum Gregorius XIII. ipsam Metropolim declaravit, quod alio loco magis explicabimus. Hæ fuerunt causæ, quibus nos adducti perficienda suscepimus, quæ nuper exposuimus. Nihil aliud superest, quam gregem amantissimum curæ nostræ traditum magnopere hortari, ut eosdem sanctitate præstantissimos viros, ac de nobis ita benemeritos omni cultu, pioque studio prosequatur. Quare, cum proximis diebus Natalitiis ipsorum Altaria primo detegenda speremus, centum dies Indulgentiarum impertimus universis, qui Pœnitentiæ Sacramento expiati, Divinaque Eucharistia suscepta, semel per eos dies hanc Metropolitanam Ecclesiam adhibunt, Sanctosque Apollinarem, atque Ambrosium suppliciter rogabunt, ut nobis a Deo obtineant, quæ ad hanc mortalem vitam sustinendam, beatamque in Cœlis comparandam necessario requiruntur.

IN-

(1) *Constantin. ad Statut. Urb. lib. 1. annot. 22. art. 3. a num. 4. ad 25.* (2) *Lib. numerorum cap. 20.*

## INSTITUTIO XCI.

*Ad Canonicum Joannem Baptiſtam Scarſelli Cancellarium Archiepiſcopalem Epiſtola, qua oſtenditur, duo vel plura beneficia, quæ ſimplicia nuncupantur, niſi juſta de cauſa, ab eodem retineri non poſſe. Utrum abſque diſpenſatione Apoſtolica Epiſcopus poſſit alicui tertium, quartum, & quintum beneficium ſimplex idcirco conferre, quia prima duo Beneficia ad vitam honeſte ſuſtentandam ſatis eſſe non videntur. Utrum aliqua intercedat diſcrepantia inter beneficia liberæ collationis, & ea, quæ ad jus Patronatus ſpectant. Quid circa hanc rem decerni ſoleat a Sacra Congregatione. Utrum nepos illius, qui Parochiam abdicavit, impediri poſſit, quominus ad eamdem obtinendam candidatus interveniat. Senſus Conſtitutionis §. Pii V. quæ ad hoc ſpectat, indicatur.*

I. PAucis abhinc diebus quemdam in hac diœceſi reperiri nobis patefeciſti, qui ſecundum Beneficium ſimplex obtinuit, cum primum haud ſufficeret pro honeſta illius ſuſtentatione; cum vero hæc duo ſimul Beneficia ſatis eſſe nondum videantur, tertium Beneficium ſimplex Juriſpatronatus Laicalis ipſi proponitur. Revocari tamen in dubium ſignificas, utrum pro retinendo tertio hoc Beneficio Apoſtolicæ Sedis Auctoritas requiratur. Inſuper, quidam Parochus hujus Diœceſis ſponte dimiſit Eccleſiam ſuam, idque legitimas ob cauſas nos ipſi probavimus. Deinde publicum examen indiximus, interque competitores nomen Sacerdotis deprehendimus, quem ex fratre nepotem ſuperioris Parochi eſſe cognovimus. Quamobrem ſuper his opinionem noſtram tibi explicabimus, ut qua ratione in poſterum, conſilioque utaris, tibi clarius innoteſcat.

II. A primo capite exordiamur. Sic autem decernit Tridentina Synodus (1): *Statuit, ut in poſterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri.*

III. Non deſunt Theologi, qui docent conferri poſſe ab ipſo Epiſcopo tertium, quartum, & quintum etiam Beneficium ſimplex, & optimo jure retineri, ſi duo priora Beneficia pro honeſta vitæ ſuſtentatione non ſufficiant, nec ullo modo Pontificis facultatem expoſcendam. Etenim cum permittat Concilium Tridentinum *aliud ſimplex Beneficium ſufficiens* illi, qui neceſſaria ad vitam honeſte ducendam ex primo Beneficio haud ſatis percipit, ideo tertium, quartum, & quintum etiam Beneficium *aliud ſufficiens* appellari nequeunt, donec *unum ſatis* non conſtituerint. Porro ſic argumentantur Theologi (2).

IV. Accedit etiam ante Tridentinam Synodum nulla lege vetitum fuiſſe plura ſimplicia Beneficia in unum conferri, ſi ad vitam ſuſtinendam neceſſaria judicarentur (3). Tota in eo diſputatio vertebatur, utrum id liceret, poſtquam honeſta ſuſtentatio comparata fuiſſet; quod Innocentius approbavit (4), interpretes vero jure id concedi poſſe recuſarunt (5). Cum igitur Tridentina Synodus hanc ſolum controverſiam de medio auferre voluerit, quiſque facile intelligit nequaquam prohiberi, ne tertium, quartum, & quintum etiam Beneficium in aliquem conferatur, & ab eo retineatur, ſi duo, quæ prius aſſequutus eſt, ad vitam alendam ſatis eſſe non exiſtimentur, plura vero ſimul congeſta Beneficia ſufficientem ſuſtentationem minime excedant.

V. Poſtremo Tridentina Synodus (6) *conferendi* vocabulo ſemper utitur: *Singulis conferatur &c. cui conferatur &c. eidem conferri &c.*, quo quidam vocabulo continere, & explicari nequeunt Beneficia *Juriſpatronatus*, ſed alia ſolum *Præſentationis*, *Inſtitutionis*. Quare nullo pacto Laicis interdictum dici poterit, ut ad tertium, quartum, & quintum Beneficium, quæ jure ad illos pertinent, Clericum aliquem nominent, qui duobus aliis Beneficiis jam præditus eſt, licet ſufficere ipſi, vel non ſufficere ad honeſte vivendum videantur. Ita Maſſobrius tradit (7), qui conſuetudinem etiam unanimi aſſenſu comprobatam teſtatur; eamdemque ſententiam Panimollius complectitur (8).

VI. Attamen ſi Sacræ Concilii Congregationi parendum eſt, uti oportet, quæ idem Concilium ſola interpretatur, contrarium omnino ſtatuendum eſt iis omnibus, quæ paulo ante expoſuimus, Concilium *quidem aliud ſimplex beneficium* Clerico permittit, ſi primum jam collatum ad vitæ ſuſtentationem nequaquam ſufficiat, uti ſuperius dictum eſt, quo loco Concilium numero ſingulari utitur. Item de alio Beneficio ſimplici, ſed ſufficienti agit Concilium, de ſecundo tamen Beneficio haud ſufficienti ne verbum quidem facit. Quamobrem Sac. Congregatio Concilii interpres declarare potuit, ſi ſecundum Beneficium minime ſufficiat, conferri haud poſſe alia Beneficia, licet ad Clericum ſuſtentandum ſatis eſſe nequeant. Inſuper notiſſimum *in jure* habetur, nomina *Præſentationis*, *Collationis*, *& Inſtitutionis* non ſemel permiſceri. Itaque cum eodem loco Concilium nomen *Collationis* adhibuerit, ideo Sacra Congregatio interpretari, ac decernere potuit nomine *Collationis*, *Præſentationis*, *& Inſtitutionis* rem eamdem intelligi, ac conſtitui. Qua de re, ſi nequit Epiſcopus ſua auctoritate tertium ſimplex Beneficium in illum conferre, qui duobus aliis, licet non ſufficientibus, præditus eſt, ob eamdem cauſam non conceditur Laicis tertium ſimplex beneficium *Juriſpatronatus* impertire Clerico, qui alia duo Beneficia ſimplicia jam obtinet, ſive pro illius vita ſuſtinenda ſufficiant, ſive non ſufficiant; ideoque neceſſaria utriſque Apoſtolicæ Sedis auctoritas judicatur.

VII. Nunc ſupereſt, ut videamus, utrum hæc etiam Sacræ Congregationis exemplis confirmentur. Ac primum Sac. Congregatio permittit Epiſcopum in eum Clericum, qui ex primo ſimplici Beneficio ſatis honeſte ſuſtentari nequit, ſecundum Beneficium ſive ſufficiens, ſive haud ſufficiens conferre, licet *ſub eodem tecto*, modo tamen inter ſe diverſa extiterint (9). Illud etiam probat S. Congregatio (10), ut aliquod ſimplex Beneficium in eum conferatur, qui plures habet penſiones Eccleſiaſticas, quæ honeſtam ſuſtentationem ſuppeditare nequeunt. Siquidem Beneficia penſionum nomine non continentur (11). Concedit Sacra Congregatio Presbyteris obtinentibus plura pia legata, ſeu Cappellanias Juriſpatronatus Laicorum, quæ vera Beneficia non putantur, concedit, inquam, ut Epiſcopi facultate interpoſita, ſimplicia Beneficia conſequantur, uti inferius demonſtrabimus; haud tamen concedit ut abſque Apoſtolicæ Sedis auctoritate tertium Beneficium tribuatur illi, qui duo jam acceperit, licet ad ipſum alendum non ſufficiant (12). Neque tandem concedit, ut, qui duobus Beneficiis præditus eſt, tertium licet Laicalis Juriſpatronatus quoque retineat. Qua de re in ſuffragio Cardinalis Paulucci, cum in Sac. Concilii Congregatione Secretarii munus gereret, hæc leguntur (13): *Dubitatum fuit, an habens duo Beneficia ſimplicia, tertium de Iurepatronatus ad præſentationem Patronorum auctoritate Ordinaria aſſequi, & retinere poſſit abſque diſpenſatione Apoſtolica. Sacra Congregatio cenſuit, tertium Beneficium ſimplex, etiamſi de Jurepatronatus, non poſſe retineri cum duobus aliis abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate.* Item die 14. Novembris anno 1654. Sac. Congregatio hanc ſententiam evulgavit (14): *Sacerdos Joannes Hyacinthus Frazza proviſus ab Ordinario de tribus Beneficiis ſimplicibus Iurepatronatus tenuis reditus ad neceſſariam ſuſtentationem inſufficientibus, humiliter petit declarari, an abſque diſpenſatione Apoſtolica poſſit illa retinere. Sacra &c. reſpondit, non poſſe abſque diſpenſatione Apoſtolica retinere.*

VIII. Cum nos pariter Secretarii munere fungeremur, Epiſcopus Bitecten. plura a Sac. Congregatione poſtulavit, quibus die 22. Novembris anno 1721. Sac. Congregatio his verbis reſpondit: *An obtineas primum Beneficium ſive liberæ collationis, ſive de Iurepatronatus laicorum, ad ſui ſuſtentationem ſufficiens, poſſit abſque diſpenſatione Apoſtolica retinere ſecundum de Jurepatronatus.* Sac. Congregatio reſponſum hoc dedit: *Negative.* Deinde id ſecundum loco petitum fuit: *An obtinens duo Beneficia ſive libere collationis, ſive de Jure-*

---

(1) *Seſſ. 24. cap. 17. de Reformat.* (2) *Antonell. de Regim. Eccleſ. lib. 3. cap. 2. num. 4. Carol. Ant. de Luca ad Ventrigliam in Praxi part. 1. annot. 17. num. 1. Panimoll. dec. 31. num. 18. Barboſa de Epiſcopo alleg. 62. num. 10.*
(3) *Navarrus conſil. 10. & 19. num 2. de Præbendis.* (4) *Cap. Cum jamdudum, de Præbendis.*
(5) *Garzias de Benefic. part. 11. cap. 5. num. 264. & ſeqq. num. 279. & 306.* (6) *Loc. cit.* (7) *In praxi habendi concurſum requiſit. 17. dub. 18. per totum.* (8) *Deciſ. 21. num. 26. & ſeqq.* (9) *In Cauſa Camerinen. die 4. Nov. ann. 1716.*
(10) *Lib. 66. Decret. pag. 482.* (11) *Garzia de Benefic. part. 11. cap. 5. num. 310. & 18. Maſſobrius in Praxi habendi concurſ. requiſit. 7. dub. 17. & 19.* (12) *Fagnanus cap. Cum jamdudum 35. & 71. de Præb.* (13) *Apud Barboſam Juris Eccleſiaſt. univerſi lib. 3. p. 13. n. 189.* (14) *In Cauſa Alexana lib. 19. Decretor. pag. 425.*

re-

*repatronatus laicorum, minime sufficientia ad congruam sustentationem possit retinere tertium. & quartum de Iurepatronatus laicorum absque dispensatione Apostolica.* Sacra Congregatio ita respondit: *Negative & ad mentem*, videlicet, ne Episcopus molestiam ullam afferret iis, qui præditi jam duobus Beneficiis non sufficientibus, aut liberæ collationis tertium pariter, vel quartum Beneficium Iurispatronatus Laicalis bona fide possideret. Tertio quæsitum est: *An id quod procedit in retentione Beneficiorum, procedere etiam debeat in Legatis Piis, & Cappellaniis de Iurepatronatus Laicorum*, & a Sacra Congregatione responsum fuit: *Negative*. Porro hæ sententiæ promulgatæ fuerunt die 6. Decembris anno 1721.

IX. His explicatis, verba de eo facienda sunt, quod secundo loco proposuimus, utrum nepoti jure permittatur in Parochiam subrogari, quam ejus avunculus libere dimisit, quod sane ab æquitate alienum non judicamus, & facile offenditur *ex cap. ex part. 1. de Officio Judicis Delegati*. Difficultas aliqua desumi potest ex Constitutione S. Pii V., in qua, causis expositis, ob quas Episcopi dimissiones ejusmodi, ac resignationes excipere possunt, hæc statim subiiciuntur (1): *Cæterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alii collatores de Beneficiis, & Officiis resignandis præditis, aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant providere. Quod si secus, ac etiam quidquid præter, aut contra formam prædictorum fuerit a quocumque modo temere attentatum, id totum ex nunc viribus, & effectum decernimus non habere.* His tamen verbis nepos Parochi dimittentis Ecclesiam nullo pacto ab examine secluditur. Nam Pontifex solum complectitur affines, ac familiares illius, in cujus manu Beneficium dimittitur; nec ullam de publico examine mentionem habet, in quo sane Beneficium non arbitrio Episcopi, sed examinantium suffragiis confertur.

X. Attamen, licet nepotes, & consanguinei Parochi dimittentis Beneficium, ad examen publicum alias convenerint, tamen id in posterum omnino interdicimus. Equidem plurium excusorum negligentia S. Pontificis Constitutio mendosa in lucem prodiit; non enim *admittentium*, sed *dimittentium* vocabulum substitui oportere Fagnanus sapienter advertit (2). Profecto eadem Constitutio cum exemplari prius comparata libro septimo Decretalium inserta fuit, quæ Typis editæ, sed nunquam promulgatæ fuerunt, quibus conficiendis præfuit accuratissimus Cardinalis Pinellius, quo tempore Clemens VIII. Pontificatum gerebat. Porro non vocabulum *admittentium*, sed *dimittentium* ibi deprehenditur: ex his constat non tantum Episcopi, sed etiam Parochi Beneficium dimittentis consanguineos per eam Constitutionem intelligi.

XI. Aliam pariter Sacræ Congregationis sententiam Fagnanus commemorat (3), quam nos hoc loco desumptam ex actis subjicimus (4): *Quærit a Sacra Congregatione Sacri Concilii Tridentini Episcopus Cremonensis, an Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ V. felicis recordationis &c. habeat locum in Ecclesiis Parochialibus, & Beneficiis curam animarum habentibus, & quæ per Concursum magis idoneis conferri debent ex Decreto Concilii Tridentini cap. 18. sess. 24., ita ut si familiaris aliquis Episcopi, vel consanguineus resignantis comparuerit, & in Concursu ad hujusmodi Beneficium Curatum, ut supra, vadans, cum aliis se examinari petierit, admitti non possit, & si admissus ad examen, & ut idoneus ab Examinatoribus relatus fuerit, ei Beneficium conferri non possit &c. Sanctissimus Dominus Noster Gregorius XIII. etiam ex sententia Sacræ Congregationis Concilii declaravit, locum habere, & ideo monendum Episcopum, ne hujusmodi familiares, aut consanguineos admittat ad Concursum.*

XII. Neque illud ponderis quidquam habet, quod contra objicitur, nempe, liberis examinantium suffragiis conferri Beneficium, cum publicum examen indicitur. Etenim ad illos tantum spectat judicium ferre de illorum doctrina, atque ingenio, qui Beneficium expetunt. Quod si paria suffragia deprehendi contingat, tum licet Episcopo alterum ex idoneis Clericis ad Beneficium suo suffragio deligere. Ad Episcopum tamen spectat unice, quis magis idoneus sit, judicare, ex quo sane judicio decernitur omnino qui Beneficium assequatur. Quare cum Parochiæ per examen publicum conferendæ plurimum ob hanc causam ab Episcopo dependeant, prudenter sancitum est, quoties id fieri contigerit, ut Sancti Pii V. Constitutio pariter observetur. Hæc pauca tibi monenda habuimus.

## INSTITUTIO XCII.

*De Missarum eleemosynis, quæ celebrari solent in peculiari aliqua Ecclesia Diœcesis. Sacerdotibus omnino vetitum esse Missam applicare pro iis, a quibus deinde stipendium fortuito invenient. Utrum liceat Confessariis Missas pœnitentibus injungere a semeptistis, vel in suis Ecclesiis celebrandas. Utrum sibi, vel suis Ecclesiis aliquid tribuere possint earum rerum, quæ a pœnitentibus restitui solent, cum ignoratur ad quem Jure pertineant.*

I. IN Oppido diœcesis nostræ, quod Baragazzam nominant, nobilissimæ Familiæ Pepulæ Comitatus, SS. Virginis Mariæ effigies magno hominum concursu, ac pietate, & fama prodigiorum celeberrima collocata est in Ecclesia, quæ a Boccadirio nuncupatur. Ab anno 1480. ad hanc usque diem beneficia singularia in eos liberissime Deus contulit, qui in eo loco B. Virginis opem, ac patrocinium imploravunt. Summi quoque Pontifices pluribus Indulgentiis fidelium animos excitarunt, ut eamdem Divinæ Parentis imaginem summo studio, ac religione prosequerentur. Attamen quasdam corruptelas inductas esse percepimus in celebrandis, & applicandis Missarum Sacrificiis, quæ in ipsa Ecclesia indicuntur. Plures enim, qui Sacrum facere absque stipendio nolunt, si illud desit aliquando, rem divinam conficiunt pro illo, qui primus deinde stipendium erit collaturus, licet ipse Sacerdotis consilium, ac voluntatem ejusmodi penitus ignoret. Accedit etiam, quod aliqui Confessarii sibi Missarum stipendia congerant ab iis, quibus Pœnitentiæ Sacramentum administrant. Quapropter, nisi corruptelis ejusmodi statim occurramus, muneri nostro deesse plurimum videremur. Ac primum, cum Pontificatum gereret Clemens VIII., illud in Sacra Congregatione Concilii propositum, & examinatum fuit: *Superioribus diebus significatum fuit Sanctissimo Domino Nostro, paucis ab hinc annis in Hispania novam consuetudinem recentiorum aliquot Theologorum opinione nixam, sensim receptam, in dies magis invaluisse, ut Sacerdotes Missam celebrantes, ejus valorem applicent, his qui post a Missæ celebrationem postulaturi, ac pro ea eleemosynam præbituri sint, tametsi, antequam Missæ Sacrificium peragetur, neque a Sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa eleemosynam præstitissent.* Sacra autem Congregatio post accuratam rei disquisitionem his verbis respondit: *Quam rem cum Sanctitas Sua ad Sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum pro materiæ gravitate examinandam rejecisset, in Sacra Congregatione primum de ea actum fuit diligentissime, ac deinde relatum ad Sanctitatem Suam, quæ ex ejusdem Congregationis sententia hujusmodi consuetudinem tamquam pluribus nominibus periculosam, Fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiæ more nimis abhorrentem, explosit, ac improbavit.* Clemens VIII., uti modo dictum est, rem totam Sacræ Congregationi examinandam commisit. Paulus autem V. peracto diligenti examine, Sacræ Congregationis sententiam auctoritate sua comprobavit, eamque datis ad universos Episcopos litteris promulgavit (5).

Perpauca de Confessariis verba faciamus, qui a fidelibus, quos ad Pœnitentiæ Sacramentum excipiunt, stipendia sibi comparant pro Missis, quibus in eadem Ecclesia, ubi Confessiones audiunt, sive in alia deinde satisfaciunt. Non ignoramus licere Confessariis Missas aliquas celebrandas Laicis indicere pro criminum expiatione. Id enim inter opera satisfactoria merito recensetur, eo quod crimina sua confitentes aliquam pecuniæ summam impendunt, & tanquam Sacrificii cooperatores, peculiari quodam modo participes fiunt ejus fructus, qui *satisfactorius* appellatur. Attamen non ignoramus, quæ S. Carolus Borromæus admonuit, & Confessariis præcepit (6): *Non modo petat, sed nec velle se habere significet pecuniam, aliamve rem pro suscepti in Confessione laboris munere, immo verbis, vel potius factis ab his omnibus abhorrere demonstret. Cum pro pœnitentia Missas injunxerit, sibi, aut Ecclesiæ suæ, aut Monasterio dicendas non addicat. Quod idem servabitur in restitutionibus incertis, aut votorum commutatione, aliisque hujusmodi. Nec ipse pecuniæ, aliusve rei restituendæ provinciam assumat, nisi necessitas ad id cum ade-*

(1) §. 3. (2) *Cap. Non sine, de Arbitris.* (3) *Loco cit. n. 53.* (4) *Lib. 1. Decretor. p. 145. & 146.*
(5) *Pasqualigo de Sacrific. novæ Legis qu. 168.* (6) *In Instruct. ad Confess. ad part. 4. Act. Ecclesiæ Mediolanen.*

*adegerit, ne ſcilicet pœnitens dignoſcatur : tumque apocham recipiat ab eo, cui reſtitutionem contulerit, quam poſtea pœnitenti tradet : ita denique ſe gerat, ut nec nimiam avaritiæ labis ſuſpicionem contrahat.* Cum hæc ita ſe habeant ſub pœna *ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto* Sacerdotibus interdicimus Sacrum facere, illudque applicare pro iis, qui ſtipendium præbituri ſint, & qui a Sacerdote minime id poſtulaverint, antequam Miſſæ Sacrificium conficiatur.

Qui peccata confitentibus Miſſas celebrandas irrogent, *ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus ipſo facto* præcipimus, ne ſtipendia ſibi, vel Eccleſiis ſuis tribuenda capiant pro Miſſis, quibus ipſi, vel alii Sacerdotes in iiſdem Eccleſiis ſatisfaciant.

## INSTITUTIO XCIII.

*Epiſtola ad Vicarium Generalem habita. Utrum Simoniæ labe afficiaturis, qui pecuniam largiter impendit, ut ſe lite exımat, in cauſis beneficialibus. Quænam requirantur, ut hoc jure fieri poſſit. De Arbitriis cauſarum ad Beneficia ſpectantium, & cuinam præcipue rei animum, mentemque adjungere ipſi debeant.*

I. CUM in Eccleſia Collegiata hujus diœceſis vacatio contigerit Canonicatus de jure patronatus Laicalis, ſuiſque ſuffragiis patroni inter ſe maxime diſcrepaverint, qui diverſus omnino Clericos nominarunt, lis excitata eſt inter ipſos electos ad Beneficium, in qua tamquam Judex Ordinarius cujus eſt rem primo dijudicare, ſententiam Clerico A. propitiam tuliſti : Clericus autem B. ad Sac. Romanæ Rotæ Tribunal ab hac ſententia provocavit, ubi cauſa bis propoſita nihil definitum fuit. Quamobrem Clericus idem B. poſt graviſſimas expenſas rationibus etiam ſuis parum confidens, pollicitus eſt competitori ſe ceſſurum eſſe cauſæ, ſi pecunia, quam in peragendo hoc judicio ſolverat, ſibi redderetur. Id minime inficiatur Clericus A., qui remoto Competitore nequaquam dubitat, qui unanimes Patroni ſibi tantum ſuffragentur : ſed monitus fuit cavendum eſſe magnopere, ne veræ Simoniæ labem contraheret, ſi eam pecuniam reſtitueret. Qua de re conſilium a peritiſſimis viris poſtulavit, iique reſponſum ejuſmodi fecerunt, unum, vel plures arbitros accerſiri poſſe, qui judicarent abdicandum eſſe a Clerico B., ipſique pecuniam expenſam a Clerico A. perſolvendam, quod prius cum arbitris conſtituti poſſet. Heri veſperi, cum nos de more convenires opinionem noſtram ſuper hac re poposciſti, eamque breviter nunc explicabimus. Ac primum, cum agitur etiam de Beneficiis, lites numerata pecunia licite dirimuntur ; negotium tamen, de quo agitur, componi hac ratione nequit, quin Simoniæ labes intercedat. Quamobrem ab æquitate alienum eſt conſilium, quod nuper expoſuimus, idque Clericis iiſdem diſſidentibus ſtatim patefacies. Nos pariter de errore, in quo verſantur maximo, ipſos ad nos accitos clare, graviterque admonebimus.

II. Lites numerata pecunia dirimi poſſe affirmavimus, quod Cœleſtini III. præclara Decretali comprobatur (1). Etenim Præpoſitus Eboracenſis ſuo Archiepiſcopo pecuniam erogaverat, ut finem moleſtiis faceret ob quædam Beneficia, quibus Præpoſitus ipſe fruebatur. Qua de re Pontifex arguit vehementer Archiepiſcopum, qui poſt datam fidem, acceptamque pecuniam Præpoſitum novis moleſtiis perſequeretur ; nec iiſdem litteris Cœleſtinus III. Præpoſitum improbat, quia pecuniam ob eam cauſam tradiderat : ex his conſtat pecuniam licite ſolvi poſſe, etiam cum de Beneficiis res agatur, ut litigiis aditus occludatur.

III. Porro id Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monimentis, exemplisque corroboratur. Proditum eſt, ab Odoacre Rege Herulorum, qui totam Italiam invaſerat, tributum Romano Pontifici imperatum fuiſſe, antequam Pontificatum ſuſciperet : eamdem legem, & inſtitutum Gothorum Reges, qui deinde Odoaceri ſuffecti ſunt, per maximam vim, & injuriam retinuerunt. Juſtinianus Auguſtus idem tributum elicuit, aſſerens, quod Imperium ſimul, & jura Gothorum obtineret. Injuſtiſſima hæc conſuetudo ad Conſtantinum IV. Imperatorem permanſit, qui *barbatus* vulgo nuncupatur. Ipſe S. Agathonem Pontificem, & cæteros in poſterum, qui ad gerendum Pontificatum eligerentur, ab ejuſmodi tributo vindicavit (2).

IV. Cum S. Gregorius Pontifex omnium ſuffragiis renunciatus hunc honorem declinare vellet, ad Mauritium Imperatorem literas dedit, ipſumque maximo ſtudio rogavit, ne ſuam electionem confirmaret. Hæc tamen epiſtola intercepta fuit a Germano Urbis Præfecto, qui ad Mauritium ſcripſit graviſſimis verbis, ac ſententiis, commune bonum, ac ſelicitatem id requirere, ut ſumma Eccleſiæ regendæ poteſtas Gregorio traderetur. Quamobrem Mauritius, qui Gregorii virtutem cognitam ſatis, ac perſpectam habuerat, cum ille Conſtantinopoli verſaretur, ejus electionem probavit (3). Itaque S. Gregorius coactus rerum adminiſtrationem ſuſcipere, iniquum tributum ſolvere non prætermiſit.

V. Idem Pontifex graviſſime quæritur (4) de hujus tributi conditione, & Mauritium Imperatorem vehementer redarguit. In dubium tamen vocatur, an commentaria, quibus ejuſmodi querimoniæ continentur, S. Pontifici Gregorio tribuenda ſint (5). Nam Cave potiſſimum advertit eam ſcribendi rationem haud S. Gregorio Magno, ſed S. Gregorio VII. potius convenire, quam opinionem Thomaſſinus quoque ampleſtitur, uti inferius demonſtrabimus. Hanc igitur controverſiam miſſam faciemus, & id ſolum, quod Chriſtianus Lupus ſcriptum reliquit (6), commemorabimus : *Perſolvit tamen optimus Gregorius, quod nempe, nec Papatum declinare poſſet, nec Principis avaritiam moderari. Solus Princeps, non ipſe fuit ſimoniacus, quia iniquam, atque inevitabilem vexationem redemit ;* Idem etiam exemplo Conſtantinopolitani Patriarchæ magis oſtenditur, qui poſtquam deſignatus eſt, ordinari nequit, niſi tributum antea Turcarum Præfecto exſolverit : Quippe : *Non ea crimini* (ait Thomaſſinus (7) *vertenda eſt Græcis neceſſitas tributi, ſed in ambiendo certatim Patriarchatus culmine nefanda cupiditas, quæ ad majus in dies tributum ſolvendum ultro proſiliunt.*

VI. Poſtremo affirmavimus lites etiam circa Beneficia componi quidem poſſe, ſi pecunia numeretur, id tamen accommodari nullo modo poſſe cauſæ, quæ nunc in diſceptatione verſatur. Nam rerum ejuſmodi Scriptores inter cætera, quæ neceſſaria putant, ut liceat pecunia finem imponere diſſidiis circa Beneficia, illud præ cæteris requirunt, ut qui ſolvit pecunium nullum jus ad *Beneficium*, ſed tantum *in Beneficio* obtineat ; quæ ſane conditio ex Decretali Lucii III. deſumitur (8). Admonitus fuerat Pontifex quemdam Clericum ad dignitatem Eccleſiaſticam electum *paucis contradicentibus*, Perceperat etiam, quod eodem Clerico ſciente, ac probante ipſius amicus *ei qui diſcordiæ magiſter videbatur, certa quantitatis munus exſolvit, & ſic, quam prius ſuſtinebat, contradictio quievit*. Quam ob cauſam electo Clerico Pontifex indicit, ut dignitatem quamprimum dimittat, eaque ſententia utitur : *Nihil prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur*. Canonum Interpretes ſimul conferunt ſuperius allatam ſententiam *in cap. Dilectus de Simonia*, cum hac Luci III. *in cap. Matthæus pariter de Simonia*, atque unanimes advertunt fuiſſe *jus in re* pro beneficiis, ſi prima illa ſententia ſpectetur, ſi vero ſecunda perpendatur fuiſſe *jus ad rem*, nempe ad Dignitatem, quod ſane jus imperfectum exiſtimatur. Quippe minor pars, quæ ad eligendum Clericum non conſenſerat, litem inſtituere, ac rationes proferre poterat, ne electio illa confirmaretur (9), id apertiſſime tradit S. Thomas : *Antequam alicui acquiratur jus in Epiſcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda, per electionem vel proviſionem, ſeu collationem, ſimoniacum eſſet adverſantium obſtacula pecunia redimere, ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam ; ſed poſtquam jus alicui jam acquiſitum eſt, licet per pecuniam injuſta impedimenta removere. Si non eſt ſibi acquiſitum jus per electionem, nullo modo poteſt pecuniam dare adverſario, ut deſiſtat. Si autem eſt ei acquiſitum jus, poteſt aliquid dare, non ut pretium prælationis, ſed ut redemptionem vexationis propriæ* (10). Sic autem S. Raymundus Sanctiſſimi Doctoris diſcipulus idem teſtatur (11).

VII.

(1) *Cap. Dilect. 27. de Simonia.* (2) *Anaſtaſius Biblioth. in vita S. Agathonis.*
(3) *Joannes Diaconus lib. 1. vitæ S. Gregorii c. 39. & ſeqq.* (4) *Lib. 10. cap. 1. Gallicæ Hiſtoriæ &c.*
(5) *Graveſon. tom. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. p. 323. Cave in Hiſtor. Script. Eccleſiaſt.* (6) *Tom. 3. in Concil. General. 1. edit. pag. 1267.* (7) *De Benefic. part. 3. lib. 1. c. 60. n. 10.* (8) *Cap. Matth. 22. de Simonia.* (9) *Gonzalez cap. cit. Matthæus 22. quæſt. 100. art. 2. ad 5.* (10) *Et quarto ſententiar. dict. 25. qu. 4. art. 2. quæſtiunc. 1. ad Sept.*
(11) *In Summa lib. 3. tit. 1. de Simonia §. 20.*

VII. Altera conditio, quæ pariter exigitur, ut liceat pecunia dissidium circa Beneficia componere, in eo posita est, ut jus clare suffragetur illi, qui pecuniam solvit, & injuste vexetur ab eo, qui pecuniam accipit. Quod si aliter fuerit, qui pecuniam expendit, non animi tranquillitatem, & quietem eo pretio sibi comparat, quæ inter res temporarias recensentur, sed jus quoddam in rem spiritualem pecuniæ vi sibi conciliat; equidem S. Thomas eo loco, quem nuper memoravimus, pro certo has duas conditiones interponi statuit: *Injusta impedimenta, & jus in re manifestum*: iisdem fere verbis utitur S. Antoninus (1): *Quinto ratione redimendæ vexationis, & antequam jus acquiratur alicui in Beneficio, vel dignitate, non licet dare ad redimendam vexationem suam, alias Simonia esset; sed postquam fuerit adeptus, & jus sibi acquisitum, vexationem sibi injuste factam super Ecclesia, vel Beneficio, vel dignitate licet pecunia redimere, sed non justam vexationem, ut si juste accusaretur vel hujusmodi*: Ob has causas *injustissimæ vexationis, & apertissimi juris* Summi Pontifices tributum absque Simonia persolvebant, ut ipsorum electio ab Imperatoribus confirmaretur. Ob causas eadem Jacob improbandus non videtur, qui ab Esau jus Primogeniti sibi comparavit: *Jus* (inquit S. Thomas (2)) *primogenituræ debebatur Jacob ex Divina electione, & suam vexationem redemisse intelligitur*.

VIII. Cum hæc ita se habeant, si hæc omnia conferre velis cum causa, de qua agitur, certo deprehendes a veritate alienum non esse id, quod initio diximus, pecuniam solvi jure posse ad lites circa Beneficia componendas, id tamen quæstioni, quæ in medium adducitur, minime suffragari. Nam, ut pecuniam liceat exolvere, non debet intercedere *jus ad rem, sed in re*, illudque aperte constet necesse est. Insuper injustam vexationem competitoris, qui pecuniam accipit, manifeste probari oportet. Clerici vero A., & B. *jure ad rem* solummodo præditi sunt, si ratio *Præsentationis* habeatur, quæ utrique per legitimos Dominos collata fuit. Neque *ullum jus in re* Clericus A. consequitur ex prima sententia, quam propitiam retulit, cum interposita fuerit provocatio ad alios Judices, qui rem totam secundo loco dijudicare possunt, idque primæ sententiæ effectum impediverit. Postremo quis affirmare unquam valeat jus certum, & manifestum a Clerico A. possideri, ipsumque a Clerico B. competitore certissime, atque injuste vexari? Siquidem contrarium desumitur ex eo, quod hæc causa bis proposita fuit in Sacro Romanæ Rotæ Tribunali, ubi post accuratam disquisitionem nihil peculiare sancitum est.

IX. Sed jam de consilio eligendi arbitros pro dirimenda hac controversia verba faciamus. Qua ratione id excogitatum fuerit intelligere sane non possumus. Nam si ipsi judicium æquitati consentaneum ferre velint, illud procul dubio expendere debent, utrum Clericus A. *jus habeat ad rem, vel in re*, an illud manifestum sit, utrum tandem a Clerico B. injuste divexetur, atque ita causa reducitur ad eadem principia, quæ modo exposuimus, ipsique arbitri fateri cogentur haud licere pecuniæ solutione hanc litem componere.

X. Si, qui consilium hoc dederunt, parumper in jure Canonico versarentur, haud novum, & inusitatum esse deprehenderent ejusmodi arbitros eligere. Alexander III. (3) nequaquam pecuniam in causa Beneficiali solutam improbavit, quam delecti Arbitri constituerant. Insuper Canonum interpretes (4) docent æquum esse Laudum ab Arbitris præscriptum, si jus pecuniam solventis manifestum appareat; Injustum vero Laudum, si pecuniam solvens omni jure careat. Postremo dubium esse Laudum, & Simoniæ speciem præseferre, si dubium jus obtineat, qui pecuniam erogat. Item tradunt Arbitros accersendos esse ab Episcopo, qui rationes Laudi ab illis exposcere debet, illudque vel probare, vel rejicere juxta leges, quæ a jure Pontificio decernuntur (6).

XI. S. Carolus Borromæus de hac re sapienter, & æquissime judicavit (7) in primo Provinciali Concilio, quod Mediolani celebravit. Sic enim statuit: *Ne redimendæ vexationis specie in Causis Beneficiorum simoniacæ pactiones intercedant, nemini licere volumus ad redimendam vexationem ne in casibus quidem jure permissis pecuniam dare, quidquamve pacisci, aut transigere, nisi Episcopi consensus accesserit. Cujus partes erunt, & perspicere diligenter, an subsit aliqua fraus, & ubi rem fraude carere, & jure permissam esse cognoverit, non denegare ei, qui petierit, facultatem se a vexatione liberandi*. Hæc habuimus, quæ tibi &c.

## INSTITUTIO XCIV.

*Epistola encyclica Vicariis Foraneis, & Parochis Urbis, ac diœcesis. Facultatem inesse Episcopo cogendi Parochos, & Ecclesiæ Rectores, ut suis impensis plures administros auxilio sibi accipiant, ubi unus tantum minime sufficiat ad fidelium confessiones excipiendas. Non esse immunem a gravi culpa eum Sacerdotem, qui semel probatus ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum, deinde (postquam desiit facultatis acceptæ designatum tempus) recusat confessarii munus exercere, ne cogatur ad novum examen accedere.*

1. DIE 26. Septembris anno proxime elapso 1738, Institutionem promulgavimus, ut omnes intelligerent susceptum a nobis consilium in eligendis Confessariis in Civitate, ac diœcesi; ac potissimum notum fecimus, facultates audiendi confessiones, quæ certis limitibus concludi solent, nec unquam anni spatium excedunt, antequam prorogentur, novum examen a nobis indici posse Sacerdotibus, quibus præscriptum tempus ad confessiones audiendas absolutum jam fuerit.

II. Confessarii quidem Regulares, ac Sæculares Urbani justis nostris paruerunt. Nam peracto tempore ad novum examen accesserunt, in quo ratio semper a nobis habita fuit virorum doctrinæ laude præstantium. Quippe eumdem morem, atque institutum cum illis servavimus, quo Romæ in examen vocari solent Præsules, qui in præcipuis Reipublicæ muneribus vitam cum laude insumpserunt. Illi cum ordines expetunnt, honoris causa ad reliquos examinandos designantur.

III. Insuper Confessarii ferme omnes in diœcesi præsto fuerunt ad examen subeundum, postquam ad finem statuti temporis facultas audiendi confessiones pervenit. Quippe nos Bononiam convenerunt, ubi singulis feriis sextis nos ipsi Clericos ordinandos examinamus, vel præsentes interfumus, dum ab aliis examinantur. Quod si causa administrandæ Confirmationis, aut ob aliam rationem brevissimæ rusticationis Urbem deserimus, & varias diœcesis partes pervadimus, idem institutum retinemus. Quod pro certo habentes diœcesani Confessarii eo venerunt pro confirmanda facultate, ubi versabamur, quos statim examinatos dimisimus. Profecto nunquam ex Civitate pedem proferimus, nisi antea locum, quo tendimus, patefaciamus, & finitimos hortemur, ut, si opus fuerit, nos conveniant, & pro certo habeant, statim post examen a nobis esse dimittendos.

IV. Attamen nonnulli ex Confessariis diœcesanis, quibus ea facultas *ad annum* permissa fuit, cum novum examen post id tempus proponi sibi intelligerent, confessiones fidelium excipere omiserunt, neque deinceps hoc se perfuncturos munere polliciti sunt. Quod etiam gravius est, nonnulli ex diœcesanis Parochis illis plurimum suis sermonibus, aut scriptis suffragantur, eosque communi approbatione dignos prædicant. Cum enim (inquiunt) Pœnitentiæ Sacramentum absque ullo emolumento gratis administrent, alienum prorsus videtur ipsos cum magno incommodo ad novum examen accersere, cum vix anni spatium peractum fuit. Quod si necessarium id videatur, aliquem in diœcesi constitui posse, qui eos examinet, & cui deinde fides ab Episcopo præstetur; postremo, si illi Presbyteri administrare recusent Pœnitentiæ Sacramentum, ad quod munus suscipiendum nullius potestate adduci queunt, populum necessariis ministris brevi carituram esse, qui fidelium confessiones excipiant; cum solus Parochus universum populum confitentem audire, & expiare nequeat.

V. Intelligimus sane quo tendat hæc oratio, videlicet, ut aliqui Sacerdotes a novo examine liberentur, aut pro ipsis rursum examinandis judices in diœcesi statuantur, a quibus res gravissimi momenti consulto fortasse peragatur, quod nullo unquam pacto concedemus. Quamobrem satis esset, si propositum antea consilium improbemus, & res a nobis decernendas, reliquis vero parendum esse affirmemus. Attamen, ut qui ita scribunt, aut dictitant suam ignorantiam clare dignoscant, hæc pauca subjicimus.

VI. Po-

(1) *Part. 2. Summ. tit. 1. cap. 4. in fin. § 2.* (2) *Quæst. cit. 100. art. 2. respons. ad quintum argument.*
(3) *Cap. non sine de Arbitris.* (4) *In cap. idem non sine de Arbitris.*
(5) *Fagnanus in eodem cap. Non sine a num. 3. ad 9. sub tit. de Arbitris.* (6) *Part. 2. Constitut. c. 11.*

VI. Ponamus primum in Parochias detrimentum aliquod reipſa dimanare, ſi Sacerdotes aliqui confeſſiones audire prætermittant, cum ſolus Parochus toti populo ſatisfacere nequaquam poſſit. Id (inquam) ponamus; nam merito ſuſpicari poſſumus rem plus æquo amplificari, & plurimum exaggerationis in hoc negotio intercedere; ſed aliquod revera detrimentum interveniat, utrum remedium aptari queat, & cujuſnam auctoritate id fieri debeat, expoſcimus. Equidem remedium præſto eſt, ſi alios Sacerdotes deſignemus, qui ad confeſſiones audiendas idonei procul dubio a nobis reperientur, & qui per anni ſpatium percurrentes ea, quæ ad novum examen neceſſaria putantur, illud ſubire, cum opus fuerit, minime detrectabunt. Ad Parochum ſpectat, ſi populo ſuo nequit ſufficere, diligenter conſulere, ne populus ipſe detrimenti aliquid capiat. Epiſcopus autem cogere Parochum debet, ne huic muneri deſit, & ne tot Sacerdotes accire prætermittat, quot pro adminiſtrandis Sacramentis, aliiſque Parochiæ ſuæ muneribus obeundis neceſſario requiruntur.

VII. Id apertiſſime decernit Tridentina Synodus, quæ volumen efficit haud quidem magnæ molis, aut prætii, ſed ita præclarum, ut ſi Presbyteri per anni ſpatium illud lactitarent, neque ineptias ipſi proponerent, neque ſtomachum nobis in iis audiendis moverent: *Epiſcopi etiam* (habet eadem Synodus (1)) *tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati; in omnibus Eccleſiis Parochialibus, vel Baptiſmalibus, in quibus populus ita numeroſus ſit, ut unus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum.* Ea verba, *vel alios, ad quos pertinet*, Parochianos indicant, qui ſuppeditare debent neceſſaria iis, qui Sacramentis adminiſtrandis occupatur, cum ſolus Parochus id præſtare nequit, & reipſa tenuem ex Beneficio proventum deſumit. Id ſtatuit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii Interpres die 16. Aprilis anno 1639. (2): *Sacra &c. cenſuit, ſuppoſita numeroſitate populi, & tenuitate redditUum Prioratus, cui annexa eſt cura animarum, cogendum eſſe ipſum Priorem ſibi adjungere pro adminiſtrandis Sacramentis, & cultu Divino peragendo, Sacerdotem, eique ſubminiſtranda eſſe per populum ad vitam ſuſtentandam neceſſaria.*

VIII. Paupertatis nomen, quod ceteris omnibus triſtitiam afferre conſuevit, Parochis fortaſſe cauſam exhibet voluptatis. Nam ſinguli ex ipſis ad pauperratem comprobandam præſto ſunt, & facile intelligunt prorſus arduum videri, populum adducere, ut pro inſolitis expenſis, licet exiguis, pecuniam conferat. Quare nonnulli falſo conjicient hac ratione ſuſceptum conſilium defendi poſſe, & prodeſſe plurimum Sacerdotibus, quibus facultas audiendi confeſſiones ſemel permiſſa fuit, ut abſque novo examine facultas eadem prorogetur, vel idem examen nobis remotis in diœceſi decernatur, ob eam nempe cauſam, ne populus neceſſariis miniſtris deſtituatur.

IX. Sed toto cœlo aberrant, qui hæc ſecum deliberant. Populo notum fiat, tam rudem, & ignarum eſſe Parochum, ut novum Sacerdotem, qui Confeſſarii munus exerceat, invenire deſperet, poſtquam alius Confeſſarius id facere recuſavit; notum fiat a capſulis in Eccleſia collocatis ſuppeditari nequaquam poſſe ſtipendium Miſſæ Sacerdoti conferendum, qui ad confeſſiones audiendas acceſſerit. Palam evulgetur in tanta paupertate verſari Parochum, ut nullum omnino charitatis officium rependere queat Sacerdoti, qui miniſtrandis Sacramentis, & peragendo Divino cultui comes adjungitur, ideoque ſtatuendum eſſe omnino tributum aliquod Parochianis, quo malum ejuſmodi de medio auferatur. Si hæc fiant, procul dubio quid certi, incertique Parochus ex Beneficio conſequatur, perſpicuum erit; quin liber accepti, expenſique proferetur, & teſtimonia jurejurando confirmata elicientur. Cognitum ita fiet plurium vocibus, Cappellanum ſive Adminiſtrum a Parocho ſuſtentari commode poſſe, quod tamen ab ipſo negligitur; a capſulis Eccleſiæ certiſſime præberi Miſſæ ſtipendium iis diebus, quibus alius Sacerdos ad populi Confeſſiones excipiendas accerſetur: neque his tantum limitibus populi querimoniæ concludentur. Inſuper affirmabunt nihil ex ſuo patrimonio Parochum poſſidere, quod inconſulto Epiſcopo ſuis conſanguineis dimiſit, cum Parochiam conſequutus eſt, licet ejuſdem Patrimonii titulo ſacros Ordines ſuſceperit. Illud quoque afferent Beneficii proventus infumi, ut ſoror ipſa Parochi, frater, frattiſque uxor, ac nepos ſuſtententur, qui ſuis laboribus, atque induſtria vitam tueri deberent, quæ ſane expentiæ ſi detrahantur, cum ad Eccleſiam minime pertineant, ſi etiam cumulandæ pecuniæ pro conſanguineis minuatur deſiderium, ſupereſſe pluſquam oporteat Sacerdoti, qui ſuam operam Parocho impendit, eumque graviſſima cura animarum valde ſublevat, licet (ſi generatim rem perpendamus) ad eam provinciam ferendam nullo modo teneatur; ſupereſſe, inquam, plurimum prædicabunt, cum præſertim certum ſit nonniſi exiguum aliquid erogandum eſſe pro eodem Sacerdote, ſi Miſſæ ſtipendium non deſit.

X. Diuturna experientia ſatis cognoſcimus indolem, & naturam eorum, qui in civitate, ac diœceſi verſantur. Quare facili conjectura perſpicimus finem denique ſtatuendum querimoniis ob eas rationes, quas paulo ante commemoravimus. Illi certe Parochi, qui Sacramentis miniſtrandis, & Divino cultui celebrando ſe prorſus impares dictitabant, aut tacendi conſilium capient, aut etiam libere fateri non dubitabunt, ſe nullis adminiſtris indigere, ſuaſque vires ſufficere, ut totam deinceps provinciam ſuſtineant; item parvi momenti eſſe, ſi Parochia careat iis Sacerdotibus, qui pro confeſſionibus audiendis deſignati fuerant; cum illi præſertim ad Eccleſiam raro accederent, neque horæ dimidium inſumerent in expiandis fidelibus qui ad Pœnitentiæ Sacramentum confluerent. At vero, ſi oratio noſtra nuper excitata diffidia compoſuit, nobis tamen inquirendum ſupereſt, cur illi, qui confeſſiones audierunt, donec limites temporis a facultate noſtra præſcriptos attingerent, cur, inquam, prorogationem expoſcere prætermiſerint.

XI. Equidem ex ea parte diœceſis, quæ in montibus ſita eſt, delatæ ſunt querimoniæ, videlicet, haud mediocre detrimentum inferri populo, eo quod Sacerdotes aliqui priſtino Confeſſarii munere fungi recuſent. Inde conſilium nobis tacite ſuppeditatum fuit, ut rem diſſimulemus; ne examen novum, ſaltem nobis præſentibus, indicamus iis Sacerdotibus, qui ad confeſſiones excipiendas ſemel probati fuerunt, licet definitum ipſis tempus jam præterierit. Quapropter præcipimus Vicariis Foraneis Baragozzæ, Barbaroli, Bazzani, Calvenzani, Capraræ, Cavennæ, Guzzani, Lizzani, Monbidoræ, Montiſcereris, Montis S. Joannis, Montiſveglio, Monzuni, Panini, Pianori, Pini, Pitigliani, Roffeni, Salvari, Sambri, Samoggiæ, S. Laurentii in Collina, Venolæ, Verzuni, Zenæ, diligenter explorare, quiſnam ex Parochis ſibi ſubjectis Cappellanum adminiſtrum habeat, & quis illo careat. Inſuper inveſtigent accuratiſſime, utrum revera populus detrimentum capiat, eo quod alius Sacerdos ad confeſſiones audiendas Parocho non adjungatur; de quibus omnibus nos fideliter admoneat datis ad Cancellarium noſtrum Archiepiſcopalem litteris intra ſpatium menſis Julii proxime ineuntis; illudque in fine literarum ſuperaddent, utrum ipſi quoque pro conferendis populo Sacramentis novis Miniſtris indigeant. Supervacaneum ducimus eoſdem Foraneos Vicarios hortari, ut quam primum juſſis noſtris ſatisfaciant, & nihil a veritate alienum nobis exhibeant. Nam rei magnitudo, & gravitas ad hæc præſtanda ſatis exſtimulare debent ipſorum animos, qui perpendant etiam oportet, Vicarii rationem, ac munus in hoc poſitum eſſe præ ceteris, & collocatum.

XII. Faciſſime quidem Sacerdotum nomina ſcire poſſumus, qui pro audiendis Confeſſionibus facultatem acceperunt, & nunc peracto tempore fidelibus idem Sacramentum adminiſtrare renuunt, cum Cancellarius noſter Confeſſarios omnes in acta referre, atque adnotare diligenter conſueverit. Illud tamen incertum nobis eſt, in qua Parochia commorentur, cum ipſi libere ſedem immutent, & varias diœceſis partes ad libitum pervadant. Quapropter ſinguli Parochi hujus diœceſis juſſu noſtro moneant quoſcumque Sacerdotes intra ſuæ ditionis fines conſtitutos, qui aliquando ad Confeſſiones audiendas probati fuerint, & inde munus ejuſmodi deſeruerint, ipſos, inquam, moneant, ut nos conveniant intra menſem Auguſtum proxime ineuntem, & pœnam ſuſpenſionis a divinis coram Notario Foraneo, ac duobus teſtibus, illis indicant, niſi obtemperaverint; cujus rei certum, obſignatumque documentum ad Cancellarium noſtrum tranſmittant, priuſquam menſis Julius elabatur. Parochis autem urbanis præcipimus accurate perquirere, an diœceſani Sacerdotes in ſuis Parochiis verſentur, ipſorumque nomina ad eumdem Cancellarium deferre, qui

(1) *Seſſ. 21. de Reformat. cap. 4.* (2) *Lib. 16. Decretor. pag. 190.*

qui Confessariorum indicem percurrens statim deprehendet, an inter illos recenseantur, qui olim confessiones audiverint, piumque hoc institutum postea dimiserint. Ipse Cancellarius a nobis intelliget qua ratione iisdem Sacerdotibus præcipiendum sit, ut nostrum in conspectum veniant.

XIII. Ne vero hi Sacerdotes imparati ad nos accedant, pro certo habeant, quod primum a nobis sedato, compositoque animo probabitur; nobis facultatem inesse Confessarios in examen vocandi, cum præscriptum tempus audiendi confessiones præterierit; secundo, jure quodam, & muneris quoque nostri ratione nos adduci, ut examen coram nobis indicamus; id autem incommodo, ac molestia aliqua non carere, quam tamen libenter perferimus, ut gravissimo muneri, quod nobis impositum est, pro tenuitate nostra satisfaciamus; tertio, hoc consilio, atque instituto optimis semper Confessariis diœceseos affluxisse, quibus olim caruerant; tandem in peragendis examinibus humanitatem cum sermonis, ac rerum perspicuitate conjunctam semper nos præstituros. Etenim non ignoramus a Sacerdotibus, qui oppidanis tantum Pœnitentiæ Sacramentum administrant, non exigendam esse eamdem doctrinam, quæ necessario requiritur in iis, qui in civitate quoddam veluti Tribunal aperiunt, ubi de gravioribus causis judicium ferendum est. Verum, ut uno verbo omnia complectamur, in medium proferemus ea potissimum, quæ in LXXXVI. Institutionem congessimus, quam si aliqua ex parte velint impugnare, per nos licebit. Quippe parati sumus absque ullius præsidio universa, quæ in eo loco proposuimus tueri, atque defendere.

XIV. Neque sane persuadere nobis possumus ab ejusmodi Sacerdotibus dimitti confessiones audiendi provinciam ob eam rationem, quod mentem assidua studiorum exercitatione debilitaverint, ut Gobatius (1) accidisse commemorat. Qua de re facile offendemus, ipsos ab hoc munere desistere, eo quod novum coram nobis examen subire recusent. Equidem affirmare nequeunt se impares esse huic oneri ferendo, cum ipsum antea sponte sibi depoposcerint; nec ullo modo ipsum declinarent, si facultatem iis primo concessam absque ullo coram nobis examine prorogaremus. Neque pro excusationis causa afferre queunt, aut debilem valetudinem, aut locorum distantiam. Tum quia cervis ipsis velocitate comparantur, & longa satis itinera suscipiunt, ut illas Ecclesias adeant, in quibus pro Defunctis Officia celebrantur; tum quia plerique ex ipsis ad examen venire renuerunt, cum in illorum Parochiis versaremur; idque tunc dissimulavimus, quia necessariis Ministris carere populum nondum ad nos pervenerat. Postremo, quia Bononiam frequenter veniunt, cum illis, voluptatis causa, libuerit, vel ut privatis negotiis suis operam impendant. Immo inter eos aliquis, dum Bononiæ moraretur, incitatus ad examen accedere, libere respondit, nolle se deinceps in confessionibus audiendis tempus insumere.

XV. Illud pariter demonstrabimus gravi culpæ obnoxios esse, si Fideles rite confitentes excipere prætermittant, ne iterum examini subjiciantur. Quæstionem illam missam facimus, utrum, si nulla alia causa interveniat, revera teneantur ad novum examen venire, & Confessarii munus retinere; & facile ipsis concedimus tria postulari, ut aliqua omissio cum peccati labe conjungatur. Primum, quod rem omissam perficere quis potuerit; secundo, quod rem eamdem genere debuerit; tertio, quod illam omnino prætermiserit. Attamen illud exposcimus, an actio, quæ ex natura sua bona est, in malam converti, & labem admittere possit ob nefarium finem, quo suscipitur, aut omittitur (quod proculdubio de omissione indifferenti rei cæteroquin bonæ dicendum est). Id vero affirmandum ab ipsis certissime putamus, cum in hanc opinionem unanimes Theologi consentiant (2). Cum hæc ita se habeant, ipsorum sententiam, ac verba serio perpendamus: *Ego confessiones audire fidelium recuso, quia meum non est ad novum examen accedendi coram Episcopo, quo si immunem, ac liberum ipse me faceret, susceptam antea provinciam retinerem.* Quæ quidem propositio hoc pacto intelligenda, & explicanda est: *Confessarii munus in posterum respuo non ullo quidem scrupulo, aut religione adductus, sed quia inanis superbia ad novum examen me venire haud permittit, aut etiam ob eam causam, quod antea post exercitationem ad confessiones audiendas probatus, deinde nullum aliud volumen præter Breviarium, ac Missale in manibus habui, ut nempe, Sacrum facerem, & Canonicas horas persolverem. Nunc vero mecum constitui libris omnibus nuncium mittere, illudque experiri, si forte contingat absque novo examine Confessarii facultatem mihi prorogari. Nam satis erit, si fideles inter confitentes, neque ipsum nulla difficultas interponatur, & supervacaneum prorsus est ab aliis indagari, utrum lepram a lepra probe secernam, utrum crimina Pontifici, vel Episcopo reservata bene noverim, utrum fideles ipsos examinare, dum peccata confitentur sua, didicerim, qua tandem ratione illos excipiam, qui proxima peccandi occasione, aut prava aliqua consuetudine detinentur.* Cum opiniones, causæque ejusmodi proculdubio nefariæ sint, nemo erit communi sensu adeo destitutus, qui non intelligat in grave scelus prolabi eum miserum Sacerdotem, qui licet necessario Confessarium agere non debeat, tamen hoc pio munere perfungi declinat ob superbiam, quæ ipsum accedere ad novum examen prohibet, aut ob timorem, ne ipsius ignorantia, atque imperitia ad gerendum gravissimi momenti negotium detegatur, quod tamen ille nequaquam dimitteret, si celari aliqua ratione malum posset, quo ejus animus labefactatur.

XVI. Postremo, si post responsa a Vicariis Foraneis reddita intra temporis spatium, quod superius præscripsimus, fortasse deprehendamus falsum esse, quod palam evulgatum fuit, nempe, Divinum cultum imminui, eo quod nonnulli Sacerdotes a confessionibus audiendis recesserint, si, inquam, falsum id esse cognoscamus, Sacerdotem, qui causa evitandi examinis Pœnitentiæ Sacramentum administrare desitit, serio admonebimus, ut æternæ saluti consulat, certoque sciat, se esse magno in discrimine constitutum. At vero si cognitum, perspectumque fiat alicujus Sacerdotis causa, qui audire Confessiones recusat, uti prius consueverat, necessario in aliqua Parochia novos administros requiri, qui populum rite confitentem excipiant, curamque animarum non mediocriter labefactari, tunc Sacerdotem, qui prisinum Confessarii munus in eo loco deposuit, præcepto adigemus, ac pœnas nostro arbitrio statuendas irrogabimus, nisi dicto obediens fuerit, præcepto, inquam, adigemus, ut in examen veniat, susceptumque antea confessiones audiendi pium institutum exerceat, donec alius Sacerdos idoneus, minusque pervicax pro Sacramentis administrandis sufficiatur. Si quidem plane intelligimus momento temporis haud ita facile inveniri Sacerdotem posse, qui in remotas diœceseos partes se conferat ad expiandum populum Pœnitentiæ Sacramento; neque ita facile constitui potest, ac decerni stipendium, quod Parochus, aut Populus eidem Sacerdoti debet impertire; nisi forte aliquis tam ardenti charitate incensus sit, ut sponte hoc onus sibi desumat.

XVII. Attamen, ut omnes clare percipiant, gravissimis rationibus nos moveri, ut hoc pervicaci Sacerdoti præcipiamus, pauca aliqua subjiciemus. Siquidem consulto semper agere nobis libet maxime, idque certum esse omnibus, ac manifestum volumus, non temere, sed tutissimo jure a nobis res administrari. Itaque pluribus ex causis conferre populo Sacramenta præcepto tenemur, primo ob munus, quod gerimus, sive ob justitiam; idque Parocho, certisque animarum Rectoribus convenit, qui populum suum confitentem audire debent, aut per alium populo satisfacere, quoties ipse deposcat (3); secundo, ob charitatis leges, cum aliquis in mortis discrimen versatur, aut aliud simile contigerit, & nullus adest, qui Pœnitentiæ Sacramentum administret; tertio, obedientia cogi possumus, cum Episcopus ob graves, ac legitimas causas Sacerdoti indicit, ut populi confessiones excipiat (4). Hac postrema ratione, tanquam basi, præceptum innititur. Quippe, licet immerentes, huic civitati, ac diœcesi præpositi sumus. Insuper, cum Sacram Ordinationem institutimus, obedientiam nobis Sacerdotes polliciti sunt. Tandem præcepti hujus æquitatem, & causam in dubium revocare nemo potest, quod certis solum temporis limitibus concludimus; nempe, donec alius Sacerdos subrogetur.

XVIII. Id sane clarum satis videtur, quod tamen, si opus sit, exemplo magis declarabimus. Inquiri solet, an Sacerdos, qui neque animarum cura, nec ullo Beneficii titulo præditus, nec ullum stipendium accepit, Sacrum tamen facere debeat singulis diebus festis, an solum, cum solemniores dies

(1) *In sua Theologia Experimentali tract. 3. cas. 16. ub. n. 486.*
(2) *S. Thomas 1. 2. quæst. 18. art. 5. ad 4., & quæst. 19. art. 7. ad secundum*
(3) *Barbosa de Offic. & Potest. Parochi cap. 19. num. 8.* (4) *Suarez in par. 3. S. Thom. 3. quæst. 65. art. 4. disput. 26. sect. 4. §. Dico tertio, & in eadem part. 3. S. Thomæ tom. 4. disp. 32. sect. 1. in principio Card. de Lugo de Sacram. Pœniten. disp. 22. sect. 1. in principio.*

dies celebrantur. Id vero plures affirmant, plures quoque inficiantur. De hac quæstione fusius alio loco verba faciemus, cum proxime ineunte anno novam lucubrationem typis evulgabimus. Interim satis sit indicare, quod Theologi, qui in hac re varietate opinionum dissentiunt, unanimes tamen asserunt Sacerdotem, qui nec animarum curam, neque Beneficium, neque stipendium obtineat, rem divinam operari debere, cum necessitas id postulaverit, veluti si die festo aliqua Parochia sacrificio careret, eo quod pars populi celebranti Parocho interfuerit, reliqua vero satisfacere præcepto nequeat, quia tantæ hominum multitudini Ecclesia satis non fuerit. Item, si Divinam Eucharistiam graviter ægrotantibus administrari oporteat, nec præsto sint Sacræ Particulæ, & Parochus Sacram jam confecerit. Insuper communi assensu fatentur iidem Theologi posse Episcopum, si animarum salus id requirat, præcipere peculiaribus Sacerdotibus, ut Sacrum Deo operentur illis etiam diebus, quibus id facere nulla ex causis modo expositis intercedat. Passerinus (1) accurato studio rem pertractat: quamobrem, si Episcopus Sacerdotem præcepto cogere potest, ut aliquando auctoritatem suam in verum Christi Corpus exerceat, qua ratione indicere nequeat eidem Sacerdoti, ut in mysticum Christi Corpus auctoritate sua utatur, cum id causa aliqua postulaverit, ea conditione interposita, ut prius ad novum examen accedat?

XIX. Jam animi nostri sententiam aperte patefecimus. Illud superest ingenue quoque admonendum, priusquam acciti Sacerdotes nos conveniant, utrum pœna, quam nostro arbitrio decernendam contra pervicaces indicavimus, suspensionem *a divinis* complecti possit: quod a veritate alienum minime perspicimus, ut hoc pacto incommodum ipsis minuamus, quo ad remotiores Ecclesias se conferunt, ubi pro Defunctis Officia indicta fuerunt, cum tam difficile, ac molestum existiment Bononiam venire, aut in eam partem diœcesis, ubi versamur, ut a nobis examinentur.

XX. Deliberatum a nobis fuerat inquirere, quænam Parochiæ in montibus sitæ novis administris ad confessiones audiendas indigerent; ideoque Vicarios Foraneos eorum locorum solum nominavimus, ex quibus potissimum ad nos usque querimoniæ devenerant. Sed quoniam non immerito suspicamur idem quoque consilium ab illis Diœcesis Oppidis suscipiendum, ideo præcipimus reliquis omnibus Vicariis Foraneis Diœcesis, ut intra spatium temporis antea præscriptum idem perficiant, quod Vicariis Foraneis in locis montium constitutis gerendum proposuimus.

## INSTITUTIO XCV.

*Epistola Vicario Generali reddita. Utrum Simoniæ labes inuratur ei, qui Beneficium Ecclesiasticum constituit eo jure, ut ipse, quoad vitam agat suam, deinceps ejus consanguinei fructus percipiant. An ad id perficiendum Sedis Apostolicæ auctoritas intercedere debeat. Utrum Simoniæ macula careat is, qui divitiis auget Canonicatum jam fundatum, ea tamen ratione, ut ad eumdem obtinendum nominetur. Utrum, qui Jure patronatus Beneficii præditus sit, Beneficium idem in se conferri possit petere, & quo pacto.*

I. QUidam Ecclesiasticus Beneficiis obtinendis idoneus novum ex suis bonis instituere Beneficium exoptat, ea tamen interposita conditione, ut sibi primum, ac deinde post ejus mortem quibusdam consanguineis *jus nominandi* tribuatur. Illud pariter adjungit, se primum hoc Beneficio frui velle, atque Episcopo ob eam causam seipsum præsentare, a quo debeat omnino ad Beneficium admitti. Cum nos heri vespere convenires id nobis proposuisti, & accuratum studium te collaturum pollicitus es, ut rem totam examinares. Nos etiam post sedulam ipsius rei disquisitionem judicium, ac sententiam nostram feremus.

II. In Jure Canonico cap. *Tua nos*, *de Simonia* illud inquiritur: *Si aliquis alicui Ecclesiæ de bonis suis quædam obtulerit, petens, ut in vita sua sibi liceat eadem bona in ipsa Ecclesia pro Præbenda tenere, an bona recipi debeant sic oblata, & idem Clericus assumi valeat in Canonicum ejusdem Ecclesiæ absque vitio Simoniæ.* Summus autem Pontifex his verbis responsum facit: *Nos igitur devotioni tuæ taliter respondemus; quod si quis Clericus cum conditione, vel pacto largiatur, vel offerat bona sua, ut illa postmodum pro Præbenda retineat, & ut in Canonicum admittatur, hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio Simoniæ, cum in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debeat juxta Canonicas sanctiones; si vero pure, & sine pacto, & conditione qualibet offerat bona sua, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona ipsa retinere sibi liceat pro Præbenda, & Clerici ejusdem Ecclesiæ pure consentiant, hujusmodi receptio procul dubio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis.*

III. Præclarus vir Fagnanus *in Cap. Idem*: *Tua nos*, *num.* 4. *de Simonia*, hoc pariter sibi accidisse commemorat: *Cum quidam Clericus non ita pridem sua bona patrimonialia contulisset pro erectione Archipresbyteratus in Cathedrali Ecclesia, cum reservatione Juris patronatus, eo pacto adjecto, ut posset seipsum præsentare, & non alias; consultus ab eodem Clerico respondi, erectionem, & institutionem inde secutam fuisse simoniacam, & nullam per hanc Decretalem, & opus esse novæ erectione Sedis Apostolicæ, quam postea idem Clericus impetravit a Sanctissimo D. nostro Urbano VIII. ex præsentatione enim acquiritur præsentato jus spirituale ad Beneficium obtinendum, & Episcopus potest compelli ad instituendum.* Huic sententiæ Piringhius, Cabassutius, & Azorius unanimi consensu subscribunt (2).

IV. Recens autem Nicolius (3) tradit sententiam a Sacra Congregatione Concilii promulgatam anno 1686., ob quam rejicitur, & improbatur, tanquam Simoniaca, conventio a quodam viro proposita, qui augmentum dotis Canonicatus de Jurepatronatus Laicalis pollicebatur, adjecta ea lege, ut ad eumdem Canonicatum a Patronis deinde nominaretur. Eam sententiam ex actis nos ipsi desumsimus, & hoc loco exponendam necessario existimavimus.

*Alexandrina Augmenti Dotis Canonicatus.*

*Vacante a pluribus mensibus Canonicatu in Ecclesia Collegiata Sanctæ Mariæ de Nive Jurispatronatus Fratrum de Mantellis, Sacerdos Thomas Maria Verrus proposuit dictis Patronis, se dicti Canonicatus dotem auxurum fore mediante assignatione cujusdam vineæ, expressa tamen lege adjecta, ut ad eumdem Canonicatum debeat ab illis præsentari.*

*Timens nihilominus, id aliquam simoniæ labem involvere, pro conscientiæ suæ serenitate proposuit infrascriptum dubium, quod auditum, & narratorum veritatem comprobante Episcopo, relatum fuit in proxima Congregatione per modum Summarii.*

*Cum autem Eminentissimi Patres mandaverint, illud in folio adscribi, decernendum nunc superest:*

*An dicta conventio sit simoniaca?*

*Sacra Congregatio Concilii respondit affirmative.*

V. Postremo non ita facile intelligi potest, qua ratione Beneficii Patronus seipsum præsentare queat, cum id vetitum sit *in cap. per vestras*, *de Jurepatronatus*. Siquidem inter præsentantem, ac præsentatum discrimen intercedere debet (4). Itaque cum Beneficii vacatio contigerit, si possidens jus nominandi, illud assequi desiderat, seipsum præsentare nequit, sed poscere ab Episcopo, ut idem Beneficium sibi conferatur, si idoneus satis existimetur, aut in alium transferre debet reipsa jurspatronatum, ita ut jure nominandi in posterum destituatur, idque totum auctoritate Episcopi comprobari oportet. Ita censent præclariores Canonum Interpretes, qui a Pitone recensentur (5). Alio pariter modo res confici poterit, nempe si Episcopus ante omnem *præsentationem* Beneficium Patrono conferat, qui illud accipiat, ac deinde collato Beneficio consensum suum impertiatur. Nam ambitus nota sic impeditur, uti recte Piringhius expendit (6). Hæc vero omnia causæ, quæ initio proposita est, nullo modo conveniunt. Clericus enim ex suis Bonis novum Beneficium erigere deposcit; eam tamen adjicit legem, ut ipse, ac deinde

(1) *Part.* 3. *S. Thomæ quæst.* 28. *art.* 10. *a n.* 19. *ad n.* 2. 3.
(2) *Ad lib.* 4. *Decretal. tit.* 3. *sect.* 6. *num.* 89. *In Theoria, & prax. juris Canonic. l.* 5. *c.* 4. *n.* 4. *Institut. Moral. par.* 3. *l.* 14. *c.* 7. *qu.* 2. (3) *In Praxi Canonicat. tom.* 2. *lit.* §. *n.* 41.
(4) *Cap. final. de Institutionibus.* (5) *In allegat.* 84. *n.* 4. *& seqq. tom.* 2. *controv. Patronor.*
(6) *Lib.* 3. *Decret. tit.* 38. *de jure patronat. sect.* 4. §. 2. *num.* 91.

de consanguinei jus nominandi obtineant ; eam pariter addit conditionem, ut seipsum præsentare liceat.

VI. Hæc potissimum deprehendimus contra Beneficii Institutiones, quam examinamus. Attamen plures aliæ Institutiones nobis occurrerunt conventione interposita, ob quam Beneficii Institutori seipsum præsentare conceditur, idque sine ulla controversia probatum, confirmatumque fuit. Siquidem Fundatores seipsos revera præsentarunt, eosque Episcopi sine ulla hæsitatione ad Beneficium admiserunt. Quæ cum ita sint, facile conjicimus ejusmodi Institutionibus nequaquam inesse gravissimam notam, quam paulo ante exposuimus.

VII. Profecto, si Piringhius, & Azorius juxta Fagnani opinionem superius allatam arbitrantur legitimam, & juri prorsus consentaneam Institutionem, qua Beneficii Fundator filium suum, amicum, aut consanguineum præsentare exoptat, qui fieri potest, ut nulla simoniæ labes in hoc dignoscatur, & tamen ejusdem notæ accusetur Patronus, qui se ipsum præsentare velit. Equidem conventio, ex qua solummodo simonia dimanat, in utraque parte proponitur, & illud etiam aptissime convenit, quod tradit Fagnanus : *ex præsentatione equiritur præsentato jus spirituale ad Beneficium obtinendum, & Episcopus potest compelli ad instituendum.*

VIII. Neque illud magni ponderis haberi debet, quod Beneficii Patronus ambitus culpa vindicari nequeat, si seipsum præsentet, contra vero immunem, ac vacuum omni labe existimari, si filium, amicum, aut cognatum nominet. Quid enim est simoniæ cum ambitu ? Item si ambitus crimine liberatur Clericus, qui vacantem Parochiam eo sibi deposcit animo, ut doctrinam, ac virtutem ostendat suam, ob quam, si reliquis competitoribus antecellat, Parochiam consequatur, quanam ratione accusabitur ambitus, qui seipsum præsentat ad Beneficium animarum cura liberum, quod ipse instituit, ea solum mente, ut Episcopus accurate perspiciat, utrum idoneus ad idem Beneficium videatur, illudque sibi conferatur, seu potius Beneficii Institutio permittatur si necessariis ad ipsum obtinendum meritis exornatus judicetur ? Siquidem hoc pacto intelligitur, aut saltem intelligi debet conventio, quæ interponitur, cum aliquod Beneficium hac lege instituitur, ut Fundatori liceat seipsum præsentare, ipsique debeat Episcopus Institutionem concedere.

IX. Hæ sane rationes animum nostrum magnopere in hac sententia confirmant, tamen ob ingenii nostri tenuitatem adhuc incerti, dubiique fuissemus, cum præsertim Fagnani auctoritas, quam nos plurimi facimus, adversetur, nisi accessisset opinio præclarissimi Canonum Interpretis, qui nuper Romæ diem supremum obiit, quique in jure Canonico, & causis Beneficiorum summa cum laude diutissime versatus est, & plura super his rebus monumenta in lucem protulit, quæ omnium consensu summopere commendantur,

X. De Pitonio (1) verba facimus, quem honoris causa jam superius nominavimus, qui hanc sententiam nostram ob easdem causas tuetur, quas paulo ante commemoravimus. Igitur, quæ contra proposita fuerunt, diluenda suscipiamus. Ac primo *cap. Tua nos, de Simonia*, contrarium nobis minime videtur. Nam qui tunc bona obtulerat petens, ut illa tenere pro Præbenda sibi liceret, & etiam inter Canonicos cooptaretur, haud Canonicatum instituebat, sed tantum Canonicus assumi cupiebat, mutatoque nomine bona sua patrimonialia, tanquam Præbendam retinere, ne forte Canonici ipsum adscribere suo cœtui recusarent, eo quod præbenda careret. Insuper, cum eodem loco nulla mentio habeatur, utrum posteris eadem præbenda superesse deberet, apertissime constat, simoniam tunc implicitam fuisse : contrarium tamen futurum Pontifex testatur, si absque ulla conventione bona sua Ecclesiæ obtulisset declarans illis frui velle tanquam præbenda, eumque Canonici, nulla oblati muneris ratione habita, in suum cœtum recepissent.

XI. At vero pauca de auctoritate Fagnani dicenda sunt, & discrimen statuendum inter illud, quod ipse affirmat, & id, quod gestum fuit. Quod Fagnanus asserit ab omnibus comprobari nequit ob eas causas, quas nuper explicavimus. Id vero, quod peractum tum fuit, adversari nequaquam debet iis, qui contrariam opinionem tuentur. Siquidem nemo ignorat in causis etiam, quæ nullum juris impedimentum continent, si quis tamen anxius, ac sollicitus ad Pontificem pro obtinenda absolutione confugiat, eam facillime concedi, ut scrupulis aditus occludatur, omnique sollicitudine fideles eripiantur.

XII. Qui vero percurrent sententiam sacræ Congregationis Concilii superius allatam, manifestum discrimen agnoscent inter hanc nostram quæstionem, & illam, quæ proposita tum fuit. Etenim nos agimus de Beneficii institutione, quæ sciente, ac probante Episcopo perficitur : agimus de Jurepatronatus retinendo, quæ sane conditio a sacris sanctionibus permittitur, ut fideles ad nova statuenda Beneficia concitentur. Agimus postremo de conditione se ipsum præsentandi, quæ simul cum Beneficii institutione conjungitur, quæ nihil quidem ab æquitate alienum præseferat, uti superius indicavimus. In causa vero Alexandrina Canonicatus institutus jam fuerat : qui pro augmento dotis vineam superaddebat, nullum ejusdem Canonicatus Jurpatronatus sibi comparabat, quod prisino Domino permanebat. Augmentum vineæ absque auctoritate Episcopi decernebatur, & licet ipse rem antea cognovisset, ac probasset, id tamen satis non erat, ut apertissima simoniæ labes evitaretur. Quippe Thomas Maria Verrus sine Beneficii institutione, nulloque Jurepatronatus obtento dotem Canonicatus augebat, & cum Patronis Beneficii conventione agebat, ut se ipsum ad illud nominarent.

XIII. Postremo, quod expositum fuit de discrimine inter præsentatem, ac præsentatum, valet plurimum, cum Beneficium jam institutum est, cujus si vacatio contigerit, sibi ipsi Beneficium Patronus deposcat. Tunc etiam illud discrimen vim habet, cum in Beneficio instituendo adjecta conditio non fuit, ut se ipsum nominare Patrono liceat. Certissimum enim est ab Institutore Beneficii conditiones decerni posse, quæ juri etiam Pontificio repugnent, quas tamen Episcopus admittere debet. Quod si ipse recuset assentiri, certum est, ejusdem dissensionem a Potestate superiore esse supplendam.

## INSTITUTIO XCVI.

*De coma fictitia, & capillorum circulis. Utrum Missa tecto capite sine gravi peccato celebrari possit. Non posse, absque facultate Pontificis Pileolum, & Comas adscititias in celebratione Missæ adhiberi, licet breves sint, & tonsura clericalis appareat. An liceat Episcopis copiam facere Presbyteris, ut comis fictitiis utantur, quo tempore, quave conditione. De forma, & usu hujusmodi circulorum.*

I. CErtissimum putamus velato capite Missam sine peccato celebrari non posse, quod a jure plane decernitur : *Nullus Episcopus* (2), *Presbyter, Diaconus, ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altari assistere, quoniam & Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia : & qui temere præsumpserit, communione privetur.* Tunc autem velatum caput arbitramur, cum pileolum, aut comæ fictitiæ in Missæ celebratione adhibentur, licet ipsæ breves sint, & corona Clericalis appareat : censemus etiam non licere pileolum, & comas ejusmodi gerere, dum Sacrum peragitur ; nisi facultas a Summo Pontifice comparetur.

II. *Nemo audeat* (statuit Urbanus VIII.) *uti pileolo in celebratione Missæ, sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine.* Idem prorsus constituit Sacrorum Rituum Congregatio die 24. Aprilis anno 1626. his verbis: *Facultas concedendi* (3) *pileolum in Missa spectat ad Papam.* Si fidem Scortiæ præstamus, Gregorius XIII. magna cum difficultate Nicæno Episcopo hanc facultatem impertivit (4) : humaniores tamen in hac re fuerunt reliqui Pontifices, qui non solum Episcopis, sed aliis quoque Sacerdotibus hoc privilegium indulserunt, si valetudinis discrimen intercederet : *Sine valetudinis tuæ detrimento celebrare posse non speres.* Deinde hæc conditio adjicitur ; *Si narrata vera sint, super quo conscientiam tuam oneramus* (5). Insuper præcipitur, ne pileolo Sacerdos utatur, *a Præfatione ad peractam Sacram Communionem.* Apud Sinenses non decet nudum, apertumque caput ostendere : quamobrem Paulus V. Missionariis indulsit, dum Sacrum facerent, uti pileo-

(1) *In controvers. Patronat. tom. 2. allegat. 54. num. 14. & seqq.*
(2) *De Consecrat. dist. 1.* (3) *Merat. in Gavant. par. 1. tom. 1. pag. 352. num. 10.*
(4) *Scortia lib. 3. de Missa cap. 4.*
(5) *Sarnell. tom. 1. Epistol. Eccles. epist. 65.*

pileolo, quod tamen ab illo diversum esset, quod familiariter gerere consueverint (1).

III. Non deest inter Transalpinos scriptores, qui affirmet usum pileoli in celebratione Missæ Sacerdotibus concedi posse ab Episcopo, si legitima causa interveniat, eo quod ipsorum civitates minime subjiciantur iis, quæ Romæ a sacris Congregationibus decernuntur (2). Sed is magnopere errat; atque id sine ulla ratione contendit. Insuper, si Canon *Nullus*, etiam Episcopo interdicit in Sacro peragendo pileolum gerere, satis aperte deprehenditur nullam Episcopo facultatem inesse, ut id ceteris elargiatur: *An ergo Episcopus, cui fuit prohibitum a Papa, secum ipse, & cum aliis dispensabit?* inquit Gavantus (3), qui verbis iisdem utitur, ut contrariam opinionem diluat. Idem Gavantus verum effatum ex jure Canonico desumptum indicare non prætermittit, quod etiam a Persico statuitur (4), nempe Episcopo non licere seipsum, aut alios ab ea lege dissolvere, quæ ipsi indicitur.

IV. At vero, si usus pileoli absque Pontificis facultate in Missæ celebratione prohibetur, idem de comis fictitiis asserendum est, licet breves sint, & corona Clericalis pateat. Non ignoramus contrariam sententiam ab aliquibus defendi, si legitima causa, & facultas Episcopi non desit, ob eas potissimum causas, quas Raynaudus (5) commemorat: *Cum unum moraliter faciat cum capite a coma nativa internoscatur, contra quam accidat in calantina, sive pileolo.* Pasqualigus addit (6) appositas comas, si a naturalibus nequaquam discrepent, nihil indecorum præseferre, si in celebrando Missæ Sacrificio adhibeantur. Quippe conceditur illas gerere coram Summo Pontifice, ac Regibus, quorum dignitas, ac majestas requirit, ut pileolo caput detegatur. In eadem sententia Thiers quoque versatur (7). Illam tamen veluti falsam, ac nulla ratione corroboratam post accuratum examen improbavit peculiaris Congregatio Romæ coacta (8), quæ Legatos Apostolicos in frigidissimis etiam regionibus immorantes admonuit: *Non esse mentem Sanctitatis Suæ, quod Nuntiis Apostolicis, aut Episcopis liceat licentiam Sacerdotibus concedere ejusmodi comas, in actu celebrationis gestandi.* Huic vero sententiæ potentiores etiam Germaniæ Episcopi parere minime detrectarunt (9).

V. Cum in hanc Sedem pervenimus, satis perspectum habebamus vetitum esse omnibus, qui Sacris Ordinibus initiantur, & Clericis etiam Beneficio præditis comas ejusmodi nullo loco gerere, quod liquido constat ex dissertatione, quam nos ipsi confecimus, ac typis evulgavimus, cum Melphitana causa proposita fuisset in Sacra Congregatione Concilii, ubi Secretarii munere fungebamur: non ignorabamus, si Clericis Beneficio ornatis, aut Sacros ad ordines assumptis comas appositas omnino interdicat Episcopus, ejus auctoritatem a Sacris Congregationibus confirmari, uti Melphitano Episcopo contigit, qui Decretum ejusmodi in lucem ediderat. Nam cum in dubium, ac disceptationem adduceretur, S. Congregationis judicio firmatum id, probatumque fuit die 8. Augusti 1722. cum nos Secretarium ageremus. Illud pariter cognitum nobis erat Decretum a Clemente XI. fuisse, ne Canonici, Beneficiis præditi, cæterique ad chorum pertinentes divinis laudibus interessent ejusmodi comis (10); idque mandatum executioni nos ipsi vidimus in Vaticana Basilica, ubi per plures annos Theologalem Præbendam obtinuimus. Postremo, cum munus gessimus Canonum Interpretis in Romano Concilio, quod Benedictus XIII. de nobis optime meritus coegit (11), non quidem statuit eadem fictitias comas quocumque in loco vetitas fuisse Clericis. Attamen intelligentes idem Clericis, ac Sacerdotibus interdictum fuisse a Synodo Cardinalis Jacobi Boncompagni Decessoris nostri (12); *Nisi ex causa nobis, vel Vicario nostro cognita indulgendum ad tempus arbitrabimur*, ea de causa noluimus ejusmodi comas universis prohiberi; privilegium illas gerendi concessimus iis, qui peterent, & legitimam causam afferrent; neque secuti sumus Cardin. Hieronymi Grimaldi Archiepisc. Aquisextiensis sententiam, cum facultatem gestandi comas appositas alicui Sacerdoti tribuebat: *Visa attestatione Magistri Doctoris Medici, quapropter vertiginis, quæ patet incommoda, unde nisi de opportuno provideatur tibi remedio, etiam mors forte consequeretur, cæsaries tibi opus esse statum fecit* (13). Illud solum indiximus, ut fictitiæ comæ modestiam, atque honestatem præseferrent; nihil etiam novi constituimus, in eos qui ad divinas laudes celebrandas in chorum conveniunt. Postremo declaravimus haud situm esse in potestate nostra concedere, ut in Sacro conficiendo pileolum, aut comæ fictitiæ deferantur; permisimus tamen uti capillis in gyrum compositis, dum Missæ celebrantur (14).

VI. Hac tamen lenitate nostra nullum fructum consecuti sumus, quin etiam detrimentum aliquod ex ipsa dimanavit. Ita contingere soleis, qui nummos licet optimos proferunt in iis locis, ubi nullo in pretio habentur. Profecto aliqui comas fictas sine Episcopi facultate sibi tribuerunt: alii vero facultate comparata eas sibi comas aptarunt, quæ non valetudini suffragentur, sed animi levitatem ostendant. Quod tamen gravius est, aliqui per dies magis solemnes Missam privatim, aut solemniter etiam, comis ejusmodi nequaquam depositis, celebrarunt, & nunc idem pariter institutum retinere non dubitant. Coronam solum patentem exhibent, atque ita fictitias comas cum capillis in gyrum aptatis consultu permiscent.

VII. Quapropter hanc Ecclesiæ disciplinam Clero nostro restituere oportet, ne muneri nostro deesse videamur. Igitur statuimus, ne ullus Clericus, licet prima solum tonsura, sed Beneficio præditus, cæterique omnes sacris Ordinibus initiati comas fictitias gerant, nisi scriptam a nobis, aut Vicario nostro generali facultatem antea impetraverint: Parere recusantes iisdem pœnis obnoxios esse volumus, quæ in Synodo decessoris nostri in pervicaces ejusmodi sanciuntur. Abrogamus etiam quascumque facultates, quæ voce tenus expressæ fuerint.

VIII. Præcipimus etiam, ne fictitiæ comæ aliquid alienum a modestia præseferant; si aliter fieri contingat, concessam antea facultatem abrogabimus. Si quis hujus modestiæ, quam jubemus, exemplum deposcat, ea quæ subjicimus a Cardinali Hieronymo Grimaldo desumpta, accurate perpendat, atque imitetur; *Memineris igitur, non indultum hoc esse vanitati, sed necessitati concessum: quapropter non solum munitam te esse volumus, ut Coronam non erubescas: sed & præcipimus tibi, quatenus qui in Tonsuræ Clericalis susceptione capitis comam deposuisti, cæsariem sic componendam cures, ut & color ætati congruat* (quamobrem neque castanei, neque flavi capilli senibus conveniunt) *& pateant aures, & Corona appareat. Nec enim* (sequitur Decretum) *ea nostra mens est, ut cum in Presbyterali Ordine sis constitutus, & similes, atque graves mores pro status ratione præferre debeas, juvenile & mundanum ornamentum, quod & Clericalis Tonsuræ, & novissimorum memoriam imminuat, aut penitus tollat, laicisque scandalo sit, gestare valeas.*

IX. Hæc dicta sint de comis fictitiis extra Missam gerendis. Jam quid fieri debeat, cum Sacerdos Sacrum operatur, explicemus: ac primum declaramus nunquam permissum a nobis fuisse, sive a Vicario nostro generali, ut eædem comæ in Missæ celebratione deferantur. Quinimo facultatem ejusmodi petentes, aut scripto, aut voce tenus admonuimus, ut eas comas deponerent, cum ad Altare Sacrum iecturi accederent. Illud quoque repetimus, quod in trigesima quarta Institutione dictum jam fuit, solum Pontificem maximum elargiri posse, ut pileolum ad Altare Sacerdos adhibeat. His prius expositis, præcipimus singulis hujus diœcesis Sacerdotibus, & exteris pariter, qui in eadem diœcesi morantur, ne comis fictitiis, dum Sacrum faciunt, utantur, sive a nobis ipsis, sive a suo Pastore id privilegium antea consecuti fuerint, ut legitimam ob causam eadem comas deferre possent. Qui jussa facere detrectaverit, pœnam *suspensionis a celebratione ipso facto* incurret, licet hoc mandatum nostrum semel tantum violaverit. Irregularis pariter *ipso facto* constituitur, si post indictam suspensionem adhuc Missæ Sacri-

(1) *Theophil. Raynaud. tom. 13. de Pileo, & ceteris capitis tegminibus sect. 14. pag. 624.*
(2) *Juvenin. de Sacram. dissert. 5. de Eucharistiæ Sacrific. quæst. 8. cap. 5.*
(3) *Gavant. part. 2. tit. 2. in Rub. de Ingressu Sacerd. ad Altare.*
(4) *De præcipuis Sacerd. Offic. lib. 1. artic. 3. cap. 8. num. 87.*
(5) *Loco allato sect. 2. pag. 591.* (6) *De Sacrif. novæ Legis quæst. 832.*
(7) *In tract. fictar. comar. pag. 373.* (8) *Ursaya lib. 1. tit. 11. §. 4. num. 51. Instit. Crim.*
(9) *Anaclet. in Decretal. lib. 3. tit. 1. de vita, & honest. Cler. §. 3. n. 93. La Croix lib. 2. part. 2. de Sacr. Missæ n. 411.*
(10) *In Bullar. pag. 593.* (11) *Cap. 3. tit. 26.* (12) *Lib. 2. cap. 1.*
(13) *Thiers loco allato pag. 373.* (14) *Instit. 34. hujus libri.*

crificium operari non dubitabit. Aliter de illis judicandum eſt, qui a Sede Apoſtolica facultatem habuerint gerendi comas fictitias, dum divinam conficiunt.

X. Qui nec vaſre, nec malitioſe cogitare ſoleat, facile ſibi perſuadebit nos graviſſimæ huic corruptelæ remedium ſatis accomodatum attuliſſe. Sed aliter ſe res habet. Nam plerique nullum diſcrimen ſtatuentes inter has fictitias comas, & capillos; qui in gyrum capiti circumducuntur, comas illas retinuerunt, ac retinent, cum Sacrum ad Altare operantur.

XI. Extingui facile poſſet hujus mali ſemen, & origo, ſi circuli ejuſmodi capillorum, qui tolerari conſueverunt in celebratione Miſſæ, ob pravum uſum penitus abrogentur. Id vero Concilii Romani auctoritate corroborari poſſet, in quo ſic decernitur: *Comamque fictitiam*, vulgo *Perrucam*, *nunquam adhibeant*. Idem ſapienter advertit P. Meratus (1): *In Concilio Romano celebrato anno 1725. a Benedicto Papa XIII. ſancitum eſt, quod qui ignominiam ſæcularis habitus, & comas capitum pro Chriſti amore depoſuerunt, veſte, ac Tonſura Clericali congruente ſemper utantur, Comamque fictitiam, vulgo* Parrucca, *aut* Cerchietti, *vulgo* Girelli, *nunquam adhibeant*. Quamvis id Concilium, tanquam provinciale, *vi coactiva* leges inferre nequit huic civitati, ac diœceſi, quæ extra Romanam provinciam ſitæ ſunt, tamen *in vi directiva* normam præbere nobis poteſt, ut obſervanda decernamus in hac diœceſi, quæ idem Concilium in ſua provincia conſtituit. In medium quoque proferri poſſent pro circulis capillorum abrogandis omnia, quæ Braſchius (2) ſuſe congeſſit in comas fictitias, & eoſdem capillorum circulos, qui adhiberi ſolent in celebratione Miſſæ, ſive alio quocumque loco. Sed experiri tandem volumus, ſi lenitas aliquam gratiam, fructumque comparare poſſit. Itaque quid nomine circuli capillorum intelligi debeat exponemus, & limites etiam, quos indulgentia noſtra præterire nequit eorumdem circulorum ratione, clare indicabimus. Illud pariter libere fatemur, ſi quis in his circulis deferendis præſcriptos a nobis fines exceſſerit; in ipſum decernenda fore a nobis, quæ ſuperius recenſuimus in eos, qui retentis fictitiis comis, audent Miſſæ Sacrificium peragere.

XII. Fictitia coma reticulum eſt tegendo capiti accommodatum, quod faſciolæ circumductæ aſſutum eſt, adſcititiis capillis eidem reticulo adhærentibus, qui caput ipſum operiunt, ac veluti ſi nativi eſſent, in collum defluunt. Neque ſane fictitia coma nuncupari deſinit, eo quod capilli reticulo inhæreant, ipſique breves, & inornati videantur; verum id ſolum comam modeſtam efficit, & Clerico magis conſentaneam. Neque illud fictitiæ comæ adverſatur, ſi capilli etiam nativi retineantur. Tunc enim reticulum capillis ſuperimpoſitum appellatur. Poſtremo, licet Corona Clericalis in medio reticuli late pateat, tamen ratio fictitiæ comæ non omittitur; ſed tunc eidem comæ adjuncta Clericalis Corona dicitur. Quinimo Coronæ latitudo nihil omnino ſuffragatur, ut coma illa fictitia non ſit, & nudum caput, apertumque haberi exiſtimetur, dum Sacrum conficitur, ſed aliam quoque pravam conſuetudinem inducit. Siquidem non licet inconſulto, ac temere Coronam ipſam amplificare, ſed leges obſervandæ ſunt, quæ pro dignitatis, Ordinumque ratione præſcribuntur. Corona Clerici, qui nondum Sacerdotio initiatus fuit, ſacræ Particulæ comparari debet: Corona Sacerdotis divinæ Hoſtiæ ſimilis decernitur: tandem Corona Epiſcopi, & Cardinalis ejuſdem Hoſtiæ amplitudinem tantiſper debet excedere. Hæc potiſſimum habentur in Cæremoniali Epiſcoporum; idemque Quartus, Caſtaldus, & Pitonillius docent (3).

XIII. Circulus vero capillorum nihil aliud eſt, quam faſciola, cui magna cum induſtria ementiti capilli adnectuntur, ut loco deficientium capillorum ſubrogentur. Nativi autem capilli, qui ſuperſunt, capite apparere debent, & ea ſolum parte, qua ipſi rariores ſunt, vel breviores alieni ſubſtitui ſolent, quos etiam ſimiles eſſe oportet reliquis capillis, qui faſciolæ adſuuntur. Hinc ſatis aperte conſtat, eos magno in errore verſari, qui circuli nomen tribuunt illi reticulo, quo totum caput contegitur, & ficti capilli ita adhæreſcunt, ut nativi nequaquam perſpiciantur, aut quia ſuccifi fuerunt, aut quia ob aliam quamcunque cauſam nulli ſuperſunt capilli, vel ſi aliqui ſuperſunt aliis ementitis undequaque teguntur; iſtique ſolum adſuti reticulo populo ſpectandi exhibentur. Clemens XI. eo loco, quem ſuperius nominavimus de circulo capillorum, & comis fictitiis, tanquam diverſis rebus ſermonem inſtituit, neque permiſcenda hæc exiſtimat, licet fictitiæ comæ *breviores fuerint*, *inornatæ*, *nec modeſtiæ Clericalis modum excedentes*. Idem Pontifex, uti dictum eſt, cum circulis ejuſmodi, aut fictis comis in chorum convenire prohibet Canonicos omnes, alioſque Clericos Beneficio præditos. Cum igitur nemo unquam Romæ contenderit ad chorum accedere; comaſque deferre vel nodulis diſtinctas, vel in humeros defluentes, ſed breves tantum, ac modeſtas, in quibus etiam corona pateret, vel comarum loco circulis uti, quos paulo ante explicavimus, & qui nativis capillis omnino ſimiles forent, & ſolum eam capitis partem occuparent, ubi capilli ipſi deeſſent, cum, inquam, hæc ita ſint, clare dignoſcitur a Summo Pontifice magnum diſcrimen inter fictitias comas, & circulos capillorum conſtitutum fuiſſe, & illud potiſſimum, quod nos ipſi nuper oſtendimus.

XIV. Quamobrem iterum decernimus, ne ullus Sacerdos audeat rem divinam facere retentis comis fictitiis, ſub pœna *ſuſpenſionis ipſo facto a celebratione Miſſæ*; ob eaſdem cauſas ſuperius expoſitas permittimus circulos capillorum deferri, dum Sacrum peragitur, donec aliter ſtatuamus, quod certiſſime eveniet, ſi pravus aliquis uſus inducatur, vel Sedes Apoſtolica hanc noſtram Indulgentiam minime probandam judicaverit; præcipimus etiam, ut circuli ejuſmodi intra viginti dies ad nos, vel Vicarium noſtrum generalem deferantur, ut ſcripta a nobis, & obſignata facultas concedatur.

XV. Quoniam vero audiendis rebus prorſus inuſitatis diu aſſueti ſumus, jam perſpicimus magnam Sacerdotum copiam, qui ſimul cum ſuis tonſoribus ad noſtras ædes confluant, ut varia nobis morborum genera patefaciant. Alius quidem vultu dejecto, mœrentique teſtabitur aliquem Sacerdotem capitis morbo laborare, qui ſtomachum moveat, quæ tamen cauſa nequaquam probatur a Sacra Congregatione Concilii, ut fictitia coma in celebratione Miſſæ permitti debeat, quemadmodum die 6. Junii anno 1726. Ipſa definivit. Alius vero Tonſor fatebitur alterum Sacerdotem propriis capillis omnino carere, vel ipſos tam breves, hiſpidoſque eſſe, ac inæquales, ut nulla arte circulus effingi, aptarique poſſit; ideoque neceſſario reticulum eſſe concedendum una cum alienis capillis, qui ſi comam fictitiam exhibeant, brevis ea tamen erit, modeſtiæ prorſus conſentanea, ita ut circulus capillorum inuſitatus videatur. Attamen ejuſmodi concurſum in noſtras ædes recuſamus, & nullas cauſas excipere volumus.

XVI. Si qui reipſa, vel falſo morbo aliquo vexantur, ſi, inquam, Sacrum Deo operari velint in hac civitate, vel diœceſi, nudo capite, apertoque divina hæc myſteria conficiant, vel neceſſariam a Sede Apoſtolica facultatem obtineant, cui nos libentiſſime parebimus. Nemini afferre debet moleſtiam per hos menſes æſtivos aperto capite rem divinam facere; & nos profecto in hos uſque dies evulgare noſtram hanc Inſtitutionem protraximus, ut qui fictitiam comam, quam tamen capillorum circulum falſo nomine appellabat, in Miſſæ celebratione adhibuit, ſine incommodo, capite detecto Sacrum faciat, donec a Summo Pontifice facultatem expoſcat. Pro certo tamen ſciat, quod ipſi nequaquam licebit caput operire, niſi poſtquam a Sede Apoſtolica reſponſum propitium redditum fuerit. Neque ſane querantur indecorum eſſe, ſi populus Sacerdotem videat nudo, raſoque capite celebrantem. Nam fideles potius admirantur honorem, atque obſervantiam Decretis Apoſtolicis exhiberi; & præſertim pietatis ſtudio moventur, cum Monachos raſis omnino capitibus Sacrum facientes inſpiciunt. Poſtremo nemo queri poteſt, ſi illum moneamus pro facultate obtinenda, ad Sedem Apoſtolicam omnium magiſtram eſſe confugiendum. Nos ipſi, cum legitimas ob cauſas, idem privilegium neceſſarium haberemus, prius ſane a Pontifice illud petivimus, & ſumma ipſius humanitate conſequuti ſumus. Etenim mitiori Cœlo per annos quadraginta uſi ſumus; deinde hujus Cœli inclementiam, atque aſperitatem dudum pertulimus cum ma-

(1) *Tom. 1. par. 1. pag. 317.* (2) *In Promptuar. Synod. cap. 87. a num. 11. ad num. 23.*
(3) *Lib. 1. cap. 1. Ad Rubricas. Miſſal. par. 3. tit. 6. ſect. 1. §. Reſpondeo. Lib. 2. ſect. 1. cap. 8. In Enchyrid. lib. 2. tit. 2. lib. 2. §. Quarta pag. 153.*

magno incommodo, quod eo pervenit, ut tussim, & convulsiones excitaverit, ut etiam sanguinem copiose expuere cogeremur. Medicos magis peritos consuluimus, & nobiscum tacite perpendimus, an totum illud incommodum vitio tribui nobis deberet, quod tamen dimanasse ab assidua studiorum exercitatione deprehendimus, quam ab ineunte adolescentia suscepimus, licet exiguo, aut nullo fortasse cum fructu; eamdemque viam insistimus, quamvis longæva ætate debiles, ac pene confecti videamur. Quare Sacrum facere in Metropolitana Ecclesia optantes, aliisque in urbanis templis (quippe alienum a ministerio nostro putamus rem divinam assidue in Sacello privatim celebrare) necessario uti debuimus fictitia coma, quæ brevis esset, & canos præseferret. Item declaravimus proprios a nobis capillos retinendos, comamque appositam statim ineunte vere deponendam. Neque perscrutari, ac comminisci voluimus eamdem comam potius appellandam circuli nomine, eo quod nativi capilli a nobis conserventur. Neque tandem illis rationibus uti voluimus, ob quas Cardinales haud censentur obnoxii illis Decretis, quæ fictitias comas interdicunt, quamvis etiam nonnulli Cardinales *jure proprio*, non aliena concessione rationes easdem reipsa probent, & amplectantur. Quapropter ad Altare cum fictitia coma non ante accedendum putavimus, quam facultas a Summo Pontifice nobis traderetur, quemadmodum jam indicavimus.

## INSTITUTIO XCVII.

*Epistola ad Vicarium Generalem data. Utrum Canonicus Lateranensis, retenta eadem vivendi ratione, Beneficio, quod simplex nuncupatur, frui possit. An Canonici Lateranenses Beneficia, quæ curam animarum adjunctam habent, sibi comparare queant. Utrum facultate opus sit, & a quo impetrare illam debeant.*

I. INusitatum prorsus videtur, quod a Laicis quibusdam patronis exposci nobis heri vesperi tradidisti, qui *jus presentandi* ad simplex Beneficium obtinentes, Canonicum Regularem Lateranensem consanguineum suum nominare contendunt. Ipse vero concedi sibi idem Beneficium postulat ea conditione, ut vitæ institutum, ac rationem, in qua versatur, retineat. Equidem id fieri posse non arbitramur, nisi Apostolicæ Sedis auctoritas intercedat. Nos certe aliud privilegium vidimus ab Innocentio XII. obsignatum anno 1696. Clerico Salvio Placentinæ Diœcesis ex hac provincia nostra Bononiensi, ut duo simplicia Beneficia retineret, etiam solemni votorum nuncupatione peracta: eidem privilegio additæ sunt omnes necessariæ clausulæ, quæ statum, ac rationem Beneficiorum declarant, ne diuturnitate temporis in Beneficia Regularia permutata esse putarentur, eoquod Canonicus Regularis Lateranensis illa obtinuisset.

II. Proculdubio Canonici Regulares Lateranenses Beneficia sibi comparare possunt, quæ curam animarum adjunctam habeant, non autem simplicia, cum de primis tantum Caput *Dei timorem de statu Monacorum* verba faciat, quemadmodum Sac. Congregatio Concilii suo Decreto comprobavit, quod etiam Gregorii XIII. auctoritate confirmatum fuit: *Cum dubitaretur* (inquit Fagnanus (1)), *an Canonicus Regularis esset capax Beneficii simplicis, Sacra Congregatio dixit videri incapacem, quia Capitulum quod Dei timorem, loquitur de Parochiali: agendum tamen cum Sanctissimo. Die 23. Julii 1578. Sanctitas Sua dixit, licet Tridentinum Concilium non prohibuisset Canonicos Regulares obtinere Jacularе Beneficium &c. tamen Jus commune obstare, quod nonnisi in Parochialibus dispensat, dicto Capitulo Quod Dei timorem. Hic autem agitur de simplici.*

III. Nunc autem Regulares iisdem Canonici Beneficia cum animarum cura suscipere prohibentur, nisi Abbatis Generalis facultas, & Apostolicæ Sedis Indultum interveniant, uti Clemens X. generali suo Decreto die 18. Martii anno 1671. constituit. Insuper illud *in jure* Beneficium simplex appellatur, quod ab animarum cura sejungitur, licet residentiam inducat eo modo, quo Canonicatus in Cathedralibus, & Collegiatis, uti docet Abbas (2). Nunc pariter ab Apostolica Datarìa simplex Beneficium his solummodo verbis definitur: *Beneficium simplex personalem residentiam non requirens.* Quapropter controversia excitata est, utrum Canonici Regulares, quibus nequaquam licet consequi Beneficia simplicia, quæ residentiam non exigunt, utrum, inquam, obtinere queant beneficia, quibus nulla animarum cura, sed residentia tantum adnectitur, nempe Canonicatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis. Cum tamen Canonicatus ejusmodi inter simplicia Beneficia recenseri consueverint, uti paulo ante dictum est, ideo communi fere omnium consensu ad eosdem Canonicatus idonei non existimantur (3).

IV. Revera, cum Jacobus Cardinalis Boncompagnus Canonicatum hujus Metropolitanæ conferre statuisset Canonico Regulari Lateranensi, opus fuit ad Sedem Apostolicam confugere, quæ rem totam judicio Sac. Congregationi Concilii decernendam voluit, cum nos ipsi Secretarii munere fungeremur. Quare in examen ea causa vocata fuit, & Canonici Regulares ad obtinendos in Metropolitanis, & Collegiatis Canonicatus nequaquam idonei judicati fuerunt; tamen ob graves rationes responsum fuit a Summo Pontifice privilegium eidem Canonico impertiri posse (4); itaque Innocentius XIII. consilio Sac. Congregationis adductus ipsum Canonicum Apostolica auctoritate idoneum constituit, ut Canonicatum in Metropolitana assequeretur. At vero, cum eædem causæ minime intercederent, Sacra Congregatio Summum Pontificem, hortata est, ne alium Canonicum Regularem, qui in Pistoriensi Ecclesia Canonicatum expetebat, habilem, idoneumque Apostolica facultate redderet.

V. Non ignoramus, Regulares Canonicos his Decretis, ac sententiis minime acquiescere, ipsisque permissum fuisse, ut rationes suas contra proferrent. Sacra concilii Congregatio die 14. Novembris anno 1693. facultatem tribuit Canonico Regulari, ut sæcularem Parochiam impetraret; & simul eadem Sacra Congregatio indixit, ut collectis in unum Decretis expenderetur, utrum Canonicis Regularibus liceret Beneficia sæcularia cum animarum cura percipere, interposita solum Abbatis Generalis facultate, idque Innocentius XII. approbavit (5), & literas Apostolicas evulgari jussit, quæ rem eamdem confirmarent. Cum Pontificatum gereret Clemens XI. Procurator Generalis Lateranensium postulavit examinari, utrum ipsi Parochias, & Canonicatus assequi posse dicerentur, ita tamen, ut nulla mentio fieret de sententiis, ac Decretis Sacrarum Congregationum, aut de oraculis Summorum Pontificum, quæ a Gregorio XIII. ad illud usque tempus adversa, seu propitia haberentur, sed tantum in examen adduci liceret jus commune, Tridentina Synodus, verba quibus vota solemnia ab ipsis nuncupantur, & postremo ratio Instituti, atque Ordinis, cui nomen dederunt. Quare Pontifex die 20. Aprilis ann. 1712. ad Sacram Congregationem Concilii hanc causam rejecit: *juxta petita.*

VI. Cum tamen post illud tempus eadem causa proposita nunquam fuerit, valere plurimum debent sententiæ, quas superius enumeravimus; & ne quisquam contendunt aliqui eas de medio sublatas esse, eo quod Pontifex concesserit ab iisdem sententiis provocare: quippe certissimum est omnibus, expendi debere id solum, quod conceditur, non vero id, quod petitur; ideoque parvi faciendum esse, quod petendum fuerat, sed nunquam petitum fuit.

VII. Finis hoc loco tribui posset Institutioni nostræ; sed ne Canonicis Regularibus, ipsorumque causæ contrarii fortasse judicemur, pauca alia subjiciemus. Ac primum fatemur ex verbis solemnis Professionis magnum argumentum desumi, ut se idoneos probent ad Parochias, & Canonicatus cum sola Generalis Abbatis facultate, si semel ipsorum causa in Sacra Congregatione Concilii proponatur; verba autem, quibus inniti possunt, hæc sunt: *Voveo & promitto &c. & quod num-*

(1) *In cap. super eo num. 3. & 4. De Regularibus, & cap. Quod Dei timorem, num. 5. De statu Monachor.*

(2) *Pirhing. ad Tit. Decretal. de statu Monachor. lib. 3. tit. 35. §. 2. num. 18. Vanesp. Jur. Eccles. tom. 2. tit. 18. cap. 3. num. 17. Tondut. quæst. Benef. tom. 1. cap. 80. n. 10. Conrad. in Praxi Benef. lib. 6. cap. 1. num. 26. Navarr. Consilio 11. num. 6. lib. 3. de statu Monac. Bellamera decis. 172. tit. de Præbendis. Card. Petr. ad Constit. Apostol. tom. 1. ad Constit. Anastas. IV. sect. 1. n. 30. & seq.*

(3) *Resol. habita die 18. Septembris 1723.*

(4) *In causa Pistorien. Indulti die 16. Mart. ac 18. Maii 1727.*

(5) *Decretor. lib. 43. pag. 549.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*nunquam Beneficium acceptabo cum cura, vel ſine cura, intra, vel extra Ordinem noſtrum, abſque licentia Capituli Generalis, vel ejus auctoritate fungentis, renuntiando omnibus juribus, & privilegiis, & conſuetudinibus in contrarium mihi competentibus vel quomodolibet competituris.* Inſtituti ratio cauſam ipſam juvabit plurimum; nam ad laudes divinas in choro celebrandas potiſſimum excogitatum fuit: ea pariter lege S. Auguſtini, quam ipſi Canonici profitentur, cauſa corroborari poterit: *Clericus duas res profeſſus eſt, & ſanctitatem, & Clericatum, interius ſanctitatem; nam Clericatum propter populum ſuum Deus impoſuit cervicibus ipſius, cui magis onus eſt, quam honor.* Quippe non minus Beneficium dimanat in populum ob ſuſceptam animarum curam, quam ob pietatem, ac religionem, qua divinæ laudes in choro celebrantur.

VIII. At ſi hos limites velint excedere, & ſibi Beneficia etiam ſimplicia tribui poſſe contendant, *quæ perſonalem reſidentiam non requirant*, & ea conſequi ſperent ob ſolam Generalis abbatis facultatem, & ipſum quoque clauſtrum deſetere, poſtquam Beneficium ſimplex attigerint, ſi, inquam, hæc poſtulant, nihil obtinendum ab ipſis ſuſpicamur, etiamſi jus tantum, & ratio ſpectentur. Univerſa quondam Beneficia reſidentiæ lege tenebantur, uti Canonum Interpretes docent (1). Temporis diuturnitate Beneficii proventus imminuti ſunt, adeo ut honeſtam ſuſtentationem ſuppeditare nequaquam poſſent. Id conſuetudinem induxit, ut Beneficio prædiți fructum perciperent, licet ſuis in ſedibus haud morarentur, ob eam nempe cauſam, ut alia ex parte ſibi victum neceſſarium compararent (2). Quare Beneficia ejuſmodi obtinentibus ea lex tantum præſcribitur, ut habitum Clericalem, ac Tonſuram deferant, & Canonicas horas perſolvant.

IX. Cum hæc ita ſe habeant, ſi Regularibus Canonicis ad vitam ducendam neceſſaria ab Ordine ſuppeditantur, qua ratione ad Beneficia ſimplicia ipſi idonei putari debeant, cum illa ad alendum Sacerdotem inſtituta fuerint? Si populi utilitas Regulares Canonicos ad Beneficia idoneos reddere debet, quænam utilitas, aut bonum ex eo dimanare poteſt, qui habitum Clericalem ſuperinduit, & privatim recitando Divino Officio tempus impendit? Hæc potiſſimam futura cauſæ impedimenta putamus, ſi in medium aliquando proferantur. In hac ſententia magnopere confirmamur ob quamdam diſſertationem a præclariſſimo viro Pitonio confectam, ſed typis minime evulgatam; cum ille interrogatus, utrum Regulares Canonici exiſtimari deberent idonei ad Beneficia, quibus animarum cura adjungitur, & ad obtinendos Canonicatus, *pro veritate* reſpondit aſſerendum id eſſe, etiam ſacri Canones, & verba ſolemnis Profeſſionis tantum perpendantur juxta eos limites, quos Clemens XI. conſtituit, uti ſuper indicavimus. Deinde interrogatus, an Canonicis iiſdem liceret Beneficia ſimplicia, & Penſiones Eccleſiaſticas accipere, id prorſus negavit. Hæc pauca habuimus &c.

## INSTITUTIO XCVIII.

*De Baptiſmo conferendo. De temporis ſpatio, quo deferendi ſunt infantes ut baptizentur. Illos irregularitati omnino eſſe obnoxios, qui Sacramentum Baptiſmi (niſi urgeat neceſſitas) infantibus privatis in domiciliis conferant. Eos pariter arguendos magnopere, qui tempus protrahant, & infantes domi baptizatos ad Eccleſiam aſportare negligant, ubi omiſſæ cæremoniæ rite perficiantur. Legibus adverſari Parochum, aut alium quempiam Sacerdotem, qui Baptiſmi in privatis ædibus collati fidem facere renuat.*

I. MAgno cum dolore percepimus in multos dies Baptiſmum protrahi pueris recenter natis, quibus peractis ad Metropolitanam Eccleſiam Sancto Petro nuncupatam deferuntur, ut ſalutaribus undis abluantur. Alii vero pravam hanc conſuetudinem non ſequuntur, ſed accito Parocho, aut alio familiari Sacerdote Baptiſmalem aquam domi impertiunt infantibus, licet nulla neceſſitas interveniat; deinde aliud voluntate ſua tempus decernunt, quo infantes ipſi ad fontem Baptiſmi deportentur, ut conſueti ritus, ac cæremoniæ perficiantur. Contigit autem quod Parochus, aut Sacerdos fidem facere recuſaverit, privatim iiſdem Infantibus Baptiſmum fuiſſe collatum. Non ſemel etiam evenit, ut Infantes ex legitimo matrimonio procreati Baptiſmum a Parocho privatim acceperint, quamvis nulla neceſſitas intercederet. Deinde res occulta permanſit, & ipſi Eccleſiæ ritus prætermiſſi ſunt; quippe infantes ad Baptiſmi fontem delati nunquam fuerunt. Poſtremo Baptiſmales undas infantibus adminiſtrari per obſtetrices nimia facilitate cognovimus, quæ ægre patiuntur interrogari qua ratione Baptiſmum contulerint, & non ſemel ſuo loco ſubſtituunt filiam, neptim, aut etiam famulam, de quibus certum non eſt utrum materiam, formam, atque intentionem bene noverint, quæ ad ejuſmodi Sacramentum rite adminiſtrandum neceſſario requiruntur, ſed jam de his corruptelis ſingillatim verba faciamus.

II. Equidem improbari illos, qui poſt multos dies ad Metropolitanam hanc noſtram infantes deferunt, ut Baptiſmum accipiant, Eugenii IV. auctoritate conſtat, qui ita conſtituit (3): *Quamprimum commode fieri poteſt.* Idem ſancit his verbis Rituale Romanum: *Quamprimum fieri poterit* (4). In libro pariter Romani Catechiſmi hæc leguntur (5): *Nam, cum pueris infantibus nulla alia ſalutis comparandæ ratio, niſi eis Baptiſmus præbeatur, relicta ſit, facile intelligitur, quam gravi culpa illi ſeſe obſtringant, qui eos Sacramenti gratia diutius, quam neceſſitas poſtulet, carere patiantur: cum præſertim propter ætatis imbecillitatem infinita pene pericula illis impendeant.*

III. Variam Eccleſiarum diſciplinam deprehendimus in ſtatuendo temporis ſpatio, quo infantes ad Baptiſmum ſuſcipiendum deferri debent. Romæ promulgatum eſt edictum anno 1723., quo tres ſolum dies ad rem peragendam decernuntur. Idem in Gallia ſervatur inſtitutum (6). Diem nonum in ſuis Conciliis S. Carolus Borromæus conſtituit, eamque ſententiam plures aliæ Synodi ſequuntur, quas Clericatus enumerat (7), & potiſſimum Cardinalis Jacobus Boncompagnus ita ſanxit (8): *Nefas ſit, ultra nonum diem Baptiſmum infantibus conferri, memores excommunicationis pœna parentes affici, ſi terminum nonæ diei præterierint.*

IV. Hæc cum conſuetudo inducta eſt, cum deſiit priſtina diſciplina, ob quam Baptiſmus in celebritatibus ſolum Paſchacis, ac Pentecoſtes, niſi aliter neceſſitas poſtularet, conferri conſueverat: *Sane ex quo* (inquit eruditus Vicecomes (9)) *ea tempora mutari Sanctis Patribus eſt viſum, omnes in id toto pectore incubuerunt, ut nati infantes in Eccleſiam quamprimum, aut omnino ante nonum diem ad Baptiſmum deferrentur.*

V. Non autem hic nonus dies indicitur, ita ut Baptiſmi Sacramentum infantibus ante id tempus adminiſtrari nequeat. Imo res gerenda eſt quamprimum fieri poſſit, ob maximæ pericula, quæ vitæ infantium impendent. Sed nonus dies præſcribitur, ne Baptiſmus magis protrahatur. Equidem anno 253. coactum fuit in Africa Concilium, in quo Fidus Epiſcopus petiit, utrum Baptiſmus pro expiandis ab originali labe infantibus ante octavum diem conferri poſſet, cum in veteri lege ob eamdem cauſam die ſolum octava Circumciſio indiceretur. Patres igitur contra ipſius Epiſcopi ſententiam ita ſtatuerunt (10): *Quantum vero ad cauſam infantium pertinet, quos dixiſti intra ſecundum, vel tertium diem, quo nati ſint, conſtitutos baptizari non oportere, & conſiderandam eſſe Legem Circumciſionis antiquæ, ut intra octavum diem cum, qui natus eſt, baptizandum & ſacrificandum non putares, longe aliud in Concilio noſtro omnibus viſum eſt. In hoc enim, quod tu putabas eſſe faciendum, nemo conſenſit; ſed univerſi potius judicavimus, nulli homini nato miſericordiam Dei, & gratiam denegandam.*

VI. Cardinalis Thomas de Tournon pietate, atque conſtantia celeberrimus, Commiſſarius, ac Viſitator Apoſtolicus cum poteſtate Legati *a Latere* in Indiis Orientalibus, Sinenſi Imperio, Inſuliſque adjacentibus, ut ſacræ expeditiones Madurenſes, aliæque finitimæ recte adminiſtrarentur, hoc

---

(1) *Innocent. cap. final. num. 1. verſ. Intelligo tamen, Zabarella num. 16. Felinus n. 9. de Clericis non reſidentibus.*
(2) *Gonzalez in cap. Conquerente n. 2. de Clericis non reſidentibus.* (3) *In Conſtitut. 25. §. 13. to. 1. Bull. Romani.*
(4) *Tit. 9.* (5) *De Sacram. Baptiſm. part. 2. num. 34.*
(6) *Genett. tom. 3. Theol. Moral. pag. 78.* (7) *De Sacram. Baptiſ. deciſ. 23.*
(8) *Lib. 2. cap. 2.* (9) *In ſuo Tract. de Ritib. Baptiſ. cap. 23. in fin.*
(10) *In Epiſt. 59. ad eumdem Epiſcopum inter eas S. Cypriani.*

hoc Decretum die 22. Junii anno 1704. in lucem edidit: *Et quia audivimus Baptiſmum infantium ex Chriſtianis parentibus ortorum, eorumdem incuria ſæpe ſepius diu protrahi, non ſine maximo diſcrimine infantium ſalutis diſcrimine, monemus Evangelicos Operarios, ut Sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quam fieri poſſit, attentis circumſtantiis, genitoribus præfigant, graviter conſcientiam eorum onerantes, niſi filios intra præfixum tempus ad Eccleſiam deferant Sacro Fonte abluendos.*

VII. Plures ſane huic Decreto adverſati ſunt, aſſerentes diem certum ad Baptiſmum infantibus conferendum inſtitui nequaquam poſſe. Illud tamen Pater Lucius S. Officii Commiſſarius Generalis multiplici ſolidaque eruditione defendit (1). Idem Decretum Benedictus XIII. (2), & Clemens XII. (3) ſua auctoritate confirmarunt.

VIII. Quapropter nihil novi ſtatuimus, ſed parentes tantum monemus curare magno ſtudio, ut Baptiſmus in Eccleſia ſuis liberis, quamprimum fieri poterit, adminiſtretur, neque diem octavum excedere ſub pœna *excommunicationis*, quam in ſua Synodo Cardinalis Boncompagnus recenſet. Parochos etiam magnopere hortamur, ut Populum de hoc graviſſimo negotio diligenter imbuant ſemel ſaltem per anni curſum, cum ſacras ad Altare conciones de more ſuſcipiunt.

IX. A legibus autem Eccleſiaſticis prorſus alienum, ac diſſonum fatemur ſalutares undas Baptiſmi domi privatim infantibus conferri accito Parocho, aut alio Sacerdote, licet id nulla neceſſitas expoſcat; deinde, cum parentibus libuerit, ad Sacrum fontem eoſdem infantes afferri, ut conſuetæ cæremoniæ, ac ritus in Eccleſia celebrentur. Alienum quippe ab Eccleſiæ legibus eſt, privatim Baptiſma domi conferre, cum in Eccleſiis ſit miniſtrandum. Id ſatis conſtat ex 31. Canone Trullani Concilii: *Deponatur Clericus, qui ſine licentia Epiſcopi intra domum in Oratorio domus ſacrificat, vel baptizat.* Idem rurſus in Canone 19. ſic decernitur: *In Eccleſiis, non in domibus, aut privatis Oratoriis Baptiſma celebretur. Contraſaciens Clericus deponatur; Laicus excommunicetur.* Clemens V. idem prorſus indixit (4): *Niſi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc caſu differri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi.* Cardinalis autem Boncompagnus in Synodo, quam modo commemoravimus, hæc habet: *Non in Oratorio, nec domi ſine licentia noſtra, vel Vicarii Generalis, audeat baptizare, præter caſum neceſſitatis.*

X. Pervenit ad aures noſtras a quibuſdam dictitari Parochi munus eſſe Baptiſmum conferre. Itaque prætermiſſis iis omnibus, quæ modo expoſuimus, ut clarum, perſpectumque ſiat, non licere in privatis domibus Baptiſmum adminiſtrari, niſi neceſſitas urgeat, iis, inquam, prætermiſſis, nos ipſi affirmabimus Baptiſmum eſſe a Parocho conferendum. Nam ſic habetur in Rituali Romano (5): *Legitimus quidem Baptiſmi Miniſter eſt Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario Loci delegatus.* Illud pariter addemus idem baptizandi munus ad Sacerdotes pertinere. Quippe, dum Sacerdotium confertur, Epiſcopus his verbis utitur: *Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare.* Quemadmodum (ita docet S. Thomas (6)) Sacerdotis eſt conficere Sacramentum Corporis Chriſti, quod unitatem Eccleſiaſticam explicat, ita Sacerdotis eſt Baptiſmi Sacramentum adminiſtrare, quod ejuſdem unitatis nos participes efficit, & jus ad menſam Domini nobis comparat. Id totum fuſius in Romano Catechiſmo declaratur (7).

XI. Qui tamen ita prædicant, illud pariter expendant, olim a ſolo Epiſcopo Baptiſmum conferri conſueviſſe, uti prima Inſtitutione demonſtravimus. Præter illorum auctoritatem, quos nos eo loco nominavimus, idem comprobat his verbis Thomaſſinus (8): *Primis illis initiis ſolus vulgo baptizabat Epiſcopus.* Hujus rei documentum deſumitur ex eo, quod in multis Italiæ Civitatibus fons unus Baptiſmalis in Cathedrali, aut prope ipſam poſitus reperitur, ut nos eodem loco cum Martene, ac Lupo indicavimus: accedit etiam Thomaſſini auctoritas (9): *Quare & in maximis quibuſque Urbibus una erat tantum Eccleſia, fons unus Baptiſmatis, quem uſum baptizandi retinet adhuc Italia.* Præclarus Vir Du Cange (10), poſtquam fontem Baptiſmi magni operis, atque elegantiæ conſtitutum Florentiæ prope Eccleſiam Metropolitanam deſcripſit, hæc inſuper addere non omittit: *Quæ quidem adnotare libuit tanquam veteris moris inſtitutum, cum olim in Civitatibus in Eccleſiis tantum Cathedralibus, aut iis adjunctis Baptiſteriis Baptiſmus conferretur.*

XII. Cum hæc ita ſe habeant, qui Parocho tribuunt baptizandi munus, ſecum perpendant, Baptiſmalem fontem hujus civitatis poſt immemorabile tempus in Metropolitana collocari, & ad ipſum ſemper delatos fuiſſe infantes, qui procreantur in Urbe, vel ipſius ambitu, quem Cerchiam appellant, ut Baptiſmum accipiant. Quamobrem nequit Parochus abſque ullo diſcrimine Baptiſmum adminiſtrare, ſed tum ſolum id facere poterit, cum neceſſitas requirat; quippe primus ipſe Miniſter Baptiſmi inter eos proculdubio recenſetur, qui urgente ſolum neceſſitate baptizant. Id vero munus ſibi tribuere nequaquam debet, cum in ſua Eccleſia fons Baptiſmalis non habetur. Qui enim præpoſitus eſt Eccleſiæ, in qua fons idem conſtituitur, ipſe Baptiſmum adminiſtrare debet, uti Romano in Rituali præſcribitur: *Ac licet, urgente neceſſitate, ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius Baptiſmi adminiſtrandi locus eſt Eccleſia, in qua ſit fons Baptiſmalis, vel certe Baptiſterium prope Eccleſiam.* Idem tradit ſapienter Cardinalis Petra (11): *Unde poſt Epiſcopos, Sacerdotes ſunt Miniſtri Baptiſmi, non quidem omnes indiſtincte, ſed ii, quibus ex officio competit baptizare; quinimo non omnes Parochi Baptiſma ſuis ovibus miniſtrare poſſunt, ſed ii tantum, qui Eccleſiis Matricibus, aut Baptiſmalibus præſunt.* Neque illud argumentum ullam vim habet: *Eccleſia eſt Parochialis: ergo etiam eſt Baptiſmalis.* Contrarium enim deſumitur ex Tridentina Synodo, quæ diſcrimen aliquod illis verbis dignoſcit (12): *Eccleſiis Parochialibus, vel Baptiſmalibus.* Immo nec veritati conſentaneum eſt ejuſmodi argumentum: *Eccleſia eſt Baptiſmalis, ergo etiam eſt Parochialis.* Nam poteſt Epiſcopus Fonti Baptiſmali locum decernere in Eccleſia haud Parochiali, quæ populo commodior eſſe videatur (13). Quare in Synodo Cardinalis Columnæ Archiepiſcopi hujus Urbis *part. 1. cap. 7.*, & etiam in Synodo Cardinalis Boncompagni *lib. 2. cap. 2.* hæc docentur: *Cum autem Parochi officium dicimus baptizare, non hinc derogare juribus intendimus & Eccleſiæ Metropolitanæ, & Eccleſiarum Archipreſbyteralium, quæ illæſa ſervari mandamus.*

XIII. Verum ad alia ſuperius propoſita deveniamus. Legibus Eccleſiaſticis plurimum adverſantur illi, qui collato privatim infantibus Baptiſmo, nonniſi poſt longum tempus ipſos in Eccleſiam deportari curant, ut ritus conſueti impleri poſſint. In Synodo Cardinalis Boncompagni, quod jam toties memoravimus, excuſantur illi, qui facultatem ante obtinuerint a nobis, ſeu Vicario noſtro Generali, ut privatim domi Baptiſmus conferatur; ac deinde expectari debeat vir dignitate, aut genere inſignis, qui Patrini munere fungatur, aut alium loco ſuo ſubſtituendum deſignet. Eaſdem tamen Sacras cæremonias in multos dies ſine cauſa protrahere nullo modo ferri, ac diſſimulari poteſt. Nam magna cum bonorum offenſione, ac ſcandalo in eam ætatem aliqui venerunt, ut ipſi ſe contulerint ad hanc Metropolim, ut ritus ac cæremoniæ, quæ domi omiſſæ fuerant, in Eccleſia ſupplerentur. Illud etiam gravius fuit, quod aliqui inter ipſos jam viginti annos attigerant.

XIV. Poſtremo Leges Eccleſiaſticas violant Parochus, ac Sacerdos, qui collato privatim Baptiſmo, hujus deinde rei teſtimonium facere detrectant. Baptiſmus etiam privatus in librum referri debet, in quo pueri omnes baptizati adnotantur, uti Synodus eadem Cardinalis Boncompagni præcipit. Id vero qua ratione fieri poterit, ſi illi, qui Baptiſmum adminiſtrarunt, ſcriptum teſtimonium, aut voce ſaltem firmatum

---

(1) *Anno 1728. cap. 7. pag. 112. & ſeqq.* (2) *Anno 1727.* (3) *Anno 1743.*
(4) *In Clementina unica de Baptiſmo.* (5) *Tit. de Sacram. Bapt.*
(6) *In 3. part. quæſt. 67. art. 2.* (7) *Part. 2. de Sacram. Baptiſ. num. 23.*
(8) *De veteri & nova diſciplina Eccleſiaſt. p. 1. lib. 2. cap. 21. num. 8.* (9) *Loco allato.*
(10) *In ſuo Gloſſ. ad vocab. Bapt.* (11) *Tom. 4. ſuorum Commentarior. in Conſt. Apoſt. pag. 285.*
(12) *Seſſ. 21. cap. 4. de Reformat.* (13) *Card. Petra in eodem loco.*

tum dare recusant? Neque sane ullus rerum æstimator, qui sensu aliquo præditus sit, audire sine stomacho, & commiseratione potest rationem illam inanissimam, quæ in medium proferri solet, nempe fidem obstetrici præstandam, cum illa affirmat Baptismum collatum fuisse a Parocho, vel Sacerdote, sicuti fides eidem mulieri haberi consuevit, cum Baptismum a seipsa fuisse administratum testatur. Notissima res est unius solum testimonium sufficere, cum in dubium revocatur, utrum puer aliquis Baptismum acceperit (1). Pro certo pariter habetur mulieris testimonium satis esse, uti Frosinus Pisanus Archiepiscopus luculenta dissertatione Typis edita sapienter demonstravit. Quapropter obstetrici fides habenda est, cum puerum a se baptizatum fuisse asserit. Cum tamen id peractum a Parocho, vel Sacerdote confirmat, tunc rem gestam ab aliis, non vero a semetipsa declarat. Cum hæc ita sint, quis unquam inficiabitur id a Sacerdote, quem nominat obstetrix, esse inquirendum? Ipse vero qua ratione testimonium ejusmodi ferre recusabit?

XV. Singulos itaque Parochos, ac Sacerdotes, aut alios, qui ad Baptismum conferendum tanquam extraordinarii Ministri eligi queant, eos, inquam, monemus, ne Baptismum in privatis domibus administrent, ut morem alicui gerant, vel ut alieno munere perfungantur, nisi forte necessitas id postulaverit, nempe, cum puero recenter nato mortis periculum imminere videtur. Nullam pœnam decernimus in eos, qui hæc jussa facere detrectaverint. Quippe neminem futurum suspicamur, qui illis statim non pareat, eo quod ex ipso jure Pontificio desumuntur. Attamen pro certo teneant debitas pœnas, etiam suspensionis, in Parochos, ac Sacerdotes a nobis quidem invitis indicendas esse, si quis obtemperare neglexerit. Quoniam vero suspicamur, aliquos tam pravo ingenio reperiri posse, qui ad evitandas propositas pœnas afferere non dubitabunt. Baptismum urgente necessitate a se ministratum fuisse, licet id prorsus alienum a veritate sit, eos admonendos putamus, ut accurate perpendat, quod *Speculator adest desuper*, qui parendum Ecclesiæ mandatis jubet, & qui clarissime videt, utrum revera necessitas intervenerit. Jam vero Sacerdos ad ministrandum Baptismum in hac Metropolitana designatus, ad nos statim deferat illius nomen, qui post collatum a se Baptismum, rei peractæ testimonium recusat obsignare. Ipsum accire non omittemus; ac jussa facere tum ob causæ æquitatem, tum muneris etiam nostri auctoritatem cogemus, nec timendum nobis est, ne dicendi copia, aut ipsius eloquentia obruamur.

XVI. Quisquis autem facile deprehendit, quot mala simul cumulentur, cum Baptismus in privatis domibus absque ulla necessitate ministratur, neque res peracta iis, ad quos pertinet, innotescit, si omittantur etiam solemnes cæremoniæ, eo quod pueri nunquam ad Ecclesiam delati fuerint, ut Sacri ritus, ac cæremoniæ persolvi queant. De illis pueris agimus, qui ex legitimo, quamvis occulto Matrimonio procreati sunt. Primum enim Baptismus privatim confertur, quod fieri nequit, nisi aliqua necessitas urgeat, uti nuper ostendimus. Secundo, falsa necessitas effingitur, quam in periculo mortis solum esse constitutam explicavimus. Tertio, Baptismus a consuetis Ecclesiæ cæremoniis disjungitur, quod absque necessitate permitti nequit, & si contrarium fiat, culpa lethalis admittitur. Id probant Theologi, quos Romæguerra (2) recenset. Quarto, aditus quidam recluditur, ut negligantur Sacræ Baptismi cæremoniæ, cum aliqua fortasse contemptus specie, quas sane cæremonias Apostoli instituerunt, & Ecclesia semper excoluit; idque contingeret in hac Civitate, in quam ab ipsis Apostolorum temporibus Christianam Fidem Sanctus Apollinaris invexit. Equidem Alexander VII. anno 1656. non sine magna difficultate permisit omitti aliqua Sacramentalia, dum Baptismus conferretur apud Sinenses recenter ad Fidem adductos mulieribus jam adultis, ne ullum discrimen afferri posset pudicitiæ, qua Sinenses ipsæ mulieres tantopere commendantur. Insuper clarissimus vir Cardinalis de Tournon hæc præscripsit Apostolicis viris, qui in Madurensi Regione, aliisque finitimis Christi Legem disseminabant: *Districte prohibemus, ne in baptizandis tam pueris, quam adultis cujuscumque sexus & conditionis, omittantur Sacramentalia, sed omnia palam adhibeantur, & signanter saliva, sal, & insufflatio, quæ ex Apostolica Traditione Catholica Ecclesia recepit, & ob recondita in iis Sacris cæremoniis Divinæ erga nos bonitatis Mysteria sancte & inviolabiliter custodivit.* Neque profecerunt quidquam illi, qui contra dictabant salivam, & insufflationem Sinensibus exosas esse maxime, ideoque neminem deinceps accessurum, qui Baptismum expoſceret. Quippe P. Lucinus, quem superius nominavimus, eorumdem Rituum vetustatem, cultumque sapienter ostendit, & rationes omnes, quæ contra afferri solebant, omnino refutavit. Item Clemens XII. Missionariis ad promulgandum Madurensibus Evangelium designatis hæc præcepit: *Dispensationem concedit ad decennium duraturam omittendi in collatione Baptismi salivam, & occulte utendi insufflationibus, in casibus tamen particularibus, & in quibus gravis & proportionata necessitas urgeat, super qua conscientia Missionariorum onoratur.* In adultis vero hæc cavenda monent Pontifex: *Dummodo non laborent errore habendi salivam, & anhelitum, tanquam materiam ineptam, & incapacem ad inserviendum pro Sacramentalibus cæremoniis in Baptismo, utpote omnino incapaces Baptismi: ejusque Missionariis injungendum, ut debitam instructionem, aliasque omnes possibiles diligentias adhibeant, ut aversio populorum a saliva & insufflatione amoveatur, & de instructione aliisque diligentiis adhibitis Sanctam Sedem intra tempus decennii certiorent. Insuper monendos esse Missionarios super gravi negligentia non recurrendi ad Sanctam Sedem pro obtinenda facultate dispensandi, & male se gessisse Episcopos concedendo hujusmodi dispensationem inconsulta Sancta Sede.* Hæc omnia, si accurato studio perpendantur, satis declarant rei, de qua agimus, magnitudinem, & gravitatem, nempe, si negligantur cæremoniæ, quæ Baptismo adjungi consueverunt. Quapropter delinquentes, ut sibi consulant, vehementer hortamur; gravissima pariter detrimenta, quibus innocentes pueri obnoxii fiunt, oculis Parochorum subjicimus, qui Baptismum privatim a se collatum fuisse nequaquam monuerunt, ita ut ipsi pueri in librum baptizatorum in hac Metropolitana relati non fuerint. Nam iidem pueri ætate jam adulti susceptí Baptismi testimonio plures ob causas necessario indigebunt, ipsumque in libris, qui in templo Sancti Petri servantur, frustra requirent; ideo nulla conjectura assequi poterunt, ubinam Baptismum acceperint, eo quod Bononiæ quidem nati, salutari lavacro in Sacris Ædibus Sancti Petri solum ablui debuerunt. Hinc Baptismi testimonio carentes, plurimis difficultatibus, ac damnis eos implicari necesse est. Postremo admonendi sunt, qui parere recusaverint, pœnas a nobis in ipsos arbitrio nostro decernendas, quæ ipsorum forsasse opinionem superabunt.

XVII. Circa obstetrices institutionem nostram octavo loco positam renovamus, easque diligenter examinari præcipimus, uti dictum est, nullamque admitti volumus, quæ peracto examine probata non fuerit. Si quæ forte venire in examen abnuerit, vel ipso prætermisso, ac sine debita facultate munus exercere suum non dubitaverit, illam ex Urbe, ac diœcesis finibus auctoritate nostra depellemus.

## INSTITUTIO XCIX.

*Epistola Encyclica Parochis diœcesis: cautum esse tum a Sac. Canonibus, tum etiam a legibus civilibus, ne quis Ecclesiam armatus ingrediatur; discrimen ostenditur inter enses, aliaque id genus arma, quibuscum Ecclesias ingredi fas est, & inter sclopetos, aliaque ejusmodi, quibuscum ingredi vetitum est.*

I. INvito, mœrentique animo percepimus, ad plures Ecclesias, aut Parochias hujus diœcesis accedere Fideles cum armis hastatis, sive ad concipiendum ignem conflatis, cum ad sacrum audiendum, aut Officia Divina per festos dies frequentes conveniunt. Equidem si pravæ hujus consuetudinis initium repetatur, facile deprehendemus, id Parochis tribuendum esse, qui ob privatas amicitias, aut alias ob causas inanes neglexerunt, aut dissimularunt plurimos, qui cum armis iisdem templum ingressi sunt, quorum exemplum deinde cæteri secuti fuerunt.

II. Ad Sacras Ædes cum armis accedere Canones prohibent,

(1) *Can. Parvulos, & Can. cum itaque de Consecrat. dist.* 4. 19. *& seqq.*

(2) *Ad Synod. Gerundem. lib.* 3. *tit.* 18. *cap.* 1. *num.*

bent, uti Gonzales fuse demonstrat (1). Sanctus Carolus Borromæus Ecclesiasticæ Disciplinæ restaurator egregius in primo Provinciali Concilio, quod Mediolani coegit, hæc decernit (2) *Nemini cum venaticis canibus, vel volucribus in Ecclesiam ingredi liceat, neque Hastam, vel Sclopetos, Balistas, aliave ejusdem generis in eam inferre.* In suis quoque Institutionibus, quæ Vicariis Foraneis nuncupantur (3), his verbis utitur; *Satagite diligenter, eaque ratione, quæ magis consentanea videbitur, ne Fideles, cum ad pietatis, ac religionis Officia celebranda conveniunt, veluti ad Litanias, aut publicas supplicationes, ne, inquam, arma deferant, saltem hastata, neque alia concipiendo igni accomodata. Insuper curam impendite, ut a mulieribus, quantum fieri poterit, viri secernantur; ac ne vino, epulisque populus indulgeat, sed pietatem tunc exoleat, quemadmodum Religionis instituta requirunt.* Cardinalis Jacobus Boncompagnus in sua Synodo ita constituit (4): *Templum Dei, pacis, non armorum locus est. Presenti Decreto arma quæcumque hastata, sive ad ignem concipiendum conflata, inferri prohibemus sub pœnis nobis arbitrariis: nec more castrorum deponantur apud parietes intus Ecclesiam, aut foris; non enim statio militibus, sed orantibus sacræ panduntur Ædes.* Hæc quidem verba desumpta videntur ex Sancto Amatore, quæ Constantius etiam in vita Sancti Germani commemorat (5): *Ecclesia* (inquit) *Domus Orationis, non Martis statio petulantis.*

III. Profecto, qui Religionis solum rudimentis imbutus est, perhorrescat oportet, si veterem & recentem disciplinam secum perpendat. Theodosius Junior Imperator celeberrimum Edictum super hac re promulgavit, cujus pars in Codice Theodosiano (6), & in Balsamone pariter (7) continetur. Integrum vero in fine Concilii Ephesini describitur. Nemini Sacras Ædes cum armis adeundas indicit Imperator his verbis: *Plenissimo severitatis jussione, & horrendis comminationibus præcipue ne id faciant, admonebis. Nam qualem ille spem in Religione collocat, qui in Religionis contumeliam armis accinctus ingreditur?* Et cum intelligeret id magis exemplo suo confirmandum esse, ita subdit: *Nam & nos, qui jure imperii armis circumdamur, quosque fine armatis stipatoribus esse non convenit, Dei templum ingressuri, foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema deponimus, & quo sublimissimi imperii speciem præferimus, eo magis imperii nobis majestas promittitur.*

IV. Cum ipse Theodosius Imperium teneret, nondum inventa fuerant arma, quæ ignem conciperent; neque simile vero putandum est, quod ille manibus hastam gereret. Quapropter, si Dei templum ingressurus, foris arma relinquere consuevit, asserendum merito videtur, quod ensem deponeret. Equidem Christiani milites entem in Ecclesiam inferre primo cœperunt, ut ipsum nudarent, vel saltem nudare fingerent, cum Sacrum Evangelium legeretur, ut nempe, ostenderent se paratos esse vitam effundere, ut idem Evangelium tuerentur, quam sane consuetudinem plures adhuc Equestres Ordines retinent. Ea fortasse a belligeris Polonis dimanavit, quod Princeps Micislaus Idolorum cultu depositio, susceptaque Christi Religione indixit populis suis gladium distringere, quoties in Ecclesia legeretur Evangelium; nempe, ut quisque separatum ad effundendum sanguinem ea ratione declararet (8).

V. Hæc quidem non commemoramus, ut constet nequaquam licere ad Ecclesiam cum gladio accedere. Quippe id alienum est a communi consuetudine, quæ vulgo obtinuit; & vix ensis dimittitur, cum Sacramenta percipiuntur. Itaque illa exempla solum indicavimus ob eam causam, ut reliquis armis in templum ferendis aditus occludatur, atque potissimum, quæ ignem concipiunt.

VI. Quondam eadem ratio Templis, & Principum Ædibus habebatur. Nefas erat gladium Fidelibus gerere, cum templum adirent, quemadmodum ex allato Theodosii Edicto deprehenditur. Idem institutum servari in Palatiis Principum consuevit, quod Tiridatis Regis exemplo perspicitur. Nam, cum Neronis Imperatoris Ædes peteret, monitus fuit, ut ensem prius deponeret, ne loci illius majestatem offenderet. Ita Xiphilinus scriptum reliquit.

VII. Nunc vero universis permittitur gladium in Ecclesiam deferre, idque ubique gentium fieri constat. Non licet tamen omnibus gladium gerere, cum Viros Principes conveniunt, sed quibusdam tantum ob dignitatem aliquam supra cæteros præstantibus, atque illis præsertim, qui ad Principis tutelam gladio utuntur.

VIII. At quamvis gladius, quem deferre coram principibus non licet, in Ecclesiis conceditur, facultas tamen ejusmodi reliqua quoque arma complecti nequaquam debet, ac ea præsertim, quæ ad ignem concipiendum efformantur, & quæ nemo prorsus inferre potest, dum Principis Ædes ingreditur, quamvis ipse longe absit juxta leges, quas Menochius recenset (9). Accedit etiam moris vetustas ferendi gladium in Ecclesia, ejusque instituti nobilitas, ac dignitas, uti nos paulo ante posuimus; recenter autem invecta fuit prava consuetudo, ut arma quoque cætera in Sacras Ædes inferantur, eaque statim initio improbata, ac vetita fuit; neque ullam sane originis præstantiam jactare potest: uti de gladio, qui in Ecclesia permittitur, nuper ostendimus.

IX. Argumenta hæc sane æquissima putamus, quibus adducti silere nullo modo possumus, cum de tuendo præsertim Dei cultu res agatur. Quapropter hortamur Parochos magnopere curam omnem, studiumque impendere, ne prava consuetudo in Ecclesiam deferendi arma, quæ potissimum ignem concipiunt, in suis locis, adhuc careant hac gravissima corruptela, sensim ipsorum negligentia, propagetur. Cæteri vero Parochi, ubi mos pessimus jampridem invaluit, haud prætermittant rei gravitatem populo patefacere, moremque indignissimum prorsus eliminare. Id tibi fuisse a nobis vehementer commendatum libere declares; qui proculdubio integram valetudinem diutius ad extremam usque vitæ periodum tueremur, si corporis morbis nos eripi possemus ea facilitate, qua rationes, dicteriaque hominum superamus. Palam exponas illis, qui inter Familiares nostros datis literis cooptati, aut muneris alicujus titulo a nobis decorati fuerunt, statim hoc privilegio spoliatum iri, si arma, præsertim ignem concipientia, in Sacras Ædes deferant. Idem futurum pro certo affirmabis reliquis omnibus, qui a viris Principibus, aut quocunque Tribunali easdem literas consecuti fuerint, ut arma ferre ipsis liceat. Cum enim dubitandum non sit de peculiari studio, quo illi Dei cultum prosequuntur, facili negotio eos adducemus, ut prorsus immerentes literis, ac privilegiis destituantur; postremo notum facies alia quoque consilia, si opus fuerit a nobis ineunda, ut ipsorum audaciam comprimamus. At quoniam non ignoramus obtineri vix posse, ut rustici arma sua domi relinquant, cum ad Ecclesiam se conferunt, atque iterum domum repetant, ut arma capiant: ideo Parochus, ubi in Ecclesiam arma ferre populus consuevit, illorum exemplum sequatur, qui suæ Canonicæ porticum, aut aliud cubiculum paratum exhibent, ut ibi deponant arma, qui templum ingredi volunt, & illa rursum accipiant, cum Sacris ab Ædibus excedunt. Indecorum quippe est arma foribus Ecclesiæ, mœnibusque applicari. Hæc jussa facere diligentissime ne prætermittas, ac de re peracta non certiores efficias: Benedictionem tibi nostram impertimur.

## INSTITUTIO C.

*Epistola Encyclica Parochis diœcesis. Quomodo, & a quonam reparari debeant Ecclesiæ & Parochorum ædes, si necessitas id postulet, sive sint liberæ collationis Episcopi, sive Juris-patronatus. Utrum Parochus (nisi vetus aliqua obstet consuetudo) teneatur eas reficere, & quibusnam impensis. Utrum qui gaudet Ecclesiasticis fructibus in aliqua Ecclesia, quæ instaurari debeat, pecunia partem conferre adstringantur. Quo in casu Dominus teneatur, in quonam populus, & quomodo in aliis circumstantiis agendum sit.*

I. NIhil mirum, neque ab humanarum rerum vicissitudine alienum videtur, si in ampla diœcesi, quæ multis Parochiis abundat, aliquæ inter ipsas deprehendantur, quarum templa restaurari debeant, aut iterum a fundamentis

(1) *In Comment. cap. Clerici, num. 7. de vita & honest. Clericor.* (2) *In Actis illius Ecclesiæ part. 2. tom. 1. p. 30. edition. Lugdunen.* (3) *Tom. 1. Oper. pred. pag. 695.* (4) *Lib. 1. cap. 23.*
(5) *Lib. 4. cap. 4.* (6) *In lib. 9. tit. 34.* (7) *In Nomocan Photii tit. 5. cap. 2.*
(8) *Gaguinus in Actib. Reg. Polon. apud Theophilum Raynaudum tom. 17. quæst. de Relig. Loricato pag. 192.*
(9) *De Arbitrariis 194. num. 39. & 40.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tis excitari. Neque ſane inuſitatum eſt, ſi ædes alicujus Parochi, quæ Canonicæ vulgo nuncupantur, diuturnitate temporis labefactatæ refici pariter expoſtulent.

II. Porro advertimus Parochos ad nos ſtatim confugere, cum ipſorum Eccleſia, vel privatæ ædes inſtaurandæ, ſeu rurſum condendæ putantur, ſi eam Parochiam conferre libero jure ad nos pertineat, nec ſit de jure Patronatus alicujus communis, aut privatæ cujuſvis familiæ. Id autem a nobis Parochi expoſcunt ea ducti opinione, quod templum, & Parochi domicilium, cum opus fuerit, ab eo reficiendum, ſeu rurſus ædificandum ſit; qui jure gaudeat eamdem Parochiam conferendi.

III. Hæc ſane opinio; ſi veritati conſentanea duceretur, eos ipſos a graviſſimis expenſis liberaſſet, quas ſecimus, ut in hac Sede Archiepiſcopali, quæ Canonica noſtra appellanda eſt, meliorem in formam redacta, nos, ac familiares noſtri commodius immoraremur: ſi, inquam, opinio ſuperius expoſita a veritate nequaquam abhorreret, quidquid nos aggreſſi ſumus, quidquid pecuniæ impendimus, a Sede Apoſtolica peragendum fuiſſet, ad quam ſpectat Bononienſem Archiepiſcopatum libere conferre.

IV. Ac quamvis id omnino falſum ſit, uti modo oſtendemus, tamen haud prætermiſimus non mediocrem pecuniam elargiri, ut dirutæ penitus Eccleſiæ Parochiales a fundamentis conderentur, uti conſtat ex Maſſumatici, & Sancti Vitalis templis prope Rhenum, quæ jam perfecta ſunt, & Templo etiam Parochiali Savigni, quod nunc aſſurgit.

V. Sed vehementer errant, qui jure quodam id ſemper a nobis præſtandum, cum oportuerit, libere affirmant, quive inter Laicos diſſeminant ab hac Sede Archiepiſcopali reſtaurandas eſſe, vel ædificandas Parochiales Eccleſias, & Canonicas, quæ ab Archiepiſcopo jure ſuo conferri debent; illi, inquam, vehementer errant, ita ut neque invincibilis ignorantiæ cauſa excuſari poſſe videantur. Nam qui ita judicant, ac dictitant, facili negotio falſam hanc ſententiam dignoſcere potuiſſent, ſi libros de his rebus agentes percurriſſent, quos conquirere debent, ſi ipſis careant, eoſque diligenter evolvere, ut Parochi munere recte fungantur; illoſque pariter intelligant neceſſe eſt, cum ſatis perſpicue conſcripti fuerint haud Sinenſi, vel Cophtica, ſed Latina lingua, quam Sacerdos quilibet apprime callere oportet.

VI. Si pro certo haberemus hanc noſtram admonitionem humanitatis, & amoris plenam ſatis futuram eſſe iis, qui falſam opinionem, quam nuper indicavimus, in populum diſſeminarunt, libenter ea omitteremus referre, quæ a Sacris Legibus hac de re decernuntur. At quoniam ſuſpicamur non immerito nullam operam eos daturos, ut erroris tenebras depellant, ideo paucis complectemur omnia, quæ fuſe Scriptores congeſſerunt. Hæc fortaſſe percurrent, vel ſi id facere contemnant ipſi, plures ſane alii hæc, quæ ſcribimus, ſibi ante oculos ſubjiciunt. Quod ſi in poſterum aliquis eadem ſententia perductus a nobis requiret, ut Eccleſiam, vel Canonicæ Domicilium noſtris ſumptibus reficiamus, aut extruamus, illi pro merito reſpondebimus.

VII. Tridentina Synodus, quam accurato ſtudio legendam alias, nequidquam fortaſſe, monuimus, ita præſcribit (1): *Parochiales vero Eccleſias, etiamſi Juriſpatronatus ſint, ita collapſas reſici, & inſtaurari procurent, ex fructibus & proventibus quibuſcumque ad eaſdem Eccleſias quomodocumque pertinentibus: qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad predicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent, ad Matrices, ſeu viciniores Eccleſias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Eccleſias dirutas, in profanos uſus, non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi.*

VIII. Quibus verbis eadem Synodus non Parochiales tantum Eccleſias Juriſpatronatus, ſed alias quoque liberæ collationis amplectitur, & qua ratione, ſi opus fuerit, reſtaurandæ ſint, aperte oſtendit. Epiſcopis indicit omnem curam impendere, ut qui ſumptus ob eam cauſam facere debeant, pecuniam conferant. Sin autem ipſi magna egeſtate impediuntur, conſilium ab Epiſcopo tunc ſuſcipiendum demonſtrat. Cum tamen Tridentina Synodus nunquam Epiſcopo præcipiat reficere, vel labentes Parochias *liberæ collationis* rurſum extruere iis fructibus, quos ipſe percipit; cum nulla etiam Synodus Generalis poſt Tridentinam coacta fuerit, ideo rem gratiſſimam nobis facerent, qui onus ejuſmodi tribuendum Epiſcopis exiſtimant, ſi rationes patefacerent, quibus eorum ſententia innititur.

IX. Doctores Concilio Tridentino inhærentes, hos veluti gradus conſtituunt, qui nullo pacto Epiſcopos afficiunt. Primum, ſi Eccleſia reſtauranda peculiares aliquos proventus ſuppeditat, qui levandis ipſius incommodis, ac detrimentis impendi debeant, uti fas eſſet juxta *Canonem* 30. 12. *quæſt.* 2., tunc iidem proventus ad Eccleſiam reparandam primo conferendi ſunt.

X. Secundo, ſi aliqua Conſtitutio, vel Statutum intercedat, quo privatæ familiæ ſuis ſumptibus Eccleſiam, cum oportuerit, reficere, vel dirutam rurſus excitare teneantur, tunc eidem ſtatuto parendum eſt.

XI. Tertio, ſi loco ſtatuti, vetus, ac certa conſuetudo afferatur, ob quam privati aliqui cives expenſas facere cogantur, tunc ea conſuetudo vim legis habere, aut retinere debet.

XII. Quarto, ſi neque ſtatutum, neque ulla conſuetudo interveniat, tum Parochus ipſe faciendis expenſis ſubjicitur, qui tamen haud fructus ex patrimonio ſuo deſumere, ſed illos, qui ſibi ex Beneficio ſuperſunt, omnino debet. Sic enim ſancitur apertiſſime *ex Cap. de his, De Eccleſiis ædificandis: De his, qui Parochiales Eccleſias habent, duximus reſpondendum, quod ad reparationem & inſtitutionem Eccleſiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quæ ſunt ipſius Eccleſiæ, ſi eis ſuperſint, conferre, ut eodem exemplo cæteri invitentur.* Perſpectum eſt omnibus in tres partes diſtribui proventus Eccleſiaſticos a jure Pontificio conſervando, altera juvandis egenis, tertia reſtaurandæ Eccleſiæ tribuitur: *Et quamvis hodie* (inquit Peckius (2) *diſtributio illa antiqui juris in omnibus non ſervetur, illud tamen & Jure & conſuetudine receptum eſt, ut hoc onus in prædictis redditibus, proventibus, & decimis annexum, cum ſequatur, qui eorum uſum, fruitionem, præceptionem, & commoditatem habet.*

XIII. Hic duo ſuperaddenda videntur, nempe inter ea, quæ Parocho ſuperſunt, nequaquam admiſcendas eſſe expenſas, quæ fiunt pro alendis conſanguineis; aut pro ſervanda generis ſui conditione: ea ſolum numeranda ſunt, quæ ad Parochum ipſum ſuſtentandum neceſſaria ducuntur. Equidem Barboſa ſcriptum reliquit (3): *Teneri Rectorem ad reparationem, ſi Beneficii bona ſuſtentandæ vitæ ſuperſint, quamvis ad tuendam conditionem, ſeu ſtatutum non ſufficiant; quia Beneficiorum fructus, non ad creſcendos, aut erigendos, ſeu fovendos mundanos titulos, ſed ad pauperes alendos, & Divinum cultum inſtituendum ſunt conceſſi.* Illud quoque monendum eſt non ſolum Parochum, ſed cæteros etiam, qui penſiones ex illa Parochia ſuſcipiunt, ea lege teneri, ut partem ſuam impertiant, cum templum reparandum eſt, niſi forte penſiones eædem prorſus immunes conceſſæ fuerint, uti plerunque contingit. Inſuper, qui in eadem Eccleſia ſimplex aliquod Beneficium obtinet, idem præſtare debet (4): *Quicumque Beneficium Eccleſiaſticum habent ad tecta Eccleſiæ reſtauranda, vel ad ipſas Eccleſias emendandas omnino adjuvent, & nonam, & decimam reddant.* Equidem die 13. Martii anno 1657. Narnienſis Epiſcopus a Sac. Congregatione Concilii plura expoſtulavit (5): *An poſſit Beneficia* (quorum tituli translati fuerant in aliam Eccleſiam, quæ reſtauratione indigebat), *quacumque dignitate Beneficiati prefulgeant, & etiamſi gaudeant Palatinorum privilegiis, ad reſtaurandam Eccleſiam, in quam transferuntur tituli, quatenus reſtauratione indigeat, gravare?* His Sacra Congregatio reſponſum ejuſmodi fecit: *Dictos Rectores Beneficiorum, etiam in quacumque dignitate conſtitutos, teneri poſt translationem ſecutam, ad futuram reſtaurationem Eccleſiarum, ad quas Beneficia fuerunt translata.*

XIV. Quinto, ſi Parochus ſuſtentationem ſuam ex Beneficio ſolum percipiat, neque ſint ulli, qui Penſiones, aut Beneficium ſimplex ex ſua Parochia deſumentes neceſſariam pro expenſis pecuniam ſuppeditent, tunc ſi eadem Parochia Ju-

(1) *Seſſ. 21. cap. 7. de Reform.* (2) *In ſuo Tract. de reparand. Eccleſiis c. 14.*
(3) *C. 7. ſeſſ. 21. de Reform. num. 9. & 10.* (4) *In C. Quicumque, de Eccleſiis ædifican.*
(5) *Lic. 19. Decret. pag. 642. & 645.*

Juſpatronatum adjunctum habeat, Concilium Tridentinum faciendas a Patronis expenſas decernit, uti ſuperius oſtendimus, non modo, ſi templum reficiendum ſit, ſed etiam, ſi ruina dirutum a fundamentis reſtituendum judicetur. Nam qui jure cogitur ædificium aliquod reparare, illud etiam rurſum excitare cogitur, ſi quis ruinam deciderit. Contra vero ſtatuendum Peckius (1) arbitratur, ſi quis interpoſita ſolum hominum cautione, ad reparandum ædificium teneretur. Cum vero Patroni reſtaurare, ac denuo erigere, ſi opus fuerit, Eccleſiam debeant non *præciſe*, ſed *cauſative*, uti explicant Theologi, nempe, ſi jus præſentandi retinere velint (2): hinc factum eſt, ut iiſdem Patronis conſentaneum temporis ſpatium proponatur, quo templum reſtaurent, vel ſi neceſſitas poſtulat, *illud* rurſum ædificent, aut jus nominandi dimittant. Fama celeberrimus eſt vehementiſſimus terræmotus, quo pene tota Raguſæ civitas a ſuis ſedibus convulſa fuit. Illius Metropolitanæ Eccleſiæ Capitulum jure ſuo Parochos nominabat Eccleſiæ, quæ in Oppido Umbliæ Beatæ Mariæ Virgini conſecrata eo vehementi impetu in terram dejecta fuerat. Itaque Canonici neceſſarias ad templum rurſus erigendum expenſas facere declinabant, populoque onus imponere contendebant. Quapropter controverſia nata eſt, ac petitum fuit his verbis a Sac. Congregatione die 3. Auguſti anno 1666.: *An, & cujus expenſis reædificanda, ſeu reparanda ſit Eccleſia?* Illa vero ſic reſpondit: *Præſtigendum eſſe Capitulo terminum ſex menſium ad renuntiandum juri præſentandi.*

XV. Sexto, ſi Eccleſia Juſpatronatum additum nequaquam habeat; ſi in libera collatione Epiſcopi poſita ſit, nec ullæ Penſiones, neque ullum Beneficium ſimplex interſit, uti dictum eſt, tum Populus expendere debet quidquid ad illam reficiendam, vel iterum ædificandam requiritur. Non ſemel accidit intra Parochiæ fines ab aliquibus bona poſſideri, qui tamen extra ipſam Parochiam degunt, uti conſtat in domorum Conductoribus, quamobrem revocari in dubium foret, utrum ipſi Conductores, an vero Domini ſumptibus ſatisfacere debeant. Cum tamen in Italia mos obtinuerit, ut Forenſes ſolvant tantum pecuniam pro iis bonis, quæ poſſident in loco, ubi collectiones a Magiſtratu præſcribuntur, idem prorſus eſt obſervandum in controverſia, quam modo expoſuimus. Sic unanimes Scriptores affirmant (3).

XVI. Congregatio pro Cauſis Epiſcoporum, ac Regularium conſtituta die 10. Octobris anno 1581. his verbis ſcripſit ad Vicarium Placentinum. *Si te convenient iterum illi tres, vel quatuor, qui, ut ſcribis die prima hujus menſis, novas afferunt difficultates, ne quidquam cum reliquis pro reſtauratione Parochiæ conferant, ubi ſua habent domicilia, illos magno in errore verſari dices. Jam tibi ſignificatum fuit curam omnem adhibere, ut Inquilini pro Dominis pecuniam ad id neceſſariam impendat, ac deinde quidquid ob hanc cauſam expenderint ſibi retineant ex pretio, quod pro domo conducenda perſolvunt: Sacra Congregatio poſt accuratum examen ita ſtatuendum cenſuit, idque pluribus in locis ſervatur, cum expenſæ, quæ ſemel indicuntur, perpetuæ futuræ ſunt, veluti templorum reſtaurationes, cum tamen expenſæ leves fuerint, & annuæ, veluti pro ſuſtentando Parocho, aut pro aliis cauſis ſimilibus, tunc aliud conſilium ſuſcipi poterint. Viam igitur inſiſte, quam jam ingreſſus es in hoc negotio peragendo.*

XVII. Septimo, ſi opulenta dote Eccleſia prædita ſit, quæ a Parochi proventibus ſejungatur, facultas pro illius parte alienanda expoſci poteſt, ut Sacræ Ædes reparentur, vel a fundamentis condantur.

XVIII. Ultimo, ſi omnes aditus intercluſi ſint ad pecuniam congerendam, tunc Eccleſia in uſum profanum redigatur neceſſe eſt, & Parochiæ titulus in proximam Eccleſiam transferatur.

XIX. Hos gradus ſtatuunt Theologi (4); ex quibus minime deprehenditur Epiſcopi ſumptibus reficiendas, vel iterum erigendas jam labentes Eccleſias. Quapropter illos pudere fas eſt, ſi ullam verecundiam pati queunt, qui falſam hanc opinionem evulgare non dubitarunt; eamque prorſus a veritate alienam fateri debent. Pudeat quoque meſſi manum admoviſſe, quæ ad ipſos nullo modo pertineat.

XX. Jam nono abhinc anno hujus Civitatis ac Diœceſis adminiſtrationem gerimus, cognitumque eſt omnibus totum id tempus inſtruendis ædificiis nos inſumpſiſſe. Quippe Metropolitanam Eccleſiam, Ædes Archiepiſcopales, Seminarium, aut alias Parochiales Eccleſias in Diœceſi poſitas, vel etiam domos patronorum, aut agreſtium, quæ ad menſam Archiepiſcopi ſpectant, noſtris ſumptibus ædificavimus. Porro hæc ſuſcepimus diverſis temporibus, ſed & diverſis in locis uno tempore ſuſcepimus, & quod gravius eſt, adhuc in pelago jactamur, nec portum vicinum intuemur; itaque longa experientia ducti, judicium noſtrum ferre poſſumus ſaltem de expenſis, quæ pro condendis ædificiis requiruntur.

XXI. Igitur qui ſatisfacere muneri ſuo, magniſque expenſis parcere ſatagit, cum agitur de ſacris ædificiis Canonicis, templorum ſupellectile, vel Aris, quæ nihil differunt ab Eccleſiis ipſis, ſeu Canonicis ædificandis, omnia ſedulo perſpiciat oportet, & nihil, quamvis exiguum, contemnat: ſtatim ac detrimentum aliquod advertit, remedium protinus afferre debet; nam hoc pacto vetuſta etiam ædificia in priſtinam ſpeciem, &, ut ita dicam, juventutem facile reſtituuntur: ob hanc cauſam, cum laudes Juliani Mamertinus celebraret, mœnia ab illo Imperatore reſtaurata in novam juventutem redacta fuiſſe prædicavit (5). Ennodius eadem ſententia uſus eſt: *Abjurant priſcam, te Præſule, tecta ſenectam*; idem prorſus ſcriptum reliquit Caſſiodorus (6): *Quorum fabricis dedimus longiſſimam juventutem, ut priſtina novitate reluceant, quæ jam fuerant veternoſa ſenectute fuſcata.* Si hoc ſtudium, ac diligentia impendatur, exiguo ſane pretio illud perficitur, quod, ſi negligatur, diuturnitate temporis eo devenit, ut magnam pecuniæ ſummam expoſtulet; ſi Parochus hac via pergat, gradus, quos a Theologis conſtitutos nuper enumeravimus, haud neceſſarii videntur. Nam ſi aliquid tantum ex ſuis proventibus defumat, & conſuetas populi eleemoſynas addat; quæ tunc augentur, cum Eccleſiam, ſuumque a Parocho domicilium ſedulo curari palam innoteſcit, tum quæ neceſſaria ſunt facili negotio reparantur.

XXII. Cum hæc ita ſe habeant, omnis difficultas ad eum Rectorem animarum redigitur, qui in eum locum ſubrogatur, ubi per plures annos anterior Parochus nullam habuit Eccleſiæ curam, ipſamque cum domicilio, & Sacra Supellectili magnopere labefactatam reliquit. Nonnulli putant, ſi id contigerit, nullis expenſis novum Parochum obnoxium conſtitui, cum ejuſmodi detrimenta ex alterius Parochi negligentia promanaverint. Sed errant vehementer: nam Eccleſiæ reſtauratio debitum reipſa conſtituit, ipſius Eccleſiæ proventibus, tanquam hypothecis, diſſolvendum; quare, cum recens Parochus eos proventus aſſequatur, qui adjunctum habent ejuſmodi pignus, in ipſum pariter anterioris Parochi debitum transfertur, uti Ventriglia (7) cum multis aliis ſapienter exponit. Novus tamen Parochus repetere jure poteſt ab hæredibus anterioris Parochi quidquid ipſe expenderit, ut damna alterius vitio illata reficeret; quæ profecto nequaquam eveniſſent, ſi Vicarii Foranei nos, uti debent, ſtatim monuiſſent, vel poſt aliquod temporis ſpatium admoniſſent, nam conſilium rei idoneum ſuſceptum a nobis fuiſſet, dum Parochus adhuc vita fungeretur; vel illud ſaltem Vicarii Foranei prætermittere non debuerant poſt Parochi mortem, nempe de allatis ob ejus negligentiam detrimentis nos certiores facere, & utrum aliquid ſupereſſet ex illis bonis, an vero translata alio fuiſſent, ut ipſa ſequeſtro poſita poſt accuratum rei totius examen, divendi poſſent, redactaque pecunia damnum reparari. De his te monendum exiſtimavimus.

IN-

(1) *Tract. cit. de Eccl. reparandis c. 2. n. 1. & 2.* (2) *Sperell. dec. 67. nu. 10. Panimoll. dec. 6. annot. 8. nu. 15. Rota dec. 145. n. 2. coram Bichio, & deciſ. 163. num. 11. p. 17. recent.* (3) *Peckius de Eccl. reparand. queſt. 11. n. 4. verſ. Communiter tamen. Tondut. Queſt. Beneficial. part. 1. cap. 38. n. 9. Amoſtazo de Cauſis Piis to. 2. lib. 5. cap. 6. n. 56.* (4) *Sperell. dec. 67. per totam. Panimoll. dec. 6. annot. 8. Ventriglia Rer. Eccl. lib. 2. annot. 18. §. unico. Nicol. in Praxi Canonica lib. 2. lit. P. §. 2.* (5) *In ſua Epiſt. ad Boethium.* (6) *Lib. 2. Variar. cap. 35.* (7) *De Reb. Eccleſiaſt, annot. 18. num. 73.*

## INSTITUTIO CI.

*Epiſtola Petro Franciſco Peggio Philoſophiæ publico Profeſſori, utrum Clericus gerens Magiſtratum ſecularem, qui capitalem ſententiam pronunciavit, Irregularitatem contraxerit, etiamſi non fuerit illa executioni demandata. An Clericus, qui militiæ nomen dedit, & manum cum hoſte conſeruit, irregularis habendus ſit, quamvis certo ſciat nemini mortem, vel mutilationem ſua manu intuliſſe. Quid ſtatuendum ſit, ſi bellum juſtum, aut ſi injuſtum habeatur. Diſcrimen bellorum, quæ cauſa ſui defendendi, aut alterius offendendi ſuſcipiuntur.*

I. QUidam Clericus prima Tonſura, ac minoribus Ordinibus præditus Mutina diſceſſit menſe Majo cum Exercitu Gallico in cohortem Equitum Bituricenſium ſponte ſua cooptatus; cum illis forte militibus admixtus fuit, qui ad expugnandum Goitum miſſi fuerant, quæ arx ad Mincium poſita, quinque, vel circiter milliariis a Mantua diſtat. Equidem obnoxius fuit tormentis bellicis, quæ ab hoſtibus explodebantur, tamen eo nunquam devenit, ut ſuum ſclopetum exploderet; certoque affirmat nemini vulnus, aut necem intuliſſe. Menſe Junio nondum abſoluto, facultatem obtinuit, ut negotiis ſuis domeſticis expediendis domum reverteretur, quam deſerere amplius non potuit, eo quod Bituricenſium Equitum cohors in Galliam rediiſſet, quapropter induit rurſus habitum Clericalem, ſtudiis Eccleſiaſticis operam impendit, & curſum, quem primo inierat, proſequi vehementer exoptat. Hinc a nobis poſtulas, utrum aliqua irregularitate devinctus ſit, ob quam ſuſceptos antea Ordines exercere nequeat, nec ad reliquos aſſumi valeat, niſi prius Apoſtolicæ Sedis facultas interceſſerit.

II. Cum igitur hic Clericus neminem interfecerit, neque mutilaverit, uti conſtat ex eo, quod ſclopetum minime diſploſerit in hoſtes, proculdubio reſpondendum videtur, nulli irregularitati ſuiſſe obnoxium, quamvis militiæ adſcriptus in acie conſtiterit, & conditionem a Clerico prorſus alienam delegerit, & in eo diſcrimine verſatus ultro fuerit, ut aliquem necaret, aut mutilum efficeret.

III. Ad rem declarandam afferri poteſt exemplum Clerici, qui Magiſtratus ſæcularis perſonam ſuſceperit, quæ ab ipſo longe abhorret, mortiſque ſententiam, in aliquem reum pronunciaverit.

IV. Inquiritur, an hic Clericus irregularis factus ſit, licet ea ſententia demandata executioni nequaquam fuerit. Id plures affirmant, Alii vero, ne Theologis examinandis cum labore tempus inſumant, decernunt petendam eſſe diſpenſationem ab irregularitate *ad cautelam*. (1) Reliqui tamen unanimes afferunt eumdem Clericum immunem eſſe ab Irregularitate, ſi ob ejus ſententiam reus non perierit, eo quod ex homicidio ſolum irregularitas dimanet (2). Eidem opinioni adhæret (3) Romanæ Rotæ Tribunal, ipſique Decreta Sacræ Congregationis Concilii conformantur (4). Sed opinio, quæ poſcendam diſpenſationem tradit *ad cautelam*, probata non fuit a Pauluccio, qui olim S. Congregationis Concilii Secretarii munus exercuit (5), neque illam ſecutus eſt Cardinalis Panciaticus ejuſdem Congregationis Præfectus, quo tempore Secretarii munus commiſſum nobis fuit, uti deprehenditur ex ejus ſuffragio in Cauſa Sancti Severini, quod nos ipſi retinemus; ea vero ratione potiſſimum ductus fuit, nempe ſupervacaneum eſſe diſpenſationem *ad cautelam* poſcere pro illa re, in qua conſtat nullam fuiſſe a Jure ſancitam Irregularitatem.

V. Agit de hac eadem quæſtione Diana (6), eamque ſententiam amplectitur, quam paulo ante indicavimus, illudque ſuperaddit, ſi irregularis evadit Judex, qui reo mortem edixit, omnique ſtudio contendit, ut ſupplicio reus afficeretur, quamvis conatus ſuos fruſtra contulerit, ac reus mortem declinaverit, ſi, inquam ſtatuenda Judici videatur Irregularitas, idem prorſus decernatur neceſſe eſt in illum, qui ſclopetum diſplodens grandes plumbeas in alium emiſerit, licet ipſum non attigerit, vel ſi vulnus alicui inflixit, in optimam valetudinem ille reſtitutus fuit, nec ullo membro diminutus. Id vero nemo unquam aſſeruit, & ne quidem ſomnio effinxit. Idem Diana ſapienter advertit concedi a Sacra Pœnitentiaria, vel Dataria diſpenſationes ejuſmodi, non tanquam neceſſarias, ſed ut omni ſcrupulo, animique ſollicitudine Fideles eripiantur.

VI. Proculdubio exemplum Clerici, qui Magiſtratum haud ſibi conſentaneum gerit, quive ob latam mortis ſententiam nullam contrahit Irregularitatem, ſi reus mortem minime ſubierit; id, inquam, exemplum ſatis fortaſſe oſtendit irregularem haud eſſe Clericum, qui militiam profeſſus eſt, ſi nunquam in hoſtes ſclopetum exploſit, & pro certo habet nemini mortem intuliſſe, neminemque mutilum effeciſſe; imo fortaſſe aliquis ultra hos fines progredi non dubitabit, allatoque Judicis exemplo perductus fatebitur Irregularitati obnoxium non eſſe Clericum, qui ad pugnam profectus decertavit, ſclopetum diſploſit, ſed neminem certe occidit, aut parte aliqua corporis imminuit. Attamen ingenii tui vim intelligentes, non immerito timemus id Judicis exemplum haud ſatis eſſe, ut propoſitæ ſententiæ acquieſcas; & cum diſcrepantiam in iis quoque rebus invenire ſoleas, quæ reliquis omnibus ſimillima videntur, fortaſſe hoc diſcrimen in medium proferes, Irregularem, non fore Judicem, qui morte aliquem damnaverit, ſi deinde reus eo ſupplicio eripiatur, eo quod Judici ſolum objici poteſt *illius* mors, quem ipſe ſententia ſua damnaverat; quare cum reus mortem decretam effugerit, omnis Irregularitas declinatur: Clericus autem, qui pugnam iniit, & ſclopetum ſuum exploſit, ut Irregularitate immunis exiſtimetur, haud ſatis eſt, quod neminem ipſe interfecerit, aut mutilaverit, ſed aliorum quoque homicidia, & mutilationes ipſi tribuuntur, nam cum cæteris, qui hæc commiſerunt, unum veluti corpus ipſe conſtituebat. Id profectio magnum diſcrimen inter Judicem Clericum, & Clericum militem intercedere apertiſſime demonſtrat.

VII. Equidem ſapienter, uti ſoles reſponſum feciſti; tamen tum *in facto*, tum *in jure* ſatisfacere tibi contendemus. Goiti expugnatio ita ſe habuit, quemadmodum non Clericus ipſe, ſed plures alii, qui interfuerunt, fide atque integritate cogniti, nobis expoſuerunt. Dux fœderati exercitus extemplo cohortem miſit, ut parvum Goiti oppidum, quod exigua Germanorum copia tenebat, occuparet. Noctis tempore cohors profecta eſt, cui noſter Clericus adjungebatur. Pervenit ad vallum Goiti paliſ munitum, cum tenebræ adhuc cœlum obtegerent. Germani milites de adventu hoſtium admoniti, tormenta bellica ſæpius abſque ullius offenſione diſploſerunt. Poſtea ad exercitum Germanum, qui non longe aberat, tacito noctis tempore ſe contulerunt: ſub lucem fœderati deceſſum hoſtium, oppidumque militibus vacuum deprehenderunt. Itaque mœnia ingreſſi ſunt, eaque in ſuam poteſtatem redegerunt, ita tamen, ut nullus ex Germanis occiſus, aut mutilatus fuerit (quod Clerico expeditionis comiti tribuendum judicares): neque ullus ex fœderatis mortem oppetiit in illa expugnatione, neque corporis partem ullam obtruncatam amiſit, quod Clerici vitio vertendum non fuiſſet, ut immunis Irregularitate cenſeretur. En tibi rei totius ſeriem, quam polliciti ſumus; nunc ad rationes ex jure deſumptas veniamus; ac primum hoc diſcrimen anteponendum eſt, ac videndum, an bellum æquitati conſentaneum putetur, vel ab ipſa prorſus alienum.

VIII. Nam ſi bellum injuſtum indicitur, Irregulares fiunt illi etiam, qui nullum ex hoſtibus necarunt, aut mutilarunt, dummodo militum aliorum opera aliqui ex hoſtibus mutilati, vel interfecti fuerint. Id unanimes fatentur Theologi (7). Recentiores tamen ſic explicant, ut illos ſolum irre-

(1) *Apud Corradum in praxi diſpenſ. lib. 5. c. 2. num. 3. & in additionibus poſt. eumdem librum fol. 31. num. 57.*
(2) *Suarez de Cenſuris diſput. 57. ſect. 1. n. 3. Navarr. conſ. 9. ſub. n. 4. de pœnit. & remiſſ. Theſaur. de Pœnis Eccl. par. 2. c. 2. vocabulo Judicis Laici munus exercentes §. Contraria. Sperel. dec. 17. Ciarlin. contr. 203. per tot. Capon diſcept. 30. per tot. Paſqualig. quæſt. Moral. Iurid. 17. num. 3. Leand. t. 5. tract. 2. de Irregularit. diſ. p. 7. queſt. 5. & 6.*
(3) *In deciſ. 1191. num. 1. coram Seraphino.* (4) *In Vercellen. die 3. Feb. anno 1629, & in Spoletana die 15. Decem. 1630. in Sutrina 25. Maij 1695. in S. Severini irregularitat. 2. Junii 1703.*
(5) *Apud Ciarlin in Civ. controv. 203. §. final.* (6) *In edit. coord. tom. 5. reſol. 89.*
(7) *Pontas in ſuo Dict. Caſ. in vocab. irreg. caſ. 70.*

irregulares existiment, qui licet neminem occiderint, aut mutilaverint, operam tamen suam præbuisse censeantur illis, qui necem hostibus intulerunt, aut illos parte aliqua corporis imminuerunt; porro vicinoribus, & circumadstantibus id tribui potest, non vero illis, qui remota in parte exercitus consistunt. Excogitari quidem nequit post aciem instructam, quæ longissimum agri spatium occupat, eos milites, qui in sinistro cornu positi neminem mutilarunt, aut occiderunt, eos, inquam, contulisse operam suam reliquis militibus, qui in dextero complures hostes morti dederunt, aut ferro mutilarunt (1). Nonnulli quoque arbitrantur irregulares fieri Laicos, qui bellum injustum capessunt, si ipsorum comites occiderint, aut aliquem ex hostibus mutilaverint, quamvis illi nihil tale quidpiam commiserint; Clericum vero bello injusto decertantem putant Irregularitati penitus obnoxium, licet nec ipse, nec cæteri milites gladio interfecerint hostes, nec eos quidem mutilaverint. At vero, cum jus Pontificium id Clerico ejusmodi nequaquam decernat, hæc sententia probari nequit, uti Suarez luculenter ostendit (2). Majolus, & perpauci alii, qui contrariam opinionem ex hoc canone tuentur (3): *Clerici, qui in quacumque seditione (aliàs factione) arma volentes sumpserint, aut sumpserunt, reperti, amisso ordinis sui gradu, in Monasterio pœnitentiæ tradantur*: Hi Scriptores, inquam, magnopere errant, eo quod is Canon de suspensione tantum agit, non vero de Irregularitate, quæ quidem suspensio non *ipso facto* irrogatur, sed Judicis sententia decernenda est.

IX. Sin autem bellum justissimum appareat, tunc bellum defensionis a bello offensionis oportet secernere, & bellum pariter, ubi quis hostem manu interfecit, vel mutilavit, & bellum, ubi nullum ipse ex his facinus, sed alii certe milites admiserunt. Cum bellum justum ad defendendam Patriam, Ecclesiamque suscipitur, Laicus, qui pugnando hostes interficit, nulla Irregularitate devincitur. Idem prorsus de Clerico statuendum est, si jussus bellum ineat, nec pro Ecclesia, vel Patria tuenda Laici sufficiant (4). Quod si bellum justum ad offendendum suscipiatur, accurate perpendi debet, utrum Laicus, aut Clericus hostem manu sua peremerint, vel mutilaverint. Nam, si ipsi nihil horum patraverint, omni prorsus Irregularitate immunes habentur, licet alii milites in eadem acie hostes morte affecerint, aut parte aliqua corporis imminuerint. In bello ejusmodi nihil interest, quid alii gesserint, & solum oportet expendere, quid Clericus, aut Laicus, de quibus agimus, manu sua perfecerint, ut inde statuatur, utrum Irregularitatem subierint; ita fuse demonstrat Schmalzgrueber (5), qui plures alios ejusdem sententiæ Theologos enumerat.

X. Honorii III. responsum rem totam facilius declarat (6). Ipsum datum fuit Sacerdoti Pelagio, seu Serotino, qui anxius, ac sollicitus de interfectis Turcis, qui oppidum suum invaserant, ad Pontificem confugerat: *Petitio tua* (inquit Pontifex) *nobis exhibita continebat, quod cum inimici Dominicæ Crucis, ac blasphemi nominis Christiani, castrum quoddam, in quo morabaris, graviter invasissent, exeuntibus inde habitatoribus tam Clericis, quam Laicis contra eos, ac invicem confligentibus, hinc inde occisi quam plurimi exciterunt: Unde cum pro eo quod aliquos percussisti, Irregularitatem metuas incurrisse: Mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia remordet, a ministerio Altaris abstineas reverenter, cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare*. Ex his sane verbis desumitur Irregularitati non esse obnoxium Sacerdotem qui bellum justum offensionis iniverit, incertumque est, utrum aliquem in conflictu necaverit, quamvis alii multos interfecerint, aut mutilos reddiderint: id Pontas (7) ductus eadem Pontificis auctoritate, & conventus condomi habiti recte, ac sapienter perpendunt (8).

XI. Inter cæteros, qui de Irregularitate studio accurato disseruerunt, Gibalinus merito recensetur. Ipse potissimum illud inquirit (9): *Quinam fiant irregulares in bello justo aggressivo, secuto aliquo homicidio*. Et statim respondet his verbis; *Neminem alium, quomodocumque concurrat ad bellum justum, fieri irregularem propter homicidia, quæ committuntur ab aliis, quod fatentur omnes, & colligitur ex cap. Petitio &c. nihil hoc loco distinguendum esse inter Laicos, & Clericos; omnes enim si propria manu mutilent, aut occidant, sunt irregulares in hoc bello; nulli autem sunt, si a mutilationibus, & cædibus ipsi abstineant. Neque etiam quidquam facit, quod Clerici tunc in bello assistentes, sint in Sacris, quia Capitulum Petitio loquitur de Sacerdote, quem non damnat Irregularitatis, nisi illum conscientia alicujus a se occisi mordeat: neque in his videtur ullus ambigendi locus*.

XII. Postremo etiam accedit irregularem haud fore Clericum, aut Laicum, qui manu sua aliquem peremerit, aut mutilaverit, si has cædes patrarit, ut vitam suam in discrimine positam vindicaret; sic decernitur *in Clementina si furiosus, de homicidio*. Equidem plures in dubium revocant, utrum hæc Pontificis Constitutio non solum privatas rixas, sed etiam pugnas, & conflictus complectatur (10), tamen unanimi consensu major pars Theologorum existimat tum privatis in diffidiis, tum in præliis locum obtinere rationem tuendæ vitæ, & pro qua hostis necandus est. Quapropter, si Pontifex immunem Irregularitate declarat eum qui *cum moderamine inculpatæ tutelæ* privatim rixando adversarium suum interficit, immunis quoque Irregularitate censendus est, qui in acie pugnando servatoque eodem moderamine cædem committit (11). Hinc memoriæ proditur, Patrem Anselmum Petramellaram Capuccinum, qui manu sua septem Turcas obtruncavit, cum victoria superbi, atque insolentes navim ejus invaserunt, ad pedes Sancti Pii V. supplicem, ac provolutum, ut Irregularitatis vinculo solveretur, omni prorsus Irregularitate immunem a Pontifice declaratum fuisse, omni eo quod parumper depositio Crucis signo, quod manibus gerebat, ensem distrinxerat, ut vitam defenderet, pro qua tuenda septem ex hostibus neci tradierat. Id Boverius, idemque Raynaldus commemorant (12).

XIII. Sed ad causam nostram redeamus: certissimum est nulli Irregularitati subjectum fuisse Clericum, si in Goiti expugnatione nemini ex Germanis, aut fœderatis vulnus, aut mors illata fuit; sin autem Germanus aliquis interemptus cecidit, aut mutilatus fuit, tum (licet aggressio facta sit) Clericus ab Irregularitate etiam vindicatur, si sclopetum suum nunquam explosit: ideoque pro certo habet neminem interfectum manu, sua vel mutilatum extitisse: nam id bellum æquitatis legibus consentaneum debet existimari. Pontas (13) omni prius Irregularitate secluſa ob Caput jam allatum: *Petitio, de homicidio*: monet petendam esse dispensationem *a portu armorum*. Hoc tamen consilium simile prorsus videtur illi, quod traditur a quibusdam Clerico Judici, qui sententia sua morte aliquem damnavit, licet interitu reus liberatus inde fuerit, nempe, ut a Sede Apostolica dispensationem *ad cautelam* expoſcat. Quapropter iisdem rationibus, quibus usi sumus, ut supervacaneam hanc dispensationem *ad cautelam* ostenderemus, iisdem (inquam) rationibus dispensatio *a portu armorum* penitus inanis demonstratur.

XIV. Igitur aperte constat ex ipsa re, & Pontificio jure Clericum, de quo agimus, nulla Irregularitate fuisse illigatum: tamen haud persuasum omnino tibi esse putamus, eo quod indolis tuæ præstantiam, ingeniique vim in disputationibus perspectam habemus, ita ut vel minima perscruteris accuratissime. Quare haud facile probabis discrimen, quod inter bellum justum, & injustum interposuimus, nempe irregularem fieri militum in bello injusto, licet haud ipse manu

(1) *Gibalin. in suo tract. de irregul. c. 4. consectar. 7. difficult. 2. Diana in suo edit. coordinata tom. 5. tract. 5. resol. 98. & 99.* (2) *De censuris disp. 47. sect. 5. Schmalzgrue. ad tit. decretal. homicid. voluntat. an. 137. ad 143.*

(3) *In can. Clerici 23. quæst. 8.* (4) *Juxta textum cap. pervenit. 2. de Immun. Eccles. Gonzalez. cap. petitio num. 7. & 8. de homicidio. Gibalinus de irregul. cap. 40. consectar. 7. difficult. ult. num. 40.*

(5) *Cit. tit. de homicid. voluntar. & causuali l. 5. decret. a num. 128. ad 136.*

(6) *Cap. petitio de homicidio voluntario.* (7) *In suo Diction. Cas. Conscien. in acab. irregular. cas. 69.*

(8) *Tom. 1. Conf. 7. sect. 2.* (9) *Cap. 4. consectar. 7. diffic. 4.* (10) *In Decretis Sorbonicis, quæ collegit. Sainte Beuve casu 108. tom. 5.* (11) *Canonum Interpretes in cap. Petitio, de homicidio. Fagnanus n. 3. Gonzalez. n. 2. Pirhinghius in S. lib. decretal. tit. 12. sect. 4. nu. 115. Suarez de censuris disput. 37. sect. 5. n. 2. Silvester. in sum. in vocab. homicid. tertio. num. 8. vers. secundum existente in bello. Theophylus Raynaudus de Religiosa loricato prenunt. 1. § 2. tom. 17. suorum operum pag. 221.* (12) *In annal. Capuccinor. ad annum 1571. n. 6. loco.* (13) *Allato casu 69.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nu sua, sed alii ejusdem exercitus homicidium commiserint, contra vero Irregularitate liberum esse, qui in bello justo manu sua neminem obtruncaverit, licet alii a cædibus non abstinuerint. Quippe videtur juxta hominum opinionem, ac judicium conferre plurimum Clericus ad patranda homicidia, quæ ab aliis admittuntur, idque radix Irregularitatis, atque origo habetur: Insuper expoices fortasse a nobis, ut explicemus illud, quod libere asseruimus: *Nam id bellum æquitatis legibus consentaneum existimari debet.*

XV. Itaque cupientes tibi omnino satisfacere, primum aggredimur, nempe, ut allatam rationem belli justi, atque injusti explanemus. Fatemur igitur illos *dare operam rei licitæ*, qui bello justo decertant, & neminem manu sua interficientes, omnem, quam possunt, diligentiam impendunt, ne ulla fiant homicidia. Post hæc, si aliquis in acie perimatur, illi quidem irregulares non fiunt, quamvis ad homicidium influere videantur (1). Illi vero, qui injusto certamine præliantur *dant operam rei illicitæ*. Quare cum facili negotio deprehendere potuerint *in eo facinore illicito* cædes evenire posse, ideo subeunt Irregularitatem, quamvis ipsi a cædibus abstinuerint, & commilitones tantum alieno sanguine manus suas adsperserint (2). Insuper, cum Irregularitas ad Ecclesiasticam disciplinam spectet, Legislatores irrogandam illis putaverunt, qui bellum injustum ineunt, licet neminem occiderint, & alii solum in eadem acie cædes patraverint, nempe, ut homines a suscipiendis bellis injustis removeant. Contra vero Irregularitas illis nequaquam indicitur, qui bello justo cædem nullam faciunt, quamvis ab homicidio reliqui non abstineant, videlicet, ne ab ejusmodi bellis ineundis homines nimium retardentur (3).

XVI. At in quo belli æquitas posita sit difficillimum est judicare. Equidem, cum bellum inter duos movetur, alteri tantum ex ipsis æquitas suffragetur necesse est ob eam rationem, quam Grotius (4), & Vitriarius (5) juris publici peritissimi his verbis exhibent; *At, ut neuterbellantium injuste agat, fieri sane potest. Injuste enim agit nemo, nisi qui & scit se rem injustam agere; multi enim id nesciunt. Sic juste, idest, bona fide potest litigari utrinque. Multa enim & in jure, & in facto, unde jus oritur, fugere homines solent.*

XVII. Quapropter si contingere queat, ut uterque bellantium injuste non agat, licet æquitas belli uni solum parti conveniat, a Theologis inquiritur, utrum miles arma capere possit pro illo, quem certo scit bellum injustum movere, vel si incertus de hac re fuerit, an deceat prius veritatem perscrutari, quam militiam capessat: unanimes autem affirmant nullam illi præstandam esse operam, qui bellum injustum aggreditur; neque ab ipsis subjectis (6). Quod si isti prorsus ignari sint, an eorum Princeps juste, vel injuste bellum indicat tunc omnes fatentur non opus esse, ut id prius exquirant, quemadmodum ex S. Augustino desumitur (7). *Ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem offendat ordo serviendi.* Sin vero miles Principi bellanti subjectus minime fuerit, negotium haud ita facile dissolvitur. Contendunt aliqui, prius investigandam belli æquitatem, quam miles hujusmodi nomen suum præbeat; id vero alii nequaquam necessarium existimant. Inter cæteros Diana (8) hanc sententiam tuetur, eamque nos ipsi plurimum æquitati consentaneam judicamus. Nam belli concitandi causæ omnes in medium non proferuntur; plures enim in animis Principum conditæ, & velut obductæ tenebris delitescunt. Accedit etiam, quod Christiani Principes nullum bellum suscipiunt, quin ante a viris doctrina, ac Theologiæ scientia præstantibus consilium expetiverint. Quare milites, sive inter subjectos numerentur, sive a Principe bellante nullo modo dependeant, ob hanc causam omnem ex animo scrupulum, ac sollicitudinem deponere queunt, & facere reipsa consueverunt. Postremo Principes cum necessitas postulat, extemplo milites conscribere nequirent, si concedendum prius esset militibus, ut serio perpendant, an bellum ejusmodi defensionis, sive offensionis cum æquitate conjungatur.

XVIII. Hæc tibi afferenda putavimus, ut illud probetur, quod superius indicavimus, nempe: *Nam id bellum æquitatis legibus consentaneum existimari debet.* Postquam vero tibi satisfecimus, nunc superest, ut nostras aliquas difficultates exsolvamus. Ac primum Monacellus (9) Romanæ Curiæ peritissimus hæc scripta reliquit: *Clericus, qui militiæ nomen dedit, & armatus in bello servivit, stipendium accepit, & expeditionibus militaribus se associavit, indiget dispensatione ab Irregularitate incursa, licet moraliter certus sit, neminem mutilasse, læsisse, aut occidisse.* Eadem prorsus verba Schmalzgrueber (10) commemorat, & ambo testantur id sancitum fuisse a Sacra Congregatione Concilii die 13. Januarii anno 1704., cum Iprensis Causa proposita fuisset. Insuper certum est in Romana Curia, Clericum Beneficio, vel Pensione præditum *ipso jure* illis spoliari, si inter milites cooptatur, quamvis in nullo se conflictu immiscat, sive (ut Curiæ verbis utamur) *etiamsi sæva non exerceat* (11). Immo cum in dubium vocaretur, an eadem pœna irrogari deberet Clerico, qui inter Pontificis milites adscribitur, & *sæva non exercet*: improbata fuit opinio Cardinalis de Luca, & Clericum ejusmodi Beneficio, vel Pensione destitutum *ipso facto* Sacra Congregatio constituit *die 13. Novembris anno 1737. in Causa Ulyssiponensi Orientalis Pensionis*, uti recens Secretarius sapienter evulgavit; & *die 11. Maij anno 1716. in Causa Perusina Pensionis coram Herrera.* Porro hæc decisio inter cæteras ejusmodi Herreræ typis editas enumeratur, eamque Pargna commemorat (12), quem sane nominamus libentissime, eo quod studiis nostris interfuerit, cum Romæ immoraremur.

XIX. Proculdubio Sacram Concilii Congregationem maximi facimus, in qua magnam vitæ partem impendimus, cum pro tenuitate nostrarum virium Secretarii munere fungeremur. Attamen ex longa experientia deprehendimus ejusdem Sacræ Congregationis sententias temere in medium proferri ab illis, qui nunquam ipsas viderint, eosque plerumque decipi. Quare sapientes viri admiratione maxima corripiuntur, dum audiunt aliquid inusitatum a Sacra Congregatione fuisse sancitum. Itaque ut obsecundaremus intellectui, qui voluntati obluctabatur magnopere propensæ ad observantiam erga Sacram Congregationem, ex actis desumendam putavimus sententiam ejusdem Congregationis, de qua fermo est, idque minime supervacaneum fore ducimus, uti paulo inferius demonstrabimus.

*Ipren. Irregularitatis.*

HEnricus Boffaert *in Sacro Diaconatus Ordine constitutus, & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Ipren. alias secularis militiæ nomen tulit pro servitio Regis Catholici in Germania inferiori se immiscendo in variis bellicis expeditionibus, in quibus, ut moris est, homicidia, furta, rapinæ, incendia, aliaque hujusmodi secuta fuerunt, absque eo quod tamen quemquam interfecerit, aut mutilaverit, & deinde forsan in suis Ordinibus, non tamen in contemptum clavium, se exercuit. Cupiens autem ad Sacram Presbyteratus Ordinem promoveri supplicem Sanctissimo porrexit libellum pro absolutione cum rehabilitatione, & dispensatione ad ordines & Beneficia, dubitans, ne ex causa præmissa aliquam Irregularitatem contraxerit: illoque ad hanc Sacram Congregationem, & ab ista ad Episcopum pro informatione remisso, iste de expositorum veritate testatur, & ait, oratorem ex levitate animi prædicta perpetrasse, sed metu Irregularitatis incurrendæ sclopum semper in aerem explosisse, ne aliquem occideret, eumque moraliter certum esse, neminem occidisse, mutilasse, aut etiam læsisse: & a tempore, quo arma tulit, nunquam Altari ministrasse, nec ullas sui Ordinis functiones exercuisse, quod juramento declaravit coram eodem Episcopo. Testatur insuper, illum a tribus annis ad meliorem frugem reversum, pœnitentiæ signa dedisse, & ab anno commoratum esse in Seminario, in quo etiam de præsenti reperitur, spiritualibus exercitiis, ac studiis vacando, proindeque eumdem petita gratia dignum censet.*

Pro-

(1) *Cap. Dilectus, Cap. significasti 1, Cap. ex litteris, Cap. Joannes de homicidio.*
(2) *S. Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 8. Avila de Censuris par. 7. disput. 6. sect. 3. num. 2. in respons. ad primum.*
(3) *Schmalzgrueber eod. tit. 12. lib. 5. Decretal. num. 133.* (4) *De Jure belli, & pacis lib. 2. cap. 23. n. 13.*
(5) *In Instit. Juris naturæ, & gentium lib. 2. Cap. 23. num. 16.* (6) *Diana in edit. coordinata tom. 7. resol. 36.*
(7) *In lib. 22. contra Faustum relat. in Can. Quid culpatur 23. quæst. 1.* (8) *In eodem loco resol. 38. & resol. 41.*
(9) *In formul. Legali tom. 2. tit. 13. formul. 3. num. 27.* (10) *Eodem tit. 12. num. 136.*
(11) *In decis. 69. & decis. 216. coram Cardinali Tesio.* (12) *De jure patr. part. 2. can. 26. cas. 2.*

*Propoſita igitur Cauſa per ſupplicem libellum, duabus vicibus rejecta fuit inſtantia, nempe ſub die 21. Maji 1701. & 17. Decembris ejuſdem anni, ac poſtremo ſub die 30. Septembris proxime præteritis reſcriptum fuit: Expectet: Modo autem poſt lapſum fere quinque annorum prædictus Orator ſupplex redit ad EE. VV. inſtando declarari.*

*Primo, an indigeat diſpenſatione, & quatenus affirmative*
*Secundo, an ſit concedenda in caſu &c.*
*Die 13. Januarii 1703. Sacra Congregatio Concilii reſpondit affirmative ad utrumque.*

XX. Examinemus accurate, quid inter Monacellum, Schmalzgrueber, ac Sacræ Congregationis ſententiam ab ipſis prolatam interſit. Illi de Clerico verba faciunt: *Clericus; qui militiæ nomen dedit*. Sacra autem Congregatio de Diacono: *Enricus Boffaert in Sacro Diaconatus Ordine conſtitutus*. Equidem Clerici nomine Diaconus etiam juxta Canones intelligitur, tamen uſitato vocabulo is Clericus appellatur, qui ſolum primam Tonſuram, aut minores Ordines accepit: Inſuper Sacra Congregatio Beneficium commemorat, quod illi tamen prætereunt; *Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Iprenſis*. Idem Scriptores generatim ſolum affirmant certum eſſe, a Clerico neminem manu ſua fuiſſe interfectum: *Licet moraliter certus ſit neminem, mutilaſſe, læſiſſe, aut occidiſſe*. At Sacra Congregatio, quæ etiam verba diligenter expendit, ſpeciem hujuſce certitudinis exponit, prout ſupplex orator declaraverat: *Metu Irregularitatis incurrendæ ſclopum ſemper in aerem exploſiſſe, ne aliquem occideret, eumque moraliter certum eſſe, neminem occidiſſe, mutilaſſe, aut etiam læſiſſe*.

XXI. Equidem Sacra Congregatio haud probat hanc certitudinem, quam orator attulerat, ſed tantum memorat ab illo expoſitum fuiſſe, quod a cædibus abſtinuerit, eo quod ſclopetum ſuum ſemper in aerem diploſerit: id autem vix intelligi poteſt: cum enim de pluribus expeditionibus, pluribuſque conflictibus res agatur, in quibus animi vehementer commoveri ſolent, quis unquam affirmare certo, ac reipſa poſſit ſemper in aerem ſclopetum ſe exploſiſſe; ideoque cædem nemini intuliſſe? Porro duobus modis id contingere poteſt, nempe, aut linea verticali, aut curva ſclopetum explodit. Si primum fiat, globus plumbeus in altum ſic impellitur, ut decidens aliquem graviter queat offendere. Si vero ſecundum fiat, experientia ſatis oſtendit tantam ineſſe vim, tantumque impetum globis plumbeis, qui hoc pacto vibrantur, ut mortem aliquando inferre poſſint, quod revera contingit militibus in poſteriore acie collocatis, qui vulnerantur ab ignitis globulis, qui ab hoſtibus non quidem verticali, ſed curva linea emittuntur; hanc autem rationem explodendi ſclopetum a Diacono ſervatam fuiſſe in ſuis expeditionibus veroſimile videtur. Nam miles, qui verticali linea ſclopetum ſemper explooderet, pœna immunis nequaquam diſcederet.

XXII. Cum hæc ita ſe habeant, ſi Monacellus, ac Schmalzgrueber aliquid ſtatuere volebant ex ea ſententia Sacri Concilii Congregationis, aliter ſe gerere debuerant. Nam exponi neceſſe fuerat a Sacra Congregatione judicatum fuiſſe diſpenſationem ab Irregularitate neceſſariam Diacono Canonico, qui militiæ nomen dedit, bellicis expeditionibus pluries interfuit, & tamen affirmavit a cædibus ſe abſtinuiſſe, eoquod ſclopetum ſemper in aerem diſploſerit. Si illi hoc modo ſcripſiſſent, tum facile quiſquis dignoſcere potuiſſet, id Clerico, de quo verba inſtituimus, nihil prorſus adverſari, Siquidem ipſe prima ſolum Tonſura, ac minoribus Ordinibus initiatus fuit, nulloque Beneficio præditus, qui uni tantum belli expeditioni ſe immiſcuit; & ideo pro certo magis affirmare poteſt, quod neminem manu ſua interfecerit, mutilaverit, aut læſerit, quia ſclopetum ſuum nullo modo exploſit.

XXIII. Reſponſum Honorii III. ſuperius allatum (1) pro Sacerdote datum fuit. Quare ſuſpicari aliquis poterit nihil penitus referre ad quæſtionem, quam modo pertractamus, Ordinis Sacri rationem, ac titulum, qui Clericum minoribus Ordinibus præditum a Clerico Sacris Ordinibus initiato ſecernit. Ut res plane expendatur, illud advertendum eſt, quod Theologi docent, nempe, diſcrimen eſſe inter eum qui militiæ haud nomen dedit, ſed in conflictu ſolum militibus ſe adjungit, & in acie decertat, atque inter eum, qui inter milites adſcriptus bellum ingreditur, etiamſi cum hoſte manum non conſerat. Inquiritur ergo, an Clericus ad ſacros Ordines aſſumptus, qui militiam profitetur, Irregularitati ſit obnoxius (2). Ac primum unanimes Theologi fatentur, levem ſolummodo culpam admitti a Clerico, qui ad minores Ordines exceptus, inter milites ſponte cooptatur: lethali vero culpa vacuum non eſſe Clericum, qui Sacris Ordinibus ornatus militiam amplectitur (3). Eamdem pariter culpam tribuendam Clerico exiſtimo, qui licet minores ſolum Ordines aſſecutus fuerit, Beneficium tamen poſſidet. Nam quæ illicita decernuntur Clericis ad Sacros Ordines evectis, eadem prorſus afficiunt Clericos, qui Beneficium habuerint: alias quoque rationes enumerat Schiara (4). Quapropter ſi Irregularitas in Eccleſiaſticos conſtituitur, qui militiam ſuſcipiunt; illi ſolum Clerici intelligendi ſunt, qui Sacris Ordinibus initiantur, aut Beneficium aliquod obtinent. Nam res agitur de Irregularitate *ex delicto*, non *ex defectu*. Illa vero criminis gravitatem pro certo habere debet, ſive *Cenſura* putanda ſit, quemadmodum Thomiſtæ contendunt, ſive, ut aliis placet, gravis tantum pœna Eccleſiaſtica.

XXIV. Neque hic ullam vim habet, quod ſuperius dictum eſt, Beneficiis nempe, ac Penſionibus *ipſo facto* deſtitui Eccleſiaſticum, qui ſe inter milites adſcribit. Quippe id Romanis a Pontificibus decernitur, ac potiſſimum a Sixto V.: neque Irregularitatem conſequitur jactura Penſionum, ac Beneficiorum. Nam Irregularis etiam *ex delicto* niſi forte ob militiam id obvenerit, ſuas Penſiones, ac Beneficia retinet, donec interpoſita Judicis ſententia, ſpoliatus ipſis declaretur; & priuſquam Judex hanc ſententiam pronunciet, jure poteſt Eccleſiaſticus ſua Beneficia alicui dimittere, uti clare deprehenditur *ex Cap. ex litteris, de exceſſibus Prælatorum*, idemque Gibalinus fuſe demonſtrat (5).

XXV. Inquirunt Theologi, utrum Irregularis judicandus, vel immunis cenſendus ſit aliquis, cum delictum in dubium vocatur, & quæſtionem hoc pacto dirimunt, ſi dubio, incertoque crimine *in Forum externum* Irregularitas deducitur, ut pœnæ ſtatuantur, nempe, ut Clericus ſuo carere Beneficio declaretur, tum nulla Irregularitas præponenda eſt, ob eam cauſam, quod nequaquam licet certam pœnam pro incerto crimine conſtituere. Sin autem res agitur de Irregularitate *pro interiori Foro*, nempe, ut Clericus ab exercendis ſuis Ordinibus abſtineat, & ne ad alios aſſumi contendat, tunc Irregularitas pro certo habenda eſt; nam cum dubia res videtur tutior pars eſt eligenda (6). Porro hæc ſententia Clerico, de quo verba facimus, tum *in Foro externo*, *tum in Foro conſcientiæ* plurimum ſuffragatur. Etenim *in Foro externo* certum prorſus eſſe debet, quod neminem occiderit, aut mutilaverit, de qua re nihil omnino ipſe dubitat, cum tormentum ſuum nunquam exploſerit; *in Foro conſcientiæ* rei dubietas ſatis eſſe putatur, quæ ſane dubietas penitus eximitur ob certiſſimam illam cognitionem, quam modo expoſuimus. Poſtremo Benedictionem noſtram tibi impertimur.

IN-

(1) *In cap. Petitio de homicidio.* (2) *Canon. Si quis in vocabulo militaverit diſt. 51. Theſaurus de pœnis Eccleſiaſt. part. 2. cap. 1. in vocab. Bello.* (3) *Lorca in 2. 2. D. Thomæ qu. 40. art. 1. ſect. 3. diſp. 51. n. 12. Caſtropal. in tom. 1. tract. 5. diſp. 5. punct. 6. n. 5. Card. de Lugo in ſuis Reſponſ. Moral. lib. 5. dub. 14. Diana in edit. coordin. tom. 7. tract. 7. reſol. 52.* (4) *In ſua Theol. bellica tom. 1. lib. 2. diſſic. 2. n. 6.* (5) *De Irregular. cap. 2. part. 3. conſectar. 5.* (6) *Cap. Ad Audientiam, & cap. ſignificaſti 2. de homicidio. Eodem cap. Ad audientiam. Abbas num. 2. Marian. Socin. num. 18. Oſtien. num. 2. Joannes Andreas n. 7. Fagnan. num. 2. & ſeqq. Barboſa n. 2. & 3.*

## INSTITUTIO CII.

*Epistola Encyclica Archipresbyteris, & Parochis diœcesanis, teneri singulos Archipresbyteros indicere cœtum, in quo morales quæstiones examinandæ proponantur. Omnes autem Parochos, & Confessarios ad eosdem cœtus convenire debere. Transmittenda esse ad P. Pœnitentiarium responsa propositis quæstionibus reddita. Muneri suo deesse illos omnes, qui gerunt curam animarum, nisi scripta exhibeant eorum nomina, qui Paschali præcepto minime paruerunt.*

I. FAteri revera possumus omnem curam impendisse, statim ac pervenimus in hanc Sedem, & etiam sanxisse, ut conventus haberentur ad examinandas Theologiæ Moralis quæstiones, ac deinde Parochi his cœtibus peractis ad Pœnitentiarium huic negotio præpositum mitterent responsa, quæ probata, & constituta fuerint. Quippe non ignoramus quantam utilitatem Ecclesiasticæ disciplinæ conferant cœtus ejusmodi, qui per diœcesim indicuntur. At quoniam superiori tempore hæc quidem responsa Pœnitentiario tradi consueverant, ita tamen ut semper incertum esset, an illa veritati consentanea forent, ideo Pœnitentiario ipsi præcepimus, ut post accuratum examen typis evulgaret, quid reipsa propositis quæstionibus respondendum videretur, ut illi nempe, qui falsam sententiam protulerint errorem agnoscant, qui vero sapienter judicaverint, quadam voluptate recreentur. Hæc omnia continentur in Decretis, quæ in lucem edidimus, & ad Parochos transmitti curavimus die 22. Novemb. 1721.

II. Quidquid ipsi polliciti fuimus, diligenter peractum fuit; nam Pœnitentarius designatus quotannis promulgare responsa, quæ paulo ante exposuimus, non prætermisit. Attamen non sine gravi animi nostri mœrore fidem, ac diligentiam aliorum commendare non possumus; quinimmo queri debemus, quod in hac diœcesi plures justis nostris parere recusaverint, & nunc etiam illa facere negligant.

III. Id vero desumitur apertissime ex eo; quod nonnulli Parochi cœtus præscriptos cogere, & multi alii Sacerdotes Confessarii ad illos convenire omiserint, quamvis interesse deberent; & satis esse putaverint ad illum, qui cœtui præsidet, pagellam mittere, in qua sententiam suam descriptam affirmarent. In hac diœcesi alii tamen nullos ditioni suæ Parochos adjunctos habent, & solum Titulares Archipresbyteri nuncupantur, quos vel Decessores plerumque nostri, vel nos ipsi constituimus. Cum Parochus aliquis titulum Archipresbyteri a nobis expetivit, cavendum duximus, ne ipse immunem se, ac liberum a cœtibus Ecclesiasticis arbitraretur, sed nobis pro certo responsum fuit, illum etiam daturum esse operam, ut cœtus ejusmodi cogeret, & Sacerdotes, atque Confessarios suæ Parochiæ ad illos convocaret. Quare id munus eidem Parocho injunximus, cum Diploma pro conferendo Archipresbyteri titulo obsignavimus; nunc autem compertum reipsa fuit, ipsos huic præscriptos muneri haud satisfacere, cum in eorum ditione nulli alii Sacerdotes versentur præter Cappellanum (si tamen aliquem Ministrum sibi adjunxerint): postremo (ut reliquas etiam corruptelas enumeremus) indicem illorum percurrimus, qui responsa propositis in conventu quæstionibus ad Pœnitentiarium haud miserunt, octo deprehendimus Archipresbyteros, qui id facere contempserunt annis 1738., & 1739.; insuper alios viginti novem Archipresbyteros, qui ab anno 1739. munus ejusmodi ad hanc usque diem detrectarunt, etiamsi annus ad finem prope jam pervenerit; certumque illud sit, quod hi Conventus Ecclesiastici mensibus Novembris, ac Decembris omittuntur; nam ante illud tempus convocari solent, ut hyemis viarumque incommoda declinentur.

IV. Deus bone! Adeoque arduum, ac difficile videtur Theologiæ Moralis quæstiones coacto cœtu pertractare, ea conditione pariter adjecta, ut illis mensibus, qui minus incommodi afferant, iidem cœtus indicantur, modo tamen anno peracto omnes præscripti conventus habiti fuerint? Id enim permittunt Decreta; quæ nuper commemoravimus, & quæ die 22. Novembris anno 1731. evulgata fuerunt, licet plures aliæ Diœceses eos cœtus in singulas hebdomadas præscribere consueverint. Novum & inusitatum est tot Sacerdotes reperiri, qui pedibus conterant Episcopi sui mandata, quæ haud temere, & inconsulto, sed juxta Ecclesiæ disciplinam, atque instituta ab ipso sanciuntur, quamvis etiam iidem Sacerdotes in Sacra Ordinatione Decretis ejusmodi observantiam polliciti fuerint: *Promittis mihi, & Successoribus meis reverentiam & obedientiam? Promitto*. Equidem P. Ludovicus a Ponte votum reipsa implicitum illis verbis asseruit, cum Pastori suo promissum illud præbeatur, qui Deum ipsum exhibet, ejusque personam in terris sustinet (1). Incredibile pene est inter Sacerdotes etiam, qui virtutem excolunt, & se omni prorsus macula immunes existimant aliquos non deesse in ea cogitatione solum defixos, ut Pastoris sui jussa quocumque modo eludant, eaque subdolis, & ineptis rationibus interpretentur tanta animi quiete, ac lætitia, quæ etiam ex oris serenitate deprehenditur, ut peritissimo Mathematico conferri posse videantur, qui post assiduos labores, diuturnasque vigilias circuli quadraturam detexerit. Postremo inusitatum videtur, quod plures ex nostro Clero Sacerdotes, Parochi, & Archipresbyteri acerrime in prima acie arma suscipiant pro tuenda ignorantia, cui nos bellum indiximus, quod sane omni studio prosequemur, donec hac mortali aura fruemur. Revera pro ignorantia decertant, qui remedia impediunt ad eam expellendam necessaria; nec fortasse unquam revocarunt in mentem, quod ipsi sæpius in Evangeliis legerunt, nempe, si cœcus cœcum ducat, ambos in foveam cadere.

V. Sed jam præcepta post exclamationes statuenda sunt, quæ omittere non licet, ne muneri nostro deesse videamur. Primum igitur, singulis Archipresbyteris præcipimus, ut singulis mensibus cœtus pro examinandis Moralis Theologiæ quæstionibus indicant, edictumque renovamus die 22. Novembris anno 1731. promulgatum, iterumque permittimus, ut illis mensibus hi cœtus statuantur, qui minus incommodi sint, dummodo labente anno præscriptus cœtuum numerus absolvatur. Secundo, præcipimus Archipresbyteris, Parochis, ac Sacerdotibus Confessariis, ut simul ad eosdem cœtus conveniant; & pro certo teneant haud satis esse, si responsum suum, ac sententiam transmittant, nisi forte legitimum impedimentum intercedat, nempe, si gravi morbo laborantibus operam præstare debeant, vel ipsi vera ægritudine retardentur. Episcopus Petricorensis typis dedit conventus Ecclesiasticos in sua Diœcesi peractos, & post trecentos annos eam consuetudinem illic institutam testatur. Illam vero præ cæteris utilitatem desumi commemorat, quæ præcipitur ex sermonibus post solutam quæstionem fieri solitis, ex quibus non semel sententiæ æquitati minus consentaneæ corrigantur aliorum opinionibus, quæ ad veritatem magis accedunt. Plerumque etiam severitas illorum, qui acriori studio Ecclesiasticam disciplinam expetunt, ab aliis temperatur, qui prudentiæ laude, atque experientia magis excellunt, quemadmodum idem Episcopus in libri Præfatione recenset. Hæc satis ostendunt nihil prodesse, si responsa ad cœtum scripta mittantur. Nam qui absens est, satisfacere nequit iis difficultatibus, quæ ab aliquo fortasse in medium proferuntur, neque aliorum rationibus adductus opinionem suam deponere. Tertio, Titulares Archipresbyteros magnopere hortamur sibi deligere alium Archipresbyterum non Titularem, ad quem se conferant cum suis Cappellanis, aliisque Parochiæ suæ Confessariis, quoties cœtus ecclesiasticus ab illo convocabitur; vel alteri Titulari Archipresbytero se adjungant, cum cœtus eosdem singulis mensibus instituunt; neque enim cœtus reipsa nuncupari debet, cum solus Archipresbyter, ejusque Cappellanus conveniunt, qui, utpote Minister, & stipendio Archipresbyteri vitam sustinens, ab illius sententiis, ne vestigium quidem discedere, sed, velut Echo, verba ipsius solum repetere consuevit. Si Titulares Archipresbyteri hæc serio perpendent, nos certe humanos, ac lenissimos judicabunt, qui solum eos monendos voluimus, dum rem haud inusitatam, ac novam proponimus. Id nos eo consilio fecimus, ut facilius dignoscere possimus eos Archipresbyteros Titulares, qui ad cœtus præscriptos non Cappellanum modo, sed alios Sacerdotes vocare queant. Rem pariter haud insolitam proposuimus; nam plures novimus Titulares Archipresbyteros, qui simul conveniunt, ut de quæstionibus Moralis Theologiæ verba faciant. Quarto, Titulares Archipresbyteri, quamcumque rationem ex his, quas enumeravimus, elegerint, propositis quæstionibus responsum dare haud prætermittant, indictosque conventus faciant eo mo-

(1) *In Tractatu de perfecto Sacerdote cap. 12. §. 2.*

modo, quo poterunt, donec aliud a nobis decernatur; diligenter expendant paratum fore remedium, si post comparatum Archipresbyteri titulum eosdem cœtus omittant, aut negligant. Quippe is titulus nullum characterem imprimit, ideoque illum penitus obliterandi, quoties id nobis libuerit, facultate non caremus. Quinto, transmitti jubemus ab anno proxime ineunte 1740. ad P. Præmuli Barnabitam Pœnitentiarium responsa propositis quæstionibus reddita, idque perficiendum mense Novembri statuimus; nam, uti dictum est, & nos minime latet, cœtus, qui mensibus Novembris, ac Decembris cogi deberent, ante illud tempus ob viarum impedimenta fieri consueviſſe. Porro decet maxime, ut eadem responsa in manus Pœnitentiarii eo tempore deveniant, ut illa commode perlegere, & examinare queat, antequam sententias suas exarare, ac typis evulgare debeat, quæ novo ineunte anno ad omnes Archipresbyteros mitti solent. Ultimo, præcipimus reddi Pœnitentiario intra mensem Januarii anni 1740. responsa, quæ data fuerunt quæstionibus expositis anno 1738., atque anno 1739. Id autem præcipimus iis, qui responsa nequaquam miserunt anno 1739., & cæteris etiam, qui justis his nostris antea minime paruerunt.

VI. In posterum detrectantes pœnis arbitrio nostro statuendis puniemus; insuper, aut Titulares, aut non Titulares Archipresbyteri quoties aliquod ex his mandatis violabunt, decem Romana scuta certissime persolvent, quæ piis operibus impendentur; nam experientia compertum est, parum prodesse argumenta, objurgationes facile contemni, monitiones vero comparari armis, quæ cuspide careant, & illam satyrici Vatis sententiam veritati prorsus convenire:

*Ploratur lacrymis amissa pecunia veris:*
*Non cohibent sacra verba malum: majore tumultu*
*Planguntur nummi, quam funera.*

His versibus usi non fuissemus, nisi gravis Auctor Ecclesiasticus eos prius attulisset, cum hoc idem argumentum pertractaret (1).

VII. Quæ huc usque diximus, cœtus habendos, & responsa ad Pœnitentiarium mittenda satis ostendunt, ac constituunt, tamen haud consulunt gravissimæ corruptelæ, ob quas Parochi, & Confessarii ad eosdem cœtus minime conveniunt, & cæteri omnes, qui id facere debet juxta Decreta, quæ anno 1731. confecta sunt. Quare renovamus ea, quæ tunc præscripta fuerunt, nempe, ut ille in cujus ædibus, vel Ecclesia cœtus cogitur, præsentes accurate describat, & absentes etiam cum iis causis, & impedimentis, si quæ afferent, quibus adducti, ad conventum cum reliquis accedere nequaquam potuerint: deinde, cum responsa ad Pœnitentiarium mittet, eos pariter nominabit, qui cœtui non interfuerint, ut pœnas arbitrio decernamus, & salutarem quoque medicinam ipsis adhibeamus. Nam Confessarios, cum ad facultatem prorogandam accedent, examine severiori excipiemus. Parochos autem ad novum examen vocabimus, si pervicaces his justus faciendis deprehendamus: vel enim mandata nostra despiciunt, vel adeo torpescunt otio, ut nullam studiis Ecclesiasticis excolendis operam præbere velint; eos dem primum suspicari nullo modo possumus, sed potius oscitantem socordiam, ex qua magna rerum ignorantia dimanat, ideoque novum illis examen indicere juremerito possumus, sive Parochiam a nobis, sive a Decessoribus nostris obtinuerint.

VIII. Episcopus Petricorii eo loco, quem superius nominavimus, maximas agit gratias illis Ecclesiasticis, qui cœtus ejusmodi vel coegerint, vel iisdem interfuerint; deinde se graviter animo perculsum fatetur aliorum causa, qui idem Institutum neglexerant. Ejusdem Episcopi exemplum imitamur, eisque gratias singulares persolvimus, qui munere hoc suo perfuncti sunt; sed nobis dolendum non est ob illorum pudorem, ac verecundiam, qui ad eos cœtus perraro accesserunt. Nam jure quidem suspicari nobis licet, nullo pudore affici, qui hanc disciplinam, & Institutum contempserint, quin etiam ob pervicaciam insolenter se jactare: ideoque noster animus frustra mœrore tabesceret.

IX. Venerabilis Dei Famulus Joannes de Ribera Patriarcha Antiochenus, & Episcopus Valentiæ misit ad Concilium Provinciale Salmanticæ coactum, libellum plenum sapientissimis monitis, quæ ad Episcopos pertinent. Is libellus typis a Cardinali de Aguirre traditus fuit (2). Præ cæteris autem illud potissimum admonetur (3): *Mittat frequenter Episcopus epistolas encyclicas, qua Clericis, qua Curatis, qua vero Locorum Incolis, omnes exhortando, ut eorum officia diligenter adimpleant.* Id profecto salutare consilium pluries secuti sumus, sed, ne molestiam, ac fastidium Parochis hujus Diœcesis afferamus, ac ne novas encyclicas litteras conficiamus, aliquid hic breviter superaddemus, quod sane aliud argumentum, sed haud minoris utilitatis, complectitur.

X. Institutionem quinquagesimam quintam promulgavimus die 10. Martii anno 1736., ubi de Paschali præcepto verba facientes, hæc decrevimus: *Ac primum aliqui Rectores Ecclesiarum facile negligunt illorum nomina Patri Pœnitentiario scripta referre, qui ad divinam Eucharistiam in Paschate non accesserunt, vel ea prorsus indigni judicati sunt. Quare, ne gravissimum hoc malum invalescat, singulis Parochis tum Civitatis, tum Diœcesis præcipimus, ut intra designatum temporis spatium Patrem Pœnitentiarium admoneant, si forte aliquis in Paschate Eucharistiæ Sacramentum haud sumpserit, aut si ob singularem Dei misericordiam præceptum ejusmodi nemo violaverit: ipsius Pœnitentiarii jussu ad pronunciandum in contumaces Interdictum deveniet. Qui hoc facere contempserint, pœnas nostro arbitrio statuendas persolvent.*

XI. Porro id alienum non est a Synodo Decessoris nostri cap. 3. lib. 2. Attamen quadraginta tres Parochi Diœcesis eorum nomina nondum exhibuerunt, qui in Paschate hujus anni 1739. Divinam Eucharistiam perceperint.

XII. Jam facile perspicimus, quid respondeant, nempe, in suis Parochiis neminem versari, qui Paschali præcepto non obtemperaverit. Sed quo tendat hæc animi lenitas, ac moderatio, a nobis patienter intelligant; omittimus contemptum, quo jussa Pastoris sui hac ratione prosequuntur.

XIII. Decessor noster singulis Vicariis Foraneis præcepit epistolam singulis mensibus scribere, qua admonerent, an aliquod scandalum in ipsorum ditione contigisset. Id etiam adjungitur iisdem litteris, quibus Vicarii Foranei constituuntur. Hæc optima consuetudo paulatim obsolevit, ita ut solus Archipresbyter, ac Vicarius Foraneus Treppii in finibus Diœcesis, ac ditione Florentina primum hoc Institutum constanter retineat. Id cæteri facere prætermiserunt ob eam causam, quod nihil mali obtigerit, ut litteræ scribendæ viderentur. Utinam a veritate alienum hoc non esset! sed illi vehementer errant. Nam gravissima facinora sæpe committuntur; quæ tamen Vicarii Forangi dissimulant, nec de illis certiores nos faciunt, ita ut abstinere a litteris conscribendis non indicet quidem disciplinæ, morumque integram observantiam.

XIV. Hoc sane exemplum nos magnopere perterret, adducitque, ut pro certo habeamus plurimos fore, qui Paschali præcepto minime pareant, si consuetudo scribendi de medio auferatur ob eam rationem, quod populus omnis obtemperasse præcepto ejusmodi censendus sit, cum nullæ a Parochis literæ redduntur. Ipsi vero scribere cessantes nos etiam monere negligent, si aliquis in Paschate ad sacram Eucharistiam non accesserit.

XV. Quapropter his nostris literis præcipimus Parochis omnibus, qui anno 1739. ad Pœnitentiarium nequaquam scripserint eorum nomina, qui Paschali præcepto non obtemperaverint, vel ipsum Pœnitentiarium non admonuerint ab omni populo perceptam esse Eucharistiam, præcipimus, inquam, huic muneri satisfacere, priusquam mensis Januarius anni ineuntis 1740. absolvatur, & in posterum id peragendum a singulis Parochis infra octavam Ascensionis Domini perpetuo decernimus. Qui hæc jussa non fecerit, pœnas illi arbitrio nostro irrogabimus; interim vero sex Romana scuta persolvet, quæ a nobis pro Locis Piis sublevandis conferentur.

IN-

(1) *Petrus Blesensis epist.* 79. (2) *Tom.* 4. *Conciliorum Hispanorum.* (3) *Pag.* 99.

## INSTITUTIO CIII.

*Norma quædam præscribitur pro cœtibus Ecclesiasticis, qui in hac Metropolitana Ecclesia haberi consueverunt, ut quæstiones Theologiæ Moralis discutiantur. De his, qui cœtibus hujusmodi interesse tenentur. Utrum omnes qui Canonici dignitate insigniti sunt, convenire debeant. An Canonicus Pœnitentiarius intervenire adstringatur. Utrum Confessarii Regulares ad excipiendas Laicorum Confessiones approbati, hosce Ecclesiasticos conventus adire teneantur.*

I. QUamvis in XXXII. Institutione promulgata die V. Septembris anno MDCCXXXIV. normam aliquam præscripserimus pro cœtibus Ecclesiasticis, qui in hac Metropolitana Ecclesia fieri consueverunt, ut quæstiones Theologiæ Moralis examinentur, tamen perpauca necessario addenda sunt.

II. Ac primum, monemus omnes, qui convenire debent, ne id facere prætermittant, iterumque in delinquentes easdem pœnas innovamus, quas jam constituimus.

III. Sed quoniam nonnulli se immunes putant, in fine harum litterarum indicem eorum subjiciemus, qui cœtibus iisdem interesse omnino debeant.

IV. Secundo, qui tenetur ad hos cœtus Ecclesiasticos accedere, ille permaneat, donec universa concio dimittatur. Quippe, *non dicitur venisse, qui non stetit:* nec discedat loco, statim ac ab urna nomen illius extractum est, qui propositæ quæstioni respondeat. Nam quisque intelligat necesse est, quibus argumentis eadem quæstio declaretur, quid deinde P. Theologus, & nosmetipsi superaddamus. Qui non paruerit, poenis iisdem obnoxius fit, quæ in absentes ab his cœtibus sanciuntur.

V. Tertio, qui cum reliquis in cœtu versatur, donec tota res peracta fuerit, modestiam præseferat, mentemque intendat; neque ob insitam socordiam eos corporis motus imitetur, qui ob naturales causas fiunt ab animantibus, dum in machina pneumatica concluduntur, quemadmodum nos ipsi non semel inspeximus.

VI. Quarto, qui quæstioni respondet, haud novis, & insolitis opinionibus adhæreat, sed illas potissimum, quæ præstantium virorum auctoritatibus magis innitantur, quam sane viam magna cum doctrinæ laude P. Theologus insistit.

VII. Quinto, curam aliqam impendant omnes, ut sententiam suam clarius exponant. Quæstionem prius declarent; responsum deinde subjiciant, aliúdque suis rationibus confirment, ac postremo diluant argumenta, quæ contraria esse videntur. Nam si confuse, & incondite simul omnia permisceantur, difficile prorsus est intelligi, quæ in medium proferuntur. Illud pariter monendum ducimus, ut ex gravioribus Theologis auctoritates desumantur, certaque de illis cognitio prius comparetur: etenim non semel Canones afferri deprehendimus, qui in tota juris amplitudine haud continentur. Sæpius pro nostra mediocri experientia juris Pontificii ea nobis voluntas incessit, ut Canones illos omnino falsos, vel pessime exscriptos ostenderemus, ob eam rationem, quod notis compendiariis ab Auctoribus editos describere nescíverint.

VIII. Postremo, cum tot Parochi, & Sacerdotes Confessarii, iis omnibus, quæ superius enumeravimus, accuratissime satisfaciant, reliquos hortamur ut ipsorum exempla sibi ante oculos proponant, non vero imitentur eos, qui unum, vel plura ex iis, quæ nuper indiximus, prætermittunt.

IX. Sed jam illos recenseamus, qui his cœtibus interesse debent, in quibus de Moralis Theologiæ quæstionibus sermo instituitur. Itaque omnes id præstare tenentur, qui vel Sæculares, vel Regulares animarum curam exercent. Neque hoc sane in dubium revocari potest, cum Sac. Congregationis Concilii sententiis comprobatum semper fuerit. Ut vetustiores prætereamus, illam tantum afferimus, quæ die 3. Septembris anno 1650. promulgata fuit his verbis: *Sac. Congregatio censuit, Episcopum cogere posse ad interessendum Congregationi casuum conscientiæ Parocbos tam Sæculares, quam Regulares, curam animarum exercentes* (1).

X. Convenire etiam debent Sacerdotes sæculares, licet cooptati inter Canonicos hujus Metropolitanæ, vel alicujus Collegiatæ Ecclesiæ, qui Pœnitentiæ Sacramentum Fidelibus administrant. Id quondam in Sacra Congregatione propositum, sed nihil prorsus decretum fuit. Tandem post novam Disquisitionem, & examen responsum est, etiam Canonicos Confessarios teneri, & præ cæteris Canonicum Pœnitentiarium. Quippe die 15. Martii 1692. (2) petitum illud fuit: *An Episcopus possit compellere Canonicos, Confessarios, ceterosque Presbyteros Cathedralis sub pœna pecuniaria, ut accedant ad Congregationem casuum conscientiæ*, Sacra autem Congregatio ita respondit: *Posse compellere omnes Sacerdotes sæculares Confessarios, etiamsi sint Canonici, cæteros vero non posse compellere, sed hortari.* Monacellus alia Decreta commemorat, quibus Sacra Congregatio eamdem sententiam confirmavit (3).

XI. De Canonico Pœnitentiario satis constat ex auctoritate Cardinalis Petra, qui per plures annos Secretarii munus in Sac. Congregatione Concilii magna cum laude gessit, suisque præclaris in Apostolicas Congregationis sententias plurimum illustravit (4). Porro ille perpendens certum, decretumque esse a Sac. Congregatione, ut seculares Confessarii his cœtibus Ecclesiasticis interveniant, statim hæc superaddit: *Cæterum ab inde citra eadem Sac. Congregatio censuit, Episcopum cogere posse* (ut iisdem cœtibus interfint) *nedum Parochos, sed etiam Confessarios sæculares: quod sane non solum procedit quoad eos, qui ex fundatione Beneficii, vel officii tenentur ad munus Confessarii, ut præ cæteris est Canonicus Pœnitentiarius; sed etiam quicumque alii Sacerdotes seculares sine titulo, & voluntarie ad Confessiones ab Episcopo destinati.*

XII. Alias pariter disputatum fuit, utrum Regulares Confessarii conventus eosdem pro examinandis Theologiæ Moralis quæstionibus coactos adire tenerentur. Cardinalis quidem Columna in sua Synodo ipsos impulit, ut id facerent (5). Romanum quoque ultimum Concilium tit. 15. cap. 9. Regularibus Confessariis idem præcipit, nisi forte in suis Monasteriis cœtus ejusmodi statuantur. Attamen ex communi jure id necessario præstandum ab ipsis nequit affirmari, quamvis in Monasteriis non immunibus, sed Episcopi ditioni subjectis immorentur.

XIII. Nemo ignorat aliqua Regularium Monasteria jurisdictioni Episcoporum subjici ob eam causam, quod præscriptus ab Innocentio X. numerus Religiosorum virorum in illis non habeatur (6). Quare Episcopus Forosempronienſis die 12. Maji anno 1685. illud petiit a Sac. Congregatione (7): *Episcopus exponit, in Civitate Forosempronien. duo adesse Regularium Cœnobia, unum scilicet Minorum Conventualium Sancti Francisci, alterum vero Barnabitarum, quæ propter exiguum Religiosorum numerum inibi degentium subjecta sunt jurisdictioni Ordinarii ex Decreto sanctæ memoriæ Innocentii X. incipien. Ut in parvis: & licet dicti Religiosi hujusmodi subjectionem agnoscant, atque patiantur, qui tamen ex eis sæcularium confessiones, eodem Ordinario approbante, excipiunt, ad Congregationem casuum conscientiæ, quæ singulis mensibus habetur, cuique Confessarii omnes interfunt, accedere renuunt; quocirca petit declarari, an prædictos Confessarios Regulares cogere possit ad interessendum præfatæ Congregationi casuum conscientiæ Sacra &c. respondit Negative.*

XIV. Idem argumentum rursus propositum fuit in Sac. Congregatione, cum nos ipsi Secretarii munere fungeremur, ab Asculano Episcopo, qui exponens Ecclesiæ suæ statum, & conditionem, illud præsertim admonuit, plura in sua Diœcesi Regularium Monasteria inveniri sibi subjecta juxta Decretum Innocentii X., quod nuper commemoravimus; Regulares autem in ipsis degentes, qui sæcularium confessiones excipiunt, declinare a conventibus Ecclesiasticis, in quibus Moralis Theologiæ quæstiones examinandæ proponuntur. Quare idem Asculanus Episcopus expoſcebat, an id præcipere posset in litteris, quæ dari solent, cum facultas audiendi Confessiones illis concederetur. Nos profecto rationes omnes congessimus, quæ Episcopo suffragari possent; verum Sac. Congregatio die 12. Martii anno 1718. respondit, servari Decretum editum in Causa Forosempronienſi, de quo nuper mentionem fecimus.

XV. Postremo, cœtibus iisdem necessario interesse non opor-

(1) *Tom. 19. Regest. pag. 76. in Causa Forosempron.* (2) *Tom. 42. Regest. pag. 147.*
(3) *Tom. 1. sui formul. legal. tit. 3. formul. 15. num. 2. & 3.* (4) *Tom. 4. pag. 460. Epit. Rom. num. 67.*
(5) *Num. 8. Notificat.* (6) *In Constit. ut in parvis.* (7) *Lib. 35. Decret. fol. 238.*

oportet reliquos Sacerdotes, qui ad confessiones excipiendas designati minime sunt, neque cæteros ex Clero sæcularí; tamen id perutile foret ipsis, nec Episcopus prætermittere unquam debet eos vehementer hortari, ut conveniant, quod nos hisce litteris libentissime facere intelligimus.

## INSTITUTIO CIV.

*De exercitiis spiritualibus, quibus vacare debent, qui ad Sacros Ordines promovendi sunt. De utilitate, quæ ex illis dimanat. Quamobrem initio hujusmodi exercitationes fuerint excogitatæ. Et a quo præscribantur, & quo tempore. Ostenditur hoc Institutum observari tum Romæ, tum in aliis Italiæ Civitatibus. Rejiciuntur futiles excusationes, quæ adduci solent ab iis, qui sese ab hac pia consuetudine expedire velint.*

I. QUisque intelligere facile potest quam utile sit iis, qui ad Sacros Ordines assumi debent, nempe, Subdiaconatum, Diaconatum, ac Sacerdotium, in aliquem locum se recipere, antequam iis Ordinibus initientur, ubi sejuncti ab hominum commercio, Divinarum rerum meditationibus, piisque libris intenti, novi gradus sanctitatem, ac præstantiam familiaribus colloquiis assequantur, munera quoque percipiant, atque officia, quæ eodem cum gradu junguntur; Pœnitentiæ Sacramento animam expurgent iis maculis, quas toto vitæ cursu contraxerunt, ut veterem hominem exuentes novum induant; postremo vires suas ad trutinam accuratissime revocantes ad Sacerdotium ascendere non audeant, nisi animum satis compositum paratumque sibi ad eam dignitatem sustinendam agnoscant; quo sane pacto ad severam pristini temporis disciplinam pro imbecillitate hujus nostræ ætatis conformantur, cum nempe irregularis putabatur, nec suscipiendis Ordinibus idoneus, qui post Baptismum lethale crimen admisisset: *Non eo tantum* (inquit S. Hieronymus) *quo ordinandus est tempore sine ullo crimine sit, & præteritas maculas nova conversione diluerit, sed ex eo tempore, quo in Christo renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur*,

II. Initium hujus sacri recessus ad Augustinum referri posse videtur. Nemo enim ignorat, qui in Sacra Historia parumper versatus fuerit, primis, beatisque Ecclesiæ temporibus, si ipsius necessitas novum aliquem Sacerdotem exposceret, morem, institutumque fuisse, ut populus alicujus meritis, ac virtute adductus eum subito teneret, & Episcopo ordinandum inferret. Hac ratione S. Paulinus ad Sacerdotium evectus fuit, uti testatur ipse in epistola ad Alipium, quæ inter epistolas S. Augustini vigesima quarta recensetur: *Nam ego etsi a Delphino Burdigalæ baptizatus, a Lampio apud Barcinonam in Hispania per vim subito inflammatæ plebis ordinatus sum*. Idem prorsus accidit Pauliniano S. Hieronymi fratri, cui manu injecta populus os occlusit, ne communi omnium voluntati reclamaret (1). Quamvis autem post aliquod tempus consuetudo ejusmodi vetita fuisset ob gravissimas corruptelas, quæ inde manabant, uti desumitur ex fabula secunda Imperatoris Majorani, & melius ex epistola prima S. Leonis, tamen S. Augustinus post hæc Decreta per vim subito concitati populi Sacerdotio initiatus fuit a S. Episcopo Hipponensi Valerio. Possidius eidem S. Augustino coævus hæc omnia in ipsius vita commemorat (2): *Eodem itaque tempore in Ecclesia Hipponensi Catholica Valerius Sanctus Episcopatum gerebat, qui cum flagitante Ecclesiastica necessitate de providendo, & ordinando Presbytero Civitatis plebem Dei alloqueretur, & exhortaretur, jam scientes Catholici Sancti Augustini propositum & doctrinam, manu injecta* (*quoniam & idem in populo securus, & ignarus, quia futurum esset, adstabat*) *&c. Eum ergo tenuerunt, &, ut in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno consensu & desiderio fieri, perficique petentibus, magnoque studio & clamore flagitantibus, ubertim eo flente &c. & eorum, ut voluerunt, completum est desiderium*. Quare, cum hoc eventu impeditus se tantisper ante Sac. Ordinationem colligere non potuisset, ad eumdem Episcopum Valerium litteras dedit, ut facultatem obtineret secedendi in remotum locum ab hominum societate, ubi per aliquod tempus, nempe usque ad Festum Paschatis (Ordinatus fuerat juxta Rivium initio Quadragesimæ) versaretur, piisque exercitationibus tempus illud conferret. Incertum sane est, an Valerius S. Augustini voluntati morem gesserit, vero tamen simillimum est, quod eidem permiserit, usque ad Pascha Sacerdotis muneribus nequaquam perfungi. Id apertissime deprehenditur ex vita S. Augustini Gallice, & Latine conscripta, quam nuper P. Abbas Benvenuti ad hanc nostram vernaculam linguam reddidit (3).

III. Hæc sane spiritualium exercitiorum speciem aliquam præseferunt, quæ ante Sacram Ordinationem suscipienda indicuntur: etenim dubitari nequit, quin S. Augustinus idem consilium ante probaverit, quod peracta Ordinatione persecit: sed hanc disciplinam recentioribus, magisque perspicuis monumentis explicemus. Ac primum S. Carolus Borromæus in quarto Concilio Provinciali, quod anno 1576. coegit, hæc præscribit: *Subdiaconatum suscepturus, quo diligentius vitæ perpendat rationem, cui se ille suscipiendo sancte obstringit, ac proinde re tota accuratius deliberata, puriori mente, ardentiorique animi voluntate ad rem tanti momenti accedat, priusquam eo Sacro Ordine initietur; aliquem semotum locum adeat, ubi ab omnibus curis, & occupationibus liber, cum omnis anteactæ vitæ suæ peccata diligenti conscientiæ discussione vitæ confiteatur, tum in salutaribus meditationibus, aliisque spiritualibus exercitationibus totus versetur, duce & moderatore sibi adhibito religioso viro earum usu perito, quem Episcopus in primis probarit. In illis autem vel mense, vel longiori, breviori ve tempore persistat, prout de moderatoris consilio Episcopus expedire curaverit. Quas item exercitationes eodem præscripto & modo, & tempore Diaconi, cum ad Sacerdotii gradum accessuri sunt, pie ineant, ac præstent*.

IV. Secundo, Sanctus Vincentius a Paulo anno 1628. cum Augustino Boterio Episcopo Bellovacensi consuit nihil conferre magis, ut Ordines ea pietate, ac Religione, qua opus est, Clerici accipiant, quam in aliquem locum procul a turba, ac negotiis secedere, ubi per decem dies pie, sanctique detinerentur. Qua de causa normam proposuit huic rei magnopere accommodatam, in qua rebus cœlestibus contemplandis, institutionibus audiendis, sanctis libris perlegendis, conscientiæ diligenter discutiendæ, sacris rubricis, ac Missæ tum privatæ, tum solemnis, Breviarii, & Romani Pontificalis cæremoniis addiscendis, exercendisque, diem totum accuratissime distribuit. Quapropter in Decreto Canonizationis, quod in appendice libri IV. de Canonizatione Sanctorum nos ipsi descripsimus, hæc habentur: *Ita Clericis in sortem Domini vocatis, qui in hujus mortalis vitæ terra deserta & inaquosa ad Altare Domini ministrantes verbo & exemplo, sanctæ Dei plebi tendenti ad Cœlestem Patriam, excusso Diabolicæ captivitatis jugo, præire debent, author fuit, ut priusquam ad Ecclesiasticos gradus ascenderent, a mundanis tumultibus in sanctam secedentes solitudinem, per aliquot dies Divinis rebus meditandis, contemplandisque, sui muneris officiis vacarent*.

V. Tertio, exponemus singularem utilitatem, quam dimanare ab his exercitationibus commemorat Ludovicus Abelly Episcopus Ruthenensis, & eidem Sancto Vincentio conjunctissimus: *In quamplurimis* (inquit) *diœcesibus ad hunc eumdem finem adhibentur illa, quæ communiter vocantur Ordinandorum Exercitia, quibus per decem, aut duodecim circiter dies, in unum locum convenientes ii omnes, qui ad Ordines recipiendos admissi sunt, variis exhortationibus, instructionibus, collationibus spiritualibus, aliisque piis & aptis exercitiis disponuntur &c. Et de his quidem Ordinandorum Exercitiis, quæ Spiritus Sanctus ultimis hisce temporibus suggessit, illud dicere sufficiat, vix explicari posse, quam eximios & uberes fructus producere soleant: ita ut si eo quo deceat modo peragantur, sapientissimorum, & in rebus Ecclesiasticis expertissimorum virorum judicio, plerisque aliis modis deficientibus possint abunde supplere, quod experientia ipsa probatum est, & abunde probari potest* (4). Quamobrem Romani Pontifices hac pia consuetudine magnopere probata indixerunt omnibus, qui aliquem ex sacris Ordinibus exposcerent, hujusmodi exercitationibus antea decem dies impendere. Alexander VII. die 7. Augusti anno 1662. Ordinandis Romæ, & in sex Episcopatibus Suburbicariis ita præcipit: *Et nihilominus quoties aliquem ex Sac. Ordinibus suscipere voluerint, ad Sacerdotes ad id deputatos se conferant, a quibus decem dierum spatio ante Ordinationem in eorum domo inclu-*

(1) *Epistola* 60. *apud S. Hieronymum*. (2) *Cap.* 4. (3) *Lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 5.
(4) *In suo opere quod inscribitur Enchiridion Episc. sollicitudinis pag.* 179.

*incluſi, de omnibus ad rite percipiendos, & rite exercendos Ordines requiſitis eruditantur.* Venerabilis Dei Servus Innocentis XI. interpoſitis litteris Sacræ Congregationis pro Epiſcoporum & Regularium cauſis deſignatæ, ſcripſit ad omnes Epiſcopos Italiæ, & Inſularum adjacentium die 9. Octobris anno 1682. (quæ quidem litteræ pluries editæ fuerunt, ac præſertim poſt Synodum Farſenſem habitam a Cardinali Carolo Barberino (1)) quibus litteris initiandos majoribus Ordinibus in tota Italia, & Inſulis adjacentibus eidem Conſtitutioni Alexandri VII. ſubjectos pariter eſſe voluit, ac declaravit: *Sanctitas ſua præcipit omnibus, qui ad Sacros Ordines promovendi ſunt, per decem dies ſpiritualibus Exercitiis ante Sacram Ordinationem vacare, eo prorſus modo, qui Romæ Ordinandis præſcribitur in Conſtitutione 126. Alexandri VII.*. Idem per encyclicas litteras Sac. Congregationis Concilii ad omnes pariter Epiſcopos Italiæ, Inſularumque adjacentium die 1. Februarii anno 1710. Clemens XI. confirmavit (2): *Præcipue vero iis diſtricte injungit, ac præcipit, ut quæ dudum ſanctæ memoriæ Innocentius XI. Pont. Max. per Encyclicam Epiſtolam a Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium conſultationibus præpoſita ad univerſos Italiæ, Inſularumque adjacentium Epiſcopos datam die 9. Octobris 1682. quod hujuſmodi ſpiritualia Exercitia a ſingulis Clericis decem dierum ſpatio antequam ad Sacros Ordines aſſumantur, peragenda mandavit, exacte, ac inviolabiliter obſervari & exequi curent, & quos iiſdem Exercitiis per antedicti temporis ſpatium minime operam dediſſe cognoverint, a Sacro Ordinatione repellant penitus, & arceant.*

VI. Poſtquam Alexandri VII. Conſtitutio evulgata fuit, ſpiritualia Exercitia in ipſa propoſita ad hanc uſque diem diligenter ſervantur. Cardinales ipſi, ac Præſules quacumque dignitate præditi cum PP. Miſſionariis a S. Vincentio a Paulo inſtitutis per decem dies iiſdem mœnibus incluſi verſantur, antequam ſingulos Ordines Sacros ſuſcipiant, & piis exercitationibus per id temporis detinentur. Nos profecto per tot annos, quibus Romæ fuimus, in eo ſolum immutatam vidimus Alexandri VII. Conſtitutionem, quod, interpoſita Pontificis facultate, Domui eorumdem Patrum Miſſionis ſubrogatum fuerit Collegium Novitiatus Societatis Jeſu, eo quod Confeſſarius alicujus Cardinalis, aut Præſulis in eo loco moraretur, adjecta tamen conditione, ut idem prorſus a negotiis ſeceſſus, & cætera omnia fierent, quæ ſuperius enumeravimus. Aliquando contigit etiam, ut Pontifex ab aliqua Congregatione rogatus permiſerit alicui Præſuli, qui publicis, & Eccleſiaſticis negotiis implicitus eſt, per exiguas horas e ſeceſſu prodire, ut iiſdem negotiis expediendis præſens intereſſet, quod omnino neceſſarium videbatur. Id nobis ipſis evenit, cum inter Præſules, & Canonicos Baſilicæ Vaticanæ cooptati, pro aliquo Sacro Ordine ſuſcipiendo ad Patres Miſſionarios ſeceſſimus.

VII. In plures Italiæ Urbes, & Inſularum adjacentium diſciplina ſpiritualium Exercitiorum invecta, & penitus confirmata eſt, quibus Ordinandi ſimul incluſi dant operam, antequam Sacris Ordinibus initientur, uti Alexander VII., & aliorum Pontificum encyclicæ litteræ decernunt. In hac vero Civitate ad hanc uſque diem, cum generales Ordinationes haberentur, ſpiritualibus Exercitiis vacare certis quibuſdam horis Clerici conſueverunt in Eccleſia Regularium Barnabitarum, qui noſtri Pœnitentiarii munere funguntur; at cum peculiares Ordinationes fieri deberent, ædes alicujus Parochi pro re peragenda eligebantur. Patres Pœnitentiarii hanc gravem provinciam, uti cetera omnia, laudabiter, & magno fane cum incommodo ſuſtinuerunt. Quamquam enim plurimis aliis negotiis pro hujus diœceſis utilitate implicantur, magno ſtudio, & ſingulari doctrina Ordinandos iis omnibus imbuerunt, quæ penitus animo defigere debent, priuſquam ad Ordines excipiantur. Præſto ſemper fuerunt, ut confeſſiones etiam totius anteactæ vitæ exciperent; eamdemque viam alii Sacerdotes, quos paulo ante nominavimus, inſiterunt. Cum tamen PP. Pœnitentiarii, & Parochi ſuis anguſtis domiciliis vix ipſi commode immorentur, ideo mœnibus iiſdem incluſos detinere Ordinandos haud potuerunt, ex quo nonnullæ corruptelæ fluxerunt, quas hoc loco ſilentio libenter, ultroque præteribimus.

VIII. Patres Soc. Jeſu Novitiatus ſui mœnibus aliquos ſemper exceperunt, ubi liberius ſpiritualibus Exercitiis vacarent: ſed id perpaucis, uti neminem latet, contingebat. Additis contiguis ædibus, ejuſdem Novitiatus ſpatia magis amplificata ſunt, & ante Ordinationem proxime peractam, quæ licet peculiaris, numeroſa tamen fuit, dedimus operam, ut plures ad Subdiaconatum aſſumendi eo loco concluſi ad pietatem, & religionem per decem dies exercerentur. Idem indiximus nonnullis, qui Diaconatum, aut Sacerdotium petebant; & ſi qui juſſa facere detrectarunt, paruimus mandato Clementis XI., quod nuper expoſuimus, nempe *Et quos eiſdem Exercitiis per antedicti temporis ſpatium minime operam dediſſe cognoverint, a Sacra Ordinatione repellant penitus, & arceant*; licet piis Exercitiis alio in loco conſuetum tempus impenderint, videlicet haud incluſi & in Eccleſia Sacerdotis, quem veluti Ducem, & Moderatorem ſumendum conſtituimus ab illis, qui juſſu noſtro in Collegium ejuſdem Novitiatus ſe recipere nequaquam debebant. Quamvis enim piis Exercitiis decem dies inſumpſerint, tamen ab ea ratione, & loco, quem nos ipſi decrevimus, ſe alienos præbuerunt.

IX. Itaque, ut futuris Ordinationibus modus ſtatuatur, omnes ex Clero Sæculari, qui Subdiaconatum expoſcent, jubemus ad Domum Novitiatus Societatis Jeſu ſe conferre, ibique clauſos decem dierum ſpatio ſpiritualibus Exercitiis detineri. Idem indicimus Sacerdotium expetentibus, quibus ſecedendi tempus nos ipſi deſignabimus. Nam Sacerdotio initiandos tot quidem numero deligere optamus, quot capere idem Novitiatus percommode queat, incerti tamen ſumus, an ſemper id præſtare tuto poſſimus. Idem conſilium cum illis pariter ſequi maxime in votis habemus, qui Diaconatus Ordinem poſtulant, & fortaſſe Deus aditum pateſaciet aliquando, ut illis quoque beneficium ejuſmodi comparetur. Interea ducti S. Caroli exemplo ſatis eſſe putamus, quæ pro futuris Subdiaconis, ac Sacerdotibus inſtituimus. Qui tamen ex Diaconis, aut Sacerdotibus intra Novitiatus ædes excipi, ac retineri non poterunt, ipſi per decem dies præſcriptos, mane, & peracto prandio ſtatis horis ad eum locum ſe conferant ut ſacris inſtructionibus interſint; aliiſque iis operibus, quibus Subdiaconi, ac Presbyteri incluſi tunc temporis exercentur. Id vero diligenter, accurateque facere non prætermittant. Quod ſi aliter contingat, eam legem, & inſtitutum Regularium imitabimur, qui cum per anni ſpatium Novitiatus ſeptis concluſi probari debeant, etiamſi parum decreti temporis intermittatur, ad vota ſolemniter nuncupanda Tyro nequaquam admittitur, ſed novus anni curſus ineundus ipſi proponitur. Nonnulli, ut alieno tempore Ordines ſuſcipiant, a Summo Pontifice Apoſtolicas litteras ſibi comparant, quæ extra tempora nuncupantur. Cum illæ a nobis executioni demandatæ ſunt, monemus univerſos, qui eas litteras aſſequentur in poſterum, vel jam aſſequuti fuerint, ita tamen, ut Exequendæ adhuc ſuperſint, monemus, inquam, vacandum fore ipſis neceſſario ſpiritualibus Exercitiis, priuſquam ordinentur, in ædibus Novitiatus per eos dies, qui a nobis ſtatuentur. Ipſi quoque virum aliquem Religioſum ibi invenient, cujus conſilio per illud temporis ſpatium dirigantur: etenim curam, & cognitionem noſtram in eo ſolum collocare volumus, ut virum ex ipſis idoneum ſeligamus; qui in ſacris Ordinationibus per quatuor tempora fieri conſuetis ordinandos ſpiritualibus Exercitiis detineat. Tandem illis omnibus, qui ob hanc cauſam ſecedere debeant, ſchedula tribuetur, ut in edibus Novitiatus excipiantur, interpoſita tamen ea conditione, ut eodem tempore ſolvatur ea pecuniæ ſumma, quæ ad ipſos alendos ſtatuta eſt. Nam compertum jam, perſpectumque habemus copioſe, ac decenter per eos dies ſuppeditari omnia quæ ad honeſtam vitæ ſuſtentationem requiruntur. Deſcribi autem curabimus eorum nomina, qui ſive Diaconi, ſive Sacerdotes in ædes Novitiatus recipi non poterunt, eumque indicem viro ſummæ probitatis, ac fidei committemus, qui diligentes, ac ſocordes accurate notabit. Hoc vero teſtimonium nos adducet, ut primos ad Sacram Ordinationem aſſumamus, illoſque rejiciamus, quos negligenter ſe geſſiſſe deprehendemus.

X. Jam facili conjectura perſpicimus fore plurimos, qui ut ſe his vinculis expediant, teſtimonia conquirent, ex quibus conſtet, eos ſine gravi valetudinis incommodo per decem continuos dies anguſtis ædibus includi non poſſe; alii vero contendent tot, tantiſque negotiis ſe implicari, ut per multos dies ea prorſus dimittere nequeant. Nonnulli paupertatem

(1) *Pag.* 805. (2) *In ſuo Bullario pag.* 547.

tatem suam ita amplificabunt, ut se impares faciendis expensis, quas nuper explicavimus, omnino ostendant. Nec deerunt fortasse Sacerdotes etiam virtutis laude prestantes, qui nos libenter convenient, ut Ordinandos aliquos liberent ab iis, quæ antea statuimus.

XI. Quapropter libere, ac perspicue responsum feremus. Illis certe, qui debilitandæ valetudinis causam objicient, ut pium secessum a nobis decretum effugiant, integram fidem præstabimus, tamen ad Sacros Ordines non esse idoneos affirmabimus, veluti qui insigni corporis deformitate notantur, aut qui pedibus nimis claudicant, quamvis ipsorum vitio id minime tribuendum videatur. Qui negotia sua pro impedimento in medium proferent, ita ut parumper illa intermittere, & spiritualibus Exercitiis posthabere per exiguos dies recusent, illos pariter a Sacris Ordinibus suscipiendis alienos esse fatebimur. Qui vero tam gravi egestate se opprimi nobis exponent, ut tenuem pro alimentis pecuniam, quam superius commemoravimus, impendere nequeant, reliquis omnibus prætermissis, quæ ad respondendum nobis suppeterent, illos potissimum redarguemus, quod in constituendo Patrimonio, aut explicandis Beneficii proventibus nos in errorem pertraxerint; nam fieri nequit, ut vitæ sustentandæ impar judicetur Patrimonium, aut Beneficium, quod juxta legem hujus diœcesis obtineatur. Quare ob illatam nobis fraudem indignos esse declarabimus, ut ad Ordines promoveantur. Tandem a præclaris Sacerdotibus, qui Ordinandos a proposito secessu immunes facere contendunt, veniam concedi nobis postulamus, ut de mortalium pia moderatione sententiam feramus nos, qui fere per viginti quinque annos consuevimus ad examen accuratissimum revocare virtutes heroicas, ac leviſſimas etiam culpas eorum, qui sibi comparata sanctitatis fama ex hac vita migrarunt. Itaque minime probari a nobis ipsorum perpetuam deprecationem libere fatemur, quæ magnum affert Ecclesiasticæ disciplinæ detrimentum. Id quidem ex animi lenitate quadam, & mansuetudine proficisci pro certo habemus, sed ultra limites æquitatis studium suum ipsi proferre videntur. Quæcumque, licet exigua causa, si boni speciem aliquam præseferat, satis ab ipsis putatur, ut Parochi longe a suis sedibus immorari queant, & Canonici cum reliquis ad Chorum convenire non teneantur. A Sacris Ordinationibus imperitos arcere severissimum esse judicant, si bonam indolem ostendant, & Ordinibus initiari vehementer expetant: id, inquam, severissimum ab illis judicatur. Curam omnem, & studium conferunt, ut solvantur interstitia, eo quod in Episcopi voluntate id positum esse dictitant, fere ac si nulla causa intercedere debeat, ut ea facultate utatur Episcopus. Si illorum sententia probaretur, sine consuetis promulgationibus matrimonia plerumque fierent, licet duo Concilia generalia, Lateranense, ac Tridentinum illas præceperint. His omnibus, quæ huc usque diximus, & quæ dicenda adhuc supererent, pariter addatur facilitas, ob quam studiose contendunt, ne spiritualia Exercitia Clerici designatis ædibus inclusi peragant, antequam ad Ordines promoveantur. Ex his omnibus sine ulla Christianæ charitatis offensione quisquis facile deprehendet, Sacerdotes ejusmodi arbitrio nimium concedere, vel Sacros Canones, & Apostolicas Constitutiones ignorare (quod verosimilius est) & quam utilis, ac necessaria prorsus utrorumque cognitio habenda sit.

XII. Jam satis sententiam nostram, nostraque decreta exposuimus. Ipsa quidem haud nobis, velut auctoribus tribuenda sunt, qui solum ea promulgamus, sed Apostolicæ Sedis auctoritati, ex qua principium & originem desumpserunt, uti paulo ante demonstravimus. Cum vero superiori tempore ad hanc usque diem plene observata non fuerint, executioni tradi quoque modo incipient, dum nos hanc Sedem occupabimus, ac fortasse Deo Opt. Max. juvante vim totam deinceps obtinebunt. Clerici profecto nostri maximas Deo gratias persolvent, quod hoc tempore ad Sacros Ordines accedant, quo latissimus aditus aperitur, ut pro Ecclesiæ muneribus obeundis rite aptentur. At si forte aliquis hoc propositum a nobis institutum nimis severum arbitretur, illudque improbet, sibi persuasum habeat, nos ab illius opinione quam maxime dissentire, idemque institutum humanitati valde accomodatum ducere. Id vero clare ostendemus ex legibus, quas Ecclesia, non prioribus temporibus, sed postremis hisce edidit. Equidem Romanum Concilium anno 1725. habitum nequaquam jussit Ordinandos in secretum locum recedere, ubi spiritualibus Exercitiis operam darent, antequam Sacros Ordines acciperent, sed in Seminariis per sex menses ante Sacram Ordinationem commorari, ut uniuscujusque indoles agnosceretur: *Omnesque promovendos per sex saltem menses ante Ordinationem in Seminariis respective, vel Episcopiis apud Episcopos omnino, Sacro hoc etiam approbante Concilio, commorari debere decernimus: alias nunc pro tunc ab Ordinibus suscipiendis rejectos esse sciant, nec cum eis, nisi prudenti Episcoporum arbitrio, dispensandum.* (1) Nec profecto desunt Episcopi, qui hoc Romani Concilii Decretum in suis diœcesibus observari jubent accuratissime, uti deprehenditur ex consueta pagella Sacræ Congregationis in causa, quæ inscribitur; *Setina Distributionum*, quæ die prima Decembris anno 1732. proposita fuit. Querimoniæ vero, ac susurrationes, quæ ob hanc causam fortasse in nos concitantur, nullam afferunt nobis molestiam. Illud solum nos angit vehementer, quod ipsis attribui potest Exodi sententia, quæ in Hebræos scripta fuit: cum jussa Moysis tanquam severissima, & ab omni ratione aliena maledictis prosciderent, *Audivit Dominus* (ait Moyses) *murmurationes vestras quibus murmurati estis contra eum; nos enim quid sumus? Contra nos enim non est murmur vestrum, sed contra Dominum.* (2)

XIII. Huc usque verba fecimus de Sacris Ordinibus, qui sæcularibus Clericis conferuntur. De regularibus, qui petunt iisdem Ordinibus initiari, perpauca dicenda supersunt. Nam plurimum confidimus Regularium Præfectis, & pro certo habemus neminem accessurum ad Sacram Ordinationem, qui prius inclusus aut cella sua, aut alio loco a cæteris secreto decem dies spiritualibus Exercitiis non expenderit.

XIV. Postremo inhærentes litteris Clementis XI. magnopere hortamur Parochos omnes hujus Civitatis, ac diœcesis, ut semel per annum his spiritualibus Exercitiis vacent, eoque tempore, cum de suarum animarum salute cogitabunt, alium Sacerdotem a nobis datum suo loco substituant, qui populi curam suscipiat. Hortamur pariter Canonicos, & aliquo Beneficio præditos in hac Metropolitana, aut alia Collegiata Ecclesia Civitatis, ac diœcesis, ut idem consilium, & institutum sequantur, ita tamen, ut in ipsorum Ecclesiis Divina haud negligantur officia. Porro Summus Pontifex non modo indulgentias, etiam Parochis liberaliter impertit, sed concedit, ut consuetos fructus, ac distributiones percipiant illorum dierum spatio, quos piis Exercitiis in secessu aliquo consecrabunt. Insuper omnibus Ecclesiasticis plurimum commendamus, ut conveniant frequentes ad spiritualia Exercitia quæ tempore Quadragesimæ in Templo S. Luciæ S. J. fieri magna cum utilitate consueverunt de quibus satis ipse in quinquagesima prima Institutione verba fecimus.

XV. Precipimus has nostras litteras perpetuo defixas conservari in nostra Cancellaria, & ad omnes Parochos Civitatis, ac diœcesis ipsorum exemplum transmitti, ut Clericos Ordinandos suæ parochiæ iis diligenter imbuant, quæ in iisdem litteris continentur: etenim vehementer expetimus, ne ipsi de peractis Exercitiis spiritualibus interrogati, cum ad Sacram Ordinationem se conferunt, illud tribuant responsum nihil se unquam de ipsis peragendis audivisse.

## INSTITUTIO CV.

*Leges quædam constituuntur tum in Urbe, tum in diœcesi circa testamenta, quæ sine Notario, vel a Parocho, vel alio Sacerdote conscribi solent. De iis, quæ in associandis deferendisque ad tumulum cadaveribus eveniunt, aliisque hujusmodi. De Tertiariis, quæ privatis in ædibus, & quæ conjunctim vitam agunt. De dissidiis quæ inter Parochos & Sodalitates quotidie oriuntur, ubi explicantur Decreta generalia Congregationis Sacrorum Rituum habita anno 1730. quibus inscribitur* Urbis, & Orbis.

I. QUamvis consentaneum magis existimemus adhiberi Notarium quam Parochum cum Testamenta condenda sunt; tamen haud ignoramus non semel evenire, præsertim in diœcesi, quod Notarius nullus versetur, aut præsto nequaquam sit, aut testator ipse libentius Parocho, quam Notario sese committat: Non ignoramus etiam, quæ a jure Pontificio in hac re decernuntur; ac tandem cognitum habemus,

(1) *Tit.* 30. *Cap.* 2. (2) *Cap.* 16. *Exodi.*

bemus, perſpectumque, vel ob imperitiam, vel ob negligentiam Parochorum plura teſtamenta ab ipſis confecta concidiſſe, ex quo factum eſt, ut iidem Parochi maledictis proſcinderentur. Quamobrem aliquid a nobis conſtituendum pro muneris noſtri ratione ducimus, ut his corruptelis aditus in hac diœceſi occludatur. Ac primum, exponemus juris Canonici ſanctiones, ac præcipuas Interpretum quæſtiones, quæ ab ipſis inſtituuntur ad explicanda juris ipſius decreta. Poſtremo, formulam ſubjiciemus, qua utantur Parochi *mutatis mutandis*, cum ipſos acciri contigerit ab aliquo teſtatore, qui ſupremas tabulas condere velit, nullamque Notarii publici operam intercedere. Aliam quoque formulam proponemus, ex qua Notarius deprehendat, quid gerendum ſit, cum Parochus teſtamenti tabulas ſua manu deſcriptas ipſi tradiderit.

II. Alexander III. duo ſuper hac re decreta edidit, quorum primum *cap. Cum eſſet* 10. Humbaldo Oſtienſi Epiſcopo & Archipresbytero, & Canonicis Veliternis inſcribitur; ſecundum vero Judicibus Veliternis, & habetur *cap. Relatum* 11. *de teſtamentis*, ejuſque exemplar in tabulario S. Clementis Velitris adhuc conſervatur, uti commemorat Borgia quondam Epiſcopus Nucerinus, nunc Firmanus Archiepiſcopus (1)

III. In prima decretali *Cum eſſes* Alexander III. ita ſtatuit: *Teſtamenta, quæ parochiani coram Presbytero ſuo, & tribus, vel duabus aliis perſonis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere*; In altera decretali *Relatum*, idem Pontifex teſtamenta coram duobus, vel tribus teſtibus jure condita eſſe declarat: *Tribus, aut duobus legitimis teſtibus requiſitis: quoniam ſcriptum eſt: In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum.*

IV. In prima decretali Pontifex preſentem Parochum expoſcit, *coram Presbytero ſuo*, in altera *Relatum*, Parochum haud nominat. In prima tres ſaltem, nempe Parochum, ac duos teſtes requirit; in ſecunda vero duos teſtes ſatis eſſe conſtituit. Quare inter has decretales repugnantia intercedere videtur, quæ tamen evaneſcit penitus, ſi quis advertat in decretali *Cum eſſes* ſermonem haberi de teſtamentis peractis non ad *pias cauſas*, ſed ad *profanas*; in decretali autem *Relatum* verba fieri de teſtamentis ad *cauſas pias* ſolum ſpectantibus. Inſuper decretalis *Cum eſſes* totum Eccleſiaſticæ ditionis ambitum complectitur, niſi forte peculiare loci ſtatutum adverſetur. Decretalis autem *Relatum* univerſo terrarum orbi ſervanda proponitur. (2)

V. Nos igitur teſtamenta præterimus, quæ ad *pias cauſas* inſtituuntur, veluti ſi bonorum hæres Eccleſia declaretur; ſed de teſtamentis agimus *ad Profanas cauſas* pertinentibus, veluti, ſi bonorum hæreditas in conſanguineos, aut amicos conferatur. Hæc vero teſtamenta coram Parocho, ac duobus, vel tribus teſtibus peracta, cum in tota Eccleſiaſtica ditione vim obtineant, Bononiæ pariter, ac per univerſam Diœceſim idem ſtatuendum eſt, quæ Pontificum ditioni prorſus ſubijcitur, cum præſertim nullum ſtatutum decretali *cum eſſes* contrarium afferri poſſit. Ita fatentur Dolphius (3), & Poſſius, aliique plures, quos Romanæ Rotæ Tribunal commemorat.

VI. Cum hæc ita ſe habeant, & cum decretalis *Cum eſſes* Parochum nominet: *coram presbytero ſuo*; inquiritur, utrum teſtamentum coram Cappellano Parochi, aut Confeſſario teſtatoris conditum jure exiſtimari debeat, quidve deliberandum videatur ſi præſto haud fuerint nec Parochus, nec Cappellanus, neque teſtatoris Confeſſarius. Cum in eadem pariter decretali duo, vel tres idonei teſtes exprimantur: *& tribus, vel duabus aliis perſonis idoneis* nova quæſtio in medium proferetur, an mulieres ipſæ in teſtamentis ejuſmodi poſſint acciri teſtes. Poſtremo, cum ultimam voluntatem eadem decretalis memoret: *In extrema fecerint voluntate*: in quæſtionem adducitur, an teſtamentum eo modo, quo diximus, confectum, vim habeat, ſi teſtator animo, & corpore bene valeat, aut ſi morbo aliquo teneatur, nullum tamen mortis periculum immineat.

VII. Hæc quæſtiones omnes facili negotio diſſolvuntur, ſi, ingenii vana oſtentatione prætermiſſa, libris evolvendis tempus impendatur, eæque opiniones ſeligantur, quas Tribunalia, forumque ſua auctoritate confirmarunt. Antonius de Budrio civis noſter in ſua epiſtola, quam ſcripſit ad explicandum *caput Cum eſſes de teſtamentis*, probavit ea teſtamenta, licet ad *non pias cauſas*, & etiam ſine Parocho confecta, modo tamen duo, vel tres teſtes intervenerint: ſed hanc opinionem verbis illis, *coram Presbytero ſuo*, apertiſſime repugnantem cæteri omnes improbarunt. Nonnulli Parochis nimium tribuunt, aſſerentes teſtamentum coram Parocho agreſti nequaquam rite fieri ab illo, qui in Civitate morari plerumque conſuevit, & dum ruſticatur, improviſo aliquo morbo correptus ſupremas tabulas exarare deſiderat. Attamen contrariam ſententiam aliqui unanimes ſequuntur, qui agreſtem Parochum ruſticantis proprium Parochum exiſtimant, cum Divina Euchariſtia, vel extrema Unctio graviter ægrotanti conferenda eſt; & ob hanc cauſam probant teſtamentum coram eodem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus inſtitutum (4).

VIII. Quod ſi Parochus abſens fuerit, difficile admodum valere teſtamentum conſtabit, ad quod Cappellanus accerſitur, licet illum Parochus ſuo loco ſubſtituerit. Nam ob hanc delegationem adminiſtrandi Sacramenta facultatem Cappellanus tantum aſſequitur (5) At vero non ſemel in judicio probatum fuit teſtamentum, quod factum fuit coram Confeſſario, & duobus aliis, vel tribus teſtibus (6) Non is tamen Sacerdos intelligitur, qui teſtatoris confeſſionem forte excepit, ſed is, qui Pœnitentiæ Sacramento teſtatorem ipſum expiare jam dudum conſueverit. Nam plurimi *facienda eſt fiducia quam ſtatuit* quiſque in Confeſſario, cui reipſa tribui queunt ea verba *coram Presbytero ſuo*, quemadmodum Cardinalis de Luca recte perpendit (7) & Romanæ Rotæ Tribunal declaravit.

IX. Quapropter abſentibus Parocho, & proprio teſtatoris Confeſſario, ad evitandas difficultates omnes, Cappellanus, vel extraordinarius Confeſſarius alium præter conſuetos teſtem accerſant. Si Parochus aut proprius Canfeſſarius interſit, duo teſtes ſatis eſſe decernuntur. Si illi abſentes fuerint, tum Cappellanus, vel alius Confeſſarius acciri tertium quoque teſtem curent, qui abſentiam Parochi, vel proprii Confeſſarii ſupplebit, ſi Cappellanus, vel extraordinarius Confeſſarius inter teſtes recenſentur; tum ſi tres alii teſtes vocentur, numerus teſtium ad rem peragendam neceſſarius perficietur. Hujuſmodi cautio primum defumitur ex Abbate, (8) cui deinde reliqui omnes aſſentiunt (9).

X. Ad reliquas quæſtiones, quæ propoſitæ fuerunt, deveniamus. Primum, decretalis *cum eſſes* teſtes idoneos exigit, non quidem *in ſuperlativo gradu*, cum teſtimonium etiam egenorum probitate, ac fide præſtantium ſatis idoneum putetur (10) ſed requirit ut viri tantum, non mulieres teſtimonium ferant, ut Fagnanus ſuſe demonſtrat (11); cujus auctoritate ducti fatemur rite condi teſtamentum coram Parocho, vel conſueto Confeſſario, ac duobus Teſtibus, aut coram quatuor teſtibus, ſi Parochus, aut ſolitus Confeſſarius non intervenerint; rite, inquam, condi hac ratione teſtamentum, licet teſtator gravi morbo non teneatur. Nam Alexander III. in decretali *cum eſſes* morbi quidem implicite meminit illis verbis *In extrema fecerint voluntate*: ſed rem tum ſolum exponebat, pro qua conſilium ab ipſo petebatur; ſententiam vero Pontificis morbo nequaquam inniti Cardinalis de Luca ſapienter oſtendit (12)

XI. Jam ſatis ſit de iis, quæ a jure Canonico circa hoc argu-

(1) *In Hiſt. Eccl. ac Civit. Velitern. lib. 3. num. 60. & ſeqq.* (2) *Covarr. Cap. cum eſſes n. 12. de teſtamentis. Fagnan. Cap. Relatum n. 4. Barboſa n. 2. de teſtamentis. Facchin. Controverſie. Jur. lib. 9. cap. 47. §. ult. Engel. in Summa Jur. Canon. de teſtamentis quæſt. 7. Card. Petra tom. 2. in Conſt. Apoſt. pag. 320. n. 34. & ſeqq. Roger. tractat. de teſtam. Canonico lib. 1. diſp. 1. cap. 1.* (3) *In controv. 71. num. 94. & 98. deciſ. 33. n. 187. & 212. In Bononien. Legatorum, die 6. Ap. anno 1731. §. Statutum autem Bononiæ coram Rezzonico.* (4) *In Decretis practicis de teſtament. cap. 35. n. 4. & ſeqq. & cap. 36. n. 217. & ſeqq.* (5) *Roger. de teſtam. Canon. lib. 1. diſp. 2. c. 3. ſub n. 9.*

(6) *In deciſ. 145. num. 13. coram Alex. VIII. & in dec. 128. n. 5. cor. Caprara.* (7) *De teſtam. diſc. 25. num. 22. In deciſ. 372. an. 18. uſque ad n. 30. pag. 9. tom. 2. rec. dec. 52. num. 5. & 6. part. 13. recent.*

(8) *In ſolemni repetitione cap. cum eſſes n. 12. de teſtamentis.* (9) *Vallenſ. tit. de teſtam. §. 1. num. 7. Rocc. diſput. Jur. cap. 40. n. 1. Paul. de Rubeis in allatis Decr. practicis c. 35. n. 121. & ſeq. Roger in opere all. lib. 1. diſp. 3. cap. 1. n. 10. & ſeqq.* (10) *De Rubeis in cit. cap. 35. num. 178. & ſeqq.* (11) *Cap. Cum eſſes num. 32. & ſeqq. de teſtam num. 68. & ſeqq.* (12) *In cit. diſc. 25. de teſtamen. num. 10. Monacell. lib. 1. tit. 10. formul. 19. n. 30.*

argumentum desumuntur, ac de iis quæstionibus, quæ a Theologis fiunt; nunc de usu rei ejusdem verba faciamus, & seriem eorum, quæ peragenda sunt, explicemus.

XII. Itaque Parochus, vel Confessarius ordinarius acciti a testatore, qui eos adhibere velit ad supremas tabulas conficiendas, cum Notarius publicus desit, illi, inquam, testatorem admoneant necesse est, duos alios testes saltem requiri ex viris, non mulieribus delectos. Si vero Cappellanum, aut Confessarium extraordinarium acciri contingat ob eamdem causam, tres alios testes adhibendos testatori patefacient. Deinde reipsa testes perquiri deberent, & moneri testamentum ipsorum testimonio obsignandum esse eo tempore, ac loco, qui indicabitur. In hoc *Rogitus explicitus* declaratur. Sed quoniam ob ægrotantis periculum aliquando res celeriter expedienda est, tum ferre testimonium possunt illi, qui fortuito in ædibus testatoris occurrunt, & coram ipsis testamentum confici potest, modo tamen voluntatem suam clare ipsis testator exponat, ipsique mentem intendant, ut verba testatoris intelligant quemadmodum leges iis verbis præscribunt: *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur presente eo fecisse, nisi iis intelligat* (1). Insuper nulla fraus immiscenda est, atque iis omnibus *rogitus implicitus* continetur, quem sufficere Juris consulti tunc existimant, uti Rogerius amplissime comprobat (2).

XIII. Coactis necessariis testibus Sacerdos testatorem admoneat, ut sibi, ac præsentibus ipsis testibus extremam voluntatem suam declaret, nempe pia legata, si aliqua facere pro animæ suæ expiatione deliberaverit, item legata profana, si tamen aliqua decernere velit, ac postremo testamenti sui executores, si ipsos nominare cupiat, & hæredis institutionem, quæ ad testamentum rite condendum omnino necessaria est; eos pariter explicet, qui loco hæredis substituendi sunt, illos constituendos optaverit. Evenire potest, quod testator ægrotus ita morbo prematur, ut hæc universa exponere nequeat, & opera alterius prorsus indigeat, qui aliqua ipsi in memoriam revocet; idque Sacerdoti tunc minime interdicitur, præsertim cum de legatis statuendis testator moneri debet; sed prudentia, simul ac probitas in Sacerdote appareant, qui se prorsus alienos a fraude, privataque utilitate palam debent ostendere (3).

XIV. Deinde Sacerdos idem manu sua describat testatoris voluntatem sibi, ac testibus expositam, idque statim clara voce coram testatore, & testibus perlegere tenetur, & emendare fideliter quidquid immutandum testatori videbitur. Post hæc testatori scriptum ipsum obsignandum tradet; illud quoque Sacerdos, ac testes obsignabunt, asserentes, quod testamento condendo interfuerit. Si Parochus ipse aceitus testamentum exaraverit, Ecclesiæ suæ sigillum imprimet. Confessarius vero ordinarius, aut Cappellanus, & Confessarius extraordinarius proprio sigillo testamentum obsignabunt. Si testator nomen suum litteris efformare nesciat, vel id facere ob gravitatem morbi nequeat, satis erunt testimonia Sacerdotis, ac præsentium testium qui si litterarum ignari penitus sint, tum solus Sacerdos testamentum manu sua signabit; testes vero crucis signum efformabunt (4); deinde Sacerdos illud crucis signum a testibus, quos nominabit, appositum asseret.

XV. Non semel aliqua testamenta perspeximus peracta vel a Parocho vel ab aliis Sacerdotibus, quos nuper explicavimus, & illa quidem nec diem, neque annum, neque locum, ubi testamentum factum fuit, præferebant, & cæteris quoque clausulis carebant, quæ necessario requiruntur. Insuper experientia compertum nobis est, Parochos, aut alios Sacerdotes scripto testamento domum suam illud intulisse, & omnem deinde cogitationem prorsus abjecisse, Quapropter post ipsorum, vel testium mortem, testamentum idem penitus concedit, & multa dissidia concitavit. Itaque formulam in describendis testamentis servandam Parochis, aliisque Sacerdotibus in fine hujus Institutionis proponimus, ut corruptelæ primo loco expositæ consulamus. Perpauca etiam inferius decernemus, ut futuris litibus ob imperitiam, vel negligentiam Parochorum, aut Sacerdotum, omnem aditum occludamus.

XVI. Quantocius fieri poterit, nec fuerit octo diebus post obsignatum testamentum, Parochus, aut Sacerdos una cum testibus publicum Notarium conveniet, cui notum faciet se jussu Testatoris eas tabulas scripsisse. Ipsas deinde ostendet, ut in acta a Notario referantur. Testamenti ipsius partes explicari a Parocho, vel Sacerdote, ac Testibus non opus est, si illud a testatore ipso, ac testibus obsignatum fuerit (5). Satis erit, si testes eaſdem tabulas, & obsignationes manu sua peractas fuisse confirment: insuper hæredem institutum, legata Decreta, & reliqua omnia, prout in testamento describuntur, a testatore constituta fuisse comprobent. Sin autem a Parocho, vel alio Sacerdote, non autem a testatore, supremæ illæ tabulæ scriptæ, signatæque fuerint, quamvis testes eaſdem tabulas obsignaverint, tum Parochus exponere palam debet, ac post ipsum seorsim testes, omnia, quæ in illis tabulis continentur (6); id vero faciendum præsertim indicitur, cum testes litterarum imperiti crucis signum tantum effinxerint. Sed prius ipsi testes nomen suum tabulis obsignatum agnoscent, vel crucem efformatam, cui Parochus ipsorum nomen subjecit. Deinde Scriba tradito sibi testamento adjungat, quidquid testes deposuerint. In fine hujus Institutionis totius rei formulam addemus, ut Notariis Foraneis, quo modo res eadem gerenda sit innotescat.

XVII. Non ignoramus hæc omnia non sufficere, ut supremæ tabulæ vim suam obtineant, & executioni mandentur, nisi Parochi ac testium examen decreto idonei Judicis intercesserit, & illi vocentur ad hoc judicium, ad quos testamentum pertinere videatur. Quippe fides Parochi, ac testium nihil aliud præfert, quam testimonium *ad perpetuam*, quod quidem parvi momenti habetur, nisi quæ modo exposita sunt, omnino observentur (7): hæc tamen haud necessaria Monacellus advertit (8), si ob legitimam consuetudinem testamenta suum effectum habeant; etiamsi testimonia non reputantur, & in publicum tabellarium referri absque nova promulgatione soleant.

Sed hoc negotium a nobis declinandum putamus, & solum instruendos esse Parochos; alioſque Sacerdotes operam sedulam conferre, ne ipsorum imperitia male testamenta condantur, aut in tenebris sepulta delitescant. Reliqui vero, ad quos testamenta ipsa spectant, ad juris peritos confugiant, ex quorum consilio faciendum suscipient quidquid utile sibi, & consentaneum judicabunt.

*Formula testamenti, quod absente Notario conficitur a Parocho.*

XVIII. IN nomine Domini. Amen.
NN. quondam N. N. ditionis, ac Diœcesis Bononiensis Dei beneficio sana mente, ac sensibus præditus, visu, loquela, atque intellectu, sed corpore ægrotus, & lecto decumbens, ne ipsum improvisa mors opprimeret, antequam de bonis suis testaretur, me inferius obsignatum ore suo, & clara voce rogavit, tanquam ipsius Parochum, absente Notario publico, ut ejus testamentum exciperem, & scriberem, ac reipsa coram testibus inferius adnotatis, & ob hanc causam accitis ab eodem testatore N. N., ego excepi, iterumque excipio idem testamentum, quod manu mea describo, dum testator ipse tractim enuncit quæ suprema voluntate deliberat; hasque tabulas re perasta Notario committam; quibus NN. bona sua divisit, ac dividit eo modo, qui subditur, nempe.

Primum, animam suam testator Deo Optimo Maximo commendat, cujus opem implorat, morte præsertim proxime impendente, ut ad sempiterna Cœlitum gaudia excipiatur.

Præcipit corpus suum sepulturæ mandari in Ecclesia N. N. postquam in cadaver redactum fuerit, proque animæ suæ expiatione Sacra fieri.

Item ratione legati, & quocunque meliori modo &c. relinquit summam pecuniæ N. numerandam N.

Pro reliquis autem bonis mobilibus, immobilibus semoventibus, rebus rationibus, actionibus tum præsentibus tum futuris idem testator N. ore suo, & clara voce hæredem suum

(1) *In L. coram Titio ff. de verbor. significat.* (2) *In suo Tract. de testam. Canonico lib. 1. dis. 3. c. 4. n. 12. & 13.*
(3) *Rota in cit. Bononien. Legatorum §. Præmisso siquidem cor. Rezzonico.*
(4) *Monacellus tom. 1. Formul. legal. form. 19. num. 41.* (5) *Juxta decis. 108. num. 6. & 7. & decis. 110. num. 20. & seqq.* (6) *Secundum dec. 312. num. 5. part. 16. Recent.* (7) *Panimoll. dec. 90. annot. 1. num. 20. & seqq. Roger. de testamento Canonico lib. 1. disp. 2. cap. 1. a num. 37. ad num. 41.*
(8) *In Formular. Legal. tom. 1. tit. 10. formul. 19. num. 34.*

suum instituit, nominat, declarat, & vult. N. N. libera voluntate, ac ratione (hoc loco addantur substitutiones, aliæque conditiones, quas testator præscribet, & quæ notari clare debebunt).

Commissarios autem, & executores postremæ hujus voluntatis idem testator N. designat N. N. quibus facultatem tribuit, ut &c. (hoc loco describantur facultates generales, seu peculiares, quas illis conferendas testator judicabit)

Porro ipse testator declaravit hanc esse suam postremam voluntatem, ac testamentum; quod si ratione testamenti vim non assequatur, decernit, illud valere tanquam codicillum, vel donationem causa mortis, aut cujuscumque postremæ voluntatis, quæ valida, & efficax habeatur. Revocat autem, obliterat, & irritam facit aliam quamcumque voluntatem, aut testamentum, quod ipse alio quocumque tempore, vel ratione condiderit, ita ut hoc postremum valere solum debeat, & perpetuo observari a suis hæredibus, & ab aliis, ad quos pertinebit; idque totum fieri præcipit quocunque meliori modo, qui rationi consentaneus sit.

His omnibus, & singulis continue præsentes adfuerunt in eodem oppido, ac domo testatoris, nempe, in cubiculo, ubi ipse ægrotus decumbit, jam nominati testes N. filius N. &c. qui testatoris ore proprio rogati fuerunt, ut testimonium facerent. In fidem &c. manu mea has supremas testamenti tabulas obsigno, & Sigillum Ecclesiæ meæ superaddo.

*Formula servanda dum Parochus testamentum Notario publico committit.*

XIX. REverendus D. N. Filius D. N. N. Rector Ecclesiæ Parochialis N. coram testibus inferius signatis, ut observantiam testamenti inferius descripti certam, ac perpetuam redderet, commisit, deditque mihi Notario publico folium, in quo asseruit contineri testamentum, & voluntatem nitimam N. N. in sua Parochia commorantis (nempe si ad hæc superstes fuerit; sin autem e vivis decesserit, addatur) in sua Parochia commorantis, dum viveret, & dum animam postremo exhalavit, quod testamentum ab eodem Reverendo Parocho conditum fuit rogante ipso testatore, & absente Notario publico die mensis hujus anni

Idem testamentum exceptum coram testibus in ipso descriptis, & similiter ab eodem testatore rogatis, scriptumque fuit manu ipsius Reverendi Parochi testatore dictante, quæ vellet; qui sane testator dum supremas has tabulas conficeret, corporis quidem ægritudine tenebatur, mentis tamen sanitate, sensu, visu, auditu, intellectuque præditus erat; in quibus tabulis testator affirmat legata decrevisse, hæredem ore suo declarasse, & reliqua omnia, prout in testamento continentur, libere constituisse; & insuper postulat, ut traditum mihi, exceptumque suum testamentum publica fide confirmarem, & illud in acta mea referrem; quæ omnia meliori modo &c. sententia vero ejusdem testamenti est hujusmodi (hoc loco referatur testamentum).

*Formula depositionis Parochi, cum interrogatur de iis, quæ in testamento continentur.*

XX. AC deinde interrogatus a me Notario idem Reverendus Parochus de iis, quæ habentur in testamento mihi tradito, ipse jurejurando interposito, & tacto de more pectore Sacerdotali deferente me Notario publico, respondit hæc, quæ sequuntur:

In testamento peracto, ut superius expositum fuit, tibique tradito N. testator, anima sua prius Deo commendata, decretoque sibi tumulo in Ecclesia N., & pro animæ expiatione Missarum Sacrificiis indictis præcepit numerari N. summam pecuniæ N. (hoc loco cætera legata, & alia, si quæ proposita fuerint a testatore singillatim enumeret).

Hæredes bonorum suorum generales instituit N. N. ore suo, & clara voce (hoc loco explicentur si qui alii substituti sint, vel aliquid aliud circa hæredis institutionem a testatore decretum fuerit).

Postremo, commissarios suos designavit N. N., & reliqua omnia, prout in testamento describuntur, quod ego testor, & approbo illud idem esse, quod excepi, scripsi, obsignavi, addito pariter Sigillo Ecclesiæ meæ Parochialis.

*Formula depositionis testium, cum interrogantur de eodem testamento.*

XXI. POst hæc idem Reverendus Parochus adduxit jam nominatos, & inferius scriptos testes, qui condendo testamento interfuerunt. Ac primum N. filius N. N. oppidi N. interrogatus a me de rebus in eodem testamento contentis, jurejurando interposito, tactisque Scripturis, deferente me Notario publico in hunc modum respondit:

| Die | Mensis | Anni |
|---|---|---|
| accersitus domum | in oppido | ubi ipse gravi |

morbo decumbebat, ore suo claraque voce me rogavit, & etiam N. ut testes essemus postremis suis tabulis, ultimæque voluntati. Quare Reverendum N. Parochum suum illic præsentem exoravi, ut absente Notario publico, testamentum suum exciperet; illud Reverendus idem Parochus N. excepit, scripsitque enunciante testatore, quæ vellet. Is quidem anima sua Deo commendata, sepeliri corpus jussit in Ecclesia &c. (hoc loco describatur responsum ejusdem testis ad singula capita testamenti, quemadmodum in responsione a Parocho facienda superius exposuimus; deinde Notarius hoc modo prosequatur.

Insuper testamenti tabulas ego Notarius testi N. N. palam ostendi, quas ipse diligenter expendit, & nomen suum in fine obsignatum, vel ejus loco crucis signum perspexit, cui subjiciebantur ipsius nomen, & cognomen; quibus peractis testis ipse jurejurando dixit: Hoc est revera testamentum N. N., cui ego testis interfui cum alio teste, quem superius nominavi. Super his omnibus &c.

Post hæc, Notarius depositionem eliciet ab illo, vel aliis testibus, qui forte interfuerint, & pro hac eadem causa coram adducantur.

Quod si testamentum manu testatoris obsignatum fuerit, nullum tunc examen Parochi, vel testium requiritur, & satis erit, si ipsi testamentum idem agnoscant eo modo, quem explicavimus, & etiam superaddant legata, hæredis Institutionem, aliaque omnia decreta fuisse ab ipso testatore, prout in ejus supremis tabulis exhibetur; nec opus est, ut singillatim enumerent &c.

*Leges observandæ in Civitate, ac Diœcesi Bononiensi pro quibusdam eventibus, qui in efferendis ad sepulturam cadaveribus obtingunt, aliisque similibus.*

XXII. QUamvis nonnullis corruptelis prospicere curavimus, quæ in hanc Civitatem invectæ fuerant, cum mortuorum cadavera ad tumulum efferuntur, tamen alia nonnulla supersunt emendanda, quæ ut melius intelligantur, explicari debet eorum consuetudo jampridem in hanc Civitatem nostram inducta.

XXIII. Cum efferenda sunt cadavera, Ordines Regularium, aut Sodalitia accersita se conferunt ad Parochiam, cui defunctus subjiciebatur, & inde simul cum Parocho ad ædes ejusdem defuncti proficiscuntur: cum cadaver jam elatum fuerit ad Parochiam, tunc ex eo loco ad Ecclesiam transfertur, ubi sepulcro condendum est, nempe, si in ipsa sepulchrum majores defuncti sibi, ac posteris suis constituerint, aut si defunctus ipse tumulum sibi in eadem Ecclesia delegerit.

XXIV. Cum ab ædibus, sive ab Ecclesia Parochiali cadaver effertur, tot Crucis vexilla præferuntur, quot accitæ fuerunt Sodalitates, ut cadaver ipsum prosequantur. Ita omne Sodalitium erigit vexillum suum, & singuli Ordines Regularium Crucis signum quoque deferunt eo prorsus modo, qui in publicis supplicationibus præscribitur. Idem institutum servatur, etiamsi Capitulum hujus Metropolitanæ accersitum fuerit. Singuli enim Ordines Crucem suam præferunt, at illa Capituli quam sequuntur Canonici, locum propriorem cadaveri sibi sumit. Quod si Ecclesia, ubi tumulus eligitur, inter Parochiales adnumeretur, tunc ipsius vexillum præfertur, non vero Parochiæ, ad quam defunctus pertinebat. Uterque Parochus Crucem eamdem sequitur Parochiæ, ubi cadaver sepulturæ committendum est, ita tamen ut Rector Parochiæ, *a qua*, dexterum latus obtineat, donec per ditionem Parochiæ suæ incedit, vel etiam per alienas Parochias, quæ interponuntur, usque ad confinia Parochiæ, *ad quam*, & statim ac eos terminos attigerit, locum suum Rectori Parochiæ, *ad quam*, concedit, & ipse latus sinistrum occupat. Si vero Ecclesia tumulando cadaveri proposita nullo Parochiæ titulo prædita sit, vexillo Crucis non utitur, sed illud Ecclesiæ Parochialis *a qua* solum præfertur. Insuper si Ecclesia non Parochialis, ubi cadaver sepeliri debet, addictum sibi proprium Sacerdotem habeat, veluti Præfectum Regularis Conventus, ubi defunctus tumulum sibi constituit, aut Cappellanum Sodalitii, in cujus Sacris ædibus cadaver condendum est, tunc Sacerdotes ejusmodi proprium sibi locum desumunt, atque ita Præfectus Conventus incedit cum suis Regularibus, si ipsi ad supplicationem funebrem interveniant:

niant: Cappellanus autem Sodalitium ſuum proſequitur, ſi illud accitum fuerit, ut funebrem pompam comitetur: & tum Rector Parochiæ *a qua* reliquis omnibus ſolus anteponitur.

XXV. Si hanc conſuetudinem diligenter expendamus, nonnulla juri communi conſentanea, alia vero prorſus aliena deprehenduntur. Ac primum juri cohæret, quod Sodalitates, vel Ordines Regularium, quæ ad pompam funebrem vocantur, ad Parochiam defuncti prius ſe conferant, & inde ad ipſius domicilium, ſive ad eam Eccleſiam, ubi cadaver expoſitum fuerit; porro id contingit, cum defunctus ita juſſerit, vel ipſius hæredes ita decernunt. Equidem ſæpius conſtitutum, ac ſancitum fuit, haud opus eſſe, ut cadaver in Eccleſia Regularium, aut alia quacunque ſepeliendum, in Parochiali Eccleſia prius deponatur, niſi forte defunctus ipſe, ſive hæredes id ſtatuerint. Petitum fuit a Sacra Congregatione die 14. Martii anno 1722. (1): *An cadavera defunctorum ſepelienda in Eccleſia Fratrum Minorum de Obſervantia terræ Petræ ſanctæ, antequam ad eorum Eccleſiam deferantur, debeant prius aſportari ad Parochialem, & eorum ibidem debeat fieri expoſitio uſque ad horam ſepulturæ?* Sacra autem Congregatio reſpondit *negative* (2). Eadem ſententia die 16. Martii 1726: (3), atque iterum die 6. Februarii anno 1734. (4) confirmata fuit. Inſuper ex jure communi deſumitur, quod Cappellanus Sodalitii, in cujus Eccleſia tumulum ſibi defunctus elegit, ſi ad pompam funebrem veniat poſt Sodales ſuos locum teneat (5). Juri pariter valde accommodatum videtur, quod cadaver ab ædibus ſuis minime efferatur, neque ab Eccleſia, ubi collocatum fuerit, niſi Parochus interſit, ad cujus ditionem pertinet defunctus; niſi forte idem Parochus accitus venire recuſaverit, nec alios in locum ſuum Sacerdotes ſufficere velle declaraverit. Decreta ſuper hac re Paſſarinus (6), Donatus (7), Lantuſca (8), ac Pignatellus (9) fuſe commemorant, & ob eadem decreta Scriptores unanimes idem docent (10).

XXVI. Sed abhorret a jure communi tot Cruces deferri in pompa funebri, quot Sodalitates, vel ordines Regularium accerſiri contigerit: ſiquidem Eccleſiæ, ubi defunctus terræ mandatur, ſolum elevandum die 16. Martii anno 1726. Sacra Congregatio conſtituit, omiſſis aliis ſententiis, quas eadem Congregatio haud diſſimiles olim promulgavit. Siquidem in Volaterrana petitum fuit: *An Archipreſbyter aſſociando cadavera ſepelienda in Eccleſia Patrum Conventualium, teneatur incedere ſub illorum Cruce, ſeu potius valeat propriam Crucem elevare?* Reſponſum eſt: *affirmative quoad primam, & negative quoad ſecundam partem* (11). Congruit alia quoque ſententia quam die vigeſima nona Januarij anno 1735. Sacra Congregatio edidit, cum *Sabinenſis Cauſa funerum* propoſita fuiſſet: ſed alienum magis a jure videtur, quod Sodalitia, vel Ordines Regularium ſuas Cruces præferant, cum Metropolitanæ Eccleſiæ Capitulum ad funebrem pompam invitatur: nam ipſius ſolum vexillum tunc elevandum eſt, & omnes qui ad exequias celebrandas acciti fuerunt, illud ſequi debent, uti a Sacris Congregationibus Romæ toties decretum fuit (12).

XXVII. Cum ob antiquam conſuetudinem in hac civitate, ac diœceſi minime id obſervetur, ſed tot vexilla Crucis ferantur, quot Sodalitates, vel Ordines Regularium pompæ funebri interfuerint, quemadmodum ab Archiepiſcopali Cardinalis Gabrielis Palæoti. (13) primi hujus urbis Archiepiſcopi deprehenditur illis verbis: *Expreſſe præcipimus ut omnes, & ſinguli ſtatis horis ſimul convenire debeant ſub ſuis quique Vexillis & Crucibus in locum, ubi defunctus erit, ut ſepeliri poſſit*, quod inſtitutum quidem tenetur, etiamſi Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ acceſſerit (14), ideo vetuſtatis gratia nihil novi ſtatuendum volumus, & conſuetudines a Deceſſoribus noſtris jam inductas permittemus, ea tamen conditione, ut aliæ quæcumque Sodalitates, Ordines Regularium, & Cappellani conductitii prius ad Metropolim conveniant, quoties ejus Capitulum funeribus aſſociandis intervenerit & ex eo loco pompa funebris incipiat uſque ad domicilium defuncti, ſive ad Eccleſiam, ubi cadaver fuerit expoſitum. Ratio enim habenda eſt Capituli noſtri juxta ſententias Sacrarum Congregationum, quas Baſſius recenſet (15).

XXVIII. Sed jam ſermonem ad alia convertamus, quæ vetuſtatis conſuetudinem adjunctam non habent. Ac primum nobis delatum fuit unam, vel Plures Sodalitates convenire ad aſſociandum funus defuncti, qui eiſdem Sodalitatibus adſcriptus fuerat. Quare conſilium a nobis petierunt, nempe, quem locum tenere, & quid peragere tunc debeant?

XXIX. Equidem Romanum Rituale ita præcribit (16): *Ordinatur Proceſſio, præcedentibus laicorum Confraternitatibus, ſi adſint: tum ſequitur Clerus Regularis per ordinem, binique procedunt prælata Cruce, devote Pſalmos, ut infra, decantantes. Parocho præcedente feretrum cum luminibus: inde ſequuntur alii funus comitantes, & pro defuncto rite Deum deprecantes ſub ſilentio.*

XXX. In ſtatutis Cleri Romani prorſus idem decernitur (17): *Societates quæ ad funera ſuorum Confratrum ſine Sacco accedunt: non ante feretrum, ſed poſt illud incedunt: e contra vero, quæ cum Sacco comparent, ante ipſum feretrum ſuis locis procedant, hoc eſt ante Clerum Regularem ſive ſecularem.*

XXXI. Hoc loco res non agitur de iis Societatibus, quæ Saccum induere conſueverunt, ſed de illis, quæ Sacco minime utuntur. Hæ vero, ſi cadaver aſſociare oporteat, abſque ullo dubio feretrum ſubſequi debent, & ordinatæ pie incedere, preces Deo perſolventes, veluti Roſarium, pro defuncti expiatione, ſed voce ſubmiſſa: *Pro defuncto* (ita ſtatuit Rituale Romanum) *Deum rite deprecantes ſub ſilentio*. Porro ſubmiſſæ voces comparantur ſilentio, quod a Rituali decernitur: ea quoque ratione minime perturbatur ordinatus illorum cantus, qui feretrum præcedunt.

XXXII. Inſuper deprehendimus non ſemel a Parocho, vel hæredibus defuncti Cappellanos conductitios acciri, non tantum ex clero Sæculari, ſed etiam ex Regularibus, qui aliquando nullis Eccleſiaſticis Ordinibus præditi ſunt, ſed inter laicos, ſive converſos Ordinis numerantur: non ignoramus iſtos poſt nuncupata ſolemnia vota Regulares reipſa habendos eſſe, & quibuſdam frui privilegiis, quæ Clericis ſæcularibus tribuuntur; quinimmo iiſdem privilegiis etiam gaudere ante votorum nuncupationem, dum adhuc in Novitiatu verſantur. Ita profecto Canonis privilegium, aſſequuntur; ſed hæc omnia Converſis ipſis a jure Pontificio conceduntur. Nam clare deſumitur ex Canone: *Si quis ſuadente 17. quæſt. 4. in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit: &* ex cap. *Religioſo de ſententia excommunicationis in ſexto. Quamvis autem is, qui Religionem ingreditur, Religioſus cenſeri cum effectu non poſſit donec ſit tacite, vel expreſſe Profeſſus; ſiquis tamen violentas manus in eum injiciat, Excommunicationis latæ a Canone vinculum non evadit.* Attamen intelligere nullo modo poſſumus, qua ratione Converſus Regularis Perſonam Cappellani gerere poſſit dum juſta perſolvuntur defunctis, vel ipſorum cadavera ad ſepulturam efferuntur: neque facile percipimus Converſum Regularis Ordinis accerſiri ab illo, qui virum aliquem Religioſum invitat, ut Cappellani munere fungatur. Quapropter ſtatuimus non niſi Sacerdotes, aut Clericos Sacris Ordinibus præditos, dum cadavera efferenda ſunt, acciri poſſe tamquam Cappellanos conductitios. Idem Regularibus indicimus, illos ab eodem Cappellani munere prohibentes, qui Sacris Ordinibus initiati non fuerint, & multo magis Ordinis Converſos, niſi forte haud Cappellani nomine perpauci Regulares, ſed tota ipſorum familia ad aſſociandum cadaver invitentur: nam cum ipſa pluribus conſtituatur, ex quibus alii Laicos inter recenſentur, alii minoribus, alii majoribus Ordinibus, alii demum Sacerdotio initiantur, ideo non interdicimus Converſis Regularibus

---

(1) *In Lucana funerum.* (2) *lib. 72. Decretor. pag. 64.* (3) *lib. 76. Decretor. pag. 122.*
(4) *In Tolentina Funerum.* (5) *Baſſius de Sodalitiis quæ. 5. num. 9.* (6) *De ſtatu hominum tom. 2. quæſt. 187. art. 4. num. 153. & 154.* (7) *Rer. Regular. tom. 3. tract. 10. quæſt. 12. & 13.*
(8) *In Theatro Regularium ad vocabulum aſſociatio cadaverum.* (9) *Conſult. 49. tom. 3.*
(10) *Samuel de Sepult. tract. 1. contr. 5. concluſ. 5. Pirhing. §. 1. n. 34. & ſeq. Monacel. in formul. leg. tom. 1. tit. 5. formul. 7. num. 34. & ſeq. Urſaia tom. 2. p. 2. diſcept. 30. n. 84. & ſeq.* (11) *Lib. 76. Decretor. pag. 121.*
(12) *Monacellus in loco cit. num. 38. & 39. Urſai tom. 7. ſuarum diſcept. part. 1. diſcept. 36. num. 69. & ſeq.*
(13) *Pag. 185.* (14) *Hieronymus Prediera de funerib. aſſociand.*
(15) *In cit. trac. quæſt. 5. num. 10.* (16) *Tit. exequiarum ordo.*
(17) *Cap. 7. de Confraternitatibus ad Funera invitatis. 7.*

bus convenire ad funebres pompas cum aliis Fratribus, ideſt cum univerſa familia.

33. Inſuper percepimus excitari aliquas controverſias inter Regulares, & Cappellanos Regulari Ordini minime addictos: nam vocantur aliquando ad aſſocianda cadavera quidam Presbyteri ſæculares, & Eccleſiarum quoque Rectores, qui ad pompam funebrem, tanquam conductitii Cappellani interveniunt. Acciri ſolent ob eamdem cauſam, & eodem Cappellani conductitii titulo Parochi Regulares, aut viri Religioſi in Monaſterio degentes. Itaque cum Clauſtrales ſimul interſunt, tum Parochi reliquis Cappellanis, qui curam animarum non habent, præire conſueverunt. Inter Parochos autem Sæculares, ac Regulares illi principem locum obtinere ſolent, qui prius animarum curam ſuſceperint. Cæteri Cappellani ſive Clauſtrales fuerint, ſive Clauſtris liberi, ac immunes, qui Parochi titulo prædíti non ſunt, confuſi permixtique funebrem pompam comitantur, quæ non ſemel ordinata ſic fuit, ut Cappellani anteceſſerint Parochis locum feretro propriorem ſibi ſumentibus; & tunc bini Cappellani non Clauſtrales incedebant; illos deinde bini Clauſtrales ſequebantur, & hoc pacto univerſa pompa deſignata fuit. At nunc Clauſtrales aliqui Parochis, & Cappellanis haud Clauſtralibus præire contendunt, licet omnes conductitii Cappellani nomine ad funebrem pompam conveniat. Quapropter ob has controverſias turbæ concitatæ ſunt, dum cadavera efferrentur.

XXXIV. Ignoramus profecto, quibus rationibus innixi Clauſtrales præ cæteris omnibus locum ſibi depoſcant.

XXXV. Ipſos tamen, neque probare, nec improbare volumus, antequam ex utraque parte argumenta proferantur. Illud certiſſimum eſt, quod nos jubemur a Tridentina Synodo, his diſſidiis aditum occludere (1): *Controverſias omnes de precedentia, quæ perſæpe maximo cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas Perſonas tam ſæculares, quam Regulares, cum in Proceſſionibus publicis, tum in his, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda Umbella, & aliis ſimilibus, Epiſcopus amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque componat.*

XXXVI. Itaque, ut finem diſſidio ſtatuamus, ac ne Regulares primum locum petentes rem ſolum diſſimulent, donec tempus excitandis turbis opportunum acciderit, ipſis præcipimus, ut infra tres menſes ab hac die rationes in medium nobis adducant, ob quas Clauſtrales ſuos ad celebranda funera accitos, tanquam Cappellanos conductitios, præferendos urbitrentur reliquis Parochis, ac Sacerdotibus, qui Cappellani pariter titulo funeribus iiſdem interſunt. Interim ſe gerant eo modo, quem ſubjicimus, donec Judicis ſententia interpoſita, ſive alio quocumque modo controverſia dirimatur.

XXXVII. Plures ob cauſas Clauſtrales ejuſmodi, tanquam Cappellani conductitii funeribus ducendis intereſſe queunt; vel quia defunctus in ipſorum Eccleſia ſepulturam ſibi deligens, ex ipſis aliquos celebrandis exequiis, tanquam Cappellanos accerſiverit; vel quia inter Parochias eorum Eccleſia recenſeatur. Quare Parochus cum reliquis ſe conferens ad domicilium defuncti, alios ejuſdem Clauſtri Religioſos viros veluti Cappellanos ſecum adducit. Id etiam contingit, cum defunctus in aliam Eccleſiam deferendus eſt, ubi ſepeliri conſtituit, vel ubi familia ipſius tumulum ſibi decrevit; tunc enim Parochus, ex ſuis Clauſtralibus aliquos, tanquam Cappellanos ſibi adjungere poteſt, qui ipſum cadaver proſequantur. Poſtremo id eveniet, ſi Parochus aliquis, vel hæredes defuncti Clauſtrales ultro depoſcant, ut pompam funebrem Cappellanorum conductitiorum nomine comitentur.

XXXVIII. Igitur ſi cadaver in Eccleſia Clauſtralium tumulandum ſit, ipſique vocentur tanquam Cappellani ad ipſum aſſociandum, tunc in liminibus Eccleſiæ funebrem pompam commode expectare queunt, nec ullas turbas movere, ut Primatum præ cæteris Sacerdotibus obtineant: neque momenti habet quidquam illa argumentatio: *Defunctus in templo Regularium ſepeliri ſtatuit, ergo ipſi Regulares cadaver aſſociare debent.* Nam reſponſum jam fuit, quod liceat ipſis funebrem pompam in Eccleſiis ſuis expectare. Die 22. Junii, & 13. Julii anno 1675. petitum fuit a Sacrorum Rituum Congregatione: *An Regulares poſſint cogi ad aſſocianda cadavera in eorum Eccleſiis; & an in caſu quo Regulares non accedant ad aſſociandum dicta cadavera, amittere debeant intortitia?* Sacra Congregatio in hunc modum reſpondit: *Sacra Congregatio reſpondit, regulares non poſſe cogi ad exeundum a propriis Eccleſiis ad effectum aſſociandi cadavera in eiſdem ſepelienda, ſed ſufficere quod illa expectent ad januas. Quo vero ad intortitia remiſit cauſam ad Judices ſuos* (2). Ita refert Lantuſca. Alias pariter ejuſdem Congregationis ſententias Urſaya fuſe commemorat, (3)

XXXIX. Quod ſi Parochus Clauſtralis fuerit, Cappellanos aliquos ſibi adjungere debet, dum pergit ad ædes defuncti, ut inde cadaver efferat ad Eccleſiam. Aut ſi Parochus ipſe Clauſtralis additis ſibi Cappellanis iiſdem defunctum comitari teneatur ad aliam, in qua totius Familiæ tumulus poſitus eſt, vel defunctus ipſe ſepeliri decrevit, tunc ſane ad evitandas aliud conſilium non ſuppetit, niſi quod Parochus ipſe Sacerdotes ſæculares ſibi in Cappellanos aſſumat, vel eos tantum Clauſtrales, qui ſtudio cæteris præeundi non ferantur; ſiquidem perpauci inter ipſos in hac pervicaci ſententia verſantur.

XL. Poſtremo, ſi ob eam cauſam eveniat controverſia, eoquod Clauſtrales ejuſmodi a Parochis, ſive hæredibus defuncti ad aſſociandum cadaver invitantur, univerſis indicimus, ut eos Clauſtrales nequaquam advocent, donec lis dirimatur. Accerſant ipſos haud veluti Cappellanos conductitios, ſed tanquam Societatem Regularium; tunc enim Crucis ſuæ vexillum ſequuntur, & ſibi deſignatum locum occupant, nec ullus timor eſt, ut primatus obtinendi cauſa pompa funebris impediatur:

XLI. Hæc omnino tenenda præcipimus, quin rationes utriuſque partis cum in *petitorio*, tum in *poſſeſſorio* labefactentur; neminem ſuſpicamur queri de nobis merito poſſe, eo quod ſolum expetimus longe amovere turbas, quæ ſæculares ipſos graviter offendunt; Inſuper cum rationes in medium proferentur a competitoribus, judicium ferre integrum parati ſumus, & etiam, quæ modo ſanximus prorſus abrogare: neque ſane hoc totum negotium temporis multum exigit, ut proponatur, ut examinetur, utque ſententia feratur. Quippe magnum diſcrimen intereſt inter hanc controverſiam, & illam, quæ in Tridentina Synodo Canonicos inter Regulares ex Congregatione Lateranenſi, & Abates, & Monachos Caſſinates de loci primatu interceſſit. Præſtantiores doctrina viri totius Italiæ ſtudium, & operam in eam cauſam contulerunt, quæ tandem trium Cardinal. judicio peracta fuit, quod ſane judicium PP. Pii IV. etiam auctoritate ac diplomate confirmatum eſt. (4)

XLII. Superſunt aliqua, pro quibus conſilium noſtrum expoſcitur; ac primum, in qua Parochia tumulandus ſit, qui morari ſolitus in civitate, in agrum divertit, ut animum parumper relaxet, vel ad valetudinem curandam ibique vita decedit? Item ad quam Parochiam ſpectet illius cadaver, qui domicilium obtinet in Diœceſi, & urbem petit neceſſitate aliqua adductus, vel ut reficiat vires morbo debilitatas, ibique ſupremum obit diem?

XLIII. Ex jure Pontificio reſponſum aperte deſumitur (5). *Is qui habet domicilium in civitate vel caſtro quandoque ad villam ruralem ſe transfert recreationis cauſa, vel ut ruralia exerceat in eadem, ſi non electa ſepultura decedat ibidem, non in Eccleſia dictæ villæ, ſed in ſua Parochiali, vel in ea potius, in qua Majorum ipſius ab antiquo ſepulturæ extitit, ſepeliri debebit, dummodo abſque periculo ad ipſam valeat deportari.*

XLIV. Itaque debet expendi, an defunctus ſepulturam in aliqua Eccleſia ſibi conſtituerit, & tunc extremæ ipſius voluntati parendum eſt. Si nihil ille de ſepultura ſua decreverit, in tumulo Majorum ſuorum condatur, ſi ipſius familia peculiarem in aliqua Eccleſia tumuli locum habeat. Quod ſi defunctus nihil de ſuo ſepulchro deliberaverit, ſi ipſius quoque familia peculiari tumulo careat, tum civitatis incola, licet in agro deceſſerit, ad urbanam Parochiam deferendus eſt, modo tamen abſque ullo periculo, gravique incommodo id fieri queat. Id vero obtingere tunc ſolum declaramus pro evitandis diſſidiis, cum ager, ubi civis occubuit,

tribus

(1) *Seſſ. 25. de Regularibus, & Monialibus cap. 13.*
(2) *In Theatro Regularium ad vocabulum aſſociatio cadaverum.*
(3) *Tom. 5. par. 1. diſcep. 11. n. 6. & ſeqq. & tom. 7. part. 1. diſcept. 6. num. 72. & 73.*
(4) *Anno 1567.* (5) *In Decretali* Is qui *de ſepulturis in ſexto.*

tribus ab urbe milliariis distat. Nam si plus quam tribus milliariis distet; tum Parochus agrestis illum tumulo mandare poterit, nec urbanus Parochus cadaver deposcet, nec aliquid sepulturæ percipere contendet.

XLV. Equidem decretalis; *Is qui*: de illo verba minime habet, qui ex agro in civitatem venit valetudinis causa, vel ut negotiis suis operam impendit, ibique mortem oppetit, sed tantum civem memorat, qui in agro vitam absolvit, quo se contulerat ad confirmandam valetudinem, vel ob alias causas, ipsumque ad urbanam Parochiam transferendum statuit, si commode fieri posse videantur, ob eam nempe rationem, quod ipse ruri paululum degens, urbis domicilium non amittit, neque ruris incola censendus est, nisi animum in eo permanendi prius habuerit (1), Itaque cum eadem ratio conveniat aptissime rurali viro qui in civitate diem supremum oppetiit, ubi fortuito causa valetudinis, vel ad explicanda sua negotia morabatur; ideo constituendum de illo prorsus idem est, quod nuper exposuimus de cive, qui ruri casu quodam occubuit, nempe in urbana Parochia sepeliendum ruralem virum, qui in civitate vita defunctus est, si agreste ipsius domicilium tribus milliariis longe ab urbe sejungatur, & ad ruralem Parochum ex sepultura nullum fructum pervenire.

XLVI. At si hæc tria milliaria nequaquam intercedant, tum civis cadaver in Parochiam urbis inferendum est, & ob eamdem rationem ad ruralem Parochiam viri agrestis cadaver asportandum. Tunc autem ruralis Parochus urbanum Parochum, & e contrario Parochus urbanus ruralem admonebit, ut transferendum cadaver ipsi, vel alteri Sacerdoti per ipsum designato committatur. Cadaver etiam loco non movebitur, nisi proprius Parochus, aut ipsius Cappellanus interfint; neque in urbem, sive in agrum, nisi feretro impositum deferetur: Clericus Crucis vexillum præferet, & duo Sacerdotes subsequentur, qui Psalmos recitabunt nempe Rector, aut Cappellanus; Ecclesiæ, ubi defunctus tumulari debet; & insuper Rector, aut Cappellanus Ecclesiæ, ubi vitam reliquit neque enim decet Fidelium cadavera alio modo sepulchris inferri. Illud vero quod non semel accidit, a religione prorsus alienum est, cum plaustris imposita cadavera, & fœni, paleæ, vel liguorum fasciculis implicita in civitatem, vel in agrum delata fuerunt, ut vectigal declinaretur; nihil enim solvendum pro ipsis transferendis cadaveribus Lagunex (2) & Cardinalis de Luca (3) sapienter ostendunt.

XLVII. Non multis ab hinc diebus accepimus quemdam in civitate vita perfunctum sibi sepulturam delegisse in Ecclesia Parochiali, quæ in diœcesi posita est, Rectorem autem Parochiæ Urbanæ ubi ille expiravit, ruralem parochum monuisse, ut ad portam civitatis subsisteret, ubi cadaver ipsi traderetur.

XLVIII. Gratissimum nobis esset intelligere rationes, quibus innititur nova hæc, inusitataque sententia, rationes, inquam, a jure desumptas, non tamen ex animi quodam impetu, ac temeritate, qui rei naturam ignorat. Jucundissimum nobis esset deprehendere, an Parochus, in cujus ditione aliquis animam exhalavit alium Parochum, in cujus Ecclesia ille sepelliri debet, impedire possit eo se conferre, unde cadaver efferendum est, & in itinere Crucem præferre; sed multo magis, an liceat Parocho Bononiensi monere diœcesanæ Ecclesiæ Rectorem, ne urbis mœnia ingrediatur, sed ad portam subsistat, ibique cadaver sibi committendum accipiat.

XLIX. Proculdubio, qui Parochiam obtinet Bononiæ, Parochus in civitate, non civitatis appellandus est: ita ruralis Parochus in diœcesi Rector, non autem diœcesis habetur. Cum hæc ita sint, nihil aliud repetere jure debent, nisi ut officiosam urbanitatem præstent illi, qui prælata Cruce ditionis suæ fines pertranseunt, quemadmodum Leo X. (4), & Sacræ Congregationes pluries statuerunt (5).

L. Post hæc apertissime constat nihil aliud ab urbano Parocho, quem superius meminimus, exposcendum fuisse, nisi ut Parochus ruralis officium consuetum sibi persolveret, priusquam ad efferendum cadaver Cruce prælata in civitatem veniret; sed nullo pacto licitum fuit præcipere, ut ad portam subsisteret. Quod si aliquis urbanus Parochus fateri non dubitaret, ejusmodi facultatem se nunquam permiturum fuisse rurali Parocho, quamvis illam petiisset, & in eadem sententia futuros Parochos omnes civitatis, quorum ditionem attingere ille deberet, cum domicilium defunctis petendum, vel ab ipso est redeundum: si quis, inquam, hæc audeat dicere, illud secum perpendat nobis inesse potestatem cum in civitate, tum in Diœcesi, ob quam ruralem Parochum ab omni consueto officio prorsus immunem declarabimus: & si illo perfunctus fuerit, sed frustra ruralis Parochus tunc nos ipsi facultatem nostram loco assensus Parochorum civitatis impertiemur, concedentes diœcesanæ Ecclesiæ Rectori, ut prælata cruce in urbem veniat, eademque ratione cadaver ad suam Ecclesiam transferat.

LI. Quæ modo diximus, nova, & inusitata fortasse imperitis videbuntur, sed contrarium agnoscent, si plura alia cogitent, quæ fieri quotidie solent. Primum Regulares nullam Processionem facere possunt, nisi in suis Ecclesiis, & sub stillicidiis Monasterii, & Sacrarum Ædium, quæ ad ipsos pertinent. Idem Sodalitiis præcipitur, ut nempe Processiones in suis tantum Ecclesiis aut Sacellis instituant. Quod si Urbem circumire velint, facultas a Parochis exposcenda est, quorum fines pervadere debent (6). Quis tamen Parochus adire solet ad hanc veniam obtinendam, cum Processiones saltem consuetæ indicuntur? Cum vero Processiones insolitæ habendæ sunt, si eam Parochi facultatem recusent, scire maxime optamus, an id Processiones eadem jure impedire possit, quod quidem a veritate prorsus alienum est. Nam si regulares, vel Sodalitia ad Episcopum confugiant, & facultatem pro re gerenda ab illo consequantur, eamdem nempe, quam pro consuetis Processionibus accepisse pro certo tenent, tunc omnis Parochorum dissensus haud ullius momenti existimatur.

LII. Certissimum quippe est solam Episcopi licentiam satis esse, etiamsi Parochi se contrarios antea, ac penitus reluctantes exhibuerint. Petitum fuit a Congregatione Sacrorum Rituum: *An solius Episcopi accedente licentia possint Regulares dictam Processionem facere* (alienas Parochias circumeuntes) *quamvis Parochus contradicat, consentire recusset?* Sacra autem congregatio respondit. *Sufficere licentiam Episcopi*. Haud dissimiles sententias a Sacra congregatione Concilii desumptas in medium proferre possemus, sed unam eligimus præ cæteris, quæ nobis Secretarii munus agentibus promulgatæ fuerunt, Die 24. Decembris anno 1718. propositum fuit: *An liceat, Confraternitati facere Processionem tam intra ambitum Oratorii, quam extra illum, absque licentia Parochi, per cujus Parochiam transeundum est*; Sacra Congregatio responsum fecit hujusmodi: *Ad primam partem affirmative* nempe, fieri Processionem intra ambitum Oratorii absque licentia Parochi: Deinde *ad secundam negative*, nempe, id non licere extra ambitum Oratorii. Cum tamen in responso ea quoque verba subjiciantur: *Nisi accedat licentia Episcopi*, id manifestum omnino reddit, quod nuper exposuimus.

LIII. Quæ cum ita sint, quoties cadaver ab Urbe in Diœcesim, vel a Diœcesi in Urbem transferri contigerit, nobis statuendum reservamus, an Rector Diœcesanus prælata Cruce in Urbem se confert privatim a Diœcesano Parocho Civitatem esse subeundam, qui deinde ædes defuncti, sive templum petat, ubi cadaver ipsius depositum est, consuetum officium Urbano Rectori persolvat, atque prælata Cruce ambo induti superpelliceo, stolaque cadaver associent. Idem præcipimus urbano Parocho, cum defunctus in Diœcesi ad suam Ecclesiam efferendus est: quippe indecorum est sepulchro cadaver inferri, nisi vexillum Crucis præferatur. Juri autem communi maxime consentaneum superius ostendimus, quod in funebri pompa Crux ejus Ecclesiæ deferri solet, ubi cadaver tumulo committitur, si tamen inter Parochias recenseatur; non vero Crux alterius Parochiæ, ubi ægrotus vitam expiravit.

LIV. Parochus primum locum semper occupat, donec in sua ditione versetur (7) Quare urbanus Parochus dexteri incc-

(1) *Pirhing lib. 3. tit 28. de Sepulturis §. 1. num. 5.*
(2) *De Fructibus pag. 227. num. 179.*
(3) *In suo magistral. discur. 166. de Regula urbis.*
(4) *In Constit. 22. §. 9. in Bullario Romano tom. 1.*
(5) *Passerinus de statu hominum tom. 2. quæst. 187. art. 4. observ. 5. num. 160.*
(6) *Bassius Tract. superius allato quæst. 10. num. 1.*
(7) *Card. de Luca de Præminentiis disc. 16. num. 3. & 4.*

incedet latere, donec Parochi Diœceſani limites attigerit. Tunc enim ipſi primum locum concedet. Eodem pacto, cum Parochus urbanus cadaver efferre debebit ex Diœceſi, tum Rector Diœceſanus in ſua parochia dexterum latus occupabit, donec ad fines alterius Diœceſis pervenerit. Hunc ordinem per urbem, ac Diœc. tenebunt, donec venient ad Eccleſiam, ubi defunctus ſepulturæ mandatur. Aliquod ſane diſcrimen intercedere noſcimus in his officiis, quæ modo præſcripſimus; ſed ita decernendum putamus, & aliquid urbanis Parochis præ Diœceſanis eſſe tribuendum.

LV. Illud etiam deprehendimus, quod non ſemel accidit, cum Parochus urbanus defunctum extra Civitatem in ſua ditione ad Parochiam ſepeliendum transferre debet. Nam Parochus, in cujus ditione ſita eſt porta Civitatis, in limine Urbis occurrit, & quaſdam preces cadaveri perſolvit. Quamobrem diſſidia concitata ſunt: Parochus enim, qui cadaver aſſociat, ad portam ſubſiſtere recuſavit, ſuſceptumque iter ad ſuam Eccleſiam proſequutus eſt, veluti ſi alter Parochus in limine Civitatis non adſtitiſſet. Ignoramus profecto hujuſmodi ritum, & qua de cauſa Parochus ad portam Civitatis pro recitandis precibus pergat cum cadaver infertur. Id vero facere prætermittat, cum reliqua cadavera per ſuam Parochiam efferuntur, ut in alia Eccleſia, ſeu Parochia ſepulturam accipiant. At quoniam nullum diſcrimen afferri, nullaque ratio ad probandam hanc conſuetudinem excogitari poteſt, quæ corruptelas potius, ac diſſidia inter Parochos excitat, ideo præcipimus urbanis Eccleſiarum Rectoribus, ne in liminibus Civitatis ſuæ ditioni ſubjectis, occurrant cadaveribus, quæ in ipſam Civitatem adſportantur, ut in alia Parochia ſive Eccleſia tumulentur.

LVI. Secundo loco quæſitum a nobis fuit, in quanam Eccleſia ſepeliri debeant infantes, quos extra Civitatem nutricibus alendos parentes tradiderunt, ibique celeri morte præreptí ſunt? His facili negotio reſpondemus; nam Romanum ſtatutum accurate tenendum indicimus, quod propoſitum, probatumque fuit poſt maturam rei diſquiſitionem in peculiari Congregatione, a Clemente XI. ob hanc cauſam deſignata: (1) *Infantes, qui nutricibus alendi extra propriam Parochiam dentur, retinent domicilium in Parochia, atque ad illam pertinent, licet in aliena Parochia decedant. Patre vero orbatos, quouſque apud ipſam matrem aluntur licet in poteſtate tutorum, non matris exiſtant; de Parochia matris, non tutorum, eſſe declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam Parochiam dentur a matre, domicilium in Parochia matris; ſi vero utroque parente caruerint, domicilium in Parochia tutorum, non vero nutricum, retinere declaramus. Quod ſi nec tutores habeant, in Parochia, in qua decedunt, tumulentur.*

LVII. Hæc igitur obſerventur pro tumulandis Infantibus, quin domo nutricum intereunt. In templum alias præſcriptum ea ratione deferantur, quæ Chriſtianæ Diſciplinæ conveniat, rectaque via ab ædibus, ubi vitam finierunt, niſi forte concedatur a nobis ob peculiarem cauſam, illos antea transferri ad paternum domicilium, ut inde funebris pompa ad Eccleſiam inſtituatur.

LVIII. Quod ſi aliqua controverſia forte contigerit de Parochialibus emolumentis, Vicarium noſtrum Generalem conveniant, ut ipſius judicio dirimatur: ſed meminerint Parochi nihil de jure repetendum eſſe pro exequiis, & ſepultura; (2) retinendam tamen inductam conſuetudinem aliquid ſolvendi, ita ut nullum judicium fiat in eos, qui hanc conſuetudinem violare contenderint, ſed cauſa hujuſmodi in forum Epiſcopi ſolum adducantur, uti ſancitum eſt *Cap. ad Audientiam 24. de Simonia* his verbis: *Per Epiſcopum loci compeſcantur, qui malitioſe nituntur laudabilem conſuetudinem immutare.*

## MONITA

*Pro mulieribus Tertiariis, quæ privatim in ſuis ædibus vitam agunt, aut conjunctim in aliqua parte hujus Civitatis, ac Diœceſis.*

LIX. INſtitutione XXIX. hujus libri copioſe verba fecimus de mulieribus Tertiariis, & earum conditionem ſatis expoſuimus. Deinde, cum Sacram Viſitationem illis Tertiariis indiximus, quæ duodecim domicilia in Urbe poſſident, ubi conjunctim vitam degunt, plura ſtatuere non omiſimus, ut diſſidia tunc nobis indicata illas inter mulieres, ac Parochos componerentur. Equidem præcepimus utriſque nonnulla, quæ utilia videbantur, ſed ipſa neglecta ſunt pro more, atque indole quorumdam hominum, qui ſatis ſe feciſſe exiſtimant, ſi multa dixerint de aliquo negotio; deinde curam nullam, aut ſolicitudinem impendunt pro rei eventu, ſolvendiſque queſtionibus, id quod privatæ tranquillitati, fidelium exemplo, & feliciori Eccleſiæ adminiſtrationi magnopere conducit. Quapropter aliqua ſuperaddenda pro Tertiariis hujuſmodi muneri noſtro conſentaneum putavimus, quæ ad duo capita rediguntur. Primum agemus de Tertiariis, quæ privatim in ſuis ædibus vivunt; Secundo, de aliis Tertiariis, quæ in eamdem domum conveniunt, & communem vitam inſtituunt.

### §. I.

*De Tertiariis, quæ privatim in ſuis Ædibus morantur.*

LX. REgulares Ordinum S. Dominici, S. Franciſci, S. Auguſtini, item Carmelitæ, Servitæ, ac Minimi a Sancto Franciſco de Paula inſtituti Tertiarias mulieres juxta Pontificum Diplomata, ac privilegia adſcribere poſſunt. (3).

LXI. Ex ipſis aliæ ſuis privatis ædibus immorantur, nec ullam cum cæteris habent ſocietatem; aliæ vero in uno domicilio ſimul conjunguntur. Has quidem S. Pius V. abrogare conſtituerat, uti modo oſtendemus, ob eam cauſam, quod alienos ab Eccleſiaſtica diſciplina putaverit mulierum cœtus, quæ religioſum habitum induerent, nullis votis ſolemnibus nuncupatis, & quæ nullis clauſtri legibus tenerentur. Attamen Tertiarias, quæ ſejunctim vivunt, Sanctiſſimus Pontifex nunquam de medio tollere cogitavit, quemadmodum Sac. Congregatio Concilii declaravit: *Conſtitutionem* (inquit Fagnanus (4)) *Sancti Pii V. qua Sorores Tertii Ordinis ad perpetuam Clauſuram obſtringuntur, utpote loquentem de his, quæ in communi & in congregatione vivunt, ad ſupradictas Sorores in conſanguineorum, aut propriis domibus habitantes &c. nihil pertinere; & propterea circa illas Conſtitutionem &c. nec minuiſſe, nec immutaſſe, nec quidquam novi juris induxiſſe.*

LXII. Quare, ſi Conſtitutio S. Pii V. his Tertiariis nequaquam adverſatur, altera Conſtitutione Leonis X. gaudere ipſæ debent, ob quam Pontifex multa privilegia Tertiariis iiſdem elargitur (5). Sed prius oportet conditiones enumerare, quæ interveniant neceſſe eſt, ut hujuſmodi mulieres privilegia, quæ indicavimus, aſſequantur. Poſtea recenſenda ſunt privilegia ipſa, quæ Tertiariis a Pontifice conceduntur.

LXIII. Primum igitur ex Leonis X. Conſtitutione deſumitur, quod iſtæ mulieres virginitatis, aut cælibatus votum emittere debeant, quod tamen ſolemne nequaquam eſt, uti Pontifex ipſe declarat. Sacræ autem Congregationes ſuis Decretis addiderunt, neceſſario requiri, ut Regularium Præfecti de morum probitate, ætatiſque ratione certi fiant, antequam his mulieribus habitum religioſum impertiant, quæ quadraginta ſaltem annos attingere debent. Inſuper inquirendum eſt, utrum neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem poſſideant, & cum quibuſnam verſari domi neceſſe habeant, quos tantum conſanguineos, & affines eſſe oportet. Poſtremo, inveſtigandum ſupereſt, an Epiſcopi facultas intercedat,

(1) *In additionibus ad ſtatutum Cleri Romani §. 7. & 7. & 8.*
(2) *Juxta Sac. Canon. cap. Non ſatis, cap. Cum in Eccleſia, cap. Cum abolendæ, de Simonia.*
(3) *Lezana in Summa Quæſt. Regular. tom. 2. cap. 14. num. 8. & ſeqq. Miranda in Manuali Prælatorum Regular. tom. 1. quæſt. 36. art. 1. & 2. Caſſianus a S. Elia in Arbore omnium opinionum moral. tom. 6. in verbo Tertiarię & Tertiarii §. 2, num. 7.* (4) *Cap. Nullus n. 68. de Foro competenti.* (5) *In Bullario Romano tom. 1.*

dat, quæ concedi nequit ab ipso, nisi posteaquam diligenter examinaverit, an eædem conditiones veritati congruant. Quare si, quod proprium est unicuique tribuatur, ad Prefectum Regularem spectat religiosum habitum his mulieribus imperire, ad Episcopum vero facultatem credere, & præscriptas conditiones accurato examine cognoscere.

LXIV. Nicolius (1), Lantusca (2), Donatus (3), aliique plures hæc Decreta commemorant (4).

LXV. Cum nos ipsi Secretarii munus gereremus in Sac. Congregatione Concilii, Episcopus Mazaræ hæc postulavit; *Quænam sint conditiones requisitæ, ut Regulares habentes facultatem dandi habitum suæ Religionis mulieribus non collegialiter viventibus, dictum habitum dare possint: & an examen dictarum facultatum pertineat ad Episcopum?* die autem 10. Maji anno 1727. in hunc modum responsum fuit: *Examen facultatum concedendi habitum pertinere ad Sedem Apostolicam; examen conditionum quoad mulieres vestiendas, & licentiam vestiendi, pertinere ad Ordinarium, & conditiones vestiendarum esse expressas in Decretis generalibus aliis editis; & hæc Decreta esse omnino servanda.*

LXVI. Sed jam recenseamus privilegia, quæ his Tertiariis tribuuntur cum prædictæ sint iis conditionibus, quas modo exposuimus. Ac primum Tertiarios a Tertiariis mulieribus distinguendos Leo X. decernit. Illi nullo gaudent privilegio, nisi conjunctim vivant, & cum ipsis Claustralibus immorentur; sed mulieribus Tertiariis, quamvis suas ædes non dimittant, eadem privilegia Ordinis conferuntur: *Collegialiter autem* (de viris Tertiariis sermo est) *seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres* (nempe Tertiarias, quæ suas ædes nequaquam deserunt) *virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum gestant, gaudere debeant.*

LXVII. Quod si Leonis X. Constitutio vim totam, & integram obtineat, hæ Tertiariæ privatim vitam agentes Episcopi jurisdictione prorsus immunes esse deberent. Eos sibi Confessarios deligere possent, qui ad Monialium Confessiones, non vero sæcularium excipiendas probantur. Ad Parochiam accedere non tenerentur, ut Paschali præcepto satisfacerent. Tandem a Præfectis suis Regularibus extremam unctionem percipere, & post mortem in Ecclesia sui Ordinis sepeliri jure possent.

LXVIII. Sed aliter se res habet; nam Leonis X. Constitutio ad certos quosdam limites redacta fuit a Summis Pontificibus, qui deinde Sedem Apostolicam tenuerunt. Cum hæ mulieres revera non habeantur Regulares, eo quod tribus votis solemnibus non adstringantur, ideo non censentur immunes ullo modo ab Episcopi facultate (5). Equidem fori privilegio gaudent juxta sententiam, quæ a Sacra Congregatione Immunitatis probatur, cujus decreta Monacellus recenset (6). Id vero non tribuitur viris Tertiariis, qui in privatis suis domiciliis permanent, uti sapienter ostendit Ursaya, (7) qui decretum super hac re promulgatum a Sac. Congregatione Immunitatis exponit. Insuper de his mulieribus Tertiariis hæc Sacra Congregatio Concilii decernit: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum sæpius respondit, minime posse Sacerdotes Regulares mulierum Tertii Ordinis quas de Pœnitentia, vel Pinzochheras vocant, Confessiones Sacramentales audire, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas: quemadmodum nec posse illis Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum administrare in die Paschalis Resurrectionis Sanctissimi Domini nostri Jesu Christi.* Item ex epistola Sacræ Congregationis pro causis Episcoporum Regularium, & constitute, ad Episcopum Mutinensem die 17. Junii anno 1639. hæc in ipsas Tertiarias sancita deprehenduntur: *Circa Tertiarias similiter censuerunt* (nempe Cardinales Sacræ Congregationis) *permissum haud fuisse Fratribus ejusdem Monasterii ob quodcumque privilegium Ordinis administrare ipsi Sacramentum Divinæ Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, neque ejus cadaver domo efferre indicta funebri pompa sine Parocho, aut sine ipsius licentia. Nam hæ revera ad Parochos pertinent, qui debent assiduo, sed hoc præsertim tempore, cognoscere, juvare, accuratoque studio fideles sibi traditos instituere. Accedit, quod Tertiaria, licet nuncupatis votis, claustro non tenebatur, sed domi sua intra Parochi ejusdem ditionem habitabat.* Postremo de sepultura harum mulierum hæc habentur in decreto, quod superius attulimus. *Præterea, si contingat aliquas ex prædictis Tertiariis sine sepulturæ electione decedere, eas sic decedentes ita demum in Ecclesiis Ordinis cujus habitum assumpserunt, si in ipsis Communis earum sepultura reperiatur, sin minus in Ecclesiis Parochialibus sepelliendas esse decernit.*

LXIX. Litteras quidem Sac. Congreg. quas nuper exposuimus, Diana (8) Theologus ex Regularibus Theatinis; decreta vero anni 1616. superius allata commemorant iidem Scriptores, quos antea nominavimus. Si quis exoptet cognoscere limites, ad quos redacta fuit Leonis X. Constitutio ex Passerino Theologo Dominicano, Canonumque interprete id consequetur. Illum fuisse Sacrarum Congregationum peritissimum ex eo maxime constat, quod Ordinis sui Procurator Generalis per multos annos exiterit (9).

LXX. Hanc veritatem attigerat Benedictus XIII. de nobis optime meritus, qui antiqua sui Ordinis privilegia confirmare, ac nova pariter adjungere cupiens, statuit (10), ut viri Religiosi Dominicani mulieribus Tertii Ordinis in privatis suis domiciliis immorantibus administrarent Divinam Eucharistiam in Paschate, Viaticum, postremamque Unctionem, cum illæ morti proximæ viderentur; ac etiam ipsarum cadavera ad Ecclesiam ejusdem Dominicani Ordinis efferrentur. Qua de re suæ potestatis amplitudine quidquid contrarium esset, & etiam immemorabilem consuetudinem penitus abrogavit: ex quo satis aperte desumitur, quod jus adversabatur & propter anteriores Pontificum Constitutiones imminuta fuerant eadem privilegia eo modo, quem nos exposuimus.

LXXI. Quod si Clemens XII. Benedicti XIII. Constitutioni modum aliquem non imposuisset, uti inferius subjiciemus, certissimum esset, Tertiarias mulieres, quæ privatas suas domos non dimiserunt, a jurisdictione nostra liberas, & immunes fore, & eo pariter jure solutas esse quod Parochis tribui consuevit. At, cum Pontifex Clemens XII. rem totam in eum gradum restituerit, in quo posita erat, antequam Constitutio *Pretiosus*, in lucem ederetur, ideo nemo dubitare potest, quin mulieres Tertii Ordinis juri Parochorum, nobisque subjiciantur.

LXXII. Haud ignoramus multas in Civitate, ac Diœcesi versari mulieres hujus vitæ, atque instituti, quæ suis privatis ædibus immorantur. Attamen nulla unquam facultatem a nobis petiit, ut habitum Tertii Ordinis sumeret, neque unquam probatæ fuerunt in Tribunali nostro eæ conditiones, quæ a Decretis Sacrarum Congregationum necessario requiruntur. Dicet fortasse aliquis de hujusmodi Decretis nihil se antea percepisse: at sciat nobis haud esse ignota: immo nec ipsum laterent, si aliquam operam rei cognoscendæ gratia impendisset, cum multis in locis eadem Decreta oculis omnium obversentur. Quapropter universis Parochis in Civitate, ac Diœcesi præcipimus, ut mulieres omnes Tertii Ordinis privatam vitam agentes in sua Parochia, Cancellario nostro intra spatium Novembris proxime ineuntis recenseant. Nos autem cum præfectis Regularium negotium diligenter expendemus, ut remedium, si opus fuerit, conferatur.

§. II.

(1) *In Flosculis ad vocab. Tertiarię,* (2) *In Theatro Regularium ad idem verbum.*
(3) *Rer. Regular. tom. 2. tract. 17. qu. 32. & seqq.*
(4) *Matthæuc. in Official Cur. Eccles. cap. 52. n. 3. & seqq. Pignatell. 34. n. 29. tom. 3. Passerinus de statu hominum tom. 2. quæst. 187. art. 4. observat. 10. sub num. 245.*
(5) *Tamburrinus de Jure Abbatissarum disp. 7. quæst. 3.*
(6) *Formular. Fori Eccl. tom. 1. tit. 6. formul. 14. n. 1.* (7) *Tom. 7. part. discept. 3.*
(8) *Cit. tom. 2. quæst. 187. art. 4. observ. 10. an. 243. ad n. 252* (9) *In editione coordinata tom. 7. tract. 1. resolut. 351.* (10) *In Constitut. Pretiosus edita anno 1727. §. 55. & seqq.*

## §. II.

### *De Tertiariis in Congregatione viventibus.*

LXXIII. QUamvis mulieres Tertii Ordinis, quæ in Congregatione vivunt, ad privilegia percipienda speciatim a Leone X. haud nominentur, id tamen ex ipsius Constitutione certissime desumi posse videtur. Nam cur ipsæ careant iis privilegiis, quæ a Pontifice tribuuntur viris Tertiariis in Congregatione vitam agentibus, & mulieribus etiam ejusdem instituti, quæ suis in ædibus privatim degunt, modo vestem Ordinis præferant, & virginitatis, aut castitatis votum emiserint.

LXXIV. S. Pius V. Tertiariis in Congregatione viventibus novam disciplinam indixit: *Mulieres quoque* (inquit (1) *quæ Tertiariæ seu de Pœnitentia dicuntur, cujuscumque fuerint Ordinis, in Congregatione viventes, si & ipsæ professæ fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad Clausuram præcise, ut præmittitur, & ipsæ teneantur. Quod si votum solenne non emiserint, Ordinarii una cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, ut illud emittant, profiteantur, ac post emissionem, & professionem eidem Clausuræ se subjiciant. Quod si recusaverint, & aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalose vivere, severissime puniantur. Cæteris autem omnibus sic absque emissione Professionis & Clausura vivere omnino volentibus interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant. Quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem, & Decretum alias receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus.*

LXXV. Id perpendens Lezana scriptum ita reliquit (2): *Quo videtur intentum Pontificis fuisse omnino extinguere Congregationes istas mulierum votum solemne non emittentium.* Porro Sedes Apostolica legem a S. Pio V. propositam haud negexit. Nam in Decretis evulgatis anno 1616., postquam sancita fuerunt ea, quæ jam memoravimus, in mulieres Tertii Ordinis, quæ privatam in suis domiciliis vitam traducunt, ab reliquis ejusdem consilii mulieribus sejunctæ, hæc statim adduntur: *Supradictis vero Decretis mulieres Tertii Ordinis, quæ collegialiter vivunt, non comprehendi, quinimo eas dispositioni Constitutionis Pii V. editæ Romæ anno 1596. IV. Kalendas Julii, quæ incipit. Circa Pastoralis &c., penitus subjacere expresse declarat, non obstantibus, &c.* Rotarius (3) quoque noster plures auctores, etiam Regulares nominat, qui hanc sententiam sequuntur, ac deinde tradit: *Si hodie reperiantur Tertiariæ collegialiter viventes, debent impediri, supprimi, & annullari, nisi Professionem emittant cum quarto voto perpetuæ Clausuræ.*

LXXVI. Attamen multis adhuc in locis occurrunt mulieres Tertii Ordinis, quæ in Congregatione vivere statuerunt. In hac sane Civitate duodecim ad ipsas excipiendas domicilia, & quatuor etiam in Diœcesi posita sunt. Porro Sedes Apostolica ita se gessit, ut easdem Tertiarias non quidem sua auctoritate probaret, sed illas toleraret, & Episcopis subjectas declararet: *Controversia est* (inquit Matthæuccius (4) *de mulieribus Tertiariis, quæ in Congregatione extra Clausuram vivunt. Sed resolvitur, eas allegatis privilegiis* (nempe concessis Ordini Regularium, quem ipsæ profitentur) *non potiri: nam in Decreto relinquuntur sub dispositione Constitutionis Sancti Pii V. quarum Professiones & receptiones Beatus Pontifex irritat, & annullat. Et tales hoc tempore posse prohiberi, ne in communione maneant, nisi Professionem ad formam dictæ Piane emittant, rescripsit Sac. Congregatio Episcoporum. Quare sunt de jurisdictione Ordinarii.* Eamdem docet sententiam Cardinalis Petra: *Hinc Tertiariæ, quæ vivunt in Congregatione absque Clausura, non utuntur tali privilegio, quia debet servari Bulla Pii V. & possunt cogi ad emittendam Professionem Regularem: alias dissolvi Congregationem, & rursus subjiciuntur Ordinario* (5)

LXXVII. Episcopus Sarzanen, cum nos ipsi Secretarii munere fungeremur, Sacræ Congregationi Concilii exposuit in sua Civitate jam post centum annos situm esse domicilium, in quo mulieres simul congregatæ S. Francisci religiosum habitum, & institutum sequuntur, sed vota tantum simplicia nuncupant; nec ullis claustri legibus tenentur; easdem mulieres a Provinciali Ordinis Franciscani declaratas fuisse jurisdictioni suæ pœnitus subjectas, cum Provinciam invisendo perlustraret; Sacra Congregatio causis iisdem perducta, quas nuper explicavimus, die 30. Januarii anno 1723. respondit Societatem earum mulierum subjectam esse, *omnimode jurisdictioni Episcopi citra tamen approbationem*, nempe, ejusdem Sac. Congregationis pro confirmanda ipsarum mulierum societate.

LXXVIII. Hæc disciplina ad Benedictum XIII. integre permansit, qui propensam merito in Regulares Ordines voluntatem suam testari cupiens, varias Constitutiones edidit, quibus hæc domicilia mulierum Tertii Ordinis immunia ab Episcopi jurisdictione declaravit, & Regularium suorum potestati omnino commisit. Ex his necessario sequebatur easdem mulieres ab omni jure Parochorum liberas quidem esse tamen aliqui Parochi hujus Civitatis, cum Sedem hanc Cardinalis Boncompagnus teneret, controversiam excitarunt, an illæ mulieres ab Episcopi auctoritate solutæ, adhuc Parocho subjectæ viderentur. Quapropter idem humanissimus Cardinalis, ut Parochis obsecundaret, eamdem quæstionem Cardinali Paluccio Summi Pontificis ad gerenda negotia primo Administro per litteras proposuit, qui responsum fecit, Romæ evulgatum ex Typographia Rev. Cam. Apostolicæ.

*Exemplum litterarum, quas Cardinalis Paluccius dedit ad Card. Boncompagnum Archiepiscopum Bononiensem pro solvendis quibusdam quæstionibus de immunitate, quam sibi postulant mulieres, ab omni jurisdictione Episcoporum, & Parochorum ob ultimam Constitutionem* BENEDICTI XIII. *quæ incipit: Paterna Sedis Apostolicæ providentia.*

Eminentissime, ac Reverendissime Domine.

EX iis rationibus, ac documentis, quæ litteris Eminentiæ Vestræ continentur, satis, superque solvuntur quæstiones, quas tum iisdem litteris, tum voce Dionysii Ministri sui propositas monet a Parochis istius Diœcesis, ob Constitutionem, quam Summus Pontifex Patribus Tertii Ordinis Sanctis Franciscí obsignavit. Quamobrem minime dubito, quin E. V. datura sit operam maximo, quo solet, studio, ut Sanctitatis Suæ voluntati morem gerat, utque cæteri Constitutionem ipsam exequantur. Interim manus Eminentiæ Vestræ humiliter deosculor.

Romæ die 20. Martii anno 1716.

F. Card. Paluccius.

### QUÆSTIONES PROPOSITÆ.

*Cardinalis Archiepiscopus Bononiensis inquirit, utrum domicilia, quibus mulieres Tertii Ordinis detinentur ob Constitutionem Pontificis, spectent ad jurisdictionem Fratrum Minorum, & Patris Generalis, seclusis etiam Parochis pro administrandis Sacramentis?*

*Utrum in Ecclesiis harum mulierum conservari queat Divina Eucharistia, & Sanctum extremæ Unctionis Oleum? Ac postremo:*

*Utrum Fratres Minores prælata Cruce sua, stolaque induti associare possint cadavera mulierum Tertii Ordinis, cum ad ipsorum Ecclesiam sepeliendæ feruntur, etiamsi alienas Parochias pertranseant.*

### RESPONSUM.

*Primum quidem nequit in dubium revocari. Nam dum Pontifex domicilia mulierum Tertii Ordinis ab auctoritate Episcopi eodem modo prorsus eximit, ac Monasteria; dum Pontifex idem decernit, ut mulieres hujusmodi* pleno jure subsint Fratribus Minoribus, *non solum exclusis Episcopis*, sed aliis quibuscumque personis cujuscumque status, gradus, vel conditionis existant, & quacumque auctoritate fungantur, *ideo necessario consequitur, ut Parochus etiam excludatur, cum præsertim omnis jurisdictio Parochi cum jurisdictione Episco-*

(1) *In Constit. 8. Bullar. Romano tom. 2.* (2) *In Summa Quæst. Regular. tom. 2. cap. 14. num. 38.*
(3) *In sua Theol. Regular. tom. 3. cap. 6. num. 13.*
(4) *In suo Offic. Curiæ Ecclesiast. cap. 52. num. 6.*
(5) *In suis præclaris Commentariis in Constit. Apost. tom. 4. in notis ad Constit. 15. Pontif. Martini V. num. 19.*

*piſcopi implicita ſit, cujus ille coadjutor, ac delegatus exiſtit. Immo, cum Sedes Apoſtolica diſſolvit ab auctoritate Epiſcopi quemcumque Regularem Ordinem, illis ſolum verbis uti conſuevit:* Eximimus ab Ordinario: *quemadmodum deprehenditur ex Bullario Romano ſæpe ſæpius. Id vero ſatis habitum ſemper fuit, ut iidem Regulares immunes etiam a Parochis cenſerentur, uti teſtatur experientia. At ſi res in controverſiam deduci velit, ſtatim omnis dubitatio ceſſabit, ſi in memoriam revocetur Sixti IV. Conſtitutio, quam Pontifex hac recenti ſua Conſtitutione renovavit. Nam Sixtus IV. concedit Fratribus Minoribus omnia adminiſtrare Sacramenta Fratribus Tertii Ordinis; & quos ab Epiſcopi facultate immunes jam fecerat, a Parochorum quoque jure liberos conſtituit.*

*Leonis autem X. Conſtitutio, quæ dubitandi locum exhibet Cardinali Archiepiſcopo Bononienſi, & cujus auctoritas in medium ab ipſo profertur; ea, inquam, Conſtitutio Tertiariis potius ſuffragari videtur: quamvis enim Leo X. in Lateranenſi Concilio Tertiarios, ac Tertiarias, qui ſuas privatas ædes nequaquam deſerunt, Parochis ſubjecerit, tamen quoſcumque Tertii Ordinis, qui ſimul in Congregatione vivant, immunes prorſus declaravit, uti conſtat ex ipſa Conſtitutione. Et profecto multis in partibus Italiæ idem experientia comprobatum ſemper fuit.*

*An vero mulieres Tertii Ordinis Divinam Euchariſtiam, Sanctumque Oleum in ſuis Sacellis, retinere poſſint, quod ſecundo loco petitum eſt, id permitti, vel negari debet a Provinciali Ordinis, quoties ipſum mulieres Tertiariæ habent loco Epiſcopi. Id præſertim oſtendetur ex eo, quod Leonis X. Conſtitutio, & alia deinde ad primam declarandam confecta, & incipiens,* Ea, quæ per Sedem &c. *Tertiariis in Congregatione degentibus elargitur omnia privilegia, quæ in Fratres Minores collata fuerunt. Ipſis autem permittitur utrumque Sacramentum in ſuis etiam Hoſpitiis conſervare. Accedit etiam, quod ejuſmodi privilegium Tertiariis maxime conſentaneum videtur, illudque non Romæ tantum, ſed ubique terrarum obtinent univerſa fere domicilia, quibus congregatæ mulieres commorantur.*

*Supereſt reſponſum ferre, qua nempe ratione Fratres Minores aſſociare debeant cadavera &c. Itaque, ſi Sacella privata ejuſdem domicilii ſatis idonei ſint, harum mulierum cadavera in illis ſepeliri poſſunt. Quippe ex Leonis X. Conſtitutione id pariter deſumitur, ut aliis corruptelis aditus occludatur.*

LXXIX. Si poſt Benedicti XIII. Pontificatum nihil prorſus immutatum fuiſſet, perpauca addenda viderentur, & nos ipſi curam mulierum tertii Ordinis illis, ad quos pertinent, libentiſſime relinqueremus; & ſi qui Parochi minime acquieſcerent rationibus, quas expoſitæ litteræ Cardinalis Paulucci complectuntur, novæ fortaſſe rationes ad rem plane cognoſcendam a nobis adducerentur: ſed contra eſt; nam Clemens XII. 1732. Conſtitutionem ſuam edidit, quæ ſic incipit: *Romanus Pontifex*; ubi repetit Benedicti XIII. Conſtitutiones, quæ Regularibus ſuffragantur; alias quoque complectitur, ob quas mulieres Tertii Ordinis communi loco degentes a juriſdictione Epiſcopi vindicantur. In ea vero Conſtitutione Pontifex ita decernit: *Statuimus, & decernimus de omnibus, & ſingulis prædictis litteris, & Conſtitutionibus, quæ ab eodem Anteceſſore Noſtro Benedicto prodierunt, nec non de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus, & declarationibus in iiſdem contentis eam deinceps deciſionem, ac judicium etiam in foro conſcientiæ habendum, quod ſive ex jure communi, ſive ex Concilio Tridentino, ſive ex Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſive aliis legitime habebatur, antequam eædem litteræ, & declarationes ab eodem Benedicto conceſſæ fuiſſent, perinde ſcilicet, ac ſi ille non emanaſſent, ad quam diſpoſitionem, ejuſque priſtinum ſtatum, ac terminum omnia ſuperius enunciata omnino reducimus, & reducta eſſe volumus, ita ut in poſterum ſupradicti Ordines Regulares earundem Litterarum, & Conſtitutionum uſu, commodo, & effectu penitus carere debere intelligantur.* Cum hæc ita ſe habeant, res tota ad eos limites reſtituenda eſt, quibus ante Benedictum XIII. concludebatur, & quos antea recenſuimus.

LXXX. Itaque redditur Epiſcopo priſtina auctoritas, quam in has Tertiarias exercebat, & ob hanc cauſam ipſis Sacram Viſitationem indiximus. Attamen diſſidia cum Parochis finem adhuc non habuerunt. Nam ſi bona hæc ducitur argumentatio: *Mulieres tertii Ordinis, quæ ſimul in Congregatione vivunt, immunes ſunt ab Epiſcopi juriſdictione: ergo ſolutæ quoque ſunt a jure Parochorum:* Illa tamen argumentatio nullius momenti habenda eſt: *Mulieres tertii Ordinis, quæ in Congregatione vivunt, juriſdictioni Epiſcopi ſubjiciuntur, ergo juribus Parochorum obnoxiæ quoque ſunt:* Quippe Moniales clauſtris incluſæ poteſtati Epiſcopi fere omnes obtemperant; tamen a jure Parochorum penitus liberantur.

LXXXI. Cum Mulieres tertii Ordinis in Congregatione degentes inviſimus, nos aliqui Parochi monuerunt, divinum Euchariſtiæ Sacramentum ab ipſis in Eccleſia retineri. Quare iiſdem mulieribus indiximus, ut Sedis Apoſtolicæ privilegium oſtenderent. Verba fecimus de Paſchali communione, de Viatico ipſis mulieribus Tertiariis adminiſtrando, de poſtrema Unctione, ac de Sepultura, & iterum juſſimus in medium proferri ab utraque parte neceſſaria documenta, quibus diſciplina conſtans in hac re, perpetuaque ſtatueretur. At cum neglectum id ſemper fuerit, & querimoniæ, ac diſſidia magis in dies augeantur, præcipimus utrique parti, ut ſimul conferant ea omnia, quæ ſententiæ ſuæ plurimum ſuffragari arbitrentur. Siquidem totam hanc cauſam rejicimus in proximum menſem Novembris, ut pacato, compoſitoque animo a nobis examinetur; & merito quidem ſperamus abſque ulla judicii ſpecie, ſine expenſis, ac ſine ullo ſtrepitu illam feliciter expediendam.

LXXXII. Antequam finem dicendi faciamus, Præfectos Regulares harum mulierum tertii Ordinis, quæ veterem diſciplinam aliquantulum remiſerunt (fatemur priſtinam vitæ, morumque rationem a pleriſque magno ſtudio retineri) eos tamen, Præfectos magnopere hortamur, ut curam ſedulam impendant, ne ipſarum domicilia tum viri, tum mulieres libere pervadant. Qui Tertiariam mulierem alloqui legitimam ob cauſam debet, ipſam conveniat in loco ad confabulandum deſignato. Curent etiam diligenter, ne ſolæ Urbem circumeant, ac præſertim ſine habitu tertii Ordinis conſueto. Item ne verſentur in ædibus ſæcularium per integras hebdomadas, aut etiam menſes, eo nomine, ac ſpecie, ut nempe, remiſſionem aliquam accipiant, aut cognatorum gratia, vel ut priſtinam virium firmitatem recuperent; nam illud fas eſt expendere, quod Sacræ Congregationes præcipiunt etiam Tertiariis, quæ ſuis in ædibus privatam vitam traducunt, videlicet, ut domi ſolos conſanguineos, & affines in primo gradu in vitæ ſocietatem admittant. Inſuper præ cæteris neceſſariis conditionibus illa recenſetur, ut ſaltem quadraginta annos attigerint. Hos animi noſtri ſenſus Præfectis Regularium ſerio patefecimus, & non ſemel litteras etiam dedimus Romam ad generales Ordinum Moderatores, ut eodem de negotio monerentur. Mente pariter defixum habemus, quod legimus hiſtoriarum, nempe, Spartanorum civitatem mœnibus circumductis non eguiſſe, donec illi cives fortitudinis laude præcellebant; cum virtus ipſorum deinde relanguit, tunc primum Spartani, ut reliqui Græciæ populi, mœnibus urbem concluſerunt.

## LEGES

*Obſervandæ in Civitate, ac diœceſi Bononienſi pro iis controverſiis, quæ inter Parochos, ac Sodalitates intercedunt, addita explicatione decretorum* Urbis, et Orbis, *quæ edita ſunt anno 1703. a Congregatione Sacrorum Rituum.*

LXXXIII. Acturi pro bono hujus Civitatis ac diœceſis de controverſiis, quæ frequenter excitantur inter Parochos, & pias ſæcularium Societates, ſive Præsbyteros ipſarum Cappellanos, omittimus ea, quæ ex veteri Eccleſiaſtica eruditione deſumi poſſunt; nam hæc præſens ætas tantam rerum copiam ſuppeditat, ut plura volumina confici poſſe videantur. Breviter percurremus diſſidia, quæ variis Sodalitatibus contigerunt; deinde controverſias inter Epiſcopos, & Sodalitates ipſas, ac poſtremo ſententias, ac juſtitia quibus illæ diremptæ fuerunt. Poſt hæc recenſebimus alia diſſidia, quæ Parochos inter, ac Sodalitates agitantur.

### §. I.

*De Controverſiis inter ipſas Sodalitates olim concitatis.*

LXXXIV. Primo quidem de primatu loci Sodalitates inter ſe contenderunt; ſed Gregorius XIII. paucis litem abſolvit (1): *Qui* (nempe Sodales) *in quaſi poſſeſſione*

(1) *In Conſtit.* 84. *Bullar. tom.* 2.

*ne præcedentiæ, ac juris præcedendi sunt, ii (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & aliis subterfugiis prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis) in processionibus tam publicis, quam privatis, præcedere debeant.* Sed quia incertum foret, quodnam Sodalitium hunc loci primatum prius habuerit, idem Pontifex statuit, ut, *Ii, qui prius Saccis usi sunt, in Processionibus tam publicis, quam privatis, præcedere debeant.*

LXXXV. Nulli unquam limites huic Constitutioni positi fuerunt nisi ratione Sodalitatum, quæ a Sanctissimo Sacramento nuncupantur quibus semper præire reliquis conceditur in iis Processionibus, quibus Sacrosancta Eucharistia defertur, ea tamen conditione, ut Sacco utantur, & aliis quoque Processionibus interesse consueverint. Tunc autem parere debent iis, quæ a Gregorio XIII. præscribuntur, uti Sacræ Congregationes Romæ, & Tribunal Romanæ Rotæ constituerunt. Porro Bassius has sententias, ac decreta fuse recenset (1).

LXXXVI. Composito primo hoc dissidio novum aliud obortum est, cum in una civitate duo Sodalitia ejusdem instituti erigerentur; idque plurimis inter ipsa dissentionibus aditum aperuit. Equidem Clemens VIII. (2) prohibuit, ne plures in eadem Civitate Sodalitates, aut Congregationes ejusdem instituti permitterentur. Id Capec. Latro (3), Lezana (4), atque Maranta (5) Decreto Pontificis inhærentes animadvertunt. At quoniam aliquæ tam civitates magnæ, copiosæque sunt, ut unum Sodalitium, aut Congregatio alteri adversari non debeat, etiamsi prorsus idem institutum sequantur, ideo decernendum hoc modo Cardinalis de Luca existimavit (6). Licere nempe duo Sodalitia ejusdem instituti in una civitate versari si illa sparioſa fuerit, & magna populi frequentia redundaverit, & spatium inter utrumque Sodalitium interponatur. Hanc opinionem Sacra Congregatio Concilii in pluribus causis amplexa est, suisque Decretis approbavit (7).

## § II.

### *De controversiis inter Episcopos, ac Sodalitia.*

LXXXVII. Sodalitia non semel ab Episcopi jurisdictione se eripere varias ob causas contenderunt, quarum prima ea fuit, quod erecta sint in Ecclesiis Regularium, qui Episcopis minime subjiciuntur. Attamen Sacra Concilii Congregatio omnino contrarium statuit, & Sacella Sodalitatum ab Episcopo visitari posse decrevit, videlicet ea tantum, quæ ab ipsis Sodalitatibus administrantur. Id præsertim sancitum fuit die 23. Junii anno 1719. his verbis: *Sacra &c. Inhærendo* (8) *declarationibus jam factis censuit, Confraternitates Laicorum in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas, subesse jurisdictioni, & visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, necnon illorum Cappellas in iisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quæ Confraternitatum administrationem respiciunt. Et si Confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare, & illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum, & ornamenta Altaris, seu Cappellæ, onera Missarum, atque divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, & circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent.*

LXXXVIII. Equidem hoc Decretum pro causa peculiari editum est; sed tanquam lex generalis probatum deinde fuit, ipsique Sacra Congregatio se conformavit, cum ejusdem generis causæ propositæ fuerunt: eas sententias accuraro studio nos ipsi congessimus Secretarii munus gerentes in pagella, quam in lucem dedimus post Congregationem habitam die 19. Septembris anno 1722. (9). Eamdem viam perpetuo tenuit Sacra Congregatio, postquam nos Urbe discessimus; nam cum petitum fuisset a Sacra Congregatione die 3. Septembris anno 1730. (10): *An Episcopo competat jurisdictio visitandi Cappellam, de qua agitur* (quod quidem Sacellum erat in Ecclesia P. P. Minorum Conventualium, ubi mulierum cœtus institutus ferat, quæ nullo Sacco utebantur) responsum est: *affirmative ad formam Decreti in Nucerina Paganor. 24. Junii 1719.* Insuper propositum alias fuit in Sacra Congregatione die 7. Aprilis anno 1731. (11): *An Cappella, & Altare S. Antonii* (cui Sodalitas sæcularis addicebatur) *sita in Ecclesia FF. Minorum de observantia Ravennæ, subsint visitationi Reverendissimi Archiepiscopi?* parique sententia decretum est: *Affirmative ad formam Nucerinæ &c.*

LXXXIX. Aliud consilium ad evitandam Episcopi jurisdictionem initum fuit a Sodalitiis, quæ ideo Romanis Archiconfraternitatibus adscribi cupierunt. Nam Summi Pontifices quibusdam Regularibus, & Archiconfraternitatibus Romæ, & extra Urbem permiserant nova instituere Sodalitia, eaque sibi cooptare, & illis conferre sua privilegia, indulgentias, facultates, bona spiritualia, ac diplomata, quæ ipsamet sibi consecuta fuerunt. At vero Clemens VIII. (12). Episcopi jurisdictionem integram, inviolatamque servari voluit, ut nova Sodalitia cooptentur, utque collatis sibi privilegiis utantur (13). Id sapienter advertit Pax Jordanus aliique plurimi (14): Quapropter, cum in Sacra Concilii Congregatione peteretur (15) *An ad effectum, ut Confraternitates laicales aggregatæ possint uti Regulis, Statutis, & Constitutionibus quas observandas recipiunt ab Archiconfraternitatibus aggregantibus, necessaria sit præcedens approbatio Ordinarii loci?* Responsum ita fuit; *Affirmative.* Insuper, cum secundo loco quæreretur: *An ad effectum, ut dictæ Confraternitates aggregatæ uti & gaudere possint indulgentiis, privilegiis, & indultis Confraternitatum aggregantium, necessaria sit præcedens approbatio Episcopi cum interventu duorum de Capitulo?* Sacra Congregatio respondit; *Affirmative.* Tertio tandem loco petitum fuit; *An dictæ Confraternitates aggregatæ subsint Ordinariis, ita ut earum Officiales administrationis rationem Ordinario reddere teneantur?* Et pari modo responsum dedit; *Affirmative.*

LXXXX. Tertio Sodalitia studium suum contulerunt, ut Capitulo S. Joannis in Laterano Romæ adscriberentur: sed Paulus V. (16) hos conatus inanes fecit, & Clementis VIII. Constitutionem, quam modo nominavimus, servandam præcepit illis etiam Sodalitatibus, quæ a Capitulo Sancti Joannis, uti dictum est, cooptantur. At si novas Ecclesias, aut Sacella in Lateranensi solo excitari contigerit, ipsa quidem minime subsunt Episcopis ob vetustissimum privilegium Bonifacii IX., quod tribunal Romanæ Rotæ sæpius commemorat (17). Et quamvis illud a Pio IV. abrogatum fuerit, tamen ipsum Sixtus V. in pristinum restituit (18). Tum valet hoc privilegium, cum Ecclesiæ Sacella, sive Sodalitia in eo fundo eriguntur, qui prius ad Basilicam Lateranensem *jure Dominii* pertinebat. Aliter vero statuendum est, si postquam hæ Sacræ ædes fundatæ fuerint, eidem Basilicæ subjiciantur, nanuumque tributum ob hanc causam solvatur (19). Porro concessum a Sixto privilegium Episcopo tribuit in Ecclesias, aut Oratoria posita in solo Lateranensi prorsus idem jus, quod in ipsum Episcopum a Tridentina Synodo confertur (20). Ideoque delegata jurisdictio facta, tectaque Episcopo conservatur (21). Quamobrem tamquam delegatus invisere potest sacras ædes ejusmodi, ac Sodalitia, aut alium loco suo ad rem gerendam sufficere, juxta sententias Sacræ Congregationis Concilii, quas Monacellus recenset (22).

§. III.

---

(1) *In suo tract. de Sodalitiis quæst. 11. n. 5.* (2) *In sua constit. 115. §. 3. in Bullario t. 3.*
(3) *Decis. 169. num. 45.* (4) *In Consil. impress. t. 2. Operum Moralium ad vocabul. Confraternitas a n. 18. ad fin.*
(5) *In respons. 3. per tot. tom. 1.* (6) *De Præeminentiis disc. 10. num. 12.* (7) *In causa Ulyssipon. die 3. Decem. 1729.* (8) *In causa Nucerina Paganor. die 23. Junii anno 1719. lib. 14. Decret. fol. 215.*
(9) *In causa Cosentina Visitationis, & Censurarum.* (10) *In Causa Spoletina.* (11) *In Causa Ravennatensi.*
(12) *In cit. Constit. 115. in Bullario tom. 3.* (13) *§. 5. & duobus seqq. ejusd. Constit.*
(14) *Lucubr. tom. 2. lib. 7. tit. 11. num. 7. & 8.* (15) *In Causa Potentina die 29. Maji ann. 1683.*
(16) *Constit. 63. Bullario. tom. 3.* (17) *Decis. 115. & 313. part. 9. Recent. decis. 185. part. 15. decis. 375. nu. 17. & seqq. decis. 383. num. 5. & 6. par. 18. recent.* (18) *Constit. 19. tom. 2. Bullar.*
(19) *Decis. 228. nu. 5. & seqq. decis. 260. coram Emerix juniore, & in Squillacen. Jurisdict. super bono jure die 7. Junii anno 1723. coram Lancetta.* (20) *Sess. 6. c. 4. & sess. 24. c. 3. de reformat.* (21) *Juxta decis. 115. nu. 6. & 9. & decis. 313. num. 9. in fine, & num. 12. cum duob. seqq. par. 9. recent. & decis. 185. num. 8. & 9. part. 15. recent.*
(22) *In formul. Legali tom. 1. tit. 5. formul. 1. sub. n. 3.*

## §. III.

*De Controverſiis inter Parochos, ac Sodalitia.*

XCI. PArochi, ac Sodalitia hujus noſtræ Civitatis gravibus olim diſſidiis inter ſe contenderunt. Nam in cadaveribus efferendis iſta poſcebant, ut Sodales aliqui, relicto vexillo, quod ceteri ſequuntur, prope feretrum occuparent eum locum, qui Parochis debetur, quod quidem plures aperte negaverant, alii vero inter Parochos diſſimulaverant. Cum totum hoc negotium Sacrorum Rituum Congr. diligenter expendiſſet varia decreta confecit, quæ typis edita ſunt anno 1675., & adjecta Synodo Card. Boncompagni (1); quæ ſane decreta Sodalibus penitus interdicunt eum locum prope feretrum ſibi depoſcere.

XCII. At pro componendis diſſidiis inter Sodalitia, ac Parochos, ut ita dicam univerſi Orbis, multis in locis promulgata fuerant decreta a Congregatione Sacrorum Rituum die 10. Decembris anno 1704., quæ Summus Pontifex ſua auctoritate probavit, ut eadem diſſidia ad finem traherentur. At quoniam omnibus minime compertum eſt, quam ob cauſam ea decreta facta ſint; immo putant aliqui nullam prorſus, aut exiguam rei diſquiſitionem interceſſiſſe; & nonnulli pariter eadem Decreta parvi faciunt, ideo neceſſarium ducimus exponere partem ſuffragii, quod tulit Cardinalis Leander Colloredus non minus pietate, quam doctrina inſignis, qui cauſam ſuperius memoratam in Sacra Congregatione retulit. Ex eodem ſuffragio facile deprehendi poteſt, in primis ob rerum varietatem nonnulla poſt accuratum examen a diverſis Congregationibus, nempe, Concilii, Epiſcoporum, & Regularium, & Sacrorum Rituum ſancita fuiſſe: Secundo varias ob hanc cauſam controverſias emerſiſſe; ideoque diverſas, & contrarias ſententias, ac decreta promulgata; Tertio, leges generales, & uniformes, quantum fieri potuit, indictas fuiſſe: Quarto ad eam rem obtinendam ſimul congeſta fuiſſe antecedentia decreta, quæ nos ipſi deſcripta, & adjuncta vidimus poſt ſuffragium ejuſdem Cardinalis Colloredi, quod non mediocri ſane bono noſtras in manus pervenit: Quinto, priuſquam ullum judicium fieret, impoſitam fuiſſe provinciam, ut *pro veritate* ſententiam ſuam ſcriptam traderent, præclaris viris Sardinio, ac Bottinio Advocatis Conſiſtorialibus, qui ſapienter, accurateque rem geſſerunt, uti conſtat ex ipſorum ſententiis, quæ typis editas nos ipſi conſervamus: *Ac denique*, ſuſceptam fuiſſe ejuſmodi cauſæ *diſquiſitionem* ea ratione, ac conſilio, ut nullum, quod fieri poſſet, detrimentum Parochis inferretur: Sed jam ſuffragii ipſius ſententiam ſubjiciamus.

„ Adeo frequentes ſunt controverſiæ Parochos inter, ac Sodalitia, Scriptorum vero opiniones, & Sacrarum pariter Congregationum ſententiæ adeo variæ, ac diſcrepantes inter ſe videntur, ut Eminentiæ veſtræ neceſſarium alias duxerint aliquem modum ſtatuere, ac judicium ferre de quibuſdam controverſiis, quæ generatim proponantur, ita ut reliquæ in poſterum difficultates facile componi, aut facilius judicari poſſent. Id nunc eo difficilius obtinetur, quo facilius excitantur diſſidia, non ſolum ob æmulationem atque primatum inter Societates ejuſmodi, ſed etiam, quia utræque facile inveniunt auctores, ac decreta, quæ cauſæ ſuæ plurimum ſuffragantur; quæ ſane decreta variis temporibus, atque a diverſis judicibus confecta vim majorem vel minorem a majori, vel minori partium diſſidentium peritia, atque induſtria ſibi comparaverunt. Et quamvis certum ſit accidere poſſe, ut quædam peculiaria diſſidia generalibus legibus componi nequeant; videlicet, ſi ſpeciales rationum tituli, privilegia, conſuetudines, aut Synodales ſanctiones interponantur, tamen illud etiam manifeſtum eſt, hos peculiares titulos haud ſufficere, eo quod certa, ac generalis norma minime proponatur; quemadmodum cauſæ tum ad forum Eccleſiaſticum, tum ſæculare pertinentes difficili negotio ad finem traherentur, ſi ſolæ dioeceſanæ leges ſuppeterent, nec jus commune adjungeretur.„

„ Cum igitur die 22. Februarii anno 1699. retuliſſem cauſam Eugubinam inter Parochum, & Sodalitium Petiæ, & cum EE. VV. ex utraque parte multa decreta proferri animadverterent ex variis Collectoribus deſumpta, juſſerunt congeri ſimul eadem decreta, atque examinari, ut ipſorum fundamenta, ac circumſtantiæ dignoſcerentur. Poſtquam magno ſtudio, ac diligentia id perfecit Secretarius, iterum die 22. Auguſti ejuſdem anni cauſam retuli, & reſponſum fuit: *Iterum dilata, & examinentur Decreta aliarum Congregationum*. Juſſo Sacræ Congregationis peracto, rurſum die 30. Aprilis anno 1701. idem argumentum propoſitum fuit, & quamvis cauſa ob moleſtiam, ac temporis diuturnitatem inter diſſidentes compoſita jam fuiſſet, tamen viſum fuit Eminentiis Veſtris, ut aliquis Conſiſtorialis Advocatus *pro veritate* judicium ſuum daret, quod munus Sardinius primo, & deinde Bottinius juſſi ab Eminentiis Veſtris die 1. Julii ejuſdem anni ſecundo loco ſuſceperunt.„

„ Cum ſatis diligenter examinata res fuerit, nunc triginta & tres quæſtiones ſolvendæ proponuntur, deſumptæ a variis diſſidiis, quæ ante, ac poſtea contigerunt. Porro ex quæſtiones proferuntur juxta diſcrimen, quod intercedere neceſſario debet inter diverſas conditiones, ac naturas Eccleſiarum, in quibus Sodalitia inſtitui forteſſe potuerunt. Quippe alio modo ſubſunt Parocho hæ Societates, cum in eadem Parochiali Eccleſia ſunt erectæ, vel in Oratoriis, aut Sacellis, quæ ipſi Parochiæ adjiciuntur, alio autem modo, cum Societates ejuſmodi addictæ ſunt publicis, ac liberis Eccleſiis, quamvis intra limites Parochiæ poſitæ ſint.„

„ Sed priuſquam has quæſtiones examinemus, operæ pretium ducimus aliqua generatim in medium proferre, quibus explicentur, & confirmentur ea, quæ inferius ſubjicemus; ac primum præter jura Parochialia, quæ cum utilitate Parochorum plerumque conjunguntur, & de quibus Canonum Interpretes frequenter verba faciunt, munia quoque Parochialia recenſentur, quæ ita dicta ſunt, eo quod ad Parochos reipſa pertineant, aut illis ſaltem conveniant, vel ob naturam munerum, quæ cum juribus Parochialibus omnino copulantur, vel ob dignitatem, & conjunctionem, quam habent Parochi cum Paſtorali Officio, cujus cauſa Parochus vices Epiſcopi gerit, & exhibet. Ita diſtinguit *ex profeſſo* Epiſcopus Riccius *in ſua praxi aurea tom. 2. par. 4. a ſolut.* 290. *uſque ad ſolutionem* 311.; cujus opinionem ſequitur Barboſa *in tractat. de officio, ac poteſtate Parochi part. 1. cap. 22. per totum*.„

„ Secundo, ſi lex generalis conſtitui velit, negligenda videntur ea, quæ auctores ſcripta reliquerint, ex quibus ſane perpauci rem, de qua agimus, accurato ſtudio perſcruti ſunt. Concilia potius, & inſtituta S. Caroli probari debent, qui præ cæteris omnibus exiſtimandus eſt, & nominandus in hoc ampliſſimo cœtu, quoties aliquid decernendum obtigerit pertinens ad formam, recentemque Eccleſiæ diſciplinam. Ea pariter conſideranda, & eligenda ſunt, quæ divinum cultum augent, ſacras functiones magis exornant, & magis conveniunt officio, ac muneri, ob quod Parochi, ac Sodalitia inſtituta fuerunt, quæ proculdubio invecta minime ſunt, ut ſacras functiones exerceant, aut in partem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ recipiantur, ſed ut pœnitentiæ actus ſibi utiles, & conſentaneos ſuſcipiant, & opera miſericordiæ proximo ſuo impendant.„

„ Tertio, cum dubiæ quæſtiones proponuntur, ea ſeligenda opinio mihi videtur, quæ Parochis magis ſuffragetur; tum quia ſitam habent intentionem in vetuſtiori titulo, & magis univerſali; tum quia hac ratione minus a priſtina Eccleſiæ diſciplina receditur. Accedit, quod Epiſcoporum conſenſione id magis probatur, qui in Synodis, & peculiaribus quæſtionibus, Parochorum cauſam, & partes plerumque tuentur. Poſtremo Eccleſiæ dignitas, primatus, ac libertas hoc pacto melius vindicantur contra quotidianas innovationes, & uſurpationes ſæcularium, qui profecto Clerum mercenarium, ac ſubjectum ſibi potius in ſuis Cappellanis expetunt, quam in Parochis liberum, & auctoritate munitum,„

„ Quarto, in mentem revocari poteſt quomodo ſe geſſerit Apoſtolica Sedes, in conferendis privilegiis in Ordines Regularium, quæ Parochorum juriſdictioni detrimentum afferrent. Porro adeo lente, cauteque id factum eſt, & paulatim poſt longum temporis ſpatium, quamvis Eccleſiæ pars ſummopere conſpicua, ac benemerita illis privilegiis cumulari deberet; hinc facile deprehenditur, quam parce, cauteque impertienda ſint Sodalitatibus, quæ a meritis, & conditione Regularium longiſſime diſſident, ea privilegia, quæ jura Parochorum imminuunt.„

„ Poſtremo, ſi Romæ conſuedines, atque inſtituta reliquis

(1) *Pag. 145. & ſeqq.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

quis inferioribus Ecclesiis proponi possunt, veluti norma, quam sequantur, id tamen fortasse haud convenit huic peculiari argumento, de quo agimus. Quippe in urbe Sodalitates ea privilegia consequutæ sunt, quæ in aliis locis permitti nullo modo possunt. Etenim Romæ dignitas, & primatus Cleri adeo splendet, ut nullis facile tenebris obscurari queat, neque ex aliorum privilegiis diminui. Insuper Cardinalium dignitas, qui præsentes, & tanquam Patroni Archiconfraternitatibus præpositi sunt, postulare videtur, ut aliqua ratio habeatur earumdem Societatum, ipsæque minus Parochis subjiciantur, nempe, ob eamdem causam, qua Tridentina Synodus adducta fuit, ut privilegiis, ac discrimine digna putaret Monasteria, ubi Generales Ordinum Regularium moderatores immorantur *sess. 25. cap. 20. de Regularibus*. Equidem si omnia privilegia, quæ Romæ concedunturtur Sodalitatibus, & juribus Parochorum officiunt, cæteris etiam tribuerentur ubique terrarum constitutis, ubi quandoque solus Parochus Superioris Ecclesiastici personam gerit, absonum sane, & alienum id foret eodem modo, ac si privatis Monasteriis traderetur idem privilegium, quod Tridentina Synodus impertit illis solum Monasteriis, quæ Præsecti generales Regularium sibi ut sedem elegerunt. „

## §. IV.

*De decretis a Sacra Congregatione Rituum ad componenda dissidia inter Parochos, & Sodalitia.*

XCIII. Post accuratissimum rei totius examen, uti dictum est, propositæ fuerunt, solutæque triginta tres quæstiones. Sacra Congregatio discrimen proposuit inter Societates sæcularium erectas in Ecclesiis Parochialibus, aut in Sacellis, vel Oratoriis publicis, vel privatis quæ a Parochia dependent, ipsique adjiciuntur, & reliquas inter Societates constitutas in publicis Ecclesiis, aut Oratoriis publicis, vel privatis intra ipsius limites posita sint; Sacra Congregatio fere omnia tribuit Parochis contra eas Societates, quas primo loco recensuimus; eamdem tamen liberalitatem minime ostendit, cum de secundis Societatibus sermonem haberet. Nam ipsis, eorumque Cappellanis plurima concessit; integras tamen fore decrevit conventiones interpositas, cum Sodalitia statuerentur, litium compositiones a partibus dissidentibus factas, probatasque a Sede Apostolica; item indulta, Synodales Constitutiones, vel provinciales, & consuetudines immemorabiles, aut saltem centenarias. Sed ne libri conquirendi sint, qui has quæstiones, solutionesque continent, eas hoc loco subjicimus, ut Parochis, ac Sodalitiis commode innotescant:

## DECRETA

*Congregationis Sacrorum Rituum circa Jura Parochialia Functiones, & præeminentias inter Parochos, & Confraternitates laicorum, earumque Cappellanos, & Officiales.*

Urbis, & Orbis.

*Ad debitum imponendum finem controversiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates sæculares earumque Cappellanos, & Officiales super juribus Parochialibus, & Functionibus Ecclesiasticis, nonnullisque præeminentiis, seu prærogativis frequenter exoriri solent, in Sacrorum Rituum Congregatione ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Colloredo, præpositis infrascriptis dubiis, videlicet:*

I. *An Confraternitates laicorum legitime erectæ in Ecclesiis Parochialibus habeant dependentiam a Parocho in expletis Functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus?*

II. *An dictæ Confraternitates erectæ in Cappellis, vel Oratoriis tum publicis, tum privatis, annexis Parochialibus Ecclesiis, & ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones?*

III. *An Confraternitates erectæ in aliis Ecclesiis publicis habeant, quoad easdem functiones, aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ?*

IV. *An Confraternitates erectæ in Oratoriis tum publicis, tum privatis, sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus, quoad dictas functiones Ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho?*

V. *An benedictiones, & distributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum sint de juribus mere Parochialibus?*

VI. *An benedictiones mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum, & similium sint de juribus mere Parochialibus?*

VII. *An functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ sint de juribus mere Parochialibus?*

VIII. *An celebratio Missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini, sit de dictis juribus Parochialibus?*

IX. *An prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto, sit de dictis juribus Parochialibus?*

X. *An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis juribus Parochialibus?*

XI. *An expositio Quadraginta Horarum, & benedictio, quæ fit super populo, sit de dictis juribus mere Parochialibus?*

XII. *An expositio, quæ fit cum Reliquiis, vel Sacris Imaginibus, & benedictio, quæ cum eis fit super populo, sit de dictis juribus Parochialibus?*

XIII. *An functiones in precedentibus octo dubiis, videlicet a dubio quinto ad duodecimum expressæ, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?*

XIV. *An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possint Horæ Canonicæ cum cantu, vel sine, absque alia licentia Parochi?*

XV. *An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missæ privatæ assentiente Ordinario Loci, & contradicente Parocho?*

XVI. *An Cappellani Confraternitatum possint populo denunciare Festivitates, & Vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi?*

XVII. *An Parochus, invitis Confratribus, docere possit Doctrinam Christianam in prædictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis, & privatis a Parochiali divisis, & separatis?*

XVIII. *An in sepedictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicæ Conciones, etiam per totum cursum Quadragesimæ, vel adventus, cum licentia Ordinarii, & absque licentia Parochi:*

XIX. *An in ejusdem Ecclesiis possit celebrari Missa, sive lecta, sive cantata, ante Missam Parochialem, sive lectam, sive cantatam?*

XX. *An ad Parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in sepedictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum?*

XX. *An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint Processiones juxta cujusque Confraternitatis institutum absque interventu, vel licentia Parochi?*

XXII. *An eædem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum, absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est?*

XXIII. *An in dictis Processionibus Cappellani Confraternitatum possint deferre Stolam?*

XXIV. *An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quæ non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit asperforium a Parocho, in cujus territorio sunt sitæ dictæ Ecclesiæ?*

XXV. *An earumdem Ecclesiarum, & Confraternitatum Rectores, & Cappellanos possit Parochus, cessante alio speciali, ac legitimo titulo, & ex solo jure Parochi alitatis, compellere invitos ad assistendum Functionibus Ecclesiæ Parochialis?*

XXVI. *An in sepedictis Ecclesiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri possit Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sine speciali Indulto Sedis Apostolicæ?*

XXVII. *Præsuppositа facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia Ordinarii?*

XXVIII. *An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum vel eleemosynarum in sepedictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ claves retinere?*

XXIX. *An in Ecclesia Parochiali Confratres, vel eorum Cappellani immiscere se valeant, invito Parocho, in ejusdem Ecclesiæ functionibus, sive Parochialibus, sive non Parochialibus?*

XXX. *An Confraternitates sive sint erectæ in Ecclesia Parochiali, sive extra illam, possint pro libito, & juxta uniuscujusque peculiaria statuta, Congregationes suas facere absque interventu, vel licentia Parochi?*

XXXI. *An possint propria bona administrare, ac de illis disponere, absque ulla dependentia a Parocho?*

XXXII. *Quando Parochus eisdem Congregationibus interfit de mandato Ordinarii, & tanquam ejus Delegatus, an possit suffragium decisivum ferre; & quatenus affirmative.*

XXXIII. *An etiam suffragium duplex?*

Sacra

Sacra eadem Rituum Congregatio re mature discussa respondendum esse censuit.

*Ad primum affirmative.*
*Ad secundum affirmative.*
*Ad tertium negative.*
*Ad quartum negative.*
*Ad quintum negative.*
*Ad sextum negative; sed benedictiones mulierum, & Fontis Baptismalis fieri debere a Parochis.*
*Ad septimum negative prout jacet.*
*Ad octavum negative, prout jacet, sed spectare ad Parochos.*
*Ad nonum negative, prout jacet, sed spectare ad Ecclesiam digniorem, ad formam Constitutionis Leonis X. 22. §. 14.*
*Ad decimum negative, prout jacet; sed licere Confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiæ, vel Oratorii, ut in* Brundusina sub die 1. Junii 1601.
*Ad undecimum negative.*
*Ad duodecimum negative: & quoad benedictiones cum Reliquiis, & Imaginibus serventur decreta.*
*Ad decimum tertium, satis provisum in superioribus.*
*Ad decimum quartum affirmative; nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.*
*Ad decimum quintum affirmative.*
*Ad decimum sextum affirmative.*
*Ad decimum septimum negative.*
*Ad decimum octavum affirmative.*
*Ad decimum nonum negative: nisi aliter Episcopus disponat.*
*Ad vigesimum affirmative, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium.*
*Ad vigesimum primum affirmative.*
*Ad vigesimum secundum negative; nisi adesset licentia Episcopi.*
*Ad vigesimum tertium negative, extra propriam Ecclesiam.*
*Ad vigesimum quartum, negative.*
*Ad vigesimum quintum negative.*
*Ad vigesimum sextum negative.*
*Ad vigesimum septimum negative.*
*Ad vigesimum octavum negative.*
*Ad vigesimum nonum negative.*
*Ad trigesimum affirmative, dummodo non impediant functiones, & divina Officia.*
*Ad trigesimum secundum negative.*
*Ad trigesimum tertium negative.*
*Et ita, salvis tamen conventionibus, & pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis, & a Sancta Sede approbatis, Indultis, Constitutionibus Synodalibus, ac Provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, declaravit, ac decrevit, si Sanctissimo Domino Nostro videbitur.*
*Die decima Decembris* 1703.

*Et facta deinde per me Secretarium de præditis decretis Sanctissimo Domino Nostro relatione, prævia eorum integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, benigneque approbavit, & publicari, & non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit, Die* 12. *Mensis Januari* 1704.
G. Cardinalis Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congreg. Secret.

## §. V.

*Notæ super iisdem decretis, ac potissimum super his, quæ ad Episcopos pertinent.*

XCIV. Ex his, quæ hucusque dicta sunt, facile deprehenditur Sacræ Congregationi, dum Parochos inter, ac Sodalitates dissidia componeret, eam non fuisse mentem, ut Episcoporum jurisdictionem infringeret, aut ipsos impediret, ne unquam a decretis ipsis recederent, etiamsi legitima causa interveniat, & Diœcesis utilitas aliud exposcere videatur.

XCV. Id aperte constat ex ipsis decretis. Nam quæstio decimo quarto loco posita his verbis exponitur: *An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possint Horæ Canonicæ cum cantu, aut sine, absque licentia Parochi* Responsumque fuit: *Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.* Quippe Cardinalis Colloredus in suo suffragio id peractum fuisse advertit a Sancto Carolo Borromæo in quinto Provinciali Concilio: *videlicet, ne impediantur, vel turbentur functiones Parochiæ, aut populus ab ipsis avocetur, cum præsertim fidei rudimenta explicantur.*

XCVI. Quæstio decima nona his verbis exhibetur: *An in iisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta, sive cantata, ante Missam Parochialem sive lectam, sive cantatam?* Sacra autem Congregatio ita respondit: *Negative, nisi aliter Episcopus disponat.* Nam Cardinalis Colloredus arbitrio Episcopi id relinquendum perpendit, *qui judicabit, utrum aliter justas ob causas statuendum sit, uti sæpe contigit, cum ratio aliqua peculiaris intercesserit.*

XCVII. In quæstione 22. hæc petuntur: *An eædem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia illorum Parocherum, per quorum territorium transeundum est?* Sic autem respondetur: *Negative, nisi adesset licentia Episcopi.* Siquidem Episcopi facultas sufficitur loco illius, quæ exposci, & obtineri a Parocho debuerat, uti nos ipsi superius ostendimus (1).

XCVIII. Verum, ut hæc omnia magis confirmentur, alias sententias afferemus post decreta promulgatas; nam, quæ ante ipsa decreta fuerunt editæ, si decretis iisdem adversentur, nullius momenti, ac ponderis existimantur. Itaque decima septima quæstio sic habet: *An Parochus, invitis Confratribus, docere possit Doctrinam Christianam in prædictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis, vel privatis, a Parochiali divisis & separatis?* Responsumque est: *Negative.* Quapropter die 8. Augusti anno 1742. propositum fuit in Sac. Congregatione Concilii, cum nos ipsi Secretarii munus ageremus: *An sit removendum exercitium Catechismi, & docendi Puellas in venerabili Ecclesia Confraternitatis Sanctæ Mariæ de Humilitate, nuncupatæ Quadraginta Horarum, Civitatis Mantuæ?* Id nempe contendebant iidem Sodales contra Episcopum, qui legis Christianæ præcepta in eo loco explanari jusserat. At Sacra Congregatio die 29. Augusti eodem anno respondit: *Negative.* Posteaquam Romam discessimus. Rector Ecclesiæ, quæ concludebatur limitibus Parochiæ in Asculana Diœcesi, impedire voluit Parochum, ne in eadem Ecclesia populum Christiana Doctrina institueret: qua de re petitum fuit a Sac. Congregatione die 29. Augusti anno 1733. *An idem Rector teneatur permittere, ut Parochus doceat in dicto Oratorio Doctrinam Christianam, vel possit hoc impedire?* responsum est: *Arbitrio Ordinarii.*

XCIX. In Decretis Parocho indicitur abstinere ab eleemosynis, & oblationibus administrandis, quæ in Ecclesiis sodalitatum congeruntur. Permittitur ipsis Sodalibus ut simul congregentur sine Parocho, ipsiusque licentia, modo tamen divina officia non impediantur: illis quoque conceditur, ut bona sua administrent, & libere impendant inconsulto Parocho, uti constat ex quæstionibus 28. 30. 31., & ex responsis, quæ data fuerunt. At cum sodalitium Suffragii adjectum Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis in oppido Officæ Diœcesis Asculanæ petiisset a Sacra Congregatione Concilii die 3. Martii anno 1725. *An Reverendissimus Episcopus in aliquo casu per se, vel per alium ab ipso deputandum, possit intervenire Congregationibus generalibus?* Eadem Congregatio die 24. Martii respondit: *Affirmative.* Iterum postulavit: *An liceat Reverendissimo Episcopo removere Officiales, & Ministros a Confratribus electos, quatenus non sint idonei, & graves exceptiones patiantur,* iterumque Responsum fuit; *Affirmative.* Idem confirmatur aliis quoque sententiis editis in causa Juvenatii, quæ relata fuit in Sacra Congregatione die 21. Septembris anno eodem, quem nuper indicavimus, quo pariter soluta fuit controversia die 17. Novembris, & indictum sodalibus; ut rationem peractæ bonorum administrationis redderent Episcopo, & præfectis sodali-

(1) *In Regulis de associatione Cadaverum §. qui usum non tenet, & §§. seqq.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

dalitii, non ſolum tempore Sacræ Viſitationis, ſed quoties Epiſcopo libuerit. Hæ quidem ſententiæ plane demonſtrant magnum inter Parochi, & Epiſcopi jura diſcrimen interponi, & ob decreta, quæ ſuperius memoravimus, nequaquam impediri Epiſcopum, ut aliquid iiſdem decretis contrarium ſanciat, ſi opus fuerit, ac Diœceſis utilitas poſtulaverit.

## §. VI.

*Notæ ſuper iiſdem Decretis, ac præſertim ſuper his, quæ ad Parochos ſpectant.*

C. NOnnulli Scriptores poſt hæc Decreta Sacram Congregationem nimis in ſodalitia liberalem putantes affirmare non dubitarunt plura in ſodalitiis, & ab eorum Cappellanis fieri nequaquam poſſe, licet Sac. Congregatio ſtatuerit, illa ad jus Parochorum minime pertinere. Nam (inquiunt) multa inter jura Parochialia non recenſentur, ſed inter munia ſolis Parochis in ſua ditione convenientia: ut hanc opinionem comprobent, in medium proferunt antiqua Decreta Sac. Congregationum, quibus ſancitur, hoc vel illud ſpectare ad Parochum, non autem ſodalitiis, eorumque Cappellanis tribuenda.

Cl. Hanc viam inſiſtit Baptiſtellius Fulginatum Epiſcopus (1): *Benedictiones* (inquit) *Cinerum, Candelarum Ramorum Olivæ, Ovorum, delationes Sanctiſſimi Sacramenti, Miſſæ, ac Veſperæ ſolemnes aliæque Eccleſiaſticæ Functiones, quæ etſi ſtricte de juribus Parochialibus non ſunt, aliquam tamen cum eis connexionem, & affinitatem habent, juxta communem infraſcriptorum Doctorum ſententiam, non ad Confraternitates, earumque Cappellanos, ſed ad Parochos ſpectant, excepto caſu, quo Parochus ipſe requiſitus, hujuſmodi functiones ſe gratis exhibere nolle, alias non poſſe declaraverit.* Idem prorſus inſtitutum amplectitur Monacellus (2), qui admonet præter jura Parochialia, recenſeri quoque munia Parochorum, quæ ipſis ſolum permittuntur, aut quia dimanant, & conjunguntur iiſdem juribus, aut quia neceſſario cum paſtorali officio copulantur. Hinc licet reſponſum fuerit ad quæſtionem quintam, benedictiones Cinerum, Candelarum, ramorumque Olivæ non adnumerari inter jura Parochialia; & licet idem reſponſum ſit de expoſitione Divinæ Euchariſtiæ per 40. horas, ac de benedictione populo impertienda, uti conſtat ex undecima quæſtione, tamen negat Monacellus, has functiones a Cappellanis exerceri poſſe in Oratoriis, aut in Eccleſiis Sodalitatum. Rem eamdem confirmat Urſaya, qui hoc argumentum diſceptatione 29. ſapienter illuſtravit (3).

CII. Attamen huic adhærere ſententiæ nullo modo poſſumus, eo quod labefactare prorſus videtur Decreta prudentiſſime confecta, & Summi Pontificis auctoritate confirmata. Equidem Sacra Congregatio ea Decreta promulganda cenſuit: *Ad debitum imponendum finem controverſiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates Seculares, eorumque Cappellanos, & officiales ſuper juribus Parochialibus, & functionibus Eccleſiaſticis, nonnulliſque præeminentiis, ſeu prærogativis, frequenter exoriri ſolent*: ſed hæc utilitas minime ſequeretur, nec ullum finem haberent diſſidia, ſi poſtquam Sac. Congregatio conſtituit aliquid *non eſſe de juribus Parochialibus*, illud peragendum a Cappellanis ſodalitatum non concederetur. Nam Parochi ſemper id impedire poſſent Cappellanis ob eam cauſam quod illud quidem non eſt *de juribus mere Parochialibus*, ſed tamen adſcribitur inter functiones, quæ a ſolis Parochis exerceri debent. Idem prorſus contingeret, ſi poſt decreta noſtra *Urbis, & Orbis* anno 1703. liceret repetere contraria Decreta, quæ ante illud tempus edita fuerunt, cum Sacra Congregatio poſt diuturnum, & accuratum examen aliqua ex ipſis penitus abrogaverit, alia vero confirmarit, & alia nova condiderit, ut priſtinis controverſiis optatus finis, certaque in poſterum norma ſuper hac re ſtatueretur.

CIII. Accedit, quod diſcrimen inter jura Parochialia, & Parochiales functiones ſatis adverterunt Conſiſtoriales Advocati, quos *pro veritate* conſulendos accivit S. Congregatio. Idem prorſus Cardinalis Colloredus cauſæ relator, & Sacra ipſa Congregatio in ſuis Decretis cognoverunt. Nam Sardinius poſt explicata jura Parochialia, ad recenſendas Parochiales functiones deſcendit: *Jura vero quæ honorifica ſunt & præeminentialia, & quæ vere & proprie verſantur circa functiones Eccleſiaſticas, improprie dictas functiones Parochiales, diſtinguuntur a juribus Parochialibus, & ea ſunt, quæ in earum exercitio præſeferunt quandam honorificentiam, & præeminentiam in Parocho.* Bottinius etiam collegæ ſui ſententiam ſequutus eſt: *Et primo quidem certa & indubitata videtur principalis Domini mei Advocati Sardini diſtinctio inter functiones, & jura mere Parochialia, & alias Functiones pure Eccleſiaſticas.* Poſt hæc affirmat a Cappellanis etiam ſodalitatum has functiones exerceri poſſe, ſi ipſæ ſodalitates templis Parochialibus addictæ non fuerint, etiamſi intra limites Parochiæ conſtituantur; ea tamen adjungitur conditio, nempe, ſi exercitium illarum functionum juribus Parochialibus minime adverſetur. Idem quoque diſcrimen perſpexit Cardinalis Colloredus cauſæ relator, quemadmodum ex verbis ipſius ſuffragii deſumitur apertiſſime: neque revocari in dubium poteſt, quin Sacra Congregatio cognitum illud diſcrimen habuerit, uti conſtat ex ſecunda quæſtione: *An benedictiones mulierum poſt partum, Fontis Baptiſmalis, ignis, ſeminis, ovorum, & ſimilium, ſint de juribus mere Parochialibus?* Cui ſane reſpondit: *Negative*, nempe, inter jura Parochialia non eſſe adſcribenda: *Sed benedictiones mulierum, & Fontis Baptiſmalis fieri debere a Parocho*, cum hæc munera ſolis Parochis conveniant. Inſuper octavæ quæſtioni: *An celebratio Miſſæ ſolemnis feria quinta in Cœna Domini ſit de dictis juribus Parochialibus?* Pari modo Sac. Congregatio reſpondit, *Negative, prout jacet; ſed ſpectare ad Parochos.*

CIV. Quare, ſi illis qui Decreta condiderunt, ignotum haud fuit diſcrimen inter jura Parochialia, & Parochialia munera, quanam ratione affirmari poteſt conceſſum fuiſſe tanquam munus Parochiale, quod negarum fuit, tanquam jus Parochiale?

CV. Sacra Congregatio quæſtioni quintæ reſpondit *haud eſſe de juribus Parochialibus* benedictiones, ac diſtributiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, ignis, ſeminis, ovorum: neque enumeranda inter Parochorum jura per annum ſolemnia ſacra, Divinæ Euchariſtiæ expoſitionem per 40. horas, *& benedictionem ſuper populo*. Poſtremo hæc omnia congerens quæſt. 13. *An Functiones in præcedentibus octo Dubiis, videlicet a Dubio quinto ad duodecimum expreſſæ, peragi poſſint in Oratoriis privatis contradicente Parocho?* reſpondit his verbis: *Satis proviſum in ſuperioribus*, ex quibus ſatis oſtendit has functiones exerceri poſſe a Cappellanis in Eccleſiis, & Oratoriis a Parochia ſejunctis, licet ipſius Parochiæ limitibus contineantur.

CVI. Hujus rei veritas ex eo potiſſimum comprobatur, quod Sacra Congregatio, ſi aliter res intelligenda foret, controverſiis nullum finem ſtatuiſſet, quod unum maxime contendebat. Accedit etiam, quod Conſiſtoriales Advocati *pro veritate* conſilium ferentes, aſſeruerunt, nullum a Parochis impedimentum afferri poſſe, ne functiones illæ in aliis Eccleſiis indicantur, quamvis inter Parochiæ ſuæ limites poſitæ fuerint. Tum quidem Cardinalis Colloredus cauſæ relator contrarium ſe præbuit, monuitque ſuffragio ſuo reſponſurum ſe fore, *Negative*: ob hanc cauſam: *Non ſolum, quia Parochus repugnat, ſed quia privata Oratoria his functionibus exercendis idonea non ſunt*; ſed reſpondit: *Satis proviſum in ſuperioribus*. Ex quo ſatis patet aſſenſiſſe opinioni, quam Conſiſtoriales Advocati protulerant; & cum antea reſpondiſſet *haud eſſe de juribus Parochialibus* eaſdem functiones, aperte docuit illas inſtitui poſſe in Eccleſiis, & Oratoriis Sodalitatum a Parochia diſcretis, licet ipſius limites non excedant.

CVII. Sed omiſſis priſtinis Decretis, certiſſimum eſt, quod Sacræ Congregationes, cæterique Judices Romæ in cauſis propoſitis poſt Decreta, de quibus verba facimus, perpetuo decreverunt, eas functiones peragi licere in Eccleſiis, & Oratoriis Confraternitatum, niſi vetuſta conſuetudo; aut leges Diœceſanæ Synodi id prohibeant, quemadmodum in noſtris etiam Decretis admonetur. Porro id magnopere argumentum de quo agimus, confirmat.

CVIII. Sed qui cauſam hujus opinionis penitus inveſtigare cupiat, libros evolvat de iis pertractantes, quæ Parochiali Eccleſiæ tribuenda ſunt ab aliis Eccleſiis, quæ ab illa disjun-

(1) *In Appendice ad ſuam Synodum pag. 257.*
(2) *In ſuo Formular. Legali tom. 2. tit. 13. formul. 1. num. 54. & ſeqq.*
(3) *Tom. 9. part. 2.*

disjunctæ sunt, sed ipsius limitibus includuntur. *Caput final. de Offic. Archidiacon.* decernit, Ecclesias positas intra limites Parochiæ ipsi nequaquam subesse, nisi forte de persolvendis juribus Parochialibus agatur. Si aliquid aliud sibi repetat Parochia, causas, ac rationes suæ petitionis afferre debet (1). Id quoque monuit Altovitus Sacræ Congregationis Concilii Secretarius, cum die 5. Martii anno 1689. causa *Bononiensi Jurium Parochialium* proposita fuisset, quæ nullum tunc responsum habuit: *Opus est* (inquit) *præmittere tanquam principium indubitatum, non solum ab hac Sacra Congregatione in Romana Funerum* 10. *Januarii* 1782. *& in Forolivien.* 18. *Novembris* 1684. *& in Nonantulana* 13. *Januarii* 1685. *verum etiam a Rota coram Coccino decis.* 2089. *num.* 3. *& seqq. Ecclesias licet fundatas intra limites Ecclesiæ Parochialis, non esse huic subjectas, nisi quoad jura Parochialia; secus autem quoad alia.* Idem Romanæ Rotæ Judices sanxerunt (2). At Scriptores etiam non prætermittunt enumerare, quænam jura Parochialia reipsa censeantur. Illorum veluti princeps fuit Abbas *in Rubrica de Parochis num.* 2., qui tradit inter jura Parochialia illud primum locum tenere, ut diebus festis ad Parochiam accedat populus, ubi Missæ sacrificio interfit (3). Id tamen consilium potius, quam præceptum nunc existimatur. Secundo, ut populus manu sui Parochi Sacramenta percipiat (4). At nunc Eucharistiam in Paschate, Viaticum graviter ægrotantibus, extremam Unctionem, & matrimonii Sacramentum solus Parochus administrat, uti præcipit Tridentina Synodus. Tertio, ut Fideles in sua quisque Parochia post mortem sepeliantur, nisi proprium alio loco familiæ sepulchrum habeant, aut tumulum sibi in alia Ecclesia non designaverint. Tunc autem pro Constitutionibus, & consuetudine Diœcesum quædam Parocho emolumenta conferenda jubentur. Quarto, ut Parochiæ solvantur decimæ, & oblationes, quæ juxta leges, & instituta Diœcesum indicuntur. Hæc sane omnia *ex allata Coccini decisione* sumuntur.

CIX. Certum est, præter hæc jura Parochialia, functiones quoque alias recenseri, quæ cum iisdem juribus ita implicitæ, & connexæ sunt, ut soli Parocho liceat ipsas in sua ditione exercere (5): *Domini procedendum esse cum distinctione censuerunt: quatenus enim hujusmodi jus privativum exercendi functiones Ecclesiasticas respicit eas, quæ sunt de jure Parochiales, sane diversimode judicari non potest, quam favore ipsius Parochi, ad quem proculdubio privative quoad quemcumque Rectorem alterius Ecclesiæ, vel Oratorii, intra fines suæ Parochiæ existentis, earum exercitium spectat.*

CX. Sed paulo post hæc superadduntur (6) *Quatenus vero ad alias extendit prætendatur functiones, quæ Parochiales non sunt, sed mere Sacerdotales, utique nullum Parochus jus habet eas prohibendi Rectori alterius Ecclesiæ, nisi ita ex aliquo privilegio, aut pacto in fundatione posito statutum esse docuerit.*

CXI. Restat igitur, ut exponamus, quænam Parochiales, aut Sacerdotales functiones appellari debeant. Porro id explicari nequit alio modo, quam ex Decretis editis anno 1703., quibus declaratur Sacerdotale id esse censendum, quod non Parochiale decernitur; illud autem concedi etiam Rectoribus aliarum Ecclesiarum, & Cappellanis Sodalitatum, quamvis ipsarum Ecclesiæ Parochiæ limitibus comprehendantur (7): *Quales vero* (ita prosequitur eadem Sacræ Rotæ sententia) *& quot sint istæ functiones, quæ Parochiales dici non debent, sed Sacerdotales, Domini non existimarunt singulariter explicare; cum satis illæ pateant ex prædictis generalibus Decretis Sacræ Congregationis Rituum Urbis & Orbis anni* 1703. *a Sanctissimo approbatis.* Numero autem decimo hæc habentur: *Hujusmodi vero Decreta a Sanctissimo Domino Nostro subinde confirmata, tanquam leges in quocumque Tribunali recepta jam sunt, & præsertim in hoc nostro.*

## §. VII.

*Quid gerendum sit in hac Civitate, ac Diœcesi pro observandis iis, quæ in ipsis Decretis continentur.*

CXII. Sacrorum Rituum Congregatio duobus primis Decretis jubet Sodalitia erecta in Parochialibus Ecclesiis subesse Parocho, in illis etiam functionibus, quæ inter Parochiales non habentur. Idem præcipitur Sodalitiis, quæ Sacellis, & Oratoriis tum publicis, tum privatis addicuntur, si tamen a Parochia dependeant, ejusque ditioni adjungantur. Consistoriales Advocati, qui *pro veritate* sententiam suam dixerunt, eamdem sanctionem probarunt, quam etiam virorum præstantium testimoniis confirmarunt. Cardinalis autem Colloredus suo suffragio superaddidit, opus esse, ut sæcularium Societates in Parochialibus Ecclesiis institutæ, vel quæ Parochiæ junguntur, Parocho subjiciantur, cum functiones Ecclesiasticæ non Parochiales exerceri debent: *Non solum* (inquit) *ob jus Parochiale, sed etiam ob dominium, primatum, & regimen, quod Parochus, & quilibet alius Rector obtinet in sua Ecclesia, & universi ipsius partibus. Quare Sodalitia Parochialibus Ecclesiis addicta eamdem Parocho observantiam persolvere debent, quæ requiritur ab iis, qui in alienis ædibus immorantur; quemadmodum fusius ostenditur in utrisque scriptis, ubi memorantur plura ejusdem sententiæ Decreta, quæ a Sacris Congregationibus in lucem prodita fuerunt.*

CXIII. Quæ cum ita sint præcipimus omnino servari in hac Civitate, ac Diœcesi, quæ in his duobus Decretis statuuntur.

CXIV. Decretis autem quinto, sexto, septimo, & octavo declaratur non esse recensenda *inter jura mere Parochialia* benedictiones, ac distributiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, Ignis, Seminum, Ovorum &c., eodemque loco habendas esse functiones universas, quæ in Hebdomada majori fieri consueverunt. Quamobrem statuitur, hæc omnia permitti Cappellanis Sodalitatum in suis Ecclesiis.

CXV. Porro inter Parochiales functiones enumerantur benedictiones mulierum post partum, Fontis Baptismalis, & Sacrum solemne feria V. majoris Hebdomadæ. Equidem hæ functiones solis Parochis tribuuntur, non solum ab iisdem Decretis, quæ antea nominavimus, sed etiam a Conciliis Provincialibus, quæ S. Carolus Borromæus Mediolani celebravit. Quapropter eadem Decreta plene observari jubemus. Profecto reliquæ benedictiones, ac distributiones Candelarum, Palmarum &c. functiones item majoris Hebdomadæ in Parochialia munia non referuntur, nisi tamen Synodi Diœcesanæ contrarium aliquid statuerint. Quare cum Cardinalis Columna Bononiensis Archiepiscopus anno 1634. in sua Synodo ita præscripserit (8). *Abstineant quicumque Sacerdotes sæculares, sive Regulares, ab omnibus benedictionibus faciendis, puta mulierum post partum, Cinerum, Candelarum, Olivarum, rei cujuscumque comestibilis, aliarumve frugum, etiamsi res hujusmodi pauperibus forent distribuendæ, sub pœna interdicti ipso facto ejusdemmet Oratorii:* cum Cardinalis etiam Jacobus Boncompagnus anno 1698. in sua Synodo hæc jusserit (9): *Feria quinta majoris Hebdomadæ inhibemus, Sacrum celebrari in Confratrum Oratoriis sub pœna suspensionis ipso facto Sacerdoti celebranti; nec die Parasceves Crucifixum exponant deosculandum, verum pro adoratione ad Parochialem se conferant:* cum, inquam, hæc ita se habeant, præcipimus, ne benedictiones, quas nuper expoluimus, ignis, seminum, ovorum, ac similium, & functiones Hebdomadæ majoris peragantur in Ecclesiis, & Oratoriis Sodalitatum. Interdicimus etiam benedictiones, ac distributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum. Eas permittimus, si in iisdem Oratoriis pro Sodalibus tantum instituantur, tum quia consuetudo id pridem induxit, tum quia Cardinalis Colloredus de his benedictionibus ita verba fecit: *Cæteras benedictiones in quæstione expositas arbitror non spectare ad Parochum privative, præsertim, si pro Sodalibus tantum, & privatim fiant.* Cum pariter a Sacra Congre-

(1) *Cap. Dilectus de Cappelli. Monachorum dec.* 2089. *num.* 10. *& seq. coram Coccino.*
(2) *Dec.* 990. *coram Molines Decano & dec.* 988. *num.* 1. *& seq. coram Lancetta etiam Decano.*
(3) *Cap.* 2. *de Parochiis.* (4) *Cap. Nullus, de Parochiis.*
(5) *Cit. de coram Lancetta num.* 11. (6) *Citata dec. num.* 12.
(7) *Eadem dec. num.* 13. (8) *Par.* 2. *cap.* 11. (9) *Lib.* 4. *cap.* 5.

gregatione die 24. Septembris anno 1718. petitum fuisset: *An liceat Cappellano dictæ Societatis facere benedictionem, & distributionem Candelarum in dicto Oratorio pro Confratribus, & Sororibus in festo Sanctissimæ Purificationis?* Patres responderunt, *Affirmative*.

CXVI. Supervacaneum est de pulsandis Campanis Sabbato majoris Hebdomadæ, sermonem instituere, videlicet, an id Parochiale jus habeatur, uti petitur quæstione nona: nam Leonis X. Constitutio observanda decernitur, quam nos etiam commemoravimus in vigesima institutione. Descendimus igitur ad quæstiones 10. 11., ac 12., quibus inter jura Parochialia non adscribitur celebratio Missarum solemnium pro viventibus, aut pro defunctis, ideoque permittitur Sodalibus ipsas indicere, quoties in suis Ecclesiis, aut Oratoriis solemnes dies celebrantur. Insuper statuitur haud esse *de juribus mere Parochialibus* Eucharistiæ expositionem per quadraginta horas, & benedictiones, neque pias Sanctorum Reliquias colendas in Altaribus collocare. Attamen circa benedictiones cum ipsis Reliquiis, aut imaginibus populo impertiendas, retinenda esse Decreta alias promulgata præcipitur.

CXVII. Ac primum vetusta consuetudine, & plusquam centenaria factum est in hac Civitate, ac Diœcesi, ut solus Parochus accitus a Sodalibus, aut alius Sacerdos Parochi loco suffectus solemnia Sacra faciat pro vivis, aut defunctis in Ecclesiis, & Oratoriis Sodalitatum, quæ Parochiæ limitibus continentur. Revera id tanquam certissimum habitum fuit, cum inter Parochum S. Mamantis, & Sodalitium Beatæ Virginis *a Libertate* controversia ageretur in Sacra Congregatione Concilii die 15. Maji anno 1728. Tota sane quæstio ad Diaconum, & Subdiaconum eligendum, qui rem divinam solemniter facerent, redacta fuit. Nam Parochus id sibi tribuendum, contra vero Sodalitium id sibi convenire censebat; petitum igitur fuit; *An Parochus interveniens ad canendam Missam, vel ad dandam Benedictionem, habeat jus sibi eligendi Diaconum, Subdiaconum, cæteroſque Ministros?* Sac. vero Congregatio respondit: *Negative*.

CXVIII. Id nobis in mentem revocat inductam consuetudinem, ut Cappellanus, aut alius Sacerdos accitus a Sodalibus Sacrum solemniter conficiat absque Diacono, & Subdiacono. Quandoque duo Presbyteri loco Diaconi, ac Subdiaconi subrogantur; quandoque Clerici superpelliceum indentes, etiamsi musici concentus solemne Sacrum comitentur, & in publicis locis Civitatis invitatio prius exposita fuerit, ut populus magna frequentia conveniat. Porro Sodales id Sacrum nequaquam solemne esse contendunt; ideoque permitti ipsis, ut Cappellano, aut alio Sacerdote utantur. At cum Parochi de hoc graviter querantur, aliquid necessario statuendum est, ut dissidiis aditus occludatur.

CXIX. Decreta anni 1703. de solemnibus Missarum sacrificiis agunt. Consuetudo pariter, quam modo explicavimus, solemnia sacra complectitur. Equidem discrimem agnoscimus inter solemne Sacrificium Missæ, & illud quod cum cantu celebratur. Nam solemnitas intrinsecus cum ritu implicita est, & in pluribus Ministris, nempe Diacono, & Subdiacono collocatur. Cantus autem extrinsecus sacrificio Missæ adjungitur, neque modum, & rationem offerendi ejusdem sacrificii constituit (1). Revera Sacra, qua fiunt pro defunctis in Basilica S. Laurentii extra muros Urbis non solemnia, sed cum cantu nuncupantur. Nam Sacerdos cum uno solum Ministro rem divinam facit. Idem canit, ac respondet, & ex choro Canonici idem institutum sequuntur. Proposita fuit in Sacra Congregatione Concilii Causa *Neapolitana celebrationis Missarum*, an Carmelitæ satisfecissent muneri illis demandato, ut Missam quotidie cum cantu celebrarent, quod ipsi quidem facere non prætermiserant, sed absque Diacono, & Subdiacono; nihil respondit Sacra Congregatio, quæ habita fuit die 28. Augusti anno 1683.: sed cum quæstionem eamdem in examen revocasset die 29. Januarii anno 1684., videlicet: *An Missa quotidie cantanda debuerit, & debeat cantari cum assistentia Diaconi, & Subdiaconi, vel solius Acolythi*: Respondit his verbis; *Satisfactum fuisse, & satisfieri voluntati testatoris, cantando Missas etiam sine assistentia Diaconi, & subdiaconi*. Expendit enim haud solemne sacrificium, sed cum cantu solum indictum Carmelitis fuisse.

CXX. Cum hæc ita sint, *de jure* statuendum videretur nullo modo labefactari jus Parochiale, quod sacra solemnia tantum complectitur, si quandoque absque Diacono, & Subdiacono Missarum sacrificia in Ecclesiis, aut Oratoriis Sodalium cum cantu indicantur. At quoniam concordiam Parochos inter, ac Sodales magnopere expetimus, atque ut Sodales ipsi magna observantia Rectores Ecclesiarum prosequantur; & quoniam dubitandum est, ne paulatim Parochi a Missis canendis in Ecclesiis, aut Oratoriis Sodalium amoveantur, si Missis solemnibus alia Sacra cum cantu subrogentur, ideo præcipimus, ne in posterum absque Diacono, & Subdiacono Sacra fiant in Oratoriis Sodalium, nisi facultas nostra, aut Vicarii nostri generalis interceserit, quæ nunquam concedetur diebus Dominicis, cum in Parochia, indicta Processione, divina Eucharistia circumfertur, ne populus frequens convenire impediatur. Quoties autem facultas dabitur, Sodales semper hortabimur, ut Parochum accersant ad Sacrificium cum cantu celebrandum, ne mutuum, debitumque Parochis officium omittatur.

CXXI. Circa expositionem Eucharistiæ decreta anni 1702. sanctiones Synodorum integras esse volunt. Quare, cum in sua Synodo Cardinalis Boncompagnus decessor noster ita præscripserit (2): *Cum de exponendo Venerabili quandoque contingat in Ecclesiis, aut publicis Confratrum Oratoriis; a Parocho præstetur, seu a Sacerdote per Parochum deputato, qui exponat, & Sole occidente, reponat*; Id observari diligenter jubemus, cum præsertim Cardinalis Columna (3) idem sua Synodo confirmaverit: *Si quando publice sit exponenda Eucharistia, id ab ipso Parocho præstetur, & ab eodem, advesperascente die, recondatur, sub pœna Interdicti ejusdem Oratorii, & ulteriùs viginti quinque aureorum cuicumque alii Sacerdoti id aggredienti, tamquam Parochiæ jura perturbanti*. Non ignoramus, auctoritatem nostram his terminis minime concludi, sed aliis Sacerdotibus demandari a nobis posse, ut Sacram Eucharistiam exponant, populumque benedictione dimittant. Et profecto die 24. Septembris anno 1718. quæsitum fuit a Sacra Congregatione (4): *An cum licentia Episcopi, & sine consensu Parochi fieri possit in Oratorio Confratrum Expositio infra annum, & præcipue quadraginta Horarum?* Et ipsa Congregatio respondit, *Affirmative*. Iterum die 21. Februarii anno 1728. petitum fuit (5): *An Confraternitas possit sine licentia, & interventu Parochi exponere in suo Oratorio Sanctissimam Eucharistiam?* Et Sacra Congregatio decrevit: *Affirmative, accedente licentia Episcopi*. Postremo die 24. *Septembris anno* 1735. postquam Secretarii munere perfuncti fuimus, propositum est (6): *An liceat iisdem Confratribus in eorum Ecclesia retinere, & exponere Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sine licentia Parochi?* Idemque responsum dedit Sacra Congregatio: *Affirmative de licentia Episcopi*. Hæc, inquam, non ignoramus; sed ut Parochorum nostrorum ratio habeatur, hac nostra auctoritate nequaquam utemur. Immo præcipimus, ut Parochi, vel Sacerdotes ab ipsis suffecti in Ecclesiis, aut Oratoriis Sodalium Eucharistiam exponant, & benedictionem elargiantur, quemadmodum a Synodis decernitur.

CXXII. Omittimus quæstiones 14. 15. 16. ac 17., de qua superius verba fecimus. Omittimus etiam 18. & 19. ubi de Missis agitur, quæ ante Sacrum Parochiale, aut leguntur, aut cum cantu celebrantur. Quippe 44. nostra Institutione satis ostendimus, non concedi Parocho, ut rem divinam fieri ante Parochiale Sacrificium impediat; id tamen licere potestati nostræ, qua libenter utemur, si divinum cultum aliquid detrimenti capere dignoscamus.

CXXIII. In quæstione autem vigesima sermo est de funebri officio, quod cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis, aut Oratoriis Sodalium persolvitur. Quæstiones deinde 21. & 22. verba faciunt de Processionibus, quas Sodalitia pro ratione instituti sui peragunt; & utrum Sodalium Cappellanis Scolam tum deferre permittatur?

CXXIV. Certum est, interposita facultate Episcopi, posse in Ecclesiis Sodalium constitui sepulchra (7); certum pariter est, ob hanc causam liberum esse Fidelibus, ut in iisdem Ecclesiis tumulentur. Porro die 10. Maji anno 1727. cum nos ipsi Secretarii munus ageremus petitum fuit a Sacra Congregatione Concilii: *An liceat in Ecclesia*, (quæ ad Sodales

(1) *Pasqualigo de Sacrificio nova legis quæst.* 344. *num.* 4. (2) *Lib.* 4. *cap.* 5. (3) *Par.* 2. *cap.* 12.
(4) *In Causa Novarien.* (5) *In Causa Alexandrina.* (6) *In Causa Triventina.*
(7) *Romana Oratorii die* 13. *Januar. an.* 1689. §. *Nullum igitur præjudicium coram Prioli edita post Adonel. decisione* 7.

dales pertinebat) *habere ſepulchra, & reſpective poſſint cadavera tumulari abſque licentia Parochi, & in præjudicium jurium Parochialium?* His verbis reſponſum datum eſt: *Licere habere ſepulchra, accedente licentia Epiſcopi, & poſſe in eis cadavera tumulari, ſi eligatur ſepultura, abſque licentia Parochi, ſed ſalvis juribus Parochialibus.* Inſuper permiſſum aliquando fuit, ut ſepulchrum pro Sodalibus in propriis Eccleſiis, aut Oratoriis ſtatueretur: hinc nata eſt controverſia, utrum Sodalis, qui moriens nullum ſibi ſepulchrum delegit in Eccleſia ſui Sodalitii, an vero Parochiæ ſepeliri debeat? Unanimes Doctores Parocho ſuffragantur (1). Immo, cum die 13. Februarii anno 1666. in cauſa Neapolitana quæſitum fuiſſet a Sacra Congregatione (2): *An Sodales, qui de ſepultura ſua nihil ſtatuerunt, condi debeant in tumulo ſuæ Eccleſiæ?* Ipſa Congregatio reſpondit: *Negative.*

CXXV. Cum in quæſtione 20. diſputaretur: *An ad Parochum ſpectet facere officium funebre ſuper cadaveribus ſepeliendis in ſepeditis Eccleſiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum?* Eamque reſponſum datum fuerit: *Affirmative, quando tumulandus eſt ſubjectus Parocho, intra cujus fines eſt Eccleſia, vel Oratorium*, & cum decreta Synodorum leges integras eſſe jubeant, quæ juxta Synodum Cardinalis Boncompagni *lib. 5. cap. 6.* ita faciunt: *Quod ſi Confrater moriens ſponte ſepulturam elegerit in Oratorio, aſſiſtat Parochus officio, Miſſam canet, & idem ſervetur in Anniverſariis, quoties facienda ſit abſolutio, nec Cappellanus Societatis jura Parochialia perturbet ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, aliiſque arbitrio noſtro infligendis:* Cum denique hæc ita ſe habeant, decernimus officium funebre, tum in civitate, tum in Diœceſi perſolvi a Parocho, quoties aliquis fidelis tumulum ſibi eligat in Eccleſia, vel Oratorio Sodalium, quod Parochiæ finibus includitur, etiamſi defunctus ipſi Parochiæ non adſcribatur. Hæc profecto ſententia non tam Synodi auctoritate, quam rationibus corroboratur, quas Maranta (3), ac Pignatellus recenſent (4). Nos potiſſimum adducimur auctoritate Capitis: *Cum in Eccleſia, de Simonia*; ubi mortuorum exequiæ cum ſepulturis, benedictionibus nubentium, aliiſque Sacramentis comparantur. *Necnon & pro ſepulturis, & Exequiis mortuorum, & Benedictionibus nubentium, ſeu aliis Sacramentis*, Neque prætermitti debet in cauſa Sodalitii dicti *a Salute*, quod inſtitutum eſt in oppido Medicinæ hujus noſtræ Diœceſis, inter cætera fuiſſe propoſitum: *An liceat Confraternitati Salutis ſepelire in propria Eccleſia cadavera Confratrum, & Conſororum, qui ibidem elegerint ſepulturam; & an ejuſdem Cappellanus abſente Parocho valeat Officium aliaſque functiones ſuper iiſdem cadaveribus explere?* Quibus Sacra Congregatio die 28. Julii anno 1724. ita reſponſum fecit: *Affirmative quoad primam partem; quoad ſecundam negative niſi Parochus vocatus renuat, vel alium Sacerdotem non ſubſtituat.*

CXXVI. De Proceſſionibus, in quibus verſantur quæſtio 21., aliæque inſequentes, Cardinalis Columna ita ſtatuit (5): *Proceſſiones nullas faciant ſive intra, ſive extra Oratorium, ſeu Eccleſiam, niſi juxta cujuſcumque Confraternitatis ſtatuta, quibus ſemper interſit Sacerdos ſine ſtola, de ipſius Parochi conſenſu: In iis vero Crux nulla more Parochorum geſtari ſolita, ſed Crucifixi tantum præcedat Imago.* His congruit Synodus Cardinalis Boncompagni (6): *Proceſſiones nullas inſtituant, niſi illas, quæ per approbata ſtatuta concedantur, comitante ſemper Sacerdote de licentia Parochi, tamen ſine ſtola, precedente Crucifixi Imagine, ſolita geſtari a Confratribus.* Quare præcipimus, ut hæc penitus in noſtra civitate, ac Diœceſi ſerventur, quæ Sacræ pariter Congregationis Concilii auctoritate confirmantur. Nam, cum die 15. Maji anno 1728. ageretur de controverſia inter Parochum S. Mamantis hujus Civitatis, & Sodalitium nuncupatum a Beata Virgine libertatis, præ cæteris diſceptatum fuit: *An Confraternitas ultima Dominica Septembris ducere poſſit Proceſſionem cum prædicta Imagine ad plateam magnam civitatis cum aſſiſtentia Parochi; vel, eo deficiente, propriis Cappellani, ac Populo benedicere tam in dicta Eccleſia, quam ſub ſtilicidio propriæ Eccleſiæ, & intus eamdem?* Quibus Sacra Congregatio reſpondit juxta Synodorum ſanctiones: *Affirmative, accedente tamen licentia Ordinarii, & comitante Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia.*

CXXVII. Inſuper Parochus, dum Proceſſionem comitatur, Stolam deferat: etenim conſentaneum eſt, ut ipſe a cæteris Cappellanis etiam per externum ornatum ſecernatur: ob hanc cauſam S. Carolus Borromæus Parochis ſimplicibus, tanquam ipſorum inſigne, cucullum tribuit, quem Beccam appellat, vetuitque, reliquos omnes uti illo ornamento, etiam Coadjutores non perpetuos, & Vicarios Parochorum, qui ab eodem munere poſſunt amoveri. Inſuper Parochis iiſdem clamydem, & argenteum baculum permiſit, juſſitque his ornatos inſignibus ad publicas proceſſiones convenire, & pœnas illis irrogavit, qui juſta facere contemnerent (7). Romæ autem illud eſt peculiare inſtitutum, ut Sodalium Cappellani Stola utantur, cum proceſſionibus interſunt (8), quod ſpecialiter ipſis ex Statuto Cleri Romani conceditur (9), uti recte Pignatellus advertit (10).

CXXVIII. In quæſtione 24. petitur: *An Epiſcopo accedenti ad Eccleſias publicas Confraternitatum, quæ non ſint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum ſit Aſperſoriam a Parocho, in cujus territorio ſunt ſitæ dictæ Eccleſiæ?* Et reſpondetur: *Negative.* Conſiliorum Advocati, quos Sacra Congregatio accivit ad ſcribendum *pro veritate*; in eadem fuerunt ſententia, quam etiam amplexus eſt Cardinalis Colloredus cauſæ relator, quamvis propenſam in Parochos voluntatem ſemper oſtenderet. Hæc habet Cardinalis: *Reſponderem* negative, *cum id penitus a jure Parochiali ſejunctum ſit, & alienum: nam ſolum ſignificat obſequium recipientis Eccleſiæ, ideoque præſtandum eſt ab illo, qui digniorem obtinet locum in ipſa Eccleſia.* Illud magnopere nos perſuadet, quod Epiſcopo accedenti ad Collegiatam Eccleſiam Aſperſorium porrigitur a digniore ejuſdem Eccleſiæ, non vero a Dignitate quacumque Cathedralis, uti Barboſa (11), & Pignatellus (12) commemorant. Quibus addi poteſt decretum, quod Pater Meratus recenſet (13): *Epiſcopo ingredienti aliquam Eccleſiam ſuæ diœceſis, aſſociato a Dignitate, & Canonicis ſuæ Cathedralis, debet porrigi Aſperſorium a digniori illius Eccleſiæ, ad quam Epiſcopus accedit, non autem a Dignitatibus, & Canonicis Cathedralis Epiſcopum aſſociantibus.* Inſuper alio loco (14) decretum pro hac noſtra civitate conſtitutum his verbis deſcribitur: *Aſperſorium aquæ benedictæ Cardinali etiam Legato, ſeu Ordinario loci aliquam Eccleſiam ſuæ diœceſis, ſeu juriſdictionis quacumque de cauſa ingredienti, non ab Archidiacono, ſeu aliis de Capitolo cujuſcumque Eccleſiæ porrigi debet, ſed a digniori illius Eccleſiæ, ad quam Cardinalis etiam Legatus, ſeu Ordinarius accedit*, Contra vero, ſi Epiſcopus ad aliquam Eccleſiam ſe conferat, eamque Capitulum univerſum, & Canonici cum ſuis propriis indumentis comitentur. Tunc enim decreto 309. ſic indicitur: *Aſperſorium aquæ benedictæ Epiſcopo debet porrigi per digniorem de Capitulo Cathedralis, quando Capitulariter, & cum indumentis Canonicalibus, proceditur ad Eccleſias quaſcumque diœceſis.* Leges Synodales nihil prorſus adverſantur. Cum Sacram Viſitationem peregimus, nunc Cappellanus, nunc autem Parochus nobis advenientibus porrexerunt Aſperſorium. Quapropter jubemus hoc negotio Parochos haud immiſceri; nam ratio maxime habenda eſt decretorum Sacrarum Congregationum; neque permitti debet unicuique, ut non conſilio, aut ratione ductus, ſed temeritate facere ſuſcipiat id, quod magis ipſi libuerit.

CXXIX. Satis ex ſe perſpicua ſunt reſponſa 25. 26., ac 27.; quibus decernitur haud poſſe retineri Divinam Euchariſtiam in Eccleſiis Sodalium, quæ inter Parochiales, aut Regulares minime referuntur, niſi peculiares Sedis Apoſtolicæ diploma fuerit impetratum; neque ipſius privilegii cauſa poſ-

(1) *Sebaſt. de Marand. quæſt. 8. num. 41. Samuel in eodem Tractat. de ſepult. controv. 10. concl. 1. Matthæuc. in Officiali Curiæ cap. 48. num. 3. Pignatell. conſult. 17. num. 18. tom. 1. Panimol. tom. 1. deciſ. 5. annot. 3. num. 53.*
(2) *Lit. 25. decretor. p. 29.* (3) *Tom. 4. reſp. 21.* (4) *Tom. 9. conſult. 73. nu. 131. & ſeqq.*
(5) *Part. 2. cap. 12.* (6) *Loco citato.* (7) *In Concil. Provincial. 4. tit. de Parochis, & Parochialibus, & in Synodo Dioceſana 11.* (8) *Gratianus diſcept. 298. nu. 66.* (9) *Cap. 7. §. 7.* (10) *In Conſult. 73. nu. 21. to. 8.*
(11) *In ſumma Bullarum in verb. Aſperſorium, & in Collect. Deciſ. Apoſt. c. 46. num. 3.*
(12) *In conſult. 18. tom. 3. & conſult. 83. tom. 5.* (13) *Part. 2. to. 1. ſui operis in Garvant. in ſuo accurato Indice decretor. num. 260.* (14) *Num. 263.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſa poſſe exponi Euchariſtiam, niſi Epiſcopi licentia interceſſerit: nam certiſſimum eſt, probatumque omnibus Sacramentum Euchariſtiæ ſine Apoſtolico Privilegio non poſſe in Eccleſiis inferioribus conſervari, quemadmodum Sacra Congregatio Concilii pluries definivit (1). Genuenſis, ac Ventriglia alia vetuſtioria decreta recenſent (2). Inſuper, cum die 5. Martii anno 1689. propoſita fuiſſet controverſia inter Parochum Sanctæ Mariæ Magdalenæ hujus civitatis, & ſodalitium S. Mariæ Coronatæ appellatum videlicet: *An Confraternitas Sanctæ Mariæ Coronatæ, ſeu Suffragii Bononiæ, aggregata Archiconfraternitati Suffragii de Urbe, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ Indulto poſſit in ſua Eccleſia retinere Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, illudque in aliquo anni tempore publice adorandum exponere abſque interventu, ſeu licentia Parochi?* Sacra Congregatio *die* 17. *Novembris* anno 1691. reſpondit proferri decreta *in Lunen. Sarzanen. die* 19. *Auguſti* 1690. quibus præ reliquis petebatur: *An Confraternitates retinere poſſint in eorum Oratorio ſine peculiari Sedis Apoſtolicæ indulto Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, illudque in aliquo anni tempore publice adorandum exponere?* Et tum ſtatuit: *Negative quoad primam partem, & quoad ſecundam negative, niſi adſit licentia Epiſcopi.* De expoſitione Euchariſtiæ ſatis amplum ſermonem habuimus trigeſima Inſtitutione, quam iterum confirmamus.

CXXX. Reliquæ quæſtiones: quæ ſuperſunt, præſertim agunt de oblationibus; & eleemoſynis adminiſtrandis, quæ in Eccleſiis Sodalium colliguntur; ibique ſancitur, ne ipſas Parochus adminiſtret, nec claves capſulæ retineat. Permittitur Sodalitiis de congeſtis bonis ſine Parochi conſenſu, aut conſilio libere ſtatuere; leges, cœtuſque indicere, non accito Parocho, quamvis in ipſius Eccleſia, ſive extra fuerint inſtitutæ; tandem cavetur, ne Parochus ſuffragium ferat, quoties juſſu Epiſcopi, tanquam ipſius Delegatus, ad Sodalium cœtus acceſſerit.

CXXXI. Cardinalis Boncompagnus in ſua Synodo *lib.* 4. *cap.* 7. interdicit quibuſcumque diœceſim, aut civitatem ad congerendas eleemoſynas circumire, niſi Vicarius Generalis ſcriptam facultatem tradiderit: monet Parochos curam diligenter impendere, ut omnes huic decreto obtemperent. De Sodalitiis autem ita ſanxit die 27. Aprilis anno 1700.; nempe ante decreta, de quibus ſermo eſt: *Ne publice exponantur parvæ malluviæ, aut Capſulæ ad congerendas eleemoſynas, ne quidem, cum Sodales Sacrum audiunt; item ne ulli Sodalium Miniſtri per Urbem, & Eccleſias ob eamdem cauſam vagentur, neque ad fores templorum cum malluviis, capſulis, aut ſacculis ſubſiſtant: Sodales autem in Diœceſi inſtituti, ne caſtella, terras, & oppida pervadant, ut comparent eleemoſynas.* In cauſa, quam ſuperius memoravimus, Caſtri Medicinæ cum quæſitum fuiſſet: *An eidem Confraternitati liceat quæſtuare tam intra, quam extra territorium caſtri Medicinæ in caſu? Die* 28. *Julii anno* 1714. reſponſum eſt: *Arbitrio Ordinarii*; In altera quoque cauſa Parochi S. Mamantis, quam jam nominavimus, *die* 19. *Maij anno* 1728. fuit propoſitum dubium videlicet: *An Confraternitas occaſione dictorum Exercitiorum quæſtuare poſſit per Eccleſiam pro Animabus Purgatorii, & quatenus affirmative, cui cedere debeant dictæ eleemoſynæ?* Sacra Congregatio ita decrevit: *Quoad primam partem affirmative de licentia Ordinarii: & eleemoſynas eſſe erogandas in ſuffragium Animarum purgantium:* Cum iterum diſceptaretur: *An Miſſæ cum prædictis eleemoſynis celebrari debeant in Eccleſia Confraternitatis, vel potius in Eccleſia Parochiali?* Statutum ita fuit: *Affirmative quoad primam partem; negative quoad ſecundam.* Cardinalis etiam Palæotus, qui Sodalitium Sanctiſſimi Sacramenti erexit in Eccleſia Parochiali, decernit (3) duas claves ad cuſtodiendam eleemoſynarum capſulam, quarum unam Parochus, alteram Societatis ejuſdem adminiſter retineret. His conſentaneæ ſunt leges, quæ confectæ fuerunt, & a nobis etiam confirmatæ, ut in hac civitate, totaque Diœceſi idem Sodalitium recte, ac prudenter adminiſtretur (4). In quibuſdam Parochiis leges eaſdem Sodalitates quoque reliquæ ſequuntur. Quapropter magno ſtudio retinere volumus hoc inſtitutum, ubi ſemel invectum fuerit.

CXXXII. Sed illud advertendum eſt, quod Sodalibus Eccleſiæ Parochiali addictis, ſive intra limites Parochiæ degentibus, indicitur a Synodo Cardinalis Columnæ (5): *Officiales* (inquit) *eligantur quotannis coram Vicario Foraneo, ſeu Parocho, alioquin ipſa electio ſit irrita, & nulla ex decreto Congregationis Epiſcoporum. Præteriti quidem recentibus electis rationem reddituum, ſuæque adminiſtrationis reddant coram Vicario Foraneo, ſeu Parocho, ſive alio deputando, ut earumdem rationum ſupputatio valide fiat.* Idem ſtatuit Cardinalis Boncompagnus (6): *Innoventur quotannis Officiales coram Parocho, aut Vicario Foraneo, & neglecto, & non vocato eorum altero, innofficioſam, irritam declaramus electionem: Peracto ſcrutinio, & rite facta electione, rationes reddant, qui officio functi ſunt, & de adminiſtratis redditibus fiant ſupputationes.* Inſuper, num de controverſia inter Parochum Sancti Mamantis, & Sodalitium Virginis Libertatis diſceptaretur, illud etiam poſtulatum fuit; *An Parochus invitari debeat, ut præſideat Congregationibus faciendis tam in imbuſſulationibus, & extractione Priorum, & Officialium, quam in redditione rationum?* Et Sacra Congregatio reſpondit: *Affirmative.*

CXXXIII. Hæc documenta magni ponderis habenda ſunt & Parochis magnopere ſuffragantur: ea nobis pariter mens eſt; ut illa nunquam violentur. Si quis autem ipſa neglexerit, & jam longum temporis ſpatium effluxerit, ita ut Sodalitium aliquod libertatem, & a Parocho immunitatem ſibi vindicaſſe contendat; ſi Parochos inter, ac Sodalitia compoſitiones etiam obſignatæ fuerint, quæ poſt diuturnum tempus ſumma fide ſerventur; ſi demum ob exiguam pecuniæ mercedem quotannis ſolvendam aliquis Parochus ſuis juribus ceſſerit, ut compertum habemus, certiſque documentis confirmatum, ſi hæc ita ſint, quid dicendum, agendumque videbitur? Profecto dicemus id neque vitio noſtro, neque Deceſſorum noſtrorum, ſed Parochis ipſis tribuendum, vel inter vivos adhuc agentibus, aut jam mortali hac vita perfunctis. Illud quoque fatemur paratos nos eſſe in priſtina jura reſtituere Parochos civitatis, aut Diœceſis, ſi inanem, atque irritam conſuetudinem, compoſitionem, conventionem a nobis declarari contendant.

## INSTITUTIO CVI.

*Epiſtola ad Canonicum Joannem Baptiſtam Scarſelli Cancellarium Archiepiſcopalem data, de illo, qui ad Ordines diebus profeſtis promoveri deſiderat, acceptis Apoſtolicæ Sedis litteris, quibus permittitur ei* extra tempora *initiari: ac de eo, qui Ordines minores, & ſubdiaconatum uno eodem die ſuſcipere contendit. Nullius ponderis eſſe rationes ab iis, qui ſimilia expoſtulant, adductas. Utrum inter Feſtos referendi ſint dies, quibus duplex Officium præſcribitur, quamvis populus a ſervili opere minime ſeſe abſtineat. Quibuſnam ex his diebus juxta Apoſtolicæ Sedis ſententiam Ordines tribui debent? Vetitum omnino eſſe Ordines minores, & Subdiaconatum eodem die accipere, & quibus indictis pœnis.*

I. QUamvis affirmare teſtimonio tuo poſſis nos haud ullo labore retardari, ne Ordines conferamus, quoties opus fuerit, aut aliquis id poſtulaverit, tamen compertum habemus nonnullos inveniri, qui de nobis querantur. Id aperte conjicimus ex multorum petitionibus, qui contendunt aſſequi minores Ordines die profeſto, ſed quo duplex Officium præſcribitur, vel qui ſuſceptis Sedis Apoſtolicæ litteris, ut ordinentur *extra tempora*, magno ſtudio depoſcunt majores Ordines diebus non quidem feſtis, ſed quibus ritus duplex proponitur. His addi poteſt, quod nuper Præfectus Regularis a nobis poſtulavit, ut Regularem Profeſſum ad primam Tonſuram, Ordines minores, & etiam Subdiaconatum aſſumeremus, ob eam cauſſam, quod Monaſterium in egeſtate verſetur, & plurium Miſſarum ſtipendiis neceſſario indigeat. Id ſane novum, & inuſitatum nobis accidit: tum quia non cenſemus ſtipendium futurum Miſſæ, quo Monaſterium ſublevari debet, aſſerendum eſſe inter legitimas cauſas,

(1) *In cauſa Acherontina, & Maceraten. die* 3. *Martii anno* 1668. *lib.* 25. *decretor. pag.* 552. *& in cauſa Nonantulana die* 13. *Januarii anno* 1685. *in reſponſ. ad Quæſt.* 5. *lib.* 35. *decretor. pag.* 20.
(2) *In praxi Curiæ Archiepiſc. cap.* 110. *num.* 2. *in annot.* 21. §. *unic. num.* 16.
(3) *In ſuo Archiepiſcopali pag.* 470. *par.* 5. (4) *Inſtitut.* 82. *num.* 29.
(5) *Part.* 2. *cap.* 12. (6) *Lib.* 4. *cap.* 5.

UMB Bibliotheca Universitaria Ciencias Sociales

ſas, ut Ordines tanta celeritate conferantur; tum quia omnis civitas querimoniis perſonat, haud reperiri ſtipendia pro Miſſis adventitiis, & Templorum Sacraria carere conſuetis oblationibus, ut ſuffragia pro defunctis inſtituantur. Porro id neceſſitatem ſecludit, ut Sacerdotum numerus augeatur, qui rem divinam conficiant, & hac ratione Monaſterio opitulentur. Quod ſi novos Sacerdotes neceſſarios aſſirment, qui perpetuis Miſſarum oneribus ſatisfaciant, id falſas omnino querimonias oſtendit, nempe in civitate perraro contingere, ut ſtipendia pro ſacris adventitiis offerantur, & Regulares ob hanc cauſam in ſummam rerum inopiam adduci.

II. Sed rem propoſitam aggrediamur, & nos omni moleſtia, ac ſollicitudine uno verbo liberemus. Si quis igitur a te poſtulabit ad minores Ordines admitti, ſive ad majores ob privilegium Apoſtolicum *extra tempora* non feſtis diebus, ſed quibus officium ritus duplicis celebratur, ipſis reſpondebis nulla ratione nos adduci poſſe, ut id concedamus. Eodem reſponſo illos dimittes, qui uno ſolum die primam Tonſuram, minores Ordines, ac Subdiaconatum expoſcant. Etenim, cum a nobis aliquid agendum eſt, haud ſequi volumus dubias opiniones, ſed tutas, & ex Sacris Congregationibus deſumptas, quæ anteferendæ ſunt privatis Auctoribus qui ſcribentes, ſibi tantum ſatisfacere curant, neque de Eccleſiæ diſciplina cogitant, quam Sedes Apoſtolica tanquam magiſtra, ſola debet moderari.

III. Non ignoramus ex illis verbis Rubricæ Romani Pontificalis (1): *Minores vero Ordines poſſunt dari ſingulis Dominicis, & feſtivis diebus duplicibus ubicumque, mane tamen*, plures cenſuiſſe inter feſtos dies duplices referri eos poſſe, quibus officium duplex indicitur, etiamſi populus ſervilibus operibus non abſtineat. Nam ipſi pariter in Rubricis Breviarii, ac Miſſalis *Feſtum duplex* appellantur (2). Attamen nos minime latet, ejuſmodi ſententiam a graviſſimis viris improbari, quos Diana recenſet, eoſque reliquis contrarium aſſerentibus anteponi debere. Nam ut certum haberetur Ordines minores conferendos eſſe ſolis diebus feſtis de præcepto, quibus opera ſervilia populo interdicuntur, in examine, & correctione Romani Pontificalis juſſu Urbani VIII. ſuperadditum fuit (3) conferri poſſe ſingulis Dominicis, ac diebus feſtis *ex præcepto*. Quamvis autem tit. *de Ordinibus minoribus* eadem correctio non adjiciatur, cujus loco ſufficitur poſſe conferri minores Ordines Dominicis, ac feſtis diebus duplicibus, tamen id contingit ob hanc cauſam, quod ſufficere viſum fuit ſuperiori titulo expoſuiſſe, quid dierum feſtorum nomine deberet intelligi.

IV. Hæc omnia delibavimus ex Cardinali de Luca, qui tunc temporis vitam agebat, & Sedis Apoſtolicæ ſenſus apprime noverat: *Quia tamen* (inquit (4)) *obſtinati erant in priori opinione defendenda, quam ſaltem in praxi probabilem, & tutam putabant, ideo juſſu felicis recordationis Urbani VIII. in nova recognitione, & correctione Pontificalis Romani in tit. de Ordinibus conferendis, expreſſe additum fuit, Ordines Minores conferri poſſe omnibus Dominicis, & diebus feſtivis ex præcepto, ut nemo amplius poſſet prætendere, ibi etiam comprehendi dies, qui in Breviario appellantur Feſta. Nec obſtat, quod poſtea in titulo de Ordinibus Minoribus non repetatur eadem correctio, ſed ſolum dicatur, poſſe dari Ordines Minores diebus Dominicis, & diebus feſtivis duplicibus: judicarunt enim, ſatis fuiſſe in titulo præcedenti indicare, quid intelligi debeat nomine diei feſtivæ, ad tollendam omnem prætenſam æquivocationem.*

V. Sed jam verba facienda ſunt de illis, qui ut Ordines accipiant extra tempora, ſpeciales a Pontifice litteras obtinuerunt, cujus cauſa poſtulant aſſumi ad Ordines non feſta die, ſed qua ritus duplicis Officium recitatur. Porro hæc ſunt verba litterarum Apoſtolicarum (5): *Et ſubinde ad ſacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Præſbyteratus Ordines tribus Dominicis, ſeu aliis feſtivis diebus continuis, vel interpolatis, etiam extra tempora a Jure ſtatuta promoveri poſſit.* Nunc autem in privilegiis hujuſmodi poſt decretum Innocentii XII. (6) res ita immutata eſt: *Item, nunquam concedenda pro feſtivis diebus continuis, ſed ſemper pro interpolatis aliquo temporis ſpatio arbitrio Epiſcopi definiendo.* Tum priori, tum recenti formula ſuperſunt ea verba, *feſtivis diebus*. Hinc veterem controverſiam in medium proferunt aliqui, iiſdem verbis poſſe contineri dies etiam profeſtos, quibus Officium ritus duplicis præcipitur. At vero ſi pro certo ſtatuatur a Sede Apoſtolica pro conferendis Ordinibus haud exiſtimari dies feſtos, qui ritum duplicem præferunt, ſed illos tantum, quibus populus jubetur ſervilibus operibus abſtinere, atque id pro certo ſtatuatur, omnis difficultas de medio tollitur, & illud neceſſario conſequitur, majores Ordines ob Apoſtolicæ Sedis privilegia conferri nequaquam licere, niſi iis diebus, qui reipſa inter feſtos enumerantur.

VI. Quod ſi hæc manifeſta ratio illis minime ſatisfaciat, qui tibi moleſtiam, ac nobis inferunt, eorum oculis ſubjicies decretum Sacræ Congregationis Concilii, quod ex actis nos ipſi deſumpſimus, cum Secretarii munere fungeremur.

## BRIXIEN. ORDINATIONIS.

*UT altercatio, quæ inter Magiſtros Cæremoniarum ſæpe orta fuit, ex hujus Sacræ Congregationis oraculo dirimatur, Epiſcopus ſupplicat declarari.*

*An diebus Feſtis duplicibus, non tamen de præcepto, poſſint Ordines Sacri conferri habentibus Breve diſpenſationis Apoſtolicæ ſuper interſtitiis, vel extra tempora?*

*Sacra &c. die 15. Januarii 1689. reſpondit negative, ſed tantum diebus Feſtis de præcepto.*

VII. Ad illos poſtremo deveniamus, qui uno die minores Ordines, & Subdiaconatum expoſtulant. Decretalis cap. 2. *de eo qui furtive Ordinem ſuſcipit*, declarat Ordines ſolum minores exercendos a Clerico, qui illos cum Subdiaconatu ſimul attigit. Sin autem Subdiaconatus Ordinem exercere velit, jubetur in aliquo Regularium Ordine vota ſolemnia nuncupare. Hinc plures aſſerunt, Clericum hac ratione ordinatum ſuſpenſioni obnoxium eſſe (7); & quamvis Ordinanti nulla pœna irrogetur, tamen Canonum Interpretes id accidiſſe perpendunt, eo quod Clericus imprudenti, & ignaro rei Epiſcopo ſe obtuleret, ut Subdiaconatu initiaretur. Hinc fatentur ipſi Interpretes, Epiſcopum futurum fuiſſe ſaltem a conferendis Ordinibus ſuſpenſum, ſi fraude cognita, eumdem Clericum ad Subdiaconatum admiſiſſet (8).

VIII. Alii quoque Clericum ab omni ſuſpenſione liberum, & immunem futurum teſtantur, ſi, Epiſcopo conſentiente, minores Ordines, & Subdiaconatum ſimul accepiſſet. Quippe animadvertunt eumdem Clericum, reluctante Epiſcopo, fuiſſe illis Ordinibus initiatum. Quamvis enim nequeat Epiſcopus duos ex majoribus Ordinibus uno die conferre, tamen minores Ordines, & Subdiaconatum ſimul eodem die conferre poteſt, ſi juſta, ac legitima cauſa intervenerit (9).

IX. Iterum a Scriptoribus inquiritur an minores Ordines, & Subdiaconatum ob veterem loci conſuetudinem conferre liceat. Id plures affirmant (10), alii vero inficiantur (11).

X. Sed cauſa hujus conſuetudinis omiſſa, quæ in hanc diœceſim non pervaſit, libere reſpondemus, lege vetitum eſſe, ne minores ordines, ac Subdiaconatus eodem die conferantur. Magno revera ſtudio propoſita fuit in Sacra Congregatione Concilii *cauſa Boven Ordinationis* die 29. Januarii anno 1707. & ſoluta eodem die 7. Maji (12). Clericus uno die minoribus Ordinibus, & Subdiaconatu ſimul initiatus fuerat, neque ſe ob hanc cauſam ſuſpenſum arbitrabatur, eo quod nullam fraudem adhibuiſſet. Epiſcopus etiam

nulla

(1) *Tit. de Ordinibus conferendis.* (2) *Diana in edit. coordinata tom. 2. tract. 5. reſol. 98.*
(3) *Tit. de Ordinibus conferendis.* (4) *Lib. 1. de reſponſ. Moral. dub. 34.*
(5) *Corradus in Praxi Diſpenſationis l. 4. cap. 4. nu. 11. & ſeqq.*
(6) *Die 14. Decembris Anno 1693. Decreto 93. in ſuo Bullario.*
(7) *Bonacina de ſuſpenſione particulari diſp. 3, quæſt. 1. punct. 4. §. 1. num. 2. verſ. ſi vero ſuſcipiat, & ſub. num. 3. Theſaur. de pœnis Eccleſiæ part. 2. in verbo Ordo cap. 15. §. 2.*
(8) *Zabarella in principia. Joan. Andreas num. 1. Butrius num. 1. Oſtienſis num. 2. Seccinus num. 4. & ſeqq.*
(9) *Fermoſin. cap. 1. nu. 10., & ſeq. de temporibus Ordinationum. Diana in edit. coordin. tom. 2. tract. 5. reſol. 97.*
(10) *Fagnan. in cap. de eo n. 4. de tempor. Ordinationum. Sanchez. Conſul. moral. lib. 7. cap. 1. dub. 53. nu. 5. & ſeq.*
(11) *Majol. de Irregularitate lib. 3. cap. 24. num. 13. & lib. 4. cap. 11. num. 1. Pax. Jordan. tit. 3. lib. 6. nu. 430. & ſeq. tom. 1.* (12) *Lib. 57. fol. 32. a terg. & pag. 157.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nulla se dignum pœna censebat, quia non duos majores Ordines, sed minores tantum, ac Subdiaconatum contulerat. Itaque petitum fuit: *An, & quomodo danda esset absolutio?* Sacra Congregatio hoc responsum edidit: *Quoad Ordinatum dandam esse absolutionem prævia salutari pœnitentia, arbitrio Episcopi vicinioris; & quoad Ordinantem, ad mentem.* Mens autem per litteras ipsi explicata fuit, quibus graviter, ac vehementer arguebatur, quod ipsius culpa patratum a Clerico scelus superaret ob hanc rationem, quia minores Ordines, ac Subdiaconatum consulto semel uno die contulisset. Debita pœna tunc liberatus fuit, ea tamen conditione, ut in posterum ab hoc gravi facinore abstineret.

XI. Cum in eadem Sacra Congregatione Secretarii munus sustineremus, Calaritanus Archiepiscopus exposuit plurimos in Sardinia conjugatos Clericos versari, qui viles artes exercebant, & gravia delicta committebant. In Sardinia morem inductum jampridem fuisse, ut uno die minores Ordines cum Subdiaconatu traderentur; hac ratione pravas consuetudines, & crimina penitus aboleri posse. Nam (inquit) Clerici sacro Ordine Subdiaconatus initiati, neque de uxore ducenda, neque de vilibus artibus exercendis amplius cogitabunt, ex quibus corruptelæ omnes dimanare soleban:. Quapropter sacræ Congregationis sententiam exposcebat.

XII. Tum nos utile futurum putavimus, si typis ederemus Dissertationem adjiciendam pagellæ, in qua de more indicantur causæ in Sacra Congregatione propositæ. Itaque congessimus illorum opiniones, qui de conferendis uno die minoribus Ordinibus, ac Subdiaconatu, & qui de consuetudine hujus rei gerendæ verba faciunt; eosque magis probavimus, qui hæc minime licere fatentur. Quare disciplinæ rationem ab Archiepiscopo Calaritano indicatam, neque consentaneam, neque tutam ostendimus: sed adhibenda esse remedia, pro cohibendis Clericis conjugatis, quæ a Tridentina Synodo præscribuntur, & a Constitutione Innocentii XIII., quæ incipit; *Apostolici ministerii*: & post Romanum Concilium impressa habetur.

XIII. Hanc dissertationem obtulimus sacræ Congregationi; Causa vero die 21. Februarii anno 1728. his verbis exposita fuit.

## CALARITANA.

*IN Diœcesi Calaritana, & aliis Regni Sardiniæ Episcopatibus, magnus est numerus Clericorum conjugatorum, & ex his plerique aut facinora committunt, aut viles artes exercent non tam in dedecus Ordinis Clericalis, quam in perturbationem jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut eorum immunitatem tueatur.*

*Plerique ex Episcopis Regni Sardiniæ usum alias habuerunt conferendi una eademque die Ordines Minores, & Subdiaconatum eisdem personis. Cumque Calaritanus Archiepiscopus putet, methodum hanc futuram esse aptam ad evellendos expositos abusus, ex quo videlicet si statim ac eodemque contextu, quo Ordinandi Primam Tonsuram, & minores recipiunt, recipiant etiam Subdiaconatum, non amplius Ordinatis modus supererit reassumendi habitum laicalem, & se convertendi ad exercendas artes Clericali charactere indignas supplicat pro facultate conferendi Primam Tonsuram, Minores Ordines, & Subdiaconatum iisdem personis una die, hoc est in quatuor temporibus, in Sabbatho Sitientes, in Sabbatho Sancto.*

*Secretarius ad calcem Folii nonnulla adnotavit; quocirca omnia erit EE. VV. decernere.*

*Primo, an sit indulgendum petitioni in casu? & quatenus negative.*

*Secundo, quid sit in casu statuendum pro abusibus supradictis eradicandis?*

Sacra Congregatio his omnibus in hunc modum respondit: *Ad primum negative. Ad secundum Archiepiscopus utatur Juris remediis, & signanter statutis in capite 6. Sessione 23. de Reformat., & aliis indicatis in Constitutione 16. impressa post Synodum Romanam.*

De his te monendum duximus.

## INSTITUTIO CVII.

*Congeruntur, ac subjiciuntur oculis Canonicorum Ecclesiis tum Metropolitanis, tum Collegiatis urbis, ac diœcesis inservientium quæcumque sancita fuerunt a Sacris Canonibus, a Tridentino Concilio, a Sacra Congregatione ejusdem Concilii interprete de servitio, quod præstare debent choro (ad quem convenire tenentur) ipsi Canonici, & Mansionarii Cathedralibus, & Collegiatis addicti. Postremo admonentur observare diligenter ejusmodi decreta, quæ ipsorum quoque Constitutionibus optime congruunt.*

I. IN hac civitate præter Capitulum Metropolitanæ, duo pariter in Collegiatis Ecclesiis constituta, & alia tria capitula in tribus Collegiatis diœcesis recensentur: plura fuisse olim numero Capitula certo constat. Quippe nos ipsi vidimus decreta Cardin. Gabrielis Palæoti, quibus Canonici Collegiatæ S. Agathæ nuncupatæ ad propriam sedem redire jubebantur; quod tamen minime accidit; nam iidem Canonicatus rationem simplicium Beneficiorum semper retinuerunt. Hujus Patriæ Annales alias Collegiatas commemorant, quæ nequaquam supersunt, eoquod Canonicatus ad simplicia Beneficia redacti fuerunt, uti de Collegiata S. Agathæ dictum est, nisi forte Canonicatus ipsi diuturnitate temporis penitus conciderint.

II. Capitulum Metropolitanæ, & Collegiatas, quæ tum in civitate, tum in Diœcesi supersunt, jampridem invisimus; de cæteris autem Capitulis, quæ interierunt, nullam prorsus curam suscepimus, eoquod supervacaneum id studium putavimus. Accedit etiam, quod hujusmodi Collegiatæ rurales plerumque fuerint, ac in diœcesi positæ. Quare cum longissimum temporis spatium effluxerit, ex quo Canonici sedes illas dimiserunt, & cum de exiguis proventibus res agatur, quemadmodum comprobant tenuissima Beneficia simplicia, quibus illi Canonicatus commutati sunt, ideo locum esse censuimus Pontificio decreto, quod etiam consilio Sacræ Congregationis (1) editum fuit, illudque Fagnanus commemorat (2); *Sanctissimus Dominus, etiam ex sententia Congregationis Concilii, declaravit, immemorabilem consuetudinem non excusare a residentia in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus. In Collegiatis autem non insignibus posse excusare, dum tamen sint rurales, prorsus destitutæ, & in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere, aut quæ adeo tenuis redditus essent, ut Canonicos aliunde non habentes unde vivant, alere non possint.*

III. Cum Metropolitanam aliasque Collegiatas civitatis, ac Diœcesis perlustravimus, diligenter investigare non omisimus, an fierent accurate omnia, quæ pertinent ad divinum cultum, & plura statuimus, quæ ad ipsum conservandum, vel augendum necessaria existimavimus. At vero, qui sacras visitationes penitus non ignorat, facili negotio cognoscet magnam ex illis dimanare utilitatem externis ædibus templorum, quæ oculis Episcopi subjiciuntur, magnum quoque disciplinæ, ac moribus emolumentum afferri, si Episcopus certo lumine deprehendat, quæ necessaria sunt; contra vero, si tenebræ ipsius oculis consulto offundantur: aut si ambigua, incertaque responsa reddantur, cum rerum examen instituitur. Quamobrem Episcopus peracta visitatione novum examen indicere, & perscrutari debet, cum præsertim diutius in eodem loco eum morari non oporteat, ne fastidium, aut etiam incommodum cæteris inferatur. Equidem nos affirmare haud possumus, in errorem adductos fuisse, cum Metropolitanam, & Collegiatas examinavimus; fatemur tamen muneri nostro non parum defuisse, tum nostram fortasse ob negligentiam, tum quia celeritate expediendi negotii urgebamur. Quapropter nobis satisfacere volentes perpauca jussa Canonicis facienda promulgamus.

IV. Arduum, ac longum opus susciperemus, si de Canonicis extra chorum sermo statueretur; nam reperenda essent, quæcumque a sacris Canonibus de moribus, & honestate Clericorum sancita fuerunt. Nam ex Canonicis sumi debet exemplum, quod universo Clero proponatur: & Clerici omnes ante oculos sibi ponant necesse est vitæ rationem, quam Canonici sequuntur. Hinc Patres Concilii, Aquenois anno 1585. celebrati, hæc scripta reliquerunt: *Quæ de vita, &*

(1) *In causa Burges anno 1573. lib. 1. Decretor. pag. 35. a terg.*
(2) *Cap. Cum omnes num. 31. de Constitutionibus.*

*te, & honestate Clericorum ab hac Synodo statuta sunt, ea omnia quam diligentissime a Canonicis observari sub iisdem, ac etiam gravioribus pœnis decernimus, cum deceat, illos ea morum integritate ornatos esse, ut nomen suum tueri, & retinere possint, ac præ aliis Clericis Canonici, seu Regulares ex observata Ecclesiasticæ disciplinæ perfectius regula nominari mereantur, a quibus cæteros studium & amorem, ac tanquam regulam Cultus Divini non pigeat accipere.*

V. Vastissimo huic pelago nos committere alienum putamus, ideoque sermonem nostrum ad ea solum redigemus, quæ in choro Canonicis præscribuntur; & primo quidem indicabimus, quæ a jure communi decernuntur; deinde ea, quæ fieri solent, ac debent a Canonicis Metropolitanæ, qui choro addicti sunt, & a reliquis Canonicis, qui Collegiatis in civitate, vel diœcesi positis adscribuntur: nihil sane temere, a nobis excogitatum in medium proferemus, uti facere semper consuevimus. Porro fatemur, non multum laboris in libris evolvendis insumpsisse; nam satis experientia compertum habemus, in rebus ejusmodi doceri a Scriptoribus ea, quæ, magis ipsis placuerint. Perpaucis sane omissis, plerique pro suis sententiis confirmandis decreta Sacrarum Congregationum afferunt, quæ nunquam condita fuerunt, aut quæ contrarium probant, aut quæ peculiaribus rationibus, & causis innituntur, ita ut generalem legem minime possint constituere: nos singularem curam impendimus, ut vera Sacræ Congregationis decreta perscrutaremur, quæ traderent rationem officii in choro persolvendi: ea profecto nos ipsi perspeximus, & non mediocri, sed utili labore descripsimus; ac, ne in dubium revocari ab ullo possent, librum Actorum, & paginam quoque nominamus, ut liceat cuique sibi satisfacere: nam si quis librum Actorum, & paginam Secretario Sacræ Congregationis indicabit, statim ab ipso exemplar decreti gratis accipiet, quod certam, firmamque habeat auctoritatem.

VI. Si quis a nobis expostulet, cur Sacræ Congregationis decreta Scriptorum opinionibus anteferamus, causa præsto est. Primo Scriptores de quæstionibus verba faciunt, illas autem Sacra Congregatio dissolvit. Secundo, cum interpretanda Tridentina Synodus plerumque sit, Summi Pontifices Sacram Congregationem ejusdem Synodi solam interpretem statuerunt. Tertio, impudentissimus esset, qui contenderet, majoris ponderis habendum esse privatum hominem qui suæ tantum mentis lumine ducitur, quam sententia præclarissimi cœtus, quem amplissimi Cardinales, Ecclesiasticæ disciplinæ, & sacrorum Canonum peritissimi constituunt. Quarto, quia *privati Scriptores nullam* indicere legem possunt, quæ sane auctoritas a Summis Pontificibus eidem Congregationi tribuitur, ut Ecclesiæ disciplinam per universum orbem amplificet. Id constat *ex* 74. *Constitutione* Sixti V., quam commemoramus (1); *Habeat itidem Congregatio auctoritatem promovendi reformationem Cleri, & Populi nedum in Urbe, & Statu Ecclesiastico temporali, sed etiam in universo Christiano orbe in his, quæ pertinent ad divinum cultum propagandum, devotionem excitandam, & mores Christiani populi ad præscriptum ejusdem Concilii componendos.* Quinto, si controversia forte exarcitatur ob ea, quæ sanciuntur, non quidem ad privatos Scriptores, sed ad ipsam Congregationem provocatio interponitur.

## §. I.

### *De onere recitandi preces in choro, quod jus commune Canonicis præscribit.*

VII. NEmo ignorat Divinum Officium a Clericis sæcularibus; qui sacris Ordinibus initiati sunt, singulis diebus esse recitandum; idemque indici Clericis Beneficio prædictis quamvis ad sacros Ordines nondum ascenderint. Quid autem Officii Divini nomine intelligatur satis percipitur *ex cap. Presbyter. De Celebratione Missarum*, ubi hæc habentur: *Si Matutini* (id Laudes etiam complectitur) *Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, & Completorii tempore nostræ servitutis officia persolvamus.* Canonici idem facere jubentur hoc solum interposito discrimine, quod alii Clerici quocumque in loco persolvere Divinum Officium possunt; Canonici vero, ut cæteri omnes, qui addicti sunt Ecclesiæ Cathedrali, aut aliis Collegiatis, ad chorum convenire, & in suis Ecclesiis idem Officium recitare omnino debent. Equidem *Can. ult. distinct.* 92. apertissime decernitur, Sacerdotem, Diaconum, aliosque Clericos alicui Ecclesiæ adscriptos, si in civitate versantur, aut quocumque loco, ubi ipsa Ecclesia posita est, ea lege teneri, ut quotidie Divinum Officium in illa celebrent; si quis autem hæc jussa facere neglexerit, & monitus ab Episcopo, non paruerit, deponendus judicatur. Porro dubitandum non est, quia hæc lex Cathedrales, & Collegiatas Ecclesias comprehendat, uti colligitur *ex Clementina, prima de celebratione Missarum*, ubi hæc traduntur: *In Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis.*

VIII. In controversia, qua disceptatur, num jure Divino, an Ecclesiastico Officium recitari debeat, opinionem veritati magis consentaneam probamus, quod nempe, ex jure Ecclesiastico illud dimanaverit, quemadmodum Suarez fuse demanstrat (2): His solum adjungimus Officium parvum B. Virginis juxta Rubricas in choro recitandum esse illis diebus, quibus feriale Officium, vel ritus simplicis præscribitur, non tamen in pervigilio Natalis Domini, neque in feriis Majoris Hebdomadæ, neque Sabbato, si Officium S. Mariæ in Sabbato contingat. Addimus etiam Defunctorum Officium esse in choro persolvendum singulis secundis feriis Adventus Domini, & Quadragesimæ, nisi tunc officium novem lectionum proponatur, aut feriæ Majoris Hebdomadæ celebrentur. Insuper idem Officium Defunctorum prima die cujuscumque mensis indicitur, nisi Officium novem lectionum id impediat; tunc enim in aliam diem minime impeditam illud transfertur. Postremo adjicimus juxta rubricas eadem tempore Quadragesimæ Psalmos Graduales feria quarta, Pœnitentiales autem feria sexta recitandos esse, quoties Officium de feria Quadragesimæ contigerit.

IX. Hæc de recitandis precibus Rubricæ constituunt: Quæstio fuit olim, an Defunctorum Officium etiam extra chorum omitti possit. S. Thomas (3) censuit illud omnino præcipi Canonicis, & Clericis Beneficio præditis, qui addicti sunt choro ejus Ecclesiæ, ubi semel in hebdomada hujusmodi Officium fieri consuevit, etiam illo die minime ad chorum conveniant. S. Antoninus (4) docet ab universis, qui ad Chorum tenentur, nullo habito discrimine Officium Defunctorum etiam extra chorum debere persolvi. At S. Pius V. (5) interpretatione declarans ea, quæ in Rubricis continentur circa Officium B. Virginis, Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales, & Graduales, sanxit, onus ejusmodi non immutari pro illis, qui Breviario recenter ipsius jussu in novam formam redacto nequaquam uterentur. Reliquos autem, qui novum Breviarium sibi deligerent, si choro interesse deberent, vehementer hortatur, ne memorata Officia, ac Psalmos prætermitterent iis diebus, qui a Rubricis indicantur: atque hoc consilium, & institutum sequentibus variis Indulgentias impertivit; eos vero, qui id omitterent, peccati periculo liberos, & immunes asseruit, nisi forte Officium B. Virginis veteri consuetudine recitari in aliqua Ecclesia consueverit. Qua de re discrimen posuit inter Officium B. Virginis, & illud Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales, ac Graduales, pro quibus veterem etiam consuetudinem minime retinendam decrevit.

X. Hæc potissimum S. Pius V. constituit, quæ Suarez, & Persicus (6) compendio tradiderunt. Præcipua tamen verba Pontificiæ Constitutionis hæc sunt: *Quod vero in Rubricis nostri hujus Officii præscribitur, quibus diebus Officium Beatæ Mariæ semper Virginis, item Defunctorum, item septem Psalmos Pœnitentiales, & Graduales dici, & psalli oporteat, nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus; verum debito providentiæ Pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur, ut remissionem nostram, quantum fieri potuerit, sua devotione, ac diligentia præcurrentes, illis etiam precibus, suffragiis, & laudibus, suæ, & aliorum saluti consulere studeant. Ac, ut fidelium voluntas, ac studium magis etiam ad*

(1) *Tom. 2. Bull. Rom. Congregat. 8.* (2) *De Religione to. 2. lib. 4. de Horis Canonicis cap. 16.*
(3) *In quodlib. 6. quæst. 5. Art. 8.* (4) *In 3. part. tit. 13. cap. 4. §. 3.*
(5) *In sua Constit. 64.* (6) *De Religione tom. 2. lib. 4. cap. 13. num. 13. & seq. De Horis Canonicis cap. 3. dub. 7. pag. 106. & seqq.*

*ad hanc salutarem consuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei misericordia, Beatorumque Petri, & Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisi, omnibus, qui illis ipsis diebus in Rubricis præfinitis, Beatæ Mariæ, vel Defunctorum Officium dixerint, toties centum dies, qui vero septem Psalmos, vel Graduales, quinquaginta de injuncta ipsis pœnitentia relaxamus*: & paulo post: *Hoc autem concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum Beatæ Mariæ semper Virginis in Choro dici consueverat, ita ut in prædictis Ecclesiis servetur ipsa sancta & laudabilis consuetudo celebrandi more solito prædictum officium.*

## §. II.

### *De Missa Conventuali juxta jus commune.*

XI. QUod si Missæ Sacrificium inter horas Canonicas haud referatur, tamen Officii Divini nomine satis intelligitur, uti *constat ex Canone de iis, distinct.* 12. *Ceterum Officia publica, id est Vesperas, Matutinum, sive Missam, aliter, quam in principali Ecclesia, celebrare non liceat.*

XII. Quapropter cum in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Divinum Officium quotidie indicatur, etiam Missa conventualis quotidie celebranda est: *Quidam in Cathedralibus*, (inquit Honorius III.) *vel Conventualibus Ecclesiis prætextu Missæ semel in die pro Anniversario celebrandæ sacra Missarum solemnia, quæ ratione dici, vel Festi solent solemnius celebrari, culpabili negligentia pretermittunt. Cum ergo* (prosequitur Pontifex) *Ecclesia Gallicana per Dei gratiam tanquam lucerna super candelabrum posita luceat aliis per exemplum*: jussit fieri Sacrum Conventuale: *Quatenus universi, & singuli provide attendentes, quod servire Deo, regnare est, nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus & pro Anniversariis defunctorum, & pro Festo, vel feria, secundum temporum congruentiam, Missarum solemnia & conventualiter celebretis, & factatis conventualiter celebrari.* Hæc habentur *capite: Cum Creatura, De celebrat. Missar.*, ac melius etiam idem deprehenditur ex ipso textu in quinta Collectione Decretalium, quam Innocentius Cironius in lucem evulgavit.

XIII. Præter Missam conventualem quotidie celebrandam, Rubricæ secundam, ac tertiam pariter Missam conventualem præcipiunt, quæ certis anni diebus contingunt. Si officium novem lectionum fiat in Quadragesimæ, Rogationum, quatuor temporum, ac vigiliarum feriis, tunc duo Sacra conventualia jubentur, unum nempe pro celebritate diei post Tertiam, alterum pro Feria post Nonam; si inter octavam Corporis Christi pervigilium accidat, etiam duo Sacra statuenda sunt, primum nempe de Octava, alterum de pervigilio. Quod si novem lectionum Officium indicatur in pervigilio Ascensionis, tria Sacra Conventualia facienda sunt, primum de Sancto illius diei post Tertiam, alterum de pervigilio post Sextam, tertium de Rogationibus post Nonam. Primo die cujusvis mensis, non tamen in adventu Domini, in Quadragesima, & Paschali tempore, nisi contingat officium duplex, aut semiduplex, Missa Defunctorum pro conventuali sufficitur, ut animæ Sacerdotum, & aliorum, qui benemeriti fuerunt, expientur. At si prima die mensis Festum simplex obveniat, aut feria, quæ propriam sibi Missam deposcat, aut si repetenda sit Missa de Dominica precedenti, nec alia dies per Hebdomadam ad illam repetendam statui possit, tunc in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis duo Sacra Conventualia, nempe pro defunctis, ac de Festo simplici, vel Feria celebrantur. Die pariter Commemorationis omnium Defunctorum habentur duo Sacra Conventualia de octava omnium Sanctorum, ac pro Fidelibus Defunctis: Hæc a Rubricis præscribuntur. Quartus (1) Rectores Ecclesiarum monet curam maximam impendere, ut ipsæ diligenter observentur: Clericatus (2) autem ostendit, nullam contrariam consuetudinem, nullum tam grave negotium auferri posse, ut ipsæ Rubricæ negligantur. Id pariter fuse demonstrat P. Meratus (3).

XIV. Cum nos civitatem, ac Diœcesim Sacra Visitatione indicta perlustravimus, forte deprehendimus nova prorsus, & inusitata plurimis videri nonnulla, de quibus sermonem instituimus. Ac primo, a Sacerdote, qui curam gerit animarum, diebus saltem Festis de præcepto Sacrum pro populo conficiendum esse. Porro his nostris Institutionibus hanc sententiam satis explicavimus, ac tum rationibus, tum auctoritatibus eam comprobavimus, & magnopere hortari sumus universos, ut hoc Institutum sequerentur: sed utinam non perpauci, sed omnes Parochi, ac potissimum Regulares id facerent, nec futiles ob causas, atque indecora consilia præceptum Ecclesiasticum impudenter conculcarent. Secundo, diximus pro iis, qui Beneficia contulerint generatim attribuendum esse fructum Sacrificii Conventualis, quod singulis diebus celebratur.

XV. De hoc verba faciemus, breviter tamen, eo quod sermonem alias habuimus de eodem argumento, ut paulo inferius indicabimus. Equidem Ecclesia curam, perpetuumque studium ostendit de præstando suffragio Fundatoribus, ac benefactoribus, quamvis diuturnum temporis spatium jam intercesserit, nec ipsi supremis tabulis id cogitaverint, ut gratum animum in suis fidelibus Ecclesia tueatur. Hinc Cathedralibus, ac Collegiatis Conventuale Sacrum quotidie præcipit ea lege, & conditione, ut ipsum pro benefactoribus generatim conficiatur. Quapropter Ecclesiæ jusso non obtemperat, qui pro legato aliquo peculiari, vel pro stipendio accepto Sacrum conventuale Deo operatur. Si quis addictus choro, animarum curam pariter obtineat, & ob eam causam diebus Festis pro populo rem divinam facere debeat, falso speraret utrique præcepto satisfacere, celebrans nempe eamdem Missam pro populo, ac pro benefactoribus suæ Cathedralis, aut Collegiatæ. Quare decrevit Ecclesia a Sacerdote ejusmodi, si Sacrum conventuale faciat, tanquam Canonicus, aut Beneficiatus, rem Divinam pro benefactoribus generatim applicandam, & alium Sacerdotem accersendum eodem die, qui pro populo celebret. Compertam quoque habuit Ecclesia falsam illam rationem, quæ ex immemorabili consuetudine desumitur, & eam nihili æstimandam declaravit. Insuper respondit sapienter paupertatem Ecclesiæ alicujus Cathedralis, vel Collegiatæ in medium proferentibus; nam ratione paupertatis habita, permisit diebus solum Festis celebrari pro benefactoribus generatim Sacrum Conventuale, quod esset quotidie faciendum. Hoc autem præcepto neminem unquam Ecclesia fecit immunem, ac liberum, nisi cum apertissime manifestum fuit aliquam Ecclesiam haud recenseri inter Collegiatas, sed (ut ajunt) *inter receptitias, aut Communales*, quamvis in ipsa Horæ Canonicæ quotidie persolvantur, & Missa cum cantu habeatur. Insuper declaratum nunquam fuit, utrum plures Missæ Conventuales, quæ aliquando a Rubricis uno die statuuntur, omnes pro benefactoribus, an una tantum celebrari, & applicari debeat. Quod si a nobis petatur quonam loco scriptum sit hoc præceptum Ecclesiasticum, respondebimus ipsum desumi ex antiquis, mediis, ac recentibus Decretis Sac. Congregationis Concilii, Pontificum auctoritate confirmatis, quibus in utroque foro parendum est. Porro ipsa Decreta hoc loco minime recensemus; nam ea plene commemoravimus *in libro Adnotationum pro Festis Domini, Beatæ Virginis, ac pro Missæ Sacrificio* (4), quem librum pro juvandis nostris Ecclesiasticis in lucem edidimus.

## §. III.

### *De onere, quod jus commune Canonicis præscribit, ut Horas Canonicas voce, & cantu pronuncient, quemadmodum fieri solet in choro, & qua ratione sibi satisfacere possint alium loco suo sufficientes.*

XVI. PUtaverunt aliqui eam legem propositam esse Canonicis, ut in chorum convenirent, Divinisque Officiis interessent, non vero, ut voce sua sequerentur; cantum, quo Mansionarii, & Cappellani Canonicas Horas persolvunt; quare silentio totum illud tempus conterere Canonicis permittunt, & comparari simulachris, quæ muta suis in sedibus immorantur. Percepimus hanc falsam opinionem evulgatam ab illis fuisse, qui sapientiæ laudem sibi vindicare contendunt. Alio loco tamen hunc errorem contrarium legibus hujus Metropolitanæ, & aliarum Collegiatarum ostendemus; sed ad jus commune veniamus. S. Pius V. silentium

(1) *In suis Comment. in Rubric. Miss. tit.* 5. (2) *De Sacrificio decis.* 38. *num.* 13. *& seq.*
(3) *In Gavant. part.* 2. *tom.* 1. *pag.* 783. *& seqq.* (4) *Tom.* 2. *part.* 4. *sess.* 2. §. 59. *& seq.*

tium ejuſmodi vehementer improbat (1), qui Concilium Lateranenſe declarans, ubi fructus Beneficii reſtituendi decernuntur ab iis, qui Divinum Officium omittunt, eamdem pœnam incidit, *tametſi aliquis choro addictus, non reſidens, omnibus Horis Canonicis cum aliis preſens adſit, fructuſque, & diſtributiones forte aliter aſſignatas ſola præſentia juxta Statuta fundationis, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat*. Addimus etiam hoc ſilentium, dum Horæ Canonicæ recitantur ab aliis, adverſari Decreto Concilii Tridentini (2), in quo de Canonicis ita ſancitur: *Omnes vero Divina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire Officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtere, inſervire, atque in choro ad pſallendum inſtituto hymnis & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare*. Adjungimus pariter ſæpius decretum fuiſſe a Sac. Congregatione ejuſdem Concilii interprete nullius ponderis habendam eſſe contrariam conſuetudinem, neque fungi munere ſuo Canonicos, qui taceant in choro, neque diſtributionum fieri participes: *Sacra &c.* (3) *ſæpius reſpondit, Canonicos in choro teneri omnino pſallere, alioquin obligationi ſuæ non ſatisfacere* Item alio loco: *Sacra &c.* (4) *reſpondit, Canonicos in choro alta voce non pſallentes, diſtributiones quotidianas non lucrari, quavis conſuetudine non obſtante*. Si quis expetet omnes percurrere ſententias, ob quas adiguntur Canonici, & reliqui in chorum venientes Cantum Gregorianum addiſcere, ut muneri huic ſuo ſatisfaciant, pagellam intueatur, quam Secretarius *in cauſa Murana Manſionariæ die 19. Novembris anno 1735.* Sacræ obtulit Congregationi promulgarunt, ſapientia fortaſſe præferendos eſſe Patribus, qui Concilium Colonienſe ſub Paulo III. celebrarunt: *Statis ergo* (inquiunt) *ad debitis horis Laudes Divinæ, non curſim ac feſtinantes, ſed tractim, non truncate, ſed integre, diſtincte, devote, reverenterque ab omnibus decantentur, perſolvanturque: & cum pſallendi gratia conveniatur, ibidem muta, aut clauſa labia nemo tenuerit; ſed pariter ſenes cum junioribus laudent nomen Domini in Pſalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulantes: ſic tamen, ne lætus confundat recitationem &c. Quam autem vero aberrant, qui exiſtimant, ſe ſe non alicujus officii cauſa in Eccleſia exercendi, ſed quoties & inertiæ tantum cauſa Canonicatus eſſe adeptos, perinde atque ſatis ſit, paucis quibuſdam Clericis admodum ignaris, tenui pretio conductis, curam Divini officii committi, quod deinde hujuſmodi mercenarii non ſervatis temporum interſtitiis ſyncopando tranſcurrunt, interim ipſis Canonicis tota vita torpentibus*. Illi fortaſſe Patres Concilii Cameracenſis doctrina longe ſuperarunt, qui ſub Paulo IV. ita ſtatuerunt: *In choro cum pſallitur, Canonici omnes, qui in choro fuerint, & Sacellani pſallent, nec ſint in ſedibus otioſi, nec putent ſe functos officio, ſi vicaria tantum opera cultum Divinum celebrari curent, modo tamen pſallere per valetudinem queant*. Conſulant igitur, qui contrarium putant, Fagnanum (5), conſulant Paſſarinum (6) Romanæ Curiæ peritiſſimum, qui & divinis Officiis intereſſe, & cum aliis canere debeant, ita ſermonem abſolvit: *Sic ergo puerile eſt, immo ſacrilegum, & contra juſtitiam virtutis religionis, imaginari, quod deputatus ad hoc, ut veniat ad Eccleſiam & chorum, ad quotidianum pſallendum Officium matutinis & veſpertinis horis, ſatisfaciat deputationi, ſi ad Eccleſiam veniat ad chorum, & ibi non pſallat, ſed otioſus maneat, vel quodcumque aliud faciat*.

XVII. Ex illis Tridentini Concilii verbis: *Omnes vero Divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire Officia*, ſi generatim intelligantur, hæc neceſſario conſequi debent, Canonicum muneri ſuo deeſſe, ſi ſolum Manſionarium, aut Cappellanum pſallere in choro permittat; haud licere Canonico, vel Beneficiario abeſſe choro, aliumque Sacerdotem, vel Clericum loco ſuo ſubrogare, quæ ſane omnia veritati penitus congruunt, ſed illud etiam ex iiſdem verbis ſequitur haud licitum eſſe Canonico, vel Manſionario, ad quos pertinet intereſſe choro (ubi nempe Divinum Officium a tertia parte, vel a dimidio Capituli perſolvi conſuevit) chorum negligere, aliumque Canonicum a Canonico, vel Manſionarium a Manſionario ſubrogari, quamvis ii, qui ſubſtituuntur a choro liberi, & immunes tunc fuerint: verum id nimis ad ſeveritatem accedit; ideoque ſtatuendum videtur hoc ipſum Decreto Conciliari, quod ſuperius expoſuimus, minime comprehendi. Ita reſpondit Sacra Congregatio die 15. Decembris anno 1605. (7); *Sacra &c. ſæpius declaravit, Decreto capitis 12. verſ. Omnes, non eſſe ſublatam Capitularibus facultatem ſe ſe invicem ſubſtituendi, dummodo eodem tempore ſubſtituens & ſubſtitutus eidem ſervitio adſtricti non ſint*. Quaſque tamen leges facere pro hit ſubſtitutionibus dirigendis eadem Congregatio non prætermiſit: Primo, ne ſubſtitutus ipſe ad chorum venire deberet illis diebus, quibus in locum alterius ſufficitur; ſecundo, ne id frequenter contingat; tertio, ut ſubrogentur Canonici ſolum, vel Manſionarii præſentes in Civitate, non vero, qui extra illam, vel extra ſuburbia verſantur; Ultimo, ne hanc facultatem alterius ſubſtituendi obtineant, nili Canonici, vel Manſionarii, non autem ipſorum Coadjutores, qui nec reipſa Canonici, neque Manſionarii nuncupari poſſunt.

XVIII. Hæc omnia ſumuntur ex Decretis Sacræ Congregationis, quæ inferius ſubjiciemus. Equidem die 12. Decembris anno 1643. & 2. Decembris anno 1644. (8) poſtquam aſſeruit concedi poſſe ab Epiſcopo facultatem, ut Canonicus choro addictus alium ex Collegis ſuis tunc immunem, ac liberum ſufficiat, ac diſtributiones aſſequatur; hæc deinde ſuperaddit: *Ita tamen, ut hujuſmodi facultate ſubſtituendi non abutantur, & Canonicus ſubſtituens ſit præſens in Civitate*. Inſuper die 24. Martii anno 1612. ita conſtituit (9) *Sacra Congregatio reſpondit ad primum, eos tantum, qui in civitate, ubi eſt Cathedralis, vel in ejus ſuburbiis ſunt præſentes, non autem alios poſſe ſubſtituere. Ad ſecundum, cauſam non requiri ad ſubſtituendum. Quod vero monuit Congregatio, ut Epiſcopo cordi ſit, ne Canonici ea ſubſtituendi facultate abutantur, eo reſpexit, ne ſubſtitutiones hujuſmodi ſint nimium frequentes, quod Epiſcopi erit arbitrio. Ad quartum, abſentes in caſtro Diœceſis non poſſe ſubſtituere*. Item die 22. Martii anno 1721. (10), cum non ipſi Secretarii munus ageremus, petitum fuit: *An Canonici, & Capitulares Eccleſiæ Cathedralis Fulginatenſis abſentes a civitate, ejuſque ſuburbiis, poſſint ſeſe invicem ſubſtituere in ſervitio chori?* Sacra Congregatio reſpondit *Negative* Tandem die 26. Februarii anno 1650. hæc ſancita habentur (11): *Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Caſertanæ exponens, in dicta Eccleſia extare decem & octo Canonicos, qui legitime impediti, de conſuetudine invicem ſe ſubſtituunt diebus, quibus ſubſtituti non ſunt ſervitio adſtricti cumque Archidiaconus ejuſdem obtinuerit a Sede Apoſtolica Coadjutorem, qui prætendit poſſe uti eodem privilegio ſubſtituendi, ideo ſupplicat pro declaratione. Sacra &c. reſpondit: Coadjutorem uti non poſſe privilegio alium ſubſtituendi*.

## §. IV.

### *De loco, ac tempore, quo Canonici, & reliqui choro addicti convenire debent ex jure communi, ut Canonicas horas perſolvant.*

XIX. Poſtquam generatim percurrimus onera illorum, qui alicujus Cathedralis: aut Collegiatæ choro adſcribuntur, opus eſt cætera recenſere, quæ ipſa onera comitari debent, ut nihil omnino deeſſe videatur. De loco primum verba faciemus, nempe de choro Eccleſiæ, qui (uti cognitum eſt omnibus) ad laudes divinas canendas præfinitur; ſed adverti debent, quæ S. Carolus Borromæus admonuit (12); *Matutinum in choro Eccleſiæ celebretur quovis anni tempore. At ſi tamen vehementia frigora ſint, vel aliæ juſtæ cauſæ intercedant, de licentia Epiſcopi in Sacriſtia, vel honeſto alio ejus Eccleſiæ loco dici poſſit*. Idem probavit Sacra Congregatio Concilii die 18. Novemb. 1645. in cauſa Florentina *lib. 17. Decretorum pag. 526. Videatur, an expediat tempore hyemali chorum adaptari in aliqua Capella ejuſdem Eccleſiæ, in qua commodius pro conſervatione ſanitatis Divina Officia celebrentur*.

XX. De

---

(1) *In ſua Conſtitut. 25. tom. 2. Bull. Rom.* (2) *In ſeſſ. 24. cap. 12. de Reformat.* (3) *Die 13. Jan. anno 1619. lib. 12. Decret. pag. 1.* (4) *In cauſa Vicent. propoſit. die 7. Jun. an. 1626. lib. 15. Decretor. pag. 565. a terg.*
(5) *Cap. licet. n. 89. de Præbendis.* (6) *Cap. Conſuetudinem regul. 3. num. 28. de Clericis non reſidentibus in ſexto.*
(7) *In cauſa Eugub. l. 10. decret. pag. 142.* (8) *In cauſa Aquil. l. 17. decret. p. 265. & pag. 390.*
(9) *In cauſa Alat. tom. 11. decret. pag. 112.* (10) *In cauſa Fulgin.*
(11) *In cauſa Caſert. l. 18. decret. p. 19. a terg.* (12) *Part. 2.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

XX. De tempore celebrandi Divini Officii antequam pauca dicamus, afferre liceat, quæ Cardinalis Bona de primis Ecclesiæ Fidelibus scripta reliquit (1): *Olim Christiani tribus primis vigiliis, tres Nocturnos divisim, quarta vero vigilia Laudes recitabant. Tantus erat ardor charitatis, ut quater in nocte surgerent ad orationem: prima vigilia ad primum nocturnum, secunda ad secundum, tertia ad tertium, quarta ad Laudes persolvendas, vel omnes simul, vel divisi in cohortes.* Sed in feriis, cum Matutinum uno solum Nocturno constabat, illud fideles initio tertiæ Vigiliæ, nempe media nocte decantabant. Alio loco ducti auctoritate Amalarii nos animadvertimus ex more Romano Matutinum a laudibus sejungi non consuevisse, nisi in Nocte Natalis Domini; sed absoluto Matutino Laudibus initium dari solitum (2). Quapropter, ut sacræ vetustatis memoria saltem retineretur, cum Fideles *quater in nocte surgerent ad Orationem*, inducta fuit disciplina, quæ nunc etiam constans est, ut quidam Monachi in Ecclesia vigilia noctis, alii vero secunda, alii tertia, & plures etiam quarta vigilia Matutino, & Laudibus vacent (3). Equidem Clero sæculari tempus mediæ noctis ad Matutinum canendum indicitur, *Nam cap. Presbyter. de celebrat. Miss.* ita legitur; *De nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam: ergo his temporibus laudes Creatori nostro super judicia suæ justitiæ referamus.* Porro Metropolitana Parisiensis, & Cathedrales Segobien., & Chonchen., & quædam pariter Ecclesiæ in Italia hanc legem, & institutum adhuc conservant. Cum tamen eam partem noctis, quæ ad auroram pertingit, mediæ noctis spatio contineri S. Thomas docuerit (4), hinc Matutinum suo tempore statuitur, si aurora surgente persolutum ipsum fuerit, videlicet, si circiter horæ spatium ad ortum solis supersit: ita scribit Azorius (5). & S. Carolus Borromæus (6) in primo Concilio Provinciali ita pariter decernit: *Matutinum Officium vel media nocte, vel saltem eo tempore instituatur, ut sub ortum solis absolutum sit*, Quamobrem tempus recitandæ Primæ a jure Pontificio designatur post horam ab ortu solis, uti deprehenditur ex hymno, qui tum canitur: *Jam lucis orto sidere*; post horam tertiam ab ortu solis tempus Tertiæ præscribitur; meridies autem ad Sextam canendam instituitur; hora tertia post meridiem Nonæ tribuitur; Vesperis autem hora duodecima post ortum Solis; completorium indicitur, cum post occasum Solis nox jam apparet: Tempus ad celebrandum Sacrum Conventuale nunc post Tertiam, nunc vero post Nonam constituitur. Hinc fortasse contigit, ut tempora pro Sexta, Nona, Vesperis, & Completorio olim proposita immutata fuerint, quamvis Matutinum, Prima, ac Tertia idem tempus retineant, quod superius indicavimus. Equidem id exemplo comprobamus: Capitulum novæ Carthaginis media nocte Matutinum canere consueverat; sed ob pestem, quæ in Civitate grassabatur, id facere intermiserat. Postremo cœlo expurgato, sublataque lue plures Canonici studio religionis adducti dubitare cœperunt, an indicti sub auroram Matutinum deberet, quemadmodum jam diuturna consuetudo obtinuerat: Tum Sacra Concilii Congregatio varias ob causas Pontifici consilium dedit, ut in posterum liceret illis Canonicis sub auroram ad Matutinum convenire, idque peculiari Sedis Apostolicæ diplomate obsignare, tanquam si postremos limites attingeret, ad quos Apostolica indulgentia devenire queat. Hæc habentur in Decreto, quod editum fuit die 27. Novembris anno 1690. (7).

XXI. Sed redeamus ad propositum argumentum, videlicet, an Matutinum & Laudes insequentis diei post Vesperas, & Completorium precedentis recitare liceat? Profecto S. Thomas (8) id permittit illis, qui choro nequaquam addicti sunt, si justa causa intercedat: *Quantum ad contractus* (inquit), *& alia hujusmodi, dies incipit a media nocte, sed quantum ad Ecclesiasticum Officium, & Solemnitatum celebritatem, incipit dies a vesperis; unde si aliquis post Vesperas, & Completorium dicat Matutinum, jam hoc pertinet ad diem sequentem.* Eamdem doctrinam Azorius sapienter illustravit (9): *Doctrina igitur, & sententia Sancti Thomæ illa mihi simplicior, & planior videtur esse, ut nocturnum Officium non quidem Jure communi, sed consuetudine, & usu pro more Patriæ, seu Provinciæ cujuspiam persolvi queat a Clericis privatim, statim atque Vespertina, & Completa recitata fuerint eo tempore, quo de more persolvuntur, tribus videlicet, duabusve horis post meridiem elapsis.*

XXII. At vero de Matutino, & Laudibus, quas in Choro persolvere debent Canonici Cathedralibus, seu Collegiatis cooptati, hæc statuuntur in Clementina *tit. de celebrat. Missar. Sancimus, ut ii, ad quos pertinet, omni negligentia, ac incuria relegata, ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis horis debitis psallatur, sollicitam curent diligentiam adhibere.* Porro illud verissimum est, quod S. Carolus Borromæus scriptum reliquit de Matutini tempore (10) *Matutinum vesperi non dicatur, exceptis tamen diebus octavæ festi solemnis Domini nostri Jesu Christi, cæterisque diebus, quibus ex Romanæ Ecclesiæ Instituto est permissum.* Quæ cum ita sint Braschius in hunc modum tradidit (11): *Matutinum in Cathedrali, Collegiatis receptitiis, & Choralibus Ecclesiis persolvi mandet Episcopus mane diei propriæ, non autem sero precedenti post Vesperas, & Completorium, nisi forte quandoque justa causa concurrente judicaverit esse dispensandum ad tempus, ut secus fiat. Causæ, propter quas valeat dispensare, sunt præsertim ob hyemis rigorem, item propter aeris intemperiem, adhuc & propter inolitam consuetudinem, vel ob aliam honestam rationem, quæ prudentis viri judicio sufficere videatur. Verum hac in re non nisi caute admodum procedere oportet.* Equidem Sacra Congregatio die 12. Novembris anno 1644. facultatem tribuit Matutini recitandi post Completorium; id tamen auctoritati, arbitrioque Episcopi relinquendum judicavit (12): *Sacra &c. censuit, petitam facultatem recitandi Matutinum, esse Oratoribus concedendam post Completorium precedentis diei, pro arbitrio tamen Episcopi, & dummodo lapsa sit hora tertia post meridiem.* Quisquis in mentem revocare facile potest gravissimum dissidium, quod excitatum fuit inter Episcopum Papiensem, ejusque Capitulum, quod libere, & reluctante Episcopo contendebat uti facultate, quam a Sacra Congregatione Concilii obtinuerat, ut certis anni temporibus Matutinum Officium post Completorium recitaret, etiamsi facultas eadem arbitrio Episcopi permissa fuisset. Quam sane controversiam Benedictus XIII. composuit diplomate Apostolico, quod die 8. Julii anno 1726. promulgavit: *Quod igitur Dignitates, & Canonicos illos primum a Beneficio ad mensem, deinde a Divinis suspenderis eo quod Matutinum Officium te contradicente, ac vetante recitare ausi fuerint post vespertinas horas antecedentis diei, obtentu interpositæ appellationis, & rescripti Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum, laudamus consilium zelumque Fraternitatis tuæ &c. Propterea cum ex antedicta Matutini Officii recitatione ansam repugnandi arripuerint Canonici, per præsentes etiam Litteras declaramus, tuæ auctoritati hactenus fuisse, semperque fore decernimus, potestatem iisdem Canonicis facere, sive licentiam impertiri, quoties, & quamdiu tibi opportunum videbitur, antevertendi, statutis recitationis temporibus.*

XXIII. A proposito argumento minime recedimus, quamvis paulisper digrediamur, ut tempus declaremus, quo Canonici, Beneficiati, aut Mansionarii versari in Choro debent, ne tanquam absentes notentur, sed tanquam præsentes jure merito distributiones percipiant. Pravæ sane consuetudines invaluerunt, quæ, uti moris est, diuturnitate temporis corroborantur. Sanctus Carolus ita sanxit (13): *Si quis non venerit ad Matutinum ante finem Capituli de Beata Virgine, cum de ipsa Officium celebratur, alioqui ante finem Psalmi, Venite exultemus, in aliis etiam Horis ante finem primi Psalmi, pro absente habeatur; illiusque Horæ distributione careat. In Missa vero nisi venerit ante finem ultimi Kyrie eleison, eamdem negligentiæ pœnam subeat.*

---

(1) *In suo Tract. de Divina Psalmodia c. 4. §. 3. num. 2.* (2) *Institut. 24. num. 9.*
(3) *Vvalden. tom. 3. de Sacramentalibus tit. 3. de Horis Canonicis cap. 4. num. 4. Card. Bellarminus tom. 4. Controv. lib. 1. de bonis operib. in particulari capit. 11.* (4) *In 3. par. quæst. 51. art. 4. Ad secundum.*
(5) *Institut. Moral. par. 1. lib. 10. cap. 9. quæst. 2.* (6) *Part. 2.* (7) *Lib. 22. Decret. pag. 349.*
(8) *Quodlibet. 5. quæst. 13. art. 28.* (9) *Instit. Moral. tom. 1. lib. 10. cap. 9. quæst. 5.*
(10) *In Concilio primo Provinciali Mediolanen. par. 2.* (11) *In suo Promptuario Synodali cap. 86. num. 18. & seq.*
(12) *Lib. 17. Decret. pag. 379.* (13) *In Conc. Provinc. Mediolan. par. 2.*

*beat*. Cum Episcopus Interamnensis Cathedralem suam inviseret, plurima contra disciplinam, & leges Chori deprehendit, quæ statim subjiciemus: ac pro illis, licet pravis ulibus retinendis, immemorabilis consuetudo in medium proferebatur. Itaque Sacræ Congregationi Concilii rem totam exposuit, & responsa inferius addenda suscepit.

## INTERAMNEN.

*IN Visitatione suæ Cathedralis Ecclesiæ reperit Dominus Episcopus Interamnensis nonnullos abusus circa servitium Chori, quos cum eliminare cupiat, supplex quærit ex hac Sacra Congregatione, An tolerandum sit.*

*Primo quod diebus festis Matutino præsentes habeantur, ac proinde punctis non mulctentur, qui non nisi absoluto primo Nocturno, videlicet post Psalmos tres, totidemque Lectiones recitatas, Choro interfint?*

*Secundo, diebus vero ferialibus, qui nonnisi absolutis sex Psalmis.*

*Tertio, quod sacris Processionibus distributiones assignatæ non sint sed contra contumaces pœna dumtaxat trium librarum cereæ constituta, quæ nunquam exigi consuevit?*

*Quarto, & an prænarratus modus interveniendi possit etiam ratione consuetudinis immemorabilis tolerari?*

*Sacra &c. ad primum respondit, non esse tolerandum.*

*Idem ad secundum respondit.*

*Ad tertium respondit, exigendam esse pœnam præscriptam.*

*Ad quartum, non suffragari contrariam consuetudinem.*

Ita Decretum fuit die 24. Maji anno 1674. (1), ex hisque facile conjicitur, quale responsum dedisset Sacra Congregatio, si cognitum a nobis, compertumque percepisset, cum in hanc Sedem pervenimus, in Choro cujusdam Ecclesiæ nobis subjectæ haud consuevisse notari tanquam absentes, nisi illos, qui nondum ad Chorum accessissent, cum *Te Deum laudamus* inchoaretur.

### V.

*De ratione recitandi in Choro Canonicas Horas, & assistendi Missæ Conventuali.*

XXIV. POstquam multos perlegimus, qui argumentum hoc perspicue declarant, neminem invenimus, qui Clementi XI. possit comparari. Præclarissimus hic Pontifex anno 1703., nempe initio fere sui Pontificatus, litteras dedit ad Episcopos Italiæ, Insularumque adjacentium, quas ipsius jussu sacra Congregatio pro Episcoporum, & Regularium causis constituta promulgavit (2): *Jubet Sanctitas sua* (inquit), *ut plurimum commendes Canonicis, Beneficiariis, Mansionariis, Cappellanis, aliisque Choro inservientibus tum in ipsa Cathedrali, tum in Collegiatis tuæ Diœcesis, commendet inquam, gravissimum onus, quod illis præscribitur dum in Chorum conveniunt, nempe, ut modestiam, & silentium decenter in eo loco præsefevant, quemadmodum illos decet maxime, qui ante conspectum Majestatis Divinæ versantur; ut psallant magno pietatis studio, vocibus apte comparatis, haud festinanter, nullisque præcisis vocabulis, ita ut pars Chori haud canere incipiat, cum pars altera cantum nondum absolvit, ut hac ratione populus intelligat divinas Laudes, & ad pietatem, ac Religionem ex ipsarum cantu moveatur.*

XXV. Itaque Pontifex Canonicos ad silentium, observantiam, & modestiam hortatur. Quare illud sequitur haud licitum esse confabulare, somno indulgere, epistolis, aut libris legendis tempus conterere, ac divinum Officium privatim recitare, cum ipsum in Choro ab universo cœtu persolvitur. In Concilio Basileæ *sess.* 21. *cap.* 3. ita sancitur: *Nemo dum Horæ Canonicæ in communi publice cantatur, legat, vel dicat privatim Officium: nam non solum obsequium, quo obnoxius est Choro, subtrahit, sed alios psallentes perturbat.* Insuper in Concilio Avenionensi Patres ita statuere: (3) *Nullus Canonicus, nec Beneficiatus, neque alius Clericus inter canendum dormiat, nugetur, litteras, aut libros legat, Officium privatim recitet, per Chorum vagetur, indecore sedeat, quidquamve faciat, aut loquatur, quod Chori disciplinam, & psallentium devotionem perturbet.* Idem in Narbonensi (4): *In Choro colloqui non permittantur, non dormiat aliquis, non nugetur, litteras, aut libros non legat, Officium privatim non recitet.* Idem S. Carolus Borromæus suos docuit (5): *Ne in Choro, ubi communi Officio operadatur, privatim Officium dicant, neve litteras, libros aliave scripta legant.* Navarrus autem illud etiam affirmat (6): *Secundo infero, peccare etiam eos, qui Horis admiscent jocos, & risus, cachinos, aut impertinentia negotia, scandalizando cæteros, & alienando aliorum mentes a cogitatu Divinorum, & spiritualium.* Sed potissimum adverti debet id quod Persicus exponit (7) *An Canonici confabulantes in Choro, teneantur ad restitutionem distributionum quotidianarum? Omnes conveniunt, peccare, mortaliter, sed disputatur, an teneantur ad restitutionem: & probabilior sententia est, teneri, quia revera dici non potest formaliter præsens alicui rei, qui aliud attendit.*

XXVI. Secundo Pontifex monet, ut Canonici *psallant magno pietatis studio, & vocibus apte comparatis.* Hoc postremum antea quoque admonuerat Joannes XXII. (8): *Modesta*, inquit, *psallentium gravitas, placida modulatione decantet.* Pietatis vero studium esse necessarium S. Thomas his verbis demonstrat (9): *Triplex est attentio, quæ orationi vocali potest adhiberi: una quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret; secunda, qua attenditur ad sensum verborum; tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem, pro qua oratur, quæ quidem est maxime necessaria, & hanc etiam possunt habere idiotæ; & quandoque intantum abundat hæc intentio, qua mens fertur in Deum, ut etiam aliorum omnium mens obliviscatur.* Cardinalis Bellarminus idem comprobat explicans Decretalem *Dolentes de celebratione Missar.* (10), editam in Concilio Lateranensi, de qua paulo inferius sermonem faciemus: *Devotio* (inquit) *quam in Officio Divino rite persolvendo exigit Generale Concilium Lateranense, unde extat caput Dolentes, de celebrat. Missar. partim est interna, partim est interna, partim externa. Interna devotio est promptitudo quædam animi ad Deum laudandum, ac precandum, quam certe non habent, qui cum tædio ad hoc munus accedunt, vel de prolixitate facile queruntur. Devotio externa est promptitudo ad genua flectenda, ad standum, ad canendum, & alia id genus præstanda.*

XXVII. Tertio, Pontifex deposcit, ne Officium festinanter recitetur, nullisque præcisis vocabulis. Porro hoc idem est, ac illud *syncopare*, quod veritum fuit eadem Decretali *Dolentes*, quam modo nominavimus, & Clementina prima: (11) uti S. Antoninus declarat (12): *Secunda negligentia est, quando dicuntur Horæ syncopando, dimittendo videlicet vel verba, vel versus, vel syllabas.* Quare, ut negligentiæ labes ejusmodi vitetur, aptissimum illud remedium est, quod in Concilio Basileæ propositum fuit (13): *Divinæ laudes per singulas horas, non cursim, ac festinanter, sed tractim, & cum pausa decenti, præsertim in medio cujuslibet versiculi Psalmi, debitam faciendo inter solemne, & feriale Officium differentiam, reverenter persolvantur.* Idem prorsus indicitur a Senonensi Concilio (14): *Laudes Divinæ per singulas horas, non cursim, ac festinanter, sed tractim cum pausa decenti (præsertim in medio cujuslibet versiculi Psalmorum) reverenter ab omnibus persolvantur.* Additi vero sunt Asterisci in medio cujuslibet versiculi, ut facilius hoc bonum comparetur, utque canentes certis veluti notis admoniti paululum subsisterent, tantumque unanimes moderarentur (15): *Canentium commoditati*, (inquit Urbanus VIII.) *ob quam interpunctio mutata interdum fuerat, additis asteriscis, consultum est.* Idem subdunt Rubricæ Breviarii: *Additus est asteriscus, ut sit nota musicæ partitionis in medio versuum.*

XXVIII. Post hæc Clemens XI. ita prosequitur: *Ita ut pars Chori haud canere incipiat, cum pars altera cantum non-*

(1) *Lib.* 14. *Decr. pag.* 143. (2) *In Bull. pag.* 329. (3) *Anno* 1594. *cap.* 34. (4) *Anno* 1609. *cap.* 30.
(5) *In Conc. Provinc. Mediolan. part.* 2. *cap.* 53. (6) *Cap.* 2. *de Oratione corollar.* 2. *num.* 4.
(7) *De Horis Canonicis cap.* 4. *dub.* 3. *p.* 125. *& seqq.* (8) *Extravaganti unic. de vita, & honest. Clericor.*
(9) 2. 2. *Quæst.* 82. *art.* 13. (10) *In suis Controversiis lib.* 1. *de bonis operibus in particulari cap.* 18. *in Decretali Dolentes de celebrat. Missar.* (11) *Tit. de celebrat. Missar.* (12) *In Summa part.* 3. *tit.* 9. *cap.* 3.
(13) *Sess.* 22. *tit. Quomodo Officium Divinum sit recitandum §.* 1. (14) *Anno* 1527. *cap.* 18. (15) *Cap.* 22. *num.* 8.

*nondum absolvit, ut hac ratione populus intelligat divinas Laudes, & ad pietatem, ac Religionem ex ipsarum cantu moveatur.* Si una pars Chori non expectet, donec altera versiculum suum finierit, proculdubio *transcurrere* dicitur, quod a Decretali *Dolentes, de celebratione Missar.*, & Clementina prima, quam nuper attulimus, vehementer improbatur. Equidem S. Antoninus vocabulum illud *transcurrere* declarans, hæc tradit (1): *Cum dicitur cursim, & confuse, ut unus non expectet alium in finiendo versum, ita velociter, quod ipse, vel audiens non potest percipere sensum verborum.* Qui paululum versatus est in historia rerum Sacrarum haud ignorat in Oriente primum cœpisse, ut versiculi psalmorum alternatim canerentur, idque institutum fuisse a Diodoro, ac Flaviano Laicis, deinde Episcopis; nam Diodorus Tarsensem Ecclesiam, Flavianus Antiochenam regendam acceperunt. Hanc consuetudinem S. Joannes Chrysostomus Constantinopolim primus invexit (2); deinde ab Oriente in Occidentem pervenit, cum S. Ambrosius Mediolanensem sedem teneret. Quemadmodum res contigerit S. Augustinus posteris enarrans (3): *Non longe* (inquit) *cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis, & exhortationis celebrare magno studio fratrum concinentium vocibus, & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Justina Valentiniani Regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia mori parata cum Episcopo suo Servo tuo . . . Tunc Hymni, & Psalmi, ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne Populus mœroris tædio contabesceret, institutum est, & ex illo in hodiernum retentum, multis jam, ac pene omnibus gregibus tuis, ac per ceteras orbis imitantibus.* Idemque Sanctus Doctor superiori cap. dixerat: *Quantum flevit in Hymnis, & Canticis tuis suavesonantibus Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter!* Ex quo satis aperte deprehenditur haud fuisse præcipitem alternum Psalmorum cantum, ita ut versiculus inchoaretur, priusquam altera pars Chori versiculo suo finem dedisset. Nam S. Augustinus haud *commotus acriter* fuisset, si res alio modo contigisset. Lacrymas autem tunc effudisset non *suavesonantis Ecclesiæ vocibus* perculsus, sed potius ob gravissimum dolorem, concitatum ex eo, quod Divina Officia adeo contemnerentur.

XXIX. His explicatis pauca supersunt dicenda de pietate, quam præseferre Canonici debent, cum Sacrum Conventuale celebratur. Quare finem sermoni huic dabimus monentes, quod Decretalis *Dolentes de celebrat. Missar.*, quam Innocentius III. in Lateranensi Concilio promulgavit, non modo gravissime redarguit illos, *Qui Chori silentium fugientes* (cum Missæ Sacrificio intersint) *intendunt externis collocutionibus laicorum, dumque auditum ad indebitos sermones fundunt, aures intentas non porrigunt ad Divina*; sed etiam quod majus, hujusmodi gravitati criminis pœnam suspensionis irrogat: *Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus.* In dubium revocatum fuit, utrum hæc pœna *latæ sententiæ*, an solum *ferendæ* haberi deberet? Hoc postremo esse judicandum Honorius III. declaravit (4); *Ad quod breviter respondemus, quod pœnam illam Constitutio non infligit, sed potius comminatur, & exprimit infligendum, quæ merito ad alios extenditur, qui quamvis in Choro inter celebrantes existant, sermonibus tamen illicitis & linguas & aures involvunt, cum non solum in seipsis offendant, sed etiam aliis impedimento tales existant.*

## §. VI.

### *De præsentia, & absentia a Choro.*

XXX. TRidentina Synodus hæc præcipit (5): *Præterea obtinentibus in iisdem Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Quamvis hæc verba perspicua tetis videantur, tamen eo adducta fuit Sacra Congregatio Concilii, ut falsas quorumdam explicationes compesceret.

XXXI. Primo, censuerunt aliqui fuisse impertitum a Tridentina Synodo privilegium universis Canonicis, ut tribus mensibus per annum a Choro longe abessent, & tamen muneri suo satisfacerent, nec fuisse abrogatam a Concilio consuetudinem immemorabilem, si quæ fuerit, ut Canonici plus quam tribus mensibus a Choro liberentur: sed longe diversum est, privilegium elargiri Canonicis generatim, ut in Chorum per tres menses haud conveniant, ac decernere, ne plusquam tres menses sibi desumant ob quodcumque statutum, aut consuetudinem; cum præsertim illud superaddatur, quod minime abrogentur leges, & consuetudines, quæ præbendam obtinentibus vacationem a Choro breviorem tribus mensibus concedunt: Quapropter S. Congreg. Mutinensi Episcopo ita respondit 1573. (6): *Sacra &c. censuit, trium mensium absentiam non concedi Canonicis ex Decreto Concilii sess. 24. cap. 12. si Constitutionibus Ecclesiæ servitium totius anni absque ulla intermissione requiritur.* Insuper Fagnanus hæc testatur (7): *Canonicis majori servitio Ecclesiæ, quam novem mensibus, adscriptis, postulantibus ex gratia vacationem trium mensium Sacra Congregatio meo tempore semper abstinuit.* Eadem Sac. Congregatio anno 1581. (8) in quadam Calaguritana in hunc modum constituit: *Sacra &c. censuit, non licere Præbendatis vigore cujuscumque consuetudinis etiam immemorabilis ab eorum Ecclesiis ultra tres menses abesse.* In causa pariter Mirandensi, ubi centum dierum vacationem a Choro Sedes Apostolica confirmaverat, Sacra Congregatio anno 1585. hoc Decretum edidit (9): *Concordiam a Sede Apostolica confirmatam, non esse a Concilio sublatam.*

XXXII. Secundo, quærebatur, utrum juxta Concilii decretum, quo vacatio trium mensium a Choro solum conceditur, absentes dici queant illi, qui dimisso Choro versantur in Civitate, seu loco, in quo posita est Cathedralis, aut Collegiata, cui adscribuntur, responsum fuit illos existimandos esse, tamquam absentes cum Tridentina Synodus absentiam intelligat ab Ecclesia, uti constat ex iis verbis: *Ab iisdem Ecclesiis abesse*, Anno 1573. hoc decretum conditum fuit (10): *Sacra &c. censuit puniendos esse eos, qui absunt a servitio Ecclesiæ, licet in Civitate, locove, in quibus est Ecclesia, sint præsentes.* Insuper eodem anno, cum Mutinensis Episcopus petiisset (11) an censendi forent absentes: *Qui non absunt ab Ecclesia, vel a Civitate, sed ab Ecclesiæ servitio tot vicibus, ut trium mensium præscripta quantitas annuo spatio superetur?* Sacra Congregatio respondit: *Istos haberi pro absentibus.*

XXXIII. Tertio, ut Concilii decretum quidam eluderent id asseruerunt, quod Mutinensis idem Episcopus fuse exposuit Sacræ Congregationi (12): *Qui absunt ultra tres menses, sed intermissis diebus, ut tamen toto anni spatio simul collecti, & in unum numerum redacti trimestre spatium superent, vel potius trium mensium continuam absentiam adesse oporteat, quo dato verendum, ne cuivis pateat aditus ad suam pro libito, & impune deferendam, & fraudandam Ecclesiam: nam singulo trimestri spatio si per duos, vel tres dies quis inserviat, nunquam labi patietur tres menses continuos, & levi negotio illudet Ecclesiæ, & a Concilii pœnis se eximit.* Responsum fuit his verbis: *Sacra &c. censuit non oportere, sed satis esse, quod dies absentiæ, quamquam interpolati, superent trimestre.* Immo, cum in supputanda vacatione trium mensium, quos indulget Synodus, aut breviori vacatione, si ita decernant peculiares locorum Constitutiones, horæ, non vero dies numerarentur S. Cong. hanc supputandi rationem improbavit die 17. Junii anno 1594. (13) *Sacra &c. censuit, ad constituendum servitium novem mensium non esse colligendas punctaturas, quasi ii, qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quæ ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio novem*

(1) *Cit.* §. 3. (2) *Theodoret. in Historia lib. 2. cap. 24.* (3) *Lib. 9. Confess. cap. 7.*
(4) *Cap. 3. de vita, & honestate Clericorum.* (5) *Cap. 12. sess. 24. de Reform.* (6) *Lib. 1. Decret. pag. 168.*
(7) *Cap. ad audientiam an. 8. usque ad n. 16. de Clericis non residentibus, & cap. licet n. 48. de Præbendis.*
(8) *Lib. 3. Decr. pag. 186.* (9) *Lib. 4. Decr. pag. 88. a terg.* (10) *Lib. 1. Decr. pag. 3.*
(11) *Lib. 1. Decr. pag. 178. & seqq.* (12) *Anno 1573. lib. 1. Decret. pag. 378. & seqq.*
(13) *In Causa Aquil. lib. 8. Decret. pag. 92. a terg.*

*novem mensium debito satisfecerint, sed ipsos dies residentiæ, & servitii, sive continui fuerint, sive interpolati, numerandos esse, ut numerum compleant dictorum novem mensium.*

XXXIV. Proscriptis igitur falsis decreti Conciliaris explicationibus, Sacra Congregatio studium, & operam contulit, ut quasdam leges faceret, quæ pertinent ad hanc vacationem trium mensium, seu breviorem, si peculiares Ecclesiæ ita consueverint: Itaque die 12. Julii anno 1631. ita sancitum fuit (1): *Sacra &c. censuit Eminentissimum Episcopum facere debere Decretum, ut in Collegiatis Ecclesiis suæ diœcesis, quæ vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium, Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno & eodem tempore, & hujusmodi vacationem contingere non debere tempore Quadragesimæ, & Adventus, neque in amplioribus anni Festivitatibus.*

XXXV. Insuper anno 1581. ita statuit (2): *An Dignitates, Canonici, Portionarii, Cantores, aut alii Officiales possint abesse a servitio Ecclesiæ sine licentia Episcopi? Sacra &c. censuit, non requiri licentiam Episcopi, quando Dignitates, Canonici, aut Portionarii habesse volunt tempore ipsis a Concilio permisso: non tamen omnes simul abesse posse, ne Ecclesia suo debito servitio destituatur, Quota autem pars simul possit abesse, relinqui arbitrio Episcopi, & Capituli.*

XXXVI. Idem confirmatum est die 12. Martii anno 1594. (3), & anno pariter 1599. (4): Deinde novam consuetudinem, quæ paulatim a Canonicis inducebatur, ut vacationis tempore a Diœcesi discederent inscio Episcopo, hoc decreto improbavit (5): *Sacra &c. tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc, ut Canonici abesse possint in mensibus a Concilio permissis; censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties Canonici abesse volunt extra Diœcesim; ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam. Cæterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa negare.* Idem responsum fecit die 22. Januarii anno 1628. (6). Recenter idem statuit die 4. Maji anno 1737. *in Causa Castri maris*, in qua disceptatio habita fuit de edicto Episcopi, quo ipse caverat, ne absque sua facultate Diœcesim Canonici relinquerent: Quamobrem Sacra Congregatio servari mandavit decretum editum in causa Jaderen. die 9. Maji anno 1626. Neque omitti debet, licere quidem Canonicis vacationis præscriptæ tempore Chorum dimittere; id tamen solum suffragari, ut fructus præbendarum accipiant, non autem quotidianas distributiones, nisi forte peculiares ipsorum Constitutiones a Sede Apostolica confirmatæ ante Synodum Tridentinam, hoc etiam emolumentum ipsis Canonicis impertiant. *In sess. 24. cap. 12. dicitur, quod obtinentibus Dignitates, aut Canonicatus, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse. Quæritur, an liceat Canonicis, qui haberent Constitutiones Sedis Apostolicæ auctoritate factas, aut confirmatas ante Concilium Tridentinum, quæ concederent illis vacationem duorum mensium, & quod interim haberentur pro interessentibus, & lucrarentur distributiones, an hujusmodi Constitutiones censeantur revocatæ a Concilio Tridentino? Sacra &c. respondit, abesse licere, sed non lucrari distributiones quotidianas. Ad secundum Constitutiones a Sede Apostolica confirmatas non censeri sublatas.* Ita decrevit Sacra Congregatio *in causa Bononien.*, & in alia *Pistorien.* (7).

XXXVII. Hæc indicanda putavimus, ut verba Concilii Tridentini funditus intelligantur: *Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Sed quoniam idem Concilium ita rem prosequitur: *Alioquin privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac residentiæ fecit suos: quod si itemrum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia, contra eos, juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur*; ideo non alienum putamus afferre, quæ Sacra Congregatio sancita voluit anno 1573. (8) *Quæritur de forma procedendi contra Canonicos, qui abfuerunt ab Ecclesia ultra tres menses, prout cap. 12. sess. 24. Concilii Tridentini: videlicet, an hujusmodi contumaces, & absentes, sint prius monendi ad residendum, antequam puniantur, sicut moneri mandat idem Concilium omnes Curatos non residentes, juxta c. 11. vers. Quod si per Edictum sess. 23.? Sacra &c. censuit, non esse citandos, aut monendos ad residendum; sed si ultra tres menses abfuerint, tunc citandos ad allegandum, quare non debeant privari secundum Decretum Concilii sess. 24. cap. 12.* Quod si aliquis Canonicatu, vel Beneficio, quibus onus residendi conjungitur, privari debeat, absentia trium annorum prius necessaria est, quibus peractis ter ille monendus est, & per sex alios menses expectandus. Deinde ad privationem, licet ipse non compareat, devenitur. Hæc sapienter explicat Fagnanus: *cap. Ex tuæ num. 14. & 35. de Clericis residentibus.* Hanc legem institutam perpetuo tenuit Sacra Congregatio, cum nos ipsi Secretarii munus ageremus, *In causa Romana Canonicatus*, quæ die 3. Decembris anno 1718. proposita fuit.

XXXVIII. Insuper Episcopus aliam quoque viam inire potest ad comprimendos ejusmodi contumaces. Quippe Sacrum Concilium nequaquam abrogavit ea quæ sancita sunt *in cap. Ex tuæ de Clericis residentibus* (9). Quapropter illo trienni spatio permittitur Episcopo eosdem pervicaces a Divinis suspendere, quamvis viam insistere cœperit, quam Tridentina Synodus indicavit. Attamen, si id faciat, ad privationis sententiam ferendam devenire nequit. Celeberrimum est Decretum die 18. Novembris editum anno 1673. (10): *Ut consulatur Ecclesiis, quarum servitium detrimentum patitur propter absentiam Canonicorum, vel Beneficiatorum, qui propter reddituum tenuitatem residentiæ leges contemnunt, quæritur.*

*Primo, an: durante triennio præscripto a Sacro Concilio cap. 12. sess. 24. de Reformatione, possit adversus obtinentes in Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, eosque non residentes, procedi ad Suspensionem Capituli:* Ex tuæ, *de Clericis non residentibus; & quatenus affirmative?*

*Secundo, an id possit etiam post inchoatam viam procedendi a Concilio præscriptam?*

*Sacra &c. ad primum respondit affirmative, Ad secundum pariter affirmative respondit, exclusa privatione.*

Cum de eodem argumento disceptatio fieret (11) die 3. Febr. anno 1680. Sacra Congregatio respondit servari decretum in causa Parentina editum (12).

## §. VIII.

### *De Distributionibus.*

XXXIX. Initio Ecclesiæ beneficia ex solis distributionibus constare videbantur: nam congestis oblationibus, atque eleemosynis fidelium alebantur in diem clerici, qui Ecclesiæ inserviebant: Thomassinus (13), ac Vespenius (14) graviter, eruditeque hoc argumentum explicant. Cum deinde Beneficia instituí cœpissent, ipsisque certus fundus attribui, secerni pariter cœperunt fructus præbendæ, & distributiones ob eam causam, ut Choro addicti facilius hac illecebra ducti, ac frequentius ad illum convenirent. Nam illi tantum participes distributionum fieri solent, qui divinis Officiis celebrandis interfunt. At vero hujus emolumenti ratio non debet potissimum ad Chorum perducere, sed pietatis studium, ut obsequium Deo præstetur, ipsiusque laudes decantentur. Qui solum utilitate distributionum traberetur, simoniæ labem contraheret; *Celebrare divinum Officium*

(1) *In Causa Auximen. l. 14. Decret. p. 467.* (2) *In Causa Abulen. lib. 3. Decret. pag. 79.*
(3) *In causa Senen. lib. 8. Decret. pag. 86.* (4) *In causa Valisolet. lib. 9. Decr. pag. 74.*
(5) *In causa Paderen. die 9. Maji an. 1626. lib. 12. Decret. pag. 253.* (6) *In causa Terracinen. lib. 13. Decret. p. 380.*
(7) *Anno 1586. lib. 4. Decret. pag. 168. & 212.* (8) *In causa Vercellen. l. 2. Decret. p. 190. & seq.*
(9) *Fagnanus loco cit. num. 35.* (10) *In causa Parentina lib. 2. Decr. p. 393.*
(11) *In causa Pennen. Residentiæ.* (12) *Lib. 31. Decret. pag. 17.*
(13) *De veteri & nova Eccles. disciplina part. 3. lib. 2. cap. 35.* (14) *Juris Ecclesiastici universi tom. 1. par. 3. tit. 7. cap. 7.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*ficium* (inquit S. Thomas) (1) *in Ecclesia, est actus spiritualis ex parte principii; competit enim alicui ex hoc, quod est Clericus, & ideo simoniam committit, qui hujusmodi actum vendere intendit; in qualibet enim venditione pretium accipitur quasi finis: si enim hujusmodi distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundario, non quasi in finem, sed sicut id, quod est necessarium ad suam sustentationem; constat, quod non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit, nec peccat: si enim acceptio distributionum non erit in causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed proprie hujusmodi determinationis, quare nunc vadat, & non alia vice.*

XL. Ivo Carnotensis distributiones ejusmodi primus excogitavit: *Cum in quampluribus* (inquit) (2) *Canonicorum Carnotensium defuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas Horas Canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam Præposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi, ut quos panis interni dulcedo non moverbat, panis corporis refectio provocaret, quamvis eorum annua Præbenda ad hoc sufficiens esse deberet.*

XLI. Idem quoque jus Pontificium constituit (3), ac Tridentina Synodus eamdem disciplinam confirmavit. Nam ipsa jussit (4) in singulis Cathedralibus, & Collegiatis, ubi deessent quotidianæ distributiones, vel adeo tenues forent, ut facili negotio contemnerentur, sperari ab Episcopo etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, tertiam partem fructuum, aliorumque proventuum, quæ tum Capituli Dignitatibus, tum Canonicatibus obtingunt, eamque partem in quotidianas distributiones converti: *Quæ inter Dignitates obtinentes, & cæteros Divinis intereſſentes, proportionaliter juxta divisionem ab Episcopo etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegato in ipsa fructuum deductione faciendæ dividatur.* Deinde illud Sacrum Concilium subdit: *Non obstantibus exemptionibus, aut aliis consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Plura in hanc rem Decreta Sacræ Congregationis Concilii Secretarius accurato studio collegit in consueta pagella, quam typis edidit *in causa Nullius, seu Terræ Pontiani*, quæ disceptata fuit die 5. Martii anno 1735. Idem comprobat Tridentina Synodus (5). At cum distributiones, quibus carere debent Capituli Dignitates, aut obtinentes in Cathedralibus, seu Collegiatis Personatus, & officia, si muneri suo desint, attribuendæ decernantur a Synodo Tridentina *Fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii*; hinc ejusmodi sanctio adversari videtur alteri, quam superius indicavimus. Nam distributiones absentium hoc loco *fabricæ Ecclesiæ, aut loco Pio* adjudicantur. Alio autem loco distributiones absentium dividendæ inter præsentes sanciuntur. Sed omnis repugnantiæ species tollitur, si discrimen statuatur inter Dignitates, quæ proventus suos ex mensa Capitulari percipiunt, & inter Dignitates, quæ secretos ab eadem mensa proventus obtinent. Itaque juxta Concilium distributiones primarum Dignitatum inter præsentes dividendæ sunt; Distributiones autem aliarum Dignitatum *fabricæ Ecclesiæ, sive alteri loco Pio* conferendæ. Hæc habet Fagnanus auctoritate Sacræ Congregationis adductus, quæ rem eamdem non semel definivit (6).

XLII. Postremo Sacrum Concilium ita prosequitur (7). *Distributiones vero, qui statutis horis interfuerint recipiant: reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus*: Hoc loco duo nominat Concilium, nempe collusionem, ac remissionem. Primum evenit, quando Choro adscripti invicem conveniunt de non notandis absentiis, quamvis absentes revera fuerint. Remissio tunc habetur, cum pars una sponte, ac sine ulla conventione distributiones quotidianas alteri parti remittit, & relinquit. Utrumque Sacrum Concilium gravissime improbat, atque interdicit. Quamvis autem id severum nimis videatur, ut alteri donare non liceat ea, quæ sibi aliquis comparavit; tamen parendum omnino est, cum hæc jussa indixerit, qui decernendi facultatem habebat. De his fuse Suarez (8), qui Sacræ Congregationis Decretum his verbis conditum recenset: *Non licet Capitulo aliquo prætextu distributiones quotidianas donare, relinquere, aut quavis collusione remittere alicui, qui ab Ecclesiæ servitio abfuerit, vel alio quovis modo distributiones legitimas debeat amittere; nec fas sit cuipiam eas recipere, & si receperit suas ne faciat, sed eas restituere omnino cogatur.* Nos alia quoque decreta subjiciemus, nempe in causa Taracinæ, quæ proposita fuit die 13. Januarii anno 1624. (9) *Sacra &c. censuit, Canonicum, ut proponitur, absentem punctari debere, nec licere Canonicis eadem puncta, seu quotidianas distributiones remittere, aut condonare, cum ejusmodi collusiones, aut remissiones prorsus sustulerit ejusdem Concilii Decretum.* Item die 14. Decembris eodem anno petitum illud fuit (10): *Quæritur, an Episcopus, seu Capitulum possit condonare distributiones quotidianas Canonicis, quibus alias non debentur? Sacra &c. censuit, non posse.*

XLIII. Verum, ut his obtemperent Canonici omnes in Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, designantur unus, aut plures Punctatores, qui notent absentes a toto divino Officio, vel a parte ipsius, ut careant penitus distributionibus, aut partem tantum ipsarum pro ratione negligentiæ assequantur. Neque putent ejusmodi Punctatores inane quoddam munus ipsis demandari, eique satisfieri, si quamdam honestatis speciem retineant, quæ nempe in eo posita est, ut aliorum metu, vel negligentia, vel ignavia disciplinam Ecclesiæ pedibus conculcent. Ut falsam hanc sententiam deponant, ea percurrant, quæ a S. Carolo Borromæo traduntur (11). *Punctator studiose exploret, & in libro punctationum notet omnes, quicumque ii fuerint, qui Sacras Horas, & Divina officia non obierint, quique contra, quam his, aliisque Constitutionibus præscriptum est, in Choro quidquam fecerint, qua in re ullius non odio, non amore, non spe, non metu moveatur. Si aliquem injuria notarit, de suo ei satisfaciet; si vero notandum prætermiserit, de suo idem tantumdem det, quod in Ecclesiæ usum convertatur, & integras unius hebdomadæ distributiones amittat.*

XLIV. Præcipit itaque S. Carolus non solum notari eos, qui ad Horas Canonicas recitandas haud convenerint, sed præsentes etiam, qui hoc munere rite perfuncti non fuerint; sed quoniam id satis esse non videbatur, ne Canonici Chorum dimitterent, eo quod distributiones adeo tenues, & exiguæ sunt in quibusdam Ecclesiis, ut negligi facile queant, ideo Sacra Congregatio die 17. Septembris anno 1650. ita statuit (12): *Sacra &c. censuit, non inservientes Ecclesiæ, nec Divinis intereſſentes, ultra amissionem distributionum quotidianarum, posse ab Archiepiscopo per mulctas pecuniarias, atque alio Juris remedio compelli.* Quapropter die Junii anno 1659. respondit Episcopo Castellanetæ petenti, an Beneficiariis Ecclesiæ, qui muneri suo frequenter deerant, alias pœnas irrogare posset, cum distributiones quotidianas amittere minimi existimarent: *Licere etiam per alias pœnas* (13).

§. VIII.

(1) *In quodlibet. 8. quæst. 6. art. 2.* (2) *Ex ipsius epist. 19.*
(3) *Cap. Licet de Præbendis, cap. Olim, de verborum significat. & cap. unic. de Clericis non residentibus in 6.*
(4) *Sess. 21. cap. 1. de Reformat.* (5) *Sess. 22. Cap. 3. de Reformat.*
(6) *Cap. quia nonnulli num. 22. & seqq. de Clericis non residentibus.*
(7) *Sess. 24. cap. 12. de Reformatione.* (8) *Tom. 2. de Religione lib. 4. de Horis Canonicis cap. 10. num. 20.*
(9) *Lib. 12. Decr. pag. 149.* (10) *Lib. 12. Decr. pag. 235.*
(11) *Part. 2. cap. 42.* (12) *In causa Jaderen. lib. 19. Decret. p. 81.*
(13) *Lib. 21. Decr. pag. 651.*

## §. VIII.

*De illis qui ob causam morbi, aut aliud legitimum corporis impedimentum, licet absentes a choro, distributiones tamen percipiunt.*

XLV. BOnifacius VIII. *Cap. Consuetudinem, de Clericis non residentibus, in sexto*, quod a Concilio Tridentino renovatum superius diximus (1), postquam generatim constituit distributionibus absentes carere, hæc statim adjungit: *Exceptis illis, quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*. Has duas primas causas modo explicabimus: de tertia vero inferius verba faciemus.

XLVI. Ecclesia piissima mater morbo vexatos summa humanitate, ac pietate prosequitur. Hinc Sacra Congregatio die 15. Aprilis anno 1511. juffit: *Eos, qui absunt a servitio chori ob infirmitatem, vel aliam causam, percipere debere distributiones quotidianas sui Canonicatus, perinde ac si statis horis interessent; percipere etiam augmentum distributionum, quas amittunt illi, qui Divinis non interfuerint* (2). Immo cum petitum fuisset die 2. Decembris anno 1666.: (3) *Primo, an distributiones quotidianas lucretur Canonicus, vel Beneficiatus, qui solitus cæteroquin inservire, a civitate legitimo vacationis tempore discedens, in vicinum oppidum (unde sub finem dictæ vacationis potest opportune se reddere ad servitium Ecclesiæ) se contulit, ibique superveniente infirmitatis corporalis impedimento ita continetur, ut ad civitatem redire, & choro interesse non valeat: & quatenus affirmative? Secundo, an hoc locum habeat, quamvis in Ecclesia vigeat contraria consuetudo?* Eadem Congregatio respondit: *Ad primum lucrari; ad secundum, non habere locum, si consuetudo sit legitime prescripta* (4).

XLVII. Ecclesia, tanquam piissima mater, ut diximus, ægrotantibus plurimum indulget, sed inter morbos haud recenset levissimum etiam capitis dolorem, & quamcumque tristitiæ causam, quæ Canonicum, aut Beneficiatum non impediunt, quin suis negotiis operam impendant. Quapropter requirit morbum verum, haud fictum, neque levem, sed gravem; neque id satis habetur, si Canonici ægrotantes a choro abesse consueverint, dum incolumes erant. Tunc enim absentia non morbo tribuitur, sed voluntati, qua putantur inhærere eidem proposito Ecclesiæ minime inserviendi. Id Sacra Congregatio die 6. Februarii anno 1627. probavit (5): *Distributiones quotidianas ita demum Oratori ægroto deberi, si alias Ecclesiæ solitus erat inservire, cujus justificatio remittitur conscientiæ Episcopi*. Idem confirmavit die 12. Septembris anno 1648. (6). *Sacra &c. censuit Canonicos infirmos non lucrari distributiones quotidianas pro duabus Horis primis, quibus interesse minime consueverunt*. Idem contigit die 5. Martii anno 1667. (7) *Sacra &c. censuit, Oratori dandam esse declarationem alias editam sequentis tenoris: Congregatio Concilii censuit, Canonico infirmo, durante ejus infirmitate, quamvis choro non interfit, deberi fructus omnes sui Canonicatus, necnon distributiones quotidianas, non secus ac si omnibus Horis Divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire. Cæterum infirmitatem ipsam coram Judice probandam*. Eadem prorsus docent Panimollus (8), ac Passerinus (9), qui etiam addit (10): *Posset tamen dari casus, quod infirmitas permitteret Canonicos aliquantisper ex causa sanitatis exire e domo, & non permittere adesse choro; unde in his arbitrium boni viri debet attendi*.

XLVIII. Equidem Passerinus jure merito rem totam *arbitrio boni viri* relinquendam judicavit: ex hoc tamen deprehenditur non ita frequenter existimari oportere tanquam in choro præsentem, qui se ægrotum fatetur, sed urbem circumire potest; nam illud *aliquantisper* a Passerino indicatum non probaretur: neque veluti præsens haberi debet, qui morbi specie domum suam diurna luce non deserit, nocturno vero tempore frequentes cœtus adire non metuit, ut satis experientia demonstrat. Cœcus quidem Canonicus inter ægrotantes numerandus est, ipsi plura Sacræ Congregationis decreta suffragantur: *Non teneri* (ita respondit) *boris Canonicis interesse* (videlicet cœcum indicat) *nec in choro eam Officii partem, quam memoriter tenet, recitare, & nihilominus lucrari distributiones quotidianas ac si interesset*. In controversiam venit, utrum cœco distributiones ab eo die concedi deberent, quo lumen oculorum amisit, an vero a die, quo se tanquam præsentem æstimari velle declaravit, Sacra Congregatio die 29. Januarii anno 1661. respondit (11) tribuendas cœco distributiones a die quo lumine caruit. Alia quoque controversia excitata fuit, an cœcus alium sufficere debeat in locum suum, ut Missarum oneri, quæ cum Canonicatu junguntur, satisfaciat, sed Sacra Congregatio id minime probavit, uti constat ex iis, quæ subjicimus: *Joannes de Abreu Portionarius Collegiatæ de Barsellos, visu orbatus, supplicat pro exemptione a servitio chori, & interim omnes fructus & distributiones quotidianas percipere. Sacra &c. censuit danda esse Decreta hac de re edita, & signanter in Mercatelli die 8. Januarii 1597. tenoris sequentis: Sacra &c. censuit oratorem, si vere cœcus existit, a celebratione Missarum in Collegiata prorsus immunem esse, neque alium sui loco, cum sit legitime impeditus, substituere teneri*. Alia quoque Decreta rem eamdem confirmant (12).

XLIX. Ad illos jam deveniamus, qui interesse nequeunt Divinis Officiis ob justum, ac legitimum corporis impedimentum, & quibus distributiones quotidianas percipere licet.

L. Inter hos merito recensendi videntur qui absunt a Cathedrali, vel Collegiata, eoquod pestis in eo loco vehementer grassetur. Equidem die 9. Novembris anno 1630. hanc quæstionem Sacra Congregatio diligenter examinavit, (13) ac statuit, quæ sequuntur: *Sacra &c. censuit, Canonicis causa pestis absentibus deberi quotidianas distributiones, si pestis grassetur, & petentes solliti sint inservire, & probetur legitima consuetudo, quod distributiones hujusmodi dentur absentibus ex justa causa. Quando autem dicatur pestis graffari, ut sit justa causa absentiæ, judicio Episcopi esse relinquendum*.

LI. Secundo, distributionum participes esse queunt illi, quibus ob inimicitias, atque injurias in chorum venire non permittitur, modo tamen has injurias immerito patiantur, & ante illas in choro frequentes esse consueverint. Ita S. Congregatio post accuratum examen definivit (14).

LII. Tertio, illis pariter has distributiones Sacra Congregatio permisit die 23. Septembris anno 1685. (15), qui carceribus injuste detinentur: *Sacra Congregatio sæpius censuit, indebite carceribus detento deberi distributiones quotidianas, non secus ac si ipse continuo Ecclesiæ inservisset*. Eadem Congregatio pluries respondit, tunc aliquem carceribus injuste detentum fuisse, cum id declaravit sententia Judicis, quæ tamen in rem judicatam transit (16). Quapropter *in causa Romana distributionum*, cum sententia Judicis quemdam Canonicum ab omni criminis suspicione liberum vindicasset, tamen ipse Canonicus distributiones, quas petebat, accipere non potuit, eoquod Fiscus provocationem interposuerat. Nam die 5. Februarii Sacra Congregatio respondit: *Expectandum, quid ex provocatione interposita contingeret* (17).

LIII. Verum, quid nomine propriæ sententiæ intelligi debeat Sacra Congregatio plane declaravit die 21. Junii an. 1664. (18): *Sacra &c. censuit, oratori dandam esse declarationem sæpe alias dictam tenoris sequentis: Congregatio Concilii censuit, Canonicum primo inquisitum, & deinde uti innocentem per sententiam definitivam, quæ in rem judicatam tran-*

(1) *Cap. 12. sess. 24. de Reform.* (2) *Lib. 11. Decret. pag. 98. a tergo.* (3) *In causa nullius distributionum.*
(4) *Lib. 25. Decret. pag. 190.* (5) *In causa Mantuana lib. 13. dec. p. 197.*
(6) *In causa Ferrarien. lib. 18. decr. p. 522.* (7) *In causa Reatina lib. 25. decr. p. 345.*
(8) *Decis. 20. annot. 3. num. 60.* (9) *Cap. Consuetudinem regul. 4. concl. 5. num. 90. de Clericis non residentibus, in sexto.* (10) *Num. 9.* (11) *Lib. 22. decret.* (12) *Lib. 25. decret. pag. 189. & lib. 40 pag. 414. & seqq.*
(13) *In causa Mediolanen. lib. 14. decret. pag. 527.* (14) *In causa Majoricen. Distributionum die 14. Aprilis 1736.*
(15) *Lib. 25. decr. pag. 405.* (16) *In Causa Mediolanen. die 9. Mart. 1629. lib. 14. decret. pag. 41. In Causa Sinuessi. 10. Septemb. 1672. lib. 27. decret. pag. 500. In causa Terracinen. 19. Feb. 1669. lib. 20. decret. f. 167. In Causa Catanzar. 22. Septemb. 1663. lib. 23. decret. pag. 642.* (17) *In causa Rapollen. lib. 24. decret. pag. 190.*
(18) *Lib. 15. decret. pag. 101.*

*transfvit, absolutum, percipere debere distributiones quotidianas totius temporis, quo hanc ob causam Divinis interesse non potuit*. Congruunt alia pariter Decreta, ac potissimum illud, quo reus absolvitur, *ex hactenus deductis*. Ita contigit in alia causa Arianen. die 28. Aprilis anno 1635. (1): *Sacra &c. censuit, Canonicos primo inquisitos, & deinde absolutos uti non culpabiles per sententiam, licet cum clausula: ex hactenus deductis: debere utique percipere distributiones quotidianas totius temporis, quo talem ob causam Divinis interesse non potuerunt*. Idem responsum fuit in causa Ferentina die 2. Augusti anno 1721. (2). Aliquando reus absolvitur illis verbis *non molestetur*, uti pluries evenit (3). Aliter tamen est, si reus absolvitur illa formula: *ex quo satis*, quemadmodum eadem Congregatio die 19. Novembris anno 1669. (4).

## §. IX.

*De percipientibus distributiones, licet absentes fuerint, eoquod absentia cum Ecclesiæ utilitate jungatur.*

LIV. JAm superius diximus permitti a Bonifacio VIII. distributiones etiam absentibus a choro, si utilitas ex hoc in Ecclesiam dimanet. Equidem magnæ difficultates in absentes hujusmodi ex jure communi desumuntur: Bonifacius VIII. *cap. unic. de Clericis, non residentibus in sexto* distributiones illis impertit; sed *capite, Cum non deceat, de electione in sexto* contrarium decernitur. Canonum Interpretes maxime laborant, ut hæc duo repugnantia simul conjungant; sed omissis cæteris nos affirmamus tribuendas esse distributiones illi Canonico, qui ob utilitatem Capituli, sive Ecclesiæ chorum dimiserit. Equidem in causa Panormitana anno 1588. Sacra Congregatio: *Censuit deberi oratori distributiones quotidianas pro tempore, quo vere abfuit pro negotiis Capituli* (5). Reliqua Decreta, quæ magis obvia sunt, prætermittimus; illud solum recensemus, quod conditum fuit an. 1598., cum causa Episcopi Hispalensis, ejusque Capituli ageretur: *Quod si ex causa negotiorum Capituli recedere voluerint* (Canonici nempe, aut alii choro addicti) *percipere tam fructus Prebendæ, quam distributiones, nec esse necessariam licentiam Archiepiscopi, ad cujus tamen officium pertinebit examinare, an causa negotiorum vere subsit, & quascumque collusiones, & illicitas remissiones inter Canonicos prohibere* (6).

LV. Tridentina Synodus in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis insignibus Præbendam Theologalem statuendam præcipit. Canonicus vero Theologus qua die legere debet, si absit a choro ob manifestam Ecclesiæ utilitatem, ejusdem diei distributiones assequitur. Ita respondit anno 1589. (7) Sacra Congregatio in causa Mediolanensi: *Sacra &c. censuit, Theologo pro tota die, qua legit, deberi distributiones quotidianas*. Die autem 18. Junii 1622. (8), sic decrevit (9). *Ad tertium, Theologum qua die legit, distributiones quotidianas lucrari, tametsi a choro legitime vacare possit*. Insuper ex eodem sacro Concilio ad rem probandam exemplum Pœnitentiarii depromatur: *In omnibus etiam Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit* (10), *Pœnitentiarius aliquis cum unione Præbendæ proxime vacaturæ ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel in Jure Canonico, & annorum quadraginta, seu alius, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, interim presens in choro censeatur* (11). Id autem privilegium Sacra Congregatio concessit etiam Canonico quem Episcopus ad confessiones fidelium excipiendas loco Pœnitentiarii suffecit: *Sacra &c. censuit, oratori ita in locum Pœnitentiarii ad audiendas Confessiones ex necessitate, & ex legitima causa ab Episcopo deputato, dum tempore deputationis Confessiones actu audit, deberi distributiones quotidianas, non secus ac si Divinis in choro interesset* (12). Quapropter, si Pœnitentiarius, aut Canonicus in ejus locum subrogatus in administrando Pœnitentiæ sacramento non fuerint impediti, cum Divina Officia in choro celebrantur, cum reliquis convenire debent; quod si facere omiserint, distributiones amittunt: *Sacra &c. censuit, Pœnitentiarium, quando non est impeditus in munere Confessionis, interesse debere Divinis Officiis* (13). Barbosa de Pœnitentiario scriptum ita reliquit (14): *Pœnitentiarium pro presente in Choro habendum esse dum audit Confessiones in Ecclesia, sive in Confessionario, sive extra; non tamen pro tempore, quo residet in Confessionario, nec audit Confessiones, aliis in choro Divina celebrantibus, nec si idem dixerit Missam, aut si privatim Officium dicat, etiam ut opportunius Confessiones audiat, censendum esse præsentem in choro*.

LVI. Idem Tridentinum Concilium decernit (15): *Quod si alicui ex prædictis Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, de jure, seu consuetudine, jurisdictio, administratio, vel Officium non competat, sed juxta civitatem in diœcesi Cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo in Curata Ecclesia resederit, ac ministraverit, tanquam præsens sit, ac Divinis interfit, in Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis habeatur*. Igitur, qui Canonicatum, ipsique conjunctam obtinet Parochiam, sed extra civitatem, sedem in Parochia tenere debet, & *pro tempore*, quo resederit in Parochia ac ministraverit, tanquam in choro præsens habetur, ita ut præbendæ quidem fructus, non vero distributiones consequatur. Id sanxit S. Pius V. (16), idemque Fagnanus (17), & Gonzalez (18), sapienter advertunt. Aliter tamen se res habet, si quis Canonicatum, & adnexam animarum curam in eadem Ecclesia possideat. Tunc enim Sacra Congregatio ita constituit (19): *Sacra &c. censuit, oratorem habentem onus Curæ animarum annexum, si tempore, quo Divina Officia celebrantur, audiat Confessiones, vel alia ad ipsam Curam spectantia exerceat, lucrari debere distributiones quotidianas, etiamsi Divinis* (20) *non interfit*. Idem sancitum est die 19. Septembris anno 1643. *Sacra &c. censuit. Præposito Ecclesiæ Collegiatæ Castri novi, cui annexa est Cura animarum cum administratione Sacramentorum, debere distributiones quotidianas tempore Divinorum Officiorum, si eo tempore sit in actu dictam Curam exercendi, & Sacramenta ministrandi*.

LVII. Conceditur Episcopis accersere, unum, vel duos Canonicos, qui ipsis inserviant (21), non solum ex Cathedrali, sed etiam ex Collegiatis, uti Sacra Congregatio respondit die 1. Septembris anno 1663. Alio autem loco (22) Beneficiatos, aut Mansionarios Cathedralis, aut Collegiatæ ad hoc munus eligi posse decernit: *Sacra &c. censuit, Episcopos licere pro suo servitio adhibere etiam Beneficiatos tam Ecclesiæ Cathedralis, quam Ecclesiæ Collegiatæ suæ diœcesis, ideoque declarationes hujus Sacræ Congregationis extendi etiam ad hujusmodi Beneficiatos; ita tamen, ut ultra duos non adhibeant* (23). Illis tantum Canonicis, vel Dignitatibus uti nequit Episcopus, quæ gerunt animarum curam, uti Montesfasconen. Episcopo die 26. Aprilis anno 1659. indictum fuit (24); nequit etiam Coadjutoris operam sibi deposce-

(1) *In Causa Camerinen.* 22. *April. an.* 1673. *lib.* 28. *decret.* (2) *Lib.* 71. *decret. pag.* 314.
(3) *In Causa Theatina distributionum anno* 1667. *lib.* 57. *decret. pag.* 420. *In Reatina distribution.* 4. *die Maji anno* 1708. *lib.* 58. *decret. pag.* 158. *In Lucana* 23. *Julii an.* 1718. *lib.* 68. *decret. pag.* 308.
(4) *In Causa Capuana distribut. lib.* 26. *decretor. pag.* 325. *a terg.*
(5) *Lib.* 5. *decret. pag.* 104. (6) *In Causa Segob. anno* 1539. *lib.* 5. *decretor. pag.* 287.
(7) *Sess.* 5. *de Reformat. cap.* 1. (8) *Lib.* 6. *Decret. pag.* 71. *a terg.* (9) *In Causa Limens.*
(10) *Lib.* 12. *decret. pag.* 103. (11) *Cap.* 8. *sess.* 24. *de Reformat.*
(12) *In Causa Luc. die* 10. *Martii an.* 1635. *lib.* 15. *decret.* (13) *In Causa Fan. die* 24. *Januarii an.* 1642. *lib.* 16. *decret. pag.* 632. (14) *Sess.* 24. *cap.* 8. *num.* 28. *de Reformat. Sac. Concil. Trident.*
(15) *Sess.* 22. *cap.* 3. *de Reformat.* (16) *Constit.* 65. *in Bullario tom.* 2.
(17) *Cap. Licet num.* 67. *de Prebendis.* (18) *Super regul.* 8. *Cancel. gloss.* 6. *n.* 268. *& seqq.*
(19) *In Causa Mediolanen. proposita die* 3. *Februar. ann.* 1609. *lib.* 16. *decret.*
(20) *In Causa Tortonen. lib.* 17. *decret. pag.* 230. (21) *In decretal. de cætero, de Clericis non residentibus.*
(22) *In Causa Cajetana servitii lib.* 23. *decretor. pag.* 317. (23) *Lib.* 21. *decret. pag.* 618.
(24) *In Causa Colonien. lib.* 4. *decret. pag.* 269.

poſcere, quemadmodum deprehenditur ex hoc Sacræ Congregationis decreto, quod promulgatum eſt die 15. Januarii anno 1684.

## DUBIUM SERVITII CHORI.

*EX privilegio in corpore Juris clauſo, licet Epiſcopo uti opera duorum Canonicorum, qui ſervitio hujuſmodi durante reputantur præſentes ad effectum lucrandi fructus ſuarum Præbendarum, juxta cap. De cætero, De Clericis non reſidentibus, cum concordantibus. Hoc poſito quærit Epiſcopus Calaguritanus, an vigore dicti privilegii poſſit uti opera Canonici Coadjutoris, qui itidem ſervitio durante reputetur preſens ad effectum prædictum Sacra &c. cenſuit negative reſpondendam.*

LVIII. Sed advertendum eſt, quod eadem Congregatio de Canonicis Epiſcopo inſervientibus definiit anno 1587. (1) *Sacra &c. cenſuit, Canonicos inſervientes Epiſcopis lucrari fructus Præbendarum, non autem quotidianas diſtributiones.* Item ſanxit die 22. Aprilis anno 1679. (2): *Sacra &c. cenſuit, dandam eſſe declarationem alias editam tenoris ſequentis: Sacra &c. cenſuit, unum vel duos Canonicos Epiſcopo inſervientes, juxta privilegium ad favorem Epiſcoporum in cap. De cætero, de Clericis non reſidentibus, lucrari Præbendam ſuorum Canonicatuum, non tamen diſtributiones quotidianas; ſi vero redditus omnes ipſius diſtributionibus conſtent, duas tantum ex illarum tribus partibus lucrari.*

LIX. Aliquando tamen contingit, ut Canonici Epiſcopo inſervientes licet abſint a choro, diſtributiones percipiant, veluti ſi Divinis Officiis intereſſent. Exemplum ſumitur ex illis Canonicis, qui Epiſcopi juſſu, & loco Romam veniunt ad limina Apoſtolorum inviſenda, vel ipſum Epiſcopum Romam ob eamdem cauſam comitantur, uti Sixtus V. decrevit. Porro id certum eſſe, & comprobatum experientia conſtat apertiſſime ex variis Sacræ Congregationis decretis, (3) ac præſertim die 1. Octobris anno 1662. *Sacra &c. cenſuit, deberi diſtributiones quotidianas tempore acceſſus, manſionis, & regreſſus Viſitationis Sacrorum Liminum, quod tempus conſtituit eſſe trium menſium* (4). Attamen hoc privilegio non gaudent Canonici, qui Epiſcopum ſequuntur Diœceſim ſuam perluſtrantem. Ita reſpondit Sacra Congregatio die 5. Decembris anno 1626. (5): *Canonicos ſuum Epiſcopum in Viſitatione Liminum comitantes, diſtributiones quotidianas lucrari debere; comitantes vero in Viſitatione Diœceſis, ſi omnes fructus, ut ſupponitur, in diſtributionibus quotidianis conſiſtant, lucrari duas partes, amiſſa tertia, quæ inſervientibus accreſcat.*

LX. In Tridentina Synodo præ cæteris hæc Canonicis indicuntur, nempe ut *compellantur Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, aſſiſtere, & inſervire* (6). Hinc ortæ ſunt plures controverſiæ, utrum univerſum Capitulum, an pars ipſius ſolum convenire debeat, quoties in Cathedrali Epiſcopus exercet Pontificalia? Quare anno 1573. Sacra Congregatio rem ut ſequitur his verbis (7): *An retinentes Dignitates, Canonicatuſque in Cathedrali Eccleſia Epiſcopo Pontificia obeunti omnes aſſiſtere teneantur, vel major pars ſuppetat: & poſito quod non; an recuſantes aſſiſtere multari poſſint? Sacra &c. cenſuit, omnes teneri, ſalvis tamen ſingulorum legitimis vacationibus.* Cum Epiſcopus indicit Pontificalia, ſatis eſſe Canonici non ſemel contenderunt, ſi duo de more Canonici, Sacerdos, ac Diaconus aſſiſtant; nec omnino requiri, ut alius ex Canonicis munere Subdiaconi fungatur. Id autem verbis ipſis Pontificalis oſtendere nitebantur Mutinenſes Canonici, qui hanc quæſtionem exercitarunt; ſed anno pariter 1573. Sacra Congregatio illis reſpondit: *Teneri inſervire etiam in munere Subdiaconi* (8).

Sed illud majori ſtudio, & contentione diſceptatum fuit, an iidem Canonici, nempe Diaconus, Subdiaconus, & Sacerdos aſſiſtens, qui operam præbent ſuam Epiſcopo in Cathedrali ſolemni ritu celebranti, præſto eſſe debeant ipſi Epiſcopo Sacras Ordinationes extra Cathedralem obeunti, vel ibidem Pontificalia gerenti; an ſolum intereſſe oporteat duos Canonicos, & Archidiaconum, qui præſentes eſſe conſueverunt, quoties Epiſcopus in ſua Cathedrali generalem ordinationem inſtituit? Sacra igitur Congregatio non ſemel reſpondit debere Miniſtros, quos ſuperius explicavimus, inſervire Epiſcopo, quoties in urbana Eccleſia, vel ſuburbana obire velit Pontificalia (9). Tandem ex decreto, quod ſubjicimus multa alia declarantur, quæ in dubium revocari poſſent.

## LICIEN.

„ AN Decretum Sacri Concilii cap. 12. Seſſ. 24. de reformatione locum habeat, dum Epiſcopus in ſua Eccleſia Cathedrali aſſiſtit cum Cappa Miſſæ, & Divinis „ Officiis diebus Dominicis & feſtivis, etiam non ſolemnibus, & diebus ferialibus Quadrageſimæ?

„ Secundo an locum habeat, quando Epiſcopus in aliis „ Eccleſiis ſibi ſubjectis, in Civitate exiſtentibus, Pontificaliter celebrat, vel paratus aſſiſtit cum Pluviali & Mitra, „ aut cum Cappa Divinis Officiis, & Miſſæ ſolemni, vel „ alia Pontificalia exercet tam occaſione alicujus Sancti, „ qui in ipſis Eccleſiis ſolemnizatur, quam alia occaſione, „ ſi numerus ſufficiens Canonicorum, & Miniſtrorum in „ Eccleſia Cathedrali remaneat?

„ Tertio, an habeat locum, cum Epiſcopus cum Cappa „ in Eccleſia Cathedrali aſſiſtit Concioni, quæ ſolita eſt „ haberi poſt Miſſam Conventualem diebus Quadrageſimæ, „ & etiam aliis intra annum?

„ Quarto, an ſimiliter habeat locum, quando Epiſcopus „ intervenit cum Cappa Concioni, quæ habetur in aliis Ec„ cleſiis Civitatis etiam exemptis diebus feſtivis, vel feria„ libus Quadrageſimæ, & intra annum, aut ſi ſaltem duo „ ex iis compelli poſſint ad ſibi aſſiſtendum hinc inde a ſua „ Sede, & ſi iſti duo debeant eſſe digniores, dummodo non „ ſint legitime impediti, ſeu illi, qui ſolent aſſiſtere in Ec„ cleſia Cathedrali, vel omnes per turnum alternis vici„ bus?

„ Sacra &c. ad primum reſpondit, Decretum Sacri Con„ cilii cap. 12. verſ. omnes vero ſeſſ. 24. habere locum.

„ Ad ſecundum & tertium, itidem habere locum.

„ Ad quartum reſpondit, locum non habere. Die 17. „ Aug. „ 1641. lib. 16. Decretor. pag. 582. & 583.

LXI. Sed ad rem propoſitam redeamus: certum omnino videtur Canonicis inſervientibus Epiſcopo juxta præſcriptum a Concilio Tridentino, & a decretis Sacræ Congregationis tribuendas eſſe diſtributiones, ſi hoc neceſſario munere impediti choro intereſſe nequeant, uti ſancitum fuit in cauſa Fori Cornelienſis. Hinc autem ſequitur eoſdem Canonicos carere diſtributionibus, ſi Epiſcopo privatim rem Divinam facienti inſerviant. *Quæritur, an Canonici inſervientes Epiſcopo Miſſam privatam celebranti lucrentur diſtributiones quotidianas? Sacra &c. cenſuit non lucrari* (10). Item die 3. Februarii anno 1629. in cauſa Amerina (11): *Sacra &c. cenſuit Canonicis Epiſcopo Pontificaliter celebranti aſſiſtentibus deberi diſtributiones quotidianas, non autem inſervientibus Epiſcopo Diœceſim viſitanti, vel Miſſam privatam celebranti.*

LXII. At ſilentio præteriri non debet, quod petitum fuit a Sacra Congregatione die 6. Februarii anno 1734. videlicet (12): *An Canonicis Eccleſiæ Cathedralis aſſiſtentibus Epiſcopo Pontificalia exercenti, vel in ſuo palatio, vel in aliis Eccleſiis ſuæ diœceſis, debeantur anniverſariorum emolumenta, quæ ex voluntate Fundatorum diſtribui conſue-*

(1) *In cauſa Sor. lib. 30. decret. pag. 301.*
(2) *In Brixien. die 18. Septemb. ann. 1626. lib. 13. decret. pag. 346.*
(3) *In Regien. 18. Decemb. anno 1627. lib. 13. decret. fol. 362.*
(4) *In Pennen. lib. 27. decret. pag. 512.* (5) *In cauſa Salmonen. lib. 13. decr. pag. 329.*
(6) *Seſſ. 24. cap. 12.* (7) *In cauſa Tudertin. lib. 1. decret. pag. 110.*
(8) *Lib. 1. decret. pag. 14.* (9) *Die 26. Novemb. an. 1616. lib. 11. decret. pag. 185. & in cauſa Fori Cornel. die 30. Martii & die 17. April. anno 1649. lib. 18. decret. pag. 603. & 664.*
(10) *Die 25. Januarii anno 1625. lib. 12. decret. pag. 253. a tergo.*
(11) *Lib. 11. decret. pag. 17.* (12) *In cauſa Boſanen.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*fuerunt solum inter præsentes. Et quatenus negative, an sit consulendum Sanctissimo pro concessione Indulti ex gratia in casu &c.?* Responsum fuit: *Ad utrumque negative.*

LXIII. Postremo Clemens XI. distributionum participes eos quoque Canonicos declaravit (1), qui certis per annum diebus in ædem Regularium secedunt, ut vacent spiritualibus exercitiis; illis enim diebus, licet in chorum non veniant, tamen distributiones Pontificis privilegio consequuntur; sed multas conditiones Pontifex requirit; primum, ut Episcopi facultas pro hac re gerenda prius obtineatur; secundo, ne secessus ejusmodi tempore Adventus, Quadragesimæ, vel in Festis magis solemnibus statuatur; tertio, ne omnes simul Canonici has pias exercitationes suscipiant, at seorsim, ita ut nullum Divinis Officiis in choro detrimentum inferatur. Illud etiam prætermittendum non est fructus, ac distributiones a Canonicis etiam, & Mansionariis jure percipi, qui liberi, & immunes a choro declarati sunt, & qui Coadjutorem sibi allegerunt.

LXIV. Equidem a jure communi non decernitur illud privilegium, ut immunitatem a choro obtineat, & fructus, ac distributiones accipiat, qui per annos quadraginta Ecclesiæ inserviit (2); sed cum nonnulla peculiarium Ecclesiarum statuta idem privilegium impertirent, Gregorius XIV. ductus etiam consilio Sacræ Congregationis Concilii eadem statuta minime improbanda censuit (3). Hinc Sacra Congregatio immunitatem hanc generatim elargitur Canonicis, ac Beneficiatis, qui per annos quadraginta assidue, ac laudabiliter munere suo perfuncti fuerint. Argumentum de his immunitatibus antea difficile, implicatumque valde fuerat, sed expedire difficultates magno studio curavimus, cum in Sacra Congregatione Concilii Secretarii munus ageremus. Plura decreta super hac re condita simul collegimus, ut leges quædam generales ex illis conficerentur; uti contigit die 14. Septembris anno 1718. Primo, decretum fuit Canonicos immunes, neque ullius Residentiæ legibus teneri; secundo, pro mercede vitæ anteactæ, rerumque præclare gestarum percipiendos esse ab illis, licet absentibus, fructus, distributiones, & augmentum distributionum, quod dimanat ex aliorum absentia, qui sine legitima causa chorum dimittunt; tertio, si divinus cultus aliquid detrimenti capiat Canonicos immunes revocari posse ab Episcopo, ut resideant, & choro interfint.

LXV. Justa sacros Canones, Synodumque Tridentinam haud permittuntur Coadjutores ea conditione, ut ad Canonicatus, vel inferiora Beneficia admittantur (4). Nam hujusmodi Coadjutoriis alienæ mortis desiderium inhærere solet, quod maxime adversatur capiti. *Detestanda, de concessione præbendæ, in sexto.* Attamen Romani Pontifices, qui solum id possunt, aliquando Coadjutores concedunt, ita ut in Canonicatus, & inferiora Beneficia deinde subrogentur. (5) Petitum fuit die 2. Maji anno 1643. *An Canonicus senio confectus, cui datus est Coadjutor cum clausula, quod, Coadjuto impotente, aut inservire nolente, teneatur Coadjutor inservire, si hujusmodi Coadjutor postea gravi infirmitate oppressus, adeo ut de illius salute nulla fere spes adsit, & sic inservire non valeat, teneatur idem Coadjutus per se ipsum inservire, ad effectum percipiendi distributiones quotidianas?* S. autem Congregatio in hunc modum definit (6): *Coadjutorem non teneri inservire.* Et insuper declaravit die 29. Maji anno 1677. Coadjutum immunem esse, licet ipsius Coadjutor extra civitatem morbo teneatur: *Hæc Sacra Congregatio censuit, Canonicum coadjutum non teneri inservire in locum Coadjutoris infirmi: sed quia Coadjutor est infirmus extra civitatem, supplicatur declarari, an etiam in hoc casu resolutio præfata locum habeat? Sacra &c. respondit affirmative* (7). Insuper 19. Augusti anno 1730. Coadjutores petierunt a Sacra Congregatione (8): *An lucra provenientia ex punctaturis, & absentiis Canonicorum, quæ præsentibus accrescunt: debeantur Canonicis Coadjutoribus, sive potius Coadjutis in casu?* His responsum datum fuit: *Deberi Canonicis Coadjutis.*

## §. X.

### *De bis, qui immerito contendunt percipere distributiones ob peculiarem aliquem titulum.*

LXVI. Superius affirmavimus Canonicos vacationum mensibus duos item Canonicos, aut Mansionarios accitos ab Episcopo, ut ipsi inserviant, fructus quidem, non vero distributiones assequi, licet ob has causas legitimas choro absuerint, nunc superaddimus Canonicum, cui munus Vicarii Generalis Episcopus demandavit. & Canonicum examinatorem Synodalem, Canonicos pariter, qui Tribunali Sancti Officii, aut Cameræ Apostolicæ inserviunt, aut eos qui pias suscipiunt peregrinationes, vel qui docent jus Pontificium, & Theologiam, aut his disciplinis excolendis operam impendunt, hos omnes Canonicos, nisi chore interfint, distributionibus carere, quamvis ob allatas causas chorum dimittant.

LXVII. Afferamus pro singulis decreta Sacræ Congregationis. Ac primum die 17. Decembris anno 1627. de Canonico Vicario Generali ita statuit (9): *Sacra &c. respondit, Canonicum inservientem Episcopo in officio Vicarii non lucrari distributiones quotidianas pro illis Divinis Horis, quibus non interfit.* Item die 9. Maji anno 1671. (10). *Sacra &c. inhærendo declarationibus alias factis, respondit, Canonicum inservientem Episcopo in officio Vicarii non lucrari distributiones quotidianas pro illis Horis Divinis, quibus non interfit.*

LXVIII. De Canonico examinatore Synodali die 20. Septembris anno 1642. hæc fancita habentur (11); *An Canonici, qui sunt Examinatores Synodales, si non interfint choro, occasione assistendi examini, lucrentur distributiones quotidianas, non aliter ac si Divinis intercssent? Sacra &c. respondit non lucrari.* Id tamen definitum antea fuerat die 19. Junii anno 1638. (12): *Canonicum Examinatorem Synodalem, vocatum ad intercssendum Examini pro Parochialibus Ecclesiis vacantibus, vel pro collatione Ordinum tempore, quo Divina Officia celebrantur, si eis non interfit, non lucrari distributiones quotidianas.*

LXIX. Sed veniamus ad eum Canonicum, qui Tribunali S. Officii inservit (13): *Sacra &c. censuit, Canonicum, qui Divinis non intercst, quantumvis sit Inquisitor hæreticæ pravitatis non lucrari distributiones quotidianas.* Si distributiones ipse lucrari velit, Apostolicum privilegium necessario requiritur, uti constat decreto Sacræ Congregationis edito die 4. Junii anno 1349. (14), quod Garzia recensct (15), ipsumque die 3. Februarii anno 1635. confirmatum fuit (16). *Sacra &c. respondit, prædictos Ministros Sanctissimæ Inquisitionis non lucrari distributiones quotidianas, nisi ex speciali Sedis Apostolicæ privilegio: ac propterea Oratorem pro eo obtinendo Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis adire posse.* Sed cum privilegium hujusmodi conceditur, plerumque addi consuevit: *pro diebus, & horis.* Tunc autem Tribunalis S. Officii Ministro contingunt distributiones, quamvis ad chorum non accesserit, modo tamen obeundis S. Officii negotiis occupatus fuerit eo die, & illa hora; qua Divinum in choro Officium prætermisit.

LXX. De Cameræ Apostolicæ Administris hæc responsa fuerunt die 22. Augusti 1672. (17): *Dominus Thesaurarius Generalis Cameræ Apostolicæ ex hac Sacra Congregatione supplex quæsit, an subcollectores spoliorum, decimarum, aliorumque jurium Cameræ Apostolicæ, eorum officio durante, distributiones quotidianas lucrentur; quamvis in choro Divinis Officiis, persolvendis minime interfint? Sacra &c. censuit non lucrari, & litteras san. mem. Sixti V. datas sub annulo Piscatoris 8. Maji 1590. esse locales.*

LXXI. Insuper in causa Tudertina petitum fuit: *An Canoni-*

---

(1) *In Bullar. pag.* 547. (2) *Navarrus consultat. 2. lib. 3. de Clericis non residentibus.*
(3) *Garzia de Beneficiis pag. 3. c. 2. §. 1. n.* 344. (4) *Sess. 25. cap. 7. de Reformation.*
(5) *Cabassutius in Theologiæ, & Praxi Juris Canonicis lib. 1. cap. 16. num. 4.*
(6) *Lib. 17. Decret. pag.* 177. (7) *Lib. 29. decret. pag.* 434. (8) *In Romana Distributionum.*
(9) *In Causa Bitteti lib. 13. decret. pag.* 277. (10) *In Causa Tanat. lib. 27. decret. pag.* 113.
(11) *In Causa Cremonen. lib. 17. decretor. pag.* 93. (12) *In Causa Brixien. lib. 16. decr. pag.* 38.
(13) *In Causa Civitaten. anno* 1587. *lib. 5. decret. pag.* 39. (14) *In Causa Tuletana lib. 18. Decret. p.* 40. *& seqq.*
(15) *De Beneficiis part. 3. cap. 2. num.* 326. (16) *In Causa Mediolanen. l. 15. decr. p.* 156. (17) *Lib. 23. Decret. p.* 272.

*nonici viſitantes devotionis cauſa Eccleſiam Lauretanam, ac Angelorum de Aſſiſio aliaque pia hujuſmodi loca, dum in tali ſunt peregrinatione, poſſint fructus Præbendæ, & quotidianas diſtributiones lucrari juxta conſtitutionem antiquam ipſius Eccleſiæ, qua eis permittitur, ut ipſi peregrinantes certis diebus, & menſibus abeſſe poſſint ab Eccleſia? Sacra &c. cenſuit non poſſe lucrari quotidianas diſtributiones; fructus vero Præbendæ poſſe, ſi intra tres menſes a Decreto Concilii Seſſ. 24. cap. 12. conceſſos fecerint hanc peregrinationem.* Capitulum Ulyſipponenſe peculiari ſtatuto impertiebat diſtributiones pro certo temporis ſpatio iis Canonicis, qui pias aliquas peregrinationes inirent. Ad Sacram Congregationem ſupplex confugit, ut ipſius auctoritate idem ſtatutum firmaretur; ſed illa reſpondit in hunc modum anno 1631. (1) *Sacra &c. cenſuit confirmationem petitam nequaquam eſſe concedendam, niſi aliter Sanctiſſimo Domino Noſtro fuerit viſum; & peregrinare volentes poſſe recurrere ad hanc Sacram Congregationem, quæ juxta ſtylum non denegabit licentiam.*

LXXII. Equidem (quod ſupereſt) Magiſtris juris Pontificii, aut Sacræ Theologiæ, & has facultates addiſcentibus multa privilegia a jure communi tribuuntur (2), quæ Tridentina Synodus integra, ac perpetua eſſe voluit (3). Attamen hæc privilegia fructus tantum, non ullas diſtributiones elargiuntur: neque a S. Congregatione aliud quidquam impetrari poteſt, quam Præbendæ fructibus non carere: Quod ſi nulli fructus, aut exigui valde fuerint, tum Canonicus privilegium obtinens tertiam partem univerſi proventus amittit, quæ inter præſentes dividitur, ac duæ cæteræ partes eidem Canonico tantum ſuperſunt. Hæc docet Fagnanus (4), & Cardinalis Petra (5): Innocentius XII. decreto conſtituit (6), ne ejuſmodi privilegia, quæ ſtudiorum cauſa concedi debent, illis, qui vigeſimum quintum annum jam attigiſſent, in poſterum conferentur, & ne triennii ſpatium ſuperarent. Idem Pontifex die 15. Martii anno 1692. de medio ſuſtulit aliam corruptelam, quæ jam invaluerat. Plures enim non oſtendebant Epiſcopo privilegium, quod impetraverant, ut chorum relinquerent, ſed illud conſulto, ut ajunt, ſacculo conditum ſervabant. Quapropter juſſit Pontifex hanc formulam eidem privilegio ſuperaddi: *Ita ut præſens Indultum, quoad perceptionem fructuum, & diſtributionum, ac pœnas contentas in Sacro Concilio Tridentino, non ſuffragetur, ac ſi conceſſum non fuiſſet, niſi Ordinario loci, & in Actis iſtius Cancellariæ præſentetur, ac inſinuetur intra tempus congruum a Secretario præfigendum* (7). Hæc tamen privilegia Coadjutoribus denegantur, uti ſapienter expendit Sacræ Congregationis Secretarius *in cauſa Tarentina Indulti*, cujus examen habitum fuit die 25. Martii anno 1732.; nam prius expoſuit ſententiam doctiſſimi viri, qui ipſius locum antea tenuerat, & qui Patres Congregationis monuit, cum Indultum *cauſa ſtudii* peteretur a Coadjutore, hujuſmodi indultum a jure Pontificio Canonicis permitti, Coadjutorem vero inter Canonicos minime recenſeri; ſi Coadjutores hujus quoque privilegii participes fiant, cauſam nullam ſupereſſe, cur inſtituantur Coadjutores, cum ob hanc ſolum rationem ipſi debeant eligi, ut nempe loco Canonici coadjuti Divinis Officiis celebrandis interſint: poſtquam hæc Secretarius, uti dictum eſt ſapienter expendit, ſtatim commemorat: Indultum *cauſa ſtudii*, quod poſcebatur, conceſſum minime fuiſſe & quod *Decretum hoc firmavit regulam, quæ ſemper ſervata fuit, rejiciendi conceſſionem Indulti pro abſentia ob ſtudiorum cauſam* Eadem privilegia *cauſa ſtudii* tribui ſolent illis, qui in publica Accademia optimis facultatibus operam navant. Die 23. Martii anno 1675. Sacra Congregatio quæſtionem, quam hic ſubjicimus hac ſententia diſſolvit (8): *Joannes Petrus Strada Canonicus Collegiatæ Sanctorum Celſi & Juliani, obtento Brevi exemptionis a choro cauſa ſtudii, petit decerni, id non ſolum ſuffragari pro diebus, quibus anteceſſor legit in publica Aula Sapientiæ, verum etiam quando in ſuis privatis ædibus legit. Sacra &c. reſpondit, ſuffragari etiam pro diebus, quibus Lector legit domi propriæ, dummodo tunc etiam vere & actu ipſo ſtudiis incumbat.*

LXXIII. Sed alia plura, quæ contingunt, breviter percurramus. Non ſemel Capitulum indicitur, cum Divina Officia celebrantur: conveniunt a choro frequentes Canonici, nec tamen ob hanc cauſam diſtributionibus carere putant. At Sacra Congregatio in cauſa *Oriolen.* pravam hanc conſuetudinem improbavit (9): Quæſitum fuerat undecimo loco: *An tempore celebrationis Divinorum Officiorum poſſint Canonici habere Capitulum?* His reſpondit *Capitulum non eſſe habendum eo tempore, quo Divina Officia celebrari debent, niſi cauſa urgens in aliud tempus differri non patiatur. Quod ſi ſecus fiat, Canonicus nequaquam lucrari diſtributiones quotidianas pro illis Horis Divinis, quibus non interfuerunt.* Idem ſancitum fuit die 2. Julii anno 1633.: (10) *Sacra &c. reſpondit Capitulum non eſſe habendum eo tempore, quo Divina Officia celebrari debent, niſi cauſa aliqua urgens in aliud tempus differri non patiatur: quod ſi ſecus fiat, Canonicos nequaquam lucrari diſtributiones quotidianas pro illis Horis, quibus divinis non interfuerunt, & eo caſu poſſe Archiepiſcopum, non obſtante quacumque conſuetudine, ad ſubtractionem fructuum, & ad mulctas pecuniarias imponendas contra Canonicos procedere.*

LXXIV. Frequenter etiam accidit, quod aliqui Canonici tempore Divini Officii chorum dimittunt, ut pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrent, aut rem divinam faciant: quapropter anno 1573. Sacra Congregatio juſſu Pontificis hoc decretum promulgavit (11): *Quia quandoque in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis ſunt aliqui Canonici, vel alii Officiales, qui in iiſdem habent Cappellanias, vel in titulum vel tanquam mercenarii, quæritur, an eo tempore, quo in dictis Cappellaniis celebrant, diſtributiones recipere debeant licet abſint a choro, & quid de illis Canonicis, qui celebrant in Eadem Eccleſia ſuæ devotionis gratia, an, quando hac cauſa a choro abſunt, diſtributiones recipere poſſint, & dato, quod non, quid, ſi a Superiore Eccleſiæ eis injungatur, ut eo tempore celebrent? Sanctiſſimus Dominus Noſter etiam ex ſententia Congregationis Concilii declaravit, non poſſe, niſi quando ſic juſſiſſent eorum Superiores, quos tamen admoneri voluit, ut ab hujuſmodi juſſu abſtineant.*

LXXV. Equidem S. Carolus Borromæus hanc Pontificis ſententiam ante oculos habuit, cum ita decrevit (12): *Quicumque dum alicujus ſtatæ Horæ Officium a choro peragitur, Miſſam celebrando tunc a choro abfuerit, illius Horæ diſtributionis, tanquam abſens, particeps ne ſit, ut a Sancta Sede Apoſtolica declaratum eſt: Id vero niſi pro abſentia Sacerdotum, qui in Eccleſia tunc Miſſæ Sacrificium faciant, neceſſitas aliquando inciderit, ut Præfectus Canonicum aliquem Sacerdotem e choro exire, a ſtatæque Horæ Officio abeſſe Miſſæ celebrandæ cauſa, jubeat, aut niſi a Sede Apoſtolica aliter conceſſum fuerit.*

LXXVI. Eam perpetuo viam tenuit Sacra Congregatio: nam die 14. Martii an. 1620 (13) *Sacra &c. reſpondit, Canonicos, dum Horæ Canonicæ recitantur, non poſſe a choro abſcedere ad Confeſſiones audiendas, aut Miſſas celebrandas devotionis cauſa; ac qui diſceſſerit, illius horæ diſtributionem amittere.* Magno ſtudio, & contentione propoſita fuit cauſa Reatina die 15. Martii anno 1692., in qua ſecundo loco petebatur: *An Canonici voluntarie Miſſas tempore Divinorum Officiorum celebrantes, & dicto tempore choro non aſſiſtentes percipere, ſeu potius amittere habeant diſtributiones?* Sacra autem Congregatio definivit: *Canonicos non poſſe, niſi illa Hora ad Miſſas celebrandas, ab eo, ad quem ſpectat, compulſi, aut juſſi fuerint.* Paſſerinus (14) quærit, an contraria conſuetudo in hac re probari debeat? ſibique his verbis reſpondet: *Præciſa deputatione, vel legitima licentia Superioris, conſuetudine introduci non poteſt, ut Canonici non intereſſentes choro cauſa celebrandi Miſſas privatas, lucrentur diſtributiones; nam cauſa excitandi Canonicos ad frequentem celebra-*

(1) *Lib. 14. Decret. pag. 553.* (2) *Cap. ſuper ſpecula de Magiſtris & Cap. Cum de diverſis, de Privilegiis in ſexto.*
(3) *Cap. 1. ſeſſ. 5. de Reformat.* (4) *Cap. Licet. num. 127. de Prebendis.*
(5) *In ſuis præclaris Obſervation. in Conſtit. 9. Bonifac. VIII. num. 20. & ſeq. tom. 3.*
(6) *In ſuo Bullar. pag. 262.* (7) *Lib. 42. decret. pag. 166.*
(8) *In Cauſa Romana lib. 29. decretor. pag. 45.* (9) *Lib. 14. decret. pag. 590.*
(10) *In Cauſa Turritana lib. 14. decretor. pag. 751.* (11) *Lib. 1. decret. pag. 51.*
(12) *In 4. Concilio Provinciali Mediolanen. part. 2. cap. 13.* (13) *Lib. 12. decret. pag. 35.*
(14) *Cap. Conſuetudinem regul. 10. num. 163. de Clericis non reſident. in ſexto.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*bationem cum præjudicio obligationis ad chorum nec eſt rationabilis, nec nova cauſa, & ſpecialis, ſed generalis & præciſa a Jure, & reprobata; ex eo quod tantum tres alig fuerunt approbatæ: & idem dicendum de abſentibus cauſa Confeſſionum audiendarum.*

## §. XI.

*De precibus, quæ in Choro Metropolitanæ, & in aliis Collegiatis Urbanis, ac Diœceſanis recitantur.*

LXXVII. SUperius (1) verba fecimus de onere perſolvendi quotidie Divini Officii in choro, tum in Metropolitanis, tum in Cathedralibus, & Collegiatis; ſermonem quoque habuimus de Officio parvo B. Virginis, de Pſalmis Pœnitentialibus, & Gradualibus, qui certis diebus in choro recitantur. His omnibus plene ſatisfaciunt Canonici in noſtra Metropolitana, & duabus urbanis Collegiatis, eoſque tantum hortamur, ut inſtitutum curſum proſequantur. In Collegiata Sancti Joannis in Perſiceto præter Divinum Officium, illud pariter pro Defunctis, Pſalmi Pœnitentiales, & Graduales ſtatis diebus recitari conſueverunt, ſed Beatæ Virginis Officium prætermittitur. Contra vero in Collegiata Plebis poſt Divinum Officium quibuſdam diebus illud parvum B. Virginis, ac pro Defunctis dicitur, ſed Pſalmi Graduales, ac Pœnitentiales omittuntur. Poſtremo in Collegiata Centenſi (tres enim in Diœceſi Collegiatæ numerantur) certis diebus peracto Divino Officio, B. Virginis Officium parvum recitatur, non tamen illud pro Defunctis, neque Pſalmi Graduales, neque Pœnitentiales. Eodem loco monuimus ſancitum fuiſſe a S. Pio V., ut idem B. Virginis Officium, Pſalmi Graduales, ac Pœnitentiales recitarentur: quod ſane præceptum ad merum conſilium redigere nec poſſumus, nec volumus.

## §. XII.

*De Miſſa Conventuali, quæ celebratur in Metropolitana, & Collegiatis Urbanis, ac Diœceſanis.*

LXXVIII. PAragrapho ſecundo hujus inſtitutionis plane oſtendimus Miſſam Conventualem in Cathedralibus, & Collegiatis quotidie cum cantu celebrandam eſſe; plures certis diebus celebrandas, fructum Conventualis Sacrificii generatim benefactoribus attribuendum, illis autem Canonicis, qui animarum pariter Curam ſuſtinent, haud licere die Feſto ſimul pro benefactoribus, ac pro populo Miſſam celebrare, & applicare, quemadmodum pro utriſque debet, ſed requiri neceſſario, ut diebus Feſtis alium Sacerdotem accerſat, qui pro Populo Miſſæ Sacrificium celebret.

LXXIX. Deprehendimus a Canonicis noſtræ Metropolitanæ Miſſam Conventualem pro benefactoribus generatim applicari, aliter tamen a Manſionariis fieri conſueviſſe, cum eamdem Miſſam celebrare ad ipſos pertinet. Qua de re Sacram Viſitationem peragentes Decreto cavimus, ne in poſterum a Manſionariis id negligeretur; hinc pro benefactoribus generatim Miſſa Conventualis quotidie canitur. Certiores facti ſumus idem Inſtitutum ſervari in Collegiata S. Petronii poſt Decreta, quæ in Sacra Viſitatione condidimus. At in Collegiata S. Mariæ Majoris idem fieri oporteret, ſaltem diebus Feſtis: nam meminimus id Canonicis ejuſdem Collegiatæ Nos conceſſiſſe, eo quod tenues, & exiguas Præbendas obtineant. In his tribus Eccleſiis, quoties a Rubrica præſcribitur, plures Conventuales Miſſæ celebrantur. Quapropter nihil ſtatuendum habemus.

LXXX. In Diœceſanis autem Collegiatis aliter ſe res habet. In Eccleſia Collegiata S. Joannis in Perſiceto Miſſa Conventualis pro Benefactoribus generatim non applicatur. Contendunt enim Canonici liberam ipſis intentionem, cum primum inſtituti fuerunt, relictam fuiſſe. Quoties vero plures Miſſæ Conventuales a Rubricis indicuntur, primam idem Canonici in choro decantant, alteram privatim extra chorum celebrant. In Collegiata Plebenſi, cum Rubricæ id jubent, duæ Miſſæ cum cantu celebrantur. At vero Conventualis Miſſa nunquam pro Benefactoribus generatim, ſed pro aliquo peculiari celebratur. In Centenſi Collegiata idem contigit, quia nullum ſuppetit ſtipendium, nec unquam duæ Miſſæ Conventuales, niſi in primis, & ſecundis Rogationibus, celebrantur.

LXXXI. Id ſane diſſimulare nullo modo poſſumus: nam comperta eſt omnibus Eccleſiæ lex, quæ præcipit Conventualis Miſſæ Sacrificium benefactoribus generatim attribui; Rubricæ pariter apertiſſime plures Miſſæ Conventuales certis diebus præſcribunt; poſtremo ſancitum eſt a Sacra Congregatione abrogandam eſſe quamcumque contrariam conſuetudinem: neque Scriptorum opiniones, qui contrarium doceant, perquirendæ ſunt, ac probandæ, ſed illorum legibus obtemperandum, qui decernendi habent auctoritatem. Attamen nihil novi definire volentes, niſi prius partium rationes audiantur, Canonicis in Collegiatis Diœceſanis indicimus, ut intra tres menſes ab hac die cauſas nobis proferant, quibus putant ejuſmodi conſuetudines comprobari poſſe; ut nos inde judicemus, quæ conſentanea magis videantur. Si minime paruerint his, quæ jubemus, proculdubio ſtatuemus ea, quæ nequaquam a jure abhorreant; permittentes tamen iiſdem Canonicis, poſtquam a nobis decreta exequuti fuerint, ad Sacras Congregationes confugere, earumque judicium, ac ſententiam expoſcere.

## §. XIII.

*Quod debeant Canonici in Metropolitana, & Collegiatis urbanis, ac Diœceſanis cantum Divini Officii voce ſua proſequi; neque abuti facultate, ob quam Canonicus in locum alterius ſufficitur, ut ejus munere fungatur.*

LXXXII. PAragrapho tertio hujus Inſtitutionis falſam illorum opinionem improbavimus, qui Canonicos muneri ſuo ſatisfacere putant, Divinis Officiis præſentes ſint, non vero requiri, ut illorum cantum voce ſua proſequantur. At quoniam hunc errorem penitus evellere cupimus, ſtatuta hic recenſenda duximus, quibus Capitula hæc noſtra parere debent. Igitur capite undecimo Conſtitutionum hujus Metropolitanæ de recitandis Horis Canonicis ita præſcribitur: *Ea vero pſallendi ratio ab omnibus tam Canonicis, quam Manſionariis ſervetur, quæ ſit decens & congrua tanto muneri.* Conſtitutiones Capituli S. Petronii, quas Zanettus Epiſcopus Sebaſten., & Bononiæ Suffraganeus emendavit, hæc habent: *Matutinale Officium per unam ex tribus partibus tam Dominorum Canonicorum, quam Manſionariorum ſingulo die in aurora, & circa pulſum campanæ Sancti Petri, in Choro, intelligibili & clara voce recitari debeat.* Id prius ſancitum fuerat a Cardinali Angelo Reatino (2), cum Pius II. Pontificatum obtineret: *Item horum Primicerii & Canonicorum miniſterium erit, & ad hæc teneantur in dicta Eccleſia Sancti Petronii ſervatis debitis temporibus & horis, ſicut in Eccleſia Cathedrali, Divina Officia, & Horas Canonicas tam nocturnas, quam diurnas, omnes & ſingulas, qui fuerint præſentes, devote, clare, & intelligibiliter cantare.* Bartholomæus Raymundus anno 1392. Bononienſi præfuit Eccleſiæ, & leges condidit pro Collegiata S. Mariæ Majoris, quas deinde Cardinalis Gabriel Palæotus anno 1571. Concilii Tridentini Decretis aptavit. In illis itaque jubentur Canonici quotidie ad Eccleſiam convenire *ad Officia celebranda per ſe.* Ex his profecto deſumitur haud ſufficere, ſi Canonici præſentes fuerint, niſi etiam cum Divini Officii cantu vocem ſuam conjungant. Conſtitutiones propoſitæ Canonicis S. Joannis in Perſiceto (3), & Canonicis etiam Plebenſis Collegiatæ (4) prorſus eadem verba referunt, quæ pro Canonicis Metropolitanæ ſcripta fuiſſe nuper commemoravimus. Hæc inſuper habent Conſtitutiones S. Joannis: *Muta, & clauſa labia tenere non debent; ſed omnes (præſertim qui majori funguntur honore) in Pſalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur.* Conſtitutiones Collegiatæ Centenſis, quæ typis editæ nuper fuerunt, & modo examinantur, eamdem, præferunt ſententiam. Quapropter quiſque facile intelligit non ſolum ex jure communi, ſed ex peculiaribus noſtrarum Eccleſiarum legibus falſam illorum opinionem, qui arbitrantur Canonicos muneri ſuo nihil defuiſſe, ſi Divinis Officiis præſentes ſolum interſint. Canonici S. Petronii a Sacra Congregatione privilegium nuper aſſequuti ſunt, ut ipſorum dimidium per hebdomadæ ſpatium in chorum conveniat, alterum inde

(1) §. I. (2) *Rubr.* 13. (3) *Cap.* 7. (4) *Cap.* 3.

de dimidium alia hebdomada succedat. Quamobrem, si uti velint hoc privilegio, & Canonicum immunem a choro in suum locum substituere, cum aliquis Divinis Officiis interesse debet, haud patere recusent iis omnibus, quæ eodem Paragrapho tertio superius indicavimus; si aliter eveniat opportunum huic malo remedium comparabimus.

§. XIV.

*Quo tempore recitari debeant Horæ Canonicæ in Metropolitana, & Collegiatis tum urbanis tum Diœcesanis.*

LXXXIII. PAragrapho quarto tria potissimum ex jure communi demonstravimus; primo, Matutinum Officium sub aurora absolvendum esse, idque temporis a jure designari: secundo, certis solum diebus post Completorium permitti, ut Matutinum cum Laudibus insequentis diei recitetur: tertio, carere distributionibus, qui ad chorum accedat extra tempus præscriptum, neque illud primi Nocturni fine contineri; quamlibet vero contrariam consuetudinem, etiam immemorabilem, penitus abrogari.

LXXXIV. Canonicis Metropolitanæ indicitur (1), quod Matutinum *summo mane dici deberet, Ob nimiam hujus aeris intemperiem, ea saltem hora dicatur, qua in ortu Solis Campana, quæ vulgo dicitur Missa Sancti Petri, pulsari cessaret.* Canonici autem prius monentur ab iis Constitutionibus, quas emendatas ab Episcopo Zanetto memoravimus, quod *noctu ad eamdem* (Ecclesiam nempe S. Petronii) *pro Matutinali Officio recitando intervenire tenebantur.* Deinde superadditur: *Ut Matutinale Officium per unam ex tribus partibus tam dictorum Canonicorum, quam Mansionariorum, singulo die in aurora, & circa pulsum Campanæ Sancti Petri in choro intelligibili & clara voce recitari debeat.* Canonicis S. Joannis ita præcipitur: *Matutinum summo mane dici deberet, ob nimiam hujus aeris intemperiem ea saltem hora dicatur, in ortu Solis* Canonici pariter Collegiatæ Plebensis *cap.* 3. idem facere jubentur: *Matutinum summo mane, & in ortu Solis dicatur.*

LXXXV. Ipse Constitutiones Primam recitandam decernunt post Laudes; deinde Tertiam post horam cum dimidio; postea Missa Conventualis celebratur, eaque peracta, Sexta, ac Nona sequuntur, quæ tamen Horæ persolvuntur ante Missæ Sacrificium, quoties a Rubrica id constituitur. Canonicis Metropolitanæ interdicitur (2), Matutino Officio vacare post Completorium antecedentis diei, nisi in tribus Feriis Majoris Hebdomadæ, ac diebus Festis Corporis Domini, Sanctique Petri: Canonicis autem S. Petronii haud permittitur idem Matutinum recitare *ante occasum Solis*, nisi in privilegio omnium Sanctorum, idemque faciendum jubetur per octavam Corporis Christi, in pervigilio Sancti Petronii, ac Pentecostes. Constitutiones autem S. Joannis nihil prorsus differunt ab illis, quæ Metropolitanæ huic nostræ præscribuntur. Cum hæc ita se habeant, mirati sumus vehementer, quod in Metropolitana tempus Matutini Officii media æstate ad horam duodecimam diei protraheretur, media vero hyeme ad horam decimam septimam. Mirati quoque sumus, quod peracto Matutino Officio cum Laudibus absque ullo temporis intervallo, reliquæ Horæ Canonicæ, & Missa etiam Conventualis adjungeretur; insuper, quod decernere vellent quodam veluti jure Canonici Matutinum insequentis diei post Completorium diei antecedentis; idque Institutum servari absque ullo discrimine in Collegiatis Plebensi, ac Centensi; sed illud gravius nobis visum est, quod in Collegiata S. Joannis a celebritate omnium Sanctorum ad mensem Majum post Vesperas antecedentis diei Matutinum Officium semper recitatur; & vix reliquo tempore mane indicitur ipsum Officium, cum quo statim Horæ, quæ supersunt, & Missæ Conventualis Sacrificium conjunguntur.

LXXXVI. Originem hujus consuetudinis repetentes deprehendimus, Canonicos quidem jussos fuisse Matutinum Officium *in ortu Solis* canere, tamen triginta annorum spatium præteriisse, quo post Completorium diei antecedentis idem Matutinum expediebatur. Porro Cardinalis Jacobus Boncompagnus, cum primo Metropolitanam Ecclesiam inviseret, Decretum edidit, quo certis anni temporibus Canonici Matutinum canerent ea hora, qua Campana, quæ vulgo dicitur Missa S. Petri, pulsari cessat; aliis vero temporibus post Completorium antecedentis diei idem Matutinum persolvere liceret. Huic Decreto paruerunt omnes Canonici, qui deinde ipsius Cardinalis interposito consensu Sacræ Congregationi exposuerunt, certis anni temporibus, quibus summo mane indicebatur Officium, vix ullum in templo fuisse, qui Divinis assisteret. Tum Sacra Congregatio reliquit arbitrio Cardinalis horam Matutini recitandi, idque Diplomate Innocentii XII. die 24. Novembris anno 1691. fuit confirmatum. Præ cæteris Pontifex illud jubet: *Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis eisdem disponentibus prædictam facultatem recitandi Matutinum de mane hora consueta per te designanda, prædicta Constitutione non obstante, auctoritate Apostolica pro tuo arbitrio, & conscientia gratis impertiaris.* Quare Cardinalis Archiepiscopus justas ob causas proculdubio horas pro Divinis Officiis constituit, quæ disciplina nunc etiam retinetur, sublatumque fuit temporis intervallum inter Primam, Tertiam, aliasque Canonicas Horas. Tum Collegiatæ Urbanæ, ac Diœcesanæ idem tempus pro Divino Officio sibi statuerunt: tum fortasse Collegiatæ saltem Diœcesis morem etiam induxerunt recitandi Matutinum peracto Completorio antecedentis diei vel usum jampridem invectum confirmari tunc posse censuerunt, quamvis neque voluntas, neque auctoritas Cardinalis id concedere valeret, cui nempe solum arbitrium permissum fuit, ut horam canendi Matutini (*de mane* tamen) decerneret.

LXXXVII. Si quis ejusmodi tempus immutare vellet gravissimis certe difficultatibus implicaretur, & omnia personare querimoniis intelligeret, nec deessent peritissimi Medici qui testimoniis affirmarent id periculosum esse, & futuros, morbos, atque obitus repentinos prænunciarent ob cœli inclementiam hyberno tempore, & ob exiguum somnum æstatis tempore, si matutinis horis vigilandum sit. Attamen non latet has querimonias ex aliis causis dimanare, nempe ex vitæ ratione, institutoque, quod in hac civitate, totaque Italia nimis invaluit, ubi publicos, privatosque hominum, ac mulierum conventus ipsi Ecclesiastici frequentant. Porro id non accideret, si ipsi noctis spatium sæcularibus liberum relinquentes, illorum commercium, & familiarem consuetudinem vitarent, uti oportet, debitisque horis Ecclesiæ inservirent; sed inveteratis moribus, licet inviti, cedentes, tempus pro Divinis Officiis antea designatum permittimus; verba solum faciemus de Matutino, quod post Completorium antecedentis diei persolvitur, & certos limites indicabimus, quos qui non attigerint, tanquam absentes notari debebunt.

LXXXVIII. Non ignoramus a Canonicis in Metropolitana perraro Matutinum recitari post Completorium diei antecedentis; rarius quoque id contingere in Collegiata S. Petronii, idemque institutum retinere volumus; ipsique conformari Collegiatam etiam S. Mariæ Majoris. Deinceps peculiares quasdam leges condemus, quæ huic negotio aptissime conveniant. Canonici S. Joannis Decretum jactant Decessoris nostri, quo liceat ipsis certis anni temporibus Matutino Officio vacare post Completorium alterius diei. Quare jubemus afferri Decretum ejusmodi intra sex menses, idem temporis spatium præscribimus reliquis duabus Collegiatis Plebensi, ac Centensi, ut nobis declarent, utrum veterem consuetudinem retinere velint, & qua ratione ducantur; an vero aliud sumere consilium deliberent, ut peractis his sex mensibus, opportuna, & consentanea a nobis decernantur.

LXXXIX. Sed jam pauca dicamus, quo tempore veluti absentes notandi sint Canonici; ac primum silentio præteribimus cœtum illum Canonicorum, ubi distributiones Matutini Officii lucrabatur, qui non abesset, dum hymnus *Te Deum* caneretur. Haud nominabimus alium cœtum, ubi tanquam a Matutino absens notatur, qui post tertium Psalmum in chorum venerit; & illum pariter cœtum, ubi nota dignus tantum habetur, qui peracto secundo Psalmo (videlicet Matutini) ad chorum accesserit. Quapropter statuimus in postremum notandos esse, velut absentes a Matutino Canonicos tum in civitate, tum in Diœcesi, qui post primum Psalmum in chorum convenerint; eodemque modo notandos, qui reliquis Horis Canonicis primo Psalmo peracto, & Missæ Sacrificio post ultimum *Kyrie eleison* intererint. Hæc prorsus consentanea sunt consuetudini, quam exercent Romanæ Basilicæ, & legibus, quibus uti debent Canonici nostræ

(1) *Cap.* 10. *Constit.* (2) *Loco citato.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſtræ civitatis, ac Diœceſis, quemadmodum intelligent, ſi ipſas leges ſemel percurrant, quas ſæpiſſime quidem nominant, licet nunquam viderint. Hortamur Punctatores, ut rationem ipſis propoſitam accuratiſſime teneant. Inſuper eos monemus, ſi negligenter ſe geſſerint, teneri de ſuo reliquis Canonicis perſolvere omnem fructum, quem ex aliorum abſentia percepiſſent, ſi notati diligenter, ac merito fuiſſent. At quoniam admoniti fuimus plures inveniri, qui petulanter nitentur, ſi notentur abſentes & qua lubet hora ad Officia Divina convenire ſibi arrogant, ideo præcipimus, ut eorum nomina Punctator nobis deferat, quibus ob inſolentiam debitas pœnas irrogabimus, ut reliquæ omnes ſolicitudines vindicentur.

## §. XV.

*De modo recitandi Horas Canonicas in choro a Canonicis tum urbanis, tum Diœceſanis.*

XC. PAragrapho quinto auctoritate ſacrorum Canonum adducti plane oſtendimus in recitandis Divinis Officiis voces ante comparari debere, aliquando genuflectendum, haud feſtinanter canendum, nulla vocabula præcidenda, pauliſper voce ſubſiſtendum, ubi aſteriſcus interponitur; poſtremo ſtudium in eo conferendum, ne chori pars verſiculum canere incipiat, cum pars altera verſiculum ſuum nondum abſolverit.

XCI. Hæc niſi fiant accurate, præceptum ſane recitandi Divini Officii graviter violatur. Quamobrem remoto quocumque arbitrio, atque indulgentia, oportet indicere, ut univerſi Canonici his omnibus diligentiſſime ſatisfaciant. Ita legitur in Conſtitutionibus Metropolitanæ *cap. 11. Ea vero pſallendi ratio ab omnibus tam Canonicis, quam Manſionariis ſervetur; quæ ſit decens & congrua tanto muneri, ut non curſim, non perturbate, non oſcitanter, ſed leniter, diſtincte, ac ſtudioſe pſallant, facta convenienti in medio uniuſcujuſque Pſalmi verſiculo ſuſpenſione, qua pars a parte diſtinguatur. Si quis autem ab una parte chori incæperit, antequam ab altera verſus finiatur, vel voce evagaverit, ſe continens intra tonos & modulos jam datos, ſemel admonitus ſe non emendaverit, pro qualibet vice omnes unius diei diſtributiones debitas, aut debendas, omnino amittat.* Cardinalis Reatinus in legibus ab ipſo conditis pro Collegiata S. Petronii Canonicas Horas hoc pacto recitandas docuit (1): *Omnes & ſinguli, qui fuerint præſentes, devote, clare, & intelligibiliter cantare teneantur.* Conſtitutiones Capituli S. Joannis hæc præſcribunt Canonicis (2): *Ea vero pſallendi ratio ab omnibus tam Canonicis, quam cæteris Presbyteris ſervetur, quæ ſit decens & congrua tanto muneri, ut non curſim, non perturbate, non oſcitanter, ſed leniter, diſtincte, ac ſtudioſe pſallant, facta convenienti in medio uniuſcujuſque Pſalmi verſiculo ſuſpenſione, qua pars a parte diſtinguatur.* Eadem prorſus verba leguntur in Conſtitutionibus Collegiatæ Plebenſis *cap.* 3. Cum hæc ita ſe habeant, & cum Miſſæ Conventualis Sacrificio maximum ſtudium a Canonicis impendendum ſit, quiſque facile intelligit haud licere libros, vel quæcumque ſcripta in choro legere, dum Officia, aut res Divina peraguntur. Hoc idem quibuſdam ex recenſitis Capitulis expreſſe indicitur, ſed apertiſſime præcipitur a Conciliaribus Decretis, quæ ipſo §. quinto ſuperius recenſuimus. Itaque, ſi quis Canonicus hæc facere detrectaret, & vix chorum ingreſſus fuit, ſtatim prodiret, idque ſæpius iteraret, et cum externis in alia Eccleſiæ parte, ſive Sacrario ſermones intermiſceat; ſi quis etiam libros, aut alia ſcripta præ manibus haberet, quæ plerumque negotia præſeferunt parum illis conſentanea, qui inter initiatos Sacris cooptantur, is compertum, certumque habeat id ſibi nequaquam licere, diſtributiones haud lucrari, & inter notandos tanquam revera abſentes a choro debere referri.

## §. XVI.

*De aſſiſtentia, & vacatione a Choro in Metropolitana, & Collegatis Urbanis ac Diœceſanis.*

XCII. PAragrapho ſexto ſententiam Tridentini Concilii *cap. 12. ſeſſ. 24. de Reformatione* fuſe explicavimus, videlicet haud impertiri Canonicis trium menſium vacationem, ſed tantum conſtitui, ne vacationes ejuſmodi ſpatium trium menſium ſuperent. Oſtendimus licere Canonicis abeſſe a Choro tempore vacationum abique licentia Epiſcopi, non autem Diœceſanos fines relinquere, niſi prius facultatem ab illo impetraverint, eam rationem in his vacationibus habendam eſſe, ut non omnes uno tempore illas ſibi depoſcant; eas tandem ſtatui nequaquam poſſe tempore Adventus Domini, Quadrageſimæ, & diebus feſtis, quæ per annum majori ſolemnitate celebrantur; abſentes a Choro tempore vacationum fructus quidem præbendæ, non vero diſtributiones lucrari: tandem vacationum tempus haud ſupputandum eſſe hac ratione, ut anno peracto notæ, ſive punctationes ſimul congerantur, ſed dies integri numerandi ſunt, quibus Eccleſiæ Canonicus inſerviit.

XCIII. Gregorius XV., qui antea præfuerat huic Bononienſi Eccleſiæ, & Canonicos, ac Manſionarios divinis Officiis in Choro celebrandis aſſiduos ita perſpexerat, ut nullo unquam tempore vacare liceret; poſtquam renuntiatus fuit Pontifex Diploma promulgavit die 25. Junii anno 1621., in quo Canonicis, ac Manſionariis hæc liberaliter elargitur: *Mandamus, ut poſthac in perpetuum eiſdem Canonicis duorum, Manſionariis vero prædictis unius menſis vacationem ſingulis annis a reſidentia perſonali in dicta Eccleſia per ipſos facienda certis anni temporibus, & alternatim juxta diſtributionem per eumdem Ludovicum Cardinalem,* (Cardinalem Ludovilium nominat Nepotem ſuum, & Bononienſem tunc Archiepiſcopum) *modernum & pro tempore exiſtentem Præſulem hujuſmodi faciendam libere permittat, ita ut eiſdem temporibus non reſidendo, ac Divinis Officiis minime intereſſendo, nihilominus fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque, ac etiam diſtributiones quotidianas, quæ ſolis præſentibus, & Divinis Officiis intereſſentibus dari ſolent, ipſi Canonici & Manſionarii prædicti percipere, exigere, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertere libere, & licite valeant.*

XCIV. Quapropter, cum idem Cardinalis Ludoviſius Apoſtolicum hoc privilegium executioni demandare vellet, die 10. Decembris anno 1621. monumentum, ſeu Decretum ſolemne condidit, ubi præ cæteris hæc leguntur: *Ut diebus feſtis Chorus frequentior habeatur illa hora, qua magno numero populus ad Eccleſiam confluere ſolet, indicitur haud licere vacationem a Miſſæ Conventualis Sacrificio, neque a Veſperis ejuſdem diei ſibi deſumere, quoties feſti dies ab Eccleſia præcipiuntur. Item vacare non liceat a Matutinis in pervigilio Natalis Domini, ac feriis 4. 5. & 6. majoris Hebdomadæ, die ſolemnis Paſchatis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, S. Petri, & Sanctorum omnium: reliquis anni diebus vacatio a Pontifice permiſſa libere ſumatur, donec numerus duorum menſium pro Canonicis, unius tantum menſis pro Manſionariis abſolvatur.* Ex his poſtremis verbis facile colligitur permiſſum ab eodem Cardinali fuiſſe, ut notæ, ſeu punctationes anni curſu a Canonicis abſentibus contractæ ſimul jungerentur, totidemque dies ipſi ex vacatione duorum menſium, Manſionarii tamen ex numero unius menſis detraherent.

XCV. Nihil novi Metropolitanæ noſtræ ſancimus, ſed Cardinalis Ludoviſii decretum obſervari plurimum commendamus, ſartum, tectumque perpetuo cupientes diploma Gregorii XV., & illud pariter monemus, ne Canonicus ullus diœceſis finibus excedat, etiam vacationum tempore, niſi prius a nobis facultatem conſequutus fuerit.

XCVI. Quondam in Collegiata S. Petronii quadraginta dierum vacationem ſingulis annis Paulus III. Canonicis indulſerat, cujus participes nequaquam eſſe Manſionarios Sacra Congregatio die 30. Martii anno 1685. declaraverat. Nunc autem interpoſita Sacræ Congregationis auctoritate novam rationem, & inſtitutum Canonicis propoſuimus; ita ut dimidia pars illorum per unius hebdomadæ ſpatium in Chorum conveniat, & tunc altera pars vacationem obtineat: Pars, quæ vacat a Choro immunis diſtributiones quidem amittit, ſed ipſæ augentur pro illis diebus, quibus divinis Officiis recitandis Canonici vacantes ſubrogantur. Dies quoque enumeravimus, quibus, nullo habito diſcrimine, Canonicos omnes convenire oportet. Permiſſum Manſionariis pariter fuit, ut quadraginta dierum ſpatio vacarent; quæ ſane omnia explicantur iis decretis, quæ die 28. Maii, & die 2. Septembris anno 1735. in lucem dedimus. Quare ſingulos hortamur, ut iiſdem decretis pareant; ac ne ullus a diœ-

(1) *Rubr. 13.* (2) *Cap. 7.*

diœceſi abſcedat, niſi prius facultas noſtra interceſſerit, ac ne parvi uſus, quos ſuperius indicavimus, cum aliquis immunis Canonicus alterius loco ſufficiendus eſt, iterum revocentur.

XCVII. Conſtitutiones, quas Bartholomæus Bononienſium Epiſcopus pro Canonicis S. Mariæ Majoris confecerat anno 1394. obſoleverunt, ita ut moribus hujus temporis aptari nequeant. Teſtatur ipſe Epiſcopus eam legem propoſitam eſſe Canonicis, ut quotidie ad Chorum accedant, quod tamen quotidie facere pretermiſerant. Quapropter dies omnes deſignavit, quibus intereſſe Choro tenebantur *ad Divina Officia celebranda per ſe, vel per ſubſtitutum idoneum, ceſſante juſto impedimento*. Nunc Canonici S. Mariæ Majoris per duos menſes vacationem habent, quo tempore diſtributiones quoque percipiunt; tamen diebus feſtis vacare ipſis non licet; Initium, & cauſa diuturnæ hujus vacationis penitus ignoratur: id nos conſentaneum exiſtimamus, ideoque nihil innovandum ducimus; Canonicis ipſis facile indulgemus ob exiguos ipſorum proventus, ut etiam dum vacant a Choro, diſtributiones lucrentur: ſolum commendamus illis ſummopere, feſtis diebus Chorum ulla ratione dimittant.

XCVIII. Canonici S. Joannis, ac Centenſis Capituli nullis utuntur vacationibus. Sed Collegiatæ Plebenſis Canonicis vacatio per duos menſes conceditur. Quamobrem Capitulum S. Joannis idem privilegium a nobis petierunt. Examinibus, quid vel noſtra, vel ampliori alterius Judicis auctoritate tribuendum ipſis Canonicis videatur: ſed opus eſt, ut intra ſex menſes ipſi, & Centenſes etiam Canonici hoc privilegium expoſcant ea conditione, ut dies feſti a vacationibus ſecernantur. Opus pariter eſt, ut Canonici Plebenſis Collegiatæ nobis oſtendant intra ſpatium ejuſdem temporis, cur duobus menſibus, & feſtis etiam diebus a Choro immunes habeantur.

## §. ULTIMUM.

*De his Canonicis, qui diſtributiones quotidianas lucrantur, & qui ipſis privantur tum in Metropolitana, tum in Collegiatis Urbanis, & Diœceſanis.*

XCIX. PAragrapho ſeptimo fuſe jam expoſuimus hoc argumentum. Quare repetenda minime ſunt, quæ diximus, ſed tantum omnes in Civitate, ac Diœceſi Canonicos monemus, ut *ipſis diligenter* obtemperent. Nam ſunt leges a Sacra *Congregatione* præſcriptæ, ex jure Pontificio, & Synodo Tridentina deſumptæ. Attamen pauca ſupperaddenda putamus de corporis ægritudine, de animarum cura, de Miſſa celebranda, cum divina Officia peraguntur, quæ frequenter contingunt, aut veluti impedimenta pro dimittendo Officio ſolent afferri.

C. In mentem venit quidam cœtus Canonicorum ultra montes, qui diſtributiones percipiendas aſſerebat a Canonicis, & Manſionariis, qui choro abeſſent, ut barbam deponerent, eumque diem comparandum diebus ægrotantium contendebat. Hic *dies de barba* nuncupatur, quo Sacra Congregatio permiſit quidem Canonicis abeſſe a Choro, & diſtributiones lucrari: decrevit tamen, ipſum diem recenſeri inter vacationum dies, quos illi Canonici ſingulis annis per trium menſium ſpatium obtinebant. Veteres Conſtitutiones S. Mariæ Majoris in hac re nimis Canonicis indulgent. Omittimus illas etiam, quas anno 1394. Bartholomæus Epiſcopus confecit, uti dictum eſt. De illis verba facimus, quæ conditæ fuerunt ab Epiſcopo Uberto, qui circiter annum 1303. Bononienſem Eccleſiam adminiſtravit. Jubet ipſe, diſtributiones ſolum iis Canonicis impertiri, qui præſentes Divinis Officium interſunt. *Niſi quem corporalis infirmitas, ſeu debilitas, aut ſanguinis minutio, ſeu ſumptio potionis, vel medicinæ, excuſaverit, qui potionatus, vel minatus, tribus diebus ab ipſis Horis poſſit abeſſe*. Laxa nimis proculdubio videtur hæc Conſtitutio, niſi ad eos redigatur, qui morbi cauſa ſanguinis copiam imminuere, aut potionem aliquam ſumere debent, illis omnino ſeclusis, qui purgandi corporis gratia hæc eadem facienda ſuſcipiunt. Statuta vero Canonicis S. Petronii ab Epiſcopo Zanetto propoſita, cum Clemens VII. Pontificatum gereret, nimiam ſeveritatem præferunt; nam ſi qui Matutino Officio ſub auroram præſens non fuerit, etiam ſi morbo impediatur, caret omnino diſtributionibus: *Neque in hoc abſentes aut infirmi excuſari valeant; ſed portio tam abſentium, quam infirmorum, ſi qui fuerint, cæteris præſentibus accreſcat*. Sed Eccleſia mater piiſſima indulget ægrotantibus diſtributiones etiam percipere, quamvis abſentes a Choro extiterint, ſi tamen (dum incolumes erant) Eccleſiæ diligenter inſervire conſueverint, ut jam ſuſe demonſtravimus. Quapropter morbi gravitas, ac veritas ſolum examinanda ſupereſt. Hinc denuo repetimus, quod ſuperius a nobis dictum eſt, inter ægrotantes haud numerandos eſſe, qui urbem circumit, & negotiis ſuis operam præbet: & qui per diem ſuis ædibus clauditur, ſere tamen conventus hominum inviſit, ibique ad multam noctem verſatur: Medicos autem rogamus, & obteſtamur, eoſque facies votis noſtris futuros eſſe pro certo habemus, ob noſtram in ipſos benevolentiam, & obſervantiam, ne tam moleſtu ſibi negotium exhibeant probandi nobis, uti non ſemel evenit, quod triſtitia Chori non exiguum affert detrimentum, contra vero voluptas, quæ dimanat ex hominum commercio, & conſuetudine tuendæ incolumitati confert maxime; ex quo tanquam præſentes exiſtimari volunt Canonicos, qui Chorum dimittunt, nocturnis vero cœtibus longum tempus infumunt. Porro triſtitiam, quam Divinis Officiis adjunctam eſſe prædicant, Dæmonis impulſu concitari non immerito putamus, nec ſatis tutam eſſe innocentiam, præſertim in iis, quibus etiam mulieres admiſcenter; hinc morum Magiſtros Phyſicæ Profeſſoribus anteferendos judicamus, neque immunes eos habendos eſſe, qui triſtitiam, & voluptatem ex his percipiunt, quæ Dæmoni ſummopere arrident.

CI. Prior Collegiatæ S. Mariæ Majoris juxta Decreta Romanæ Rotæ curam gerit animarum, & primam in eo Capitulo dignitatem obtinet; eumdem principem locum tenent Archipresbyteri in Collegiata S. Joannis, in Plebenſi, ac Centenſi, & ipſis animarum cura committitur: hi omnes Divinis Officiis adeſſe tenentur. Equidem diſtributiones aliquando percipiunt, licet ad Chorum minime accedant ſed tunc ſolum id accidit, cum animarum cura diſtenti occupantur. Quare in mentem ipſis revocamus, ut hoc privilegio, cum opus fuerit, ſolum utantur. Meminerint præter Canonicum notandis abſentibus conſtituturum, alium quoque Cenſorem, ac Judicem in cœlis verſari, quem nemo decipere poteſt, & qui falſas rationes reliquis mortalibus impervias, ſuo lumine deprehendit, nec debitis afficere pœnis omittit.

CII. In vetuſtis legibus, quas pro Canonicis S. Petronii Epiſcopus Amerinus edidit, hæc leguntur (1): *Item quod ſignentur illi, qui celebraverint Miſſas in Eccleſia prædicta tempore Officii, vel Miſſæ in Choro, dummodo non maneant extra Chorum; niſi dicta de cauſa*. Hinc videntur diſtributiones illi concedi, qui Chorum relinquit, dum Officia Divina peraguntur, ut in eadem Eccleſia, non autem in aliena Miſſæ ſacrificium celebrent. Si quis id facere pariter contendat, & hujus Conſtitutionis auctoritatem nobis obiciat; duo potiſſimum reſpondemus. Primum, Canonicis S. Petronii Matutinum Officium tempore noctis olim indicebatur, deinde recentius ſub auroram; & illi, tanquam abſentes notabantur, qui matutino abeſſent, licet morbo premerentur. Quare vel univerſæ leges vetuſtæ vel nullæ in poſtlimum revocentur, uti dici ſolet *in ſubjecta materia*. Non enim licere debet partim probare, & partim improbare vetuſtatem, nempe, probare in iis, quæ commodum afferunt, in illis autem improbare, quæ nimis incommoda, & moleſta videntur. Secundum, cum poſteriori tempore Sacra Congregatio ſuis decretis a Pontifice confirmatis, declaravit, carere diſtributionibus Canonicum, qui Divinum Officium in Choro dimittit, ut Miſſam celebret, hinc juris effatum locum habet, nempe, *poſteriora derogant prioribus*. Ob has cauſas die 28. Maji anno 1735. hoc decretum pro Canonicis S. Petronii vidimus: *Et quia non dicitur veniſſe, qui non ſtetit, mandamus ulterius, ut habeatur pro abſente, qui tempore Divinorum Officiorum non ſtat in Choro, ſed vel in Eccleſia; aut in Sacrario, & ſic extra Chorum, vel a Choro exit, ut Miſſam tempore prædicto celebret, niſi forte ad Miſſam celebrandam accedat vocatus a Tabulario, & petita, & obtenta licentia a Canonico Camerario, vel ab alio Canonico in ejus vices ſuffecto, ſtricte onerata conſcientia Puncatoris, ſi in*

(1) *Rubric.* 10.

*in quolibet ex dictis casibus punctare omittat pro rata absentiæ.*

CIII. Idem Decretum renovamus, iterumque præcipimus Canonicis tum in Metropolitana, tum in Collegiatis Urbanis, ac Diœcesanis, ne Divinum Officium in Choro intermittant, ac deserant Missam Conventualem, ut ipsi Missæ Sacrificium privatim Ecclesia celebrent: nisi vocenter a Custode Sacrarii, & petita prius, ac obtenta licentia ab eo Canonico, qui primum in choro locum teneat, qui eam rationem habebit, ne multis uno tempore id concedatur, ab ne Chori frequentia ob nimiam facultatem plurimum imminuatur. Si quis Missam celebrabit contra hæc, quæ præscripsimus tanquam absens notabitur per illas horas, quibus Chorum relinquet. Si punctator munus suum prætermiserit, de suo satisfacere tenetur, illatumque cæteris damnum reparare. Ipse pro certo habeat se nullam ob causam remissionis, vel condonationis excusari, uti superius comprobavimus: ut uno verbo complectamur omnia, Chorum dimittere non licet pro Missa celebranda, nisi Ecclesiæ commodum, non vero Sacerdotis utilitas id postulaverit. Perpendant Canonici, & Mansionarii singularem indulgentiam, qua horæ statuuntur ad Matutinum Officium peragendum, & inde facile cognoscent, an Missa celebrari commode possit, priusquam Divinis Officiis initium fiat.

CIV. Post sex menses ab hac die, delatisque petitionibus, quas nuper indicavimus, Tabellam promulgabimus, quæ horas ad Officium Divinum canendum in singulis Collegiatis designet: interim nullos immunes facimus ab iis omnibus, quæ superius decrevimus, neque a pœnis, quæ jussa hæc detrectantibus irrogantur, si forte contingat ante sex menses, vel etiam hoc tempore eadem jussa violari.

FINIS.

# EPISTOLA PASTORALIS

## EMINENTISSIMI ET REVER. DOMINI CARD. PROSPERI DE LAMBERTINIS

### Bononiensis Archiepiscopi, et Principis tunc Archiepiscopi Theodosiensis

## AD CLERUM POPULUMQUE ANCONITANUM, CUM EORUM EPISCOPUS RENUNCIATUS EST.

Rationem reddit, quare hæc Epistola non statim ab adepto Episcopatu data sit. Fuse sibi de illo gaudet. Ait se ejusdem muneribus imparem; ob idque preces omnium apud Deum exposcit.

## PROSPER DE LAMBERTINIS

*Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopus, Episcopus Anconæ, & Humanæ Comes Pontificii Solii Assistens, Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Secretarius, Fidei Promotor, in suprema Universali Inquisitione Consultor, & in Tribunali Sacræ Pœnitentiariæ Doctor in Decretis.*

### Dilectissimo Clero, Populoque suo salutem in Domino sempiternam.

MIrati estis fortasse, Venerabiles Fratres; dilectissimi Filii, quod ego singulari Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIII. beneficentia nobilissimæ Civitatis vestræ Episcopus, nullo sane merito, renunciatus, non statim vos, ut fieri solet, Pastorali Epistola hac de re certiores fecerim, sed ad hanc diem omnem animi mei erga vos significationem distulerim: At vero, si tempus, in quo id contigit, & interjectum Episcopalis Possessionis intervallum animadvertatis, desinetis præfecto mirari, atque etiam intelligetis, me partim necessitate, partim voluntate ejusmodi officii genus ad hæc tempora reservasse. Cum enim satis intelligerem, suscepti muneris felicitatem ab orationibus vestris esse potissimum auspicandam, nullum quidem tempus Quadragesimali ad hanc rem opportunius esse putavi, quod & jejuniis, & ferventioribus obsecrationibus vestris Deo magis acceptabile fore minime dubito. Hoc autem vel alacriori animo facturos esse confido, si compertum habeatis, me animarum vestrarum curam ingenti gaudio, summaque lætitia suscepisse. Quamobrem nihil Romæ amplitudo, ac majestas, ubi annos quadraginta perpetuos vixi, nihil complurium Officiorum dignitas, quæ in hac Aula omnium principe sustinui, efficere potuerunt, quo minus ad vos commigrare, Civis vester fieri, & una cum vobis vivere gauderem. Quamquam enim (testis sit mihi Deus) neque vestræ, neque alterius Civitatis Episcopalem dignitatem quæsierim unquam vel optaverim: nic ominus ad vos venire jussus, statim parui, lætoque animo præsto fui: omne id voluntatem Dei esse non dubitans, quod Benedictus XIII. in terris JESU CHRISTI Vicarius sponte sua, nulloque humano consilio decreverat. Aliæ quoque fuerunt mihi lætandi causæ: Pontificalis scilicet istius Sedis splendor, & tot clarissima Prædecessorum lumina, qui cum Purpuræ dignitate, tum etiam zelo ac vitæ sanctitate Orbi universo præluxerunt. Huc etiam accedit singularis amor, & studium, quo majores vestri prosequuti sunt Joannem Matthæum, & Vincentium e pervetusta Lucborum familia Bononiensi, Cives meos, qui posterior inter Venerabiles Tridentini Concilii Patres summa cum laude sedit, eique majores vestri in Episcopali Ecclesia monumentum posuere, perenne erga illum voluntatis suæ testimonium: ut nihil loquar de Egano, & Ludovico Lambertini, Gentilibus meis: quorum ille a majoribus vestris anno 1384. ad vestræ Reipublicæ gubernacula vocatus, tantam sibi ab universis conciliavit benevolentiam, ut ego pudore afficiar hoc loco referre amplissimas laudes, quibus illum Annales vestri ad cœlum efferunt; alter vero, cum varia pro Apostolica Sede obiisset Præsulis munera, ad vestram Civitatem administrandam accessit anno 1573. pro Cardinali Guastavillano, qui tunc Piceni Legatione fungebatur. Preterea gaudium cum privatum, tum publicum, quo Civitas vestra Pastoralis dignitatis ad me delatæ nuntium excepit, tum etiam pietas, ad quam maxime propensi estis, mores vestri ingenui, & finceri, cum singulari erga Pastores animarum vestrarum observantia conjuncti, mirum, quantum animum meum recreant, & suavissima voluptate perfundunt. Sed ob quam metuo, ne isthæc communis lætitia brevi vertatur in luctum, atque mœrorem! Video enim, video, quam sublime, quam arduum, & vel ipsis Angelorum humeris formidandum onus susceperim. Video, quam magna, & peculiari Dei gratia opus sit, ut Episcopalis officii partem expleam, cum de colenda Vinea Domini, & de sempiterna animarum salute res sit. Dissimulare tamen non possum, Ecclesiarum regendarum rationem non esse mihi prorsus ignotam, atque obscuram. Nam, præter ea plura Ecclesiastica munera, in quibus Summi Pontifices Clemens XI. Innocentius XIII. & Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIII. opera mea qualiscumque illa sit, uti voluerunt, accedit quoque usus, & exercitatio diuturna in iis, quæ ad rem Ecclesiasticam pertinent, quam a decem annis habeo Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Secretarius. Ad hanc enim, ut perpetuam ejusdem Tridentini interpretem, & administram, ex omnibus fere Catholici Orbis partibus Ecclesiarum Status deferuntur, & plurima quotidie confluunt expedienda Episcoporum negotia. Nec me quidem latet, quæ, & quanta pro Dei gloria, & animarum sibi commissarum salute egerint quamplurimi fortissimi Præsules doctrina, & sanctitate illustres; quippe qui viginti circiter annos Fidei Promotor in Sacra Rituum Congregatione præ oculis habuerim veneranda eorum acta, admirandasque virtutes. At vero, quid ista valent, nisi ut infirmitatem meam illustriorem efficiant, cum præter dignitatis nomen, ac potestatis insignia, nihil me eorum simile habere agnoscam, & ingenuo pudore confitear? Quid preclara virtutum exempla quæ in illis miratus sum, atque suspexi, nisi me ipsum prebeam in omnibus, ut Apostolus monet, exemplum bonorum operum? Cum enim Episcopus ad ejus vitæ genus vocatus sit, in quo ut ab Apostolo iterum admonemur, providere debet bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus; profecto non satis esse intelligo, ut a Divo Joanne dicitur, si cor meum non reprehenderit me; sed illud preterea totis viribus enitendum, ut vos omnes ad normam Divinæ Legis, & Sacrorum Canonum præscriptiones in via justitiæ, & veritatis una mecum ambuletis. Quamobrem, dilectissimi, oro vos, atque obsecro per viscera JESU CHRISTI, ut assiduis orationibus vestris imbecillitati meæ robur, & auxilium gratiæ Dei postuletis, ne tanto oneri ferendo imparem omnino deficiam. Vos Venerabiles Sacerdotes in Sacrosancte Missæ Sacrificio mei memoriam agite. Vos ceteri cujusque Ordinis, tam Regulares, quam Seculares, pro me ad Deum Patrem Omnipotentem ex animo preces effundite, ut immisso celesti lumine valeam vos in viam salutis opportune dirigere. Hoc quidem & charitas vestra, & meus erga vos amor, certe a vobis ut spero, obtinebunt. Ego enim, ex quo sum in Episcopum Civitatis vestræ suffectus, in Sacrificiis, & orationibus meis præsentes vos habere numquam desiti. Vos ergo pariter ad Deum pro me intercessores estote: ut per vos æquitatem, & scientiam, & fortitudinem, ceteraque virtutes, quæ mihi opus sunt, pro salute animæ meæ, ac vestræ, ut plane confido, consequi valeam. Interim benedictio Dei, quam vobis ex intimo cordis affectu impertior, & gratia Domini Nostri JESU CHRISTI sint semper cum omnibus vobis. Valete.

*Datum extra Portam Flaminiam Sexto Kalendas Martii anno 1727.*

INDEX

UAB Biblioteca de Ciències Socials

# INDEX RERUM

## NUMERO ROMANO INDICATUR INSTITUTIO.


*Abbates.*

TEmpore Sacrificii non possunt uti instrumento argenteo cum candela, quod vulgo dicitur *Bugia*. Inst. XXXIV. num. 17.
Neque consecrare, nisi in propriis Ecclesiis Vasa pro Sacrificio sine speciali Pontificis privilegio. XXI. num. 19.
Possunt tamen Vestes, & Vasa Sacra benedicere. XXI. num. 13.
Conferre primam Tonsuram, & Ordines Minores sibi Subditis de licentia Episcopi. *ibid.*, & num. 14.
Minime vero sibi non Subditis, etiam de licentia Episcopi. *ibid.*

*Abbates Regulares.*

In Missis, ac Vesperis Pontificalibus tantum impertiri possunt benedictionem cum trina Crucis productione. XXXIV. numer. 19.
In Missis privatis, quoad omnia, a simplici Sacerdote non differunt. *ibid.*

*Absolutio Sacramentalis.*

Variæ Auctorum sententiæ circa Ecclesiasticam disciplinam de absolutione: an concederetur, vel negaretur etiam in mortis articulo quibusdam peccatoribus. XXI. num. 2. usque ad 7.
Nullum est tamen grave peccatum, quod accedente poenitentia absolvi nequeat. XXI. nu. 4.
Quinam ejus sint incapaces. LXXII. num. 19.

*Acceptio Personarum.*

Quando committatur occasione nominationis ad beneficia. XII. num. 8.
Si præferatur amicus, vel consanguineus, meritis æqualibus, non committitur. *ibid.*

*Actus Fidei, Spei, & Charitatis.*

Non sufficit eos elicere aliquando intra quinquennium. LXXII. n. 4. usque ad 8.
Propositiones in hac materia damnatæ. LXXII. num. 20.
Divino, naturalique præcepto tenemur eos proferre aliquando in vitæ curriculo. *ibid.*
In quibus circumstantiis eos teneamur iterare. *ibid.*
In salutis discrimine versatur, qui frequenter eos non elicit. LXXII. num. 21.

*Administratores Ecclesiarum.*

Quando teneantur administrare Celebrantibus utensilia. LVI. numer. 13.
Utrum, & quando possint sibi retinere partem eleemosynæ pro utensilibus in Missæ Sacrificio. LVI. num. 17.

*Adrianus Secundus.*

Quid fecerit, ut Regem Lotharium ab impudicis amoribus cum pellice Valdrada averteret. XLV. num. 17.

*Adventus Domini.*

Celebritas Adventus Domini a quo fuerit instituta. XI. num. 7.
Quot sint Adventus Domini, ob quos Ecclesia celebritatem instituit. *ibid.*, sed num. 8. & 9.
Jejunium in eo servari solitum tam apud Orientalem, quam Occidentalem Ecclesiam. XI. num. 9.
Eodem tempore non incipit apud Ordines Regulares. num. 5.
Antiquitus Jejunium erat indictum. num. 5.
Quando hæc disciplina fuerit immutata: *ibid.*
Celebritas Adventus Domini juxta Durandum a S. Petro inducta. XI. num. 7.
Probabilius a S. Gregorio Magno. *ibid.*
Quare die primo Dominico Adventus legatur Evangelium de Judicio finali. *ibid.* num. 9.
Quare eo tempore omittatur *Gloria in Excelsis*, & Hymnus *Te Deum*. *ibid.* num. 9.
Quare a Diaconis Dalmaticæ, & Subdiaconis Tunicellæ deponantur, & Casulas complicatas ipsi assumant. *ibid.*
Tempus Adventus Domini non modo a Claustralibus sed ab omnibus observandum num. 10.
Antiquitus eo tempore Conjuges ab omni commercio abstinebant. *ibid.*
Quid a Parocho præstandum hoc tempore ex S. Carolo Borromæo. num. 11.
Novendiales preces faciendæ ante diem Natalem Domini. n. 13.

*Agapæ.*

Quid essent, & quomodo celebrarentur. LIV. num. 3.
Corruptelæ inductæ earum occasione primis Ecclesiæ temporibus, quam graviter a S. Paulo reprehensæ. num. 13.
Quanto tempore perseveraverint. *ibid.* & num. 14.

*Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus.*

Quam improbaverit Magnatum consuetudinem utendi Sacerdotibus ad res domesticas. XXXIV. n. 6.

*Aistulphus Longobardorum Rex.*

Quadraginta Lucios quotannis exigit a Monachis Nonantulæ pro S. Martini Quadragesima. XI. n. 5.

*Alcuinus.*

A Carolo Magno in Angliam accitus, ut in ejus ditione Academias novis legibus institueret. XLII. n. 9.
Quam necessariam ad Sacras facultates putaret Logicam. *ibid.*

*Alexander Cardinalis Sforzia.*

Legatus Civitatis Bononiensis luxum prohibuit in vestibus, conviviis, & exequiis celebrandis. XXXVI. num. 1.

*Alexander III.*

Pessimam consuetudinem, quæ in Galliis ætate media obtinebat, de injuriis ab unoquoque privata auctoritate puniendis, conatur evellere. XI. num. 10.
Saltem tempore Adventus Domini. *ibid.* Canonicarum Theologalem primus instituit. LVII. num. 2.
Interrogatus a quibusdam populis prope mare degentibus, an liceret piscari diebus festis Haleces, si forte ad littus accessissent, quid responderit. LV. num. 17.
Valida decernit testamenta facta coram Parocho, & tribus, vel duabus aliis personis idoneis. CV. num. 2., & 3.

*Alexander Severus.*

In eligendis provinciarum Rectoribus, vel Procuratoribus quinam esset ejus mos, & consuetudo. LII. num. 22.

*Alexander VII.*

Ob gravissimas causas permisit omitti aliqua Sacramentalia in Baptismo conferendo Mulieribus Sinensibus. XCVIII. num. 16.
Initiandis Romæ Sacris Ordinibus spiritualem secessum decem dierum præscribit. CIV. num. 5.

*Altaria Privilegiata.*

Quo fundamento Summus Pontifex innitatur declarans Altaria privilegiata. LVI. num. 13.
Altarium hujusmodi antiqua monumenta. *ibid.*
Quænam sint ea Ecclesiæ, quibus conceditur Altare privilegiatum. num. 16.
Quot numero Missæ debeant quotidie celebrari in Ecclesia, ubi est Altare privilegiatum. num. 16.
Quando Altare privilegiatum maneat suspensum ratione obligationis numeri Missarum, quæ non adimplentur. n. 17.

*Ancillæ.*

Quis earum Parochus. XXXIII. num. 17.

*Annulus in digitis.*

Interdicitur quibuscumque Sacerdotibus tempore Missæ. XXXIV. num. 15.

*Apostoli.*

Rem Divinam non fecerunt triduo mortis Domini. XXI. numer. 2.
Quando prima fecerint. n. 3.
Qua veste induti. n. 4.
Super Altare sacrificaverunt. n. 7.
Ad Græcorum querimonias contra Judæos eleemosynarum distribuendarum munus iis demandant. LXXII. num. 26.
Mulieres suorum itinerum comites habebant, quæ alimenta necessaria subministrarent. LXXXIII. num. 23.
Quare postea eas dimiserint. *ibid.*

*Archipresbyteri.*

Singulis mensibus tenentur cœtus pro examinandis quæstionibus Theologiæ Moralis indicere. CII. n. 5.
Sive Titulares sint, sive alios Parochos subjectos habeant. CII. numer. 3.
Quomodo se gerere debeant, cum nullos habent sibi subjectos Parochos. CII. n. 5.
Quænam statuantur pœnæ in eos, qui hujusmodi cœtus omittunt. *ibid.*
Non satis est si suam sententiam scriptam transmittant, nisi legitime impediti. *ibid.*

*Archidiaconi.*

Quænam essent eorum partes, & munus erga Ordinandos. LXXII. num. 22.

*Arsaces Sicariorum Princeps.*

Mittit nonnullos qui S. Ludovicum Galliarum Regem obtruncarent. XLI. n. 6.

*Articuli Fidei.*

Quinam explicite, & quinam implicite credendi, & qua necessitate. LXXII. n. 14. & 15.
Propositio in hac materia ab Innocentio XI. damnata. n. 14.
Utrum omnes Fideles æqualiter teneantur ad notitiam explicitam articulorum Fidei, qui sunt necessarii necessitate medii n. 19.
Laborans ignorantia mysteriorum, quæ necessaria sunt necessitate medii, non est capax absolutionis. *ibid.*
Propositio in hac materia damnata ab Innocentio XI. *ibid.*

*Asylus, seu localis immunitas Ecclesiarum.*

Rei omnes in Ecclesiis gaudent Asyli Beneficio, nisi crimina talia sint, quibus denegatur hoc privilegium. XLI. num. 2.
Asyli institutionem approbant Sacræ litteræ. *ibid.*
Crimina, quibus Asyli privilegium denegatur ex jure communi, & antiquis Pontificum decretis. n. 3.
Crimina, quibus idem privilegium denegatur ex Constitutionibus Gregorii XIV., Benedicti XIII., & Clementis XII. num. 9. usque ad 13.
Utrum decoctores per luxuriam, vel qui se tales simulant, gaudeant privilegio Asyli Ecclesiastici num. 9.
Non gaudentes privilegio Asyli Ecclesiastici, qua ratione extrahendi num. 26.
An possint extrahi causa indicta. *ibid.*
Utrum illi sint extrahendi, qui solum ex conjecturis cognoscuntur non gaudere hoc privilegio. *ibid.* usque ad num. 29.
Non obstante immunitate, si quis gravium criminum reus sit, vel sæpius illa commiserit, interposita Summi Pontificis auctoritate, deinde potest in carceres detrudi Judicis Ecclesiastici, & pœna extraordinaria puniri. num. 33.

Rei qui Asylo non gaudent, extrahendi; legumque auctoritate a suis Judicibus plectendi num. 29.
Confugientes ad loca Sacra, si longe ab ipsis capiantur, non gaudent privilegio Asyli, etiamsi dolo inde subducti. num. 31.
*Aspersorium.*
A quo debeant porrigi Episcopo accedenti ad Ecclesiam suæ Diœcesis. CV. num. 128.
*Auctor Cantus*
Psalmorum in Ecclesia. Vide. *S. Ambrosius*. Vide. *Diodorus*. Vide. *Flavianus Antiochenus*.
*Bacchanalia.*
Inde dicta vulgo *Carnovale*. XIV. n. 3.
Quam pernicioſa sint, & nequam. LXXVI. num. 9.
Clericis, & Sacerdotibus vetitum Larvas, seu Personas induere LXXVII. num. 1.
Persona non sit vestis Sacra, vel habitus Regularis. num. 4.
*Bagot Societatis Jesu Theologus*
Docet Episcopum semper esse verum, & proprium suorum Diœcesanorum Sacerdotem. XVIII. num. 6.
Ejus opinionem Clerus Gallicanus amplectitur contra impugnantes *ibid.*
*Baptismus.*
Antiquitus conferri solebant tantum Sabbato Majoris Hebdomadæ, & in pervigilio Pentecostes. I. n. 3. XCVIII. num. 4.
A solis Episcopis. I. num. 4.
In Ecclesia tantum omnium Principe *ibid.*
Ritus, & cæremoniæ in Baptismo antiquissimæ. VIII. num. 6. & 7.
Baptismus sub conditione quando conferendus. VIII. num. 6.
Nunquam in privatis ædibus, nisi gravissimas ob causas. XCVIII. num. 9.
Pœnæ contrafacientibus irrogatæ a Sacris Canonibus *ibid.*
Si omittantur cæremoniæ absque urgente necessitate culpa lethalis admittitur. XCVIII. num. 15.
*Baptismus collatus ab Hæretico*
Non est iterandus, etiam sub conditione, quoties non dubitatur de materia, forma, & intentione LXXXIV. num. 6.
*Baptismus sub conditione*
In quibus casibus conferri possit? n. 2. usque ad 4.
*Baptizans sub conditione*
In quo casu irregularitatem contrahat? num. 9.
Utrum irregularitate contracta possit susceptos Ordines exercere? num. 11.
Utrum etiam Ministri in aliquo casu contrahant irregularitatem? *ibid.*
*Barbitonsores*
Diebus festis sanguinem mittere, & ægrotis mederi possunt XLIII. num. 3.
Olim iis Bononiæ, & alibi vetitum fuit caput tondere, barbam radere. *ibid.*
Qua hora, & tempore illis modo permissum id sit. num. 5.
*Basilica Lateranensis*
A Sancto Silvestro consecrata: per Clementem VIII., & Innocentium X. restauratur. LXVII. num. 7.
A Benedicto XIII. iterum dedicatur. *ibid.*
*Bellarminus Cardinalis*
Judicat rationem pie recitandi Divini Officii. CVII. num. 16.
S. Francisco Salesio consulenti, an Claustris deberet includere quasdam Virgines, & Viduas communem vitam agentes sine votis, quid responderit. LVII. num. 1.
*Bellum.*
Quodnam appelletur Bellum justum. CI. num. 16. & 17.
*Benedictiones.*
Benedictionum virtus XLVII. n. 16.
Benedictiones imperiri possunt cum Sacra Effigie, aut Reliquiis. n. 23. usque ad 28.
Hujusmodi benedictionum aliquot præclara monumenta. *ibid.*
*Benedictiones solemnes in Matrimoniis.*
In Matrimoniis, quæ contrahuntur vetitis temporibus, benedictiones sunt interdictæ sub gravi culpa. LXXX. num. 1. usque ad 7.
Quænam intelligantur esse solemnes, & non solemnes benedictiones num. 8. usque ad num. 11.
*Benedictiones Mulierum post partum, Fontis Baptismalis ignis, Seminis, Ovorum &c.*
Non sunt de juribus mere Parochialibus. Benedictiones tamen Mulierum post partum, & Fontis Baptismalis debent fieri a Parocho. CV. num. 93. §. 4. num. 5., & 23.
Prohibentur fieri in Ecclesiis Sodalitatum. CV. num. 115.
*Benedictio Cerei Paschalis, & Ignis.*
Quo die debet peragi. Quis ejus Auctor XXXIX. num. 6. & 7.
Quid præferat. num. 8.
*Benedictiones, distributiones Candelarum, Cinerum &c.*
Non sunt de juribus mere Parochialibus. CV. num. 93. sub §. 5. & 22.
Prohibentur fieri in Ecclesiis Sodalitatum, nisi pro Sodalibus. CV. num. 115.
*Benedictio Campanarum.*
Ritus benedicendi Campanis qui fuerit primus Auctor. XVII. num. 30.
Cur Campanis Sancti alicujus nomen imponi solear. num. 32. 33. 34. & 35.
Hujusmodi benedictio non est verus Baptismus, *ibid.*
Beneficia, quæ ex Campanarum benedictione ad nos profluunt, num. 36.
Est solius Episcopi Campanis benedicere, num. 38.
*Benedictionum aliquarum ritus.*
Ritus benedicendi Equis, & animalibus. num. 22.
Ritus benedictionis contra Mures, Locustas, Bruchos, & Vermes noxios. num. 20.
Ritus benedicendi Agris. num. 21. usque ad 28.
Ritus benedicendi Campani. num. 32.
*Benedictus XIII.*
Antiquum ritum renovat inter Patrinum, & Confirmandum ætate adultum. VI. num. 16.
Præbendam Theologalem soli Doctori laureato in Sacra Theologia jubet conferri per concursum. LVII. num. 3.
Indulgentiam Plenariam iis concessit, qui post peractam semel in mense Confessionem, acceptamque Sacram Eucharistiam ad pulsum Campanæ tres Angelicas salutationes flexis genibus recitaverint. LXI. num. 1.
Probavit Decretum Cardinalis de Tournon de conferendo Baptismo Infantibus quamprimum fieri potest. XCVIII. num. 7.
Antiqua privilegia Tertiariis Mulieribus confirmavit, & auxit. CV. num. 70.
Reliquit arbitrio Episcopi facultatem permittendi Canonicis, ut Matutinum diei sequentis recitent post Completorium diei præcedentis. CVII. num. 22.
*Beneficia*
Universa Residentiæ lege olim renebantur. XCVII. num. 8.
Quare lex ejusmodi obtoleverit. *ibid.*
Beneficiorum fructus in tres partes distribui, & erogari debent. C. num. 12.
Beneficia simplicia obtineri nequeunt a Canonicis Regularibus Lateranensibus. num. 2.
Aliter vero, si conjunctam habeant animarum curam, & facultas Abbatis Generalis intercedat. num. 3.
Quicumque simplex Beneficium, aut pensionem obtinet in aliqua Ecclesia, partem suam conferre debet, cum illa reparanda est. C. num. 13.
*Beneficia Ecclesiastica.*
Qui multis ambitiosis precibus Beneficium petit, quam pœnam incurrat ex S. Carolo Borromæo XII. num. 8.
Est superbus, & injustus, si alicujus Ecclesiæ Procurationem virtuti suæ debitam jactet, num. 10.
Quid de eo sentiat S. Thomas. *ibid.*
*Beneficium simplex.*
Quid sit Beneficium simplex. XCVII. num. 3.
Utrum præter unum simplex Beneficium, quod non sufficiat ad vitam sustentandam, possit ab Episcopo conferri secundum. XCI. num. 1. usque ad 4.
Supposita collatione duorum Beneficiorum, quæ non sufficiunt pro honesta vitæ sustentatione, utrum possint conferri ab Episcopo tertium, quartum, & quintum absque Pontificis facultate. *ibid.* & usque ad num. 8.
Supposita collatione duorum Beneficiorum, sive sufficientium, sive non, pro honesta vitæ sustentatione, utrum possint alia aliud conferri, quæ jure ad illum pertinent absque auctoritate Sedis Apostolicæ. *ibid.*
Admitti potest cum pluribus pensionibus Ecclesiasticis, quæ nequeunt suppeditare honestam sustentationem. num. 7.
Etiam quando est simplex, admitti potest in eadem Persona cum pluribus legatis piis, seu Cappellaniis juspatronatus Laicorum absque Sedis Apostolicæ facultate. *ibid.*
*Beneficiati*
Provisi de Beneficiis curam animarum habentibus, tenentur ex Tridentino elicere professionem Fidei coram Episcopo, seu ejus Generali Vicario intra duos menses a die possessionis. LX. num. 1.
*Benvenuti*
Vitam S. Augustini Latine prius, & Gallice conscriptam convertit in Italicam linguam. CIV. num. 2.
*Bona Ecclesiæ*
Jubentur administrari ab Episcopis per œconomos in Concilio Chalcedonensi. LXXII. num. 27.
*Bona Temporalia*
Precibus a Domino exposci possunt, & quare. LXII. num. 6.
*Bonhomus Vercellensis Episcopus*
Libellum edidit complectentem varia Decreta super Ecclesiastica Reformatione. XVII. num. 20.
*Bonifacius VIII.*
Quam caute Wenceslaum Regem a legibus Quadragesimæ solverit? XV. num. 18.
Anni Sancti celebritatem induxit; Qua occasione id fecerit? XXV. num. 5.
Monialibus Claustrorum legem observandam primus præcepit. XXIX. num. 13.
Excommunicationis pœnæ eos subjecit, qui a foro Ecclesiastico alios abducunt, vel impediunt, vel de eo per ludibrium, vel jocum verba faciunt. XL. num. 9.
Librum sextum suarum Decretalium promulgat hortationibus Jacobi Castelli Bononiensis Mansionarii. LIX. num. 10.
Eumdem nuncupat Academiæ Bononiensi. *ibid.*
Prohibet defunctorum corpora exenterari, in frustra concidi, vel ab eis carnem excuti sub pœna Excommunicationis soli Pontifici reservata. LXIV. num. 6.
Ejus Constitutio de membris defunctorum non incidendis, quomodo sit intelligenda. *ibid.*
Permittit distributiones absentibus a Choro ob infirmitatem, vel Ecclesiæ utilitatem. CVII. num. 45.
*Bonifacius IX.*
Eximit ab Ordinario Sodalitia excitata in solo Lateranensi. CV. num. 90.
*Bononia*
Studiorum Parens quare dicatur? LVII. num. 2.
In ea celebris Theologiæ Academia instituta per Innocentium VI. *ibid.*
Magna Theologorum copia semper abundans. *ibid.*

*Bruta.*
Verum in statu innocentiæ futura fuissent mansueta, quæ nunc sunt ferocia tum inter se, tum erga homines? XLVII. n. 9.
A quo moveantur ad nocendum hominibus. num. 13., & 14.
Ritus benedictionis contra Bruta infesta. num. 20.
*Cadavera Defunctorum*
Non possunt exenterari, membratim concidi, neque ab illis carnis tegumentum excuti sub pœna excommunicationis soli Pontifici reservata. LXIV. num. 2.
*Campanæ.*
Quis eas adinvenerit, & quis in Ecclesiam induxerit. XX. n. 2. usque ad 4.
Cur earum sonitus certis majoris Hebdomadæ diebus prætermittatur. num. 6., 7.
Variæ de hujusmodi re Auctorum sententiæ. *ibid.*
Quæ Ecclesia debeat esse prima in restituendo Campanarum sono Sabbato Majoris Hebdomadæ. num. 8., & 9.
Inventæ, ut Populus ad Templum vocetur ad orandum. LXI. num. 4.
Suffectæ fuerunt tubis argenteis, quibus Judæi utebantur. *ibid.*
Signum iis dandum pro Angelica salutatione ter in die. *ibid.*
Item prima noctis hora pro recitando Psalmo *De profundis*. *ibid.*
*Canonici*
Honestæ vitæ rationem, & exemplum Clero universo præferant necesse est. CVII. num. 4.
Horas Canonicas in Choro persolvere debent. num. 7.
Silentes in Choro, dum recitatur Divinum Officium, carent fructibus Beneficii, ac distributionibus. num. 16.
Debent callere cantum Gregorianum. *ibid.*
Vacare debent spiritualibus exercitiis semel per annum. LI. num. 1.
Non possunt discedere a Choro ad confessiones audiendas; alias carent distributionibus. CVII. n. 79.
Choro addictus potest alium Canonicum in urbe præsentem suo loco subrogare, atque ita distributiones percipere. n. 17. & 18.
Coadiutoribus vero Canonicorum id non licet. num. 17.
Nequit in Choro privatim Officium Divinum persolvere, dum ab aliis cantatur. num. 16.
Canonici confabulantes in Choro graviter peccant; an etiam teneantur ad restitutionem distributionum. num. 15.
Provisi de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus tenentur ex Tridentino Concilio emittere professionem Fidei intra duos menses, non solum coram Episcopo, sed etiam in Capitulo: secus in Ecclesiis Collegiatis. LX. n. 1.
Accersitus Canonicos pro servitio Episcopi percipit fructus præbendarum, non vero quotidianas distributiones. CVII. n. 58.
Si vero Episcopum limina Apostolorum invisentem comitetur, vel ejus loco sufficiatur ab Episcopo, tunc percipit etiam distributiones. *ibid.*
Qui conveniret in chorum ductus sola utilitate distributionum simoniæ labem contraheret. n. 39.
Tenentur omnes Canonici inservire Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, *ibid.* & gaudent distributionibus. n. 61.
Debent inservire etiam in munere Subdiaconi. n. 60.
Etiam in Ecclesia suburbana. *ibid.*
Confabulantes in choro, dum Sacrum peragitur, suspensioni obnoxii declarantur. n. 29.
Non possunt celebrare Capitulum tempore Divinorum Officiorum, nisi ob gravissimam causam; alias amittunt distributiones. num. 71.
Inservientes Episcopo privatim celebranti, vel diœcesim visitanti non percipiunt quotidianas distributiones. n. 60.
Non possunt vacare spiritualibus exercitiis tempore Adventus, & Quadragesimæ, & in festis solemnibus; & solum permittente Episcopo, & non omnes simul. n. 63.
Gaudent fructibus, ac distributionibus postquam inservierunt Ecclesiæ per quadraginta annos laudabiliter. n. 64.
Canonici immunes a choro post quadraginta annos possunt ab Episcopo revocari, si opus fuerit. *ibid.*
Canonicus coadjutor non tenetur inservire loco coadiutoris etiam infirmi. n. 66.
Omnia emolumenta provenientia ex absentiis Canonicorum debentur Canonicis coadjutis. *ibid.*
*Canonici absentes a Choro*
An lucrentur distributiones quotidianas. n. 36.
Quid statuatur contra Canonicos absentes ultra tres menses. *ibid.* & num. 37.
Absentes possunt compelli etiam per mulctas pecuniarias. num. 43. & num. 44.
Infirmitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas ita excusant a choro, ut non amittantur distributiones. n. 45. & 46.
Canonicus cœcus inter infirmos recensendus. num. 46.
Quid si Canonici infirmi negligentes prius esse consueverint. num. 47.
Qui chorum dimittit ob inimicitias, & injurias, quas tamen immerito patitur, non caret distributionibus. *ibid.*
Item, qui carceribus injuste detinentur. *ibid.*
Abesse possunt per tres menses ab Ecclesia juxta Concilium Tridentinum, nisi tamen Ecclesiæ statuta contrarium præcipiant. num. 31.
Quid revera intelligatur pro absentia ab Ecclesia. num. 32.
An absentia trium mensium debeat esse continua. *ibid.*
Canonici nequeunt gaudere vacatione trium mensium ultra tertiam partem, uno, & eodem tempore, neque diebus Quadragesimæ, Adventus, & amplioribus festivitatibus. n. 34.
An requiratur licentia Episcopi, quando Canonici abesse volunt tempore per Concilium permisso. *ibid.*
Quid si abesse velint extra diœcesim. num. 36.
*Canonici, & Canonicales Dignitates*
In Missæ Sacrificio non debent habere Ministrum, qui Missali assistat, pagellas evolvat. XXXV. num. 18.
*Canonici Cappellani*
Nequeunt dimittere chorum ut Sacrum faciant; alias carent distributionibus. n. 74. usque ad n. 76.
*Canonici Civitatis, ac Diœcesis Bononien.*
Vide *leges præscriptæ* &c.
*Canonici Magistri*
Juris Pontificii, aut sacræ Theologiæ; insuper Canonici operam dantes iis facultatibus addiscendis cum indulto absentiæ *ratione studiorum*, non percipiunt distributiones. n. 72.
*Canonici inservientes*
Cameræ Apostolicæ non percipiunt distributiones. n. 70.
*Canonici visitantes*
Devotionis causa Ecclesiam Lauretanam non percipiunt distributiones. n. 71.
*Canonicus cæcus*
Vide *Canonici absentes*.
*Canonicus examinator Synodalis*
Non percipit distributiones, nisi interfit Divinis Horis. n. 68.
*Canonicus infirmus.*
Vide *Canonici absentes*.
*Canonicus inserviens*
Tribunali S. Officii non percipit distributiones, nisi ex speciali indulto Sedis Apostolicæ. num. 69.
*Canonicus Parochus*
Pro tempore, quo residet, ac ministrat in Parochia extra civitatem, habetur tamquam præsens in choro. n. 56.
*Canonicus Pœnitentiarius*
Absens a choro pro audiendis Fidelium Confessionibus, & alius quilibet Canonicus in ejus locum suffectus ab Episcopo, percipit distributiones. n. 55.
Si non est impedirus in munere Confessionis interesse debet Divinis Officiis. *ibid.*
Jubetur responsa certa typis evulgare. CII. n. 1.
Ad ipsum transmittenda sunt nomina eorum, qui Paschali præcepto non obtemperaverint. n. 15.
*Canonicus Regularis Lateranen.*
Non putatur idoneus ad obtinendos Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis. XCVII. n. 3.
Vide *Beneficia*.
*Canonicus Theologalis Præbendæ*
Debet esse Doctor laureatus non solum in Jure Pontificio, sed in Theologia in aliqua publica academia. LVII. n. 4. & 5. & 6.
Ejus munus quodnam sit. n. 7.
A quo fuerit primo institutus. n. 2.
Conferendus soli Doctori laureato in Sac. Theologia per concursum. num. 3.
Non potest conferri laureato solum in Jure Pontificio, sed debet esse laureatus in sacra Theologia in aliqua publica academia. n. 6.
Concursus pro Canonicatu Theolog. quomodo faciendus. n. 9.
*Canonicus Theologus*
Absens a choro ob Ecclesiæ suæ utilitatem, qua die legere debet percipit distributiones. CVII. n. 55.
*Canonicus Vicarius*
Episcopi non percipit distributiones nisi interfit Divinis Horis. n. 66. & 67.
*Cappellani Confraternitatum*
Extra Ecclesiam Confraternitatis non habent jus deferendi Stolam. CV. n. 93. not. xxiii.
*Cappellanus Parochi*
Exarare potest testamentum absente Parocho, sed tunc consuetis testibus alius addendus est. n. 6.
Quis inter Cappellanos sive Sæculares, sive Regulares conductos ad celebranda funera, præcedere aliis debeat. n. 39.
*Capitalis Sententia.*
Convicti de crimine etiam non confessi, capitali sententia puniri possunt in Pontificia ditione. XLI. num. 30.
*Capitula Ecclesiarum*
Post mortem Episcopi in illis diœcesibus ubi administrant bona Sedis Vacantis, tenentur de iis novo Episcopo rationem reddere. LXXII. num. 29.
*Capsula pro Eleemosynis,*
Quam antiquo tempore publice apponi consueverit in Ecclesia. num. 10.
*Carceribus detenti.*
Quis eorum Parochus. XXXIII. num. 12.
Duplex eorum classis. *ibid.*
Detenti Carceribus in *Custodiam* debent inire Matrimonia coram Parocho, ubi eorum domicilium situm est. *ibid.*
Detenti vero carceribus *in pœnam*, coram Parocho, in cujus Parochia carceres positi sunt. *ibid.*
*Cardinales Episcopi*
Centum dies Indulgentiarum promulgare possunt etiam ad Regulares. LVIII. n. 26.
*Cardinalis Petra*
Præclara Commentaria edidit in Constitutiones Apostolicas. CIII. num. 22.
*Carolus Magnus*
Edicto statuit, ne ignoranti linguam populo usitatam Pastoris munus deferatur. XLII. n. 6.
*Causæ civiles ad forum Ecclesiasticum pertinentes.*
Causæ civiles universæ, quibus implicantur Ecclesiastici pertinent ad Forum Ecclesiasticum. LX. n. 2.
In prima earum instantia a solis Episcopis, vel Ordinariis locorum cognosci possunt. num. 3.
Non possunt deferri in Curiam, nisi de consensu Episcopi, & partium. *ibid.*

Cauſæ Civiles, in quibus Clericus eſt actor, debent referri ad Forum Eccleſiaſticum, ubi tamen eſt conſuetudo, qualis eſt in Diœceſi Bononienſi. n. 5.
Hæc tamen juriſdictio eſt ſolum cumulativa. n. 8.
*Celebratio Miſſarum.*
Quibus horis haberi, & abſolvi poſſit, & debeat etiam tempore magnæ feſtivitatis. XXXIV. n. 6.
*Celebratio Miſſarum pro vivis, aut pro defunctis.*
Non eſt de juribus Parochialibus. CV. n. 93. not. x.
*Celebratio Miſſæ ſolemnis feria quinta in Cœna Domini.*
Non eſt de jure mere Parochiali, ſpectat tamen ad Parochos, n. 93. not. xiii.
*Celebritas annua Corporis Chriſti.*
Initium habuit Leodii, & qua occaſione. V. n. 2.
Propagata fuit ad univerſam Eccleſiam occaſione miraculi celeberrimi Volſinii. *ibid.*
Indulgentiæ a Summis Pontificibus conceſſæ Feſtum hoc celebrantibus. num. 2.
A Concilio Tridentino proponitur tamquam annuus triumphus pro hæreſi debellata. *ibid.*
Præter Feſtum Corporis Chriſti feria V. in Paraſceve aliud inductum eſt ab Urbano IV. feria V. poſt hebdomadam Pentecoſtes. num. 4.
Quibus de cauſis hoc factum ſit. *ibid.*
S. Thomas de Aquino officium pro hac celebritate compoſuit. num. 5.
*Cæremoniale Epiſcoporum.*
Imprimi juſſum a Clemente VIII. I. num. 5.
Confirmatum, & pluribus auctum ab Innocentio X., & Benedicto XIII. *ibid.*
*Chocolates.*
Vide *Jejunium Quadrageſimale.*
*Chorea.*
Utrum permitti poſſint. XIV. n. 34.
Utrum de ſe ſint peccaminoſæ nec ne? LXXVI. num. 3. uſque ad num. 5.
Variæ circa hoc Doctorum, & Patrum ſententiæ. *ibid.*
Quam ſint periculoſæ. *ibid.*
Quando ſint certo peccaminoſæ. num. 7. & 8.
A Sacerdotibus, & Parochis initæ quam ſcandaloſæ. num. 8.
Sunt Eccleſiaſticis interdictæ tempore bacchanalium. num. 8. & XXXVII. num. 6.
*Chriſma.*
Vide *Conſecratio S. Olei.*
*Chriſti fideles.*
Initio Eccleſiæ quater in nocte ſurgebant ad Orationem, & preces recitandas. CVII. n. 20.
*Chriſtus Dominus.*
Utrum Sanctiſſimam Euchariſtiam ſuſceperit in ultima Cœna, antequam illam Apoſtolis tribueret. XXXVIII. num. 6.
Quo die, & hora reſurrexerit. XXXIX. num. 8.
Quanto tempore fuerit in ſepulchro. num. 7.
*Circulus ex capillis confectus.*
Interdicitur Sacerdotibus tempore Sacri. XXXIV. n. 24.
Vide *Coma fictitia.*
*Claustra Monialium.*
Pueri, & Puellæ teneræ ætatis Claſtra Monialium ingredi non permittantur. XXIX. n. 24.
*Clemens V.*
Quoſdam Judices comprimit, qui damnatos capite impediebant, ne ſua ſcelera Sacerdoti confiterentur. XXII. num. 3.
Solis Principum Liberis, & ob ſolam neceſſitatem permiſit Baptiſmum adminiſtrari in privatis domibus. XCVIII. n. 9.
*Clemens VIII.*
Statuit Sodalitia cooptata Capitulo Sancti Joannis Lateranenſis ſubeſſe Ordinario. CV. n. 89.
Statuit Confraternitates aggregatas aut Regularibus, aut aliis Archiſodalitiis ſubeſſe Ordinario. *ibid.*
Prohibuit, ne plures in ea civitate Sodalitates ejuſdem inſtituti permitterentur. n. 86.
*Clemens X.*
Permittit Canonicis Regularibus Lateranenſibus obtinere Beneficia cum animarum cura, ſi Abbatis Generalis facultas intercedat. XCVII. num. 3.
*Clemens XI.*
Ejus Epiſtola Encyclica de non faciendis expenſis a Monialibus in ſuſcipiendis, obeundiſque Monaſterii muneribus. XXIX.
Irreverentias in Miſſæ Sacrificio avertendas maxime curat, XXXIV. num. 2.
Præſcribit rationem recitandi Divini Officii. CVII. n. 24. & 28.
Ejus Decretum de unica Miſſa in Oratoriis privatis celebranda: de tempore, quo in iis celebrari non licet: de Privilegiis Regularium abrogatis. n. 10.
Decernit Infantes, qui decedunt in agris apud Nutrices pertinere ad Eccleſiam Parochialem ſuorum Parentum, & in ea ſepeliendos: ſi vero caruerint Parentibus ſpectare ad Parochiam Tutorum, ſi etiam Tutoribus caruerint, ad parochiam, in qua decedunt. CV. num. 56.
Litteras dat ſua manu exaratas ad ampliſſimum, & nobiliſſimum virum curam animarum habentem, quibus eum monet de muliere dimittenda, licet nulla intercederet conſuetudo. LXXXIII. num. 12.
Permittit Parochis, & Canonicis, qui vacant ſpiritualibus Exercitiis, diſtributiones, & conſuetos fructus, qui inter præſentes percipiuntur CIV. num. 14.
Decernit participes eſſe diſtributionum Canonicos, qui vacant ſpiritualibus exercitiis. CVII. num. 63.
*Clemens XII.*
Abrogavit privilegia conceſſa Mulieribus Tertiariis a Benedicto XIII. num. 72.
Chirographum publicat utilitate propoſita pro deferendis in officinam monetariam vaſis argenteis ſuperfluis ad ſolvendum æs alienum contractum. LII. num. 1. & 2.
Indulgentiam plenariam promulgat in forma Jubilæi. LIII. n. 1.
Permiſit ad decennium Miſſionariis in Regione Madurenſi omittere quædam ſacramentalia in conferendo Baptiſmo. XCVIII. num. 16.
Indulgentiam plenariam concedit Deum orantibus contra Turcas. LXXXIX. num. 1.
Quas orationes indixerit pro ea obtinenda. num. 7.
Probavit Decretum Cardinalis de Tournon de conferendo Baptiſmo infantibus quamprimum fieri poteſt. XCVIII. num. 7.
Quam Indulgentiam iis impertiverit, qui ad pulſum Campanæ flexis genibus pſalmum; *De profundis* recitaverint, aut Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica addito verſiculo *Requiem æternam* &c. LXI. num. 2.
Benedicti XIII. Conſtitutiones circa Tertiarias Moniales viventes in privatis ædibus ad jus commune revocat. XCII. num. 16.
*Clerici.*
Non debent nutrire comas. LXXI. nums 6.
Debent gerere tam Coronam, quam Tonſuram. *ibid.*
Si iter habeant uti poſſunt veſte breviori, ſed decenti. num. 9.
Item permittitur, ut ſine pallio extra mœnia civitatis deambulent, & hyemis, vel alterius modeſti coloris. num. 10.
Habitum Clericalem contra ſtatuta non deferentes, quibus pœnis ſubjecti fuerint a Synodo Tridentina, & Sixto V. num. 22.
Quibus aliis pœnis declarentur ſubjacere in Diœceſi Bononienſi. num. 23.
Habitum Clericalem ubicumque deferre ex Trullano Concilio, aliiſque jubentur. num. 1.
Habitus Clericorum debet eſſe veſtis oblonga. num. 2.
Quo tempore uti tentaverint brevioribus veſtibus pro oblongis. *ibid.* & num. 3.
Non poſſunt incedere cum veſte colorata ſine pallio, cum bacilis retento collari. num. 5.
Uti poſſunt comis appoſitis de facultate Epiſcopi, decentibus tamen, & ita ut appareat Corona. n. 6.
Quodnam eſſet eorum munus juxta veterem diſciplinam in corporibus Chriſtianorum deferendis, iiſque tumulandis. XXXVI. num. 14.
Clericus, qui Minores, & Subdiaconatum ſimul attigit, minores ſolum poteſt exercere. CLVI. num. 7.
An Ordinatus hac ratione ſuſpenſioni ſit obnoxius. *ibid.*
*Clericus irregularis.*
An ſit irregularis, qui militiam ſecutus, neminem tamen interfecit, aut mutilavit. CI. n. 5.
An irregularitatem contraxerit, qui Magiſtratum ſæcularem agens, in rem mortis ſententiam pronunciavit, quæ tamen executioni mandata non eſt. num. 6.
Quid autem ſi bellum ſit injuſtum. num. 8.
Quid ſi bellum juſtum pro defenſione, vel offenſione ſuſcipiat Clericus. num. 9.
Non eſt irregularis Clericus, qui ad ſuam vitam defendendam aliquem interfecit. n. 11.
Clericus inter milites etiam Pontificios coopratus *licet ſæva non exerceat* ſpoliatur ipſo facto ſuis penſionibus, ac Beneficiis. num. 18.
Si initiatus ſit Ordinibus Sacris, aut Beneficio prædictus lethaliter etiam peccat, aliter, ſi Tonſuram, & minores ſolum Ordines habeat. num. 22.
*Clingius Corradus.*
Quomodo choreas definiverit. LXXVI. num. 5.
*Coadjutores.*
Canonicorum Choro addicti non poſſunt alium loco ſuo ſubrogare. CVII. num. 17.
Non poſſunt petere indultum abſentiæ a Choro ratione ſtudiorum. num. 72.
Cardinalis Columna Archiepiſcopus Bononienſis præcipit confeſſariis etiam Regularibus convenire ad Congregationem caſuum conſcientiæ. CIII.
*Cæcutientes, & Cæci.*
Cæci ſunt irregulares. XXXIV. num. 5.
Neque ad primam Tonſuram admittuntur. *ibid.*
Cœcutientibus Presbyteris quid concedi ſoleat a Sac. Congregatione. *ibid.*
Vide *Vicarius cæcut.*
*Cœleſtinus I.*
Improbat conſuetudinem de reis non abſolvendis in mortis articulo. XXII. num. 3.
*Cœtus Eccleſiaſtici.*
Parochis præſcribitur, ut peractis cœtibus reſponſa mittant Pœnitentiariis. CII. num. 1.
Non ſatis eſt pagellam mittere ad illum, qui cœtibus præſidet. num. 3.
Conventus Eccleſiaſtici menſibus Novembris, ac Decembris omittantur. *ibid.*
Decreta circa Eccleſiaſticos conventus conſtituta. num. 7.
Delinquentes ſex ſcutata Romana perſolvant. CII. num. 25.
Vide *Conventus Eccleſiaſtici.*
Convenire tenentur omnes Sæculares, vel Regulares curam animarum habentes. CII. num. 9.
Vitandæ ſunt novæ opiniones in ſolvendis moralibus quæſtionibus num. 6.
*Collegium Montaltum.*
Per Sixtum V. Bononiæ erigitur LIV. num. 15.
Laudabilis, & utilis in eo ſtudiorum ratio. *ibid.*

Co-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*Coma fictitia Pileolus, & circuli capillorum in Sacerdotibus, & Ecclesiasticis.*

Facere rem divinam velato capite peccatum est. XCVI. num. 1.
Non licet gerere Pileolum, aut comas fictas, dum Sacrum peragitur absque facultate Summi Pontificis. *ibid.* & XXXIV. num. 14.
Neque Episcopi, neque Nuncii habent facultatem permittendi Pileolum, aut comas fictas tempore Sacri, etiam juxta de causa XXXIV. n. 14.
Quibus pœnis subjecti fuerint Sacerdotes in Diœcesi Bononiensi, qui pileolum, vel Comas fictitias gestaverint tempore Sacri. XCVI. num. 9.
Quænam sit differentia inter Comam fictam, & circulum capillorum. num. 12. & 13.
Utrum Episcopus possit permittere in Sacerdotibus circulum capillorum tempore Sacri. n. 4.
Vana Sacerdotum effugia, ut sibi liceat usus comæ fictitiæ. n. 15.

*Communio Paschalis.*

Non adimpletur præceptum, si Communio sumatur in Metropolitana Ecclesia, quæ non sit ejusdem sumentis Parochia. LV. num. 5.
Sæculares Monialibus, vel Regularibus inservientes: quando possint præcepto Communionis Paschalis satisfacere in eorum Ecclesiis extra Parochiam. num. 7.
Excusationes, quæ adduci soleat ab iis, qui huic præcepto non satisfaciunt, ne declarentur excommunicati, XLV. num. 16.
Quam vanæ sint, & quomodo iis respondendum n. 17.
Ad festum Nativitatis B. Virginis in Diœcesi Bononiensi prorogatur præceptum Paschalis communionis iis, qui illam sumere in Paschate omiserunt. n. 18.

*Communionis præceptum,*

Obbligat fideles ad sumendam Eucharistiam tempore Paschali in propria Parochia. XIII. num. 6. & 8.
Quid intelligatur pro tempore Paschali. num. 9.
Non satisfacit huic præcepto, qui relicta propria Parochia, Metropolitanam aut Cathedralem Ecclesiam adit. num. 11.

*Communio Sacrilega.*

Maxime Deum provocat. XLV. num. 17.
*Regi* Lothario ejusque familiaribus quantum fuerit exitiosa. *ibid.*

*Concilium Basilense.*

Decretum Innocentii III. de instituendo Canonicatu Theologali in omnibus Metropolitanis extendit ad omnes Cathedrales. LXII. num. 3.

*Concilium Constantiense.*

Opinionem proscripsit, qua asserebatur Orationes speciales uni personæ applicatas non magis eidem prodesse, quam generales cæteris paribus XXXVI. n. 9.

*Concilium Lateranense*

Decernit restituendos Beneficii fructus ab iis, qui Divinum Officium omittunt, CVII. n. 16.

*Concilium Romanum.*

Sub Benedicto XII. utrum Regularibus potestatem fecerit, qua extra tempora ordinari possint. XXIII. n. 5.

*Concilium Coloniense.*

Rationem persolvendi Horas Canonicas pie, devoteque præscribit. CVII. n. 16.

*Concilium Tridentinum.*

Decernit instituendum esse in Ecclesiis etiam Cathedralibus Canonicum Pœnitentiarium; ejus munus, ac Privilegia describit. CVII. n. 55.
Habendum pariter esse veluti in choro præsentem Canonicum, qui curam gerit animarum extra civitatem pro tempore, quo residet ac ministrat in sua Parochia. num. 56.
Statuit compelli posse Canonicos, ut interviant Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti n. 60.
Silentes in choro Canonicos, dum Officium Divinum celebratur, damnat. num. 16.

*Concionatores.*

Non possunt esse sæculares. XXVII. num. 8.
Debent impetrare facultatem ab Episcopo. *ibid.*
Quales se gerere debeant. num. 9. & 10. & 16.
Utrum peccent concionando in culpa mortali. n. 13.
Utrum expediat doctissimos habere Concionatores, an mediocres. num. 15.
A fabulis poetarum abstinere debent. *ibid.*
Et a nimia dicendi ratione. *ibid.*
Concionatoribus stipendium debetur. num. 10.
Quomodo illud accipere debeant. *ibid.*

*Confessarii Regulares Monialium.*

Debent approbari ab Episcopo. XXIX. n. 4.

*Confessarius.*

Nequit absolvere complicem criminis etiam tempore Jubilæi. LXXXIII. n. 22.
Cadere potest testamentum illius, cujus confessiones excipere solet, si adsint necessarii testes. CV. n. 9.
Etiamsi Canonicus sit, aut Regularis interesse debet Congregationi Casuum Conscientiæ. CIII. n. 10.
Id præsertim indicitur Canonico Pœnitentiario. *ibid.*
Utrum Confessarius, qui absolutionem pœnitenti impertiri non potuit, eidem testari possit, se illi pœnitentiæ sacramentum administrasse. XLV. n. 10.
Nullus Sacerdos potest sine Episcopi facultate sæcularium Confessiones audire tum in civitate, tum in diœcesi. LXXXVI. num. 7.
Quænam fuerint de hac re Pontificum decreta. *ibid.*
Nunquam debet Theologiæ Moralis studium intermittere, etiamsi peritus antea fuerit. XCII. n. 4.

*Confessarius cum facultate Sacræ Pœnitentiariæ.*

Si post contractum matrimonium in vim dispensationis, impedimentum ex occulto fiat publicum, potest Episcopum certiorem facere de resolutione, & dispensatione LXXXVII. num. 5.
De quibus monere debet conjuges. si vel utrique vel alter cognitum habeat impedimentum, donec dispensatio reddatur. n. 60.
Qua formula uti debeat dispensando, & absolvendo. num. 31. & 32.
Quando aperire possit litteras Sacræ Pœnitentiariæ. n. 31. & 32.
Debet omnem diligentiam impendere, ut cognoscat, an verum expositum fuerit Summo Pœnitentiario. n. 34.
Non potest uti ad suum libitum facultate concessa per Sacram Pœnitentiariam, sed solum in Sacramentali Confessione. n. 33.
Debet irrogare pœnam consentaneam criminis. *ibid.*
Quando indicare debeat impedimentum occultum. n. 49.
Quam pœnam incurrat, nisi litteras Sacræ Pœnitentiariæ laceraverit, num. 53.

*Confessarius Monialium.*

Utrum claustra Monialium ingredi possit Pœnitentiæ sacramentum administraturus ægrotis. XXIX. num. 18.
Potest celebrare Missas Sanctorum, de quibus Moniales recitant Officium, sed in Missali Romano, & de Communi XXXIV. num. 10.
Idem dicendum de Cappellano, qui Monialibus inservit. *ibid.*

*Confessarius in aliena Diœcesi.*

Confessarius non potest licite administrare sacramentum Pœnitentiæ in aliena Diœcesi sine Episcopi diœcesani facultate etiam tempore Jubilæi. LXXXIV. n. 16.
Utrum saltem valide. *ibid.*

*Confessio Sacramentalis.*

Quilibet Fidelis ex jure Ecclesiastico tenetur semel in anno omnia peccata sua proprio Sacerdoti confiteri. XVIII. ns 1.
Quid intelligatur nomine *proprii* Sacerdotis. num. 5.
Quid circa hoc sanxerit Clemens VIII. & X. n. 7. & n. 8.
Impendente mortis articulo obstringuntur omnes ad confitenda peccata. XXII. num. 4.

*Confirmandi.*

Debent esse modesti, & jejuni. VI. n. 12.
Sicuti etiam Episcopus confirmans. *ibid.*
Quænam fuerit constans Ecclesiæ praxis circa hoc usque ad sæculum XII. *ibid.*
Juxta veterem disciplinam parvuli immediate post Baptismum confirmabantur. *ibid.*
Ægroti morbo periculoso etiam infantes confirmandi. *ibid.*
Imparatis & indignis confertur character, non gratia. n. 11.

*Confirmatio.*

Confirmationis forma quantum effet apud antiquos arcana. n. 15.
Confirmationis materia antiquitus simul oleum, nunc Chrisma ex oleo, balsamoque per Episcopum benedictio. *ibid.*
Quid per oleum; quid per balsamum designetur ex S. Thoma. *ibid.*
Cur antiquitus haberetur tantum diebus Paschatis, & Pentecostes. num. 2.
Cur ea disciplina posterioribus temporibus immutata. *ibid.*
Tempore Visitationis sacræ convenienter habetur. *ibid.*
Quot nominibus appelletur n. 5.
Est verum sacramentum, eique conveniunt omnes sacramenti conditiones *ibid.*
Quo tempore Christus Confirmationem instituerit. num. 5.
Perpetua fuit consuetudo in Ecclesia confirmationis administrandæ. *ibid.*
Dup icem confert gratiam scilicet Miraculorum, & sanctificantem num. 6.
Quare non omnes gratiam miraculorum accipiant. *ibid.*
Est sacramentum vivorum, & producit gratiam secundam. n. 7.
Producit characterem diversum a charactere Baptismi. *ibid.*
Iterari non potest. *ibid.*
Non est necessaria necessitate medii n. 10.
Sine ea acquiri potest vita immortalis num. 8.
Disputationes super hoc excitatæ inter Doctores Catholicos facultatis Parisiensis, & Anglos. n. 9.
Graviter peccat, qui ob contemptum, vel socordiam hoc sacramentum non suscipit. n. 10.
Item Parochi, Parentes, Domini, Tutores, subditos ad hoc sacramentum suscipiendum non stimulantes. *ibid.*
Precandi formula, quæ ab Episcopo confirmante adhibetur, antiquissima. n. 15.
Confirmationis conferendæ ritus: eorum figura, significatio, & ratio. *ibidem* & num. 17.

*Confraternitates in suis Oratoriis, vel Ecclesiis.*

Non possunt compelli a Parocho ad assistendum functionibus Ecclesiæ Parochialis. CV. n. 93. not. XXV.
Non possunt retinere Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicæ. *ibid.*
Supposita facultate retinendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non possunt infra annum illud publice exponere sine licentia Ordinari i. *ibid.* sed not. XXV.
Possunt ad libitum facere suas Congregationes absque interventu & licentia Parochi. *ibid.* sed not. XXX.
De licentia Episcopi sine consensu Parochi possunt infra annum exponere Sanctissimum Sacramentum. n. 121.
Possunt habere sepulchra, & in eis tumulare cadavera de licentia Episcopi absque Parochi facultate salvis juribus Parochialibus. num 124.
Possunt ducere processiones de licentia Ordinarii Parocho comitante, vel alio Sacerdote de ejus licentia. num. 126.
Utrum possint quæstuare, & quomodo. num. 131.
In Festivitatibus solemnibus Ecclesiæ vel Oratorii possunt celebrare

brare Miſſam ſolemnem independenter a Parocho. numer. 93. not. IV.
Poſſunt recitare Horas Canonicas cum cantu abſque licentia Parochi, ſub num. 93.
Poſſunt celebrare Miſſas privatas, aſſentiente Ordinario loci, & Parocho contradicente. num. 93.
Poſſunt benedicere, & diſtribuere Candelas, Cineres, Palmas &c. abſque licentia Parochi. n. 93.
Poſſunt benedicere ſemina, ova, & ſimilia independenter a Parocho. num. 93.
Poſſunt denunciare per Cappellanos Populo Feſtivitates, & Vigilias occurrentes in Hebdomada. n. 93. §. 719.
Poſſunt admittere publicas Conciones tempore Quadrageſimæ, vel Adventus de licentia Ordinarii, contradicente Parocho. num. 93.
Non poſſunt celebrare Miſſas ante Miſſam Parochialem, niſi de licentia Ordinarii. *ibid.*
Non poſſunt ſine Parocho facere Officium funebre ſuper cadaveribus in eorum Eccleſiis ſepeliendis, quando tumulandi ſunt in ejus Parochia. *ibid.*
Poſſunt abſque licentia & interventu Parochi facere ſuas Proceſſiones intra ambitum ſuarum Eccleſiarum, non tamen extra ambitum, niſi de licentia Epiſcopi. *ibid.*
Non dependent circa functiones Eccleſiaſticas a Parocho, intra cujus Parochiæ limitem ſunt erectæ. *ibid.*

*Confraternitates Laicorum in Eccleſiis Parochialibus, earumque onera.*

Dependent a Parocho in expletis functionibus Eccleſiaſticis non Parochialibus. *ibidem.*
Non poſſunt ſe commiſcere invito Parocho in functionibus ejuſdem Eccleſiæ, ſive Parochialibus. *ibid.*
Poſſunt juxta peculiaria earum ſtatuta, & pro libito facere ſuas Congregationes abſque interventu, & licentia Parochi, dummodo non impediant functiones Parochiales. *ibid.*
Poſſunt adminiſtrare ſua bona independenter a Parocho. *ibid.*

*Congregatio Caſuum Conſcientiæ.*

Vide *Cœtus Eccleſiaſtici.*
Vide *Conventus Eccleſiaſtici.*

*Conſecratio, & Benedictio Monialium*

Utrum in exteriori an interiori Eccleſia peragenda. LXXXV. n. 12., n. 25., & 28. & 20. & 30.
Utrum hac occaſione Moniales poſſint egredi extra Clauſuram. n. 26., & num. 28.
Utrum ex permiſſione Epiſcopi occaſione Conſecrationis Magiſter Cæremoniarum, conſanguineæ, & conſanguinei Clauſuram poſſint ingredi. *ibid.*

*Conſecratio, & Benedictio Veſtium, & ſacrorum Vaſorum*

Quam ſit antiqua in Eccleſia. XXI. n. 8.
Ad quem pertineat de jure. n. 9. pag. 124.
Utrum Epiſcopus ad hoc poſſit alium Sacerdotem delegare. *ibid.*
Utrum Cingulum, Pluviale, & Pixis benedictione indigeant. num. 12.
Quinam poſſint benedicere. n. 13. uſque ad 19.

*Conſecratio S. Olei*

Traditione Apoſtolica ad nos dimanavit. LXXXI. n. 1.
Non poteſt fieri a ſimplicibus Sacerdotibus, ſed ſolum Epiſcopis. *ibid.*
A quo fieri decreta fuerit feria quinta in Cœna Domini. *ibid.*
Debet fieri in Eccleſia Cathedrali. *ibid.*
Quam ſit antiquus ritus, ut tot numero Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, & Acholythi intereſſint conſecrationi, & benedictioni S. Olei. *ibid.*

*Conſecratio Templi & Altaris.*

Templum, vel Altare conſecratum, & poſtea dirutum, ſi renovetur, poteſt iterum conſecrari, & quare LXVII. n. 1.
In hoc caſu Officium debet fieri de prima Conſecratione, & quare num. 5.
Conſecratio Altaris ab Eccleſiæ Conſecratione ſejungitur. n. 8.

*Conſtantinus.*

Ejus lex de operibus ruralibus diebus feſtis exercendis per Leonem ſapientem male accepta. LXV. n. 14. & 15.
Quomodo intelligi debet num. 15.

*Conſtantinus IV. Imperator.*

S. Agathonem, cæteroſque in poſterum Pontifices a tributo ab Imperatoribus impoſito ſolvit. XCIII. num. 2.

*Conſuetudo.*

Conſuetudo etiam conſtans, ſi Concilio Tridentino aperte repugnet, nihil facienda. LX. num. 7.

*Conventus pro examinandis caſibus moralibus*

Haberi debent cum Epiſcopo, ut ea decernatur, quæ ad doctrinam, & mores pertinent. XXXII. num. 6.
Qui debeant intereſſe. *ibid.*
Quam utiles, & neceſſarii. *ibid.* n. 7.
Quantum commendentur a Synodis, & Viris clariſſimis. *ibid.*
Conventus Eccleſiaſtici habiti per Epiſcopos Petricovien. & Lucionen. num. 6.
Frequentes olim in Diœceſi Bonon. n. 7.
Quid circa eos ſtatutum in Synodis *ibid.*
Quoties fieri ſtatutum fuerit in Civitate, & Diœceſi Bononienſi, & quomodo. num. 8.
Vide *Cœtus Eccleſiaſtici.*

*Convictores in Collegiis, & Seminariis*

Si vita decedant cuinam Parocho perſolvenda pecunia pro funeribus XXXIII. num. 16.

*Convictus Puellarum in Monaſteriis.*

Mos educandi puellas in Monaſteriis antiquiſſimus. XXIX. numer. 23.
Hujuſmodi Puellæ habeant locum in Monaſterio a Monialibus ſeparatum. *ibid.*

*Convivia.*

Convivia fieri ſolita in Diœceſi Bononienſi cum indicuntur Officia pro Defunctis, eorumque corruptelæ LIV. num. 1.
Eorum conſuetudo abrogatur. n. 11. & 12.

*Corpora Defunctorum*

Poſſunt indui aliquo Regularium habitu, niſi fuerint Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes. XXXVI. num. 16.
Corpora Laicorum a Laicis, Clericorum a Clericis, Sacerdotum a Sacerdotibus efferri debent. LXX. num. 6.
Non debent deferri ad Eccleſiam in curru XXXVI. n. 26.
Corpora Defunctorum pauperum non debent ad Eccleſiam deferri ab unico Sacerdote, & quare n. 5.
In iis deferendis Pſalmi canendi. *ibid.* & num. 14.
Debent deferri cum facibus, & debita funeris pompa. n. 22.
Ritus deferendi faces quam antiquus *ibid.*

*Corcyrenſis Civitas*

A Turcis obſidentibus eripitur ope Beatæ Mariæ Virginis. LXXIX. num. 5.

*Dataria.*

Quando ad ipſam fit confugiendum pro diſpenſatione ſuper impedimentis Matrimonii contracti, vel contrahendi LXXXVII. per tot.

*Deciſiones Caſuum Moralium*

Habitæ per Clerum Patavinum, in lucem editæ per Joannem Clericatum XXXII. num. 6.
Quomodo fierent in Civitate Bononienſi num. 7.
Quinam ritus in ea modo ſervandus num. 11. ad. 13.

*Decreta Concilii Tridentini*

Etiam ſine ulla ipſius mentione judicantur ſublata, quoties contrarium a Sede Apoſtolica præſcribitur LX. n. 8.
Decreta SS. Congregationum opinionibus Scriptorum quare anteponenda ſint. CVII. num. 5.

*Dies Dominica*

Quare Sabbati loco ab Apoſtolis ſubrogata. XLIII. n. 14.

*Dominica Reſurrectionis Chriſti Domini.*

Qui fuerit ritus celebrandi Miſſam in Dominica ante ſæculum decimum. XXXIX. n. 8.
Quid de eo ſequentibus temporibus immutatum. *ibid.*

*Dies feriati pro Matrimoniis contrahendis.*

Primis temporibus dies feriati impedimentum dirimens inferebant. LXXX. n. 19.
Quodnam tempus olim complecterentur. *ibid.*
Quonam modo eſſe intelligantur. *ibid.*

*Dies Feſti*

Ex præcepto pro Ordinibus conferendis ſolum definiti ſunt, non vero, qui in Breviario *feſta* appellantur. CVI. n. 3.
Qua ratione ſanctificandi. XLIII. num. 14.
Contemptores dierum feſtorum etiam in hac vita puniendi. n. 15.
Quando inciperent, & abſolverentur ſæculo nono. XIII. n. 8.
Quid ſanxerit Alexander III. *ibid.*
Corruptelæ Ruſticorum in diebus feſtis obſervandis. LXV. n. 1.
Ex violatione dierum feſtorum quot damna in Eccleſia. LXV. num. 7.
Diebus feſtis ab omni opere ſervili, ac nundinis, ac cauſis forenſibus abſtinendum. n. 8. & ſeqq.
Opera ruralia, cum ſint ſervilia, diebus feſtis fieri nequeunt. *ibid.*
Præceptum dierum feſtorum non diſſolvitur ex neceſſitate operum ſervilium. *ibid.*
Quando piſcari liceat diebus feſtis. n. 17.

*Diaconi in Sacrificio Miſſæ*

Quomodo vinum prius in Calicem infunderent. LXXVII. n. 1.

*Diodorus Tarſenſis Epiſcopus*

Inſtituit alternatim canere verſiculos Pſalmorum. CVII. n. 28.

*Diſtributiones.*

Vide *Proventus &c.*

*Divites*

Quantum ad pœnæ expiationem ſunt melioris conditionis, quam pauperes. XXXVI. n. 27.

*Eccleſia*

Magno honore proſequenda, & nefas ad illam accedere cum armis, aut canibus venaticis. XCIX. n. 2.
Chriſtiani Milites enſem in Eccleſiam inferre primi cœperunt, & quare. num. 4.
Quibus expenſis reparari debeant Eccleſiæ tum Parochiales, tum liberæ collationis. C. per tot.
Eccleſiæ juris patronatus quando reparari debeant a Patronis. C. n. 9. & ſeqq.

*Eccleſia Bononienſis*

Olim erat ſuffraganea Eccleſiæ Mediolanen. LXXI. n. 3.

*Eccleſiaſtici.*

Multa ſunt Eccleſiaſticis illicita, quæ ſunt licita Laicis, ut choreæ. LXVVI. num. 5. & 6.

*Effigies S. Crucis, & Sanctorum*

Eccleſia non ſolum tolerat, ſed probat, ut Effigies Sanctæ Crucis, & Sanctorum in vicorum angulis, & Urbium compitis collocentur. LXXIII. num. 3.
Quam indignum illas humi exprimi, & locis ſordidis, & inquinatis. n. 5. & ſeqq.
Imperatorum edictis, & Sacris Canonibus id vetitum eſt. *ibid.*
Quæ pinguntur Sacræ immagines in muris externis Templorum vel domorum, altius a terra pingendæ, n. 10.

*Effigies B. M. V. a S. Luca depictæ.*

Quis Sacram Effigiem Bononiam deportaverit; unde, & ubi primum illam collocaverit. LXXVIII. n. 1. III. 2.
Eleemoſynæ, quæ ab oppidis ditionis Bononienſis deferuntur Sacræ Imma-

Imagini: utrum, & quando pro ædificio novi Templi debeant inservire. LXXVIII. num. 1.
Gestari Per Urbem solita tribus Rogationum summo Populi concursu LXVIII. n. 1. III. n. 7.
Ejus cultores beneficiis cœlestibus cumulati. III. n. 8. & seq.
Qua pompa, & devotione deferenda. n. 9.
Ejus supplicationis celebritas, & historia. LXVIII. n. 3.
Ex decreto Cardinalis Jacobi Boncompagni clara luce, non noctu in Urbem deportanda. *ibid.* n. 4.
Quo loco Antiani, cæterique Magistratus cum Clero antiquitus illi occurrerent. *ibid.* n. 5.
Quid præstandum in illius occursu. *ibid.*
Aliquot abusus in ea circumferenda tollendi, & quomodo. *ibid.*
Indulgentia centum dierum iis Sodalibus conceditur, qui supplicationi interfunt. n. 8.
Qua devotione, & pietate habenda supplicatio. *ibid.*
Abusus prohibetur celebrandi Sacrum privatum, & solemne tempore intempestivo, sive cum Sacra Effigies recedit, sive cum refertur ad Ecclesias, in quibus exponitur. *ibid.*

*Ægidius Cardinalis Albernozzius*

Fundat nobile Collegium majus a S. Clemente nuncupatum pro Hispanis in Urbe Bononien. LIX. n. 11.

*Ægroti*

Dispensandi a jejunio, illisque permittenda facultas carnium XV. num. 15.

*Elbertus, seu Ubertus Episc. Bonon.*

Leges condidit pro Canonicis anno 1303. CVII. n. 100.

*Eleemosinæ Fidelium*

In capsulis deponendæ, & duabus clavibus custodiendæ, earumque quotannis reddenda Episcopis ratio LXXII. n. 28.
Circa eleemosynas habenda ratio querelis populi, & occludendus aditus corruptelis, & quomodo n. 26.
Vide *Capsulæ*.
Utrum unius eleemosynæ largitione possit satisfieri duobus distinctis præceptis. LIII. n. 7.
Non facientes eleemosynam quantum Deo exosi. L. n. 8.

*Eloquentia*

Ecclesiasticis viris prorsus necessaria LIX. n. 24.

*Episcopus*

Potest mulctas irrogare, quæ ipsum sancitæ sunt a jure, vel a statuto, & ex conditione, ut piis operibus insumantur. LXII. num. 29.
Cur non debeat mulctas imponere judicio suo. *ibid.*
Debet habere Custodem mulctarum, eique deinde obsignare mandatum quo pecunia ad constituta opera pia depromat. *ibid.*
Debet cognoscere causas omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes in prima earum instantia. XL. n. 2.
Est verus & proprius Sacerdos suorum Dioecesanorum non solum quando confert Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, vel absolvit a reservatis, sed semper. XVIII. n. 6.
Visiturus Claustrum Monasteriorum Monialium non tenetur ante accessum eisdem Monialibus præfinire diem, & horam visitationis. XXIX. n. 18.
Neque in ingressu secum ducere Priorem, Abbatem, & Confessarium earumdem Monialium *ibid.*
Potest communicare Moniales sub potestate Regularium degentes num. 19.
Post interdictum potest devenire ad excommunicationem contra pervicaces. LV. n. 11.
Non potest denegare Monialibus Confessarium extraordinarium ter, aut quater in anno LXVI. n. 1.
Occasione visitationis Sacrorum Liminum debet inter cætera referre Sacræ Congregationi, utrum habeantur in Dioecesi cœtus ad examinandas quæstiones Theologiæ Moralis XXII. n. 7.
Superveniente rationabili causa potest ex officio etiam extra visitationem examinare Parochos jam approbatos ad Ecclesias Parochiales. IX. n. 16.
Non habet facultatem comam fictitiam permittendi tempore Sacri. XXXIV. n. 14.
Debet invigilare ad custodiam Monialium tamquam Delegatus Sedis Apostolicæ XXXIX. n. 4.
Habet facultatem cogendi curatores bonorum Monialium Regularibus subiectarum ad reddendam rationem, eosque si opus fuerit removendi. *ibid.*
Potest punire etiam censuris Regulares violantes Claustra Monialium ipsis subjectarum. *ibid.*
A Synodo Tridentina jubetur in usum revocare, quæ per Canones constituta fuerunt de vitæ disciplina, & honestate Clericorum imposita culpæ lethalis pœna. XXXVI. n. 6.
Potestate ordinaria potest interdicere Missarum celebrationes extra præscriptas horas, & censuras, & pœnas arbitrio suo decernere contra Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares. LXVIII. num. 11.
Potest examini subjicere quemcumque Sacerdotem etiam Regularem antequam eum admittat ad Confessiones audiendas. LXXXVI. num. 8.
Quid statuere possit contra Canonicos absentes ultra tres menses permissos a Concilio Tridentino. CVII. n. 38.
Debet in singulis Cathedralibus, & Collegiatis distributiones proponere inter præsentes in Choro ex deductione fructuum per ipsum facienda ubi desunt, vel ubi sunt tenuissimæ. n. 41.
Potest permittere Regularibus, & Sodalitiis circumdocere Processiones per Parochias, quamvis Parochus contradicat. CV num. 32.
Cogere potest Parochos Sæculares, & Regulares, ut interfint Congregationi casuum conscientiæ. CIII. n 9.
Habet jurisdictionem in ea Monasteria, quæ carent numero Regularium præscripto ab Innocentio X. num. 23.
*Imbit. Eccles.*
Potest cogere Parochos, ut tot Sacerdotes sibi adjungant, quot pro administrandis Sacramentis, aliisque Parochiæ muneribus obeundis necessario requiruntur. XCIV. n. 6., & 7.
Potest concedere facultatem alienandi Ecclesiasticam supellectilem non pretiosam. LXIX. n. 9.
Hæc potestas nunquam fuit ablata, vel immunita. *ibid.*
Quando possit dissolvere sibi subjectos ab irregularitatibus, & suspensionibus, quæ proveniunt ab occulto crimine. LXXXVII. num. 49.
Ordines conferre debet diebus festis, sed semper interpolatis aliquo temporis spatio pro suo arbitrio definiendo. CVI. n. 5.
Solus debet examinare, an mulieres Tertiariæ prædictæ sint præscriptis conditionibus. CV. n. 65.
Habet jurisdictionem in illas. *ibid.*
Habet jurisdictionem in Sodalitates, etiamsi erectæ fuerint in Ecclesiis Regularium. num. 87.
Tamquam Delegatus Apostolicus invisere potest Sodalitia, ac Sacella, etiam erecta in solo Lateranensi. num. 90.
Potest mulctas etiam pecuniarias irrogare Canonicis volentibus habere Capitulum tempore Divinorum Officiorum. CVII. n. 73.
Quando Sacerdotes cogere possit, ut Sacrum operentur iis etiam diebus, quibus id facere nulla lege adiguntur. XCIV. n. 28.
Potest adhibere pro suo servitio unum, vel duos Canonicos, illis solis exceptis, qui gerunt curam animarum. CVII. n. 57.

*Episcopi in Matrimoniis contrahendis.*

Ubi non est consuetudo contrahendi matrimonia temporibus vetitis, etiam sine pompa, habent facultatem eadem permittendi. LXXX. num 15.
Utrum vetitis temporibus possint matrimonia permittere cum aliqua solemnitate. *ibid.*
Possunt in sua Dioecesi impertiri facultatem matrimonii ineundi absque solitis promulgationibus. LXXXVII. num. 22.
Item in foro conscientiæ dispensare innocentem ex conjugibus, ut debitum exposcat, si conjux post initum matrimonium affinitatem cum altero conjugum contraxerit per copulam illicitam. *ibid.*
Utrum dissolvere possint impedimenta dirimentia in foro conscientiæ ante, & post matrimonium contractum. *ibid.*
Si impedimentum ex occulto fiat publicum etiam post contractum in vim dispensationis matrimonium, possunt procedere contra conjuges, eosque separare. n. 50.
Debent tamen in tali casu acquiescere testimonio Confessarii. *ib.*

*Episcopus Titularis.*

Potest consecrare, & benedicere vestes, & vasa sacra. XXI. num. 13.
Ubi tamen requiritur Chrismatis unctio, indiget permissione Episcopi num. 14.

*Episcopus in Collatione Beneficiorum.*

Præter unum simplex beneficium non sufficiens ad congruam vitæ sustentationem potest conferre etiam secundum absque dispensatione Sedis Apostolicæ. XCI. numer. 2. & 3.
Supposita collatione duorum beneficiorum non sufficientium ad congruam vitæ sustentationem non potest conferre tertium absque dispensatione Sedis Apostolicæ, etiamsi sit de jure patronatus Laicorum *ibid.* & numeris seqq.
Potest conferre plures pensiones, Legata pia, seu cappellanias juris patronatus Laicorum habenti duplex Beneficium absque facultate Sedis Apostolicæ. n. 6.

*Episcopus Petricorienſis*

Typis evulgavit conventus Ecclesiasticos in sua Dioecesi peractos, eorumque utilitatem commemorat. CII. n. 5.

*Eucharistia*

Ex veteri disciplina sumebatur ab universo populo feria quinta, & sexta majoris hebdomadæ XXXVIII. n. 1.
Ad eam quomodo Sacerdotes, & Diaconi accedere debeant. n. 2.
Utrum sumpta fuerit a Christo Domino, antequam illam Apostolis tribueret in cœna ultima. n. 5
Primi fideles Sacram Eucharistiam singulis diebus sumebant. XLV. num. 1.
Utrum hoc fuerit ex præcepto, incertum. n. 2.
Quænam fuerit hujusce rei consuetudo circa sæculum octavum. *ibid.*
Quid circa hoc statutum fuerit in Conciliis Lateranensi, & Tridentino. n. 4. & 5.
Saltem in Paschate sumenda in propria Parochia. *ibid.*
Quibus pœnis hoc præceptum fideles urgeat. n. 5. & 6.
Qui in Paschali celebritate hoc præceptum non impleverunt, alio tempore ipsum implere debent. n. 9.

*Eucharistiæ expositio.*

Quando primo exponi cœperit Sacra Eucharistia. XXX. num. 2. & 3. & 4.
Utrum prius deferri cœperit in supplicationibus, quam exponi. n. 3.
Utrum expediat Sacram Eucharistiam frequenter populo exponere. num. 3. & seqq.
Variæ de hac re Auctorum sententiæ. *ibid.*
Eucharistiæ expositio publice haberi non potest etiam in Ecclesiis Regularium sine facultate Episcopi, & causa publica. num. 9. & seqq.
Si expositio sit privata, qui ritus servandus. num. 16.
Quid si sit publica. num. 17.
Tempore Expositionis semper esse debet, qui flexis genibus oret. num. 18.
Ad hunc finem appendenda Tabella, in qua eorum nomina designentur, qui statis horis orare debent n. 20.

*Eugenius IV.*

Statuit deferendos ad Ecclesiam pueros, quamprimum fieri potest ut Baptismum accipiant. XCVIII. num. 2.

UAB Biblioteca de Ciències i Tecn

*Eugenius Sabaudiæ Princeps*
Præsidio Beatæ Mariæ Virginis in Hungaria magna clade Turcas fudit LXXIX. num. 5.
*Eutropius*
Cum auctor fuisset Legis latæ ab Arcadio contra jus Asyli in Ecclesia, anno vix præterito ad Ecclesiam confugere coactus fuit, ut Asyli privilegio gauderet. XLI. num. 2.
*Excommunicatio, Suspensio, Interdictum.*
Cui comperat relaxare latam excommunicationem, suspensionem, & interdictum. LV. num. 11.
*Excommunicati publice, & interdicti*
An Templa adire possint, ut preces tantum Deo persolvant. *ibid.*
Si in Ecclesia versentur, res divina non potest confici. *ibid.*
Expellendi sunt ab Ecclesia, si per vim cogi possint. *ibid.*
*Exequiæ pro defunctis.*
Exequiæ pro defunctis etiam pauperrimis semper faciendæ: pro iis unum saltem Sacrum offerendum. XXXIX. n. 15.
Hujusmodi ritus quam fuerit antiquus. *ibid.*
*Exercitia Spiritualia.*
Necessitas, & utilitas vacandi Spiritualibus exercitiis priusquam Sacri Ordines suscipiantur. CIV. n. 1.
Quis auctor habendus sit hujus piæ institutionis. n. 2.
Subdiaconatum, & Diaconatum petentibus Spiritualia exercitia præscribuntur. n. 3. & seqq.
Romæ, in tota Italia, & insulis adjacentibus secessus decem dierum indicitur Ordinandis. n. 5.
Nulla ratio, neque Apostolicæ litteræ quæ vocantur *extra tempora*; excusare possunt ab onere vacandi Spiritualibus exercitiis. n. 9.
*Expositio quadraginta horarum*
Non est de juribus mere parochialibus. CV. numer. 93. nota xi.
*Expositio cum Reliquiis, vel Sacris Imaginibus*
Non est de juribus mere Parochialibus. *ibid.*
*Exechia Rex,*
Ad ejus preces ab Angelo 175. hominum millia in exercitu Sennacherib trucidantur. LXXIX. num. 4.
*Fabiola nobilis Romana*
Prima omnium Romæ pro ægrotis Nosocomium instituit. LXIII. num. 3.
Quam misericors, & pia erga ægrotos, & pauperes. *ibid.*
*Fabrica Sancti Petri*
Nullam compositionem elargitur pro missis malitiose omissis LVI. num. 44.
*Facultas audiendi confessiones*
Quibus sit necessaria. LXXXVI. n. 7.
Certis semper limitibus concludenda, præcipue in Regularibus. num. 9.
Absque examine non concedenda, non obstante quocumque prætextu num. 11. & seqq.
*Famuli, & Ancillæ.*
Quis eorum, earumque Parochus. XXXIII. n. 17.
Ubi, & coram quo Parocho debeant celebrare matrimonium. LXXXVIII. num. 1. & seqq.
*Feria quinta Majoris Hebdomadæ.*
Ab antiquis patribus vocabatur natalis Calicis, & quare. XXI. num. 7.
*Feria quinta, & sexta Majoris Hebdomadæ.*
Ex veteri disciplina feria V. majoris hebdomadæ universus populus Sanctissimam Eucharistiam ex præcepto sumebat. XXXVIII. num. 1.
Idem fiebat feria VI. ex aliquorum opinione. *ibid.*
Hæc consuetudo in quibusdam Ecclesiis adhuc a Clericis retinetur. *ibid.* sed num. 2.
Quinam mos circa hoc nostris temporibus obtinuerit. num. 3.
Quare feria V. Sacerdotes omnes, & Diaconi ad sumendam Sanctissimam Eucharistiam accedant. n. 5.
Feria V. VI., & Sabbato Majoris hebdomadæ privatæ missæ prohibitæ sunt in omnibus quibuscumque Ecclesiis tam Sæcularium, quam Regularium. num. 7. & seq.
Si Festum Annunciationis Beatæ Virginis feria VI. contingat, nullum potest fieri solemne, aut privatum Missæ Sacrificium. num. 9.
Si contingat feria V, debent celebrari aliquæ Missæ privatæ ante celebrationem Missæ Conventualis pro adimplemento præcepti. *ib.* & n. 10.
Idem servari debet, si eadem feria contingat Festum S. Josephi. *ibid.*
Sacerdos, qui prædictis feriis celebrare privatim ausus fuerit, quibus pœnis plectendus. num. 11.
*Festivitates.*
Vide *Dies Festi.*
*Festum SS. Nominis Mariæ*
Qua de causa ab Innocentio XI. ad universam Ecclesiam propagatum. LXXIX. n. 5.
*Festum S. Petronii*
Magna pietate Bononiæ celebratur die 4. Octobris. LXXX. num. 1.
In ejus pervigilio Sacrum illius Caput a Templo S. Stephani ad illud S. Petronii solemni supplicatione transfertur, & die 5. Octobris eadem pompa in locum pristinum restituitur. *ibid.*
Quis has supplicationes primus indixerit. n. 2.
Quis illis debeat interesse, & quomodo. *ibid.*
*Fidei rudimenta.*
Quid statutum fuerit de tradendis Fidei rudimentis in pluribus Synodis Bononiensibus. IX. n. 6. & 7.
Quid statutum a Sacra Congregatione Concilii. num. 12.
Fidei rudimenta Parochianis tradenda a proprio Parocho in sua Parochia. num. 6. & 7.
A Majoribus, Parentibus, & Tutoribus subditi ad Fidei mysteria addiscenda conducendi ad Parochiam sub gravi culpa. num. 12.
Quam præclarum sit illa pueros edocere. Vide *Gerson Cancellarius Accademiæ Parisiensis.*
*Fides, Spes, & Charitas.*
Vide *Actus Fidei.*
*Flavianus Antiochenus*
Alternatim canere versiculos Psalmorum primus induxit. CVII. num. 20.
*Fons Baptismalis.*
Consecratio Fontis Baptismalis ab Apostolis tradita. I. num. 2.
Miraculis confirmata. *ibid.*
Fieri solita Sabbato Majoris Hebdomadæ, & in pervigilio Pentecostes. num. 3.
Quibus de causis id factum sit. *ibid.* num. 4.
Fons Baptismalis erat tantum in Ecclesia Principe. *ibid.*
Quænam fuerit hujusce rei disciplina sæculo XII. & XIII. *ibid.* num. 5.
Quid statuerit circa hoc Clemens VIII. *ibid.*
Quid posterioribus temporibus Sacræ Congregationes statuerint. *ibid.*
Quænam sint circa hoc statuta Ecclesiæ Bononiensis. n. 7.
Pœnæ in transgressores impositæ. num. 8.
*Formula Testamenti*
Quod a Parocho conditur absente Scriba. CV. num. 18.
Aliæ formulæ servandæ a Parocho, dum testamentum a se conditum tradit publico Scribæ, & dum per ipsum interrogatur circa testamentum. n. 19. & 20.
*Forum Ecclesiasticum.*
Excommunicationem incurrunt, qui alios ab eo avertunt, vel de eo per ludibrium verba faciunt. XL. num 9.
Ejus jurisdictio causas Civiles universas, quibus implicantur Ecclesiastici, comprehendit num. 5. & seqq.
Non comprehendit eas causas, in quibus Ecclesiasticus est Actor, Reus vero est Laicus; nisi aliter consuetudo obtinuerit. num. 3.
Ubi hæc consuetudo obtinuit, Ecclesiasticus Actor tenetur ad Forum Ecclesiasticum confugere. *ibid.*
*Functiones Majoris Hebdomadæ Sanctæ*
Non sunt de juribus mere Parochialibus. CV. n. 93. nota VII.
Vide *Feria V., & VI. Majoris Hebdomadæ.*
*Funera.*
Quis præcedere debeat inter Cappellanos conductos ad celebranda funera. n. 33. & seqq.
Nihil solvendum est pro translatione Cadaverum ex agro in Civitatem, & ex Civitate ad Parochiam ruralem. num. 44.
Ordo funerum, qui Bononiæ observatur n. 23. & 24.
Officia, quæ ibi mutuo præstant Parochi, Regulares, & Capellani Sodalitatum, qui funeribus intersunt. *ibid.*
Solum Vexillum Ecclesiæ, ubi Cadaver sepeliendum est, deferri debet ex jure communi in pompa funebri. num. 26.
Si Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ ad funera inviteur, solum ipsius Vexillum elevandum est. num. 24.
Sodalitates in Sacco post feretrum, aliæ vero, quæ funeribus interfuit cum Sacco ante feretrum incedere debent. n. 30.
Regulares Conversi, seu Laici in affociandis Cadaveribus nequeunt perfungi munere Cappellani. num. 32.
Parochi reliquis Cappellanis præire debent in funeribus ducendis. n. 33.
Parochus senior cæteris Parochis Sæcularibus, aut Regularibus antecedit. *ibid.*
*Gabriel Cardinalis Paleottus Archiepiscopus Bononiensis.*
Ejus vita, ac res gestæ Typis editæ per Patres Benedictinos in Gallia IX. n. 5.
Quid in Synodo decreverit de tradendis Fidei rudimentis n. 6.
Parochos nimis libere vagantes quibus subdiderit pœnis XVII. num. 25.
Luxum prohibet in Civitate Bononiensi in Vestibus, Conviviis, & Exequiis celebrandis. XXXVI. num. 1.
Aram maximam Templi Metropolitani Bononiensis excirat. LXVII. num. 2.
*Gelasius Papa*
Interstitiorum tempora a Siricio, Cœlestino, & Leone Magno definita, restrinxit. LVIII. num. 1.
*Gerson Cancellarius Facultatis Parisiensis.*
Pueros Prima Fidei elementa docet matura jam ætate. IX. numer. 11.
Celebrem de hac re conscribit contra improbantes Apologiam. *ibid.*
*Gotifredus Rex Hierusalem*
Ope Beatæ Mariæ Virginis Sanctam Civitatem a Turcis occupatam expugnat. LXXIX. n. 5.
*Gratianus Monachus*
Bononiæ condidit Canonum collectionem LIX. n. 5.
*Græci Schismatici*
Turcarum præsidio usurpant loca Sancta Hierosolymæ de manu Fratrum S. Francisci iis ipsis subsidiis, quæ ipsi a Catholicis perceperant. LXXV. num. 1.
Alexandri III. Decretum contra abripientes in servitutem Mercatores Christianos per Sedem Apostolicam extenditur etiam ad ipsos Græcos. *ibid.*

Quam

Quam inconstantes, & infideles, *ibid.*
Quam dolosi, & fallaces in congerendis pecuniæ subsidiis a Catholicis. *ibid.*
Quomodo cum iis agendum, si veniant in Italiam eleemosynas petituri. *ibid.*

*Gregorius IX*

Collectionem suam nuncupat Magistris, & Discipulis Academiæ Bononiensis. LIX. num. 10.

*Gregorius XI*

Eos tanquam hæreticos damnat, qui asserebant, Laicum non teneri ad aliquem fidei articulum explicite credendum LXXXII. num. 7.

*Gregorius XIII*

Edictum confirmat, quo Gabriel Cardinalis Paleottus Archiepiscopus, & Alexander Cardinalis Sfortia prohibuerunt luxum in Civitate Bononiensi in Vestibus, Conviviis, & Exequiis celebrandis. XXXVI. num. 1.
Approbat Canonicos Regulares Lateranenses capaces esse Beneficiorum, quæ habent annexam curam animarum XCVII. n. 2.
Item de Primatu loci inter Sodalitates absolvit. CV. n. 84.

*Gregorius XIV*

Probavit statuta peculiarium Ecclesiarum permittentium fructus, ac distributiones Canonicis absentibus, qui per annos quadraginta Ecclesiæ laudabiliter inservierunt. CVII. n. 64.

*Gregorius XV*

Confirmat consuetudinem in Diœcesi Bononiensi, quod Clerici Actores Causas Civiles referant ad Forum Ecclesiasticum. XL. num. 7. & 10.
Ejus Decretum non fuit sublatum a Clemente XII. n. 10.
Elargitur Canonicis, ac Mansionariis Bononiensibus vacationem a Choro certo temporis spatio definito, alternatim tamen juxta distributionem faciendam per Archiepiscopum, CVII. numer. 93.

*Guglielmus Parisiensis*

Quo argumento usus sit contra nominantes personas minus idoneas ad regendas Parochias. XII n. 9.

*Habitus Clericalis, & Sacerdotalis*

A Clericis, & Sacerdotibus deferri ubicumque jubetur ex vetustissimo tempore. LXXI. num. 1.
Quinam illis unice conveniat. n. 2.
Quo tempore vestibus brevioribus pro oblongis uti tentarum sit ad Laicorum exemplum. *ibid.*
Antiquo tempore habitus Clericorum, & Sacerdotum erat satis probabiliter coloris cæsanei, vel violacei. n. 7.
Quando cœperit esse coloris nigri *ibid.*
Corruptelæ in Diœcesi Bononiensi circa habitum Clericalem. num. 5.

*Heli.*

Ejus duo filii quam graviter a Deo puniti, & quare. LIV. numer. 7.

*Heraclius Imperator*

In Græcam Ecclesiam morem induxit, ut Dominica Sexagesimæ, totaque illa hebdomada carnibus interdictis ova solum, ac lacticinia permitterentur, & quare. XVI. n. 5.

*Homicida*

Si rixæ auctor fuerit, mortis supplicio puniendus in Pontificia ditione. XLI. n. 30.
Etiamsi non fuerit auctor rixæ, & inter homicidium, & rixam sex horarum spatium intercesserit, morte item puniendus *ibid.*
Homicida est insignis sacrilegus n. 24.

*Honorius III*

Missam Conventualem quotidie celebrandam admonet. CVII. num. 12.
Respondit non fuisse obnoxium irregularitati Clericum, qui bellum justum offensionis causa inierat, in quo tamen nullum vulneraverat Cl. num. 10.
Declarat esse solum comminantem suspensionem, quam Innocentius III. in Concilio Lateranensi irrogavit Canonicis confabulantibus in Choro, dum Sacrum Conventuale peragitur. CVII. num. 29.

*Hora Celebrandi.*

Non potest celebrari, nisi ante auroram tertia pars horæ defluxerit. XXXIV. n. 6.
Etiam in privatis Magnarum Sacellis. *ibid.*

*Horæ Canonicæ*

In Choro recitandæ sunt a Canonicis. CVII. n. 7. n. 16.
Utrum persolvendæ quotidie sint jure Divino, an Ecclesiastico. num. 8.
Quando recitari debeat in Choro Officium Beatæ Virginis, vel Defunctorum. *ibid.*
Qua pietate, ac ratione horæ Canonicæ persolvendæ sint. num. 16.
Plura super hac re Conciliorum Decreta. *ibidem* & n. 24. & seqq.
Tempus olim, & nunc præscriptum persolvendis horis Canonicis. n. 19. & 20.
Matutinum, ac Laudes sequentis diei post Vesperas, & Completorium diei præcedentis recitare licet ob justam causam, non tamen a Canonicis Choro addictis. n. 21. & 22.
Quibus diebus Canonicis etiam id permissum sit. n. 22.
Quæ horæ post meridiem ad Matutinum recitandum. *ibid.*
Tempus indicatur, quo Canonici, Beneficiarii, & Mansionarii convenire debent in Chorum, ne tamquam absentes notentur. num. 23.
Nequeunt privatim recitari horæ Canonicæ, dum publice in Choro cantantur. n. 25.
Statutis ab Ecclesia temporibus persolvendæ. XXIV. n. 7.
Qui statutis temporibus horas non persolvit, utrum peccet. *ibid.* & num. 8.
Quænam sint statuta tempora. n. 9.
Vide *Officium Divinum.*

*Hospitia Puellarum expositarum, seu spuriarum.*

Confessarius, aut alius Sacerdos, qui singulis Dominicis diebus illis explanet legem Dei, decernitur. LVI n. 1.
Moderatrix eodem instituto illas exercere debet per hebdomadam. *ibid.*

*Hospitalarii S. Antonii Viennensis.*

Unde, & a quo initium habuerit hujusmodi institutum. XLVII. n. 12.
Ipsis unice Apostolicum privilegium concessum est tribuendi benedictionem bestiis, in iis locis, ubi degunt *ibid.*

*Jacobus Cardinalis Boncompagnus*

Vetuit accedere ad Ecclesiam cum armis hastatis, vel ad ignem concipiendum conflatis XCIX. num. 2.
Nefas esse decernit ultra nonum diem conferri Baptismum Infantibus XCVIII. num. 3.
Et pœnam excommunicationis Parentibus indicit, si rem negligant. *ibid.*
Ob solam necessitatis causam permittit conferri Baptismum in privatis domibus. num. 9.
Baptismum privatim collatum referri jubet in Librum, quo omnes Baptizati adnotantur. num. 13. & 14.

*Ibas Edessæ Archiepiscopus*

In Ephesino Concilio accusatur, quod ad Sacrificium Altaris vinum proponeret exiguum, vitiosum, luctosum &c. LXXVII. num. 1.
In Concilio Chalcedonensi in judicium adductus, tamquam minister infidus pecuniæ, & supellectilis Ecclesiæ, per œconomos eam custodire jubetur. LXXII. n. 25, & 27.

*Jejunium*

Utrum, & quando solvatur ex potu Chocolatis. XV. n. 10.

*Jejunium naturale*

Servandum est ab iis, qui sequenti die vel volunt Sacrum facere, vel ad Sacram Synaxim accedere a tempore nostris mediæ usque ad Sacrum factum, vel sumptam Eucharistiam XIII. n. 10.

*Jejunium Ecclesiasticum.*

Quo tempore liceret cibum capere tempore Quadragesimæ, ceteriisque jejunii diebus usque ad sæculum XII. n. 7.
Quænam fuerit hujusce rei disciplina sæculo XIII. & sæculo XIV. *ibid.*
Quænam nostris temporibus. n. 20.

*Jejunium Quatuor Temporum.*

Variis de causis institutum. IV. n. 1.
Apostolica traditione ad nos dimanavit. n. 4.
Ejus institutio Sancto Callisto Papæ ab aliquibus tribuitur n. 3.
Saltem tribus jam fieri solitis quartum adjunxit. *ibid.*
Adhibitum ad peragendas Sacras Ordinationes. n. 2.
Vernum, & æstivum a Gregorio VII. immutatum, n. 4.
Jejunium, cujus meminit Zacharias cap. 7., illud ipsum est, quod fuit indictum, & traditum ab Apostolis n. 5.
Male a Dallæo impugnatur. *ibid.*

*Jejunium tempore Adventus Domini*

Pro quibus fuerit institutum. XL. n. 1. & 2.
A quibus nunc observetur n. 3. & 4.
Priori tempore omnibus erat indictum n. 3.
Quando hæc disciplina fuerit immutata. *ibid.*

*Jejunium Quadragesimale.*

Quibus diebus olim inciperet. XIV. n. 6.
Quibus diebus inchoat nostris temporibus in Ecclesia Orientali, & a quibusdam Religiosis Ordinibus *ibid.*
Quibus incipere apud Polonos usque ad Innocentium IV. *ibid.*
Incertum est, utrum fuerit institutum a Christo. XV. n. 1.
Est ad normam jejunii peracti a Moise, Elia, & Christo Domino. *ibid.*
Apostolica traditione ad nos devenit. num. 2.
Quis ejus Auctor per aliquos Auctores. *ibid.*
Quanto cum rigore vetustioribus sæculis servaretur. n. 3.
Solvitur post meridiem num. 5.
Vinum, & electuaria etiam sumpta post horam cibationis non sunt contra jejunium n. 6. & 7.
Utrum cocholates jejunium solvat n. 7.
Hujusmodi potio tepida sumpta, vel in minima quantitate solvit jejunium n. 10.
Præter unicam comestionem utrum sit licita refectio vespertina num. 8.
Unde originem ipsa duxerit. *ibid.*
Qui immoderate in una comestione licitos cibos assumit, vel per diem sæpissime potui indulget, non solvit jejunium, sed peccat contra temperantiam. n. 11.
Quid senserint prisci Theologi de obligatione pauperum, & egenorum circa jejunium. n. 13.
Quænam sit nostri temporis divitum pessima consuetudo circa jejunium *ibid.*
Utrum dispensatus ab esu carnes, sit etiam dispensatus a jejunio. n. 20. & seqq.
Theologorum de hac re dissidium *ibid.*
Quænam amplectenda veritas opinio *ibid.*
Fundamenta oppositæ sententiæ soluta. *ibid.*
Improbanda eorum opinio, qui tenent, dispensatis parentibus, vel dominis, dispensatos etiam filios, & servos ratione duplicis mensæ, quam deberent instruere n. 24. & 25.
Scandalosa solutio Quadragesimæ sine licentia in scriptis, seu dolosa licentia concessa per Medicos est crimen Archiepiscopo reservatum Bononiæ num. 26.
Majoris Hebdomadæ diebus jejunium strictius servandum. XVI. num. 11.

*Illiterati.*

Per sacros Canones declarantur irregulares. XLII. n. 5.

Imp.

*Immunitas Ecclesiæ.*
Vide *Asylus*.
*Impedimenta Matrimonii*
Quando intelligantur esse occulta. LXXXVII. num. 35. & 40.
Utrum, quæ aliquando fuerunt publica, possint fieri occulta. num. 47.
Utrum occultum habeatur impedimentum, si crimen sit quidem publicum, conscii tamen criminis ignorent, an impedimentum dirimens cum tali crimine conjungatur. num. 40. & n. 37.
Utrum impedimentum censeatur occultum, si publicum sit, ubi contractum, occultum tamen, ubi ii degunt, qui dispensationem postulant, & ubi dispensatio conceditur. n. 46.
Si ex occultis fiant publica, etiam suppositâ dispensatione in foro conscientiæ, subsunt judicio Ordinarii num. 50.
Quomodo exponenda, ut obtineatur dispensatio. num. 23.
Quando incurrantur. *ibid.*
*Indulgentia.*
Opera, quæ alioquin debita sunt, quando habeantur satis ad acquirendam Indulgentiam. LIII. num. 6.
Quando, & quibus necessaria sit Confessio Sacramentalis ad acquirendam Indulgentiam. *ibid.*
Indulgentiarum thesaurus Sancto Petro ejusque successoribus concessus num. 8.
Summi Pontifices quam essent olim parci in concedendis indulgentiis num. 10.
Nihil illi prosunt, qui est in peccato mortali XLVIII. n. 4.
Utrum ad acquirendas indulgentias necessarium sit, ut omnia præscripta opera adimpleantur in gratia. num. 6.
Indulgentiæ concessæ a Martino V. comitantibus Corpus Christi in publicis supplicationibus. V. n. 7.
*Indulgentia in forma Jubilæi*
Per Clementem XII. promulgata. XXXV. n. 1.
Ad impetrandam inter Christianos Principes pacem, quam opportune promulgata tempore Adventus Domini. n. 3.
*Indulgentiæ pro defunctis*
Non prosunt ex potestate judiciaria sicuti prosunt vivis, sed tantum per modum suffragii. LVI. n. 13.
*Indultum absentiæ a Choro.*
Conceditur Canonicis in publica Academia studentibus. CVII. num. 72.
*Infantes*
Ab Obstetricibus baptizati ad Ecclesiam deferri debent, in qua cæremoniæ perficiantur. VIII. num. 6.
Expositi etiam cum schedula de baptismo illis collato, nisi conster de certitudine, sunt baptizandi sub conditione. n. 8.
Quid de hoc senserit Sacra Congregatio. *ibid.*
Quamprimum fieri potest, deferendi sunt ad Ecclesiam, ut baptismum accipiant. XCVIII. n. 3. 4. & 5.
Romæ post tres dies Baptismus protrahi non potest Infantibus. num. 3.
Si in agro apud nutrices moriantur, in Parochia suorum parentum sepeliendi sunt. CV. n. 56.
Si parentibus caruerint, in Parochia tutorum. *ibid.*
Si etiam tutoribus caruerint, in Parochia ubi decedunt. *ibid.*
*Infirmi in Xenodochiis.*
Quid sit faciendum, si necesse sit eos contrahere matrimonium. XXXIII. n. 13.
Quanta, & quanam iis cura, & diligentia inserviendum. LXIII. num. 14.
*Innocentius III.*
Acriter reprehendit Ecclesiasticum Galliæ, qui sicis luserat, suæque regionis usum pro excusatione attulerat. XXXVII. n. 3.
Confirmat Decretum Alexandri III. de Canonicatu Theologali instituendo in omnibus Ecclesiis Metropolitanis. LVII. n. 2.
Nosocomium Sancti Spiritus in Saxia pro ægrotis curandis Romæ magno sumptu fundat. LXIII. n. 4.
Comitem Guidonem ad illud gubernandum a Monte Pessulo Romam vocat. *ibid.*
Nobili Matronæ facultatem percipiendæ Eucharistiæ in privato domus sacello impertiri renuit, nisi cum morbo derineretur. XXXIV. num. 12.
In Concilio Lateranensi pœnam suspensionis infligat Canonicis, qui dum Missæ Sacrificio intersunt in Choro, externis colloquutionibus vacant. CVII. n. 29.
*Innocentius X.*
Præscribit numerum Regularium, qui simul degere in Monasteriis debent, ne ipsi jurisdictioni Episcoporum subjiciantur. CIII. num. 13.
*Innocentius XI.*
Declaravit nullam inesse Episcopis facultatem permittendi Sacerdotibus comam fictitiam tempore Sacri. XXXIV. n. 14.
Extendit ad totam Italiam, & insulas adjacentes Decretum Alexandri VII. quo præcipitur spiritualis fœdus decem dierum petentibus Sacros Ordines. CIV. n. 5.
Qua de causa propagaverit ad universam Ecclesiam Festum SS. Nominis Mariæ. LXXIX. n. 5.
Græcis interdixit eleemosynas petere, eisque patentes litteras ad Sac. Congregationem de Propaganda Fide mitti jussit. LXXV. num. 1.
Ejus Decretum a quibus Pontificibus confirmatum. *ibid.*
*Innocentius XII*
Decernit non conferenda privilegia studiorum usu iis, qui vigesimum quintum annum jam attigerunt, ac triennii spatium superarent, & ostendenda esse prius Episcop. CVII. n. 72.
Decernit haud esse conferendos Sac. Ordines diebus festis continuis, sed interpolatis aliquo temporis spatio. CVI. n. 5.
*Innocentius XIII*
Apostolico privilegio ob graves causas quemlibet Canonicum Regularem Lateranensem constituit idoneum ad obtinendum Canonicatum in Metropolitana Bononiensi. XCVII. n. 4.
Alium vero Canonicum Regularem petentem in Ecclesia Pistoriensi Canonicatum rejecit. *ibid.*
*Instituens Beneficium Ecclesiasticum*
Utrum, & quando sit simoniacus, si instituat ea lege, ut prius ipse, deinde ejus consanguinei illud teneant XCV. n. 1. & seqq.
An hoc perficere possit sine auctoritate Sedis Apostolicæ. *ibid.*
*Interstitia.*
Quibus limitibus comprehensa pro unoquoque Ordine a Concilio Tridentino. LVII. num. 1.
Ab interstitiis non sunt Regulares exempti. *ibid.*
Remittere Interstitia quoad Regulares ordinandos pertinet ad Episcopos, & non ad Superiores eorum. *ibid.*
Quis primus Interstitia proposuerit *ibid.*
Interstitiorum tempora qui primi definierint. *ibid.*
Interstitiorum tempora quis restrinxerit. *ibid.*
Facultate remittendi Interstitia, quando utendum. *ibid.*
*Joabus*
Per dolum interfectis Abner, & Amasa, jussu Salomonis in ipso Templi Altari occiditur. XLI. num. 2.
*Joanna Belgii Comes, & Balduini Imperatoris filia*
Ab Honorio III. objurgatur, eo quod aliquos se nominaturam ad Sacerdotia promisisset antequam contigisset vacatio. XII. n. 8.
*Joannes XXII*
Modestiam, placidamque modulationem Canonicis psallentibus in Choro valde commendat. CVII. n. 26.
A Concilio Constantiensi objurgatus inter cætera, *quod missam raro, currenter* sine devotione celebraret. XXXIV. n. 32.
Errorem damnat Joannis Poliaci, asserentis, iterandam esse confessionem proprio Parocho a Sæcularibus, qui Regularibus peccata sua confessi sint. XVIII n. 3.
Confirmat privilegium a Clemente acceptum, ut Clerici seculares Bononienses jus civile addiscerent. XLII. n. 16.
Improbat consuetudinem tondendi caput, & barbam radendi diebus festivis. XLIII. n. 2.
*Joannes de Avila.*
Quomodo Sacerdotem objurgaverit irreligiose celebrantem. XXXIV. num. 29.
*Joannes Austriacus.*
Præclarissimam victoriam de Turcis refert ad Echinadas insulas auxilio Beatæ Mariæ Virginis. LXXIX. n. 3.
*Joannes Poliacus Parisiensis.*
Erronee affirmat, Sæculares, qui Regularibus Sacerdotibus sua peccata confessi sint, teneri ad iterandam Confessionem proprio Parocho. XVIII. n. 3.
*Joas*
Eleemosynas pro restaurando Templo e potestate summi Sacerdotis, & Levitarum aufert. LXXII. n. 26.
*Josadas Sacerdos*
Accusatus a populo, quod pecuniam pro templo restaurando, ad eum usum non impenderet, quomodo imposuerit finem querimoniis. LXXII. num. 27.
*Josaphat Rex*
Precibus suis singularem victoriam obtinet a Deo contra maximum exercitum Moabitarum, & Ammonitarum. LXXIX. n. 4.
*Irregularitas.*
Vide *Clericus Irregularis.*
*Jubilæum.*
Clemens XII. Jubilæum promulgat. IV. num. 7. & 8.
Potestas mutandi vota tempore Jubilæi quomodo a Confessariis sit adhibenda ex S. Carlo Borromæo n. 12.
Facultas liberandi fideles a censuris, & criminibus tempore Jubilæi, debet esse expressa in Decreto Pontificis, n. 13. & 14.
Ita sanxit Alexander VII. num. 15.
*Judas proditor*
Cur eam misericordiam non sit consecutus, quam consecutus est S. Petrus Apostolus. XLV. n. 17.
Cur a Christo electus fuerit inter Apostolos, cum futurus proditor cognosceretur. LXXII. num. 9.
*Judæi*
Tubis argenteis utebantur, ut populum Orationis causa ad templum vocarent. LXI. num. 4.
Matutina, & Vespertina Sacrificia offerebant. XIII. n. 6.
*Judex*
Si legum, Canonum, & legalium effatorum cognitione carens, lethaliter peccat. XLVI. n. 24.
Idem dicendum de causarum Patrono *ibid.*
*Ivo Carnotensis*
Primus excogitavit Distributiones inter præsentes in Choro, & quare CVII. num. 40.
*Jura Parochialia*
Quomodo differant, & in quibus a functionibus Parochialibus. CV. num. 102.
Quænam sint. *ibid.*
*Justinianus Augustus*
Triburum ab Odoacre Rege Erulorum impositum Romano Pontifici antequam susciperet Pontificatum & ipse reperit, & quare. XCIII. num. 3.
*Justinianus Cardinalis.*
Cum esset Bononiæ Legatus quid statuerit circa Barbitonsores diebus festis. XLIII. num. 9.
*Juvenes studentes extra Patriam*
Ubi, & coram quo Parocho debeant Matrimonium inire. LXXXVIII. n. 3.
In qua Parochia tempore Paschali teneantur sumere Sanctissimam Eucharistiam. num. 16.

*Lampias Episcopus Barcinonensis*
Paulinum studio inflammatæ plebis Sacerdotem ordinavit CIV. num. 2.
*Lanii, & Macellarii.*
Qua hora, & tempore carnes ipsis vendere permittatur Bononiæ. XLIII. num. 12., & 13.
*Larvæ, seu Personæ.*
Vide *Bacchanalia*.
*Launojus.*
Ejus falsa sententia de peccatorum Confessione a quoliber semel in anno proprio Parocho facienda. XVIII. n. 5.
*Laurentius Cardinalis Cozza*
Egregie de jejunio scripsit contra Dallæum. IV. n. 15.
*Leandri Cardinalis Colloredi*
Suffragium pro dissidiis inter Parochos, & Sodalitia componendis. CV. num. 92.
*Lectores Minores Observantiæ S. Francisci*
Possunt aperire, & exequi litteras Sacræ Pœnitentiariæ, licet non fuerint proclamati Doctores in publica Academia, modo sint Confessarii approbati ab Episcopo. LXXXVII. n. 32.
*Leges præscriptæ Canonicis*
Civitatis & Diœcesis Bononiensis pro recitatione Divini Officii. CVII. num. 82.
*Leo X*
Officia præscripsit sibi mutuo reddenda a Parochis. CV. n. 49.
Multa privilegia Tertiariis mulieribus simul viventibus concessit. num. 62.
*Litteræ Sacræ Pœnitentiariæ*
Ad quos dirigi soleant. LXXXVII. n. 31.
A quibus legi possint, & executioni mandari. *ibid. & seqq.*
Si semel traditæ fuerint Confessario idoneo, utrum reperi eædem possint, & tradi alteri Confessario pariter idoneo n. 33.
Quando lacerandæ, & quænam pœna, nisi lacerentur n. 33.
Si contineant dispensationes ab impedimentis occultis matrimonii, quibus clausulis limitentur num. 57. & seqq.
Hujusmodi clausulæ quomodo intelligendæ, *ibid.*
*Litteræ ad Sacram Pœnitentiariam*
Quomodo scribendæ, qua cautela, & diligentia num. 29.
*Lites de Beneficiis*
An dirimi possint numerata pecunia. XCIII. num. 2.
Quænam conditiones ad hoc sint necessariæ num. 6. & 7.
Quando diremptis litibus numerata pecunia admittatur crimen simoniæ, num. 7. & seqq.
Quando ad dirimendas lites de Beneficiis arbitrorum judicio liceat numerare pecuniam. n. 10.
*Locus celebrandi.*
Nullus Sacerdos Regularis, aut Sæcularis celebrare potest in Ecclesiis Monialium Archiepiscopo Bononiensi subjectarum. XXXIV. num. 7.
Nullus Sacerdos Sæcularis potest celebrare in Ecclesiis Monialium Regularibus subjectarum. *ibid.*
Id vetitum fuit a Sancto Cardinali Carolo Borromæo in secundo Provinciali Concilio. *ibid.*
Hæc lege non intelligitur derogatum per clausulas fieri solitas in litteris Apostolicis, in quibus conceduntur Ecclesiis Monialium Altaria privilegiata. *ibid.*
*Logica*
Quam necessaria ad Sacras facultates edisscendas. XLII. n. 9.
Ab Alcuino, & Photio maxime commendata. n. 9.
*Ludi Magistri.*
Sive Clerici, sive Laici tenentur Parochos adjuvare pueros edocendo Fidei Mysteria in Ecclesia. IX. n. 13.
*Ludovicus Archiepiscopus Magdeburgensis*
Quam graviter a Deo puniri, eo quod interfuerit Choreis. LXXVI. num. 9.
*Mabillonius Joannes.*
Ejus opus egregium e studiis Monasticis vindicatum. XLII. n. 9.
Logicam commendat *ibid.*
*Machabæi*
Dum sperant in Domino, insignes victorias de hostibus referunt. LXXIX. num. 4.
*Magnates*
Patientia domestici sacerdotis non abutantur. XXXIV. n. 6.
*Mandatum de immittendo*
Quomodo debeat intelligi, si nulla in eo fiat mentio de Fidei professione facienda. LX. num. 8.
*Maria Virgo.*
Cum quanta fiducia eamdem sit ab omnibus confugiendum. I. n. 9. 10.
*Martenes*
Erudite scripsit de riquis ritibus. I. n. 4.
*Matrimonia*
Contracta per verba præsenti absente Parocho coram Notario, & Testibus, ad nulla sunt, ut neque transeant in sponsalia de futuro. XLV. num. 23.
Quæ coram Sacerdote vel Parocho non fiunt, semper fuerunt illicita. XXXIII. n. 1.
Post Concilium Tridentinum in illis locis ubi super hac re Decretum promulgatum est, ea illicita sunt, & invalida, quibus proprius Parochus & duo Testes non interfunt. *ibid.*
Per hoc Decretumque materia, neque forma hujus Sacramenti immutata est. n. 2.
Irritum, & nullius Matrimonium illius, qui non relinquens domicilium suum Civitate, in alium locum proficiscitur, quin antea *quasi incolium* ibi comparaverit n. 8.
Valida sunt illorum Matrimonia, qui ad evitandas cum parentibus altercationes Parochia Domicilii in alium locum migrant, ibique *& domicilium assequuntur*. n. 9.
Valide item ineunt Matrimonia judices, Medici, Professores alicujus facultatis, Discipuli, & famuli licet exteri. n. 11.
*Matrimonii contractus temporibus vetitis.*
Matrimonium de jure communi contrahi potest quocumque tempore. LXXX. num. 2., & 3.
In Matrimoniis certis temporibus contrahendis, quid ab Ecclesia prohibeatur. n. 7.
In Matrimoniis, quæ contrahuntur temporibus vetitis interdicitur omnis pompa. *ibid.*
Sicuti etiam prohibitæ sunt benedictiones solemnes a Missali indictæ, sub gravi culpa. *ibid.*
Contrahentes his temporibus utrum cohabitare possint, & matrimonium consummare sine peccato. n. 17. & seqq.
Matrimonium temporibus vetitis etiam sine pompa intelligatur probatum. n. 23. & 24.
Ubi non est consuetudo Matrimonia contrahendi sine pompa temporibus vetitis, requiritur facultas Episcopi. n. 25.
Primis temporibus dies feriati inferebant impedimentum dirimens. num. 19.
Falsa vulgi opinio de non contrahendo Matrimonio mense Majo. num. 23.
*Matrimonium cum dispensatione*
Si contractum sit ab aliquo ex Conjugibus ob vim, & metum, utrum confirmari debeat novo consensu. LXXXVII. n. 69.
Supposita necessitate renovationis consensus, quomodo hæc haberi possit ab altero ex Conjugibus ignaro nullitatis matrimonii. *ib.* & num. seqq.
Utrum hæc renovatio consensus habeatur per copulam affectu maritali. num. 75.
Utrum, qui ex Conjugibus insciis est, debeat aperte certus fieri de nullitate prioris consensus. n. 69.
Utrum sufficienter certus fiat per hoc, quod alter dicat se suspicari de nullitate consensus. n. 76.
Utrum sufficiat elicere testimonium novi amoris maritalis ab altero Conjuge, tamquam si adhuc in libertate maneret. n. 73. & seqq.
Proles habita post matrimonium, cujus impedimentum alteri ex Conjugibus non erat notum, utrum sit legitima. n. 79.
*Medici*
Rite ineunt matrimonium coram Parocho illius loci, in quo degunt, & quare. LXXXVIII. num. 1.
A veteribus Canonistis acriter objurgantur, & quare. XV. n. 14.
Quid agere debeant antequam infirmos dispensent a jejunio. number 17.
Ante omnia ægrotos movere debent de vocando Medico animarum. XXII. num. 10.
Nisi faciant, quibus pœnis subditi a Conciliis, & Pontificibus num. 11. & 12.
Utrum hoc facere debeant vel per se, vel per alium. n. 16.
Utrum, & quando ægrotum deferere teneantur, si post tertium diem confiteri recuset. n. 17.
Quæ morbi gravitas requiratur, ut ægrotum de suscipiendo Pœnitentiæ Sacramento commonefaciant num. 18.
*Melita Insula.*
Quænam vere illa fuerit, ad quam S. Paulus Apostolus appulit. XLVII. n. 16.
Quare in opinione aliquorum viperæ ibidem veneno careant, eaque tellus morbis ex veneno contractis medeatur. *ibid.*
*Michael Celularius*
Auctor odii Græcorum schismaticorum contra Apostolicam Sedem, & Fideles Occidentales. LXXV. n. 1.
*Mieceslaus Polonorum Princeps*
Indixit populis suis gladium distringere, cum Evangelium legeretur, & quare. XCIX. num. 4.
*Miles*
Arma capere nequit pro illo, quem certo scit bellum injustum movere. CI. n. 17.
Neque si miles sit illi subjectus. *ibid.*
Si incertus sit de æquitate belli non tenetur id perquirere, sed Principi suo operam præstare. *ibid.*
*Minister Baptismi.*
Parochus de jure legitimus Baptismi minister. VIII. n. 1.
In casu necessitatis quilibet, etiam Mulieres, & Infideles. *ibid.*
Iterans Baptismum, in quas pœnas incidat. n. 6.
*Ministri Montium Pietatis*
Si in pignus acceperint rem cognitam furto sublatam, corporis pœnam subeunt, & tenentur illam Domino restituere absque ulla illius impensa. LXIX. n. 11.
Ad probandam in ipsis hanc cognitionem, sufficiunt conjecturæ *ibid.*
Non possunt in pignora accipere, quæ furti suspicionem præseferunt. num. 3.
Si acceperint, reddenda Dominis suis, detractis tamen expensis. *ibid.*
Neque ullam Ecclesiasticam supellectilem, sive integram, sive fractam sine facultate Sacræ Congregationis Visitationis, vel Episcopi, si non sit pretiosa. *ibid.* & LXVIII. n. 11.
Qui aliter fecerint, quibus pœnis subjaceant. *ibid.*
*Missa Conventualis.*
Quotidie celebranda in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis. CVII. n. 12.
Pro quibus applicanda. n. 14.
Variæ in hac re propositæ quæstiones explicantur, *ibid.* n. 5.
Quibus diebus celebrandæ sint plures Missæ Conventuales. *ibid.*
Primo die cujusvis mensis Missa Defunctorum subrogatur, nisi intercedat impedimentum. n. 13.
Quid statuendum de Ecclesiis Receptitiis, aut Communalibus num. 15.

*Missa pro Sponso, & Sponsa*
Quando, & quo tempore celebrari non possit in Matrimonii contrahendis. LXXV. nu. 10.
*Missa solemnis*
Differt a Missa cum cantu, & quare CV. n. 119.
*Missa, quæ Bononiæ dicitur Sancta.*
Indulgentiæ iis concessæ, qui hujusmodi Missæ adsunt post Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum susceptum. XXV. n. 6.
Qua hora per annum singulis mensibus celebranda. n. 8.
*Missæ adventitiæ*
Quando possint accipi. LVI. n. 14.
*Missæ Defunctorum.*
Quare quidam pii homines Missas Defunctorum quotidie celebrare voluerint. XXXIV. n. 23.
Quibus diebus celebrari possint. n. 24., & 25.
Quibus circumstantiis celebrari possint die festo. *ibid.*
Utrum Missa celebranda ad Altare privilegiatum debeat esse solum Defunctorum. n. 27.
Onus celebrandi Missas pro Defunctis ad Altare Privilegiatum impleri potest diebus impeditis, in quibus fit de Festo currenti. *ibid.*
*Missæ, quæ dicuntur S. Gregorii*
Abrogatæ a Sacra Rituum Congregatione. n. 21.
Unde earum origo num. 22, & 23.
Non intelligitur tamen abrogata consuetudo a S. Gregorio inducta, ut celebrentur triginta Missæ pro eo, qui e vivis decedit. *ibid.*
Si eo dierum spatio Sacrum pro defunctis fieri nequeat, celebretur pro Defuncto Missa ab Ecclesia præscripta. *ibid.*
Si occurant postremi tres dies Majoris Hebdomadæ, numerus absolvatur diebus sequentibus *ibid.*
Quis de Missis Sancti Gregorii scripserit. *ibid.*
*Missæ Sacrificium*
Non fuit factum ab Apostolis triduo mortis Domini. XXI. n. 2.
Quid sub speciebus contentum fuisset, si Apostoli eo triduo celebrassent. *ibid.*
Quo tempore Apostoli primum Sacrum fecerint. n. 3.
Diversæ de hac re sententiæ Cardinalis Bonæ, & Theophili Raynaudi *ibid.*
Qua veste Sacrificium Apostoli conficerent. n. 4. & seqq.
Vide *celebratio Missarum.*
Vide *Sacerdotes &c.*
*Monasterium Monialium Sancti Dominici*
*In Monte Guardiæ Bononiæ*
Qua occasione renovati jussum. LXXVIII. n. 1.
In eo magna devotione custoditur Sacra Effigies B. M. V. quæ dicitur picta a S. Luca. *ibid.*
*Moniales:*
Præter Confessarium Ordinarium non potest illis denegari Confessarius extraordinarius ter, quater in anno LXXI. num. 1.
Antiquo tempore non erant ita clausæ in Monasteriis, ut non exirent, quando opus erat. *ibid.*
*Moniales Claustrales*
Debent vacare exercitiis spiritualibus per decem dies, antequam ad habitum admittantur, & totidem, antequam Vota solemnia mittant. XXIX. num. 11.
Quæ nihil quid piam peculiare habent, maxime commendabiles. num. 27.
Quot essent numero Romæ tempore Sancti Gregorii Magni. numer. 30.
Earum precibus Roma per Longobardos oppressa non fuit. *ibid.*
Nullas debent facere expensas in suscipiendis, & obeundis Monasterii muneribus.
Vide *Consecratio & Benedictio Monialium.*
*Moniales S. Benedicti*
A quo institutæ, an tempore S. Benedicti fuissent veræ Moniales, quæ Claustri, Chorique legibus tenerentur. LXXXV. n. 6. & 7.
*Moniales S. Christinæ in Diœcesi Bononiensi.*
Consecrari semper consueverunt per Archiepiscopum Bononiensem, etiam cum essent subjectæ Camaldulensibus. n. 1.
*Moniales S. Margaritæ in Diœcesi Bononiensi*
Qua ratione consecrari potuerint ab Archiepiscopo, & qui ritus in consecratione servatus. n. 10. & seqq.
*Moniales Tertiariæ*
Ex Decreto S. Pii V. non possunt admitti ad Habitum Regularem, nisi nuncupent Vota solemnia, & se perpetuo Claustri adstringant. LXVI. num. 1.
Quæ post Decretum aliter faciunt, non probantur a Sede Apostolica, sed tolerantur. *ibid.*
*Monialium Proventus*
Recte administrentur. XXIX. n. 28.
An solutio dotis, quæ ante Vota pro aliqua a parentibus impenditur, sit simoniaca. *ibid.*
*Mulieres*
Juxta ritum Hebræum Magistros suos sequebantur, & eis necessaria administrabant. LXXXIII. num. 22.
*Mysterium Incarnationis, & Sanctissimæ Trinitatis.*
Utrum explicite possit credi Mysterium Incarnationis, nisi eadem fide teneatur Misterium Sanctissimæ Trinitatis. LXXII. n. 15.
Utrum ignorantibus explicite hæc duo Mysteria invalide, vel tantum illicite conferatur absolutio. n. 19.
*Natalis Alexander*
Laudatur de peccatorum Confessione semel in anno proprio Sacerdoti, idest proprio Parocho facienda. XVIII. n. 5.
*Nativitas Domini*
Si contingat feria sexta, vel Sabbato possunt Fideles vesci carnibus, nisi voto, vel regulari observantia adstricti sint. XXXV. num. 6.
Attamen non tenentur immo laudandi, si non vescantur. *ibid.*
*Nepotes, & Consanguinei Parochorum*
Non debent subrogari in Parochiam ab Avunculis libere dimissam; immo nec admitti ad examen publicum. XCI. num. 3. & seqq.
*Nicolaus V*
Quid responderit populis Transilvaniæ petentibus, an die Dominico peracto prandio liceret frumentum secare, fœnum, & fruges colligere & similia. LXV. num. 12.
*Nominantes Parochos*
Si nominent, ut Parochiam quis obtineat tamquam præmium pro aliquo sibi benefacto, sunt simoniaci. XII. n. 6.
Sicuti etiam si nominent, ut Parochus juri suo cedat, vel eos liberet a sumptu Parochis tribui solito. *ibid.*
Nominationes hujusmodi invalidæ sunt, & habent adnexam excommunicationem non diffolvendam, nisi quidquid acceptum est, vel in quo nominans factus est ditior, fuerit restitutum. *ibid.*
In nominando nullam debent habere rationem amicitiæ, vel cognationis, vel etiam fidei datæ. n. 7.
Non moveri debent commendationibus. n. 8.
*Nominatus ad Beneficium*
Antequam Parochiæ regimen ineat quid jurare debeat ex S. Carolo, & consuetudine Ecclesiæ Bononiensis. n. 11.
*Novatus*
Fidem turpiter deseruit, eo quod confirmari neglexisset. VI. n. 10.
*Nundinæ*
Diebus Festis prohibitæ. LXV. n. 9.
*Nuptiarum ritus.*
Variæ corruptelæ, quæ Nuptiarum Ritus offendunt. XLVI. num. 25. & 26.
*Obstetrices*
Quomodo examinandæ, & a quo. VIII. n. 3. 4. & 5.
*Odoacer Rex Erulorum.*
Romano Pontifici tributum imperabat, antequam susciperet Pontificatum. XCIII. n. 3.
Idem institutum servatum est a Gothorum Regibus. *ibid.*
*Officium Defunctorum*
Quibus diebus in choro recitari debeat a Canonicis. CVII. n. 2.
An absentes a choro ad illud persolvendum teneantur. n. 9.
*Officium Divinum*
Quot, quibusque nominibus appellatum fuerit. XXIV. n. 2.
Quare Breviarium. n. 3.
Vide *Horæ Canonicæ.*
Vide *Canonicus.*
*Officium B. Mariæ Virginis*
A Clericis singulis diebus recitari jussum, & qua de causa. LXXIX. num. 5.
Hujusmodi institutum a Clericis ad laicos dimanat. *ibid.*
Quando recitari debeat in choro. CVII. n. 8.
An absentes a choro teneantur illud recitare. n. 9.
*Oleum Sacrum*
Debet singulis annis renovari. LXXXI. num. 3.
Sacrum Oleum anno antecedenti consecratum deber comburi. n. 4.
Valide, sed non licite administratur sacramentum Extremæ unctionis oleo veteri benedicto, nisi adsit necessitas. *ibid.*
Quo tempore a Parochis accipiendum. n. 5.
*Onera Missarum.*
Quid Missæ adventitiæ, & quid perpetuæ. LVI. num. 10.
Quodnam debeat esse illarum stipendium. *ibid.*
Figenda in Sacrario tabella onerum Missarum. num. 14.
Quando possint suscipi nova onera *ibid.*
Veteribus oneribus non adimpletis, & supervenientibus novis oneribus quid faciendum. *ibid.*
*Opera Regularis*
Inter opera servilia connumerantur. LX. num. 10.
A Constantino diebus Festis non permissa. n. 14. & 15.
Quænam esse intelligantur in particulari. num. 29.
*Opera servilia*
Diebus festis prohibita, & quare? XLIII. 16. & seqq.
Permittuntur urgenti necessitate LXV. n. 4.
Quando hæc necessitas esse intelligatur. num 16.
A quonam hæc necessitas cognoscenda. num 26. & 27.
*Orandi ritus flexis genib*
A primis fidelibus ad nos dimanavit. LXI. num. 3.
Quam Deo acceptus. *ibid.*
Gratias etiam Ethnicis Imperatoribus obtinu. *ibid.*
*Oratio quadraginta horarum*
A quo primo instituta. XXX. n. 19.
A quibus Summis Pontificibus promota. *ib.*
Utrum semper fuerit cum sanctissima Euchstia conjuncta. *ibid.*
Consuetudo quadraginta horarum per tres a Quinquagesima, usque ad feriam quartam Cinerum, quonculo fuerit introducta, & ad quem finem. *ibid.*
*Orationes*
Factæ per homines improbos utrum, & quo sint apud Deum impetratoriæ. LXII. n. 7. & seqq.
*Ordinandi*
Pauci, iique idonei Sacris Ordinibus admisdi. II. n. 2. &
S. Leonis Papæ precibus S. Petri dimittunt omnia peccata præter impositionis manuum. *ibid.*
Nullus ordinandus, nisi fuerit adscriptus fedo alicujus Ecclesiæ. num. 2.
Quid statarum sit ad hunc effectum in Eccl Bononiensi. n. 4.
Nullus ad Sacros Ordines assumendus, nisi em Theologiæ morali operam dederit. *ibid.*
Mens Concilii Tridentini circa hoc declarat peculiari Congregatione institutas ab Innocentio XIII. cenata a Benedicto XIII. *ibid.* & num. 5.

Ordinandi afferre debent teſtimonium de prædicto ſtudio a Parochis, & profeſſoribus. n. 6.
Initiandi Minoribus Ordinibus callere ſaltem debent linguam latinam. num. 7.
Præpoſiti probandis Clericorum meritis præcipuo curare debent, num vocati in jus fuerint alicujus criminis rei. *ibid.*
Quænam ſit circa ipſos, antequam ad Ordines admittantur, nova Eccleſiæ diſciplina. LXXII. n. 23.
Olim viri magni meriti a populo per vim proponebantur, ut Ordinibus initiarentur. n. 22.
Ordines non conferuntur etiam iis, qui Litteras Apoſtolicas extra tempora obtinuerunt, niſi diebus feſtis. CVI. n. 2.
Tonſura, Minores Ordines, & Subdiaconatus ſimul conferri nequeunt num. 7. & ſeqq.
Ordines matutino tempore ubicumque Feſtis diebus conferri debent. num. 3.
Falſo putant nonnulli, Ordines conferri poſſe iis diebus, quibus officium ritus duplicis celebratur. *ibid.*

*Ordinandi ad Ordines Majores.*

Quæ debent eſſe eorum merita, & quid ſcire & facere teneantur. XLII. n. 3. & 7.
Varia eorum effugia, ut Epiſcopos, & Examinatores eludant. num. 4.
Niſi per annum Logicæ operam dederint, ad examen non recipiendi. num. 11.
Theologiæ Scholaſticæ, & Morali per tres annos vacent, vel juri Canonico, cui per annum Juris Civilis ſtudium præmittant. num. 13.

*Ordinandi ad Ordines Minores*

Circa quæ interrogandi ab Examinatoribus. n. 2.
Niſi linguam latinam calleant, etiamſi bona indole præditi, non ſunt ordinandi. *ibid.*

*Ordinandi ad Sacros Ordines*

Debent per ſex menſes degere in Seminariis. CIV. num. 12.
Initio Eccleſiæ idoneus non putabatur Sacris ordinibus, qui lethale peccatum poſt Baptiſmum admiſiſſet n. 1.
Primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopo offerebantur a populo Sacris Ordinibus initiandi. n. 2.
Vacare debent per decem dies ſpiritualibus exercitiis. n. 5.

*Ordinationes Sacræ*

Habebantur antiquitus tantum menſe Decembre. IV. n. 2.
Peragebantur cum jejunio. *ibid.*

*Ordinatus.*

Ordinatus cum titulo Patrimonii fictitii, etiam prævia conventione, & juramento de fructibus non recipiendis, habet verum jus ad illos XXVI. n. 18.
Ordinatus ad titulum Beneficii cum pactione vel expreſſa, vel tacita cum nominante de non percipiendis fructibus, quas pœnas incurrat n. 25. & ſeqq.
Idem qua conditione poſſit in alium transferre Beneficium. num. 31.

*Ordines.*

Solum Minores exercendos eſſe Ordines a Clerico qui illos cum Subdiaconatu ſimul attigit. CVI. n. 7.
Si Subdiaconatus Ordinem exercere velit, debet in aliquo Regularium Ordine vota ſolemnia nuncupare. *ibid.*
An Clericus hac ratione ordinatus ſuſpenſioni ſit obnoxius. *ibid.*

*Ordines Equeſtres.*

Nonnulli ſolent gladium diſtringere, dum legitur Evangelium, & quare. XCIX. n. 4.

*Ordo Clericor. miniſtrantium infirmis*

A quo initium habuerit, & quod ſit illius Inſtitutum. LXIII. num. 21.

*Ordo Clericorum S. Pauli*

Dicec. Bononien. maxime utilis num. 22.

*Ordo Equitum Melitenſium*

Quando, & per quem inceperit n. 4.
Quodnam ſit ipſius inſtitutum. *ibid.*

*Ordo S. Antonii Viennenſis*

A quo inſtitutus, & quibus adjutoribus. *ibid.*

*Ordo S. Joannis de Deo*

Quando, ubi, & ad quem finem inſtitutus. *ibid.*
Paulus V. permiſit, ut ſingulis ejus Cœnobiis unus eſſet Sacerdos num. 8.

*Ordo Societatis Jeſu*

In quo differt ab aliis. n. 22.

*Ordo S. Spiritus in Saxia*

Quem Auctorem habuerit, & qua occaſione. n. 4.

*Ofius Epiſcopus Cordubenſis*

Interſtitia pro Ordinandis primus propoſuit in Concilio Sardicenſi. VIII. n. 2.

*Paleottus Cardinalis.*

Vide *Gabriel Paleotus.*

*Panis conſecratus*

Utrum a Chriſto Domino in patena poſitus fuerit; XXI. n. 7.
Ejus uſus a quo tempore inceperit. *ibid.*

*Parochi Diœceſani.*

Tenentur ſuſcipere ſingulis annis S. Oleum ab Epiſcopo Diœceſano conſecratum ii omnes Parochi, qui habent Fontem Baptiſmalem. LXXXI. n. 2.
Non poſſunt uti Sacro Chriſmate anno antecedenti conſecrato num. 3.
Quo tempore accipere debeant S. Oleum. n. 5.
Illud debent accipere, vel per ſe vel per Sacerdotem, aut Sacris Ordinibus initiatum. *ibid.*

*Parochi quoad habitationem cum mulieribus.*

Habitare poſſunt cum mulieribus in primo, & ſecundo cognationis gradu, & eorum ancillis, vel affinibus in primo vel etiam ſecundo, ſi alter alteri reverentiam debent. LXXXIII. num. 1. & ſeqq.
Si famulus uxorem habeat, poteſt Parochus eam detinere in ſuis ædibus ſimul cum illo. *ibid.*
Quibus conditionibus poſſit recipere unam, vel duas famulas, *ib.* n. 10. & 11.
Varia Conciliorum decreta, & Doctorum opiniones in hac re. *ibid.*
Non poſſunt cohabitare cum mulieribus ſubintroductis, & Agapetis, & quænam ſint hujuſmodi mulieres, n. 9.
Vana Parochorum effugia pro retinendis apud ſe mulieribus juventute florentibus. n. 19.
Famula Parochi etiamſi habeat Paternum domicilium in alicna Parochia, pertinet ad ejus ditionem circa mandatum paſchale, non autem circa matrimonium ineundum. n. 22.

*Parochus.*

Quiſnam cenſendus *proprius* Parochus in Matrimoniis contrahendis. XXXIII. n. 3.
Quiſnam ſit proprius Parochus illius qui rei familiaris, aut ruſticationis gratia in agrum concedit, n. 7.
Parochus vagorum ille cenſendus eſt, in cujus ditione verſantur, n. 10.
Quis eorum Parochus, qui in carcere detinentur in pœnam. n. 12.
Quis eorum Parochus, qui in carcere detinentur in cuſtodiam. *ibid.*
Quis eorum Parochus, qui ſunt in Xenodochiis. n. 13.
Quis Parochus earum Puellarum, quæ in Hoſpitiis degunt. n. 14.
In tradendis Fidei rudimentis a quibus Parochus adjuvandus Bononiæ IX. n. 15.
Non debet tradere ſchedulam per confirmationem, vel Euchariſtiam niſi inſtructis circa Fidei rudimenta. n. 12.
Non debet promulgare Matrimonia niſi explorata voluntate, & cognita ſufficienti inſtructione circa Fidei Myſteria, *ibid.*
Examinari iterum ab Epiſcopo ſuperveniente rationabili cauſa poteſt. n. 16.
Vel per ſe, vel per alium ſi fuerit legitime impeditus, diebus ſaltem Dominicis debet habere concionem ad populum ex Trident. n. 2.
Paſcere verbis ſalutaribus plebem Chriſtianam.
Non excuſatur neque a contraria conſuetudine, neque ab exiguo populi numero. *ibid.*
Tenetur applicare Miſſam pro populo ſaltem diebus Feſtis etiamſi non habeat *congruam*, n. 4.
Habens pingues redditus tenetur ſingulis diebus. *ibid.*
Quando poſſit denegare communionem in Paſchate non exhibenti ſchedulam peractæ Confeſſionis. XLV. n. 15.
De quibus rebus debeat admonere ineuntes ſponſalia. XLVI. numer. 14. & 15.
Diebus Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & tempore Miſſæ Parochialis debet populo ſignificare concionem habendam per certos dies tempore Quadrageſimæ XXVII. n. 2.
Debet Concionatores cum omni humanitate recipere. n. 3.
Tempore Sacri non poteſt uti inſtrumento argenteo cum candela quod vulgo dicitur *bugia*. XXIX. n. 16.
Quiſnam Parochus Convictorum in Collegiis, & Seminariis degentium. XXXIII. n. 6.
Famulorum, & Ancillarum. n. 27.
Habet jus in mulieres Tertiarias quoad Sacramenta adminiſtranda & ſepulturam, niſi in Eccleſiis Ordinis tumulum communem habeant. CV. n. 68.
Non debet permittere, ut præceptum Communionis Paſchalis adimpleatur extra propriam Parochiam n. 5.
Debet ponere eleemoſynas Fidelium in capſula duabus clavibus obſignata & de iis quotannis rationem reddere. LXXII. n. 28.
Non poteſt inſtituere ex eleemoſynis convivia. *ibid.*
In ducendis funeribus Capellanis omnibus præire debet. CV. num. 33.
Qui prior animarum curam ſuſceperit reliquis Parochis antecedere debet in aſſociandis cadaveribus. *ibid.*
Parochi, & Canonici debent vacare ſemel per annum ſpiritualibus exercitiis. CIV. n. 14.
Tenentur populum admonere de periculo quod ineſt choreis, LXXVI. n. 5.
Tenentur Parochi reſponſa ad quæſtiones Morales Pœnitentiario tranſmittere cœtibus jam peractis. CII. n. 1.
Quam male ſe gerant, ſi temere, & inconſulto obſignent teſtimonia pro Ordinandis. LXXII. n. 5.
Duplex eorum primarium munus, alterum ſupra corpus Chriſti verum, alterum ſupra corpus Chriſti myſticum. n. 17.
Quanta eſſe eorum debeat diligentia in inſtruendo Populo. *ibid.*
Debent ad Pœnitentiarium ſcribere nomina eorum, qui Paſchali præcepto haud ſatisfecerint. CII. n. 13.
Vana eorum effugia, qui negant alios ſibi Sacerdotes adjungere poſſe, qui Parochiæ adminiſtrandæ ſunt neceſſarii. XCIV. n. 7.
Nihil ex jure communi repetere poſſunt pro exequiis, & ſepultura ſed tantum ex indirecta conſuetudine. CV. n. 52.
Convenire debent ad cœtus Eccleſiaſticos pro examinandis quæſtionibus moralibus. CIII. n. 9.
In litteris teſtimonialibus Ordinandorum debent certiorem facere Epiſcopum de Ordine exercito in iis locis, ubi Ordinandi moram traxerunt. LVIII. n. 1.
Utrum Parochi poſſint ingredi in Eccleſias Regularium Cruce prælata quando Cadavera comitantur. XXXVI. n. 26.
Si choreis indulgeant quam ſint ſcandaloſi LXXVI. n. 7.

*Parochus Confeſſarius.*

Parochus Diœc. accitus a Parocho alterius Diœc. poteſt audire Confeſſiones ſuorum ſubdit., ſecus vero alienorum. LXXXVI. num. 7.

Quo

Quo se extendat ejus facultas in Confessionibus audiendis. n. 1.
*Parochus in Cadaveribus efferendis.*
Debet ipse viam determinare pro pompa funebri. LXX. n. 9.
In funeribus nobilium, vel etiam ignobilium si pompa ducantur, decem Sacerdotes a Parocho acciri mandantur, etiamsi adsit Sodalitium, quod funus prosequatur. n. 8.
*Parochus in Ecclesiis Confraternitatum, separatis a Parochiali*
An possit invitis Confratr. docere Doctrinam Christi. CV. n. 93.
Ad ipsum spectat facere officium funebre super cadaveribus in iisdem sepeliendis, si tumulandi sint ex ejus Parochia. *ibid.*
Non habet jus prohibendi Processiones Confraternitatum intra ambitum suarum Ecclesiarum. *ibid.*
Non habet Jus porrigendi aspersorium Episcopo accedenti ad Ecclesias Confraternitatum. *ibid.*
Non potest se ingerere in administratione oblationum, vel eleemosynarum in earum Ecclesiis collectarum, vel retinere clavem capsulæ pro illis recipiendis. *ibid.*
Non potest prohibere Confraternitatibus, ne faciant suas Congregationes, dummodo non sint impedimento functionibus Parochialibus *ibid.*
Non habet jus administrandi illarum bona *ibid.*
Non habet suffragium decisivum quando interest earum Congregationibus de mandato Ordinarii, & tamquam ejus delegatus. *ib.*
Ex consuetudine acciri debet a Sodalibus ad faciendo Sacra solemnia pro vivis, & pro defunctis n. 117.
Non potest sibi eligere Diaconum, & Subdiaconum *ibid.*
Debet invitari ut presideat Congregationibus faciendis tam in electione, & extractione Officialium, quam in redditione rationum, n. 132.
*Parochus in Matrimoniis.*
Utrum sit semper necessaria præsentia Parochi, in cujus ditione sunt sponsi, an sufficiat præsentia alterius Sacerdotis de licentia ejusdem Parochi, vel etiam solius Ordinarii. LXXXVIII. numer. 3. & 4.
*Parochus in Matrimoniis cum dispensatione.*
Utrum Matrimonio contracto, occurrentibus impedimentis, eorumque dispensatione, debeat novum consensum conjugum indicere coram se, & duobus testibus. LXXXVII. numer. 62., & seqq.
Supposita necessitate renovationis consensus, utrum sit necessaria præsentia testium. *ibid.*
Quid agere debeat si necessaria sit renovatio consensus, & alter Coniugum impedimentum ignoret. *ibid.*
Quid agere debeat si necessitate supposita renovationis consensus alter coniugum nolit consensum renovare. n. 79.
Quomodo se gerere debeat occurrentibus occultis impedimentis matrimonii. n. 24.
Quando debeat lacerare litteras Sacræ Pœnitentiariæ, pro dispensationibus, & absolutionibus, & quam pœnam incurrat nisi laceret. n. 53.
Qua formula uti debeat dispensando, & absolvendo. num. 81. & 82.
*Parochus in Matrimoniorum contractione.*
In Matrimoniis contrahendis quid agere debeat. LXXX. num. 8. & seqq.
Si Matrimonia contrahantur temporibus vetitis, non potest impertiri solemnes Benedictiones sub pœna læthalis peccati. n. 1. & seq.
*Parochus quoad Confraternitates erectas in sua Parochia.*
Non potest Confratribus prohibere ne faciant suas Congregationes, dummodo non impediant functiones Parochiales. CV. numer. 93.
Non habet jus administrandi illarum bona, & de illis disponendi. *ibid.*
*Parochus Ruralis*
Jus habet in Cadaver sui Parochiani, qui forte in Civitate moritur si defuncti domicilium tribus milliariis ab Urbe solum distet, & quare. n. 42. & seqq.
Vide *Parochus Urbanus.*
*Parochus in Testamentis condendis.*
Exarare potest Testamentum Parochiani coram tribus, vel duabus aliis personis idoneis. n. 3.
Monita tradenda testatori, priusquam supremas tabulas conficiat n. 32. & seqq.
Tradere debet post octo dies publico Scribæ testamentum a se conditum, ut in acta referatur, & qua ratione. n. 16.
Tota ratio condendi per Parochum testamenti. n. 22., & seqq.
Formula condendi per ipsum testamenti, ejusque tradendi publico Scribæ. n. 18., & 19.
*Parochus Urbanus*
Jus habet in Cadaver Civis, qui forte moritur in agro, nisi aliter ipse declaraverit supremis tabulis, aut tumulum Familiæ suæ proprium habuerit. 43., & 44.
Officia quæ tum sibi persolvere debent Parochi Urbani, & Rurales. n. 50.
Ordo tradendi, & transferendi cadavera ex agro in Urbem n. 44.
*Parochiales Ecclesiæ*
Quibus committendæ ex SS. Conciliis VII. n. 1.
Parochiali Ecclesia vacante, publicum examen indicendum. 2.
Contentione inter concurrentes exorta, quid S. Pontifex Pius V. decreverit n. 1.
Quid Sacra Congregatio Concilii. num. 2.
Magis doctus non est semper magis idoneus judicandus n. 7.
Quid requiratur, ut quis judicetur idoneus. *ibid.*
Præsentatus a Laico, de cujus Jurepatronatus sit Ecclesia, non admittendus, nisi per examen idoneus reperiatur. *ibid.*
Peccat Laicus ex S. Thoma, qui habet privilegium nominandi si idoneum nominet, omisso magis idoneo, & utiliori. n. 8.
Auctoritas Concilii Tridentini de hac re ab aliquibus male interpretata, ab Innocentio XI. vindicata in propositione a se damnata. *ibid.*
Quid de hoc senserit Dominicus Viva Societatis Jesu Theologus. *ibid.*
*Parochiales Ecclesiæ Labentes*
Quarum expensis reparari debeant. C. n. 7., & seqq.
Si reparari nequeant ob egestatem ad matrices seu viciniores Ecclesias transferri debent cum facultate illas convertendi in profanos usus. num. 7.
Quando populus cogi possit ad illas reficiendas. n. 15.
*Pascha.*
Vide *Dominica Resurrectionis.*
*Pater Dominicus a Jesu Maria Carmelita*
Romam defert Effigiem Beatæ Virginis, quæ in Victoriæ Templo asservatur. LXVIII. n. 5.
*Pater Ludovicus a Ponte*
Contendit votum implicitum esse his verbis, *promittis mihi &c.* CII. n. 4.
*Pater Marchettus*
Dissertationem Clementi XI. exhibet de dispensatis ad carnes, non dispensatis a jejunio XV. n. 21.
*Patres Societatis Jesu*
Litteras Sacræ Pœnitentiariæ aperire possunt, & exequi, licet Doctores in publica Academia proclamati non sint, modo sint Confessarii approbati ab Episcopo, & designati a Præposito Generali Societatis Jesu. LXXXVII. n. 23.
Soli gaudent privilegio Ordines recipiendi extra tempora. XXIII. num. 4.
Possunt ordinari a quolibet Episcopo n. 11.
*Patrimonium ordinandorum.*
Patrimonium ad cujus titulum, quis vult ordinari, debet esse certum, fixum, & stabile. XXVI. n. 7.
Non potest consistere in proventibus, qui ingenio, & virtute ordinandi comparari facile possunt. *ibid.*
Neque in bonis mobilibus. n. 8.
Potest constitui in perpetuis Censibus. n. 12.
Hujusmodi Census si a debitoribus dissolvantur, quid faciendum. *ibid.*
Potest constitui in bonis donatis cum quibusdam tamen conditionibus a Sacra Congregatione præscriptis. n. 13.
Patrimonium fictitium quodnam sit n. 14., & 15.
Patrimonio fictitio quænam per Sacros Canones statutæ pœnæ n. 16.
Quomodo fieri debeat Patrimonium ad cujus titulum quis ordinatur. Quid requiratur ex parte Conficientis, ex parte Ordinati, & ex parte Parochi. n. 20.
Qui Patrimonium vendit nulla facta mentione, se ejus titulo fuisse Ordinatum, inaniter, & invalide vendit. n. 28.
Si pro sponsione pecunia solvenda sit, jus tantum exerceri potest in illa bona, quæ Ordinato superfuit post honestam vitæ sustentationem n. 30.
*Patrini in Sacramento confirmationis*
Adesse debent, & qua de causa. VI. n. 13.
Nondum confirmati Patrini esse non possunt *ibid.*
Parentibus erga liberos, maribus erga Fœminas. Fœminis erga mares id præstare non permittitur *ibid.*
Quinam esset antiquus ritus inter Patrinum, & Confirmandum ætate adultum n. 16.
*Paulus V*
Statuit Sodalitia cooptata Capitulo S. Joannis Lateranensis subesse Ordinario. CV. n. 90.
*Peccatum omissionis.*
Ad illud committendum quot requirantur. XCIV. n. 13.
*Penitentiarius major*
Potest dispensare Oratores, qui obtinuerunt dispensationem a Dataria super impedimento primi, & secundi, sive secundi duntaxat gradus consanguinitatis, vel affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita, occulta, & malitiosa intentione. LXXXVII. n. 17.
Potest dispensare super occulto impedimento affinitatis ex copula illicita in foro conscientiæ sive Matrimonium initum fuerit sive ineundum; secus si fuerit publicum vel coniugi mors illata fuerit, altero aut utroque machinante, nisi necessitas postulaverit, vel grave periculum immineat. n. 19. 20., & 21.
Potest impertiri facultatem ineundi matrimonii absque solitis promulgationibus. n. 22.
Item in foro conscientiæ dispensare innocentem ex coniugibus, ut debitum exposcat, si Coniux post initum matrimonium affinitatem cum altero Coniugum contraxerit per copulam illicitam *ibid.*
Quomodo ad ipsum scribendum sit pro dispensationibus. num. 24. & seqq.
In Matrimoniis contrahendis potest dispensare, vel dispensati mandare in foro conscientiæ super impedimentis occultis, quæ non dirimunt matrimonium. n. 2.
Habet omnimodam facultatem pro commutandis votis simplicibus in foro conscientiæ, legitima causa interveniente. n. 3.
Item juxta de causa potest solvere sponsalia occulta in foro conscientiæ, ut quis aliam mulierem in matrimonium ducat n. 4.
Non potest ferre judicium de interdicto Ecclesiæ, & rebus publicis. *ibid.*
Non potest dispensare in matrimoniis contrahendis super quocumque impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, sive ex cognatione spirituali proveniente etiam in foro conscientiæ, tametsi impedimentum sit occultum, & iamineat periculum scandalorum n. 5.

Potest solvere in foro conscientiæ impedimentum occultum publicæ honestatis, quod dimanat ex occultis sponsaliis inter virum & mulierem n. 7.
Utrum, & quando in matrimoniis contractis etiam occultis possit dispensare in gradibus primo, & secundo, seu secundo tantum consanguinitatis seu affinitatis ex copula licita n. 8,
Quando in tertio, & quarto gradibus publicis possit revalidare matrimonia nulliter contracta ex causa subreptionis, vel obreptionis occultæ litterarum Apostolicarum n. 9. & 33.
In matrimoniis contractis potest dispensare super occulto impedimento cognationis spiritualis n. 13.
Utrum, & quomodo possit dispensare pro matrimonio contrahendo, seu revalidatione matrimonii contracti, Oratores, qui obtinuerunt a Dataria dispensationem super gradu prohibito, tam in primo, & secundo, quam secundo tantum, ac etiam in tertio, & quarto tacita copula inter eos sequuta n. 14.

*Pœnitentiariæ Tribunal.*

Vide *Litteræ Sacræ Pœnitentiariæ.*

*Peregrinus Philosophus*

Simulata Christianorum Religione ingentem pecuniam congerit, & graves itinerum expensas ab illis obtinet LXXV. n. 1.

*Petrarcha Franciscus*

Quam male senserit de Choreis. LXXVI. n. 5.

*Petrus Blesensis*

Auctor satis incertus sermonis decimi tertii XIV. n. 6.

*Pharao*

Inter Josephi fratres magis industriosos constituit suorum pecorum magistros. XII. n. 8.

*Photius Episcopus Constantinopolitanus*

Pravus, sed eruditus XLII. n. 9.
Ejus præclarum testimonium de utilitate Logicæ *ibid.*
Ecclesiæ Romanæ calumniator, quod quadragesimæ tempore ova, & lacticinia permitteret. XVI. n. 2.

*Pileolus.*

Vide *Coma fictitia.*

*Pistrinarii, & Molitores*

Diebus festis fruges non possunt mola conterere, vel advehere seclusa necessitate LXV. n. 29., & seqq.
Si semo sit de Pistrinis circumactis impulsu venti, vel aqua, absque multa hominis opera, possunt molere, ubi est consuetudo num. 30.
Hæc consuetudo in Archidiœc. Bononien. est interdicta seclusa necessitate n. 31.
Si necessitas proveniat a timore aquarum penuriæ, quæ possit contingere finitis diebus, possunt molere, sed non fruges vehere, aliaque similia facere n. 34.

*Pius IV*

Abrogavit privilegium concessum a Bonifacio IX. Sodalitiis erectis in solo Lateranensi. CV. n. 90.
Finem imposuit celebri controversiæ de primatu Loci inter Regulares Lateranenses, & Cassinenses n. 41.

*Polus Cardinalis*

Recenti a Episcoporum Seminaria primus proposuit. LIX. n. 6.

*Præceptum Quadragesimalis abstinentiæ*

Potest a Romano Pontifice solum justis de causis dispensari. L. n. 3.
Dispensatum fuit pro Civitate Bononien. certis conditionibus anno 1736. n. 4.
Quænam fuerint conditiones, & quomodo adimplendæ. *ibid.*
Non a Telesphoro Romano Pontifice, sed ab Apostolis est repetendum. n. 6.
Qua Apostolica traditione ad nos devenerit. *ibid.*
Non debet a Romano Pontifice dispensari, nisi gravibus ex causis, inter quas est morborum prudens periculum. n. 7.
Vide *Jejunium.*

*Præfecti Regulares*

Debent singulis annis petere Sacrum Oleum ab Episcopo Diœcesano, & ea omnia ad quæ eorum facultas extenditur. LXXXI. n. 2.

*Prætor, & Judex*

Rite ineunt matrimonium coram Parocho illius Loci, in quo degunt & quare. LXXXVIII. n. 1.

*Processio Corporis Christi.*

Vide *Celebritas annua.*

*Professio Fidei*

Facienda ex Tridentino ab omnibus provisis de Beneficiis curam animarum habentibus a die adeptæ possessionis intra duos menses in manibus Episcopi, vel eo impedito, coram ejus Generali Vicario. LX. n. 1.
Item ab omnibus provisis de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo, sed etiam in Capitulo. *ibid.*
Fieri potest per Procuratorem. num. 3.
Fieri debet etiam ab iis, qui provisi sunt per Sedem Apostolicam num. 4.
Lex de facienda Fidei professione non solvitur per consuetudinem etiam constantem, sed solum per expressam exemptionem n. 7.
Qui Fidei professionem omiserint etiam ex imprudentia, & ignorantia, quibus pœnis subjaceant & utrum non solum fructus, sed etiam distributiones ab eisdem repetendæ n. 13.

*Propositiones damnatæ*

Quid in iis sit attendendum, ut possit cognosci, utrum propositio affinis judicari debeat æque falsa, & improbabilis. LXXII. n. 9.

*Protonotarii Apostolici*

Tempore Sacri non possunt uti instrumento argenteo cum candela, quod vulgo dicitur *Bugia*, nisi fuerint participantes. XXXIV. num. 17.

*Proventus, seu distributiones*

Ex tertia parte proventuum deducendæ per Episcopum de omnibus fructibus Canonicatuum, Dignitatum, & Officiorum debent constitui distributiones in omnibus Cathedralibus, & Collegiatis, ubi ipse desint, vel ubi sunt tenuissimæ. CVII. n. 41.
Unde originem duxerint hujusmodi distributiones, n. 39. & 40.
Ad excitandam diligentiam in Canonicis propositæ fuerunt, & quo auctore. *ibid.*
Distributiones absentium Canonicorum, vel dignitatum Capituli quibus elargiendæ sint *ibid.*
Non licet distributiones absentibus donare, relinquere, aut quavis collusione remittere n. 42.
De Punctatoris officio, ac diligentia n. 43.
Vide *Canonici absentes.*

*Psalmi*

Canendi in Cadaveribus Christianorum deferendis. XXX. 2. 5.
Vide *Cantus Psalmorum.*

*Psalmi Graduales, ac Pœnitentiales*

Quando recitari debeant a Canonicis in Choro CVII. n. 8.
An absentes a Choro teneantur illos recitare n. 9.

*Psalmus De profundis.*

Recitantibus Psalmum *de profundis* prima noctis hora ad signum Campanæ flexis genibus quænam concessæ Indulgentiæ LXI. numer. 3.

*Puellæ educandæ a Monialibus*

Ubi, & coram quo Parocho debeant matrimonium inire. LXXXVIII. num. 3.

*Puellæ expositæ seu Spuriæ*

Debent singulis diebus Dominicis exerceri in lege Dei percipienda per Confessarium, aut alium Sacerdotem deputatum LXVI. num. 1.
Item a prima Moderatrice in hospitiis per hebdomadam. *ibid.*
Debet illis concedi, ter, aut quater anno Confessarius extraordinarius.
Debent aliquando valetudinis gratia duci ad deambulandum, & qua ratione id caute fieri possit. *ibid.*

*Puellæ expositæ, detentæ in Hospitio Spuriorum.*

Quis earum Parochus. XXXIII. num. 14.

*Puellæ legitimæ in Hospitiis servatæ.*

Quis earum Parochus. *ibid.*

*Pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto*

Non est de juribus Parochialibus, spectat tamen ad Ecclesiam digniorem. XIV. num. 20.

*Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.*

Quarum lege jussa Purificatio. XV. n. 20.
Beata Maria Virgo huic legi subjecta non erat n. 21.
Sententia contraria damnata ab Alexandro VIII. *ibid.*
Quare B. M. Virgo voluerit purificari, *ibid.*
Quid ea occasione actum fuerit in Templo *ibid.*
Quando introductum fuerit hujusmodi Festum, & qua occasione num. 22.
Quare Candelæ accensæ in hoc Festo manibus præferantur. *ibid.*

*Quadragesimæ.*

Quare tempore Quadragesimæ sub meridiem Vesperæ celebrentur. XV. n. 5.
Orientalis Ecclesiæ institutum rigidissimum de carnibus per Quadragesimam non permittendis ægrotis in extremo vitæ discrimine constitutis num. 25.
Est tempus pœnitentiæ tam pro non dispensatis, quam pro dispensatis. n. 27.
Non solum carnes, sed lacticinia, & ova tempore Quadragesimæ prohibentur. XVI. n. 1.
Utrum hoc ad consuetudinem, an ad jus positivum referendum sit num. 3.
Etiam supposito, quod consuetudini tribuendum sit, hæc consuetudo obligationem inducit. n. 4.
Quare quædam regiones ad ova, & lacticinia fuerint dispensatæ num. 5.
Quare aliquando per Summos Pontifices Italiæ etiam populi dispensentur, n. 6.
In tali circumstantia non intelligitur dispensatum jejunium. n. 8.
In dubio, an sit causa pro dispensatione a cibis quadragesimalibus, utrum possit concedi licentia. XV. n. 13.
An dispensatus a carnibus sit etiam dispensatus a jejunio n. 20.

*Regulares*

Qui Missali Romano non utuntur illud retinere debent pro exteris Sacerdotibus in Sacrario XXXIV. n. 20.
Utrum extra tempora ordinari possint XXIII. n. 2., & 3.
Quam male se aliquando gerant cum Episcopis, in quorum Diœcesi sunt, circa Ordines recipiendos, non servatis interstitiis num. 6.
Tenentur Ordines suscipere ab Episcopo in cujus Diœcesi situm est Monasterium n. 8.
Varia Pontificum Decreta hoc confirmantia. *ibid.*
Non possunt concionari in Ecclesiis non propriis sine Episcopi facultate XXVII. n. 8.
In propriis vero tenentur petere benedictionem. *ibid.*
Circa Interstitia comprehenduntur in Decreto Concilii Tridentini, LXIII. n. 1.
Possunt circumducere Processionem per Parochias, solius Episcopi accedente licentia, quamvis Parochus contradicat. CV. num. 51. & 52.
Conversi, seu Laici in associandis Cadaveribus nequeunt perfungi munere Capellani n. 32.
Non possunt vendere, vel pignorare pretiosam Ecclesiasticam supellectilem sine facultate Sedis Apostolicæ, abrogatis quibuscumque privilegiis LXIX. n. 7., & 8.
De facultate Episcopi possunt alienare supellectilem non pretiosam. *ibid.*
Quibus pœnis subjaceant, si aliter fecerint. *ibid.*

*Regulares Confessarii*
Si habeant facultatem non limitatam audiendi Confessiones, utrum eis adimi possit sine causa legitima. LXXXVI. n. 5.
Pontificum de hac re Decreta n. 7.
*Regulares Conversi, seu Laici*
Etiamsi vota solemnia nondum emiserint, tamen Canonis privilegium assequuntur. CV. n. 32.
*Regulares Custodes Sacrarii*
Quomodo debeant recipere, retinere, & administrare eleemosynas Missarum tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium. & de iis rationem reddere. LXXII. n. 29.
*Reliquiæ S. Annæ.*
Corpus S. Annæ a Palestina Constantinopolim delatum anno 750. XLIX. n. 3.
Caput S. Annæ in Galliam dono missum anno 1200. *ibid.*
Cranium S. Annæ Beato Nicolao Cardinali Albergato Bononiensi tributum. *ibid.*
Ab eodem Bononiam delatum anno circiter 1435. n. 4.
Publice in Ecclesia Carthusiensium exponitur diebus 29. 30., & 31.
Mensis Januarii numer. 8.
*Reprobi.*
Utrum major reproborum, an electorum numerus sit. XXVII. num. 17.
*Residentia Beneficiatorum.*
Controversia, utrum sit de jure Divino residentia, agitata in Concilio Tridentino, ad finem nunquam perducta XVII. n. 1.
A Concilio Tridentino, & Summis Pontificibus sub pœnis gravibus inculcata n. 4.
Quænam conventa fuerint inter Apostolicam Cameram, & Capitulum, Clerumque Bononiensem circa immunitatem spoliorum, illorum favore, qui obstricti sunt vinculo residentiæ. n. 5.
Qui Corpore resident, inertes tamen sunt, & otiosi, graviter peccant, & ex multorum sententia tenentur ad restitutionem fructuum n. 6.
Quænam causæ excusent a præcepto residentiæ. *ibid.*
Utrum semper requiratur expressa licentia Episcoporum Parochis, ut excusentur residentia per aliquod tempus n. 7.
Neque aeris intemperies, neque senectutis incommoda, neque exiguus Parochianorum numerus excusant Parochos a residentia. n. 14. 15., & 16.
Residentia qualis, & quo tempore intelligatur *ib.*
Quid pro ea firmanda statutum sit in Archidiœcesi Bononiensi n. 24.
Immemorabilis etiam consuetudo non excusat a Residentia in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus. CVII. n. 2.
Aliter decernitur in Collegiatis non insignibus, ac ruralibus, ac tenuissimi proventus *ibid.*
*Resurrectio Christi Domini*
Quo die, & hora contigerit. XXXIX. n. 7. & 8.
*Rex Lotharius*
Ab Adriano II. acriter reprehensus per sacrilegam Communionem, Roma profectus Placentiæ misere decedit. XLV. n. 17.
*Ritus pro benedictione Campanarum, Animalium &c.*
Vide *Benedictiones.*
*Robertus Scotus Archiepiscopus Armacanus.*
Utrum a Sede Apostolica collata illi fuerit immunitas ab irregularitate contracta pro exercitate. XXXIV. n. 5.
*Rogationes*
Duæ; Major, & Minores. Quare sic appellatæ III. n. 1.
Majoris Auctor S. Gregorius Magnus *ibid.*
Minorum Mamertus Episcopus Viennensis in Gallis. *ibid.*
Non S. Augustinus n. 2.
Quare inductæ. n. 7.
Id institutum, quando ab Ecclesia Romana receptum n. 4.
Quanta cum pietate Fideles antiquitus prosequerentur dies Rogationum. *ibid.*
Triduo Rogationum Mediolanensis Ecclesia ex veteri instituto jejunium servat n. 5.
Viennensis Urbs fusis ad Deum precibus triduo Rogationum a vastitate per Sanctum Mamertum servatur. n. 6.
*Rogerius Episcopus Salistinensis*
Misere virum absolvit, quod Sacrum nimis festinanter, & sine devotione perageret. XXXIV. n. 31.
*Rosarium B. Mariæ Virginis.*
Recitantibus Rosarium a Summis Pontificibus plures elargitæ Indulgentiæ. LXXIX. n. 8. & seqq.
Albigensium hæresis Rosarii præsidio vehementer extenuatur numer. 23.
*Rubricæ*
Quam diligenter observandæ. CVII. num. 23.
*Sabbatum majoris Hebdomadæ.*
Eo Sabbato debet fieri benedictio Cerei Paschalis XXXIX. n. 2.
Ejus benedictionis ritus quam antiquus in Ecclesia *ibidem* & num. seqq.
Quis ejus auctor. *ibid.*
Debet etiam fieri benedictio ignis n. 7.
Hujusmodi benedictiones in alium diem transferri non debent. num. 2.
*Sacella domestica, seu aræ portatiles.*
In sacellis domesticis unum tantum Sacrum peragi potest iis præsentibus, quorum gratia datum est privilegium. XXXIV. numer. 8.
Sacella domestica, & aræ gestatoriæ, quæ permissæ antea fuerant Concilii Tridentini decreto sublatæ penitus sunt. n. 10.
In iis neque Pœnitentiæ, neque Eucharistiæ Sacramentum administrandum. n. 11.
*Sacella publica.*
Quibus diebus non liceat in illis Sacrum facere. XLIV. n. 7.
In iis Sacellis, quæ a Parochia non distant mille passibus, non debet fieri Sacrum, nisi postquam factum fuerit in Parochia num. 8.
Solius Episcopi est decernere, ut in Sacellis Sacrum fiat post Missam Parochialem n. 9.
Sacerdos celebrans in his Sacellis Sacrum Evangelium debet explicare, & Legis Christianæ præcepta explanare n. 3.
*Sacerdos.*
Vide *Locus celebrandi.*
*Sacerdos Confessarius*
Potest Laicis indicere Missas celebrandas. XCII. n. 1.
Non debet addicere vel sibi, vel Monasterio suo eleemosynas pro Missis, quas celebrandas indicit. *ibid.*
Qua pœna in Diœcesi Bononiensi id interdictum sit. *ibid.*
*Sacerdotes*
Utrum peccent, qui recusant audire confessiones fidelium, eo tantum titulo, ne novo examini subjiciantur. XCIV. n. 25.
Quot sint causæ ex quibus populo conferre Sacramenta tenentur. num. 17.
Quando rem Divinam operari teneantur, etiamsi nullam habeant curam animarum, & nullum Beneficium, vel stipendia n. 18.
Aris gestatoriis celebrare non possunt, abrogatis per Tridentin. quibuslibet privilegiis. XXXIV. num. 6.
Non possunt Celebrare Missam ante auroram. XIII. n. 2.
Neque post meridiem, nisi tertia parte horæ n. 3.
Excipiuntur, qui gaudent facultate Apostolica non abrogata n. 5.
Quinam ii sint in Urbe. *ibid.*
Non debet Magnatibus inservire in negotiis. XXXIV. n. 6.
Id in Gallia vetitum est, etiam Regum edictis. *ibid.*
Ubi possint celebrare, & quando.
Vide *Locus Celebrandi.*
Vide *Sacella domestica.*
Quibus vestibus uti debeant.
Vide *Vestis Sacerdotalis.*
Non possunt uti Annulis in digitis tempore Sacri n. 15.
Neque instrumento vulgo dicto *bugia* n. 16.
Lethale crimen admittunt, nisi solemnioribus festis Sacrum conficiant. LV. n. 9.
Obstringuntur ejusmodi Sacerdotes a suis Parochis in Paschate communionem accipere. *ibid.*
Prohibentur incedere per Urbem cum veste colorata sine pallio, cum solo collari. LXXI. n. 3. & 5.
Sacerdos rem sacram facturus.
Vide *Vestis Sacerdotalis.*
*Sacerdotes celebrantes in Sacellis ruralibus*
Sub pœna suspensionis a Divinis jubentur populum monere de futuris proxime diebus Festis, Evangelium ab Altari declarare, & Christianam legem explanare. LXXII. n. 22.
*Sacerdotes exteri, & ignoti.*
Quid Synodus Chalcedonensis statuerit circa Sacerdotes exteros, & ignotos. XXXIV. n. 4.
Sacerdotibus exteris; & ignotis etiam Regularibus sine litteris Episcopi commendatitiis non est permittendum, ut celebrent *ib.*
*Sacerdotes in Celebratione Missarum*
Si habuerint stipendium Missæ minus solito in Diœcesi, debent tamen fructum illi tribuere, a quo stipendium acceperunt. LVI. n. 1.
Si plura exigua stipendia a diversis sumpserint, tot Missas debent celebrare, quot possunt celebrari pro ratione pecuniæ. *ibid.*
Si habuerint stipendium majus solito & alium Sacerdotem sibi substituerint, debent illi integram conferre pecuniam, etiamsi re cognita ille minori pretio contentum se fateatur. *ibid.*
Non possunt sumere duplex stipendium Missæ pro fructu satisfactorio *ibid.*
Non possunt duplicatum stipendium pro eadem Missa accipere applicando petenti partem specialissimam fructus ipsi celebranti correspondentem. *ibid.*
Non possunt satisfacere per alium, stipendii parte sibi retenta. *ib.*
Possunt justis de causis aliquando a celebratione vacare, licet debeant celebrare quotidie per se ipsos. *ibid.*
Non possunt diebus licitæ vacationis celebrare pro se ipsis, vel pro aliis *ibid.*
Si in tali casu celebrent pro aliis, non possunt stipendium accipere *ib.*
Obligari celebrare quotidie sine onere celebrandi per se ipsos non possunt a celebratione vacare. *ib.*
Utrum Sacerdotes possint accipere duplex stipendium, unum pro celebratione, alterum pro Missæ applicatione, n. 7., & 8.
*Sacerdotes recenter ordinati*
Possunt se convertere ad populum in medio Altari, & accipere munera oblata ea die, qua primum Sacrum faciunt. *ibid.* n. 7.
*Sacerdotes Sacrum conficientes*
Quam sit indignum Sacerdotibus Sacrum nimia celeritate conficere. XXXIV. n. 28. & 29.
Qua voce, qua verborum distinctione, & quanto tempore Sacrum peragi debeat. *ibid.*
Nimia Sacerdotum celeritas in Sacro peragendo male a quibusdam laudatur. *ibid.*
Multi Sacerdotes improvisa morte obierunt, quod nimis festinanter celebrarent n. 31.
*Sacerdotes sæculares*
In Ecclesiis Regularium, ubi festum duplex per ipsos celebratur, possunt celebrare Missam sub ritu duplici de festo n. 20.
Si vero Missa sit propria omnibus non concessa, fit quidem de festo sed cum Missali Romano. *ibid.*
*Sacramentum.*
Quatuor conditiones ad Sacramentum requisitæ. VI. n. 3.
Quid intelligatur nomine Spiritus Sancti, cum sermo est de effectu Sacramenti. *ibid.*
Christo Domino ad instituenda Sacramenta tradita potestas excellentiæ. n. 3.

*Sacramentum Extremæ Unctionis*
Valide, sed non licite administratur Oleo vetere benedicto, nisi adsit legitima causa. LXXXI. num. 4.
Quando possit licite administrari immiscendo cum oleo consecrato oleum non consecratum. *ibid.*
*Sacrificium Missæ*
Nimia celeritate non peragendum, sed summa cum pietate. XXXIV. num. 28., & seqq.
Vide *Sacerdotes*.
*Sacrificium Missæ quoad applicationem.*
Non potest applicari iis, qui postea eleemosynam sunt præstituri. XCII. n. 1.
Vide *Missa*. Vide *Sacerdotes*.
*Salutatio Angelica.*
Recitantibus quotidie ad pulsum Campanæ, seu mane, seu meridie, seu vespere flexis genibus Salutationem Angelicam quænam impertita a Benedicto XIII. Indulgentia. LXI. n. 1. & seqq.
Consuetudo salutandi B. Virginem tribus diversis horis in die, quando, & a quo fuerit introducta, & renovata. XIII. n. 11.
*Sanctus Ambrosius*
Qua benevolentia fuerit erga Civitatem Bonon. XC. n. 1.
In Urbe Bononiensi SS. Martyrum Agricolæ, & Vitalis ossa detexit *ibid.*
Eidem a Prospero Cardinali Lambertino erectum monumentum in Ecclesia Metropolitana Bononiensi. *ibid.*
In Occidente proposuit morem recitandi versiculos Psalmorum alternatim, & qua occasione. CVII. n. 28.
*Sanctus Antonius Abbas*
S. Antonii Abbatis res gestæ præclarius laudibus a pluribus SS. Patribus exaltatæ. XLVII. n. 2. 3., & 4.
Quid significent ea Symbola, quibus ejus effigies depingi solet. n. 5.
Cur sus potius, quam aliud brutum S. Antonio appingatur. n. 7.
Cur ejus patrocinium pro brutis conservandis singulariter imploretur, eorumque Patronus habeatur n. 10.
*Sanctus Appollinaris.*
A S. Petro missus in Æmiliam pro Christi lege enuncianda, num Bononiæ fuerit. XC. n. 1.
Eidem in Ecclesia Metropolitana Bononiensi a Cardinali Lambertino Altare erectum. *ibid.*
*Sanctus Athanasius.*
S. Athanasii adhuc pueri pueros baptizantis historia non satis certa. VIII. n. 7.
*Sanctus Augustinus Episcopus*
Eos vehementer arguebat, qui queruntur de prolixitate Missæ. XXXIV. n. 31.
*Sanctus Basilius*
Quid responderit Theodoro Sacerdoti, qui monitus de dimittenda ancilla dixerat, se esse septuagenarium. LXXXIII. n. 23.
*Sanctus Benedictus*
Utrum instituerit Ordinem Monialium. LXXXV.
*Sanctus Bernardus*
Apostolica libertate Eugenium III. objurgat, quod pœna iis Clericis imposita, qui non deferebant habitum clericalem, non infligeretur. LXXI. n. 16.
Furem celebertimum eripit a supplicio & inter Monacos cooptat. XLI. n. 32.
*Sancta Birgitta*
Parochos rotæ frumentariæ comparabat, & quare XLIV. n. 26.
*Sanctus Callistus Papa*
Auctor non satis certus Epistolæ Decretalis ad Benedictum Episcopum. IV. n. 3, & 4.
*Sanctus Carolus Borromæus*
Sac. Ordines petentibus exercitia spiritualia præscribit. CIV. n. 3.
Decernit carere distributionibus Canonicum, qui chorum dimittit, ut Missam celebret, nisi necessitas id postulet, & Sedes Apostolica permittat. CVII. n. 75.
Decernit tempus, quo Canonici debent adesse choro, ne merito notentur n. 23.
*Sancta Clara Assisias*
Sanctissimam Eucharistiam capsa argentea inclusam intra ebur ad portas Monasterii deferri jubet contra Saracenos. XXX. n. 4.
*Sanctus Cyprianus*
Utrum fuerit auctor libri *de spectaculis*. LXXVI. n. 3.
Quam prudenter populum suum initio ejus libri alloquatur. *ibid.*
*Sanctus Dominicus*
Auctor, & Institutor Rosarii B. M. Virginis. LXXIX. n. 12.
Rosarii præsidio Albigensium hæresim vehementer extenuat *ibid.*
Natus Calaguriæ in Hispania cur merito possit dici Civis Bononiensis n. 15.
*Sanctus Florianus*
Martyrium Gazæ consequitur sub Imperatore Diocletano. LXXII. num. 1.
Ejus corpus per S. Petronium a Palestina Bononiam defertur. *ib.*
Inter Patronos, & tutelares Urbis Bononiæ perpetuo adnumeratur num. 1.
*Sanctus Franciscus Salesius*
Pœnam suspensionis inflixit Sacerdotibus qui saltationes inirent. LXXVI. n. 8.
Corpus suum Medicis, & Chirurgis dissecandum tradi jussit, ut dissidia, & cædes impediret LXIV. n. 5. & 6.
Choreas permisit, sed cum debitis legibus XIV. n. 24.
*Sanctus Fructuosus Episc. Tarracon.*
Cum ad Martyrium raperetur, recusavit haustum aquæ frigidæ: eo quod eo die jejunium ageretur. XV. n. 3.
*Sanctus Gratus Augustæ Prætoriæ Episcopus*
Agros Augustæ Prætoriæ ad tria milliaria devastatos muribus Aquæ benedictæ aspersione liberat. XLVII. n. 7.
*Sanctus Gregorius Magnus*
Pontificatus administrationem coactus suscipere tributum Mauritio Imperatori solvere non prætermisit, & quare. XCIII. n. 4.
De hujusmodi tributo Mauritium vehementer redarguit. n. 5.
Marinianum Episcopum Raven. eruptione frequenti sanguinis laborantem a legibus Quadragesi. solvit. XV. n. 16.
*S. Gregorius Nissenus*
Suis humeris una simul cum alio Episcopo, ac duobus Clericis S. Macrinæ corpus ad tumulum defert. XXXVI. n. 14.
*Sanctus Hyeronimus*
Accusatus de nimia consuetudine cum Paula, Eustochio, & Melania post dilutum a se crimen, in solitudinem fugit, & quare. LXXXIII. n. 23.
*S. Joannes Chrysostomus*
Primus invexit Constantinopolim piam consuetudinem recitandi versiculos Psalmorum. CVII. n. 28.
*Sancta Monica*
Quam prompte paruerit decretis S. Ambrosii. LIV. n. 28.
*Sanctus Paulus Apostolus*
In insula Melita viperam brachio implicatam habuit, nullumque ab ea sensit incommodum. XLVII. n. 16.
*Sanctus Paulinus*
Per vim concitati populi Sacerdos ordinatur. CIV. n. 2.
*Sanctus Paulinianus*
Ad Sacerdotium assumitur per vim concitati populi *ibid.*
*Sanctus Petronius*
A Palestina Bononiam defert corpus Sancti Floriani martyris. LXII. n. 1.
Decedit Bononiæ anno 450. n. 2.
*Sanctus Petronius Episcopus Bononiensis*
Quando recesserit, & ubi conditus LXXIV. n. 3.
Ejus sacrum Corpus quando repertum. *ibid.*
Civium Bononiensium erga illum maxima pietas. *ibid.*
S. Eucherio coævus maxime commendatur. n. 5.
Item a Gennadio eidem pariter coævo. n. 5.
Antequam in Italiam veniret, ubi fuerit, & quid fecerit. *ibid.*
Ab aliquibus putatur Auctor libri *De vita, & rebus gestis Monacherum Ægypti*. n. 16.
*Sanctus Petrus Apostolus*
Cur post trinam negationem tantam a Domino consecutus fuerit misericordiam: Judas vero *in æternum* perierit. XLV. n. 17.
*Sanctus Petrus Damianus*
Florentium Episcopum, qui nocte latrunculis luserat, graviter objurgat, & punit XXXVII. n. 7.
*Sanctus Philippus Nerius*
Cur instituerit solemnem supplicationem ad septem urbis Ecclesias diebus bacchanaliorum. XIV. num. 8.
Sacerdotes in Sacro peragendo nimis prolixos esse nolebat, XXXIV. num. 30.
*Sanctus Pius V*
Contra Turcas peculiari pietate, & fiducia invocandus, & quare causa. LXXIX. n. 6.
Ex Ædibus Vaticanis pugnam videt Christianorum contra Turcas ad Echinadas insulas *ibid.*
Natus in oppido Insubriæ, quod vocant Boscum, sed oriundus e Bononia n. 14.
Statuit plures indulgentias recitantibus in choro præscriptis diebus Officium B. Virginis, Defunctorum, & Psalmos Graduales, ac Pœnitentiales. CVII. n. 10.
Decernit carere fructibus Beneficii, ac distributionibus Canonicos silentes in choro, dum Officium Divinum recitatur n. 16.
Patrem Petramelaram Capuccinum, qui manu sua necaverat septem Turcas navim suam invadentes, omni prorsus irregularitate immunem declarat. CL. n. 22.
Novam disciplinam indixit mulieribus Tertiariis simul viventibus sine voto solemni, & clausura. CV. n. 74.
Extremo supplicio plectendos decernit decoctores per luxuriam vel qui se tales fingunt. XLI. n. 9.
Mulieres Tertiarias, quæ simul degunt sine votis solemnibus, & sine clausura tollere cogitavit. CV. n. 61.
Abrogavit omnia etiam vetustissima privilegia celebrandi ante mediam noctem XIII. n. 2. *ibid.* 21.
*Sanctus Raymundus de Pennafort*
Per tres annos jus Canonicum Bononiæ docet. LIX. n. 19.
Decretales Pontificum coegit *ibid.*
*Sanctus Severinus Episcopus Coloniensis*
Purgatorio addictus, & quare XXIV. n. 7.
*Sanctus Thomas Apostolus.*
Pervigilium ejus festivitatis a primis Fidelibus piis operibus, & assiduis precibus impendebatur. LXII. n. 3.
*Sanctus Thomas Cantuariensis*
A quibusdam ad excusandam Missæ brevitatem male adhibitus. XXXIV. n. 31.
Ejus singularis devotio in Sacro peragendo. *ibid.*
*Sanctus Wenceslaus Rex Bohemiæ*
Suis manibus ferebat triticum, & exprimebat vinum, quibus uterentur Sacerdotes in Sacrificio Missæ LXXVII. n. 1.
*Sanctus Vincentius de Paulis.*
Ejus norma pie, utiliterque vacandi exercitiis spiritualibus CIV. n. 4., & 5.
*Sanctus Zimas Episcopus Bononiensis*
An primus Ecclesiam Bononiensem administraverit. XC. n. 1.
*Scandalum*
Quomodo definiatur, & quotuplex sit. LXXXIII. n. 23.
*Sectio Cadaverum*
Non adversatur Constitutioni Bonifacii VIII. LXIV. n. 2.
Ex consuetudine, vel Principis facultate fit in cadaveribus noxiorum. n. 3.

Non facienda in cadaveribus, quæ non sint noxiorum, nisi ex facultate Episcopi, vel Vicarii Generalis n. 10.
Qui aliter faceret, peccaret, sed non effet excommunicatus, ibid.

*Sedes Apostolica*

Nunquam improbavit, si cuivis nefario homini absolutio concederetur. XXII. n. 3.

*Seminaria*

Quanta ex illis utilitas. LIX. num. 1., & 2.
A Generali Nicæna Synodo judicantur primo proposita. n. 3.
Seminaria antiquitus duplicis generis. n. 6.
Recentia Episcoporum Seminaria a quo primo excogitata. ibid.
Prope Ecclesias Cathedrales instituenda. n. 13.
In iis pietati, exercitationibus, & studiis incumbendum ex Tridentino. n. 14.

*Seminarium Archiepiscopi Bononiensis*

A Cardinali Gabriele Paleotto Bononiæ primo conditum. n. 11.
Ab eodem Cardinali a primis sedibus alio translatum, & præclaris legibus stabilitum. ibid. & n. 12.
A Prospero Cardinali Lambertino, modo Summo Pontifice, a fundamentis iterum excitatum, vocatis ad instituendos Clericos insignibus professoribus. n. 12., & seqq.
Ejusdem opera ei additum Collegium a Sole dictum. n. 13.
Ab eodem recens, atque perutilis studiorum methodus inducitur. num. 15.

*Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima*

Quare ita appellentur. XIV. n. 2.
Quænam fuerit de hoc Theophili Raynaudi opinio. ibid.
Quare in officiis Divinis historiam a lapsu primi hominis, usque ad Abrahæ vocationem, Ecclesia nobis proponat considerandam, num. 4.
Quare parabolam de Seminante, Divinum judicium, & Lazarum ad vitam restitutum, ibid.
Quare non amplius utitur *Alleluja*, multosque alios ritus immutat. ibid. num. 6.
Quare introducta fuerit consuetudo multorum piorum operum a Quinquagesima usque ad feriam quartam Cinerum. ibid.
Quid iis diebus faciendum putaverit quintum Mediolanense Concilium. n. 8.
Quid Bononiæ fieri statutum fuerit n. 9., & seqq.

*Siclus*

Duplicis generis: Siclus Sanctuarii, & Siclus argenteus Quodnam eorum discrimen. LVI. n. 3.

*Sigonius Carolus*

Duos Libros Sac. Historiæ per Sulpicium Severum compositos in Seminario Bononiensi interpretatur. LIX. n. 11.

*Simonia, & Simoniacus*

Quam grave peccatum. XII. n. 6.
Cum ab aliquo potente pro aliquo indigno Beneficii Ecclesiastici fiunt preces commoando periculum, committitur simonia, si propter hoc datur Beneficium. num. 8.
Cum hujusmodi præces fiunt pro digno, committitur a rogante, non vero a conferente, dummodo non moveatur favore precum principaliter. ibid.
Quot modis incurratur. num. 11.
Simoniaci excommunicationem incurrunt Summo Pontifici reservatam. ibid.
Nequeunt retinere Beneficium, & tenentur reddere omnes fructus. ibid.
Habent aditum intercluſum ad talia Beneficia. ibid.
Utrum, & quando simoniæ labem incurrat, qui Beneficium Ecclesiasticum constituit ea lege, ut ipse prius, deinde consanguinei ejus illud teneant. XCV. n. 1. & seqq.
Utrum simoniacus ille sit, qui divitiis Canonicatum auget ea lege, ut ipse ad eumdem nominetur. ibid.
Quotuplex sit, & quot modis incurratur simonia. XII. n. 11.

*Sinenses*

Dum Sacrum faciunt Pileolo utuntur & quare. XCVI. n. 2.

*Sixtus V.*

Restituit Privilegium Bonifacii IX. concedentis immunitatem ab Ordinario Sodalitiis erectis in solo Lateranensi, CV. n. 90.
Decernit gaudere etiam quotidianis distributionibus Canonicos, qui Episcopum Limina Apostolorum invisentem comitantur, vel ipsius loco suffectos. CVII. n. 59.
Decernit spoliari ipso facto pensionibus, & beneficiis Clericos, qui inter milites cooptantur, CI n. 24.

*Smaragdus*

Quid de cœtibus Monachorum commemoret. XXXII. n. 7.

*Societas Sanctissimi Sacramenti Bononiæ*

Quibus legibus teneatur circa eleemosynarum administrationem LXXII. n. 29.

*Sodalitia*

Sine Sacco in associandis Cadaveribus post feretrum, alia vero, quæ funeribus interſunt cum Sacco, ante feretrum incedere debent. CV. n. 30.
Istis permittitur circumducere processionem per Parochias, solius Episcopi accedente licentia, quamvis Parochus contradicat. n. 52.
Quæ prius Saccis usa sunt, reliquis præcedunt. n. 84.
Sodales Sanctissimo Sacramento dicti primo loco incedunt in iis supplicationibus, quibus Sacra Eucharistia defertur, n. 85.
Subjiciuntur Episcopo, licet in Ecclesiis Regularium erecta sint. num. 87.
Archisodalitia Romana possunt sibi cooptare alia Sodalitia extra Urbem, eisque sua privilegia communicare. n. 89.
Sodalitia cooptata Capitulo S. Joannis Lateranensis etiam subsunt Ordinario. n. 90.

*Sodalitia, & sodales*

Dissidiorum causæ inter Parochos, & Sodalitia in Diœcesi Bononiensi. LXX. n. 1. 2. & 3.
Sodales vacati ad efferendos Defunctos debent progredi ad Parochiam ordinari, & Sodalitii vestibus superinduti n.
Sodales Laicos suis humeris portare possunt, & non Clericos, & Sacerdotes, etiamsi Sodalitio adscripti fuerint. n. 6.
Non debent ipsi determinare viam pro pompa funebri. n. 7. & seqq.

*Sodalitia Doctrinæ Christianæ*

In Archidiœcesi Bononien. plurima, & virtute præstantia. IX. n. 11.

*Sondi Paulus Episcopus*

Collegium instituit Bononiæ pro Hungaris. LIX. n. 11.

*Sors Divisoria*

Quando, & quibus de causis judicari debeat licita, vel illicita. LXXVIII. n. 15. & 16.
Eventus in sorte divisoria soli Deo tribuendus, n. 16.

*Spiritualia Exercitia S. Ignatii*

Ita dicta, quia a S. Ignatio Societatis Jesu Fundatore composita. LI. n. 1.
Quantum ipsi, primisque ejus Sociis profuerint. ibid.
A summis sanctisque viris maxime commendata. ibid.
In examen a Paulo III. vocata, & approbata. ibid.
Magni ponderis fuerunt pro referendo inter Sanctos eodem S. Ignatio. ibid.

*Sponsus, & Sponsa*

Non satisfaciunt mandato Ecclesiæ, si coram alio Parocho quam proprio, etiam Metropolitano matrimonium ineant. XVIII. n. 12.
Qua pœna digni putentur a nonnullis si coeant ante matrimonium de præsenti. XLVI. n. 19. & 20.
Sponsus tamen non esset plectendus pœna stupratoribus debita. ib.
Si coeant cum alio utrum adulterium committant. ibid.
Ante initum matrimonium de præsenti non debent habitare in eadem domo. n. 17.
Id quam sit periculosum. ibid.
Si alter ex iptis Regularium Ordinem aliquem ingredi velit, duos habet menses pro re deliberanda. n. 18.
Quam graviter peccent si ante matrimonium de præsenti, copulam ineant. n. 19.

*Sponsalia in genere*

Possunt fieri voce tenus. n. 15.
Melius est, quod tabulis exarentur, & quare. ibid.
Inita semel sponsalia absque causa legitima violari non possunt, ib.
Inferunt utrique ex contrahentibus jus ad matrimonium. ibidem.
Non debent longius protrahi. n. 21.

*Sponsalia ab uno cum pluribus contracta.*

Qui sponsalia cum pluribus eodem tempore contrahit est infamis, & læthaliter peccat. n. 7. & 8.
Sponsalia secunda, suppositis primis cum alio irrita, & invalida. ib.
Sponsalia prima cum uno utrum irritentur per sponsalia secunda cum alio, intercedente copula. n. 9.
In hoc casu quid faciendum, ut judicium ex legum auctoritate statuatur. ibid.
Utrum talia sponsalia ineuntes cum carnali copula per Sacram Inquisitionem plectendi sint. n. 12. 13.

*Sponsalia dilata ratione profectionis alterius Conjugum.*

Ex jure Civili certum annorum spatium determinatum, quo alterius reditus expectari deberet ante novas nuptias contrahendas. n. 1.
Si causa profectionis fuerit necessaria, tunc ex eodem jure nullum erat spatium determinatum, sed reditus omnino expectandus. ibid.
Quid circa hoc stabiliverit Alexander III., & quomodo ejusmodi juris Civilis decreta temperaverit. n. 4.
Si sponsalibus initis alter conjugum alio incognitus proficiscatur, ad Episcopum confugiendum, & quid ab eo faciendum. n. 5.

*Sponsalia inita per verba de præsenti*

Quam sint absurda. n. 22. & seqq.
Neque sponsaliorum, neque matrimonii rationem habent. ibid.

*Sponsalia verbis æquivocis, & fallacibus, inita sine animo contradendi*

Utrum sint vera, & teneant. n. 25.
Indecora illicita, & læthali culpæ obnoxia sunt. ibid.

*Sponsalia de futuro inita sine Parocho, & Testibus.*

Variæ de hoc Episcoporum opiniones ibid.

*Sponsalia inita insciis Parentibus*

Sunt saltem illicita, n. 25.
Cognito Parentum dissensu possunt dissolvi, licet intercesserit jurandum ibid.

*Stephanus VI. Papa*

Aquæ benedictæ insperſione Locustarum infinitam multitudinem fugat. XLVII. n. 17.

*Stipendium Missæ*

Consuetudo offerendi stipendium Missæ quando cœperit. LVI. n. 1.
Hujusmodi consuetudo a corruptelis purgata damnari non potest. num. 4.
Si quis pro Missæ stipendio pactiones faciat, præter crimen avaritiæ, admittit quamdam speciem simoniæ. ibid.
Stipendium Missæ non est pretium Consecrationis, sed stipendium sustentationis. ibid.
Stipendium statuendum ex consuetudine, Institutis Synodalibus, vel arbitrio Episcopi. n. 10.
Potest a Laicis tribui, quod excedat summam ab Episcopo præscriptam, n. 11.
Stipendium Missarum perpetuarum quodnam esse debeat. n. 29. & seqq.
Vide *Sacerdotes &c.*

*Suffragia pro Defunctis.*

Utrum suffragia specialia oblata Deo pro aliquo Defuncto a Deo convertantur ad juvandas alias animas. XXXVI. n. 6. & seqq.
Variæ Auctorum sententiæ. ibid.

*Supellex Ecclesiastica*

Non potest sumi a Ministris Montium Pietatis pro pignore. LXIX. n. 3. 6.
Neque vendi si sit pretiosa, aut alienari nisi ex causa legitima, vel

vel consensu Summi Pontificis, aut saltem Episcopi facultate, si non sit pretiosa. n. 7. & seqq.
Quænam esset antiquitus hæc legitima causa. n. 7.
Causa legitima vendendi supellectilem Ecclesiasticam debet probari a Sede Apostolica *ibid.*

*Superiores Ordinum Mendicantium*

Tempore Sacri non possunt uti instrumento argenteo cum candela, quod vulgo dicitur *Bugia*. XXXIV. n. 16.

*Supplicatio publica die festo Corporis Christi*

Utrum introducta fuerit ab Urbano IV. an a Joanne XXII. incertum est. V. n. 6.
Ab ea dimanavit Supplicatio in deferendo Christi Corpore ad infirmos n. 7.
Sicut etiam supplicationes fieri solitæ in Ecclesiis Parochialibus quolibet mense. *ibid.*
Hujusmodi supplicationes approbantur a S. Carolo Borromæo in quarto Concilio Mediolani celebrato. n. 9.
Item a pluribus Archiepiscopis Bononien. in Synodis. *ibid.*
Antonii Albergati Bononien. zelus in promovenda populi Leodiensis devotione in iis supplicationibus. n. 9.

*Supplicationes publicæ.*

Clerici quodcumque Beneficium obtinentes, tenentur adesse publicis supplicationibus: Non habentes, hortandi sunt, cogi non possunt. XXXI. n. 2.
Aliquot abusus, & irreverentiæ ea occasione tollendæ. V. n. 10. & 11.
Insigne de hac re Sancti Caroli Borromæi testimonium. n. 12.
Item præclara lex ab Alphonso, & Joanne I. Hispaniarum Regibus lata, n. 13.

*Suspensus*

Quando debeat intelligi rite non ordinatus. XXVI. n. 17.

*Tabella Aurora, Orientis solis &c.*

Est necessaria Sacerdotibus, cæterisque Christi fidelibus multis de causis. XIII. n. 2. & seqq.
Tabella horarum directiva in Diœcesi Bononiensi.

*Taberna*

Ecclesiasticis omnibus interdicta. XXVII. n. 3.

*Templum.*

Vide *Ecclesia*.

*Templum Metropolitanum Bononiense*

A Lucio III. consecratum anno 1184. LXVII. n. 1.
Quare possit iterum consecrari. n. 2.
Novum in eo Altare per Prosperum Cardinalem Lambertinum excitatur, & S. Ignatio Lojolæ dedicatur. n. 8.
Dirutum, & renovatum iterum consecratum decernitur. *ibid.*
Ara in eo erecta a Cardinali Jacobo Boncompagno. *ibid.*

*Templum S. Petri Romæ*

A S. Sylvestro dedicatur. n. 6.
Ab Urbano VIII. potuit iterum consecrari. *ibid.*

*Templum S. Petronii Bononiæ*

Quando, qua occasione, & quanto sumptu excitatum. LXXIV. n. 3.

*Tertiariæ Mulieres*

Quæ simul degunt multa privilegia a Leone X. consecutæ sunt. CV. n. 62.
Quæ deinde imminuta fuerunt. n. 68.
Debent emittere votum Virginitatis, non tamen solemne. n. 63.
Certa ætate, probisque moribus ornatæ sint, antequam religiosum habitum suscipiant. *ibid.*
Episcopi facultas prius intercedere debet, cujus est examinare, an præscriptæ conditiones congruant. *ibid.*
Cum affinibus, & cognatis Tertiarias morari oportet. *ibid.*
Gaudent fori privilegio. n. 66.
Non tamen sunt immunes ab Episcopi jurisdictione. *ibid.*
In sua Parochia satisfacere debent Paschali præcepto. n. 68.
In Parochia quoque sepeliri, nisi in Ecclesiis Ordinis communis earum sepultura reperiatur. *ibid.*

*Tertiariæ Moniales extra Claustra in Communi viventes*

Earum institutum vetustissimum. XXIX. n. 13.
Quibus legibus per Summos Pontifices adstrictæ. *ibid.*
Episcoporum potestati subjectæ. *ibid.*

*Tertiariæ Moniales in privatis ædibus*

Non possunt habere Confessarium Regularem, nisi approbatum per Episcopum ad audiendas Confessiones Laicorum. n. 14.
Non possunt die Paschatis accipere Sacram Eucharistiam a Regularibus. *ibid.*
Debent sepeliri in Ecclesiis Parochialibus. *ibid.*
Non debent a Regularibus admitti ad Habitum sine prævio Episcoporum examine. *ibid.*

*Tertullianus*

Scapulam Præfectum improbat, & objurgat, & quare. LXI. n. 3.

*Testamenta*

Coram Parocho, & tribus, vel duabus aliis personis idoneis valida sunt. CV. n. 3.
Coram Cappellano Paroch. confecta, an valeant. n. 6.
Coram Confessario Testatoris, & necessariis Testibus valent. n. 8.
Mulieres testimonium ferre nequeunt in condendis testamentis. n. 10.

*Testes.*

In testamentis condendis mulieres acciri nequeunt. n. 11.
Testes acciti voluntatem, & verba Testatoris clare debent intelligere. *ibid.*
Tres, vel saltem duo Testes interesse debent, cum testamentum conditur coram Parocho, si vero condatur coram Capellano Parochi, alius Testis superaddendus ei. n. 9.

*Testimonium*

Etiam unius mulieris satis est, cum dubitatur, utrum puer aliquis baptizatus fuerit. XCVIII. n. 14.

*Theodoricus Rex*

Jovinum Collegæ sui interfectorem, qui in Ecclesiæ septa confugerat, pœna extraordinaria punivit. XLI. n. 33.

*Theodosius Junior Imperator*

Gravissimas pœnas indixit introeuntibus Ecclesiam cum armis. XCIX. num. 3.
Ipse templum ingressurus foris arma relinquebat. n. 4.
Gravissima pœna eos mulctandos jubet, qui signum Salvatoris, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis sculpserint. LXXIII. n. 6.
Gravissimæ pœnæ nomine mortem intelligi quidam autumant. n. 10.

*Theologia Moralis*

Parochis Sacerdotibus, & Confessariis maxime necessaria. XXXII. n. 1.

*Theologia Scholastica*

Non solum utilis, sed necessaria. XLII. n. 14.

*Thierius*

Doctissima, & absolutissima commentaria conscripsit circa ritus exponendæ Sanctissimæ Eucharistiæ. XXX. num. 3.

*Thomæ Cardinalis de Tournon*

Decretum de Baptismo conferendo infantibus quamprimum fieri potest. XCVIII. n. 5.
Aliud de observandis omnibus ritibus & cæremoniis in Baptismo conferendo. n. 16.

*Tiberius Augustus*

Tabulam marmoream in pavimento, in qua Crux erat insculpta, citissime jubet auferri. LXXI. num. 8.

*Titulus Ordinationum*

Duplex scilicet Beneficii, & Patrimonii, vel pensionis. XXVI. n. 1.
Titulus Patrimonii quando primum admissus, & quare, *ibid.*
Admittendus tantum concurrente Ecclesiæ necessitate, vel commoditate. n. 3. & n. 10.
Utrum detrahenda sint onera Missarum a Beneficio, ad cujus titulum quis intendit ordinari. n. 5.
Cappellania est sufficiens Ordinationum titulus, modo sit perpetua, aliisque circumstantiis annexa, quibus Ordinatus sit certus de alimentis, etiam quando legitima causa impeditus non potest Missam celebrare, n. 11.

*Traditiones Apostolicæ*

Variæ sunt, & diversæ naturæ. L. n. 6.

*Traductio Sponsæ post Matrimonium contractum temporibus vetitis.*

Traductio Sponsæ temporibus vetitis, obtenta licentia pro Matrimonio, potest fieri, sine tamen solemnitatibus. LXXX. n. 20.

*Tribunali S. Officii*

Inservientes Canonici non percipiunt distributiones quotidianas, nisi ex speciali indulto Sedis Apostolicæ. CVII. n. 69.

*Tridentinum Concilium*

Distributiones inter præsentes in Choro probavit, & ubi deesset congerendas instituit. n. 41.

*Vagi, & Peregrini.*

Quis eorum Parochus. XXXIII. n. 10.
Quodnam discrimen inter Vagos, & Peregrinos. *ibid.*

*Valentinianus Imperator*

Gravissimam mulctam iis indicit, qui Salvatoris Signum, vel in solo vel in silice, vel in marmore humi posito sculpserint. LXXIII. n. 6.
Quid juxta aliquos intelligatur nomine pœnæ gravissimæ. n. 10.

*Vasa Sacra*

Sacerdotibus tantum, & Diaconis fit potestas contingendi sacra vasa, in quibus Christi Corpus, & Sanguis habetur. XXXIV. n. 18.
Subdiaconis tangendi Calicem, & Patenam, ubi corpus & Sanguis Christi non fuerit. *ibid.*
Acolythis præparandi vasa ad Sacrificium. *ibid.*
Ex consuetudine omnibus Ordinatis vasa sacra vacua tangendi extra Altaris ministerium. *ibid.*
Vide *Consecratio, & Benedictio vestium, & vasorum.*

*Vasa Ecclesiastica aurea, & argentea*

A SS. Patribus plurimum in Ecclesiis commendata LII. n. 7.
Primis Ecclesiæ sæculis sola Episcoporum auctoritate alienari consueverunt, ut pauperes alerentur, vel ut captivi redimerentur. *ib.*
Nunc vero sola Pontificis auctoritate. *ibid.*

*Velum consecrationis in Monialibus*

Aut gratiam confert, aut auget. LXXXV. num. 3.
Quænam conditiones necessario requirantur pro veli consecratione? num. 5. & seqq.

*Venerabilis Joannes de Ribera*

Patriarcha Antiochenus libellum ad Concilium Salmanticæ coactum misit, quo monuit Episcopos. CII. n. 9.

*Vestes Sacræ.*

Vide *Consecratio Vestium.*

*Vestis Sacerdotalis.*

Utrum Apostoli vestem sacerdotalem haberent in conficiendo Sacramento. XXI. n. 4. & seqq.
Variæ de hac re eruditorum sententiæ. *ibid.*
Utrum per penulam, de qua fit ab Apostolo mentio ad Timotheum, intelligatur vestis Sacerdotalis. *ibid.*
Vestis in Sacrificio missæ adhiberi solita ad traditionem Apostolicam referenda. *ibid.*
Per Benedictionem in usum sacrum prius convertenda, sicuti & vasa sacra. n. 8.
A quo tempore hujusmodi ritus invaluerit. *ibid.*

*Vestis Sacerdotum ad sacrum euntium.*

Sacerdotes Sacrum facturi non ingrediantur Templum sine veste longa. XXXIV. n. 13.
Non induant togam, vel Clamydem in Sacratiis. *ibid.*
Id quam indignum. *ibid.*
Quibus pœnis id vetitum. *ibid.*

*Vestis Sacerdotum in sacro conficiendo.*

Nullus Sacerdos celebret in brevi veste, vel quæ non sit nigri coloris. *ibid.*
Quibus pœnis subjaceat, si ita celebret. *ibid.*
Non utatur coma fictitia, neque pileolo. n. 14.

*Via publica,*
Deſtructa via publica an liceat tranſire per fundum alienum. LXXXI. n. 2. & ſeqq.
Deſtructa via publica quando alicui liceat poſtulare pretium pro tranſitu per fundum ſuum n. 6.
An ex privata fiat publica via ſtatim ac cadaver infertur per illam cruce prælata. n. 7. & ſeqq.
Quot requirantur ad efficiendam viam publicam? n. 11.
Deſtructa via publica quænam ſervanda ſint antequam fiat tranſitus per fundum alienum, n. 12. & ſeqq.
*Vicarii Foranei*
Tenentur ſingulis menſibus epiſtolam ſcribere. CII. n. 13.
Quid proponere debeant exponendum iis, qui habent jus nominandi Parochos. XIII. n. 1. & ſeqq.
*Vienna in Auſtria*
Vehementiſſima obſidione Turcarum ope B. M. Virginis liberatur cum ingenti hoſtium clade. LXXIX. n. 5.
*Vinum in Sacrificio Miſſæ*
Optimum antiquitus adhibebatur. LXXVII. n. 1.
Fiebat ex vineis, quæ Eccleſiæ tribuebantur ad hunc uſum. *ibid.*
Si vinum vitioſum antiquitus proponeretur in Sacrificio Miſſæ ſtatuebatur reus Epiſcopus. *ibid.*
Vino ſubacido conficitur Sacramentum; conficiens tamen peccat, n. 2.
Vinum tenue, quod dicitur vappa, ſeu lora, non eſt materia idonea conficiendi Sacramenti. n. 3. & 4.
Vinum, quod dicitur *longum*, quando poſſit eſſe materia ſufficiens pro Conſecratione. n. 5.
A Sacris amovendum, niſi ſit aperta neceſſitas *ibid.*
Quando aqua vino admixta ipſum excludat a ratione materiæ ſufficientis. n. 7.
Succus uvæ immaturæ, atque acerbæ non eſt materia ſufficiens in Sacrificio Miſſæ. n. 8.
Neque vinum corruptum, atque coctum. *ibid.*
Quæ pœna in Diœceſi Bononienſi contra conficientes cum vino *ſubacido*, vel *lora*, vel *longo*. n. 11.
*Vincentius Cardinalis Petra*
Præclara commentaria edidit in Conſtitutiones Apoſtolicas. CIII. num. 11.
*Virgines educandæ in Monaſteriis,*
Virgines viro deſtinatæ, fide jam data, in Monaſteriis non recipiendæ. XXXIII. n. 15.
Quis earum Parochus. *ibid.*
Si Matrimonium inire velint, in qua Parochia denunciationes fieri debeant. n. 15.
*Viſitatio Diœceſis*
Facienda ab Epiſcopo, qua ratione. VI. n. 2.
Ejus occaſione convenienter adminiſtratur Sacramentum Confirmationis. n. 2.
*Viſitatio ſacrorum Liminum ab Epiſcopo facienda*
Quid circa illam decreverit Sixtus V. XXXII. n. 7.
Quid Benedictus. XIII. *ibid.*
Inter cetera debent Epiſcopi tempore Viſitationis ad S. Congregationem referre, utrum in Diœceſi habeantur conferentiæ Theologiæ Moralis. *ibid.*
*Uladislaus Rex Ungarorum*
Reportata de Turcis inſigni victoria Budam ingreſſus, nudis pedibus ſe confert ad templum Virginis eidem gratias acturus. LXXIX. n. 5.
*Unctionis extremæ Sacramentum*
A Græcis adminiſtratur etiam ſanis, n. 4.
Dandum Infirmis, de quorum ſalute timetur *ibid.*
Nulli omnino negandum in mortis articulo conſtituto, dummodo judicetur idoneus. n. 5.
Impertiendum quando ægrotus habet adhuc rationis uſum. n. 6.
Prava conſuetudo in Britannia conferendi hoc Sacramentum proximè morituris unde defluxerit. *ibid.*
*Univerſitas Bononienſis*
A quo primum inſtituta. LIX. n. 8.
In ea utrum primum explicatæ Pandectæ. *ibid.*
Juris Pontificii Mater, & Sedes. *ibid.*
Quando additum ſtudium facultatis Theologicæ. *ibid.*
Viri doctiſſimi ad illud fundandum Bononiam vocantur. *ibid.*
In ea Canonum collectionem Gratianus condidit. n. 9.
S. Raymundus de Pennafort jus Canonicum per tres annos in ea docuit. n. 10.
A Sum. Pontificibus quanti æſtimata *ibid.*
Ex fama ejuſmodi celebritatis, multa Collegia excitata Bononiæ. num. 11.
*Uuiadeſ Joannes*
B. M. Virginis præſidio reportat maximam victoriam de Turcis. LXXIX. n. 5.
*Urbanus II*
Clericis indicit, ut ſingulis diebus Officium B. Mariæ Virginis recitent. *ibid.*
*Urbanus VIII*
Juſſit Ordines Minores conferri diebus feſtis ex præcepto. CVI. num. 3. & 4.
*Xenodochia, & Noſocomia*
Quando, & a quo primo fuerint inſtituta in Eccleſia. LXIII. n. 2. & 3.
Sæculo XI. magis propagata, & per quem. n. 4.
Quot reperiantur in Urbe Bononienſi. n. 5.
Debet in iis eſſe ſufficiens numerus Sacerdotum. n. 6. & 7.
Ejus numeri augendi modus, & ratio. n. 9.
*Zane Bernardus Spalatri Epiſcopus*
Cum eſſet Orator Venetus apud Julium II. contra Turcas egregie declamat eorum indolem, moreſque deſcribit. LXXIX. n. 3.
*Zanettus Epiſcopus*
Canonicis S. Petronii leges propoſuit. CVII. n. 100.

# INDEX DECRETORUM
## QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

*Congregationis Sacrorum Rituum Decreta.*
UTrum Regulares, cogi poſſint ad aſſociandа cadavera in ipſorum Eccleſiis ſepelienda. CV. n. 38.
An accedente ſolius Epiſcopi licentia facere poſſint ſuas ſupplicationes, Parocho contradicente. n. 52.
De facultate Sacerdotum Sæcularium vel Regularium celebrandi ad Altare privilegiarum in Eccleſiis Monialium. XXXIV. numer. 7.
De annulis deferendis in digito a Sacerdotibus tempore Sacri. numer. 25.
De inſtrumento argenteo cum candela quod vulgo dicitur *Bugia*, & quibus prohibitum. n. 26.
De ritibus, quibus celebrare debent Referendarii Pontificis, & Protonotarii Apoſtolici non participantes, & Abbates. n. 17.
De Miniſtris, qui aſſiſtunt Canonicis & Capituli Dignitatibus in miſſæ Sacrificio. n. 28.
De privilegiis conceſſis Ordini Caſſinenſi celebrandi in Pontificalibus. num. 29.
De Miſſis, quas Sacerdos Sæcularis debet celebrare in Eccleſiis Regularium, ubi fit de Feſto duplici habente Miſſam propriam omnibus haud permiſſam. n. 20.
Quid in eodem caſu permittatur Confeſſariis, & Cappellanis Monialium. *ibid.*
De Miſſis, quæ nuncupantur Sancti Gregorii. n. 22.
De tempore celebrandi Miſſas Defunctorum, n. 24. 25. & 26.
Utrum Miſſæ Defunctorum, quas Teſtatores præcipiunt ad Altare privilegiatum, celebrari poſſint diebus impeditis, cum fit de Feſto currenti. n. 27.
Decreta de Juribus Parochialibus, functionibus, præeminentiis inter Parochos, & Confraternitates Laicorum, earumque Cappellanos, & Miniſtros. CV. n. 53.
An Sodalitia, accedente licentia Epiſcopi, poſſint facere ſuas Proceſſiones Parocho contradicente. n. 52.
De facultate gerendi Pileolum, & comas fictas in Miſſæ Sacrificio. XCVI. n. 2.
*Congregationis S. Officii Decreta.*
De Sacerdotibus exteris, atque ignotis, etiam Regularibus. XXXIV. n. 4.
De ſtipendio duplici ejuſdem Miſſæ *ratione applicationis partis ſpecialiſſimæ*. LVI. n. 6.
De admixtione olei non conſecrati cum oleo conſecrato. LXXXI. num. 4.
De examine ſubeundo ab univerſis Sacerdotibus, priuſquam admittantur ad Confeſſiones audiendas. LXXXVI. n. 8.
*Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Decreta.*
De Virginibus, quæ fide data viro deſtinatæ recipi in Monaſteriis petunt. XXXIII. n. 15.
De monialibus S. Chriſtinæ in ditione Bononien. quo ritu conſecrandæ. LXXXV. n. 1.
De mulieribus Tertiariis, quæ in paternis ædibus vivunt, utrum Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis a Regularibus ejuſdem Ordinis illis adminiſtrari poſſint, earumque cadavera domo efferri in dicta pompa funebri ſine Parocho, & ejus licentia. CV. n. 68.
De Cauſis Civilibus agendis in foro Eccleſiaſtico, ſi ipſi Actores ſint. XL. n. 3.
De onere vacandi ſpiritualibus exercitiis per decem dies, quod præſcribitur Clericis ante Sacram ordinationem. CIV. n. 3.
De ratione recitandi horas Canonicas in Choro, & aſſiſtendi Miſſæ Conventuali. CVII. n. 24.
*Sacræ Congregationis Concilii Decreta.*
De Ludi Magiſtris, ſive Clericis, ſive Laicis, qui cogi poſſunt, uti Parochum adjuvent pro inſtruendis pueris in Eccleſia circa Fidei rudimenta. IX. n. 13. & 14.
Poſſunt Parochi ab Epiſcopis in examen revocari ſuperveniente rationabili cauſa n. 16.
Debent Parochi verbum Dei explanare populo. X. n. 3.
De extenſione facultatis Parochorum pro audiendis Confeſſionibus. LXXXVI. n. 14.
De renovatione conſenſus conjugum coram Parocho, & teſtibus, ſi occurrant impedimenta, ac diſpenſatio poſt matrimonium contractum. LXXXVII. n. 63.
Quid faciendum ſit, ſi oriatur contentio inter concurrentes ad Eccleſiam Parochialem vacantem. VII. n. 2. & n. 4. & 5.
De Fidei profeſſione per Procuratorem. LX. n. 3.

De

De eadem facienda ab illis, qui provisi sunt Dignitatibus, & Canonicatibus in Ecclesiis Collegiatis n. 1.
De illis, qui provisi de Beneficio in partibus longinquis intra duos menses non possunt emittere professionem Fidei coram Episcopo. n. 3.
De illis, qui omiserunt Fidei Professionem. n. 11.
De Confessario extraordinario concedendo Monialibus ter, aut quater in anno. LXVI. n. 1.
De Sacro *tam privato*, quam solemni non celebrando tempore intempestivo cum Sacra Effigies Virginis a S. Luca depicta per Urbem Bononiæ defertur, & circumducitur. LXXVII. n. 10.
De bonis ex dispositione juris relictis PP. Reformatis S. Francisci, quænam possint, & debeant alienari, & quomodo. LXIX. num. 8.
De Supellectile Ecclesiastica non alienanda a Regularibus sine facultate Sedis Apostolicæ si sit pretiosa, vel Episcopi, si non sit pretiosa. *ibid*
De Comis appositis deponendis tam a Clericis beneficiatis, quam ab *initiatis* Sacris Ordinibus vel prima Tonsura. LXXI. n. 4.
De Clericis, & Sacerdotibus non deferentibus abitum clericorum, utrum *non* solum pensionibus sexaginta aur., sed etiam Beneficiis ejusdem proventus priventur n. 3. & 5.
De Regularibus quando ordinari ab Episcopis possint non servatis temporum interstitiis. LXXII. n. 14.
De Testimoniis Superiorum Regularium, quæ pro ordinandis Religiosis ab Episcopis admitti debent. *ibid.*
De Decretis Concilii Tridentini, & quando contrarium statuitur a Sede Apostolica. LX. n. 8.
De Sacerdotibus accipientibus stipendium Missæ majus solito, Sacerdotem sibi subrogantibus, qui paratus est celebrare minori stipendio. LVI. n. 6.
De facultate sumendi duplex stipendium Missæ pro fructu satisfactorio, & impetratorio. *ibid.*
De facultate satisfaciendi oneribus Missarum, per alium Sacerdotem collato illi minori stipendio, alia stipendii parte sibi retenta. *ibid.*
De Sacerdotibus, qui tenentur quotidie celebrare per se ipsos; an, & quando, & quoties possint a celebratione vacare. *ibid.*
De Sacerdotibus, qui tenentur celebrare quotidie, non tamen per se ipsos, an possint aliquando a celebratione vacare. *ibid.*
De Sacerdotibus, qui tenentur celebrare per se ipsos ratione Beneficii, Cappellaniæ, Legati &c. an celebrando pro aliis diebus *licitæ* vacationis possint pro hujusmodi celebratione stipendium accipere. *ibid.*
De iisdem Sacerdotibus, an diebus licitæ vacationis possint Missam celebrare pro aliis, quam pro Fundatoribus, qui, quo die primum Sacrificium offerunt, in medio Altari convertunt ad populum, & oblata munera suscipiunt. n. 7.
De Sacerdotibus, utrum possint duplex stipendium accipere, unum pro celebratione, alterum pro Missæ applicatione. n. 8. & 9.
De stipendio Missæ determinato. n. 11.
De utensilibus permittendis ab administratoribus iis, qui Sacrum faciunt in eorum Ecclesiis. n. 12.
De Missis adventitiis, quando possint accipi. n. 14.
De numero Missarum celebrandarum in Ecclesia, ubi est Altare privilegiatum. n. 16. & 17. n. 384. & 385.
De Doctore, cui conferenda est præbenda Theologalis. LVII. n. 5.
De interstitiis, quibus obligantur Regulares. LVIII. n. 1.
De remissione interstitiorum, quoad Regulares ordinandos, ad quem pertineat. *ibid.*
Utrum Missa applicari possit pro iis, qui eleemosynam postea oblaturi sunt. XCII. n. 1.
De Missis, quæ cantandæ quotidie decernuntur a Testatoribus, an requiratur Diaconus, & Subdiaconus. CV. n. 119.
De electione Diaconi, & Subdiaconi in celebratione Missæ solemnis tam pro vivis, quam pro Defunctis in Ecclesiis Sodalium. num. 127.
De Missa Conventuali celebranda in cathedralibus, & Collegiatis pro Benefactoribus. CVII. n. 15.
De Sacerdotibus exteris, & ignotis etiam Regularibus. XXXIV. num. 4.
De potestate Abbatum conferendi primam Tonsuram, & Ordines minores. XXI. n. 14.
De potestate Abbatum Cassinensium consecrandi Vasa Sacra in alienis Ecclesiis. n. 19.
De diebus Festis, quibus possunt conferri Ordines Sacri habentibus Breve dispensationis Apostolicæ super *interstitiis vel extra tempora*. CVI. n. 6.
De Collatione Ordinum minorum simul, & semel cum Subdiaconatu. n. 10.
De Cœcis non admittendis ad primam tonsuram. XXXIV. n. 5.
De potestate liberandi Regulares ab interstitiis. XXIII. n. 1.
Regulares ab Episcopo ordinandi in cujus Diœcesi situm est Monasterium. n. 8.
De admittendis ad Ordines titulo Beneficii. XXVI. n. 3.
An detrahenda sint onera Missarum a Beneficio, vel Cappellania, ad cujus titulum quis vult ad Sacros Ordines promoveri. n. 6.
De conditionibus Patrimonii, ad cujus titulum quis potest ordinari. n. 7. & 8.
Circa eos, qui ordinari petunt partim titulo patrimonii vel Pensionis. n. 10.
De illis bonis, quæ Clericis donantur, ut in eorum Titulum ad Sacros Ordines promoveantur n. 13.
De suspensione incurrenda ab Ordinato titulo patrimonii fictitii. n. 6.
De perceptione fructuum patrimonii fictitii ab Ordinato sub tali titulo n. 18.
De Ordinatis vendentibus patrimonium nulla facta mentione se ordinatos ad ejus titulum fuisse. n. 28. & 29.
De jure, quod potest exerceri in bona patrimonialia ordinati pro sponsione, vel a creditore. n. 30.
De conditionibus requisitis in translatione Beneficii ab eo, qui fuit ordinatus in ejus titulum. n. 31.
De Concionatore, qui utitur mimico dicendi genere. XXVII. numer. 15.
De potestate Episcoporum in Moniales & Monasteria Regularibus subjecta. XXIX. n. 7. 8. 9. 10, & 11.
De tempore ab Episcopo præfiniendo ante visitationem Monialium. n. 18.
De ingressu Episcoporum in Clausura monialium independentium a Priore, Abbate, & Confessario earumdem *ibid.*
De facultate Episcoporum communicandi Moniales subjectas Regularibus. n. 19. & 20.
De expositione S. Eucharistiæ sine Episcopi facultate, & causa publica, non facienda. XXX. n. 10. 11. & 12.
De Clericis habentibus, vel non habentibus Beneficium, utrum cogi possint, ut adsint publicis supplicationibus XXXI. n. 2.
De loco, ubi debet fieri Monialium consecratio, & benedictio. LXXXV. n. 13. usque ad 19.
De violantibus Clausuram ad malum finem, etiam sine prætextu licentiæ. n. 25. & seqq. usque ad 28.
De illis, qui admittunt hujusmodi violantes in Clausuram. *ibid.*
Falso objicitur contraria consuetudo Decretis Conciliaribus, & Constitutionibus Apostolicis Clausuram præcipientibus. *ibid.*
De illis, qui possunt ingredi Clausuram occasione consecrationis Monialium. *ibid.*
De Parochis unius Diœcesis accitis a Parocho alterius Diœcesis, utrum possint audire confessiones LXXXVI. n. 7.
Parochi applicare debent Sacrificium Missæ pro populo, & quibus diebus. D. n. 4. & n. 7.
De provocationibus post collatam Parochiam. VII. n. 5.
De residentia Parochorum. XVII. n. 9. & seqq.
Quisnam Parochus illorum, qui carceribus detinentur. XXXII. num. 15.
De jure Parochorum præsidendi Congregationibus Confraternitatum. CV. n. 132.
Quis Parochus puellarum, quæ detinentur in hospitio spuriorum XXVIII. n. 14.
De presentia Parochi proprii in contrahendis matrimoniis n. 5.
De Parochis intervenientibus ad canendam Missam, vel dandam benedictionem in Ecclesiis Confraternitatum, an habeant jus sibi eligendi Diaconum, & Subdiaconum. CV. n. 117.
Utrum benedictio, & distributio Candelarum spectet ad Parochos privative. n. 115.
De discrimine functionum Parochialium, & Sacerdotalium. n. 111. In quonam posita sit subjectio Ecclesiarum, quæ sitæ sunt intra limites Parochiæ. n. 108.
De facultate Episcoporum visitandi Sacella Confraternitatum etiam posita in Ecclesiis Regularium in his, quæ illorum administrationem respiciunt. n. 87. & 88.
Quomodo dependeant ab Ordinario Confraternitates etiam aggregatæ Archisodalitiis quoad earum statuta, Regulas, Indulgentias, privilegia, & administrationem. n. 89.
De facultatibus Sodalium exponendi in suo Oratorio Sacram Eucharistiam cum licentia Episcopi, non autem Parochi. n. 121.
An Sodales possint habere sepulchra in suis Ecclesiis, & in eis tumulare cadavera. n. 114.
An possint instituere supplicationes cum assistentia Parochi. numer. 126.
An retinere Sacram Eucharistiam in suis pariter Ecclesiis. n. 129.
De facultate quæstuandi per Sodales tam intra, quam extra Ecclesias Confraternitatum. n. 131.
De loco celebrandi Missas cum eleemosynis per Sodales congestis. *ibid.*
De benedictionibus, & distributionibus Candelarum faciendis in Ecclesiis Confraternitatum. n. 125.
De loco celebrandi Divina Officia per Canonicos. CVII. n. 19.
De tempore recitandi eadem Divina Officia. n. 20.
De tempore recitandi Matutinum in Choro. n. 22.
De tempore, quo Canonici versari debent in Choro, ne tamquam absentes notentur. n. 25.
De privilegio temporis, quo per annum Canonicis licet abesse a Choro. n. 32.
Quando absentia a servitio Chori sit permissa sine Episcopi facultate n. 36.
De forma procedendi contra Canonicos, qui abfuerint ab Ecclesia ultra tres menses n. 37.
De facultate Canonicorum remittendi puncta, & condonandi quotidianas distributiones. n. 42.
De facultate Episcoporum compellendi per mulctas pecuniarias, aliaque juris remedia Canonicos non inservientes Ecclesiæ, nec divinis intervenientes ultra amissionem quotidianarum distributionum. n. 44.
De rationibus, quibus, Canonicis absentibus, aliquando debentur distributiones quotidianæ. n. 46. & seqq.
De lucro proveniente ex punctaturis utrum tribuendum sit Canonicis Coadjutoribus, an Coadjutis. n. 6.
De Canonicis, qui vel sunt Vicarii Generales, vel Examinatores Synodales, vel Inquisitores Sancti Officii, vel Administratores Cameræ Apostolicæ, vel Peregrinantes ad loca sancta, & religiosa, utrum percipere possint fructum Præbendarum, & distributiones quotidianas. n. 67. & seqq.
De Canonicis, qui tempore Divinorum Officiorum Capitulum celebrant, vel Pœnitentiæ sacramentum administrant, aut rem divinam faciunt, utrum & quando percipere valeant distributiones quotidianas. n. 73. & seqq.
De obligatione Canonicorum cantandi in Choro. n. 56.

De

De facultate Capitularium ſeſe invicem ſubſtituendi in Choro. n. 17.
De conditionibus requiſitis, ut Capitulares ſeſe invicem ſubſtituere poſſint in Choro. n. 18.
De vacatione a Choro Canonicorum & Manſionariorum in Collegiata S. Petronii Bononien. n. 96.
Utrum tribuendæ ſint quotidianæ diſtributiones Canonico Theologo pro tota die, qua legit, ſi abſit a Choro. n. 55.
Item Canonico ſuffecto ab Epiſcopo in locum Pœnitentiarii ad audiendas confeſſiones ex neceſſitate *ibid.*
Inſuper Canonico curam animarum habenti, ſi tempore divinorum Officiorum munus ſuum exerceat. n. 56.
De facultate Epiſcoporum adhibendi pro ſuo ſervitio etiam duos Beneficiatos Eccleſiæ Cathedralis, & Collegiatæ tempore divinorum Officiorum. n. 57.
Utrum, & quando diſtributiones quotidianæ dari debent duobus Canonicis Epiſcopo inſervientibus tempore divini Officii. n. 58. & ſeqq.
De aſſiſtentia Dignitatum, & Canonicorum Epiſcopo Pontificalia obeunti in Cathedrali n. 60.
De obligatione Canonicorum inſerviendi Epiſcopo in munere Subdiaconi. *ibid.*
De Canonicis Miniſtris, qui inſervire debent Epiſcopo obeunti Sacr. Ordinationes, vel Pontificalia extra Cathedralem. *ibid.*
Utrum diſtributiones quotidianæ dari debeant Canonicis aſſiſtentibus Epiſcopo pontificaliter extra Cathedralem, vel etiam privatim celebranti, vel Diœceſim viſitanti n. 61. & ſeqq.
Utrum, & quando diſtributiones quotidianæ dari debeant Canonicis a choro immunibus ratione ætatis, & ſervitii in choro præſtiti. *ibid.* & num. 65.
Utrum, & quando Coadjuti teneantur choro inſervire abſente, vel infirmo Coadjutore pro percipiendis diſtributionibus quotidianis. *ibid.*
De Canonicis Regularibus Lateranenſibus, an ſint capaces Beneficiorum. XCVII. num. 2. & num. 3.
De reſtauratione templorum, utrum pertineat ad Rectores beneficiorum quacumque dignitate prælitos, etiamſi Beneficia translata fuerint ad alias Eccleſias. C. n. 13.
De expenſis reparandæ Eccleſiæ aliquo caſu dirutæ, in qua ſit Capitulum cum jure nominandi Parochum, ad quem illæ pertineant num. 14.
De Clericis, qui militiæ nomen dederunt, utrum contraxerint irregularitatem. CI. n. 19.
De facultate Epiſcoporum cogendi Parochos etiam Regulares, Canonicos, cæteroſque Confeſſarios omnes Sacerdotes ad congregationem caſuum conſcientiæ. CIII. n. 9. uſque ad 13.
De obligatione Clericorum vacandi ante Sacram Ordinationem per decem dies exercitiis ſpiritualibus CIV. n. 5.
De cadaveribus defunctorum ſepeliendis in Eccleſiis Regularium, utrum prius deferri debeant ad Parochiam. CV.
De Vexillis, & Crucibus, quæ deferri debent in aſſociatione cadaverum facta per plures Ordines, vel Sodalitates, quamque iſtæ habere debeant præeminentiam. n. 26.
De Regularibus, utrum cogi poſſint ad aſſocianda cadavera in eorum Eccleſiis tumulanda. n. 38.
De Tertiariis, quæ *ſejunctim* vivunt, an decreto S. Pii V. de medio ſublatæ fuerint n. 61.
De examine, facultatibus, & conditionibus in Regularibus pro tribuendo habitu ſui Ordinis mulieribus non collegialiter viventibus n. 65.
An Sacerdotes Regulares poſſint audire confeſſiones mulierum Tertii Ordinis niſi ab Ordinario approbantur n. 68.
De Tertiariis viventibus in communi extra Clauſtra. XXIX. n. 13.
De Tertiariis viventibus ſejunctim in privatis ædibus. n. 15.
De poteſtate conferendi tertium Beneficium de jurepatronatus, ſuppoſita collatione duorum Beneficiorum ſimplicium abſque facultate Sedis Apoſtolicæ. XCI. n. 7.
De poteſtate conferendi tertium Beneficium tenue ſuppoſita collatione duorum non ſimplicium, non ſufficientium pro honeſta vitæ ſuſtentatione abſque facultate Sedis Apoſtolicæ. n. 8.
De facultate retinendi abſque facultate Sedis Apoſtolicæ ſecundum Beneficium de jure patronatus, ſuppoſita retentione primi, ſive liberæ collationis, ſive de jure patronatus laicorum ſufficientis ad honeſtam vitæ ſuſtentationem. *ibid.*
De facultate retinendi tertium, & quartum Beneficium de jure patronatus laicorum abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ ſuppoſitis duobus aliis Beneficiis, ſive liberæ collationis, ſive de jure patronatus laicorum non ſufficientibus ad congruam ſuſtentationem. *ibid.*
De facultate retinendi unum, aut duplex Beneficium ſimplex ſimul cum pluribus legatis piis, vel Capellaniis de jure patronatus laicorum abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ. n. 6.
De nepotibus Parochorum, utrum ſubrogari poſſint ab avunculis & admitti ad examen publicum. n. 11.
De poteſtate Epiſcoporum cogendi Parochos, ut tot ſibi Sacerdotes adjungant, quot Parochiæ adminiſtrationi ſunt neceſſarii. XCIV. n. 1.
De aris geſtatoriis. XXXIV. n. 10.
De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ in Sacellis domeſticis. n. 12.
De Cauſis Civilibus ad Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus in prima inſtantia in Curia non introducendis. XL. n. 3.
De facultate diſcendi juris civilis per Clericos ſæculares. XLII. num. 16.
De ſponſalibus initis ratione profectionis, & abſentiæ alterius conjugum. XLVI. n. 6.
De ſponſalibus de futuro per carnalem copulam ſubſecutam. n. 9.
De validitate ſponſalium initorum abſente Parocho, & ſine teſtibus. n. 12.
De Judicibus, Medicis, Profeſſoribus Servis &c. contrahentibus matrimonia in exteris civitatibus. XXXIII. n. 11.
De publicis pœnitentiis ſponſis imponendis, ſi coierint ante matrimonium de præſenti, utrum poſſint puniri pœna ſtupratoribus, debita *ibid.*
De matrimonio per verba de præſenti abſente Parocho, præſentibus tamen Teſtibus, & Notario utrum ſaltem tranſeat in ſponſalia de futuro n. 23.
De matrimoniis eorum, qui domicilium ſuum minime relinquentes ex propria Civitate ſe transferunt in aliam, ibique matrimonium ineunt, quin in eo loco quaſi domicilium ſibi comparaverint. XXXIII. n. 8.
De illorum matrimoniis, qui ſe transferunt in aliam Civitatem altercationes cum parentibus ad evitandas n. 9.
De obligatione ſumendi S. Euchariſtiæ propria Parochia a quilibet Fideli tempore Paſchali. XVIII. n. 10.
De facultate implendi Paſchale præceptum in Eccleſiis Regularium pro illis, qui ipſis inſerviunt. LV. n. 7.
De Eccleſia, & tempore benedicendi, & conſecrandi Fontem Baptiſmalem, & quibus præſentibus I. n. 6.
De petitionibus quæ ſcriptæ competitoribus tradendæ ſunt cum fit examen pro collatione alicujus Eccleſiæ. VII. n. 5.
De collatione Baptiſmatis infantibus qui inveniuntur expoſiti in publicis viis VIII. n. 8.
De Parochia, quam ſive fœminæ, ſive mares adire debent, ut erudiantur in Doctrina Chriſtiana IX. n. 19.
De obligatione Clericorum tam minorum quam majorum Ordinum qui conducuntur ad officium Ludi Magiſtri, utrum teneantur & obligari poſſint ad erudiendos pueros in Doctrina Chriſtiana. num. 13.

FINIS.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

# BENEDICTI XIV.

## PONT. OPT. MAX.

OLIM

## PROSPERI CARDINALIS

# DE LAMBERTINIS

# OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

*ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR, ET MELIORI ORDINE DISPOSITA,*

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS, QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT,

*Et pluribus aliis factis luculentissimis accessionibus, quas Præfatio Tomo primo præfixa melius docebit.*

## TOMUS UNDECIMUS

*CONTINENS*

## DE SYNODO DIŒCESANA

LIBROS PRIORES NOVEM.




IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

# BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

# OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINQUECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ADDITIS PRAETEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS,

QUE NUNC PRIMUM PRODEUNT.

Tomus primus editionis decimus.

## TOMUS UNDECIMUS

CONTINENS

LIBROS PRIOREM ET NOVEM.



IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI.

MDCCLXXXIX.

UAB Biblioteca de Ciències Socials



# DEDICATIO

PRÆFIXA POSTREMÆ EDITIONI ROMANÆ ANNI 1755.

*AUGUSTISSIMÆ*

ROMANORUM IMPERATRICI

# MARIÆ THERESIÆ

HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGINÆ, ARCHIDUCISSÆ AUSTRIÆ, LOTHARINGIÆ ET BARII DUCISSÆ, MAGNÆ DUCISSÆ HETRURIÆ &c. &c. &c.

EDITORES OPERIS.

COmpertum nobis eſt, MARIA THERESIA Regina atque Imperatrix Auguſtiſſima, non defuturos eſſe, qui mirentur, quid nobis in mentem venerit, ut Opus de Diœceſana Synodo VESTRÆ potiſſimum MAJESTATI dicare conſtituerimus. Cum enim de Eccleſiaſticis duntaxat rebus in eo tractetur; profecto ſummæ illi tot Regnorum Dominatrici nullo pacto inſcribendum eſſe videbatur, quæ graviſſimis negotiis tam aſſidue diſtenta eſt, ut non æquum fieri videatur, ſi diſparibus hiſce curis interpelletur. Verum ii, ſi conſilii noſtri rationem paulo attentius conſideraverint, una & id, quod facimus, probabunt; & neminem a nobis hac in re MAJESTATI VESTRÆ præponendum fuiſſe judicabunt. Nam primum eo de Libro agitur, cujus tantus eſt Auctor, tamque grave argumentum, ut rationi diſſonum foret, ſi non ſub magno quodam, & pleniſſimo ſplendoris Nomine divulgaretur. Bononiæ illud inchoavit, ac deinde Romæ ſummo ſtudio & labore perfecit BENEDICTUS XIV. Pontifex poſt hominum memoriam ſapientiſſimus: quem nominaſſe, ad Operis commendationem abunde dixiſſe eſt. Materies vero eſt ejuſmodi, ut nihil gravius, nihil uberius, nihil Chriſtianæ reipublicæ utilius excogitari poſſit. Neque enim Diœceſanæ Synodi limitibus, ut ceteroquin præſeferre titulus videtur, hujus Operis argumentum circumſcribitur. Verum de omni Epiſcoporum officio, deque optima Eccleſiarum regendarum forma, unde populi Chriſtiani ſalus pendet, hic diſputatur. Ad omne ſuum munus rite ſancteque obeundum Parochos, Confeſſarios, Sacerdotes, hujus Operis lectio informat. Religioſi homines, Laici, ipſæque Deo dicatæ Virgines, ex hoc uberri-

mo fonte ſalutares utilitates haurire poſſunt; prorſus ut nihil a veritate aberraverit, ſi quis dixerit, omnibus Chriſtianæ reipublicæ ordinibus ſatis hoc uno Opere conſultum eſſe. Huc accedit, quod hoc Opus, quemadmodum dictum eſt, ad pietatem colendam non modo ignes admovet, verum etiam certiſſima, ac validiſſima adjumenta præbet. Quamobrem cui potius dicandum erat, quam præſtantiſſimæ illi Imperatrici Reginæ, ad quam non minus Auſtriacorum Regnorum, quam Auſtriacæ pietatis pervenit hæreditas? Etenim profectæ ſunt quidem in MAJESTATEM VESTRAM a Majoribus ſuis virtutes omnes, quæ in ſapientiſſimis Regibus ad regendos feliciter populos, ad ſancienda fœdera, ad dominationis gloriam amplificandam neceſſariæ ſunt. Verum, ſi cum ejus pietatis ſplendore conferantur, quæ in Auſtriaca Gente perpetua multorum ſeculorum ſerie quaſi per manus tradita, non modo in MAJESTATEM VESTRAM derivata, ſed etiam vehementer aucta conſpicitur; obrui quodammodo, ac pene extingui videntur. Mittimus juſtitiam, mittimus clementiam, mittimus ſingularem illam, atque humaniſſimam ad omnibus benefaciendum propenſionem. Sanctiſſimos quoque mores prætermittimus, in quos ſi ſubditæ gentes intueantur, nulla alia re vehementius ad vitam recte conformandam incendi poſſunt. Cujus oculos ad ſe penitus non convertit illa immortali laude digniſſima conſuetudo, qua diutius productis quotidie mane precibus auxilium ſibi ad rectam Regnorum adminiſtrationem MAJESTAS VESTRA, ac lumen a Deo poſtulat: quo fit, ut in capiendis deinde rite ſancteque deliberationibus non tam Regni Adminiſtros, quos ſibi optimos, ſapientiſſimoſque delegit, quam Deum ipſum, ac Superos in conſilium adhibere videatur? Cujus admirationem non rapit vigilantia illa, qua excubat, ut Catholica Religio, nulla pravarum opinionum labe inquinata, in ſuis ditionibus pure, caſtiſſimeque ſervetur? Cujus demum præconia non elicit illa ſolicitudo, ut quicumque Auſtriacæ poteſtati parent, rectam viam teneant, qua poſt hujus mortalis vitæ exitum ad cæleſtem illam, atque immortalem bene agentibus propoſitam pervenitur? Ad quam rem conſequendam, cum probe VESTRA MAJESTAS intelligat, quanti momenti ſit optimos duces exiſtere, qui doctrina verum iter commonſtrent, & cohortationibus, exemploque complanent; difficile dictu eſt, quanto ſtudio elaboret, ut animabus regendis, ſacriſque procurandis, maxime digni, idoneique Paſtores præficiantur. Quod quidem quamquam permultis exemplis comprobare poſſumus; unum tamen illud ad immortalem MAJESTATIS VESTRÆ commendationem ſatis erit commemorare, quod in Aquilejenſis Patriarchatus negotio non ita pridem ſapientiſſime geſſit. Ejuſmodi enim eſt, ut ſumma illud admiratione noſtra hæc ætas

pro-

UAB Biblioteca de Ciències Socials



profecuta fuerit, & nulla unquam poſteritas non ſit profecutura. Carebat jamdiu commodis, quæ ab Epiſcoporum officio, atque præſentia manare ſolent, Patriarchatus pars illa, quæ Auguſtiſſimæ Dominationi ſubjecta eſt, eaque de cauſa populorum illorum ſalus non mediocri in periculo verſabatur. Neque Romanorum Pontificum ſolicitudo, neque ſuperiorum Cæſarum prudentia rationem ullam inire adhuc potuerant, qua tam gravibus malis remedium aliquod perpetuo duraturum adhiberetur. Jam vero quibus precibus apud Pontificem ſapientiſſimum BENEDICTUM XIV. MAJESTAS VESTRA non inſtitit, ut rem toties tentatam, atque a bonis omnibus tamdiu expetitam ſuſciperet, ad exitumque perduceret? Quid pro ſua virili parte præſtare prætermiſit? Ut officia, quæ anteceſſerunt, prætermittamus, MAJESTAS VESTRA Apoſtolico primum Vicario idoneum maxime locum, atque ad dignitatem tuendam non ſolum neceſſarios, ſed uberes etiam reditus conſtituit. Diviſo deinde, quemadmodum res poſtulabat, in duos Archiepiſcopatus Patriarchatu, Archiepiſcopatui, qui ad ſuam ditionem pertinebat, nobiliſſimam Sedem, Urbem nimirum Goritiam attribuit. Demum, ut ejus primæ adminiſtrationi Præſul digniſſimus admoveretur, ſumma cura proſpexit. Itaque præclarum illud facinus, quod ſummi Imperatores fruſtra ſæpe aggreſſi ſunt, VESTRÆ MAJESTATIS officiis, auctoritate, conſilio, ſumma bonorum omnium gratulatione, ſumma ceterorum Principum approbatione, atque applauſu perfectum eſt. Quamobrem æquiſſimum profecto eſt, ut iiſdem verbis MAJESTATEM VESTRAM alloquamur, quibus Sanctus Ambroſius Theodoſium Imperatorem (epiſtola 51.) olim eſt allocutus: *Etſi in præliis feliciſſime egeris, etſi in aliis quoque laudabilis; tamen apex tuorum operum pietas ſemper fuit.* Quæ cum ita ſint, adhuc tamen luculentius perſpici poteſt, REGINA atque IMPERATRIX AUGUSTISSIMA, quam non liberum nobis fuerit in alium potius ſpectare, cui Librum hunc dicatum eſſe vellemus. Tametſi enim ab iis, quæ hoc in Libro ad pietatem incendunt, cogitationem pauliſper avocemus; atque in illud ſolum intendamus, quod immenſam propemodum eruditionem præſefert: Opus doctrina pleniſſimum cui potius inſcribendum erat, quam MAJESTATI VESTRÆ, quæ inter Viros Principes & doctiſſima eſt, & promovendæ doctrinæ ſtudioſiſſima? Neque enim ſit qui putet, intra MAJESTATIS VESTRÆ ditiones actionum ſuarum famam contineri. Egreſſa eſt illa foras; & longe lateque propagata, mira quædam de incredibili, qua MAJESTAS VESTRA ardet, fovendi bonas artes cupiditate prædicavit. Itaque jam omnibus notæ ſunt ſapientiſſimæ leges, quibus providit, ut in ditionibus ſuis recta ſtudia vigerent, atque omnia liberalium diſciplinarum genera diligentiſſime traderentur. Nota ſunt litteratis hominibus

con-

conſtituta præmia, nota commoda, ornamenta. Præ ceteris vero omnibus notum eſt Viennenſe illud Collegium erudiendæ optimis artibus Germanæ Nobilitati conſtitutum; quod MAJESTATIS VESTRÆ nomine decoratum immortalitatem pariter cum eodem nomine conſequetur. Quid vero ibi non magnificum eſſe audivimus, quid non amplum, quid REGINA atque IMPERATRICE AUGUSTISSIMA non digniſſimum? Quæ gymnaſiorum nobilitas, quæ facultatum copia, qui Magiſtrorum delectus, atque præſtantia! Lumen ibi MAJESTAS VESTRA veluti de ſublimi ſpecula errantibus honeſtiſſimis diſciplinis ſuſtulit, ut portum atque hoſpitium cognoſcerent, quo ſe tuto, & cum dignitate recipere poſſent. Habent in illo præclariſſimo contubernio docti homines latiſſimum campum, ubi oſtendant ingenium, induſtriam præſtent, & omnes pulcherrimarum doctrinarum divitias explicent, & in apertum exponant. Habet Germana Nobilitas, quo tanquam ad mercatum bonarum artium ſe conferat, atque inde ſcientiarum omnium cognitione locupletata diſcedat. Quod quidem tanta frequentia, tantaque utilitate fieri cœptum eſt; ut, quomodo principia ſe dant, pro certo affirmari poſſit, brevi fore, ut litterarum gloria ceteris nationibus Germania non modo non concedat, verum etiam anteponatur. Accipiat igitur MAJESTAS VESTRA ea, qua ſolet, benignitate hanc obſervantiæ noſtræ ſignificationem ab ſtudio colendæ tantæ dignitatis, virtutiſque profectam. Patiatur commendari, ſuoque Patrocinio cohoneſtari Librum multis nominibus Regia ac Cæſarea excelſitate digniſſimum: cui quamquam multum ſplendoris MAJESTATIS VESTRÆ nomen allaturum eſt; ipſe tamen viciſſim non exiguam lucis acceſſionem, ſi ſpectetur Auctor, eidem nomini eſt redditurus: Quod ſi fecerit, vel potius cum fecerit, nemini enim licet de MAJESTATIS VESTRÆ benignitate diffidere; ſummi beneficii loco illud nos habituri ſumus: cui pares gratias referre tenuitas noſtra non ſinit, quod nobis unice relictum eſt, agemus certe, & habebimus immortales. Atque interea Deum Optimum Maximum deprecari non deſiſtemus, ut præclara tantæ Imperatricis cogitata quotidie ad ſecundiores provehat eventus, MAJESTATEMQUE VESTRAM, atque Auguſtiſſimam omnem ejus Familiam diu ſalvam, florentemque conſervet. Quod quidem quoties rogabimus, toties nos pro Auſtriacorum Regnorum felicitate, pro bonarum artium incremento, pro Catholicæ Religionis bono rogaſſe, omnes, qui recte ſentiunt, exiſtimabunt.

AL-

UAB Biblioteca de Ciències Socials



# ALTERA DEDICATIO

## PRÆMISSA PRIORI EDITIONI ROMANÆ AN. 1748.

## SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

# BENEDICTO XIV.

## P. O. M.

EMMANUEL DE AZEVEDO SOCIETATIS JESU.

MUltæ me cauſæ impulerunt, ut libros quos hactenus edidi, SANCTITATI TUÆ inſcriptos dedicatoſque vellem. Primum, quod ſunt TUI: deinde, quod de hujuſmodi rebus ſcripti, quæ in Pontificem Romanum convenire maxime videantur: poſtremo Canonicorum Regularium Conimbricenſium voluntas, quos innumeris maximiſque beneficiis obſtrinxiſti: Atque ii gratias, quas Tibi maximas habent, referre vero nullo modo poſſunt, agere ſaltem, atque aliquod eorum animi teſtimonium extare ad futurorum temporum memoriam cupiunt. Horum librorum, qui nunc vulgantur, non communis eſt cauſa cum ceteris, ſed præcipua quædam ac ſingularis: ſunt illi videlicet Tui, ſed a Te ſcripti cum imperium teneres, atque ut eo verbo utar, quod, Zonara teſte, Græci uſurpabant de liberis quos pater regnum adeptus ſuſcepiſſet, ἐν πορφύρᾳ nati. Quamquam enim de his conſcribendis conſilium ſuſceperas cum Bononienſi Eccleſiæ Tuæ præeſſes, atque etiam eorum adumbrationem quamdam facere inſtitueras; plenius tamen digerere, & partibus omnibus informare cœpiſti, poſtquam es in Romana Sede collocatus. Quis autem non videt liberorum eorum (ſunt autem ut filii corporis, ſic liberi animi atque ingenii fœtus) præcipuam habendam eſſe rationem, quos non privatus, ſed regnum adeptus pater ſuſceperit? Certe eos ſolos ſpectari oportere cum de regni ſucceſſione agitur, & Xerſis exemplum declarat, quod tanto poſt tempore Ludovicus Sforcia renovavit; & nobiles Juriſconſulti tradiderunt, quos laudant Raynaldus Corſus *Indagat. Jur. lib. 3.*, & Joannes le Cirier *de Primogenitur*. Sunt igitur hi libri præ reliquis vere habendi atque appellandi Tui. Quid de eorum argumento dicam? Eſtne quod magis Pontificem Romanum deceat, atque eum, cui Eccleſiarum omnium fuit cura demandata? Quod ſi ad Eugenium Papam ſcribens Bernardus *lib. 3. de Conſiderat.* id inter Pontificis Maximi munera veluti præcipuum recenſuit, quod ad Conciliorum Decreta pertinet, & Remenſis, quod recens celebratum fuerat, exempla ſumſit; quanto hoc magis ad eundem pertinere arbitrabimur, ut Concilia rite, & ex ſanctiſſimis Diſciplinæ Eccleſiæ inſtitutis celebrentur? Atque huic quidem argumento contigit, quod neſcio an præterea ulli, ut cum multa haberet cognitu difficilia, nec ſatis explicata, diſceptatores nanciſceretur eos, non dico qui ſcientia prudentiaque non abundarent; ſed qui uſum atque experientiam, quantam res exigebat,

ad hujuſce rei pertractationem minime afferrent; qui deſertam, credo, provinciam attingere, quam vacuam relinquere maluerunt. Nam Thomas Valdenſis, qui *lib. 2. doctrinalis Fidei* de Conciliis copioſe ſcripſit, Joannes Gerſon, qui occaſione data Conſtantienſis Synodi multa itidem edidit, quique eodem tempore floruit Joannes Breviſcoxa, & paulo poſt Baſileenſe Concilium Cataldinus Boncompagnus, Dionyſius quoque Carthuſianus, Joannes Eckius, Judochus Clichtoveus, Joannes Cochlæus, Alphonſus Guerrerius, Marcus Mantua Bonavitus, Cyprianus Benettus, Rodulphus Cupers, Thomas Stapletonius, Adamus Tannerus, Stephanus Quaranta; quique de Synodo Diœceſana ſeparatim diligenterque egerunt. Michael Thomaſius, Joannes Antonius Maſſobrius, Bartholomæus Gavantus, Henricus Bottus, privati omnes fuere, infra Epiſcoporum ordinem cum ſcriberent conſtituti: Hanc ergo ſecuti vitæ rationem deſtituebantur maximis præſidiis, quibus generatim de Conciliis quæ neceſſaria erant, aut utilia, atque eorum habendorum modum decernerent; quod item valet de ceteris, qui in unius vel alterius fuerunt Eccleſiæ gubernatione verſati, ſive enim vitia caverent, quæ committi in Synodo habenda poſſunt, ſive quæ facienda erant præſcriberent, ad unam tantum vel alteram forte Diœceſim animum referre poterant, atque ex ea conjecturam facere ceterarum. Atqui is requirebatur, qui cum ſcientia in primis polleret, juriſque latebras omnes peragraſſet; tum vero in rebus eſſet maximis graviſſimiſque verſatus; denique plurium, & ſi fieri poſſet, omnium Eccleſiarum curam ſuſtinuiſſet. Nunc ſi res ſcriptorem ipſa ſuum per ſe deligere potuiſſet, quem alium de popoſciſſet ſibi, præter Te unum? Unus Tu nimirum eras, qui plures annos negotiorum molem, quæ deferri ad Patres ſacri Concilii Tridentini Interpretes conſueverunt, ferme ſolus ſuſtinuiſti; cujus prudentia, ſolertiaque plurimæ fuerant eæque impeditiſſimæ quæſtiones explicatæ; qui poſtea in Cardinalium Collegium cooptatus plures Diœceſes ſortitus, quarum altera mari alluitur, altera in mediterraneis regionibus ſita eſt, multa cognoſcere, de plurimis judicare, & quæ Tua ingenii ac mentis ſolertia eſt, omnia ſpectare potuiſti. Evectus es in ſublimem iſtam celſiſſimæ dignitatis Sedem. Quam multa his annis delata ſunt ad Te; quam multa acciderunt magnarum converſionum momenta! Quam impedita, & plena tricarum negotia, quæ vel ad Eccleſiaſticas perſonas ſpectabant, vel ad jura Eccleſiarum, vel ad Laicorum auctoritatem, finienda Tibi ac decernenda fuerunt! Quæ quidem admirabili prudentia illa Tua ſcientiaque feliciſſime expediviſti. Cum igitur harum rerum pertractationem Tu potiſſimum ſuſceperis, quæ niſi Te ſcriptorem nactæ fuiſſent, facile futurum erat, ut neminem alium idoneum reperire fortaſſe poſſent; cum omnia, quæ ad Synodum ſpectant, vel decerni in Synodo poſſunt, vel non ſunt Synodalibus Statutis attingenda, diligentiſſime doctiſſimeque explicaveris; cui libros hos inſcribi dedicarique par erat, niſi Tibi? Reſtat ut de Canonicis Regularibus Reformatis Congregationis S. Crucis Conimbricenſis dicam, qui ſummo ſe ac immortali beneficio cumulatos profitentur, cum iidem hi Tui libri ut ad Academiæ Liturgicæ uſum & inſtitutionem abſolutiſſimam ederentur, a Te benigne impetrarunt. Atque illi quidem, ut memores ſe, nec plane ingratos eſſe conſtet, ſummopere cupiunt; atque id contendunt, ut beneficiis tuis quæ plurima maximaque acceperunt, per me aliqua ex parte ſatisfactum videatur: Quod quidem cum difficillimum ſemper judicavi, tum vero hoc tempore, quo mihi ipſi pro memultum eſt, vehementerque laborandum. Ego, BEATISSIME PATER, niſi ornatum a Te ſemper, ſummiſque beneficiis me confitear affectum fuiſſe, videar exuiſſe humanitatem omnem. Sed habent præteriti dies, quod me vel recordatione ipſa obruant atque percellant. Quantum enim illud fuit, quod Sodalitium Sanctiſſimæ Dei Parentis

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



ab Angelo ſalutatæ (*Primam Primariam* vocant), cujus mihi demandata cura eſt, præſentia ac majeſtate Tua honeſtare voluiſti; quod ad juvenum eorum pietatem fovendam amplificandamque, me quædam orantem benigne audiviſti; quod ampliſſimis illud privilegiis nuper auxiſti: hæc Tu honeſtiſſimis adoleſcentibus, ceteriſque, qui feſtis diebus ad preces fundendas convenire eo ſolent, contuliſti. Eſt etiam quod Collegium Romanum univerſum Tibi referat acceptum, qui, ut Bibliotheca quæ adjecto non exiguo ædificio amplificata eſt, annuis quoque reditibus augeretur, litteris Apoſtolicis amantiſſime honorificentiſſimeque ſcriptis indulſiſti. Eſt quod præterea Societas tota habet a Te maximum præclariſſimumque beneficium, cum aliquem ex eadem Societate in ſacrorum rituum Congregatione ad Conſultoris munus obeundum perpetuo deſtinari ſanxiſti. Hæc cum ab omnibus gratias expoſtulant, tum vero præcipuo quodam jure a me, vel quod nominatim me cum illa conferres, non ſemel appellaſti; vel quod planius perſpicere potui animum Tuum, quem maxime in beneficiis conferendis attendendum officiorum Magiſtri volunt. Habes igitur, BEATISSIME PATER, pro tot tantiſque beneficiis munus a nobis, quod neque propter tenuitatem deſpicere potes, neque propter indignitatem reſpuere; dignum Te, dignum doctrina ac majeſtate Tua, ex quo omnes intelligent, Te Dei O. M. exemplo, cujus vices geris, id ipſum nobis, quo non ingrati eſſe videremur, præſtitiſſe.

# MONITUM

## Præfixum eidem Romanæ editioni ann. 1748.

## LITURGICÆ ACADEMIÆ CONIMBRICENSIS AUDITORIBUS

EMMANUEL DE AZEVEDO S. J.

QUANTO vobis emolumento futuri libri ſint, qui de Synodo Diœceſana in Academiæ veſtræ uſum eduntur, nemo eſt, qui non videat. Habetis in his primo ritus omnes ſacraſque cæremonias, quæcumque uſurpari ſolent, non in Synodo duntaxat Diœceſana, ſed in Provincialibus, in Nationalibus, atque in Œcumenicis ipſis Conciliis explicatas. Habetis perſonarum omnium quæ Conciliis interſunt, aut ad ea quoquomodo ſpectant enarrationem, & de illorum officiis muneribuſque multa nec vulgaria, & ſcitu digna. Habetis uberrimam tractationem, eamque ſingulari doctrina ac perſpicuitate inſtitutam difficilium Controverſiarum, rerumque graviſſimarum, quæ decerni in Synodis ſolent, vel quæ tanti ſunt ponderis, ut pleniorem confeſſum, vel majorem aliquam auctoritatem expoſcant. Denique ſacrarum Congregationum Decreta plurima, & Conſulta, digniſſima quæ cognoſcantur. Quamobrem ſi ſacrarum diſciplinarum atque Eccleſiaſticæ eruditionis veluti ſummam quamdam his libris proponi vobis affirmavero, nihil a veritate, nihil a judicio prudentum alienum dixero. Hic enim vero conſtat quod Ariſtoteles *lib. 1. analect. poſter.* aliique viri ſummi tradiderunt, artium omnium ac diſciplinarum quoddam eſſe commune vinculum, & cognatione quadam inter ſe contineri, quarum ut nulla earum diſci perfecte ſine aliarum cognitione poteſt, ita neque edoceri. Quod Muſarum nomen ipſum declarat; quamquam enim ſingulæ propria quadam arte ac facultate continentur, a qua nomen etiam inveniunt, hoc tamen nomine appellantur, quod convenire ſimul debeant, atque eſſe, ut Caſſiodorus *lib. 3. var. epiſt. 31.* & Syneſius *in Dion.* explicavit ὁμόσαι. Itaque non omnium eſt tractationem argumenti alicujus inſtituere, & Præceptoris perſonam ſuſtinere, ſed oportet ut ſit is *Rerum omnium magnarum atque artium ſcientiam conſequutus*. Quod de Oratore ſuo Cicero ajebat: quod nos de librorum, de quibus agimus, Scriptore luculentiſſimo dicimus, qui ita per omnia ſpatiatur, ut ſimul oſtendat ſingularum rerum ſcientiam perfecte eſſe aſſequutum. Tanti Auctoris aliquid deperire, aut non omnia ad commodum, utilitatemque veſtram repræſentare nefas eſſe duco. Itaque non ſolum quæ hoc in Opere allegantur ab eo ſcripta dum Secretarii ſacræ Congregationis Concilii munere fungeretur, ſed opuſcula alia quæcumque reperiri poterunt, ſeparatim in alio volumine, quod Appendicis nomine diſtinguetur, exhibebimus. Vos cum in hiſce libris, tum in ceteris omnibus quibus doctiſſimi ſapientiſſimique Principis ingenii, ac judicii vim ſuſpiciatis, quibus animum ad præclariſſima ſtudia informetis, quæ certam viam ad ſanam ſolidamque doctrinam commonſtrent, uno in volumine concluſa omnia, & contenta habetis.

# PRÆFATIO.

POST exactam vitæ noſtræ partem fere maximam Romæ in iis Congregationibus, ubi graviſſima Religionis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ negotia tractari ſolent; ut primum honore Cardinalatus per fel. record. Benedictum XIII. licet immerentes, inſigniti ſuimus, cum regendam accepiſſemus Anconitanam Eccleſiam, & inde mox ad Bononienſem Metropolim, nataleſolum, traducti eſſemus, animadvertere jam tum cœpimus, ignorari paſſim, aut certe non ſatis notas eſſe multas ex Apoſtolicis Conſtitutionibus, quibus Eccleſiæ inſtituta graviſſima continentur: decreta autem, & reſponſa Congregationum, aut neſciri penitus, aut non recte intelligi, plura ſiniſtris interpretationibus in ſequiorem partem accipi, atque corrumpi: quæ demum alii ante nos Antiſtites in Diœceſanis Synodis bene, ſapienterque conſtituerant, ea vigere parum, negligi omnino, ſuam vim, pretium, ac dignitatem non obtinere; propterea quod ignoti eſſent fontes, unde ſcita, & conſulta illa omnia deducta, ac corrivata fuiſſent. Id nos perſpicere certo potuimus cum in theologicis conſultationibus, quæ identidem nobis præſentibus habebantur, tum in privatis colloquiis, quæ ſæpe varias ob cauſas cum Eccleſiaſticis hominibus ſerebamus; maxime vero quoties ad examen accedebant ſive minores Clerici, ſive Pœnitentiæ Adminiſtri, ſive Paræciarum petitores, ut de ſingulorum ſcientia cognoſceremus.

Hanc porro tantam, tamque damnoſam inſcitiam conſiderantibus nobis, atque, ut par erat, dolentibus, multa ad eam depellendam obverſabantur. Erant qui opportuniſſimum fore cenſebant, Academiam inſtituere, in qua per intervalla temporum diſputandum eſſet de iiſdem rebus, uti paſſim fieri in litteratorum conventibus ſolet. Verum, præterquamquod haud facile inveniri poterant viri laborioſi, impigri, & idonei, eo numero, qui ad conflandum cœtum Academicum requiritur, id ſemper habent incommodi ejuſmodi Academiæ, quod uno duntaxat laborante, otiantur ceteri, quæque ille apte, copioſeque proloquitur, aut non ſubeunt audientium animos (niſi ſi jam eruditi illi ſint, & iiſdem rebus exculti), aut cito effluunt, ad ſummum rudem tantummodo, & indigeſtam poſt ſe notitiam relinquunt: nunquam vero late manant, nec ad notitiam publicam, uti opus eſt, propagantur. Alii alia ſubjiciebant, quæ longum eſſet hoc loco enumerare.

In tanta conſiliorum multitudine, ac varietate, viſum nobis inire viam intentatam hactenus, & qua non alia fortaſſe planior, & expeditior. Uſu enim ipſo edocti, ad recte adminiſtrandam civitatem, atque diœceſim, proponenda ſubinde eſſe populo aliqua Edicta; ea nos exarare inſtituimus, non, ut alii ſolent, ſola præcipiendi formula, ſed arte quadam, & apta ad erudiendum methodo, præceptorum ſcilicet cauſas, & fundamenta commonſtrantes, diſciplinam Eccleſiæ veterem, recentioremque explicantes, ea demum expromentes omnia, quibus non ſolum permoveri quiſque poſſet ad imperata facienda, verum etiam rationes diſcere, propter quas unaquæque res injuncta eſſet, aut vetita, idque nullo ſuo labore, & incommodo.

Hoc inſtitutum, quod legentibus quidem facile, at nobis, tametſi diu in ejuſmodi rerum tractatione exercitatis, laborioſiſſimum accidebat, brevi intelleximus, Deo noſtra cœpta ſecundante, magnas reipublicæ utilitates afferre. Exceptæ approbatione omnium ſecundiſſima noſtræ illæ Sanctiones, non intra Diœceſeos Bononienſis fines continuerunt ſe ſe, ſed ad circumpoſitas civitates primo, deinde ad remotiores volitare cœperunt, donec aliquot Voluminibus comprehenſæ, & pluribus in locis impreſſæ, ad univerſam late Italiam pervaſerunt. *Illud* autem nobis optandum maxime, ut, ſiquidem eædem nunc ex Italico in Latinum ſermonem cum fide converſæ ſunt, tam fructuoſæ inveniantur ultra montes, & apud omnes ubique gentes, quam in Italia fuerunt.

Secundum hæc parabamus Diœceſanam celebrare Synodum, certis tamen præfinitis rerum diſcutiendarum capitibus, præter quæ ſpatiari non liceret. Erant pleraque educta ex Edictis noſtris, quæ cupiebamus Synodali auctoritate rata, ac firma eſſe. Et videbamur nobis iis Edictis, & Litteris attigiſſe omnia, quæ graviſſima ſunt, quæque ad Epiſcopi ſolicitudinem, & cognitionem pertinent. Sed, ubi manum operi admovere cœpimus, tot ſimul obortæ voces, tot exauditæ ſententiæ ſunt, ut alio convertenda conſilia noſtra judicaverimus. Negabant aliqui, viri ceteroqui probi, nec indocti, ullum extiturum operis pretium, niſi ad alia multa rerum genera Synodi cognitio traduceretur. Hoc ſcilicet decerni malebant, illud interdici; has, atque illas proponi contumacibus pœnas; hoc, illudve malis publicis remedium adhiberi; res, maximam partem, extra Synodi poteſtatem poſitas, quaſque ipſi nos ſæpe Romæ rejeceramus, & a ſacris Congregationibus improbatas a ſummis Pontificibus reprehenſas, atque emendatas videramus.

His ergo tollendis ex hominum mentibus præjudiciis, venit nobis in mentem Commentationem edere *de Diœceſana Synodo*, eaque congerere ſimul, quæ circa hoc argumentum ſparſa multis in Libris invenirentur, additis Patrum, Conciliorum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ documentis: quarum rerum ingentem copiam habebamus in promptu, partim privato ſtudio, partim muneribus publicis, & experientia collectam. Ut rem totam ordinate perageremus, amplam diviſimus materiam in plura capita; omniaque complexi, quæ ad rem ullo modo, & maxime ad praxim facere videbantur, Opus noſtrum ad calcem deduximus. Sed, quo maxime tempore illud relegere, expolire, & multis partibus augere meditabamur, obitu Clementis XII. abrumpere opus coacti ſuimus, Romam vocati ſcilicet ad Cardinalium Comitia. Illam igitur rudem hactenus, mancam, & impolitam reliquimus in noſtra Bibliotheca Bononienſi; hac tamen mente, ut, ſimul ac regreſſi eſſemus ad noſtram Sedem, ſupremam illi manum imponeremus.

Verum inter hæc ad ſupremum Eccleſiæ regimen nullo noſtro merito, ac præter omnem opinionem evecti, id unum efficere potuimus primo, ut ſcripta omnia, & adverſaria noſtra Romam exportarentur: in quibus cum eſſet Commentatio, de qua dicimus, eam perdiu nec attingere licuit; tam multis, tam variis, tamque gravibus diſtricti fuimus curis toto hoc præterito tempore noſtri Pontificatus. Nunquam tamen ejus perficiendæ, vulgandæque cogitationem abjecimus. Itaque poſt recognitos, auctos, & iterum typis impreſſos quatuor noſtros *de Canonizatione Sanctorum* Tomos; poſt eundem laborem adhibitum noſtris Operibus *de Feſtis Domini, & Beatæ Mariæ Virginis, de ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio*, aliiſque, quæ in Latinum converſa, & additamentis pluribus locupletata, vel prodierunt jam, vel prælo parata ſunt: poſt vulgatum præterea Bullarii noſtri priorem Tomum, huc poſtremo animum convertimus: nactique ſubinde inter difficillima, & affi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials


assidua Pontificatus negotia aliquid vacui temporis, idque raptim Commentationi nostræ impendentes, eam aliquando tandem confecimus, seu verius fere ex integro elaboravimus: adeo multa sunt de novo addita partim ex Libris nostræ Bibliothecæ, partim ex nostris Bononiensibus Litteris, & Edictis, partim denique ex iis, quæ toto nostri Pontificatus septennio decreta a nobis, & constituta sunt.

Ita in hanc qualemcumque formam redacta est Commentatio; quam nos dum in publicum edimus, aliud nihil spectamus, nisi ut Episcopi suas celebrare Synodos rite, ac laudabiliter possint, nullumque præbeant locum querelis, quæ sæpe contra Synodalia Decreta ad Sedem Apostolicam perferuntur. Spe autem certa ducimur, non exiguum extiturum fructum laboris, & industriæ nostræ, si modo Præsules Ecclesiarum animo suo reputabunt, quod in Concilio Tridentino decretum est de Synodis celebrandis, nec leve negotium esse, nec temere, aut sine certis legibus peragendum. Sed ut nullum fore arbitramur, qui velit, sine justa causa, hanc officii sui partem gravissimam prætermittere; ita votorum nostrorum summam consequemur, si deinceps suas singuli Synodos celebrare instituent non solum crebro, verum etiam recte, & ex præscripto illarum rerum, quas toto hoc Opere complexi sumus.

Et hæc quidem olim præfati sumus, cum nostrum hoc Opus *de Synodo Diœcesana* anno Domini MDCCXLVIII. Romanis typis ederetur; eademque leguntur præfixa ceteris editionibus, quæ in hunc usque diem prodierunt. Sed postea, cum certis argumentis nobis innotuerit, labores hosce nostros grata utentium approbatione exceptos fuisse, quin etiam multorum rogatu excitati fuerimus ad novam hujusmet Operis editionem curandam, iis auctam additamentis, quæ necessaria nobis, aut opportuna viderentur; arduis licet, & assiduis Pontificalis officii curis distracti, parva quædam temporis intervalla captare conati sumus, quibus nos in domesticam Bibliothecam abderemus, ibique in manus resumeremus non solum impressa prælo Scriptorum volumina, sed etiam veteres nostras lucubrationes, tunc maxime calamo exaratas, cum in minoribus Romanæ Curiæ ministeriis versantes, a Pontificibus Prædecessoribus nostris beneficentissimis ad occurrentia adhibebamur negotia, & sententiam nostram nunc voce, nunc scripto explicare jubebamur: ut his veluti subsidiis adjuti, requirentium desideriis satisfaceremus. Lectorum nunc partes erunt, de editione hac, ejusque additamentis judicium ferre; quod quidem in nos operamque nostram satis æquum nobis pollicemur, si unusquisque eorum, qui lecturi sunt, nobis vel scribentibus, vel dictantibus præsens adstitisset, vidisset que objectas studiis nostris interpellationes, quibus multoties inceptum opus abrumpere, sæpe etiam quæ scripta, aut dictata fuerant, relinquere coacti sumus, donec elapsis pluribus horis, aliquando diebus integris, quandoque etiam hebdomadis, & mensibus totis, eadem resumere pateretur vel temporis magis commoda opportunitas, vel minus aspera & difficilis pendentium negotiorum natura.

Jam vero, ut de nova hac editione dicamus aliquid, hoc primum monebimus, nihil nos in superioribus editionibus animadvertisse, quod delendum, aut emendandum judicaverimus. Mutatas tantummodo voluimus Operis sectiones: divisis nimirum in plures libros materiis, & argumentis, quæ in prioris editionis libro septimo continenter tractata, unum illum librum longiorem ceteris, & plus æquo prolixum effecerant. At vero multis in locis, prout occasio se obtulit, opportuna aptavimus additamenta, quibus ea confirmaremus, quæ in priore editione asserta per nos fuerant. Insuper non pauca ex integro capitula elaboravimus, quibus plures rerum notitias, easque non levis momenti, in priori-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

bus editionibus omiſſas, complexi ſumus; quibuſque editio hæc revera auctior, & cumulatior prodibit.

Monendi ſunt autem Lectores, qui tam in priore, quam in præſenti hujus Operis editione allatas frequenter offendent reſolutiones Congregationis Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, ne in aliquam incidant perplexitatem, & confuſionem, propterea quod hujuſmodi reſolutiones non ſemper eadem ratione, ac methodo allegari conſpicient. Cujus diverſitatis hæc cauſa eſt. Cum nos olim munere Secretarii prædictæ Congregationis ornati fuerimus, eam inſtituimus conſuetudinem, quæ deinde a Secretariis Succeſſoribus noſtris ſervata fuit, ut in foliis cauſarum, quæ ante ſingulas ipſius Congregationis ſeſſiones typis impreſſa diſtribuuntur, antiquiores ejuſdem Tribunalis reſolutiones adnotaremus, ſi quæ ad alicujus controverſiæ tunc vertentis deciſionem facere viderentur; adjectis etiam nonnullis præſtantiorum Canoniſtarum auctoritatibus, quæ ad propoſitam quæſtionem illuſtrandam conferrent. Hinc factum eſt, ut hujuſmodi folia tam a nobis, quam a ſucceſſoribus noſtris exarata, utpote ſtudioſorum uſibus proficua, deinde in unum veluti corpus collecta ſimul ederentur, hoc inſcripta titulo: *Theſaurus Reſolutionum Sacræ Congregationis Concilii*: cujus Theſauri jam plura Volumina extant: & quatuor quidem priora noſtris lucubrationibus conſtant, reliqua ad eos pertinent, qui nobis in eodem Secretarii munere ſucceſſerunt. Cum itaque in præſenti Opere *De Synodo Diœceſana* citandum occurrit decretum aliquod, ſeu reſolutio, ex iis, quæ in hujuſmodi Collectione vulgata habentur, ſatius duximus Theſaurum ipſum allegare, quem facile adire, & conſulere poterit quicumque decretum, ſive reſolutionem, in fonte, ut ajunt, recognoſcere cupiet.

Sed aliæ complures ſunt reſolutiones, in quibus citandis indicatur a nobis dies, menſis, & annus, quibus emanarunt, ac præterea liber, & libri pagina, unde ſuerunt deſumptæ. Hæ nimirum ſunt, quæ, cum a ſæpe dicta Congregatione ante collatum nobis ipſius Secretarii munus editæ fuerint, *in illius regeſtis* deſcriptæ aſſervantur. Cum autem nos per decennium, & ultra, officium illud obtinuerimus, adeoque in poteſtate habuerimus ipſius Congregationis Tabularium; multum ſane tempus inſumpſimus in perlegendis veteribus ejuſdem Congregationis actis, graviora quæque adnotando, atque ea, quæ ſcitu digna, aut neceſſaria nobis videbantur, ex authentici Archivi regeſtis in privata noſtra adverſaria transferendo. His autem & ſæpe alias, & in hujus maxime Operis ſcriptione utentes, adnotatas a nobis indicationes diei, menſis, & anni, necnon libri, & paginæ, unde monumentum olim extraximus, Lectorum oculis ſubjicere non prætermiſimus; ut, ſi quis de allegato decreto, aut reſolutione certior fieri velit, Congregationis Secretarium adeat, exhibitiſque hujuſmodi indicationibus (juxta celeberrimi Auctoris Proſperi Fagnani monitum, illius Operibus præfixum) authenticum decreti, aut reſolutionis exemplum facile obtinere valeat: niſi forte nobis tantum tribuere non recuſaverit, quantum nos cum ceteris omnibus eidem Fagnano tribuendum merito cenſemus; cui ſcilicet, utpote eodem Secretarii munere perfuncto, ejuſdemque olim Tabularii cuſtodi, plenam fidem adhibere ſolemus, ejuſque teſtimonio, abſque ulteriori indagine, aut perquiſitione, acquieſcere. De aliis etiam aliarum Congregationum decretis, atque reſolutionibus, quæ in hoc Opere allegantur, teſtari poſſumus, eandem adhibitam fuiſſe curam, ut cum autographis regeſtis conferrentur, & ad eorum fidem exigerentur.

Porro in noviſſimis hiſce additionibus uſitatam ſemper nobis ſcribendi rationem ſecuti ſumus: nihil ſcilicet pro certo, ac definito venditantes, quod re ipſa definitum non ſit; nihil contumelioſe jacientes in alios, quantumvis ab opinione noſtra longe diſſentiant. Id

enim

UAB Biblioteca de Ciències Socials


enim homine Christiano indignum, & honesto viro indecens existimamus; neque vero minus valide unumquemque sententiam suam tueri posse censemus, si ab aliorum contemptu, & injuria abstineat.

Prima hujus Operis lineamenta, ut supra diximus, adumbrata a nobis sunt, mox etiam ad aliquod complementum adducta, cum Cardinalatus honore fungentes, ad Metropolitanæ Bononiensis Ecclesiæ gubernacula sederemus. Ad summum deinde Pontificatum evecti, idem Opus multis partibus expolitum paucis ab hinc annis edidimus, & nunc amplificatum & auctum de novo in lucem proferimus. At, ubi neque a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, neque a nobis ipsis aut in Bullario, aut alibi, Apostolica auctoritate quidquam definitum est, ac generaliter omnibus in rebus nullum e publica Ecclesiæ auctoritate pondus accessit, nihil nos definire, ac veluti decretorium exhibere intendimus. Ea enim nobis & semper fuit, & adhuc mens est, ut sententiam nostram proponentes, hanc eatenus tueamur, quatenus illi ex rationibus, & auctoritatibus, quæ nos ad eam amplectendam impulerunt, satis roboris & firmitatis adesse dignoscatur; libentique animo subscribimus doctrinæ Scriptoris egregii Melchioris Cani, qui *lib. 6. de Locis Theologicis cap. 8. in responsione ad nonum argumentum*, de Libris agens, qui a summis Pontificibus conscripti publicantur, hæc ait: *Cum edunt Libros de re qualibet Romani Pontifices, sententiam suam ut homines alii docti, exprimunt, non tamquam Ecclesiæ Judices de Fide pronuntiant*. Magnus ille Prædecessor noster Innocentius IV. Commentaria sua in libros Decretalium scripsit, cum summum Pontificatum gereret: *Trahens moram Lugduni, post Concilium ibi celebratum, composuit Apparatum super Decretalibus*: uti testatur Thomas Diplovatatius in Vita ipsius Innocentii antedictis Commentariis præmissa. Neque profecto Innocentius hoc sibi unquam arrogavit, ut quidquid in eo Opere scripsisset, pro re definita haberetur; sed facile passus est, opiniones suas, quas tamquam privatus Doctor proposuerat, ab aliis Doctoribus oppugnari: ut patet ex ipsa, quam citavimus, illius Vita; multoque magis ex ea, quam sibi amplissimam hac in re licentiam sumpserunt posteriores Canonistæ, dum sententias ab Innocentio suis Commentariis insertas sæpe deserere, & in alia omnia ire non dubitarunt.

IN-

# INDEX
## LIBRORUM, ET CAPITUM.

### LIBER PRIMUS.

Notiones, Quæstioneſque præliminares.


CAP. I. *De Synodi nomine, & Synodorum diviſione.* Pag. 1
CAP. II. *De Synodi Diœceſanæ utilitate.* 4
CAP. III. *Quo titulo ſit cohoneſtanda Synodus Diœceſana, & quomodo inſcribenda ejuſdem decreta.* 5
CAP. IV. *An Synodus Diœceſana pertineat ad poteſtatem Ordinis, vel juriſdictionis; & an ad legem diœceſanam, vel ad legem juriſdictionis.* 6
CAP. V. *De loco in quo Synodus Diœceſana habenda eſt.* 8
CAP. VI. *De tempore quo cogenda eſt Synodus Diœceſana.* 10


### LIBER II.

De his, qui Synodum Diœceſanam cogere poſſunt.


CAP. I. *An Romanus Pontifex cogere poſſit Synodum Diœceſanam.* 12
CAP. II. *Jus Romani Pontificis congregandi Synodum tam Provincialem, quam Diœceſanam explicatur, & confirmatur.* 13
CAP. III. *De Cardinali Urbis Vicario.* 15
CAP. IV. *De Archiepiſcopo.* 16
CAP. V. *Generalia de ſimplici Epiſcopo.* 18
CAP. VI. *De Epiſcopo privilegium habente geſtandi Pallium, & Crucem ante ſe deferendi.* 19
CAP. VII. *De Epiſcopo Titulari.* 20
CAP. VIII. *De Vicario-Generali Epiſcopi.* 22
CAP. IX. *De Vicario Capitulari.* ibid.
CAP. X. *De Vicario Apoſtolico.* 25
CAP. XI. *De Prælato inferiori.* 27
CAP. XII. *De Epiſcopo Latino, in cujus diœceſi Græci Sacerdotes, & Clerici degunt.* 30


### LIBER III.

De vocandis ad Synodum, ordine ſedendi, & ſacris veſtibus juxta proprium cujuſque gradum adhibendis.


CAP. I. *De Prælatis Regularibus, & Secularibus.* 33
CAP. II. *De Abbatibus, Prioribus, Guardianis Conventuum ſubjectorum juriſdictioni Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati.* 36
CAP. III. *De obtinentibus dignitates, perſonatus, officia, & de Vicariis tum Generali, tum Foraneis.* 37
CAP. IV. *De Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, & Collegiatarum.* 39
CAP. V. *De Parochis.* 40
CAP. VI. *De obtinentibus Beneficia ſimplicia, ceteriſque Presbyteris, & Clericis diœceſeos.* 41
CAP. VII. *De Fratribus Cappellanis ſacræ Religionis Hieroſolymitanæ, curam animarum habentibus, aliiſque eidem Religioni inſervientibus.* 42
CAP. VIII. *De Beneficiariis, Cappellanis, aliiſque aggregatis Eccleſiæ in ſolo Lateranenſi fundatæ: de Protonotariis, & Subcollectoribus ſpoliorum; ac de Eccleſiaſticis privilegiatis Almæ Domus Lauretanæ.* 43
CAP. IX. *De Laicis.* 46
CAP. X. *De ordine ſedendi in Synodo.* 48
CAP. XI. *De indumentis Epiſcopi, aliorumque, qui Synodo Diœceſanæ interſunt.* 50
CAP. XII. *De pœnis, quibus fiunt obnoxii non accedentes ad Synodum, niſi legitimo detineantur impedimento.* 52


### LIBER IV.

De officialibus, ſeu Miniſtris Synodi, ſuam nimirum operam Synodo præſtantibus, aliiſque, qui pro futuris eventibus in Synodo eliguntur.


CAP. I. *De Officialibus primi generis.* 55
CAP. II. *De Judicibus querelarum, & excuſationum.* 56
CAP. III. *De Teſtibus Synodalibus.* 57
CAP. IV. *De Punctatoribus.* 58
CAP. V. *De Judicibus Synodalibus.* 59
CAP. VI. *De Judicibus Conſervatoribus.* 61
CAP. VII. *De Synodalibus Examinatoribus.* 63
CAP. VIII. *Expenduntur alia, ad Synodalium Examinatorum officium ſpectantia.* 66


### LIBER V.

De gerendis in Synodo.


CAP. I. *De publicis Supplicationibus, Miſſis, Allocutionibus, Sermonibus, & Acclamationibus.* 69
CAP. II. *De legendis in Synodo, & Fidei profeſſione in ea emittenda.* 71
CAP. III. *De Scrutinio.* 73
CAP. IV. *De auctoritate reſervandi caſus, eorumque reſervatione in Synodo facienda.* 75
CAP. V. *Quænam ſint atrociora & graviora crimina reſervanda, una cum aliis ad materiam pertinentibus, & ſignanter quoad Regulares.* 77
CAP. VI. *De jure exigendi Cathedraticum, in Synodo ut plurimum ſolvendum.* 80
CAP. VII. *De nonnullis quæſtionibus Cathedraticum reſpicientibus.* 81
CAP. VIII. *De eleemoſyna Miſſarum, & ejus taxatione in Synodo ut plurimum facienda.* 83
CAP. IX. *De advertendis ab Epiſcopo in ſtatuendis Miſſæ eleemoſynis, evellendiſque abuſibus circa eas gliſcentibus: & ne Confeſſarii eaſdem a pœnitentibus exigant.* 86

CAP. X. *De Missarum oneribus minuendis.* 88
CAP. XI. *De ratione reddituum Seminarii a Deputatis in Synodo reddenda, & de nonnullis ad eosdem Deputatos pertinentibus.* 89
CAP. XII. *De nonnullis monitionibus in Synodo faciendis.* 91

## LIBER VI.

De Constitutionibus in Diœcesana Synodo edendis, earumque conscribendarum methodo.

CAP. I. *Summa statuendorum in Diœcesanis Synodis.* 92
CAP. II. *Qua methodo, quoque sermonis stylo conscribendæ sint Synodales Constitutiones.* 94
CAP. III. *Quæ utiliter in una, inutiliter in alia Synodo decernuntur: ubi nonnulla de Oblatis, Eremitis, & Græcis degentibus in diœcesibus Episcoporum Latinorum.* ibid.
CAP. IV. *Aliis exemplis demonstratur, non omnes Constitutiones omni Synodo æque congruere: ubi multa de Judæis degentibus in terris Christianorum.* 97
CAP. V. *Quæ in præcedenti capite dicta sunt, novo confirmantur exemplo, communicationis videlicet Catholicorum cum hæreticis in Divinis, atque adeo etiam matrimonii Catholicorum cum hæreticis.* 99
CAP. VI. *De iis, quæ provisa sunt super matrimoniis initis, atque ineundis in Hollandia, & in regionibus fœderatorum ordinum dominio in Belgio subjectis; quæ scilicet in Synodis earum regionum, non autem in aliis inseri & manifestari convenit.* 100
CAP. VII. *De aliis quibusdam respicientibus matrimonia, quæ a Catholicis contrahuntur in regionibus infidelium, aut hæreticorum Principum dominio subjectis, vel quæ in regionibus Catholicis ineuntur inter Catholicum ex una parte, & hæreticum occultum ex altera: de quibus similiter nequaquam in omnibus Synodis agendum est.* 103
CAP. VIII. *De Constitutionibus Synodalibus ad Missæ Sacrificium spectantibus, quæ peculiaribus quibusdam diœcesibus, non vero aliis, congruere possunt.* 106
CAP. IX. *De Communione sub utraque specie quoad Laicos, Clericos, & Sacerdotes non celebrantes: de qua etsi quibusdam in Synodis actum fuerit, in aliis tamen non expediret sermonem instituere.* 110
CAP. X. *De vernacula Divinarum Scripturarum lectione alicubi prohibenda Synodali Decreto, si abusus irrepserit: si tamen nullus abusui locus sit, hac de re silere præstabit.* 111
CAP. XI. *Recens subortus in diœcesibus abusus, modo revera talis sit, & remediis canonicis submoveri valeat, necessariam interdum reddit Constitutionem, quæ in alia forte Synodo redundaret: ubi de Confessariis, qui pœnitentes adstringerent ad sibi aperiendum nomen complicis in peccato: item de denunciatione Confessariorum solicitantium ad turpia, & de solicitantibus ad alia illicita.* 113

## LIBER VII.

De his, quæ cavenda sunt in Constitutionibus Synodalibus.

CAP. I. *De cavendis quoad quæstiones nondum definitas: ubi de quæstione, an sit de Jure Divino residentia quoad habentes curam animarum.* 116
CAP. II. *Iterum de cavendis quoad quæstiones nondum definitas: ubi de ea, an Clerici Beneficiarii sint domini, vel administratores fructuum suorum Beneficiorum.* 117
CAP. III. *Regula in præcedentibus capitibus tradita limitatur.* 120
CAP. IV. *Præcipue abstinendum a definiendis quæstionibus respicientibus Sacramenta: ubi de intentione Ministri requisita ad validitatem Sacramenti.* 121
CAP. V. *Nonnullæ recensentur quæstiones spectantes Sacramentum Baptismi, a quibus in Synodo definiendis est abstinendum: ubi de Baptismo collato infanti in matris utero latitanti, necnon infanti, qui aliquam sui partem ex utero matris emisit.* 123
CAP. VI. *De forma conditionata Baptismatis, alteriusve Sacramenti characterem imprimentis: ubi de Baptismo collato infanti, qui jam indubitanter mortuus, per miraculum ad vitam creditur revocari.* 125
CAP. VII. *De Sacramento Confirmationis relative ad Presbyteros Græcos, qui illud pueris post Baptismum administrant, & primo de Ministro hujus Sacramenti.* 128
CAP. VIII. *De adhibendo Chrismate ab Episcopo benedicto, si Presbyter uti Minister extraordinarius Confirmationis Sacramentum administret; & an ad solum summum Pontificem, excluso Episcopo, pertineat Jus delegandi simplici Sacerdoti dicti Sacramenti administrationem.* 130
CAP. IX. *In quo finis imponitur propositæ quæstioni de pueris, qui post Baptismum a Presbytero baptizante confirmantur.* 132
CAP. X. *Rursus de Sacramento Confirmationis, de quo in quadam Constitutione Synodali cautum est, ne pueris mox decessoris administretur.* 134
CAP. XI. *De evitandis in Synodo quæstionibus theologicis circa sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum: ubi de Viatico exhibendo, necne, his, qui eadem die Eucharistiam susceperunt: item de Communione danda reis capite damnatis, & deneganda peccatoribus publicis & manifestis.* 136
CAP. XII. *In quo agitur de Viatico pueris exhibendo: item de iis, qui, perseverante eodem morbi periculo, instant, Viaticum sibi exhiberi: & aliqua de frequenti, aut quotidiana Communione.* 138
CAP. XIII. *De pertinentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ, & signanter de quæstione, ejusque usu in Synodalibus Constitutionibus, quoad necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu gehenna*

*hennæ concepta, aut dictæ necessitatis exclusionem.* 141

CAP. XIV. *De Confessione, quam nonnullæ Synodi excipiendam prohibent Confessario, qui est in opere carnali complex criminis cum pœnitente peracti.* 143

CAP. XV. *De forma conditionata in Sacramento Pœnitentiæ.* 144

CAP. XVI. *De reprobatione doctrinæ, quæ in nonnullis Synodis legitur, Confessionis videlicet factæ in mortis articulo laico, aut etiam mulieri, deficiente Sacerdote, aut Diacono, vel Subdiacono.* 148

## LIBER VIII.

De pertinentibus ad Sacramenta extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii.

CAP. I. *DE Sacramento extremæ Unctionis: ubi de materia hujus Sacramenti, de olei benedictione ab Episcopo peragenda, nulla tamen in Synodo facta prohibitione Presbyteris Græcis illud benedicendi, & Catholicos Græci ritus inungendi, si in Latinorum diœcesibus Græci inhabitent.* 151

CAP. II. *De forma Sacramenti extremæ Unctionis, de qua multa in Synodis, & Instructionibus Episcopalibus.* 153

CAP. III. *De corporis partibus inungendis, de quo multa in nonnullis Synodis, & Ritualibus habentur.* 154

CAP. IV. *De Sacramenti extremæ Unctionis Ministro, tum quoad Ecclesiam Latinam, tum quoad Ecclesiam Græcam: quidve Episcopi Latini, in quorum diœcesibus Græci inhabitant, statuere valeant de eorum ritu hac in re.* 155

CAP. V. *De subjecto hujus Sacramenti, & præsertim de more Græcorum sanos oleo inungendi: & quid de eo Episcopi Latini, in quorum diœcesibus Græci inhabitant, in Synodo differere possint.* 157

CAP. VI. *De eodem subjecto extremæ Unctionis, & signanter de ætate, in qua eadem pueris exhiberi potest: ubi etiam de amentibus, & furiosis: ac nonnulla de Synodis, in quibus de prædictis rebus disseritur.* 159

CAP. VII. *De tempore, quo infirmis extrema Unctio est exhibenda: & quid in Synodis, & Instructionibus Episcopi de dicto tempore statuere debeant.* 160

CAP. VIII. *De ordine, quo extrema Unctio infirmis administranda est; & de reiteratione administrationis ejusdem Sacramenti.* 162

CAP. IX. *De cautela in Constitutionibus Synodalibus adhibenda, cum in eis agitur de Sacramento Ordinis. Plura de quæstione, utrum in cujuslibet Ordinis minoris collatione verum conficiatur Sacramentum, quam nonnulli Episcopi in suis Constitutionibus Synodalibus aut decidisse, aut ignorasse visi sunt.* 164

CAP. X. *Quod nihil in Synodo sit decernendum de trium hierarchicorum Ordinum materia, & forma, insinuatur exemplo desumpto ex quadam quæstione Congregationi Concilii proposita.* 167

CAP. XI. *De protestatione in aliquas Synodos inserta, & per Archidiaconum, Episcopi nomine, ante Ordinationem repetita, per quam Episcopus Ordines collaturus protestatur, se intentionem non habere ordinandi irregulares, aut canonico impedimento irretitos: & de ordinatis ad majores Ordines ab Episcopo in Missa, non ab ipso celebrata, sed a Sacerdote; de qua re in Synodo Episcopali aliquando disceptatum est.* 170

CAP. XII. *Ad demonstrandum, quam circumspecte sit in Synodo loquendum de Ministro Sacramenti matrimonii, nonnulla præmittuntur respicientia Concilii Tridentini decretum, quo irrita fiunt matrimonia clandestina.* 172

CAP. XIII. *Ex eo quod præsentia Parochi necessaria nunc sit ad vires tribuendas Christianorum connubiis, recruduit quæstio, jam antea a nonnullis excitata; an scilicet ille sit Sacramenti matrimonii Minister. Secum invicem hac in re pugnantium Doctorum præcipua argumenta proferuntur: concluditurque, non esse in Synodalibus Constitutionibus de hujusmodi controversia ferendam judicium, nec aliquid asserendum, quod uni, aut alteri opinioni refragetur.* 174

CAP. XIV. *Corrigatur falsa doctrina, quæ in quasdam Synodos irrepsit quoad idem matrimonii Sacramentum.* 177

## LIBER IX.

De cavendis in Synodo, quæ auctoritati, & juribus Apostolicæ Sedis refragari possunt: item de non assumenda definitione controversiarum jurisdictionalium inter potestatem Ecclesiasticam, & secularem: de sobrio in Synodo usu Legum Civilium: & de non lædendis privilegiis Regularium.

CAP. I. *NIhil in Synodo decernendum, quod præjudicium inferat auctoritati & juribus Apostolicæ Sedis: ubi de falsitate assertionis tribuentis Episcopo potestatem statuendi in sua diœcesi, iis duntaxat exceptis, quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt, quidquid Papa sibi specialiter non reservavit; & incidenter de erectionibus monasteriorum, & domuum Regularium.* 179

CAP. II. *Ex iis, quæ dicta sunt, decernitur, quibus in casibus fas sit, aut non sit Episcopo, relaxare impedimenta dirimentia matrimonium. Agitur etiam de consuetudine, ac nonnullis Synodis Gallicanis, ad eandem Episcoporum facultatem spectantibus.* 181

CAP. III. *De Pontificiæ auctoritatis læsione in eo, quod pertinet ad dispensationes matrimoniales inter unam partem Catholicam, & alteram hæreticam.* 184

CAP. IV. *Examen instituitur Synodalis Constitutionis, adscribentis Episcopo facultatem absolvendi ab hæresi, quæ, nisi congrue explicetur, jura deturbat Apostolicæ Sedis.* 186

CAP. V. *Alia evertuntur argumenta, quibus speciatim suffulti nonnulli Auctores Gallicani, facultatem absolvendi ab hæresi, quam aliis ablatam haud difficulter admittunt, in suæ nationis Episco-*

*piſcopis intactam perſeverare aſſeverant.* 188

CAP. VI. *Eadem jura Romani Pontificis læduntur etiam per Synodalem Conſtitutionem, inſtigentem degradationis pœnam Clericis quorumdam atrociorum criminum reis.* 190

CAP. VII. *De læſione jurium Apoſtolicæ Sedis in unione Beneficiorum, quæ Seminario fit ab Epiſcopis in vim decreti Concilii Tridentini cap.* XVIII. *ſeſſ.* XXIII. *de reformatione.* 193

CAP. VIII. *Quomodo ſe gerere debeant Epiſcopi erga Apoſtolicam Sedem, ſi quam forte Pontificiam Conſtitutionem de aliquo diſciplinæ capite pro ſuis diœceſibus minus opportunum eſſe cenſeant.* 196

CAP. IX. *Nulla in Synodo decidatur controverſia, quæ in materia juriſdictionis vertatur inter poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſecularem: ubi multa de cauſis nunc, & olim pertinentibus ad Eccleſiaſticam poteſtatem.* 199

CAP. X. *Leges Civiles cum moderatione, & delectu in Synodo allegandæ.* 201

CAP. XI. *Exempla Legum ſecundi generis, quæ ſcilicet ſunt a Jure Canonico correctæ, & improbatæ: ubi de matrimoniis filiorumfamilias ſine conſenſu parentum, & ſervorum ſine conſenſu dominorum.* 204

CAP. XII. *Exempla alia Legum Civilium a Jure Canonico correctarum: ubi præcipue de adulteriis, & concubinatu.* 206

CAP. XIII. *Gravis dubitatio olim exorta, an quædam Lex Civilis eſſet a Jure Canonico recepta an potius abrogata; atque ideo an valide contrahi poſſit matrimonium inter vitricum, & uxorem privigni.* 210

CAP. XIV. *De Legibus Civilibus a Jure Canonico neque correctis, neque expreſſe approbatis, & proinde aliquando opportune in Synodo memorandis.* 212

CAP. XV. *Nihil in Synodo conſtituendum, quod Regularium privilegia lædat.* 215

CAP. XVI. *Modus adhibendus in Conſtitutionibus reſpicientibus Regulares.* 217

CAP. XVII. *Aliæ exponuntur earundem quærelarum cauſæ.* 219

# NOI RIFORMATORI
## DELLO STUDIO DI PADOVA.

CONcediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato: *Opere di Benedetto XIV. Tomi* 15. *riſtampa*: oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 9. Marzo 1785.

( PIERO BARBARIGO RIF.
( ANDREA TRON CAV. PROC. RIF.
( GIROLAMO ASCANIO GIUSTINIAN CAV. RIF.

Regiſtrato in Libro a C. 152. al N. 1332.

*Davidde Marcheſini Segr.*

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



# DE SYNODO DIOECESANA

## LIBER PRIMUS.

## NOTIONES, QUÆSTIONESQUE PRÆLIMINARES.

### CAPUT PRIMUM.

*De Synodi nomine, & Synodorum divisione.*

SYnodus, ut ipsa præsefert nominis etymologia, idem est, ac Concilium; seu plurium in unum locum, aliquid deliberandi gratia, conventus. Quocirca in Annalibus Francorum *ad ann.* 773. *t.* 2. Collectionis Andreæ du Chesne *p.* 28. legitur: *Tunc Synodum supradictus Rex gloriosus tenuit generaliter cum Francis apud Jenuam civitatem, ibique exercitum dividens &c.* Et *ad ann.* 776. *p.* 30. ejusdem collectionis: *Conjunxit Synodum ad eandem civitatem, & ibi placitum publicum tenens &c.* Et in Annalibus Bertinianis *ad ann.* 767. *t.* 3. Collectionis citatæ *p.* 153. habetur: *Synodum fecit cum omnibus Francis solito more in campo.* Idem videre est apud Plinium *lib.* 35. *cap.* 9. *sect.* 35. Aliquando autem locus ipse, seu oppidum, ejusmodi congressibus habendis stabiliter destinatum, appellatur *Concilium;* ac proinde etiam Christianorum Ecclesias, ad quas Fideles conveniunt, ab antiquissimis Scriptoribus non raro Concilia, & Synodos nuncupatas legimus, in quo sensu Constantinus Magnus *leg.* 4. *Cod. Theodosiani, lib.* 16. *tit.* 2. *de Episcopis & Clericis*, inquit: *Habeat unusquisque licentiam, sanctissimo Catholicæ, venerabilique Concilio decedens, bonorum, quod optavit relinquere:* nomine enim *Concilii* hic, ut in multis aliis antiquorum locis, Ecclesiam intelligi, observat ibidem Gothofredus. Eandem vocis significationem elicuit Baronius *in Martyrologium Romanum ad diem* 23. *Junii* ex epistola S. Hieronymi ad Heliodorum, ubi Nepotianum laudat, quod *Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum Conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbravit:* per Martyrum quippe Concilia, denotari Ecclesias super Martyrum sepulcra erectas, fidem facit S. Gaudentius *serm.* 17. *tom.* 5. *maxime Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunensis anni* 1677. *pag.* 970. in dedicatione cujusdam Ecclesiæ, quam vocat *Concilium Sanctorum*. Neque certe aliud, quam Ecclesias indicare potuere Liber Pontificalis, cum Damasum narrat versibus adornasse *Martyrum Concilia*; & Gesta S. Stephani Papæ, cum de Nemesio referunt: *Circuibat cryptas, & Concilia Martyrum:* quæ loca bene perpendit du Cangius *in Glossar.* & Joannes Molanus *ad diem* 23. *Jun. in Martyrol. Usuardi*, in quo Martyrologio eadem die narratur, corpus Joannis Presbyteri, martyrio coronati, a Concordio itidem Presbytero *collectum & sepultum juxta Concilia Martyrum*. Verum postea apud nos usus passim obtinuit, ut *Synodi*, & *Concilii* nomine, non locus, nec quicumque hominum cœtus, sed ii significentur, in quibus Episcopi interfunt, & Ecclesiastica negotia potissimum pertractantur.

II. Ejusmodi Synodorum ex Petro de Marca *lib.* 6. *de Concordia &c. cap.* 24. *num.* 5. aliæ olim dicebantur *Regiæ*, quæ non ex Episcopis solum constabant, verum etiam ex Optimatibus, & Comitibus Regni, ut omnium suffragiis leges conderentur, ad utramque politiam, Ecclesiasticam, & Civilem, disponendam. Hujus generis Concilia frequentia fuisse Constantinopoli, observat Thomassinus *de veter. & nov. Eccles. disciplin. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 46. Frequentissima vero fuerunt in Gallia, cujus piissimi Reges, uti animadvertit Baluzius *in notis ad Capitularia Regum Francorum tom.* 2. *col.* 1208. nihil grave decernebant, sine Episcoporum, & Optimatum consilio, quod ipsimet fatebantur in suis edictis, quorum vetustissima formula, edita a Bignonio *in notis ad Marculphum lib.* 1. *cap.* 25. hæc erat: *Nos una cum Apostolicis viris Patribus nostris Episcopis, Optimatibus, ceterisque Palatii nostri Ministris, &c.* Aliæ fuerunt, & sunt Synodi *Ecclesiasticæ*, in quas soli conveniunt Sacerdotes, ut de rebus statuant ad Ecclesiam pertinentibus. Tres istarum species commemoravit S. Augustinus *lib.* 2. *de Baptismo contra Donatistas cap.* 3. *tom.* 9. *Oper. edit. Parisien. Monachor. Benedictinor. S. Mauri col.* 98. nimirum, quæ per singulas regiones, quæ per singulas provincias fiunt, & quæ ex universo Christiano orbe congregantur; quibus quartam addidit Concilium Toletanum IV. *cap.* 3. *tom.* 3. Collectionis Harduini *col.* 579. illius mentionem faciens, quæ ex unius regni, vel nationis Episcopis constatur. Quare Conciliorum, seu Synodorum, quatuor nunc genera passim Auctores enumerant, *Generalia*, *Nationalia*, *Provincialia*, &

UAB Biblioteca de Ciències Socials



*Diœceſana*. *Generalia*, quæ & *OEcumenica* dicuntur, ea ſunt, ad quæ vocantur Epiſcopi totius orbis, qui poſſunt, & debent iiſdem intereſſe, niſi legitime impediantur, & quibus præſidet Romanus Pontifex vel per ſe, vel per ſuos Legatos. *Nationalia* ſunt, in quæ conveniunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi unius regni, vel nationis, præſide ejuſdem nationis Patriarcha, vel Primate. Hæc quandoque vocari *univerſalia*, quia ſcilicet talia ſunt quo ad illud regnum, ſeu nationem, quamvis abſolute, & quo ad totam Eccleſiam, univerſalia non ſint, notavit Bellarminus *tom.* 2. *Controverſ. lib.* 1. *de Conciliis cap.* 4. quocirca S. Auguſtinus *epiſtola* 215. *ad Valentinum num.* 2. *tom.* 2. *Oper. col.* 794. ſecundam Synodum Africanam, ſub Zoſimo Papa anno 418. celebratam, nuncupavit *plenariam*, & Synodus Toletana III. anni 589. *cap.* 18. ſe appellavit univerſalem, inquiens: *Præcipit hæc Sancta, & univerſalis Synodus*. Verum Natalis Alexander *hiſt. Eccl. ad ſec.* III. *diſſert.* 24. opportune animadvertit, ea fere ſemper plenaria, & univerſalia dicta eſſe cum aliqua limitatione, qua a vere Œcumenicis diſtinguerentur. Sic præfata Synodus Africana dicta quidem eſt plenaria ab Auguſtino, ſed plenaria *totius Africæ*. Et Synodus Carthaginienſis III. *cap.* 7. ſimile Concilium vocavit *univerſale anniverſarium*: *Sin autem nec ad Concilium univerſale anniverſarium occurrere voluerit*: ut ſignificaret, ſe de illo loqui, ad quod omnes Africani Epiſcopi ſingulis annis confluebant. Allatum autem Toletani III. exemplum dubium eſt; nam in pleriſque antiquis codicibus verbum illud *univerſalis* deſideratur, ejuſque loco legitur *veneranda*, quod videri poteſt in Collectione Harduini *tom.* 3. *col.* 482. & in Labbeana *tom.* 1. *col.* 1013. ſolumque *univerſalis* legitur in Iſidoriana Collectione, & apud Ivonem *part.* 4. *Decret. c.* 244. *Provincialia* ſunt, in quibus conveniunt Epiſcopi unius Provinciæ ſub eorum Archiepiſcopo, ſeu Metropolitano. *Diœceſana* tandem nominantur, quæ quilibet Epiſcopus congregat ex Parochis, Presbyteris, aliiſque Clericis ſuæ *diœceſeos*, quibus ipſe præeſt.

III. Notiſſima, & pervulgata eſt hæc Conciliorum diviſio, eamque communiter tradunt Doctores, præſertim Melchior Canus *de Loc. Theolog. lib.* 5. *cap.* 3. Cardinalis Bellarminus *cit. lib.* 1. *de Concil. cap.* 4. Cabaſſutius *in Notitia Eccleſiaſt. ſeculi primi in obſervation. de Conciliis Eccleſiæ num.* 3. Doujat *Prænotion. Canonic. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 3. & 4. Duvallius *de ſupr. poteſt. Roman. Pontif. part.* 4. *quæſt.* 1. ac Alphonſus Guerrerius in ſuo, non omnibus obvio, Tractatu *de Conciliis*, quem anno 1545. edidit, & Carolo V. Imperatori dicavit, qui reperitur inter Miſcellanea Bibliothecæ Cardinalis Paſſionei *tom.* DLVI. & noviſſime Oddo Scharz *ad Decretales Gregorii IX. tit.* 2. *de Conſtitut.* §. 2. *quæſit.* 4. Attamen accurate pervolventi Eccleſiaſtica monumenta, nonnulla occurrunt Concilia, a Romanis Pontificibus celebrata, quæ ad nullam ex enumeratis ſpeciebus referri commode poſſunt, ſed videntur quodammodo mixta ex Provincialibus, & Diœceſanis. Illis quippe aliquot interfuere Epiſcopi, quos in Urbe inveniri contigit, atque inſuper Romani Presbyteri, aliique Eccleſiaſtici viri, ſive hi ad Romani Cleri cœtum pertinerent, ſive ex alienis diœceſibus Romam adveniſſent. Ejuſmodi fuit Concilium illud, quod Cornelius Papa circa annum 251. Romæ habuit, ut de cauſa judicaret Maximi, Urbani, & Sydonii, qui, ejurato ſchiſmate, in Eccleſiam recipi poſcebant; de quo idem Cornelius in epiſtola ad Cyprianum, quæ eſt 46. hæc ſcribit: *Omni igitur actu ad me perlato, placuit, contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Epiſcopi quinque, qui & hodie præſentes fuerunt, ut firmato conſilio, quid circa perſonam eorum obſervari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur*. Haud abſimile eſt Concilium ab Agathone Papa ex ſexdecim Epiſcopis, & univerſo Romano Clero in Conſtantiniana Baſilica congregatum pro componendis rebus Eccleſiæ Britannicæ: cujus Acta referuntur in noviſſima Collectione Conciliorum Britanniæ Davidis Wilkins *tom.* 1. *pag.* 47. Nec diverſa fuit Synodus habita a S. Gregorio Magno, cui ſubſcripſiſſe legimus Epiſcopos duos & viginti, & Romanæ Eccleſiæ Presbyteros tres ſupra triginta, in Collectione Harduini *tom.* 3. *col.* 498. Alia ſimilium Conciliorum exempla videri poſſunt collecta in Tractatu de ſtudio Conciliorum, Gallico idiomate conſcripto, & Pariſiis edito anno 1724. *pag.* 558. eorundemque meminit etiam Cabaſſutius in brevi Diſſertatione *de urbanis, ſeu popularibus Synodis*, poſt Synodum Conſtantinopolitanam ſub Patriarcha Menna anno 536. Quin etiam animadvertere hic libet cum Thomaſſino *cit. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 43. Conſtantinopoli cum ſatis magno numero Præſules continue verſarentur, ibi quandam quaſi perpetuam Synodum fuiſſe conflatam, cui Regiæ urbis Antiſtes præſidebat, & difficiliores quaſque Eccleſiæ Orientalis cauſas terminabat. In ejuſmodi Synodo Epiſcoporum Conſtantinopoli forte obverſantium, Nectarius Conſtantinopolitanus Epiſcopus de cauſa judicavit Agapii, & Gabadii, de Boſtrenſi in Arabia Epiſcopatu inter ſe contendentium, ſicuti habetur *Jur. Orient. part.* 1. *pag.* 247. In ſimili Synodo a Chryſoſtomo exauctoratus eſt Gerontius Nicomedienſis in Bithynia Epiſcopus, quod narrat Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 6. In eadem Synodo idem Chryſoſtomus querelas & accuſationes audivit complurium Aſiæ Epiſcoporum adverſus Antonium Epheſinum Epiſcopum, quemadmodum refert Palladius *in Dialogo hiſtorico de vita & converſatione Beati Joannis Chryſoſtomi Epiſcopi Conſtantinopolis*, qui extat *tom.* 13. *Operum* ejuſdem Chryſoſtomi editionis Patris Montfaucon anni 1738. Jam vero cum ab his Synodis abeſſent laici, & ſoli in illis aſſiderent Epiſcopi, quod colligitur ex eodem Palladio, qui præfatam Synodum exacte deſcribens, ſolos Epiſcopos enumeravit; cumque præterea in illis cauſæ duntaxat diſceptarentur ad Eccleſiæ forum ſpectantes: diverſæ profecto erant a Synodis illis Regiis, de quibus ſupra, ac proinde aliam conſtituunt Eccleſiaſticæ Synodi ſpeciem, ab iis quatuor diſtinctam, quas communiter Doctores recenſent.

IV. Verum, his prætermiſſis, quæ præſentis inſtituti non ſunt, Synodum Diœceſanam, de qua ſolum hic agimus, paulo accuratius conſideremus. Mathias Ugonius Epiſcopus Famauguſtanus, Scriptor decimi ſexti ſeculi, de quo plura Dupin *in Biblioth. Eccleſiaſt. Auctorum ſeculi* XVI. Tractatum concinnavit, & evulgavit *de Conciliis*, qui in paucis bibliothecis reperitur, atque in Tractatus præludiis *pag.* 4. ſcite animadvertit, Synodum Epiſcopalem, ſeu Diœceſanam, frequenter ab antiquis vocari *Presbyterium*, ſicuti re ipſa nuper illam appellatam audivimus a Cornelio Papa. Eadem quandoque nuncupatur *Concilium Civile*, utpote quæ congregatur ab Epiſcopo in ſua civitate cum ſolis Presbyteris ſuæ diœceſeos; quod colligimus *ex epiſt.* 14. Hadriani II. Summi Pontificis ad Carolum Calvum in cauſa Herlefridi Presbyteri *tom.* 5. Collectionis Harduini *col.* 706. in qua ait: *Sed nunc melius faceretis, ſi, quod in civili Concilio apud ſuum Epiſcopum perperam geſtum eſt, in Provinciali Synodo apud vos rationabiliter, & apud Fratrem noſtrum Hincmarum Archiepiſcopum caſſaretur*. Nunc autem, quemadmodum notat Doujat *cit. Prænotion. Canonic. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 16. ita proprie Synodi nomen ſibi uſurpat, ut, cum Synodum, ſine ulla additione, dicimus, plerumque Diœceſanam intelligamus; quare Guillelmus Lyndewode ad Conſtitutiones provinciales Angliæ, *tit. de officio Judicis Ordinarii*, cum ſtatutum offenderit, a Bonifacio Epiſcopo in hunc modum editum: *Item ſtatuimus, quod Epiſcopi in ſuis Synodis, & aliis convocationibus*, &c. *ſin-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials



*& ſinguli Archidiaconi in ſuis Capitulis &c.* ſtatim adnotavit. *Synodi dicuntur conventus, ſive congregationes Senum, & Presbyterorum, quæ debent fieri per Epiſcopos annuatim.* Hæc de nomine. Ad definitionem quod attinet, non incongrue a Botto *in ſuo Tractatu de Synodo Epiſcopali part. 1. num. 5.* & ab Antonio Paulutio *in ſua Juriſprudentia ſacra tit. de Comitiis Eccleſiaſticis cap. 9. num. 2.* Synodus Diœceſana hiſce fere verbis deſcribitur: *Legitima congregatio ab Epiſcopo coacta ex Presbyteris, & Clericis ſuæ diœceſis, aliiſve, qui ad eam accedere tenentur, in qua de his, quæ curæ Paſtorali incumbunt, agendum, & deliberandum eſt.*

V. Ita deſcriptæ Diœceſanæ Synodi ſpeciem quandam & imaginem nobis exhibent Acta Apoſtolorum *cap. 21.* Jeroſolymitanam Eccleſiam gubernante Jacobo Minore, qui dicebatur Frater Domini, de cujus Epiſcopatu Jeroſolymitano fidem faciunt Clemens Alexandrinus, Euſebius, Epiphanius, Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, quorum teſtimonia congeſſit Petrus Franciſcus Foggini *de Romano Divi Petri Itinere, & Epiſcopatu exercit. 18. pag. 422. & ſeq.* Paulus Jeroſolymam profectus eſt, cumque illuc perveniſſet, Jacobum adivit, apud quem ſtatim *omnes collecti ſunt Seniores*. Hi vero poſtquam audierunt uberem fructum, quem ex Evangelii prædicatione ubique Paulus reportaverat, eundem admonuerunt imminentis ei a Judæis periculi, quibus erat eo nomine inviſus, quod Circumciſionis, ac totius Moſaicæ Legis abolitionem vellet, & prædicaret. Quamquam autem id eſſet a veritate alienum; nam Paulus ſolum docebat, Legem Moyſis non eſſe neceſſariam; quin immo ſine Fide Chriſti inanem eſſe, nec quidquam conferre ad æternam ſalutem; Legis tamen ritus & cæremonias, utpote quæ nondum mortiferæ evaſerant, nunquam damnaverat; quod quidem facile demonſtrare potuiſſet ex facto proprio, ſiquidem ipſemet circumciderat Timotheum *Act. 16.* & Nazaræatus votum ſuſceperat *Act. 18.* ſicuti ad rem perpendit Tirinus *ad dict. c. 21. verſ. 21.* nihilominus tamen Paulus, ut calumniam prorſus dilueret, Seniorum conſilium ſecutus, cum aliis quatuor viris Nazaræorum voto obſtrictis, Templum ingreſſus eſt, ibique palam & publice Legis cæremonias explevit. Geſta hæc ſunt, non inter Jacobum tantum, & Paulum, ſed coram univerſo cœtu Seniorum, hoc eſt Presbyterorum Eccleſ. Jeroſolymitanæ, ſicuti, teſte Cornelio a Lapide *ibidem*, habet Græcus Textus; atque hi Presbyteri illi iidem erant, qui interfuerunt celebri Concilio Apoſtolorum, in quo actum fuit de Legalibus *Act. 15.* quod ipſimet aſſeruerunt: *De his autem, qui crediderunt, ex Gentibus, nos ſcripſimus, judicantes, ut abſtineant ſe ab idolis, immolato, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione;* ut narratur etiam *eodem cap. 21. verſ. 25.* Quamobrem ejuſmodi Seniorum conventum cum proprio Epiſcopo Jacobo fuiſſe veram & propriam Synodum Diœceſanam, ad exemplum ceterarum primum habitam, expreſſe affirmavit Turrecremata *Summa de Eccleſ. lib. 3. cap. 3.* ſcribens: *Tertia ſpecies Conciliorum dicitur Concilium Epiſcopale, ſive Synodus Epiſcopalis, quam celebrat Epiſcopus in diœceſi ſua cum Abbatibus, & Clericis ſibi ſubjectis .... Forma autem hujus Concilii præceſſiſſe videtur in Concilio, quod Beatus Jacobus dicitur celebraſſe Jeroſolymis cum Senioribus, pro abolenda ſuſpicione orta contra Paulum, de quo Act. 20.* idemque ſentire viſi ſunt Beda, Comeſtor, & Alphonſus Guerrerius *in cit. Tract. de Concil. cap. 1.* ubi ait: *Synodus a Paulo, & Jacobo celebrata fuit Jeroſolymis ſuper abolenda ſuſpicione quorundam Judæorum*. Nos vero, quamquam libentius aſſentiamur Cornelio a Lapide, Tirino, & Lorino *ad cit. cap. verſ. 18.* Cabaſſutio *in Notit. Eccleſiaſt. Hiſt. Concil. & Canon. in Synopſi primi ſeculi n. 11.* aliiſque negantibus, præfatam Seniorum congregationem fuiſſe veram Synodum; quoniam illi non vocati, ſed ſponte ad Jacobum acceſſere, ut Paulum inviſerent & ſalutarent, nec rogati ſententiam tulerunt, aut decretum aliquod edidere, ſed amice duntaxat Paulum monuerunt: attamen neminem inficiari poſſe putamus, ſpeciem quandam & imaginem Synodi in prædicta congregatione eminere.

VI. Vera & propria Synodus Diœceſana, ac fortaſſe omnium prima, quæ in Eccleſiaſticis monumentis occurrat, illa eſt quam deſcribit Siricius Papa *in epiſtola 2. num. 3. tom. 1.* Collectionis Harduini *col. 852.* circa annum 389. ad diverſos Epiſcopos data, adverſus Jovinianum, ejuſque ſocios, ubi diſerte ait, Joviniani hæreſim a ſe, et univerſo Romano Clero, coram ſe ſimul coacto, fuiſſe damnatam: *Facto ergo Presbyterio* (inquit) *conſtitit, doctrinæ noſtræ, ideſt Chriſtianæ Legi, eſſe contrariam. Unde ..... omnium noſtrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quam etiam totius Cleri unam ſcitote fuiſſe ſententiam, ut Jovinianus, Auxentius &c. Divina ſententia, & noſtro judicio in perpetuum damnati, extra Eccleſiam remanerent.* Quod vero attinet ad alias Diœceſanas Synodos, quarum ad nos manarint Acta, & decreta, Ludovicus Thomaſſinus *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part. 2. lib. 3. cap. 73. num. 3.* & Joannes Petrus Gibert *in ſuo Corpore Juris Canon.* edito Lugduni anno 1737. *tom. 1. prolegomen. part. 1. tit. 18. cap. 3.* affirmant, omnium antiquiſſimam eſſe Altiſiodorenſem, celebratam anno 578. Nos antiquiores his proferre poſſemus; nimirum Landavenſes tres Synodos Diœceſanas, ſi annis his conſignandæ eſſent, quibus eas conſignavit in Collectione ſua Henricus Spelmannus *tom. 1. pag. 62.* anno ſcilicet 560. ſed ex Uſſerii notis mſſ. monet David Wilkins *tom. 1.* noviſſimæ Collectionis Conciliorum Britanniæ *pag. 17.* ad ſecundum Auguſtini Archiepiſcopi Cantuarienſis annum pertinere, ideſt Chriſti 597. Nihilominus dubitandum non eſt, alias longe his vetuſtiores fuiſſe, quarum Acta, & memoria exciderit: etenim laudatus Thomaſſinus *lib. 3. cap. 75. num. 1.* non immerito aſſerit, inter Synodos, eas, quæ Diœceſanæ dicuntur, ceteris antiquitate præſtare; primis quippe Eccleſiæ ſeculis, cum immanes in Fideles ſæviebant perſecutiones, facilius fuit ſingulis Epiſcopis ſuum Clerum congregare, quam una cum aliis Coepiſcopis in Provincialem Synodum convenire.

VII. Enimvero quod olim frequentes eſſent totius Cleri cum proprio Epiſcopo congreſſus, præter ea, quæ ad hanc rem probandam inferius dicturi ſumus, vel ex hoc, quod hic ſubnectimus, aperte conjicitur. Non pauci ad nos pervenerunt libri Pœnitentiales particularium diœceſium proprii, quarum quælibet ſuum habebat, in quo præſcribebatur modus excipiendi pœnitentium confeſſiones, ac pœnitentias pro modo culpæ ſingulis injungendi; tradebantur præterea ſaluraria monita, quibus Sacerdos pœnitentes a vitiis retraheret, atque ad virtutem alliceret, & tandem accuratæ, atque etiam minutiſſimæ obſervationes circa forum ſacramentale inſtituebantur: utque interea antiquæ reticeantur epiſtolæ canonicæ Sanctorum Dionyſii Patriarchæ Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, & Baſilii Magni, quæ ad rem facere poſſent, adhuc extant libri Pœnitentiales Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, Bedæ, ſeu (ut alii volunt) Ecberti Archiepiſcopi Eboracenſis, Rabani Mauri Archiepiſcopi Moguntini, Burchardi Wormatienſis, et demum liber Pœnitentialis Romanus ab Haltigario Epiſcopo Cameracenſi ſeculo IX. inſertus in ſuum librum Pœnitentialem, editum ab Hugone Menardo, de quibus, & aliis videri poteſt Morinus *in fine Operis de Pœnitentia*. Hi porro libri Pœnitentiales, cum totam reſpicerent diœceſim, non aliter ab Epiſcopo fiebant, quam de ſuorum Presbyterorum conſilio: quod deducitur *ex epiſt. 52.* Cypriani, in qua non obſcure innuit, tum primum de

pœni-

pœnitentiis ſtabili quadam lege imponendis deliberatum fuiſſe, cum reſtituta Eccleſiæ pace, licuit Sacerdotibus in unum convenire; atque idcirco, ſive ratio habeatur rerum, quæ in illis decernuntur, ſive perſonarum, quæ ad decernendum vocabantur, non immerito affirmari poſſe videtur, ejuſmodi libros in Diœceſana Synodo fuiſſe exaratos.

## CAPUT SECUNDUM.

*De Synodi Diœceſanæ utilitate.*

ETſi ad ſtatuendam Synodorum Epiſcopalium utilitatem, ſatis ſuperque eſſet aſſerere, earum coactionem eſſe a ſacris Canonibus præſcriptam, atque a ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reform. cap. 2.* iterum præceptam, & ab Alexandro VII. Summo Pontifice *in ſua Conſtitut. 20. §. 8. tom. 6. Bullar. Roman. pag. 35.* inculcatam, ubi alloquens Epiſcopos Italiæ, & Inſularum adjacentium, hæc habet: *Perſuaſiſſimum vobis eſſe non dubitamus, nihil frequenti animarum recognitione, Synodorumque celebratione, populorum ſaluti, ac veteri diſciplinæ conſtituendæ, nihil Catholicorum Principum paci a Deo impetrandæ, accommodatius eſſe: quo intermiſſo, magna in moribus continuo ad omnem improbitatem, ac peccandi licentiam facta eſt immutatio*: ut tamen illa clarius innoteſcat operæ pretium eſſe cenſemus, nonnulla ſubdere præclarorum Antiſtitum teſtimonia, quibus ingens earundem utilitas ſummopere celebratur. Atto II. Epiſcopus Vercellenſis, qui floruit medio ſeculo X. adeo utiles putavit Diœceſanas Synodos, ut totam Eccleſiaſticæ diſciplinæ perniciem ex earum omiſſione ortam arbitraretur; in Capitulari enim, quod habetur *tom. 1.* novæ editionis Spicilegii Lucæ Dacherii ita loquitur *cap. 23. pag. 405. Nulla pene res diſciplinæ mores ab Eccleſia Chriſti magis depulit, quam Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus, ad corrigendos Eccleſiaſticos mores, Synodum facere negligunt. Ob hoc a nobis univerſaliter definitum eſt, ut, quia juxta antiqua Patrum decreta bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non ſinit, ſaltem vel ſemel a nobis celebretur.*

II. Patres Concilii Provincialis Colonienſis anni 1549. *tit. de Synodor. celebrat. cap. 1. tom. 9.* Collectionis Harduini *col. 2096.* decernentes, ut a ſingulis Epiſcopis duæ Synodi Diœceſanæ quotannis haberentur, earum utilitatem hiſce verbis extollunt: *In Synodis redintegratur unitas, ſtudetur corpori in ſua integritate conſervando; ubi ea, quæ in viſitatione non dabatur exequi, executionem ſtudiis communibus aſſequuntur; ubi de capite, & membris, de fide, & pietate, de religione, & cultu Divino, de moribus, & diſciplina, de obedientia, de judiciis, & rebus omnibus ad bene chriſtianeque vivendum commodis, vel neceſſariis tractatur, atque ſtatuitur; ut veriſſime in reformationis formula dicatur: Salus Eccleſiæ, terror hoſtium ejus, & Fidei Catholicæ ſtabilimentum ſunt Synodi, quas etiam rectiſſime corporis Eccleſiæ nervos dixerimus. Neglectis enim Synodis, non aliter Eccleſiaſticus ordo diffluit, quam ſi corpus humanum nervis ſolvatur.* Auguſtinus Valerius, celebris Veronenſis Epiſcopus, *in libello ad Clerum ſuum* fatetur, id potiſſimum commodi atque utilitatis ſe ex Synodo referre ſolere, quod, habita in ea per Parochos, & Vicarios Foraneos totius diœceſis notitia, videretur ſibi quodammodo omnes ſuas oves propriis oculis intueri, moreſque omnium perſpicere: *Mihi, certe*, ait, *nullus dies die Synodi ſolet eſſe jucundior, nullus, qui in maximis moleſtiis, quas tanti muneris cura affert, animum meum magis conſoletur, & recreet. Nam ea die videor videre oculos meos, aures meas, manus meas, pedes meos. Cum enim multis de cauſis mihi non concedatur, ut opus eſſet, Verona diſcedere, & ſingulorum vitam & mores inquirere, inquiritis vos, Fratres, cognoſcitis vos multiplices animarum morbos, juſtas piorum hominum querelas auditis; veſtra opera, veſtris vigiliis, veſtris itineribus, laboribus, atque etiam periculis, mihi partem ſolicitudinis adimitis, vel certe ſublevatis.* Neque ea utilitate, quam ex Synodo percipiebat laudatus Valerius, illi gaudent Epiſcopi, qui jam ſæpius ſuam diœceſim perluſtrarunt: etenim in diœceſis viſitatione, quamvis crebro peracta, non omnia deprehendit Epiſcopus, quæ corrigere & emendare oporteat, ſed multa adhuc in Synodo reſcire poteſt a Parochis, qui immediatam ovium curam habent, & continue inter eas verſantur. Quare Sanctus Carolus Borromæus, etſi diœceſim ſubinde peragrando, commiſſi ſibi gregis indolem & mores exploraret, nihilominus Diœceſanas Synodos celebrare nunquam omiſit; atque in concione habita ad Clerum in ſua Synodo XI. *part. 7. Act. Mediol. Eccl. edit. Mediolanen. anni 1599. pag. 1167.* hæc de Synodi utilitate dixit: *Eſt generalis quædam viſitatio Synodus; alias enim per annum particulares quaſdam Eccleſias duntaxat viſitamus; hic vero generatim Sacerdotes omnes, & Clericos, ac in ipſis, ſuo etiam modo, populos eis commiſſos.* Idem fere ſentit Joannes Franciſcus Bonhomius *in decretis generalibus de reformat. Eccleſiaſt. edit. Colonien. anno 1585. pag. 114.* ubi ad ſuadendam Synodi utilitatem ait: *In illa quippe, quaſi in altera viſitatione, Clerum ſibi commiſſum iterum recognoſcens (Epiſcopus) tum paterna illum caritate ſimul univerſum complectatur, tum ſalutaribus monitis inſtruat, tum quæ pro recta univerſæ diœceſis adminiſtratione, præter ea, quæ in ſingulis locis peculiariter ſanciverit, decernenda in viſitatione cognoverit, generatim ſtatuat, ſanciat, atque decernat.*

III. Nec minus honorifice de Synodis loquuntur alii doctrina & pietate præſtantes Epiſcopi. Guibertus Tornacenſis Ordinis Minorum, in ſuo tractatu *de officio Epiſcopi, & Eccleſiæ cæremoniis tom. 25. maximæ Bibliothecæ Patrum edit. Lugdunen. cap. 6. pag. 403.* agens de Synodis ait: *Synodus, ut teſtatur Iſidorus, ex Græco, Cœtus interpretatur, eo quod in unum Sacerdotes, & ad nutum Epiſcopi congregantur, ut eorum exceſſus fideliter corrigantur, & per eos ſalubria monita tribuantur*: & rurſus *cap. 7. pag. ead. Congregantur igitur etiam Sacerdotes ad Synodum, ut ſuum periculum agnoſcant, vitam corrigant, & Epiſcopum docentem audiant.* Venerabilis Dei Servus Joannes Ribera Archiepiſcopus Valentinus, in præfatione ad ſuam Synodum Diœceſanam, editam *tom. 4. Conciliorum Hiſpaniæ* Cardinalis de Aguirre *pag. 283.* ſermonem faciens de Diœceſanæ Synodi utilitate, aſſerit, per earum ſtatuta præcipi, quæ bona ſunt, & inſurgentia mala prohiberi: *Sunt enim*, inquit, *quos ſola monitione ad bonum perſuadeas; ſunt, qui fere ad omnia præceptis egent; ſunt, qui pœna etiam trahendi ſunt &c.*

IV. Quid plura? Ad celebrandam Epiſcopalium Synodorum maximam utilitatem, abunde foret illarum acta pervolvere. Notiſſimæ ſunt Diœceſanæ Synodi habitæ & a Sancto Carolo Borromæo Archiepiſcopo Mediolanenſi, & a Sancto Thuribio Archiepiſcopo Limano, & a ſanctæ memoriæ Benedicto XIII. cum Beneventanæ præerat Eccleſiæ, ut alias innumeras prætereamus, quæ fere ubique poſt Tridentinum coactæ ſunt. Utque ex his, quæ Tridentinum præceſſerunt, paucas indicemus, in Appendice ad Conſtitutiones Synodales Sabinenſes Hannibalis Cardinalis Sancti Clementis, editas Urbini anno 1737. extant binæ Synodi Sabinenſes tranſcriptæ ex antiquo codice Orthoboniano, altera Arnaldi de Faugerio Cardinalis & Epiſcopi Sabinenſis, habita anno 1312. altera Bertrandi de Decio Cardinalis, ejuſdemque Eccleſiæ Epiſcopi, habita anno 1352. Inter noſtra manuſcripta reperitur Synodus Bononienſis, compoſita ab Huberto Epiſco-

po

po civitatis Bononiæ, & promulgata anno 1341. ab Epiſcopo Beltramino. Et, ne in his recenſendis infiniti ſimus, in tomis Conciliorum nuperæ editionis Venetæ, quamplurimæ leguntur antiquæ Synodi Diœceſanæ, per Italiam, Galliam, Germaniam, & Hiſpaniam celebratæ. Jam autem ſi quis earum omnium ſtatuta & decreta vel curſim pervolvat, illa deprehendet ſumma ſapientia & prudentia referta, loco & tempori opportune accommodata, atque aptiſſima ad Clericos continendos in officio, & depravatos populi mores reformandos; ac propterea fateri cogetur, Diœceſanas Synodos validum eſſe fulcimentum ad nutantem in diœceſi diſciplinam ſuſtinendam.

V. Hæc pluribus, quam ceteroquin neceſſe erat, hic expoſuimus, ad illorum retundendam audaciam, qui non veriti ſunt ſcribere, Diœceſanas Synodos eſſe prorſus inutiles: quos etiam redarguunt & refellunt Auctor Libri *de vita, & officio Epiſcopi*, Romæ impreſſi anno 1719. *part.* 1. §. 15. Epiſcopus Braſchius *in ſuo Promptuario Synodali cap.* 1. & præcipue §. 31. *& ſeq.* Antonius Paulutius, olim Romanæ Rotæ Auditor, *in ſua Juriſprudentia ſacra lib.* 3. *de Comitiis Eccleſiaſticis cap.* 9. *num.* 5. Non idcirco tamen illis aſſentimur, qui eas abſolute neceſſarias affirmant: quemadmodum enim Concilia Generalia, quamvis ſummopere utilia, non ſunt tamen abſolute & ſimpliciter neceſſaria pro Eccleſiæ univerſalis regimine, ſicuti pluribus oſtendunt Duvallius *de ſupr. Roman. Pontif. in Eccleſiam poteſtat. part.* 4. *quæſt.* 1. & Cardinalis Bellarminius *Controv. tom.* 2. *lib.* 1. *de Concil. cap.* 10. ita Epiſcopales Synodi, etſi maxime fructuoſæ, non tamen abſolute neceſſariæ dicendæ ſunt pro recta diœceſium adminiſtratione, cum alii ſuppetant modi aſſequendi eundem finem, ad quem Synodi tendunt. Joannes Matthæus Gibertus Epiſcopus Veronenſis, cujus virtutes & merita plurimum commendant illuſtrium virorum teſtimonia collecta ad calcem Operum ejuſdem, quæ typis impreſſa prodierunt Veronæ anno 1740. is, inquam, novemdecim annorum ſpatio præfatam Eccleſiam ſanctiſſime gubernavit, & tanto temporis intervallo unicam Synodum coegit (quod narrat Auctor ejus Vitæ, iiſdem Operibus præfixæ) ratus nimirum, ſe muneri ſuo plene ſatisfeciſſe, cum ſingulis annis diœceſim viſitaverit, aliaque multa præſtiterit, quæ ad rectam ſui Cleri inſtitutionem conferre videbantur. Mortuus eſt quidem Gibertus initio Concilii Tridentini, & proinde antequam emanaret decretum de cogenda quotannis Synodo Diœceſana: ſed jamdiu id ipſum ſancitum fuerat aliis Eccleſiæ Conſtitutionibus, quibus nihilominus putavit Gibertus ſe alia ratione æque bene ſatisfacere. Quæ a nobis dicta cenſeri volumus, non animo elevandi Synodorum utilitatem, quam iterum iterumque commendamus & inculcamus; ſed ut ſtatuamus, eas non eſſe omnino & abſolute neceſſarias: utque Epiſcopi, qui ob aliquod impedimentum ſuas Synodos, juxta Tridentini decretum, congregare nequeunt, non propterea animum abjiciant, ſed alias ſuppetere ſibi ſciant artes ſuccurrendi ſuarum ovium indigentiis, earumque ſpirituali bono proſpiciendi; atque ut ab aliorum exemplis modum addiſcant Synodi defectum ſupplendi. Qua in re præſtat audire ſacram Congregationem Concilii, quæ præcipuas ſuggerit induſtrias ſubſtituendas Synodo, cum ab Epiſcopo fieri nequit. Etenim cum Epiſcopus Canarienſis, occaſione viſitationis ſacrorum Liminum, ad præfatam Congregationem tranſmiſiſſet relationem ſtatus ſuæ Eccleſiæ, ejdemque ſignificaſſet, impoſſibile ſibi eſſe Diœceſanam Synodum cogere; ſacra Congregatio litteris ad ipſum datis anno 1720. reſcripſit: *Reliquum eſt, ut tuis poſtulatis reſpondeam. Primum difficultates Diœceſanæ congregandæ Synodi nobis ob oculos ponis, & eæ quidem maximæ ſunt, vetantque profecto omnem Eccleſiaſticorum conventum fieri. Verum ſacra Congregatio certior a te fieri cupit, an in unaquaque inſula poſſent per annos ſingulos, definito a te per edictum loco ac die, aut omnes, aut major Clericorum pars, quibus Synodo intereſſe jus eſt, commode coire, vices ſuas uni, aut pluribus Procuratoribus delegaturi; & an qui electi fuerint, poſſent, accepto authentico legationis ſuæ teſtimonio, ſtatuto pariter tempore te convenire, ut referrent ſuarum Eccleſiarum ſtatum, Cleri, & populi mores, religionem, pietatem, templorum decus, piorum locorum adminiſtrationem, ceteraque omnia, quæ opus forent. Collatis tunc ipſe conſiliis, quid agendum eſſet, imperares, veluti de Synodi ſententia, imperataque illi ad ſuos adducerent, curarentque perfectum iri. Id enimvero Synodi ſpeciem obtineret, maximumque inde fructum caperes; quippe quid ubique tuæ diœceſis agatur, penitus internoſceres, habitoque cum graviſſimis viris, quales hujuſmodi Procuratores creandi eſſent, ſermone, melius univerſis Eccleſiæ tuæ rebus conſuleres. Hoc ſi fieri nequeat, diœceſim tibi per edicta regere neceſſe erit, quæ invaleſcentibus fortaſſe animorum morbis remedium in dies afferant, exacuant populos ad virtutem. Curandum tamen erit, ut eadem edicta non negligantur, & haudquaquam neglecta fuiſſe, ex unaquaque inſula teſtimonium tibi identidem afferatur.* Salutaribus hiſce ſacræ Congregationis monitis morem gerere deberent Epiſcopi extra Italiam, ac præcipue in Germania degentes, ſi verum eſt, quod ſcribit Leopoldus Pilatus, Canonicus Tridentinus, *in ſuis Originibus Juris Pontificii l.* 5. *tit.* 2. *de Conciliis Eccleſiaſticis*, fieri nimirum non poſſe, ob diœceſium amplitudinem, Parochorum paupertatem, atque itinerum difficultatem, ut illi ſingulis annis Synodum celebrent.

## CAPUT TERTIUM.

*Quo titulo ſit cohonestanda Synodus Diœceſana, & quomodo inſcribenda ejuſdem decreta.*

NOnnullæ antiquæ Synodi Provinciales, ac potiſſimum Oſcenſis anni 598. *tom.* 3. Collectionis Harduini *col.* 533. *can.* 1. Barcinonenſis anni 599. *ib. col.* 537. & Toletana VIII. *ib. col.* 953. anni 653. ſe ſanctas inſcripſerunt, dicendo ex. gr. *Sancta Synodus præcipit, Sancta Synodus ſtatuit.* Hodie tamen & decet, & expedit, ut ab ejuſmodi titulo omnino abſtineant; ille ſiquidem ſolis nunc tribuitur Conciliis Generalibus. Ferdinandus de Loaſes Archiepiſcopus Valentinus anno 1565. Synodum Provincialem coegit, in qua confirmavit aliam Synodum Provincialem habitam a Martino de Ayala. Synodum de more ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſit: eaque per ſacram Congregationem Concilii ſedulo examinata, inter cetera, quæ viſa ſunt corrigenda, demandatum fuit, ut ab ea deleretur titulus *Sanctæ*, utpote qui ſolis debetur Conciliis Generalibus, ſicuti litteris in forma Brevis ad eundem Archiepiſcopum datis reſcripſit Sanctus Pius V. *Hæc verba: Sancta Synodus: non conveniunt Synodo Provinciali, ſed Univerſali.* Dionyſius Paulus Lopis Presbyter Valentinus, & Doctor noſtræ Academiæ Bononienſis, nullum non movit lapidem, ut ſuaderet, titulum *Sanctæ*, non ſolis Univerſalibus Conciliis, ſed etiam ceteris Synodis competere poſſe; & mirum eſt, quot exempla in ſua juris allegatione ad id comprobandum attulerit. Miſſa eſt allegatio juris ad ſacram Congregationem Concilii; & claræ memoriæ Cardinalis Matthæjus, tunc ſacræ Congregationis Præfectus, die 14. Novembris 1594. reſpondit quæſito prædicti Lopis ſequenti epiſtola: *Cum Provincialis illa Archiepiſcopi Valentini Synodus, de qua nuper ad me ſcripſiſti, ad ſacram hanc Congregationem Concilii Tri-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*Tridentini interpretem inſpicienda, ac recognoſcenda miſſa fuit, ſumma quidem cum diligentia ac maturitate omnia in ipſa Synodo contenta, expenſa atque examinata fuerunt ab iis Patribus, qui eo tempore prædictæ Congregationi præerant. Itaque quod nunc a me requiris, ut tibi ratio diverſitatis aperiatur, cur iidem Patres tunc de dicta Synodo Provinciali, dum ea ſancta Synodus appellatur, verbum* Sancta *tollendum cenſuerint, cum tamen idem verbum in plurimis Provincialibus Conciliis non ſemel legatur, gratum mihi certe fuit quæſitum tuum, ſicut gratiſſimum extitit ſtudium & eruditio, quam præ te fers in pluribus locis animadvertendis & colligendis. Verum cum certo ſciam, graves illos Patres tunc nonniſi cum ratione dictionem illam de hujuſmodi Synodo ſuſtuliſſe, minime nunc meæ partes eſſe videntur (nulla neceſſitate cogente) hoc in controverſiam vocare, cum potius meæ partes ſint illorum Patrum auctoritati ac prudentiæ omnino acquieſcere, & eorundem ſententiæ plene adhærere.* Ex qua prudentiſſima epiſtola, & multo magis ex allegato Brevi S. Pii V. manifeſtum fit, nec Synodos Provinciales, nec Diœceſanas, ſed ſolum Generales prædicto titulo *Sanctæ* eſſe honeſtandas. Tota hujus rei geſtæ ſeries habetur apud Cardinalem de Aguirre *tom.* 4. *Conciliorum Hiſpaniæ p.* 87. *& plurib. ſeq.* Inter Diſſertationes Franciſci Mariæ Cardinalis Brancatii Epiſcopi Portuenſis, una eſt, cui titulus: *De Regulis Sanctorum Patrum:* in qua inſertum legitur *Votum*, a Patre Odone de Comitibus Societatis Jeſu conſcriptum. Hic ſatis appoſite ibi obſervat, quod, etiamſi ex perſonis eorum, qui Synodum conſtituunt, *Sanctæ Synodi* appellatio deduceretur, atque ea locum habere poſſet in Generalibus, aut ad ſummum in Nationalibus, & Provincialibus Synodis, quæ conſtant ex pluribus Epiſcopis, quibus nempe *Sanctitatis* appellatio tributa dignoſcitur, non quidem intuitu gratiæ ſanctificantis, qua aliqui ex ipſis carere poſſunt, ſed in venerationem characteris Epiſcopalis; veruntamen neque hoc pacto id dici poſſet de Diœceſanis Synodis, quibus unicus Epiſcopus præſidet: *De Synodis Diœceſanis nihil dico, in quibus unus tantum ſedet Sanctus Pater Epiſcopus; quem titulum nec obtinuerunt, nec obtinere merentur Canonici, aliique Aſſiſtentes ſine ulla juriſdictione Epiſcopali.*

II. Alia deinde excitatur controverſia circa Conſtitutiones a Provincialibus, & Diœceſanis Synodis factas, de quibus dubitatur, an dici poſſint *Canones*. Cum Canon idem ſit, ac regula, ut habet Textus *in Can. Canon. diſt.* 3. omnes leges Eccleſiæ, quæ ſunt regula morum, videntur ſine ulla difficultate appellandæ *Canones*. Hinc quia Concilia Generalia indicuntur tam ad definiendum quid credendum, quam ad ſtatuendum quid agendum ſit; eorum definitiones, quæ ad Fidem pertinent, dicuntur *Dogmata*; quæ vero mores ſpectant, vocantur *Canones*. Verum hæc nominum accurata diſtinctio non ſemper in praxi obſervata fuit. Capita octo, quæ in Synodo Carthaginenſi anno 418. Epiſcopi plus quam ducenti, juxta S. Innocenti I. definitionem, adverſus Pelagianam hæreſim ediderunt, continent Fidei Dogmata, & tamen *Canones* appellata ſunt. Definitiones Fidei in Cauſa Pelagiana a Concilio Arauſicano Secundo anno 529. propoſitæ, & a Bonifacio II. confirmatæ, *Canones* dicuntur. *Canonum* quoque nomine viginti de Fide Capita a S. Martino I. in ſuo Concilio Romano anno 549. contra Monothelitas propoſita nuncupantur, uti obſervat Bartholus Epiſcopus Feltrienſis *in ſuis Inſtitutionibus Canonicis cap. 1. n. 6.* Hanc conſuetudinem Tridentina Synodus ſecuta eſt, quæ Fidei definitiones, & hæreſum damnationes per Canones propoſuit; etſi aliquando eadem Synodus hanc methodum non retinuerit; in proœmio quippe capitis primi *ſeſſ.* 14. *de reformatione*, tredecim, quæ ſequuntur, Capita appellavit *Canones: hos, qui ſequuntur, Canones ſtatuendos & decernendos duxit*; & tamen in his nihil circa Fidem decrevit, ſed ſola tradidit præcepta circa diſciplinam, quemadmodum ſcite obſervat Doujat *Prænotionum Canonicarum l. 1. c. 1. n.* 8. Ex his porro confici plane videtur, nullam adeſſe rationem, propter quam Conſtitutiones Synodi aut Provincialis, aut Diœceſanæ, quæ certo regulæ & normæ ſunt, ad quas ſive provinciæ, ſive diœceſis incolæ ſuas actiones dirigere debent, non ſint inſcribendæ *Canones*. Et re ipſa *Canonis* nomenclaturam illis attribuunt Gloſſa *in principio diſtinctionis* 18. inquiens: *Epiſcopi bene poſſunt condere Canones Epiſcopales, & Archiepiſcopus Provinciales, quia quilibet populus, & quælibet Eccleſia ſibi poteſt ſtatuere aliquod jus*: & Abbas *in Cap. Canonum, de Conſtitutionibus*, ubi generatim ait: *Appellatione Canonis venit omnis Conſtitutio Eccleſiaſtica.*

III. Ita profecto res ſe haberet, ſi unice inſiſtendum eſſet vocis etymologiæ, & grammaticali ejuſdem ſignificationi: at, ſi communem vocis acceptionem attendimus, præfatas Conſtitutiones *Canones* appellare prohibemur; uſus quippe nunc communiter, & præcipue apud Doctores, invaluit, ut *Canonis* nomine ſolæ denotentur Conſtitutiones, quæ univerſam obſtringunt Eccleſiam, quales illæ ſunt, quæ aut a Conciliis Generalibus, aut a Summo Pontifice promanant, quod pluribus tradit Fagnanus *in Cap. Canonum ſtatuta n. 19. & ſeq. de Conſtitutionibus*, notans ſimul *ib. n.* 35. quod ſi ſtatutum Epiſcopi a Papa confirmetur, & extendatur ad totam Eccleſiam, tunc, utpote jam Pontifici arrogatum, recte dicatur *Canon.*

IV. Neque mirum videri debet, ſi ambæ iſtæ voces, *Sancta* ſcilicet, & *Canon*, olim a Synodis Provincialibus, & Diœceſanis uſurpatæ, nunc a ſolis Conciliis Generalibus adhiberi poſſint; cum enim voces pendeant ab hominum placito, poſſunt utique homines nunc ad plura ſignificanda illas extendere, nunc ad pauciora reſtringere. Exemplum præſto eſſe poteſt in nomine *Papa*, quod olim commune erat omnibus Epiſcopis, quibus illud tribuitur in epiſtolis Cypriani, ut animadvertit Pamelius *ad epiſt.* 3. *n.* 3. in epiſtolis Ennodii adnotante Sirmondo *ad epiſt.* 29. *tom.* 1. *Var. col.* 1467. atque in plurimis Veterum ſcriptis, ut apud Sidonium Apollinarem, alioſque paſſim: idque ex Caroli Paſchalis, hominis diligentiſſimi, atque antiquitatis peritiſſimi, conjectura, inde eveniſſe autumat Anaſtaſius Germonius *l.* 2. *Animadverſionum c.* 1. quod quemadmodum Imperatores olim Patres Patriæ dicebantur, & hæc nomenclatura hiſce notis exprimebatur *PP.* uti paſſim legitur in antiquis monumentis, ita Epiſcopi, ob ſingularem venerationem ac reverentiam, quam in primitiva Eccleſia omnes illis exhibebant Fideles, appellarentur pariter Patres Patriæ; cumque hæc honoris ſignificatio iiſdem quoque inſcriberetur litteris *PP.* poſteriores viri, rerum minus periti, eas legendas putarunt *Papa*. Sed nihilominus, quidquid ſit de nominis *Papa* origine, jam a ſeculo VI. Ennodius Epiſcopus Ticinenſis uni Romano Pontifici, tanquam ejus proprium & peculiare, illud adſcribere cœpit, eumque ſequutus Caſſiodorus, ſcribens ad Bonifacium, Agapetum, & Joannem, Romanæ Urbis Antiſtites, quemlibet eorum Papam appellavit, cum ceteroquin Euſtorgium, & Datium Mediolanenſes, & alios aliarum civitatum Præſules, non aliter, quam Epiſcopos vocaverit, quemadmodum ſcite obſervavit Sirmondus *in notis ad epiſtolam primam Ennodii l.* 4. Nunc autem adeo proprium & ſingulare eſt Romani Pontificis, ut ex Conſtitutione S. Gregorii VII. in Concilio Romano habito anno 1072. adverſus ſchiſmaticos, nulli in toto orbe liceat ſive ſe, ſive alterum, præter Romanum Pontificem, Papam nuncupare; uti habetur apud Cardinalem Baronium

in

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*in notis ad Martyrologium Romanum ad diem* 20. *Januarii*. Optime Rocca *in suo Tractatu de Romani Pontificis nomenclatura tom.* 1. *suorum Operum pag.* 4. *Et quamvis unusquisque Episcopus, Pontifex, vel Summus Sacerdos, sive Papa, dici olim poterat; nunc tamen hæc nomina nonnisi Romano Pontifici tribui possunt*. Et, ne longius exempla exquiramus, hæc ipsa vox *Canon*, de se complectitur omnem legem, tam civilem, quam Ecclesiasticam, quia utraque est regula morum; & nihilominus, per antonomasiam, sola lex Ecclesiastica dicitur *Canon*, ob excellentiam nimirum potestatis, a qua fertur, & finis, ad quem dirigit.

V. Quonam igitur nomine Diœcesanæ Synodi statuta, & decreta erunt appellanda? Romaguerra *ad Constitutiones Synodales Gerundenses l.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. *n.* 14. contendit, illa ne Constitutiones quidem posse, cum proprietate sermonis, nominari. At, cum Constitutiones ab omnibus dividantur in Generales, & Particulares, & illæ sint, quæ feruntur ab habentibus jurisdictionem restrictam & limitatam ad certum locum, seu genus personarum, ac propterea etiam statuta facta ab Universitatibus, Collegiis, Civitatibus, & Academiis, communiter, & sine ulla contradictione, dicantur Constitutiones, ut advertit Florens *ad tit.* 2. *de Constitutionibus tract.* 2. plane non videmus, cur Constitutionis vocabulum nequeat cum omni proprietate aptari decretis in Synodo editis ab Episcopo. Quare concludendum est, Synodos Provinciales, & Diœcesanas, modo nomen Canonis non adhibeant, nulla ratione prohiberi, ne sua statuta, & decreta, Constitutiones inscribant; quas quidem Constitutiones, quod a plerisque factum deprehendimus, expedit, ut ad majorem legentium commoditatem in congruos titulos distribuant, & titulos in capita dividant.

## CAPUT QUARTUM.

*An Synodus Diœcesana pertineat ad potestatem Ordinis, vel jurisdictionis; & an ad legem Diœcesanam, vel ad legem jurisdictionis.*

DUplex in Episcopis consideratur potestas, Ordinis nimirum, & jurisdictionis. Potestatem Ordinis habent Episcopi immediate a Christo Domino, qui cum Hierarchiam in sua Ecclesia esse voluerit, ita in ea Episcopos instituit, ut Ordinis prærogativa & gradu meris Presbyteris antecellerent, ac virtute solius characteris Episcopalis plura præstare possent, quæ simplices Sacerdotes aut omnino nequeunt, aut virtute duntaxat Ordinationis suæ facere non valent: quod contra Salmasium, aliosque Hæreticos pluribus demonstrat Petavius *de Ecclesiast. Hierarch. Oper. tom.* 3. Episcopus enim, ut loquitur Epiphanius adversus Aerium *hæres.* 76. *n.* 4. fecunditatem habet, qua Patres Ecclesiæ, hoc est Presbyteros, aliosque Episcopos generare potest; simplices vero Presbyteri, adeo infecundi sunt, ut, in nullo rerum eventu, alios Presbyteros gignere, seu ordinare queant. Episcopus præterea, potestate sui Ordinis propria, Sacramentum confert Confirmationis, quod simplices Sacerdotes, nonnisi ex speciali delegatione, non vero virtute solius Ordinis, in quo sunt constituti, ministrare possunt. Cum autem & Confirmatio, & Sacerdotium, vera Sacramenta sint, causativa gratiæ sanctificantis, atque in hoc postremo talis imprimatur character, per quem ordinatus in Sacerdotem Corpus Christi conficere, atque a peccatis absolvere valet; nemo est qui non videat, ordinariam potestatem illa conferendi nonnisi immediate a Deo posse in Episcopos promanare. Neque enim immediatam derivationem Episcopalis potestatis a Deo impedit actio ministri, quam necessario intercedere oportet, ut novus Episcopus consecretur; quoniam minister operatur virtute & nomine Christi, cujus est instrumentum, ac propterea Christus est, qui proxime & immediate agit principaliter & virtute propria.

II. Quoad potestatem jurisdictionis, quæ jus affert Beneficia conferendi, causas audiendi, leges & censuras ferendi, ac cetera præstandi, quæ ad subjecti gregis regimen sunt necessaria, quæstio est inter Tridentinos Patres summa contentione jamdiu exagitata, nec definita, de qua Cardinalis Pallavicinus *in Historia Concilii Tridentini l.* 18. *cap.* 13. *& l.* 21. *cap.* 11. *&* 13. an Episcopi illam accipiant immediate a Christo, aut potius a summo Pontifice. Licet autem eorum opinio, qui etiam hanc potestatem immediate a Christo oriri propugnant, validis fulciatur argumentis; nihilominus tamen & rationi, & auctoritati conformior videtur sententia opposita. Ratio siquidem Monarchici regiminis, quod Christus in sua Ecclesia constituit, videtur exposcere, ut totius Ecclesiæ jurisdictionis fons & origo resideat in ejusdem Ecclesiæ visibili Capite, qui est Romanus Pontifex, atque ab eo profluat in cetera membra. Quare Innocentius I. epistola ad Episcopos Carthagine congregatos, quæ in editione Conciliorum est 24. *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 1025. eos laudans, quod sententiam contra Pelagianos ab ipsis latam, ad Sedem Apostolicam miserint approbandam, ait *n.* 1. *Scientes quid debeatur Apostolicæ Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum (Petrum), a quo ipse Episcopatus & tota auctoritas nominis hujus emersit*. Et Episcopi Africani *tom.* 3. Collectionis Harduini *col.* 734. scribentes ad Theodorum Papam ita exordiuntur: *Magnum & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum longissime irrigantes orbem Christianorum*. Et clarius, atque ad rem nostram magis apposite Leo Magnus *epistola olim* 89. *in nova editione* 10. *cap.* 1. ad Episcopos Viennensis provinciæ, quam refert Gratianus *dist.* 19. *Can.* 7. inquit: *Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet*. Idque eo sapientissimo consilio a Christo Domino factum existimat D. Thomas *l.* 4. *contra Gentes cap.* 76. ut hoc continuo & quasi perenni influxu jurisdictionis a capite in membra, firmior & solidior esset omnium cum illo nexus, & melius conservaretur unitas Ecclesiæ: *Soli* (ait Angelicus *n.* 4. loquens de Christi promissione facta Petro) *promisit: Tibi dabo claves regni cælorum: ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem*. Hoc eodem argumento utuntur, idemque pluribus exornant D. Bonaventura in Opusculo *Quare Fratres Minores prædicent, tom.* 7. *Oper. edit. Lugdunen. anni* 1668. *pag.* 340. Cardinalis Bellarminus *tom.* 1. *Controv. l.* 4. *de Rom. Pontif. cap.* 24. *&* 25. Vargas *in toto Opere de jurisdict. Episcopor.* Suarez *de Legibus l.* 4. *cap.* 4. *per tot.* Fagnanus *in Cap. Perniciosam, a n.* 30. *usque ad finem, de offic. Ordin.* Hæc obiter. Quod nostra interest, illud duntaxat est, nimirum statuere, jus Synodum convocandi, non ad Ordinis, sed ad jurisdictionis Episcopalis potestatem pertinere; quod profecto, semel percepto inter utramque discrimine, unusquisque facile deprehendet.

III. Decidenda nunc remanet alia quæsiti pars: an videlicet congregatio Synodi pertineat ad legem jurisdictionis, an potius ad legem diœcesanam. Sed, priusquam hæc decidatur, præmittenda est brevis utriusque legis notitia. Compertum est omnibus, Monachos, eorumque Ecclesias, ac Monasteria, plurium

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſeculorum intervallo, fuiſſe juri Epiſcoporum omnino ſubjecta, ac primum a S. Gregorio Magno fuiſſe illi conceſſam exemptionem a poteſtate Epiſcoporum quoad electionem ſuorum Abbatum, ſolutionem Cathedratici, & Decimarum juxta ea quæ referuntur a Thomaſſino *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. tom.* 1. *l.* 3. *c.* 30. *& ſeq.* Neque eſt, cur quiſpiam de hiſce conqueratur exemptionibus, aliiſque adhuc amplioribus, quibus ſubinde Regularium Ordines fuere ab Apoſtolica Sede exornati; ſiquidem etiam Patriarchæ Orientales pleno jure dominabantur in omnia ſui Exarchatus Monaſteria; atque inter eos Patriarcha Conſtantinopolitanus poſt annum milleſimum in plura Cœnobia, per totum Orientale Imperium ſparſa, immediato ſummoque jure utebatur, uti obſervat idem Thomaſſinus *eod. tom.* 1. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 15. *& c.* 16. *n.* 1. quin immo etiam hodie inter jura Patriarcharum propria iidem recenſent *jus Stauropegii*, in hoc conſiſtens, ut in Monaſterii fundatione Patriarcha, ſi velit, Crucem figat, eoque actu Monaſterium de novo erectum ſubtrahat a juriſdictione Epiſcopi, intra cujus diœceſeos fines ſitum eſt, ſibique immediate ſubjiciat: quod quidem jus, de quo nonnulla nos attigimus *in noſtra Conſtit.* 98. §. 19. *noſtri Bullar. tom.* 1. antiquiſſima conſuetudine, non ſchiſmatica uſurpatione, ab Orientalibus Patriarchis acquiſitum oſtendit Chriſtianus Lupus *in Scholiis, & Notis ad Canon. Concilior. tom.* 3. *edit. Bruxellen. p.* 953. Jam vero quamdiu Monachi plene, atque in omnibus ſubjecti fuerunt Epiſcopis, nulla emerſit diſtinctio inter legem diœceſanam, & legem juriſdictionis; ſed poſtquam a Sede Apoſtolica conceſſa illis fuerunt indicata exemptionis privilegia, quorum nonnulla habentur *in Can. Cum pro utilitate* 16. *qu.* 1. *in Can. Quam ſit neceſſarium, & in Can. Luminoſo* 18. *qu.* 2. Joannes Semeca, dictus Theutonicus, qui medio ſeculo XIII. vivebat, & Auctor fuit Gloſſæ communis, Decreto Gratiani appoſitæ, ſeu potius Huguccionus, ſeu Hugutio, quem primum Gratiani Gloſſatorem affirmat S. Antoninus *in Speculo Hiſtoriarum* 3. *part. tit.* 18. *c.* 6. *p.* 66. ex *cujus*, *aliorumque* gloſſis, teſte Doujat *Prænotionum Canonicarum l.* 5. *c.* 3. *n.* 6. ſuam conſarcinavit Theutonicus, eam diſtinctionem excogitavit, iiſque ſimul collectis, in quibus Monachi ſubtracti fuerant a jure, ſeu poteſtate Epiſcopi, ea adſcripſit legi diœceſanæ, cetera vero, in quibus Monachi adhuc ſubjecti remanebant juri Epiſcopali, ſpectare ait ad legem juriſdictionis, quod colligitur ex Gloſſa *ad Can.* 1. 10. *qu.* 1. Huic eidem diſtinctioni, ab Hugutione inventæ, adhæſit Honorius III. *in Cap. Dilectus, de officio Judicis ordinarii*, ſicuti obſervat Franciſcus Florens *t.* 2. *tit. de ſtatu Monachorum fol.* 70. *& 71. & tit. de Officio Ordinarii ad text. in Cap. Dilectus fol.* 187. Ildephonſus Clemens de Aroſteguì *in ſua Concordia Paſtorali* edita Compluti anno 1734. *part.* 1. *c.* 1. *n.* 70. *& pluribus ſeq.* Rota Romana *deciſ.* 769. *n.* 4. *& ſeq. coram Molines*.

IV. Hæc ſatis eſſe videntur ad rem, de qua agimus, illuſtrandam; ſi enim cetera proſequi vellemus, quæ de lege juriſdictionis, & lege diœceſana Doctores adnotarunt *ad cit. Cap. Dilectus*, in infinitum creſceret hic noſter liber, atque in ea nos dumeta conjiceremus, unde vel nullus, vel exiguus ſane fructus expectari poſſet. Nec vero ea, quæ innuimus, in quibus fere Doctores conveniunt, non hujuſmodi ſunt, ut viam definiendæ propoſitæ quæſtioni patefaciant. Semel enim poſito, ad legem diœceſanam ea pertinere, in quibus Monachi ſunt exempti a jure Epiſcopali, & ad legem juriſdictionis cetera, in quibus eidem juri ſubſunt; cum ex infra dicendis liquido conſtet, Monachos in nonnullis Synodo ſubjici, in aliis ab illa eximi; plane exinde conjicitur, Synodum Diœceſanam eſſe quid mixtum, & ad utramque legem ſpectare. Ita diſſidentes hac in re Doctores invicem componit Oſtienſis *in Cap. Quod ſuper his n.* 2. *de majoritate & obedientia*, quem ſectantur Bottus *de Synodo part.* 1. *n.* 61. *& ſeq.* Paulutius *in ſua Juriſprudentia ſacra de Comitiis Eccleſiaſticis tom.* 4. *Biblioth. Pontificiæ* Roccaberti *p.* 452. Rota *deciſ.* 619. *part.* 4. *diverſor. & deciſ.* 17. *n.* 23. *de offic. Ordinar. coram Falconerio tom.* 3.

## CAPUT QUINTUM.

*De loco in quo Synodus Diœceſana habenda eſt.*

CUm *Epiſcopus in tota ſua diœceſi juriſdictionem ordinariam noſcatur habere; dubium non exiſtit, quin in quolibet loco ſuæ diœceſis non exempto, per ſe, vel per alium poſſit pro tribunali ſedere, cauſas ad Eccleſiaſticum forum ſpectantes audire.... & cetera, quæ ad ipſius ſpectant officium, libere exercere*: verba ſunt Bonifacii VIII. *in Cap.* 7. *de officio Ordinarii*, *in* 6. Quod recte ſancitum notat Cironius *l.* 2. *Obſervat. Jur. Canon. c.* 4. exemplo Prætoris Urbani, qui cum eſſet Judex ordinarius civium Romanorum, uti teſtatur Plutarchus *in Sylla*, ubicumque jus diceret, forum conſtituebat, *leg. penult. ff. de juſt. & jur. & leg. ult. ff. de juriſdict. omn. Judic.*

II. Quamobrem indubitatum eſt, Epiſcopum, non ſolum in civitate, verum etiam in qualibet ſuæ diœceſis parte, poſſe Synodum cogere. Unde Concilium Aurelianenſe I. anni 511. *can.* 19. *tom.* 2. Collectionis Harduini *col.* 1011. & Oſcenſe anni 598. *can.* 1. *tom.* 3. ejuſdem Collectionis Harduini *col.* 535. jubent, ut omnes Abbates, Presbyteri, & Diaconi ſingulis annis accedant ad Synodum celebrandam in loco, *ubi Epiſcopus elegerit*: & inter antiqua ſtatuta Eccleſiæ Biterrenſis, ab Hugone Epiſcopo anno 1368. renovata, *tom.* 4. *Anecdot.* Martene *col.* 627. *c.* 1. legitur: *Statuimus & ordinamus, quod quolibet anno, bis Synodus celebretur in Eccleſia Biterrenſi, vel ubi Dominus Epiſcopus ordinaverit*. Quin immo, addit Bottus *de Synodo part.* 1. *quæſt.* 9. *n.* 58. integrum erit Epiſcopo ſuam Synodum cogere etiam extra propriam diœceſim, ſi ab ea fuerit expulſus, aut ob peſtem, aliamve juſtam cauſam, ab illa recedere coactus; quod tamen intelligendum, monet Maſſobrius *de Synodo Diœceſana c.* 2. *dub.* 8. dummodo conſentiat Ordinarius loci, ubi exterus Epiſcopus vult ſuam Synodum celebrare. Atque ita reipſa, obtenta prius ab Ordinario licentia, quidam Epiſcopus titularis, qui diœceſim adminiſtrabat ſitam in terris Infidelium, & ab ea fuerat expulſus, cum ejuſdem diœceſis Presbyteris, & Clericis, qui ſecum advenerant ad civitatem Burgenſem, ſuam Diœceſanam Synodum ibidem habuit, quod refert Frances *de Eccleſiis Cathedralibus c.* 32. *n.* 92.

III. Verum, etſi ſolo jure ſpectato, liberum ſit Epiſcopo Synodum congregare in quolibet ſuæ diœceſis oppido, expedit tamen, cum nullum obſtat impedimentum, ut illam cogat in civitate, quemadmodum declaravit ſacra Congregatio Concilii in *Acernen.* die 17. Maji 1636. *l.* 15. *decretor. p.* 355. *a tergo* hiſce verbis: *Poſſe Epiſcopum etiam in dicto oppido Diœceſanam Synodum congregare, ſed ſatius eſſe, ut illam apud ſuam Cathedralem celebret*. Quod ſi duæ Cathedrales Eccleſiæ ſint æque principaliter unitæ, Epiſcopus, qui utrique præeſt, ſola inſpecta juris ſeveritate, non tenetur facere duplicem Synodum, ſed unam tantum in alterutra, quam maluerit, ex præfatis Eccleſiis, cui adeſſe tenentur Eccleſiaſtici utriuſque diœceſis, editiſque in ea decretis ambæ diœceſes obſtringuntur, ſicuti docent laudatus Frances *c.* S. *n.* 370. *& ſeq.* Gratianus *diſcept.* 655. *n.* 29. *& ſeq.* Cardinalis de Luca *de juriſdictione diſc.* 56. *n.* 6. *& de præeminentiis diſc.* 7. *n.* 20. *&* 21. Romaguerra *ad Conſtitutiones Synodales*

*dales Gerundenſes l. 1. tit. 1. c. 1. n. 12.* Emerix junior *deciſ. 1185. & deciſ. 1236.* Neque huic doctrinæ illud adverſatur, quod a ſacra Congregatione Concilii olim deciſum fuerat in quadam cauſa *Geruntina*, cujus ſumma hæc erat. Indicta ab Epiſcopo Geruntino Synodo, habenda in civitate Cariatenſi, æque principaliter unita Eccleſiæ Geruntinæ, hujus Capitulares, ceterique de Clero Geruntino ad Synodum accedere recuſarunt, eam obtendentes excuſationem, quod in utriuſque Eccleſiæ unione, reſervata fuiſſet præeminentia Eccleſiæ Geruntinæ. Re delata ad ſacram Congregationem Concilii, ejuſque diſcuſſioni propoſitis his dubiis: I. *An Synodus ab Epiſcopo celebrata in Cathedrali Cariaten. ſuſtineatur.* II. *Et quatenus affirmative, an liget diœceſim Geruntinam*: ſacra Congregatio die 2. Octobris 1706. reſpondit ad primum *Affirmative*, ad ſecundum *Negative*. Nec tamen hæc reſponſio (ut dicebamus) adverſatur modo traditæ doctrinæ: nam, eadem cauſa iterum propoſita die 1. Februarii 1708. ſacra Congregatio ſtetit in deciſis quoad primum dubium; *ad ſecundum vero, prævio receſſu a deciſis, reſcripſit Affirmative l. 58. decretor. p. 53.* Ideo autem ſacra Congregatio in ſecundi quæſiti deciſione nonnihil anceps fuerat, quia Clerus Geruntinenſis ſibi aſſiſtere contendebat conſuetudinem, de qua mox.

IV. Diximus, ſola inſpecta juris ſeveritate, licere Epiſcopo in alterutra, quam maluerit, ex præfatis Eccleſiis Synodum cogere; nam ſi æquitatis & decentiæ ſit ratio habenda, ad evitandas inter utramque Eccleſiam ſimultates, & concordiam fovendam, maxime expedit, ut illam modo in una, modo in altera, alternatim celebret: & præterea, ſi alternativam induxerit legitima conſuetudo, tenetur Epiſcopus hanc omnino ſervare. Hujuſmodi porro opportuna diſtinctione invicem conciliantur variæ ſacræ Congregationis Concilii reſponſiones, quæ minus peritis videri poſſent inter ſe pugnantes. Siquidem in prædicta *Geruntinenſi*, in qua cauſa contentioſe agebatur, ſacra Congregatio judicium protulit ad exactam juris normam; ſecus vero accidit in alia *Ampurien. Synodi*: in qua, cum ipſemet Epiſcopus ſacram Congregationem ita interrogaſſet: *Approximante tempore celebrationis Synodi, Epiſcopus, ſtante quod Ampurien. unita ſit æque principaliter Civitaten. diœc. nulla in hac parte ſuffultus conſuetudine, ſupplicat ab EE. VV. edoceri, an ipſe teneatur celebrare Synodum in utraque diœceſi*: eadem ſacra Congregatio, non juris apices, ſed decentiam & æquitatem reſpiciendo, die 8. Maji 1694. reſpondit: *Affirmative alternatim l. 44. decretor. p. 212. a tergo*. Aliud autem dicendum eſt de ſententia lata in cauſa *Adrien. & Pennen.* diœceſibus unitis; quoniam in hac, cum probata eſſet conſuetudo Synodum alternis vicibus habendi in utraque civitate, non ex mera decentia, ſed ex juſtitia, ab eadem ſacra Congregatione die 12. Aprilis 1625. prodiit ſequens decretum: *Sacra &c. Partibus auditis, ac Sanctiſſimo Domino noſtro approbante, cenſuit, Epiſcopum Pennenſem & Adrienſem debere primam Diœceſanam Synodum, cum ultima in civitate Pennenſi coacta fuerit, in Adrienſi civitate indicere, ac celebrare l. 12. decretor. p. 276.* & rurſus in eadem cauſa die 27. Julii 1647. *l. 18. decretor. p. 376. Synodum ab Epiſcopo congregatam & celebratam in civitate Pennen. quæ ratione alternativæ celebranda erat in civitate Adrienſi, non eſſe abolendam, ſed acriter corripiendum Epiſcopum, & faciendam declarationem, quod hujuſmodi celebratio nullo modo præjudicet civitati Adrienſi, ratione dictæ alternativæ, prout hæc ſacra Congregatio declarat.* Quia vero in alia ſimili cauſa *Matheranen. & Acheruntina* diœceſibus unitis, Capitulum Acheruntinum nondum legitime probaverat eandem, quam aſſerebat, conſuetudinem ſibi ſuæque Eccleſiæ favorabilem, cujus prætextu adeſſe renuebat Synodo, quam Archiepiſcopus celebrandam indixerat in civitate Matheranenſi; ideo ſacra Congregatio die 24. Martii 1736. diſtulit controverſiæ deciſionem: at, ne interim Synodi coactio, non ſine utriuſque diœceſis detrimento, protraheretur, prudentiſſime addidit: *Non retardato pro hac vice interventu Cleri Acheruntini Synodo jam indictæ in civitate Matheranenſi, ſine præjudicio jurium ambarum Partium.*

V. Hactenus de loco. Si nunc locum loci, ut ajunt, inveſtigemus, hoc eſt, ſi quæramus, in quonam civitatis loco aut oporteat, aut deceat Synodum celebrari, triplex ſtatim nobis occurret Doctorum opinio. Bottus *in Tractatu de Synodo quæſt. 9. n. 56. part. 1.* exiſtimat, neceſſe non eſſe, ut Synodus celebretur in Eccleſia. Joannes Andreas *in Cap. Decet, de immunit. Eccleſ. in 6.* concludit, Synodum poſſe fieri in Eccleſia, ſimulque inſinuat, decere, ut fiat. At Maſſobrius *in cit. Tract. de Synodo Diœceſ. c. 2. dub. 9.* docet, juxta univerſalem conſuetudinem, Synodum eſſe in Eccleſia celebrandam. Et profecto, ſi antiquiorum Synodorum Acta pervolvimus, fere omnes, tam Œcumenicas, quam Provinciales, quam demum Diœceſanas Synodos in Eccleſia coactas deprehendimus, quemadmodum perpendit, multiſque adductis exemplis confirmat & illuſtrat Mendoza *in notis ad Concil. Illiberitan. c. 9. tom. 1.* Collectionis Conciliorum Labbei *col. 1043.* Exteris vero exemplis ab illo collectis adjicere poſſumus etiam domeſtica, omnium videlicet Conciliorum, quæ Romæ ſunt celebrata, aut in Baſilica Lateranenſi, aut in Baſilica Vaticana. Typis impreſſum eſt Bullarium ſolas continens Conſtitutiones pertinentes ad Baſilicam Vaticanam, in quarum prima, quæ eſt S. Leonis I. cognomento Magni *tom. 1. pag. 1.* habetur. *Conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conventus*: quibus verbis ſubnectuntur hæc alia: *Quoniam, adjuvante gratia Dei, facilius poterit provideri, ut in Eccleſia Chriſti nulla ſcandala, nulli naſcantur errores, cum coram Beatiſſimo Apoſtolo Petro id ſemper in commune tractandum fuerit.* Ad hunc autem locum eruditi Adnotatores expendentes ea verba, *coram Beatiſſimo Apoſtolo Petro*, fuſe oſtendunt, uſque ad XI. ſeculum Romana Concilia fuiſſe celebrata in Eccleſia S. Petri, præſente & præſidente Romano Pontifice. Nomine porro *Eccleſiæ* non intelligitur hic ſolus Eccleſiæ ambitus, ſed omnis locus ſacer, Eccleſiæ adjunctus, & ad Eccleſiam pertinens: ſiquidem (ut recte notavit du Cangius) in Actis Concilii Chalcedonenſis *act. 1. tom 2.* Collectionis Harduini *col. 174.* mentio fit cujuſdam Concilii Conſtantinopolitani celebrati in Baptiſterio S. Sophiæ, quod utique erat ab Eccleſia diſtinctum. Concilia vero Carthaginienſia III. IV. V. VI. habita legimus in ſecretario Baſilicæ. Quoddam pariter Concilium Antiochenum, inſertum iiſdem Actis Concilii Chalcedonenſis *eod. tom. 2. col. 579.* coactum dicitur *in porticu æſtivalis ſecretarii*. Secretarium autem idem erat ac Diaconium, ſeu, quam vulgo dicimus, *Sacriſtia*, ut admonet Valeſius *not. in Philoſtorg. l. 7. c. 3.* qui locum fuiſſe contendit intra Eccleſiam: Gothofredus vero, & alii, ab Eccleſia ſeparatum exiſtimant. Præterea Leo Allatius *de conſenſ. Eccleſ. Orient. & Occid. l. 2. c. 11. & 12.* nonnulla commemorat Concilia celebrata in Catechumeniis; & citatus du Cangius in deſcriptione Ædis Sophianæ *ad calcem Cinnami n. 38.* ex Niceta, aliiſque probat VIII. Synodum non in Eccleſia, ſed in Catechumeniis coactam. Catechumenia vero, ut liquet ex Leone *nov. 73.* aliiſque quos laudat idem du Cangius *ib. n. 38.* erant ſolaria, ſeu porticus ſuperiores Eccleſiarum. In Vaticana porticu Synodum pariter habitam narrat Raſponus *de Patriarchio Lateranenſi l. 4. c. 4.* Ac demum in Leoniano Triclinio a Leone III. prope Lateranenſem Baſilicam conſtructo, quod

col-

collapsum ac dirutum, ne præclarum sacræ antiquitatis monumentum eruditorum hominum voluptati deesset, nos quatenus licuit, salvum esse voluimus, ac restitui mandavimus, plura Concilia celebrata, ac præsertim unum ab Eugenio IV. tradunt Nicolaus Alemannus *de Lateranensibus Parietinis pag.29.* Panvinius, aliique passim. Ceterum, quidquid sit de loco, in quo olim Synodi cogebantur, ut loquamur de hodierna praxi, distinguendum videtur inter congregationes, quæ Synodo præmitti solent, & sessiones ipsas Synodales. Congregationes haberi consueverunt in ædibus Episcopalibus, sessiones autem semper in Ecclesia: quemadmodum advertit Gavantus *in Praxi Diœcesanæ Synodi cap.4. & cap.9.* & colligitur ex Pontificali Romano, quod agens de ordine ad Synodum, cum dicat, Episcopum cappa indutum pergere ad Ecclesiam, celebrare Missam de Spiritu Sancto, & distribuere Eucharistiam Clero, pro certo jam sumit, illam in Ecclesia celebrari. Idem supponit Cæremoniale Episcoporum *l.1. cap.31.* describendo ornatum Ecclesiæ, in qua Synodus habetur. Et S. Carolus Borromæus in concione habita in sua Synodo Diœcesana XI. anno 1584. *part.7. Act. Eccl. Mediol. pag.1167.* considerans excellentiam & sanctitatem loci, ubi Synodus congregatur, hæc dixit, quæ soli Ecclesiæ aptari possunt: *Et locus ipse, quo convenimus, consideratione dignissimus est. Hic enim non est aliud, nisi aula Dei, & regia domus ejus, ac porta cæli. Hic personaliter & realiter totus Christus est præsens. Adsunt cum eo innumera sanctissimorum Angelorum & beatorum Spirituum millia. Hic repositæ sunt sacrosanctæ tot sanctissimorum hominum Reliquiæ. Hic nil, nisi Cruces, nisi Imagines. Omnia sancta sunt, omnia sanctitatem spirant, omnia timorem quemdam filialem incutiunt, dum, ubi simus, & coram quo, nobis significant.*

VI. Inter Ecclesias autem, si fieri possit, eligenda est Cathedralis, quæ arctiori vinculo Episcopo alligatur, aliarumque Ecclesiarum *mater est & caput;* quamvis, urgente aliqua *rationabili* & honesta causa, non prohibeatur Episcopus Synodum facere in alia Ecclesia, quod bene notavit Monacellus *in Formul. legal. part. 1. tit. 5. formul. 3. n. 7.* Simile est, quod dicitur de Chrismate, ac Oleis Catechumenorum, & Infirmorum, quæ licet aliquando, ac præsertim cum Episcopus abest a civitate, consecrari possint in qualibet Ecclesia; regula tamen est, ut, cum fieri potest, consecrentur in Cathedrali, juxta declarationem Congregationis sacrorum Rituum die 17. Novembris 1600. relatam a Cardinali de Aguirre *tom. 4. Concil. Hispaniæ pag. 784.*

## CAPUT SEXTUM.

*De Tempore, quo cogenda est Synodus Diœcesana.*

OLim bis in anno Concilia Provincialia celebranda fuisse, constat ex Canone 38. alias 30. ex recensione Cotelerii *tom.1. pag.447.* ex his, qui dicuntur Apostolici: *Bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur:* cui consonat Canon quintus Concilii Nicæni, ex versione Dionysii Exigui *tom. 1.* Collectionis Harduini *col. 326. Bene placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari.* Idque religiose servari jussit Leo Magnus *epist. 12. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum cap. 7.* relata a Burchardo *l. 1. cap. 43.* & a Gratiano *Can. 2. dist. 18.* inquiens: *De Conciliis autem Episcopalibus non aliud indicimus quam sancti Patres salubriter ordinarunt, ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur.* Hanc eandem disciplinam in plerisque saltem provinciis perseverasse seculo octavo patet ex Concilio Vernensi anni 755. *can.4. tom. 3.* Collectionis Harduini *col.1995.* in quo statuitur, ut provinciales Episcopi singulis annis, tum Martii, tum Octobris Kalendis, una cum Metropolitano ad Synodum conveniant; atque *ex cap. 13.* Capitularium Aquisgranensium anni 789. *tom.1. Capitularium collectorum* a Stephano Baluzio editionis Parisiensis anni 1677. *col. 218.* ubi præcipitur: *Ut provinciales Episcopi, cum suo Metropolitano, bis in anno, propter causas Ecclesiæ, Concilia celebrent.*

II. Quia porro Concilia Provincialia semper consectabantur Synodi Diœcesanæ, ut edita in illis decreta a singulis Episcopis in his promulgarentur, sicuti cautum legimus a plerisque Conciliis, & præsertim a Toletano XVI. anni 693. *cap.7. tom.3.* Collectionis Harduini *col. 1797.* & advertit Thomassinus *de veter. & nov. Eccles. disciplpart.2. l. 3. cap.73. n.1.* inde factum est, ut binæ pariter Synodi Diœcesanæ quotannis haberentur; atque hic mos ita inolevit, ut ad tempora, a nobis non omnino remota, protractus fuerit: etenim duas Diœcesanas Synodos quotannis cogendas edixere Concilium Hafniense in Dania anni 1425. *tom.* 8. Collectionis Harduini *col. 1036.* Colonienſe anni 1536. *part.14. cap.17. tom.9.* Harduini *col.2028.* & aliud Colonienſe anni 1549. *tit. de Synodor. celebrat. cap.1. ib. col. 2096.* Quinimmo, in nonnullis Diœcesibus designati erant *certi dies*, quibus prædictæ Synodi haberentur, nimirum feria tertia, & quarta illius hebdomadæ, in qua celebratur festum S. Lucæ; & feria tertia, & quarta illius hebdomadæ post Pascha, in qua cantatur Evangelium, *Ego sum Pastor bonus*; quos quidem dies, antiqua suæ Ecclesiæ statuta renovando, iterum Synodis cogendis perpetuo destinavit Hugo Episcopus Biterrensis anno 1368. cujus decretum extat *in tom.4. Thesauri novi Anecdotor. collectorum* a Martene & Durand *pag.627.* iisdemque fere diebus Synodus singulis annis habendas decrevit Raymundus Episcopus Ruthenensis, *eodem tom.4. pag.673.* Inter statuta tamen Ecclesiæ Claromontensis anni 1268. ab Harduino *tom. 7. col. 587.* primum evulgata legimus, morem illius Ecclesiæ fuisse, ut Synodus æstivalis fieret diebus Mercurii, & Jovis post festum Pentecostes; & hyemalis diebus Mercurii pariter, & Jovis proximioribus festo S. Lucæ. Quare Alteserra *in suo Tract. de Jurisdict. Ecclesiast. l.2. cap. 19.* satis appositè scripsit: *Nec semel, sed iterum in anno vocari Synodum Episcopalem, antiqui juris fuit.*

III. Verum cum in VII. Synodo statutum fuerit, ut semel in anno Concilia Provincialia fiant, quemadmodum habetur apud Gratianum *Can. 7. distinct. 18.* huic sanctioni adhærens Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi decrevit, Synodos Provinciales ab Archiepiscopo, & Diœcesanas ab Episcopo quolibet anno esse cogendas, *Cap. Sicut olim, de accusationibus.* Quamvis autem non vetuerit Innocentius, ne sæpius Diœcesana Synodus haberetur, plerisque tamen Episcopis satius visum est, se Innocentii decreto accommodare, & unam quotannis Diœcesanam Synodum indicere: & re ipsa unam singulis annis esse indicendam, decrevere Concilium Ravennatense anni 1311. *rubr. 18. tom. 7.* Collectionis Harduini *col.1368.* Palentinum anni 1322. *cap.1. ib. col.1464.* Tarraconense sub Joanne Patriarcha Alexandrino anno 1329. *cap.63.* quod extat *cit. tom.4. Thesauri nov. Anecdot. collector.* a Martene & Durand *col. 308.* Vaurense a trium provinciarum Episcopis anno 1368. celebratum *cap.6. tom. 7.* Collectionis Harduini *col.1813.* cujus verba hæc sunt: *Ad memoriam reducentes statuta Patrum, in quibus præcipitur, ut semel in anno per Episcopos Synodalia Concilia celebrentur; sacro approbante Concilio statuimus, ac in virtute sanctæ obedientiæ Suffraganeis nostri præcipimus, ut singulis annis per se, vel per idoneos viros, si ex causa necessaria fuerint impediti, dicta Synodalia Concilia habeant celebrare.*

IV.

UAB Biblioteca de Ciències Socials



IV. Sed, quoniam postea hæc disciplina relaxata fuerat, & Synodorum celebratio intermissa, idcirco plerique religionis studio permoti, Tridentinos Patres ursere, ut illam instaurarent. Inter petitiones ab Oratoribus Regis Christianissimi factas in Synodo Tridentina, atque ex Angelo Massarello ejusdem Concilii Secretario relatas *tom.* 8. *ampliss. Collectionis veterum Scriptorum, & Monumentorum editæ* a Martene, & Durand *col.* 1311. trigesima quarta & ultima hæc est: *Decernat sancta Synodus, ut non solum Synodi Episcopales quotannis semel, ut minimum, sed etiam tertio quoque anno Provinciales congregentur, in quibus de his, quæ ad statum Ecclesiasticum pertinent, diligenter tractetur, de ministrorum delictis mature cognoscatur, & in eos, qui deliquerint, severe animadvertatur.* Quibus petitionibus, antiquo jure innixis, libenter indulsit sacrum Tridentinum Concilium, districte præcipiens *sess.* 24. *c.* 2. *de reform.* ut a singulis Metropolitanis quolibet triennio Synodus Provincialis, & ab unoquoque Episcopo semel in anno Diœcesana cogatur: *Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur*: contra contumaces vero huic decreto parere recusantes, pœnas a sacris Canonibus jamdiu sancitas renovat, iterumque infligit: *Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi, & alii suprascripti negligentes fuerint, pœnas sacris Canonibus sancitas incurrant.* Et sacra Congregatio, ejusdem Concilii Tridentini interpres, ad præcavendas, & amputandas quascumque Episcoporum inanes excusationes, uti refert Fagnanus *in Cap. Sicut olim, n.* 10. *&* 11. *de accusat.* alias respondit, ut, si Episcopi impediantur a Synodo quolibet anno per semetipsos celebranda, possint eam celebrare per suum Vicarium Generalem, instructum speciali mandato, quod ad hunc actum esse necessarium, infra dicetur. Neque enim celebratio Synodi ad illa munera pertinet, quæ ab ipsomet Episcopo necessario expleri debent: etenim, uti ratiocinatur laudatus Fagnanus, cum Tridentinum loquatur *impersonaliter*, dicendo: *Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur*: non exigit veluti absolute necessariam præsentiam Episcopi, nec prohibet, ne alterius opera ad Synodum cogendam utatur. Ad hæc, in eodem capite loquens Tridentinum de Synodo Provinciali, expresse decernit, ut, Metropolitano legitime impedito, illam cogat *Coepiscopus antiquior*; ac propterea, cum oppositum non statuat de Diœcesana, non obscure insinuat, etiam hanc posse per alium celebrari. Ita pariter longe ante Tridentinum senserat citatus Joannes Patriarcha Alexandrinus in allegato Concilio Provinciali Tarraconensi, in quo præcipit quidem, Synodum quotannis a suis Suffraganeis fieri, sed simul aperte permittit, ut, cum aliquo detinentur impedimento, illam per alios cogant: *Sacro approbante Concilio, statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ Suffraganeis nostris præcipimus, ut singulis annis per se, vel per idoneos viros, si ex causa necessaria fuerint præpediti, dicta Concilia Synodalia habeant celebrare*: idemque ac fere iisdem verbis decreverat nuper relatum Concilium Vaurense.

V. Verum, præfatum præceptum Synodum quotannis celebrandi, a sacris Canonibus toties impositum, & repetitum, atque a sacro Concilio Tridentino denuo restauratum, nimium benigne moderantur aliquot Jurisperiti. Monacellus *in Formulario legali practico tit.* 5. *formul.* 3. *n.* 1. *t.* 1. opinatur, Episcopum primo, & secundo anno a suscepto suæ Ecclesiæ regimine, debere diœcesim perlustrare, ut serpentia in ea mala inspiciat, ac tertio anno Synodum cogere, in qua illis coercendis opportuna apponat repagula. Pax Jordanus *t.* 2. *l.* 8. *tit.* 2. *n.* 41. non dubitavit generatim, & absque ulla limitatione asserere, satis esse, ut quolibet triennio Diœcesana Synodus habeatur. Episcopus Braschius *in suo Promptuario Synodali c.* 1. *n.* 21. *& pluribus seq.* existimat, non posse quoad hoc præscribi certam, absolutam, & universalem regulam, ab omnibus ubique custodiendam; quia, ait, in aliquibus diœcesibus necessaria erit crebrior Synodorum coactio, in aliis minus frequens sufficiet. Nos vero, quamquam non negemus, potuisse Tridentini decretum contraria consuetudine nonnihil emolliri & temperari, non idcirco tamen approbamus effrænem istam licentiam, quam privati Doctores sibi usurpant, illud pro libito, etiam contra expressa ejusdem verba, interpretandi, & limitandi: neque illos excusamus Episcopos, qui, cum nihil sit, quod eos impediat, ex sola socordia & negligentia Synodum facere prætermittunt: eosque magis redarguimus, qui cum plures annos diœcesim gubernaverint, ne de cogenda quidem Synodo unquam cogitarunt; hi enim, ceterique, qui ex mera incuria & inertia præfato Tridentini præcepto non parent, & sine ulla causa Synodum facere omittunt, meminisse deberent, se, præter reatum inobedientiæ, pœnam incurrere suspensionis ab officio statutam *in Cap. Sicut olim, de accusat. Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, a sui executione officii suspendatur*: licet pœna hujusmodi, ut ipsa indicat vox *suspendatur*, non sit latæ, sed ferendæ sententiæ, quod *in eodem Cap. Sicut olim*, adnotarunt Ostiensis *in fine*, Joannes Andreas *n.* 7. Fagnanus *n.* 105. *& seq.* referens etiam resolutiones sacræ Congregationis Concilii, Thomassin. *de vet. & nov. Eccles. discipl. par.* 2. *l.* 3. *c.* 75. *n.* 10. Neque audiendi sunt, qui, ad propriam obtegendam ignaviam, se consulto, & prudenter abstinere dictitant a Synodi coactione, ne novarum Constitutionum in dies accessione, commissæ sibi diœcesis status perturbetur. Nam in primis necesse non est, ut novæ Constitutiones in Synodo edantur, sed quandoque expedit solam urgere executionem illarum, quæ jam sancitæ fuerunt: qua in re exemplum nobis præbuit supra laudatus Augustinus Valerius celeberrimus Episcopus Veronensis, qui in citato libello ad Clerum suum testatur, se obtemperasse Concilio Tridentino, Synodum quotannis celebrando; in qualibet Synodo sermonem habuisse ad Clerum de Ecclesiastica disciplina, singulos hortando, ut ad hujus exactam normam suos mores componerent; sed nullum in Synodo edidisse decretum; quod tamen, addit, nonnullis displicuisse Sacerdotibus; & propterea libellum scripsit, in quo factum excusat, & salubria monita tradit, loco Constitutionum, quas in Synodis non fecerat: *Cur autem* (inquit) *cum singulis annis, ex quo ipse Episcopus sum factus, Synodus sit celebrata, & a nobis sint habiti longi sermones, ad me ipsum, & ad vos excitandos, nullam Constitutionem nomine meo ediderim, cum ad aures meas pervenerit, esse nonnullos bonos Sacerdotes, qui hoc meum consilium non satis probent, illis hujus facti rationem reddendam judicavi, &c.* Deinde difficile videtur, hoc tempore, quo Ecclesiastica disciplina quotidie consenescit, & labefactatur, aliquam inveniri diœcesim, cui opus non sit ulla nova Constitutione, qua saltem antiquæ leges corroborentur, & quæ morum corruptela pene obsoleverunt, revirescant.

# DE SYNODO DIOECESANA

## LIBER SECUNDUS.

### DE HIS, QUI SYNODUM DIOECESANAM COGERE POSSUNT.

### CAPUT PRIMUM.

*An Romanus Pontifex cogere poſſit Synodum Diœceſanam.*

ROmanus Pontifex, qui, ut totidem verbis ad Leonem III. ſcribebat olim Theodorus Studita *ep. 34. l. 1.* ex recenſione Sirmondi *tom. 5. var.* eſt omnium capitum Caput, atque univerſæ, quæ ſub cælo eſt, Chriſti Eccleſiæ Princeps, Moderator, & Paſtor; eſt etiam Patriarcha Occidentis, Primas Italiæ, Archiepiſcopus, & Metropolitanus Romanæ provinciæ, atque Epiſcopus urbis Romæ; quod ſcite conſiderant Sirmondus *Operum t. 4. de ſuburbicariis regionibus, & Eccleſiis, Propemptici l. 2. c. 10. & in Cenſura Diſſertationis ſecundæ c. 5.* Morinus *exercit. Eccleſ. l. 1. exercit. 6. & exercit. 13.* Leo Allatius *de conſenſ. Eccleſ. Occident. l. 1. c. 8.* Hallier *de ſacris Ordinat. 3. part. c. 4. ſect. 5. art. 3.* Natalis Alexander *hiſtor. Eccleſ. ad ſeculum IV. diſſert. 20. propoſit. 2.* & paſſim alii. Porro Epiſcopatus Romanus, ac totius Catholicæ Eccleſiæ præfectura, in præſenti rerum ordine non ſunt duæ diſtinctæ Sedes, neque duæ Dignitates, quæ fortuito in una copulentur Romani Pontificis perſona, quamvis, ſecundum ſe ſpectatæ, tales eſſe potuerint: nam Petrus univerſalis Eccleſiæ Paſtor a Chriſto Domino renuntiatus potuiſſet utique, ea ſuprema totius Eccleſiæ præfectura retenta, nullius particularis Eccleſiæ regimen capeſſere, ſicuti re ipſa nullius ſpecialem adminiſtrationem ſuſcepit primis aliquot a Chriſti Domini in cælum Aſcenſione annis; potuiſſet Antiochenam Eccleſiam, quam deinde elegit, pluresque annos Epiſcopus gubernavit, perpetuo retinere; potuiſſet denique Eccleſiam Romanam, ad quam poſtmodum ſuam tranſtulit Sedem, relinquere, alio ſe conferre, & alterius urbis peculiarem curam, ſeu Epiſcopatum aſſumere. At, cum hæc, quæ fieri potuerunt, minime facta ſint; ſed Petrus ſuam Sedem Romæ fixerit, per annos viginti quinque firmiter retinuerit, & in ea martyrio coronatus glorioſe obierit, ſive id evenerit ex Divino præcepto, ſeu expreſſa revelatione ipſi Petro ſpecialiter a Deo facta, ſive ex ſola voluntate Petri, licet divinitus inſpirata: inde factum eſt, ut ſupremi Pontificatus prærogativa ita inſita remanſerit Romanæ Sedi, ut qui in hac Petro ſuccedit, neceſſario ſuccedat in totius Eccleſiæ Primatu Petro, ejuſque legitimis Succeſſoribus a Chriſto collato, quemadmodum bene explicant Cardinalis Bellarminus *Controverſ. tom. 1. de Romano Pontifice l. 2. c. 12.* Suarez *in defenſione Fidei adv. Anglicanæ ſectæ error. l. 1. c. 5. n. 4. & l. 3. c. 13. n. 12.* Petrus de Marca *in diſſert. 1. de ſingulari Primatu Petri n. 20.* Marcus Antonius Capellus *in diſput. 2. de ſucceſſione Epiſcopi Romani in Pontificat. c. 1.* Quamvis itaque poſſit in aliquo ſenſu dici, ſupremam Eccleſiæ monarchiam, jure tantum humano, eſſe annexam Sedi Romanæ, quia nimirum utriuſque unio, nexus, & alligatio ortum habuit ex facto Petri; attamen non videtur poſſe ſuſtineri illorum opinio, qui aſſeruerunt, præfatam annexionem ita eſſe de jure humano, ut poſſit ab Eccleſia diſſolvi, & una ab altera ſeparari: etenim poſito, quod Petrus ſuam Sedem ſtabiliter Romæ collocaverit, & Romanam regens Eccleſiam obierit, nullus, qui Epiſcopus Romanus non ſit, poteſt dici verus Petri Succeſſor, ac propterea nunquam ad eum referri poſſunt verba Chriſti Domini *Paſce oves meas Joan. 21.* quibus univerſalis Eccleſiæ curam Petro, ejuſque Succeſſoribus commiſit. Quare jure ac merito ejuſmodi paucorum opinionem refellunt, & cenſura perſtringunt Melchior Canus *de Locis Theologicis l. 6. c. 4.* Gregorius de Valentia *in Analyſi Fidei Catholicæ l. 7. c. 12.* aliique non pauci Theologi. Non inde tamen, quod Romanus Pontifex inſitam ſibi habeat dignitatem & prærogativam ſupremi Capitis totius Eccleſiæ, conſequitur, omnia, quæ ab eo fiunt, fieri tanquam ab Eccleſiæ Capite: ſiquidem aliquando operari poteſt, & re ipſa operatur, non tanquam Chriſti Vicarius, ſed tanquam Patriarcha Occidentis, illa duntaxat jura exercendo, quæ ceteris Patriarchis competunt, aliquando ſolum gerit perſonam vel Primatis Italiæ, vel Metropolitæ Roma-

UAB Biblioteca de Ciències Socials



Romanæ provinciæ; quandoque ſe tantum exhibet Epiſcopum urbis Romæ, ea unice peragendo, quæ cuilibet Epiſcopo in ſua diœceſi peragendi jus eſt; aliquando demum ſuam ſupremam explicat dignitatem, & tanquam totius Eccleſiæ Præſes, Moderator, & Princeps, illam exercet poteſtatem & juriſdictionem, qua nonniſi ut Chriſti in terris Vicarius potitur. Quæ omnia optime & ad rem perpendit Allatius *de perpetua conſenſione Eccleſiæ Occidentalis, atque Orientalis, l. 1. cap.* 8. ubi hæc habet: *Communia ergo omnia habet ſummus Pontifex cum Epiſcopis ut Epiſcopus, cum Patriarchis ut Patriarcha, nec plus ipſi in eos facultatis eſt, quam cuicumque Epiſcopo in Epiſcopos, & Patriarchæ in Patriarchas. Uti tamen Chriſti Vicarius, & Poteſtas Apoſtolica a Chriſto inſtituta eſt, ſummus Pontifex non tantum Epiſcopis & Patriarchis dignior eſt, ſed & in Epiſcopos, & Patriarchas auctoritatem habet, eos confirmans & promovens, &, ſi quando opus eſt, deponens, & quod magis eſt, de novo, ſi placuerit, inſtituens, & ſupprimens inſtitutos.*

II. Neque, quod quis pro loco & tempore diverſas induat perſonas, & modo una, modo altera ex iis utatur poteſtatibus, quibus diverſo nomine præſtat, res eſt adeo nova & inuſitata, ut ab heterodoxis irrideri queat: etenim Agamemnon (exemplum eſt adhibitum a Cardinali Petronio *in Replicatione ad Regem Angliæ l. 1. cap.* 33.) Rex erat inter Græcos, auctoritatem habens ſupra ſui regni milites, æqualem illi, quam quilibet ex aliis Græciæ Regibus, inter ſe, & cum eo confœderatis, obtinebat ſupra ſuos; ſed præterea Agamemnon erat ſupremus & univerſalis Dux omnium copiarum confœderatarum, & idcirco non tanquam Rex, ſed tanquam Dux imperabat univerſo exercitui, ac Regibus ipſis. Non abſimile eſt exemplum, quod deducit Sirmondus *in cit. Propempt. l. 2. cap.* 10. *col.* 237. a Rege Galliæ, in cujus poteſtatem cum nunc redactæ ſint plures provinciæ, quas olim Duces, aut Comites ſub Regibus poſſidebant, eas ille nunc moderatur & tanquam Rex, & tanquam Dux, aut Comes; ſed, etſi idem Princeps utramque perſonam, Ducis nimirum, ſeu Comitis, & Regis ſuſtineat, alia tamen Ducis, Comitiſve jure imperat, alia Regis. Aliud etiam, & magis obvium exemplum affert idem Sirmondus *in cit. Cenſura cap.* 8. *col.* 47. Imperatoris videlicet exercitus, qui peculiarem pariter cohortis cujuſpiam, vel alæ præfecturam gerat. Atque utrobique concludit Sirmondus, quod, cum Romanus Antiſtes omnes Epiſcoporum gradus & titulos complectatur, & in eo omnium inferiorum jura ſimul ſocientur, optime poſſit modo unum, modo alterum ex his juribus explicare, & quædam gerere in una Urbis parochia, veluti Urbis Epiſcopus; quædam in Romana provincia, uti Metropolitanus; aliqua in tota Italia, tanquam Primas; aliqua in Occidente, veluti Patriarcha; aliqua in univerſa Eccleſia, ut Papa, & ſummus Pontifex.

III. Quibus præmiſſis, nemo dubitare poteſt, quin Romanus Pontifex, veluti urbis Romæ Epiſcopus, poſſit ſuam Diœceſanam Synodum cogere, ſine ulla ſupremæ ſuæ dignitatis imminutione. An autem unquam illam cogerit, reſtat inveſtigandum, atque idem inquirendum de Conciliis Provincialibus.

## CAPUT SECUNDUM.

*Jus Romani Pontificis congregandi Synodum, tam Provincialem quam Diœceſanam, explicatur & confirmatur.*

CUm Romanus Pontifex in ſua provincia, cujus eſt Archiepiſcopus & Metropolitanus, omnia jura habeat, quæ ceteris Metropolitanis ſunt communia, poterit profecto ejuſdem provinciæ Epiſcopos ad Concilium convocare. Neque ab hoc convocando, ex eo impediri valet, quod nonnulli opponunt, Romanæ nimirum provinciæ limites eſſe ita incertos, ut impoſſibile ſit dignoſcere, quinam Epiſcopi ſint ad Provinciale Concilium convocandi. Quantum enim, qui hæc jactitant, a veritate aberrent, ex ſequentibus palam fiet.

II. Jacobus Gothofredus anno 1618. Francofurti edidit, abſque Auctoris nomine, librum inſcriptum: *De ſuburbicariis regionibus, & Eccleſiis, ſeu de Præfecturæ, & Epiſcopi urbis Romæ diœceſi conjectura:* in quo totis viribus probare conatus eſt, diœceſim Papæ, uti Metropolitæ, & Epiſcopi Romani (hæc enim duo, ut obſervavit mox citandus Sirmondus, Gothofredus confundit) non extendi ultra centeſimum ab Urbe lapidem; quo fere modo Præfecti Urbis juriſdictio intra dictos fines continebatur, juxta Textum *in l. 1. ff. de officio Præfecti Urbis.* Huic libro alios poſtea addidit in idem argumentum cum Gothofredus ipſe, tum qui in ejus ſubſidium quaſi ſuccenturiatus advenit, Claudius Salmaſius, qui Heidelbergæ in Juriſprudentiæ ſchola Dionyſium Gothofredum, Jacobi patrem, magiſtrum habuerat. Ex eo tempore hæc de ſuburbicariis Eccleſiis quæſtio celeberrima facta eſt, de qua Hieronymus Aleander junior *in l. de ſuburbicar. region. & diœc. Epiſc. Roman.* Marcus Antonius Capellus *in diſput. de ſummo Pontificatu, & region. ſuburbicar. cap.* 5. Jacobus Gutherius *in ſpecula de Eccleſ. ſuburbicar.* Joannes Dartis *in Opuſc. de ſuburbicar. Eccleſ.* Joannes Morinus *diſſert. Eccleſ. l. 1. diſſert.* 30. de Marca *de Concord. Sacerd. & Imper. l. 1. cap.* 3. Henricus Valeſius *in obſervat. ad Socrat. & Sozom.* Chriſtianus Lupus *in not. ad* VI. *Canon. Nicænum*, Leo Allatius *de Eccleſ. Occid. & Orient. perpet. conſenſ. l. 1. cap.* 2. §. 4. Schelſtrat. *Antiquit. Eccleſ. tom. 2. diſſert. 6. cap.* 1. Pagius *ad ann.* 325. atque ante hos omnes plura in hanc rem diſputaverit Cardinalis Perronius *in Replicatione contra Jacobum I. Angliæ Regem l. 1. cap.* 33. ſed præ ceteris hanc quæſtionem egregie verſavit, & Gothofredo & Salmaſio ſe ſtrenue oppoſuit Jacobus Sirmondus, a quo primum contra Gothofredum edita eſt *Cenſura conjecturæ anonymi Scriptoris de ſuburbicariis regionibus & Eccleſiis*; deinde adverſum eundem ac Salmaſium, qui Pariſios cogitabat, evulgata *Adventoria Cauſidico Divionenſi adverſus Amici ad Amicum epiſtolam, de ſuburbicariis regionibus, & Eccleſiis, cum cenſura vindiciarum conjecturæ alterius Anonymi*; denique libellus exaratus, quem inſcripſit *Propempticum*. His in libris Sirmondus demonſtrat, vana eſſe commenta, quæ de ſuburbicariarum regionum etymo ac notione, deque earundem numero & ſitu adverſarii jactitant; nequaquam illas ſic vocatas oſtendens, quod ſuburbanæ forent, aut quod intra centeſimum ab Urbe lapidem conſiſterent, ſed quia ſuberant Urbico Magiſtratui, ſeu Urbis Vicario, non autem Præfecto, cujus poteſtas non excedebat territorii fines, & angulſioribus etiam, quam centeſimi, terminis claudebantur. Quin immo Emmanuel a Schelſtrate *loc. cit.* Pagius *ad ann.* 325. *n.* 34. Carolus a S. Paulo *in ſua Geographia ſacra*, aliique paſſim, conſiderantes VI. Canonem Nicænum, ſeu verius explicationem, quam ei adjecit Rufinus, quæ huic controverſiæ potiſſimam occaſionem præbuit; ubi enim Canon Nicænus habet: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim; ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt:* legit Rufinus: *ut apud Alexandriam, & in urbe Romæ vetuſta conſuetudo ſervetur, ut ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat*: hæc, inquam, conſiderantes, non immerito exiſtimant, nomine *ſuburbicariarum Eccleſiarum*,

quarum ſpecialem ſolicitudinem habet Romanus Pontifex, non ſolum intelligi provinciam Romanam, ſed omnes comprehendi Occidentis regiones, quæ Romano Pontifici, tanquam Patriarchæ, parebant: ſiquidem Concilium Nicænum, & Rufinum, non de Metropolitico, ſed de Patriarchico jure loqui, ex contextu liquet; atque exinde conficitur, ſuburbicarias regiones, de quibus Rufinus, non ſolum intra centeſimum ab Urbe lapidem non eſſe concluſas, ſed ad univerſum porrigi Occidentem. Præterea, cum Gothofredus & Salmaſius principii loco ſtatuerint, quod Eccleſiæ, & diœceſes perpetuo & conſtanter civilium Magiſtratuum formam ſint imitatæ, atque inde intulerint, Romani Antiſtitis diœceſim non fuiſſe extenſam ultra fines Romanæ Præfecturæ, illud falſum eſſe probavit Sirmondus, & poſt Sirmondum, inter ceteros eximie demonſtravit Benedictus Bacchinius *in diſſert. de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ originibus*: cum enim alia ſit rerum ſecularium ratio, alia Divinarum, ſicuti ad Marcianum Auguſtum ſcripſit Leo Magnus *epiſt.*78. *al.* 54. *cap.*3. Romanus Antiſtes, fretus poteſtate ſibi a Chriſto Domino tradita, & ante, & poſt inſtitutam Urbanam Præfecturam, ſuam juriſdictionem libere exercuit, nulla illius habita ratione; quod etiam bene perpendit Leo Allatius *cit. l.* 1. *cap.*2. Atque ita ei dimicationi cum Salmaſio, & Gothofredo finis eſt impoſitus, *ut jam nemo ſit inter Eruditos*, inquit laudatus Valeſius, *qui non Sirmondi ſententiam ambabus, quod ajunt, ulnis amplectatur*.

III. Verum, licet Romana provincia non fuerit unquam adeo angustis limitibus coarctata, ſicuti Gothofredus, & Salmaſius contenderunt, non tamen iiſdem ſemper terminis eſt definita, ſed ejus amplitudo modo major, modo minor extitit. Et primo quidem, quidquid ſit de tribus prioribus ſeculis, quibus nullum in Italia, ſive etiam in Occidente, fuiſſe Metropolitanum, præter Romanum, opinantur citatus Bacchinius *part.* 2. *n.* 10. & Rubeus *in Monum. Eccleſ. Aquilej. cap.*19. certum eſſe videtur, quod ſeculo IV. ex ſeptendecim Italiæ *regionibus*, ſaltem decem ſubeſſent Metropolitico *jure* Romani Pontificis, & aliæ ſeptem Archiepiſcopo Mediolanenſi parerent; quin immo, ſi fides habenda ſit Joſepho Cantelio *in Metropolitanarum urbium hiſt. civil. & Eccleſiaſt. part.* 2. *diſſert.* 6. *cap.*4. Romana provincia duodecim Italiæ regiones per id tempus complectebatur. Cum autem dignitatem Metropolitanam aſſecutæ ſunt Aquilejenſis, & Ravennatenſis Eccleſiæ, quod primæ in fine ejuſdem ſeculi IV. alteri ſeculo V. contigiſſe, iidem Bacchinius, & Rubeus exiſtimant, alia ſucceſſit Italiæ regionum diviſio. Aquilejenſi aſſignatæ ſunt Venetiæ, & Iſtria: Ravennatenſi Flaminia, & Æmilia: ceteris ſubjectis, ut antea, permanentibus aut Mediolanenſi, aut Romano Metropolitæ, quemadmodum probat Carolus a S. Paulo *in cit. Geographia ſacra*. Labente ſeculo XI. Urbanus II. erecta Piſana ſede in Metropolim, Romanæ provinciæ amplitudinem, jam multum imminutam, arctioribus adhuc limitibus conſtrinxit. Quare Innocentius III. qui in ſeculi inſequentis fine Romanam Sedem adeptus eſt *in Cap. Sua nobis, de offic. Vicarii*, Romanam Provinciam inter Capuanam, & Piſanam, ſitam dixit. In antiquo codice Vaticano a Baronio prolato *ad ann.* 1057. cui ſimilem Carolus a S. Paulo ſe reperiſſe teſtatur in bibliotheca Thuanea, deſcribitur provincia Romana, intra quam, præter ſeptem Epiſcopos Cardinales, dictos *Collaterales*, quia Pontifici in Urbe ſemper aſtant, numerantur Epiſcopi amplius ſexaginta, qui Suffraganei erant Romani Pontificis, nulli alii Archiepiſcopo ſubjecti; atque in hoc albo locum habent Lunenſis, & Ariminenſis, quorum Sedes, ut ceteras omittamus, ducentis fere paſſuum millibus Roma diſtant. Sed aliæ poſtmodum ſecutæ ſunt diſtractiones Romanæ provinciæ. Martinus V. Florentinam, Pius II. Senenſem, Pius IV. Urbinatenſem, Gregorius XIII. Bononienſem, Sixtus V. Firmanam Eccleſias in Metropoles erexere. Quocirca Romana provincia, etſi etiam hodie juxta laudatam Decretalem Innocentii III. ſita dicatur inter Piſanam, & Capuanam, non tamen abſolute conflatur ex omnibus omnino Epiſcopis intra utramque exiſtentibus, ſed ex illis duntaxat conſtituitur, qui & exiſtunt inter Capuanæ, & Piſanæ provinciæ limites, & nulli Archiepiſcopo ſubjecti ſunt: ac proinde, cum Concilium Tridentinum *ſeſſ.*24. *cap. de reform.* decreviſſet, ut *Epiſcopi, qui nulli Archiepiſcopo ſubjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum aliis intereſſe debeant*; ſacra Congregatio, ejuſdem Concilii interpres, die ultima Julii 1585. declaravit, ſub hoc decreto non comprehendi Epiſcopos provinciæ Romanæ, quoniam iſti immediate ſubjiciuntur Papæ, tanquam eorum Archiepiſcopo & Metropolitano. Idemque iterum ſtatutum fuit in Congregatione habita coram ſan. mem. Benedicto XIII. die 28. Martii 1725. Aut enim ejuſmodi Epiſcopi, qui Eccleſias regunt, inter provinciam Capuanam, & Piſanam, fuerunt auctoritate Papæ divulſi a provincia Romana, & adſcripti inter Suffraganeos alicujus Archiepiſcopi; & tunc, ſine ulla dubitatione, hujus Provinciali Concilio intereſſe debent: aut adhuc perſeverant ſoluti a cujuslibet Archiepiſcopi juriſdictione & imperio; & tunc cenſentur Suffraganei Papæ, ejuſque Metropolitico juri immediate ſubduntur.

IV. Quæ hactenus diximus, perſpicuos & manifeſtos reddunt, ſi non antiquos, ſaltem recentiores fines Romanæ provinciæ, & deſignant ac indigitant quodammodo Epiſcopos Suffraganeos ſummi Pontificis, quem propterea nemo poterit remorari a Synodo Provinciali, quando ei libuerit, celebranda, ſub hoc frivolo prætextu, quod certo definiri nequeat, quinam Epiſcopi ſint ad eam convocandi.

V. Examinandum nunc ſupereſt, an Romanus Pontifex, ſolam gerens perſonam Archiepiſcopi & Metropolitæ, Concilium mere Provinciale unquam coegerit. Plerique Eruditi opinantur, ex Romanis Conciliis, quorum, præter quinque Lateranenſia Generalia, numerantur novem ſupra centum, nullum omnino fuiſſe mere Provinciale, ob admixtionem ſcilicet, & interventum aliorum Epiſcoporum, qui ad Romanam provinciam non pertinebant. Alii ex adverſo arbitrantur, aliqua ex illis inter vere Provincialia eſſe recenſenda; nam, etſi iiſdem nonnulli adfuerint exteri Epiſcopi, adeo tamen exiguus fuit iſtorum numerus, ut credere fas ſit, eos non acceſſiſſe vocatos, ſed cum fortuito Romæ reperirentur, honoris cauſa fuiſſe ad Concilium admiſſos. Ejuſmodi, inter cetera, fuiſſe Concilium illud Romanum, a Bonifacio IV. circa annum 610. coactum, cui interfuit Mellitus Epiſcopus Londinenſis, diſcimus ex Beda *l.*2. *cap.*4. apud Spelmannum *Concil. Britan. tom.* 1. *pag.*129. hæc narrante: *His temporibus venit Mellitus Londoniæ Epiſcopus Romam, de neceſſariis Eccleſiæ Anglorum cauſis, cum Apoſtolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cum idem Papa reverendiſſimus cogeret Synodum Epiſcoporum Italiæ, de vita Monachorum, & quiete ordinaturus, & ipſe Mellitus inter eos aſſedit*. Nec diſſimile fuiſſe credimus Concilium in Baſilica S. Petri a Gregorio II. anno 721. celebratum, in cujus Actis ſubſcripti apparent viginti duo Epiſcopi, quorum duo tantum, aut tres non erant de provincia Romana.

VI. Verum, quidquid ſit de aliis, indubitatum eſt, vere proprie & ſtricte Provinciale fuiſſe Concilium a ſan. mem. Benedicto XIII. habitum in Baſilica Lateranenſi anno 1725. cui nos interfuimus, uti Doctor in Decretis, ſeu Canoniſta: in illius quippe indictio-

dictione Pontifex decretum commemorat Concilii Tridentini de Synodis Provincialibus, a ſingulis Metropolitanis quolibet triennio cogendis; additque, ſe huic decreto obtemperaſſe, pluresque Synodos Provinciales habuiſſe, quamdiu in ſua Metropolitana Eccleſia Beneventana reſederat; & ad ſupremum Pontificatum evectum, velle hanc Epiſcopalis muneris partem obire, ut primæ Sedis exemplo, cunctis Eccleſiæ Paſtoribus, quid ab ipſis agendum foret, proponeret. Accedit, ad illud duntaxat vocatos fuiſſe Epiſcopos, in ſpeciali Romana provincia conſtitutos, videlicet inter Capuanam provinciam, & Piſanam, Archiepiſcopos Suffraganeis carentes, Epiſcopos Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectos, & Abbates nullius diœceſis, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, qui alias ſibi Metropolitanum, cujus Provinciali Concilio intereſſent, ad formam *Tridentini*, non elegerunt; ac ſingulis denuntiatum fuit, ut ad Concilium accederent, ſuarum Eccleſiarum neceſſitates propoſituri. Hæc autem omnia, quæ totidem verbis leguntur in litteris indictionis Concilii, aperte conficiunt, Concilium, de quo eſt ſermo, eſſe Provincialibus accenſendum. Et, quamvis, præter Epiſcopos, adfuerint etiam S. R. E. Cardinales, quorum interventus dubitationem nonnullis injecit, ne idcirco Provinciale dici non poſſet; rectius tamen aliis viſum eſt, non propterea eſſe delendum e Provincialium albo: Cardinales ſiquidem admiſſi fuerunt, veluti Capitulum Papæ, atque ut eorum præſentia auguſtior redderetur conſeſſus, & Pontificia majeſtas conſueto comitatu emineret. In hac ſententia fuerunt ſacræ Urbis Congregationes, quæ excitatis controverſiis quoad obligationem ſervandi præfati Concilii decreta, ſemper reſponderunt, hæc extra Romanam provinciam vires non obtinere; quod utique non dixiſſent, ſi illud non reputaſſent mere Provinciale.

VII. Sed, & an aliquando Synodus Diœceſana ſit a Romano Pontifice coacta, altera quæſtio eſt, quæ tamen paucis abſolvitur. Antiquis Eccleſiæ temporibus conſueviſſe ſummos Pontifices Romanum Clerum coram ſe congregare, ut omnium conſilio audito, de re aliqua gravi deliberarent, ex iis liquet, quæ *l. 1. cap. 1. n. 3.* enarravimus: ita enim ſe geſſiſſe legimus Cornelium Papam in cauſa Maximi, Urbani, & Sidonii; atque Siricium in cauſa Joviniani, & ſociorum, ſicuti *ibidem*, & *n. 6.* ex utriuſque Pontificis epiſtolis retulimus. In Synodum pariter conveniſſe univerſum Romanum Clerum, ut reſponderet S. Cypriano, a quo vacante Romana Sede per obitum Fabiani Papæ, veluti primæ Sedis Clerus, monitus fuerat de inſolentia lapſorum, qui nulla licet functi pœnitentia, & veniam, & communionem audacter expoſcebant, ipſemet Clerus teſtatur ſuis ad eundem Cyprianum epiſtolis, quæ inter epiſtolas Cypriani ſunt 30. & 31. quamvis, ut vera fateamur, ea Synodus non poſſit dici mere Diœceſana, quoniam ab ipſomet Romano Clero plures Epiſcopi fuerunt ad eam arceſſiti, uti in ſecunda ex præfatis epiſtolis narratur. Poſteriori Eccleſiæ ævo, ſeu in tabulis Eccleſiaſticis mediæ ætatis, vix ulla occurrit mentio habiti cœtus omnium Clericorum ſolius Romanæ Eccleſiæ; quod fortaſſe vel ideo evenit, quia frequentius tunc Romæ fieri cœperunt Concilia Epiſcoporum, in quibus ſummi Pontifices etiam ſpecialia Romanæ diœceſis negotia tractare & expedire poterant; vel quia nimium aucto Romani Cleri numero, iidem Pontifices ſatius duxerunt ſolos Cardinales ad conſilium adhibere. Illud certo affirmare poſſumus, poſtremis hiſce temporibus nullam inveniri Synodum Diœceſanam a Romanis Pontificibus coram ſe coactam. Utrum autem illam coegerint opera ſui in Urbe Vicarii, mox inquiremus.

## CAPUT TERTIUM.

*De Cardinali urbis Vicario.*

NOn eſt hic ſermo de Cardinali Vicario, qui Pontificis vices in Urbe gerat cum ampliſſima juriſdictione & poteſtate tum quoad ſecularia, tum quoad Eccleſiaſtica; quales fuerunt, quos iidem Pontifices, cum Avenione reſiderent, Romanæ urbis præficiebant regimini, & qualis pariter fuit Cardinalis Innicus Avalos, quem Clemens VIII. Ferrariam ſecedens, ſui Vicarium Romæ reliquit, uti legitur in ejuſdem Clementis Conſtitutione 53. *Bullar. Rom. tom. 3.* hi ſiquidem Legati potius de latere, quam Vicarii Papæ, ſpeciem præſeferebant: neque loquimur de Cardinali Vicario, qui ita olim conſtituebatur, ut, non præſente, ſed abſente duntaxat Romano Pontifice, Epiſcopalia munia in Urbe exerceret, de quo Auctor anonymus antiquæ chronicæ Normanniæ *inter Scriptores antiquos hiſtoriæ Normannorum, editos* ab Andrea Ducheſnio *Pariſ. 1619. pag. 988.* hæc habet *ad an. 1151. Succeſſit, ei*, ſcilicet Eugenio III. *Conradus Sabinenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis in Urbe duntaxat in agendis Epiſcopalibus, dum Papa deeſt, ex antiqua conſuetudine pro dignitate loci ſui, Vicarius, qui erat natione Romanus, vir grandævus & apud Romanos auctoritate præclarus, exinde vocatus Anaſtaſius IV.* Sed agitur de Cardinali Vicario, qui eſt Ordinarius in Urbe, ibique repræſentat perſonam Papæ, non tanquam Papæ, ſed tanquam Epiſcopi Romani, cum plena juriſdictione Epiſcopali exercenda, tam abſente, quam præſente Papa, juxta ea quæ cumulantur *deciſ. 62. poſt collect. legal. Bondeni*, adnotavitque Cardinalis de Luca *de juriſdictione diſc. 34. num. 10.*

II. Hujus Cardinalis Vicarii juriſdictio Ordinaria eſt, ideoque, etiam Apoſtolica Sede vacante, in ſuo vigore perſeverat, ut recte obſervat Fagnan. *in Cap. Cum olim num. 69. de majorit. & obed.* Eadem vero protenditur quidem uſque ad quadrageſimum ab Urbe lapidem; ſicuti adnotavit Gonzalez *in Cap. Sua nobis num. 6. de offic. Vicar.* non tamen complectitur loca intra eundem circuitum exiſtentia, quæ ſint alteri ſubjecta Epiſcopo, puta Tuſculano, vel Nepeſino, uti proſequitur Anaſtaſius Germonius *de Indultis Cardinalium §. Tibi quoad vixeris n. 80. & ſeq.* Et quamvis ex Conſtitutione Alexandri VII. quam exornat Romualdus Honorante *in Praxi Secretariæ Tribunalis Cardinalis Urbis Vicarii cap. 6. not. 1.* ſex Cardinales Epiſcopi ſuburbicarii, Oſtienſis nimirum, Portuenſis, Sabinenſis, Tuſculanus, Albanenſis, & Præneſtinus, niſi proprium Epiſcopum Suffraganeum in ſua quiſque diœceſi habeat, aut ipſi in ea commorantes, Ordines per ſemetipſos conferant, ad ſolum Cardinalem Urbis Vicarium dimittere poſſint ſuos ſubditos, ſive ſacris, ſive minoribus initiandos Ordinibus; non propterea tamen Cardinalis Vicarius ullum ſibi vindicare poteſt Ordinariæ juriſdictionis exercitium in præfatis ſuburbicariis diœceſibus, quod nos poſt noſtrum ad Petri Cathedram aſcenſum declaravimus *in Conſtitutione* 115. quæ incipit *Romanæ Curiæ §. 21. noſtri Bullar. tom. 1. pag. 467.* Quamobrem, etſi juriſdictio Cardinalis Vicarii ad quadraginta ab Urbe milliaria dicatur extendi, detractis tamen finitimis diœceſibus, & ſpectato exiguo numero Eccleſiarum, hominumque extra Urbem exiſtentium, qui eidem ſubduntur, videtur potius intra unius Urbis mœnia concluſa, juxta Decretalem Innocentii III. *in cit. Cap. Sua nobis: Quoniam juriſdictio Vicarii, quem Romanus Pontifex in Urbe reliquit, non extenditur extra illam, niſi ei ſpecialiter ſit conceſſum.* Specialiter autem eſt illi conceſ-

sum, ut Fratribus Ordinis Minorum Capuccinorum, Cappellani ministerium exercentibus in Pontificiis triremibus, facultatem impertiri valeat excipiendi confessiones remigum, aliorumque in triremibus continue degentium, modo illas excipiant in ipsis triremibus, aut in portu Centumcellarum, vel in receptaculo, vulgo *Darsena*, atque in hospitio in Darsena existentes, non vero intra civitatem Centumcellarum, ad diœcesim Viterbiensem pertinentem, absque Episcopi Viterbiensis approbatione: quod totidem fere verbis decisum fuit a sacra Congregatione Concilii 18. Aprilis 1722. cui nos, eiusdem Secretarii munus tunc obeuntes, ad petitionem Episcopi Viterbiensis, hoc negotium sedulo examinandum proposuimus, sicuti videre est *in Thesaur. Resolut. tom.* 2. *pag.* 103. 147. & 158.

III. At nihilominus Cardinalis in Urbe Vicarius pluribus est instructus prærogativis, quibus aliis præstat Episcoporum Vicariis, atque inter ceteras hac etiam potitur, ut possit, pro libito, Romani Cleri Diœcesanam Synodum indicere & celebrare: quod aliis Vicariis, sine speciali Episcopi mandato, non licere, infra ostendetur. Id enim juris illi expresse concedi consueviſſe, cum a Papa in Administrum assumitur, tradit Cohell. *in Notitia Cardinalatus cap.* 55. §. *Possunt*, & decretum est in Constitutione Pauli III. 36. §. 10. *Bullar. tom.* 1. ubi ordinariis facultatibus Cardinalis in Urbe Vicarii hæc quoque accensetur: *Synodum in Romano Clero pro correctione malorum morum, & pro necessitate, juxta temporum opportunitates in Clero occurrentes, ubi, & quando libuerit, celebrandi, congregandi &c.*

IV. Licet autem ea, quam diximus, potestate raro admodum Cardinales Vicarii usi fuerint, aliqua nihilominus celebratæ ab illis Synodi Diœcesanæ exempla comperimus. In codice Casanatensis bibliothecæ *litt. G.* v. 1. quædam extant antiqua Statuta Cleri Romani, quæ condita dicuntur ab universo Clero Romano, in Ecclesia *monasterii Domnæ Rosæ* anno 1384. congregato, jussu Stephani Cardinalis Tituli Sancti Marcelli, summi Pontificis in Urbe, ejusque suburbiis & districtu Vicarii Generalis; eademque Statuta iterum examinata & approbata dicuntur anno 1392. a Joanne Abbate monasterii Sancti Pauli de Urbe, Vicario Generali Bonifacii IX. Aliæ insuper in eodem codice extant Constitutiones a Francisco de Padua Episcopo Feltrensi, Vicario Generali in spiritualibus Pii Papæ II. anno 1461. editæ, & promulgatæ in Ecclesia Sancti Eustachii, post solemniter decantatam Missam de Spiritu Sancto, & cum assensu universi Romani Cleri, ibidem synodaliter congregati. Quapropter, sive considerentur ipsæ Constitutiones, quæ morum reformationem respiciunt, sive ratio habeatur ritus, & solemnitatis, qua conditæ sunt, nihil in illis desideratur, ut in vera Synodo Diœcesana factæ dicantur.

V. Præter istas duas, nullam aliam invenimus Synodum a Cardinali in Urbe Vicario habitam. Vidimus nonnulla Statuta a Joanne Garsia Cardinali Millino Urbis Vicario, aliaque a Gaspare Cardinali Carpineo tempore Clementis XI. pariter Vicario, condita: sed, cum neque hæc, neque illa facta fuerint in Cleri congregatione, neutra Constitutionum Synodalium nomen possunt sibi usurpare.

VI. Ne vero quispiam ex tam diuturna omissione Synodi Diœcesanæ, occasionem arripiat obloquendi de Romanis Pontificibus, quasi ipsi illas contemnant Synodos, quarum coactionem Tridentinum præcepit, & utilitatem ipsimet aliis proponunt, & deprædicant; duo considerare oportet. Primum, totam fere diœcesim Romanam (ut paulo ante prænotavimus) unius Urbis mœnibus concludi: atque idcirco & Pontifex, & Cardinalis Vicarius, una veluti conversione oculorum, omnes suos diœcesis Parochos, Presbyteros, ceteroſque de Clero intueri, ac qualibet hora eorum quemlibet ad se arcessere possunt; atque his vicissim, cum opus fuerit, semper ad Pontificem, ejusve Vicarium patet aditus; quod non contingit in aliis diœcesibus, quæ plerumque ex Ecclesiis, locis, & oppidis conflantur, inter se, & a civitate, ubi Episcopus residet, longe dissitis: unde huc apposite cadit responsum, quod in re diversa dedit Innocentius I. *epist.* 25. *n.* 8. ex recensione Petri Constant *col.* 860. Decentio Episcopo Eugubino, sciscitanti, cur aliis non liceret, quod Romæ fiebat, inquiens: *De fermento, quod die Dominica per Titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ.*

VII. Alterum advertendum est, plures esse in Urbe Cardinalium Congregationes, a Sixto V. *Constitutione* 74. institutas, in quibus etiam, quæ in dies occurrunt Romæ, Ecclesiastica negotia sæpius pertractantur, atque exortæ inter Clerum controversiæ dirimuntur: ex quo efficitur, ut Synodi omissio Ecclesiasticæ Urbis disciplinæ nullum irroget damnum; quidquid enim pro reformandis populi, & Cleri moribus difficilius & tardius obtineretur a Synodo, facilius & celerius præstatur aut immediate a summo Pontifice, aut a Cardinalium Congregationibus.

VIII. Eadem est ratio, cur intermissi tunc fuerint frequentes illi Episcoporum conventus, qui olim Romæ habebantur: ad hos quippe potissimum vocabantur Episcopi Italiæ, quorum consilio & opera summi Pontifices in gravioribus Ecclesiæ negotiis definiendis utebantur; at, postquam in illorum locum suffecti sunt Cardinales, quos Romani Pontifices in proprios & stabiles consiliarios sibi specialiter adsciverunt, superfluum visum est, tam sæpe Episcopos a suis Sedibus divellere, atque ad Urbem vocare. Præcipue vero, cum inter Cardinales, sex adsint Episcopi suburbicarii, quidquid a Pontifice in eorum consessu, auditoque eorundem suffragio, decernitur, non immerito videri potest, in quadam veluti Episcoporum Synodo definitum. De qua re videri possunt Cardinalis Bellarminus *Controvers. tom.* 2. *de Clericis l.* 1. *cap.* 16. Petrus de Marca *de concordia Sacerdotii, & Imperii l.* 1. *cap.* 9. *n.* 7. Schelstrat. *Antiquit. Eccles. tom.* 2. *diss.* 6. *cap.* 4. *art.* 2. *n.* 15.

## CAPUT QUARTUM.

### *De Archiepiscopo.*

QUi Metropolitanus est provinciæ, idem Episcopus est suæ civitatis; & qui Primas est diœcesis, sumpta hic diœcesi pro plurium provinciarum tractu, sicuti accipitur *in leg. unic. C. Ut omnes Judices*, idem est Metropolitanus suæ provinciæ, & suæ item civitatis Episcopus: sunt enim inter se ita gradus hi comparati, ut superior semper inferiorem complectatur, uti bene animadvertit Sirmondus *in cit. censura conjecturæ Anonymi de Eccles. suburbicar. dissert.* 2. *cap.* 5.

II. Atque hinc fit, ut qui Metropolitanus est, non solum cogere possit Synodum Provincialem cum suis Suffraganeis, ut consulat provinciæ, sed etiam Diœcesanam cum suis Presbyteris, ut suo prospiciat Episcopatui. Utque a ceteris proferendis abstineamus exemplis, adhuc extant Concilia Provincialia, & Diœcesana S. Caroli Borromæi Archiepiscopi Mediolanensis, Concilia Provincialia, & Diœcesana S. Thuribii Archiepiscopi Limani, Concilia Provincialia, & Diœcesana san. mem. Benedicti XIII. Archiepiscopi Beneventani.

III. Hæc obvia sunt, nec quidquam difficultatis habent. Unum tamen hic in quæstionem venit. Aliqui sunt in Italia Archiepiscopi, unicum habentes Suffraganeum; Theatinus videlicet, Brundusinus, Cosentinus,

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



nus, & Sipontinus. Aliqui Suffraganeis omnino carentes; Roſſanenſis nimirum, Lancianenſis, Lucenſis, & Ferrarienſis: & de his poſtremis dubitatur, an, ſi Synodum cogant, cui, præter Parochos, alioſque ſuæ diœceſis Presbyteros, interſint etiam Præpoſiti, & Abbates habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ejuſmodi Synodus dicenda ſit Diœceſana, an Provincialis.

IV. Plurimorum menti inſederat hæc olim opinio, quod Provincialis & diceretur, & eſſet. Cumque Tridentinus Epiſcopus anno 1584. morem gerens ſuperius relato decreto Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 2. de reform.* elegiſſet Archiepiſcopum Lancianenſem, cujus Provinciali Synodo intereſſet, & anno 1694. excitata fuiſſet controverſia, an præfata electio, jamdiu facta, ſuſtineretur; ſacra Congregatio Concilii cenſuit, ſuſtineri, ea potiſſimum de cauſa, quod Archiepiſcopus Lancianenſis, etſi Suffraganeis careret, habebat tamen intra ſuam provinciam Præpoſitum Atiſſæ, alioſque Abbates *Nullius*, cum quibus poterat Provinciale Concilium celebrare, quod fuſe narrat Cardinalis Petra *ad Conſtit. Apoſtol. tom. 1. n. 32. pag. 471.*

V. Sed aliter res ſe habuit, cum eadem quæſtio in Concilio Romano ſub Benedicto XIII. anno 1725. fuit inſtaurata. Archiepiſcopis Lancianenſi, & Roſſanenſi, jus ſibi aſſerentibus celebrandi verum Concilium Provinciale, quamvis Suffraganeis careant, atque ideo contendentibus, integrum eſſe Epiſcopis nulli Archiepiſcopo ſubjectis, alterum eorum eligere, cujus Provinciali adſint Concilio, ſtrenue ſe oppoſuit Franciſcus Maria Pitonius, alter ex Doctoribus in Decretis, ſeu Canoniſta Concilii, elucubrata diſſertatione oſtendens, Archiepiſcopos, nullos habentes Suffraganeos, non poſſe cum veritate & proprietate ſermonis dici abſolute Archiepiſcopos, & Metropolitanos, ſed tales duntaxat appellari cum hac reſtrictione, meri ſcilicet honoris, ſeu honorarios, & ex privilegio Apoſtolico, juxta textum *in Can. Scitote 6. q. 3.* ex quo intulit, menti Tridentini neutiquam ſatisfieri ab Epiſcopis, qui cum nulli ſubjiciantur Archiepiſcopo, præfatos Archiepiſcopos eligunt, quorum Provinciali interſint Synodo. Nulla quippe Synodus, ab his celebrata, etiam cum interventu Abbatum fruentium juriſdictione quaſi Epiſcopali, cum territorio ſeparato, erit vere Provincialis, ſed tantum Diœceſana. Hæc Pitonii ratiocinatio viſa eſt nobis ſolidis innixa fundamentis: etenim novum non eſt, ut quiſpiam, ex privilegio, exornetur titulo Archiepiſcopi, & Metropolitani, quin tamen, præter nominis atque honoris prærogativam, ullum conſequatur jus proprium veri Archiepiſcopi, & Metropolitani. Ejuſmodi privilegio Patres Nicæni donarunt Epiſcopum Æliæ, ſeu Jeroſolymæ, cui *can. 7.* juxta verſionem Dionyſii Exigui, contulerunt quoddam jus Metropoliticum, ſed meri honoris; nam, licet ille ſubjectus remaneret Epiſcopo Cæſareæ, attamen voluerunt Patres Nicæni, ut locum haberet ceteris provinciæ Epiſcopis ſuperiorem. Eadem honoris prærogativa a Concilio Chalcedonenſi inſigniti fuere Epiſcopus ejuſdem civitatis Chalcedonenſis *act. 6.* & Epiſcopus Nicænus *act. 13.* quos Metropolitanos dici voluit, *nomine tantum*, & præponendos ſtatuit ceteris Epiſcopis provinciæ, ſed *honore ſolummodo*, & *ſalva Nicomedienſium civitati* (quæ vera erat provinciæ Metropolis) *propria dignitate*. Vetuſta hæc exempla ſectantes Romani Pontifices, aliquibus Epiſcopis Archiepiſcopi nomen & inſignia tribuerunt, ſine ullo tamen veri Archiepiſcopi jure; quin immo, ne ab eorum Metropolitani quidem ſubjectione, ejuſmodi honorarios Archiepiſcopos quandoque ſubtraxerunt. Auctor Vitæ Theodorici Epiſcopi Metenſis, editæ a Leibnitio *tom. 1. Scriptor. Brunſvic. pag. 293. cap. 10.* hæc ſcribit: *Quidam Metenſium Pontificum honorati, ultra privatum Præſulum modum, plerumque a Sede Apoſtolica tale conſecuti ſunt privilegium, ſive ob ſanctitatis gratiam, ſive ob nobilitatis gloriam, ut, ſalva Metropolitani ſubjectione, Archiepiſcopi fungerentur officio & honore. Ex quibus primus fuit antiquus ille Urbicius, & multo poſt, tempore Pipini Regis, ex ſorore nepos Crodegandus, & poſt eum Angelramnus, & alter ab illo Drogo Caroli M. in primis filius.*

VI. Scimus præterea, aliquot Archiepiſcopos decoratos fuiſſe titulo Patriarchæ, quin tamen idcirco Patriarchalia jura ſint aſſequuti. Atque ut alios plures prætermittamus Metropolitas, quin immo etiam ſimplices Epiſcopos, qui ſe Patriarchas appellarunt, de quibus Cironius *Obſervat. Jur. Can. lib. 1. cap. 11.* refert Dionyſius Sammarthanus *in ſua Gallia Chriſtiana tom. 2. col. 26.* Rodulphum Archiepiſcopum Bituricenſem atque Aquitaniæ Primatem, Patriarchæ titulo cohoneſtatum fuiſſe a Nicolao I. quod etiam narrat Chriſtianus Lupus *in ſchol. & not. ad Concil. tom. 1. pag. 911. edit. Lovanien.* & conſtat ex ejuſdem Nicolai epiſtola 19. in Collectione Harduini *tom. 5. col. 342.* relata pariter a Gratiano *in Can. Conqueſtus 9. quæſt. 3.* Ejuſdem vero tituli tenaces fuiſſe Rodulphi Succeſſores, colligitur, ex epitaphio inciſo tumulo Henrici I. Archiepiſcopi Bituricenſis, qui Cardinalitia dignitate, & Apoſtolicæ Legationis munere ab Urbano III. inſignitus, obiit anno 1200. In eo ſiquidem epitaphio, teſte citato Sammarthano *eodem tom. 2. pag. 59.* legitur:

*Hic bonus Henricus, vir nobilis, & Patriarcha*
*Quondam Bituricus, tumuli jacet hujus in arca.*

VII. In Bibliotecha pariter novorum librorum edita a Labbeo *tom. 2. pag. 1.* extat Opus inſcriptum: *Patriarchium Bituricenſe:* anonymi Auctoris, quod tamen compoſitum creditur circa annum 1537. a quodam Monacho monaſterii S. Sulpitii Bituricenſis, atque in eo habetur, Franciſcum de Tournon Metropolitam Bituricenſem, & poſtea S. R. E. Cardinalem, anno 1528. Provinciali præfuiſſe Concilio, in cujus Actis habetur: *Præſidente Franciſco de Tournon, Archiepiſcopo Patriarcha Bituricenſi, Primate Aquitaniæ.* Sed quamquam Archiepiſcopi Bituricenſes Patriarchæ titulum, ab Apoſtolica Sede ſemel obtentum, conſtanter retinuerint, recte tamen exiſtimantes, eum eſſe meri honoris, nunquam Patriarchalia jura ſibi vindicare, juriſdictionemque in ceteros Primates auſi ſunt exercere, ſicuti animadvertunt Alteſerra *rerum Aquitanicarum lib. 4. cap. 4.* & du Cange *in Gloſſar. verb. Patriarchæ dicti etiam Primates.* Neque Nicolaum I. cum Rodulphum Bituricenſem appellavit Patriarcham, aliud in animo habuiſſe, niſi novo honorificentiæ vocabulo, ejuſdem Primatialem dignitatem cumulare, eo plane modo, quo, notante Chriſtiano Lupo *cit. loc.* in Concilio Chalcedonenſi omnes Metropolitæ, ad majorem honoris ſignificationem, vocati ſunt Patriarchæ, optime inferri ait Janus a Coſta *ad Decretal. Gregorii IX. pag. 176.* ex ejuſdem Nicolai reſponſis ad conſulta Bulgarorum, in quibus *cap. 92.* præter Romanum Pontificem, qui eſt Patriarcha Œcumenicus, duos tantum commemorat veros Patriarchas, videlicet Alexandrinum, atque Antiochenum (Conſtantinopolitanus, & Jeroſolymitanus nondum fuerant legitima auctoritate inter veros cooptati Patriarchas). *Deſideratis noſſe* (ſcripſit Nicolaus) *quot ſint veraciter Patriarchæ. Veraciter illi habendi ſunt Patriarchæ, qui Sedes Apoſtolicas, per ſucceſſiones Pontificum obtinent: ideſt qui illis præſunt Eccleſiis, quas Apoſtoli inſtituiſſe probantur, Romanam videlicet, & Alexandrinam, & Antiochenam.* Enimvero, ratiocinatur a Coſta, non ita ſcripſiſſet Nicolaus, ſi Archiepiſcopum Bituricenſem, cui ipſemet Patriarchæ nomen attribuerat, veris accenſuiſſet Patriarchis, veraque Patriarchalia jura eidem contuliſſet.

VIII. Similiter in Præfatione Concilii Matiſconenſis ſecundi, quod habitum fuit anno 585. Patriarchæ nomen Priſco Archiepiſcopo Lugdunenſi tributum legitur;

*Priſ-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials



*Priſcus Epiſcopus Patriarcha dixit*. Cui tamen poſtremus ejuſdem Concilii Canon non alium, quam Metropolitani titulum defert: *Et hoc adimplere ſolicitudinis ſit Metropolitani Lugdunenſis Epiſcopi*. Sed & ante id temporis apud Gothos, & Vandalos obtinuiſſe morem, ut ſuos Epiſcopos Patriarchæ nomine appellarent, teſtatur Victor Vitenſis *in Hiſtoria Perſecutionis Africanæ, ſive Vandalicæ lib. 2. tom. 8. Biblioth. Patrum pag. 680. litter. E. & pag. 683. litter. pariter E.* Ex Gothorum autem conſuetudine, Cardinalis Baronius *ad annum Chriſti* 533. *n. 36.* derivatum eſſe ait, ut in Occidente Archiepiſcopi etiam Patriarchæ titulo appellarentur: *Ex Ghotis enim ejuſmodi vocis uſus emerſit, ut Archiepiſcopi in Occidente Patriarchæ etiam dici cœperint*. Idem quoque affirmat Pater de Rubeis *in Monumentis Eccleſiæ Aquilejenſis cap. 21. n. 4.* & alii ad Orientales Metropolitas extendunt, ut Henricus Palladius *rerum Forojulienſium lib. 5. n. 77. & 78. tom. 6. part. 4. Theſauri Hiſtor. Italiæ pag. 55.* Azorius *Inſtit. Moral. part. 2. lib. 3. cap. 33.*

IX. Hæc autem rite expendentes Patres laudati Concilii Romani, Pitonii ſententiæ adhæſerunt, neque in præfatis Epiſcopis alia Metropolitica jura agnoſcentes, niſi meri nominis atque honoris, quod Pitonius concluſerat, ſuo approbarunt ſtatueruntque decreto *tit. 9. cap. 2.*

## CAPUT QUINTUM.

### *Generalia de ſimplici Epiſcopo.*

JUs cogendi Synodum Diœceſanam eſt adeo proprium Epiſcopi, ut ad eam cogendam non ſit ei neceſſarius cujuſquam alterius conſenſus, puta Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani, cui forte ſubjiciatur; quemadmodum, antiquioribus relatis, docent Bottus *de Synodo Diœceſ. part. 1. n. 24.* Maſſobrius *de Synodo Diœceſ. cap. 2.* Pax Jordan. *lib. 8. tit. 2. n. 12.* & optime Ugonius Epiſcopus Phamaugustanus *de Conciliis in prælud. pag. 3.* ubi loquens de Epiſcopo inquit: *Nemo in ſua diœceſi Synodum congregare poteſt ſine eo, vel ipſius auctoritate: & Epiſcopus dictam ſuam Synodum poteſt, ſine auctoritate Metropolitani ſui, facere*.

II. Sed, quandonam Epiſcopus plenum & expeditum jus aſſequatur ſuam Synodum cogendi, difficultas eſt, quam breviter exponemus, & paucis enodabimus.

III. In promotione ad Epiſcopatum, duplex contrahitur ſpirituale conjugium; alterum inter eligentes, & electum, quod perficitur per electionis confirmationem; alterum inter Epiſcopum confirmatum, & Eccleſiam, quod per conſecrationem abſolvitur, uti diſerte habetur *in Cap. Inter corporalia §. Sicut enim, de tranſlat. Epiſcop.* In præſenti rerum ſtatu, & pro ea, quæ nunc viget in Eccleſia, diſciplina, electio ad Epiſcopatus ſibi vindicat locum in ſola Germania. Reliqui Epiſcopatus conferuntur a Papa in Conſiſtorio aut omnino libere, aut prævia nominatione Regum, & Principum, quibus jus eſt idoneas perſonas ad illos nominandi; atque in his poſtremis ipſamet Epiſcopatus collatio, a Papa facta in Conſiſtorio, vim habet electionis ſimul, & confirmationis, quod docuerunt Innocentius *in Cap. Cum olim, in princip. de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis*, Gloſſa *in Cap. 1. verb. Proviſionem, de electione, in 6.* Azorius *Inſtit. Moral. part. 2. lib. 3. cap. 29. quæſt. 6.* Fagnanus *in Cap. Eam te n. 15. de reſcriptis*, atque ex ipſis verbis liquet, quæ a Papa in Conſiſtorio pronuntiantur: *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, Eccleſiam N. de Perſona N. providemus, ipſumque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem; curam & adminiſtrationem ipſius, eidem in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo*.

IV. His præmiſſis, diſputatur, an Epiſcopus aut a Capitulo electus, aut a Papa in Conſiſtorio promotus, ante ſui conſecrationem Synodum celebrare queat. Cujus tamen quæſtionis deciſio vix quidquam conferre poteſt ad praxim: nam, cum electi in Epiſcopos, etiamſi fuerint S. R. E. Cardinales, teneantur intra tres menſes munus conſecrationis ſuſcipere, juxta decretum Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 2. de reform.* difficile videtur, velle Epiſcopum intra illud primum trimeſtre ſpatium, cum nondum perſpectas habet res diœceſis ſibi commiſſæ, cogere Diœceſanam Synodum. Quid nihilominus communiter Doctores ſentiant, indicabimus.

V. Bottus *de Synodo part. 1. n. 26. & ſeq.* poſt Innocentium, Zabarellam, & alios antiquiores, re bene diſcuſſa, concludit, Epiſcopo electo, & confirmato fas eſſe, ſuam Synodum ſtatim habere; eidemque opinioni ſubſcribunt Pax Jord. *lib. 8. tit. 2. n. 13. & 14.* Ricc. *in praxi Curiæ Neapolitanæ deciſ. 443. ab initio uſq. ad n. 8.* Maſſobr. *de Synodo Diœceſ. cap. 2. dub. 1.* Gavant. *in praxi Synod. Diœceſ. cap. 2. in adnot. §. 1. n. 2.* Leuren. *in Foro Beneficiali tom. 2. ſect. 2. quæſt. 443. n. 5.* Romaguerr. *ad Conſtit. Synod. Gerunden. lib. 1. tit. 1. cap. 1. n. 10.* Etenim coactio Synodi eſt actus juriſdictionis, & meri imperii, quod ſupra oſtenſum eſt; & quæ juriſdictionis ſunt, exerceri queunt ab Epiſcopo electo, & confirmato, licet nondum conſecrato, juxta textum *in Cap. Tranſmiſſam, de electione*. Ante conſecrationem autem ea duntaxat exercere non poteſt, quæ ſunt Ordinis, puta ſacrum Chriſma conficere, Ordines, aut Confirmationem conferre, Virgines benedicere, Eccleſias, aut Altaria conſecrare, Cabaſſut. *in theor. & praxi jur. Canon. lib. 1. cap. 7. n. 7.* quamvis committere & delegare valeat alteri Epiſcopo conſecrato facultatem, ea omnia in ſua diœceſi peragendi; quoniam ſola delegatio ad exercendum Ordinem eſt actus juriſdictionis, & non Ordinis, Azorius *Inſtit. Moral. part. 2. cap. 29. quæſt. 7.*

VI. Sed ſtatim altera quoad eundem Epiſcopum electum & confirmatum ſuboritur quæſtio: an videlicet poſſit Synodum cogere etiam non obtentis, & exhibitis litteris Apoſtolicis, vulgo *Bullis*, quibus oſtendat, ſe legitima auctoritate, talis Eccleſiæ curæ & regimini fuiſſe præpoſitum. Sed etiam hæc nullo ſolvitur labore, reſpondendo nimirum negative. Textus enim *in Cap. Injunctæ, ſub tit. de electione, inter Extravag. comm.* aperte interdicit electo & confirmato quemcumque actum juriſdictionis, niſi litteris Apoſtolicis expeditis, iiſque, quibus de jure, exhibitis, ac pœnam inſuper ſuſpenſionis a percipiendis ſuorum Beneficiorum fructibus, illis irrogat, qui ſine ejuſmodi litteris, cum in Epiſcopum recipiunt, aut eidem obediunt, uti ad rem proſequuntur Maſſobrius, Gavantus, Pax Jordan. *locis citatis*, duabus tamen additis limitationibus. Quarum prima eſt, ut poſſit electus, & confirmatus, non expeditis Bullis, Synodum facere, ſi obtinuerit Breve Apoſtolicum de capienda poſſeſſione nomine Cameræ Apoſtolicæ, cum clauſula, ut intra tot menſes & Bullæ expediantur, & conſecrationis munus ſuſcipiatur; virtute namque prædicti Brevis poteſt Epiſcopus omnia exercere, quæ juriſdictionis ſunt, ac ſi litteræ Apoſtolicæ fuiſſent expeditæ; nec prohibetur ab exercitio eorum, quæ ſunt Ordinis, ſi interim fuerit conſecratus, quod bene animadvertit Pax Jordan. *loc. cit. n. 19.*

VII. Altera eſt, ut Cardinalis S. R. E. aliquo ex modis expoſitis in Epiſcopum electus, & confirmatus, ſtatim Synodum celebrare poſſit, etiam litteris Apoſtolicis non exhibitis: quoniam Cardinales, utpote qui *in citata Extravaganti* expreſſe non nominantur, non cenſentur ſub ejus ſeveritate comprehenſi; quod, aliis

alle-

allegatis, probat Pax Jordan. *cit. loc. n.* 22. & præter Doctores ab eodem relatos, docent Fermosin. *in Cap. Transmissam quæst. 6. a n.* 1. *ad* 10. *de electione*, Diana *in edit. coord. tom. 9. tract. 7. resolut.* 53. & 54. Cappon. *discept. forens.* 10. *n.* 12. *tom.* 1. Rota *decis.* 1215. *cor. Emerix jun. & in Corduben. Beneficiorum* 3. *Decemb.* 1696. *coram bon. mem. Ursino Decano*. Accedit, Bonifacium VIII. per citatam Extravagantem unice voluisse evitare periculum, ne quis se gerat pro Episcopo, qui Episcopus non sit: hoc autem non habet locum in S. R. E. Cardinalibus, quorum simplici assertioni, ob dignitatis, qua præfulgent, eminentiam, esse credendum, probat textus *in Can. Nobilissimus dist.* 97. & notat ibidem Glossa *verb. Nihilominus*, & recte ponderant Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 24. *n.* 7. Lotter. *de re Beneficiar. lib.* 1. *qu.* 27. *n.* 32. Passerinus *de electione cap.* 33. *n.* 23. Barbosa *in cit. Extravag. Injunctæ n.* 5. *& de officio, & potestate Episcopi part.* 3. *alleg.* 111. *n.* 35.

VIII. Non omnia ex his, quæ de Episcopis hactenus diximus, aptantur Archiepiscopis; in quibus illud est peculiare, quod ne per consecrationem quidem assequantur plenitudinem officii sui, nisi Pallium receperint a Romano Pontifice, *ex Cap. Nisi specialis, de auctoritate & usu Pallii*: non quod Pallium aliquod superaddat consecrationi quoad Ordinis potestatem; sed quia liberum præbet accepti Ordinis exercitium, & Archiepiscopalis muneris quamdam veluti perfectionem affert, & complementum, quod adnotavit Innocentius Cironius *ad tit.* 8. *de auctoritate & usu Pallii pag.* 32. Quocirca, ne diu careant ea potestatis plenitudine, quæ ab ipsis in totius provinciæ commodum est derivanda, debent intra tres menses a suæ consecrationis die, vel, si jam antea consecrati erant, a die confirmationis numerandos, Pallium petere a Romano Pontifice, *Can. Quoniam, dist.* 100. atque interim, sicuti se Archiepiscopos nominare prohibentur *in cit. Cap. Nisi specialis*, ita abstinere jubentur a Synodo Provinciali congreganda, Chrismate conficiendo, dedicandis Ecclesiis, Clericis ordinandis, & Episcopis consecrandis, *in Cap. Quod sicut, de electione*, ubi ita legitur: *Præterea, cum non liceat Archiepiscopo sine Pallio convocare Concilium, conficere Chrisma, dedicare Basilicas, ordinare Clericos, & Episcopos consecrare, multum profecto præsumit, qui, antequam impetret Pallium, Clericos ordinare festinat; cum id, non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur*. Quodque constans semper hæc fuerit antiquioris Ecclesiæ disciplina, observavit Janus a Costa *ad tit. Decretal. de auctoritate & usu Pallii pag.* 97.

## CAPUT SEXTUM.

*De Episcopo Privilegium habente gestandi Pallium, & Crucem ante se deferendi.*

QUamvis Pallium sacrum insigne sit, quod solis de jure competit Archiepiscopis; attamen, ex summi Pontificis privilegio, nonnulli, qui & re & nomine simplices Episcopi sunt, consueverunt Pallio condecorari. Syagrio Augustodunensi Episcopo, ejusque Successoribus, ad petitionem Brunechildis Reginæ, Pallii honorem delatum a S. Gregorio Magno, discimus ex ejusdem Gregorii *epist.* 11. *lib.* 9. *indict.* 2. *Oper. col.* 936. *& epist.* 109. *ejusd. libri col.* 1015. Auctor Vitæ Theodorici Episcopi Metensis, a nobis nuper relatus *cap.* 4. *num.* 5. speciales prosequens prærogativas Metensium Episcoporum, *cit. loc.* ait: *Walo etiam, vir magnæ in Christo reverentiæ, Pallii usum meruit, decreto Joannis Papæ*: Joannis scilicet VIII. cujus litteræ, quibus hoc privilegium contulit Waloni anno 878. leguntur *tom.* 6. *par.* 1. Collectionis Harduini *pag.* 121. Item Pallium accepisse ante, & post Walonem, plures Episcopos Metenses, licet Archiepiscopali jure non potirentur, constat ex Gallia Christiana veteris editionis *tom.* 3. *pag.* 711. *& duabus sequentibus*. Inter Episcopos Mindenses, quemdam Hercumbertum fuisse Pallio cohonestatum, narratur *in Chronico Mindensi* Auctoris anonymi *tom.* 1. *Scriptor. rer. Germanic.* Meibomii junioris *pag.* 552. ubi hos insuper antiquissimos Rhythmos adducit.

*Nam hic Præsul honoratur,*
*Mindensis qui vocitatur,*
*Dignitate Pallii.*
*Quod bene Rationale*
*Vocatur, & hoc non male;*
*Nam trini Episcopi*
*Tantum isto decorantur,*
*Per quem recte venerantur*
*Locus, Gens, & Clerici.*

Alexandrum II. Pallii honorem contulisse Episcopo Halberstadensi, ob concordiam inter Imperatorem Henricum III. & eundem Alexandrum promotam, testatur Burchardus in Chronico Halberstadensi apud citatum Leibnitium *tom.* 2. *Scriptor. Brunsvic. pag.* 126. ubi etiam refert concessionis diploma, cujus verba sunt: *Itaque & locum, & nomen filii spiritualis, singulari ac familiari affectu tibi concedimus, sanctæ quoque Halberstadensi Ecclesiæ tuæ, ut sit filia Romanæ Ecclesiæ, prærogativam quamdam attribuimus. Insuper quoque, pio paternoque affectu, Pallio te adornare decrevimus, salva tamen auctoritate, aut magisterio sanctæ Metropolis Moguntinæ Ecclesiæ, salvo quoque Fratrum tuorum Coepiscoporum & ordine, & loco*. Et, ne plura a nostra ætate remota perquiramus exempla, Pallii prærogativa etiam hodie gaudent Episcopus Quinqueclesiensis, de quo *in Cap. Cum in juventute, de præsumpt.* Episcopi Ostiensis, Bambergensis, Papiensis, & paucis antea annis, cum nondum Archiepiscopi honorem erat consequutus, Pallio utebatur Episcopus Lucensis; de quibus omnibus Cuccus *Instit. lib.* 1. *cap.* 6. *tit.* 8. Marchion. *de Sacram. Ordin. tract.* 4. *cap.* 9. *n.* 1. Durant. *de ritibus Ecclesiæ lib* 2. *cap.* 9. *num.* 43. Ventriglia *de jurisdict. Episc. cap.* 7. *n.* 3. ac nuperrime sanmem. Clemens XII. ob præclara Episcopi Massilienſis in Ecclesiam merita, personale privilegium eidem concessit gestandi Pallium, quousque viveret; idemque Pontifex perpetuum Pallii honorem detulit Episcopis Aretinis. Una porro cum Pallio interdum accessisse Episcopis prærogativam sedendi, statim post Metropolitanum, supra reliquos suæ provinciæ Episcopos, liquet *ex epist.* 108. S. Gregorii ad Syagrium Episcopum *lib.* 9. *indict.* 2. *cit. tom.* 2. *col.* 1013. ubi, post concessum eidem Pallii usum, ait: *Cujus ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contulisse, hoc etiam pariter prospeximus concedendum, ut Metropolitæ suo per omnia loco & honore servato, Ecclesia civitatis Augustodunæ, cui omnipotens Deus præesse te voluit, post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, & hunc sibi locum & ordinem ex nostræ auctoritatis indulgentia vendicare. Ceteros vero Episcopos, secundum Ordinationis suæ tempus, sive ad consedendum in Concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua attendere loca decernimus, & suorum sibi prærogativam ordinem vendicare*. Hanc tamen loci prærogativam non fuisse ab Alexandro II. concessam Episcopo Halberstadensi, ex ejusdem diplomate accepimus; ex quo proinde colligimus, honorem Pallii non fuisse necessario connexum cum jure præcedendi antiquiores Episcopos: quin immo ex allegata S. Gregorii Magni epistola palam fit, speciali opus fuisse concessione, ut Syagrio, una cum Pallio, accederet præeminentia sedendi, statim post Metropolitanum, supra ceteros suæ provinciæ Episcopos. Et nihilominus nonnulli Episcopi, Pallio decorati, aliquando cedere detrectarunt

runt etiam ſuis Metropolitanis, pluresque controverſias adverſum eoſdem excitarunt, quas fuſe pertractat Franciſcus Florens *Oper. Juridicor. tom. 1. ad lib. 1. Decret. de auctoritate & uſu Pallii pag. 239. & ſeq.*

II. Neque ſolum aliquot ſimplices Epiſcopi Pallii ornamentum a Sede Apoſtolica obtinuerunt, ſed nonnulli eorum privilegium etiam impetrarunt deferendi ante ſe Crucem. Morem prægeſtandæ Crucis, a ſummo Pontifice ad ejuſdem Legatos primum fluxiſſe, aſſerit Thomaſſinus *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part. 1. lib. 2. cap. 59.* atque inde factum eſt, ut ſanctiſſimus Hungariæ Rex Stephanus, ſtatim ac Apoſtolicæ Sedis legatione donatus fuit, veluti eidem muneri conſectaneum privilegium ſimul obtinuerit præferendi Crucem, quemadmodum narrat Auctor ejus Vitæ apud Surium 20. *Aug. cap. 8. Pontifex Crucem ante Regem, ceu Apoſtolatus inſigne geſtandum adjunxit*: ab Apoſtolicæ vero Sedis Legatis, mox ad Patriarchas, ſubinde ad Primates, & demum ad Archiepiſcopos eſt propagatus. Non tamen omnibus Archiepiſcopis fuit id juris univerſim & indiſcriminatim ab initio conceſſum, ſed modo uni, modo alteri ex ſpeciali gratia attributum: etenim Eugenius III. *epiſt. 10. tom. 6. part. 2.* Collectionis Harduini *col. 1250.* peculiari quodam privilegio, Archiepiſcopo Colonienſi Crucem prægeſtare permiſit; & Alexander III. apud Baronium *ad ann. 1177. n. 76.* eadem prærogativa exornavit Archiepiſcopum Salernitanum; quam poſtea Gregorius IX. Archiepiſcopis Auxitano, Burdegalenſi, & Meſſanenſi eſt elargitus, apud Raynaldum *ad ann. 1228. n. 38. & ad ann. 1232. n. 26.* atque ita pedetentim facta eſt omnibus Archiepiſcopis communis, quod ſub eodem Gregorio IX. aut ſub Alexandro IV. contigiſſe, ſuſpicatur laudatus Thomaſſinus. Porro Clemens V. in Concilio Viennenſi, ut habetur *in Clement. Archiepiſcopo de privilegiis*, idem jus omnibus promiſcue Archiepiſcopis aſſeruit, ac præterea ſtatuit, iiſdem licere Crucem præferre, etiam per loca exempta ſuæ provinciæ: *Archiepiſcopo per quævis loca exempta ſuæ provinciæ facienti tranſitum, aut ad ea forſitan declinanti, ut Crucem ante ſe libere portari faciat ..... ſacro approbante Concilio, præſentis Conſtitutionis ſerie duximus concedendum.*

III. Verum, quemadmodum in Eccleſia Orientali inter Patriarchalia inſignia numeratur fax ante eos prælata, & nihilominus Archiepiſcopis Bulgariæ, & Cypri, privilegio datum fuit, ut prælata pariter face per ſuas diœceſes incederent, quod teſtatur Balſamon *in Melete*; ita in Eccleſia Latina, etſi jus prægeſtandi Crucem Archiepiſcoporum ſit proprium, iiſque ſolis, ſpectato jure communi, competat, attamen, ex Apoſtolicæ Sedis beneficentia, nonnullis Epiſcopis permiſſum eſt, ut, inſtar Archiepiſcoporum, Cruce ante ſe erecta, totam ſuam diœceſim perluſtrare, & loca etiam exempta, intra diœceſis ambitum contenta, ingredi valeant. Scimus quippe, Epiſcopo Lucenſi hanc poteſtatem factam eſſe a Lucio III. Cæleſtino III. & Innocentio III. Cumque Canonici Regulares Lateranenſes monaſterii S. Frigdiani civitatis Lucenſis illam impugnarent, contendentes, non licere Epiſcopo Lucenſi, qui nondum Archiepiſcopi prærogativam nactus fuerat, in eorum monaſterium ingredi prælata Cruce; in ſacra Congregatione Concilii die 8. Auguſti 1716. propter enuntiata Epiſcopi privilegia, cauſa cecidерunt, *tom. 9. Theſauri Reſolut. pag. 227.* Eodem privilegio jam ante Alexandrum III. fruebatur Epiſcopus Papienſis, quo ab eodem Alexandro fuiſſe privatum, eo quod adhæſiſſet Octaviano Antipapæ narrat Baronius *ad an. 1175. n. 12.* ſed aut ab ipſomet Alexandro, aut a Succeſſoribus illud poſtea recuperavit; nam, cum anno 1681. fuiſſe in quæſtionem deductum, ſacra Congregatio Concilii die 3. Februarii ejuſdem anni illud adhuc vigere cenſuit, uti habetur *lib. 31. decret. pag. 342.* Et nos ipſi, poſtquam ad ſupremi Pontificatus apicem evecti fuimus, Epiſcopo Eyſtettenſi, ejuſque Succeſſoribus perpetuum privilegium indulſimus, Crucem ante ſe ſublimem deferendi in ſua civitate, & diœceſi, ad inſtar Archiepiſcoporum; modo tamen Archiepiſcopus præſens non ſit; aut, ſi adfuerit, ejuſdem conſenſus acceſſerit: cujus Archiepiſcopi Metropolitica jura in ceteris omnibus illæſa eſſe voluimus, quod patet ex noſtris Apoſtolicis litteris anno 1745. datis, editiſque *in noſtro tom. 1. Bullar. in ordine 133.*

IV. Ex privilegio Epiſcopis dato deferendi ante ſe Crucem, nulla oritur quæſtio, quæ ad Synodum Diœceſanam referri poſſit. Privilegii mentio habita eſt, ut, relato privilegio gerendi Pallium, non omitteretur aliud privilegium a ſummis Pontificibus aliquando Epiſcopis conceſſum deferendi Crucem ante ſe more Archiepiſcoporum. Ex privilegio vero deferendi Pallium, aliquando Epiſcopis conceſſo, dubium oritur, an, quemadmodum ante Pallii receptionem vetitum eſt Archiepiſcopis Synodum facere Provincialem, ita, & ipſis ſit interdictum ſuam celebrare Diœceſanam. Primo aſpectu videbitur fortaſſe cuipiam idem de utriſque ferendum judicium; ne ſecus Archiepiſcopus, Pallii prærogativa a jure communi donatus, deterioris conditionis ſit, quam Epiſcopus, cui idem honor ex ſola indulgentia & privilegio delatus eſt. At, re penitus inſpecta, verius exiſtimamus, Epiſcopum, Pallio inſignitum, ante hujus receptionem, poſſe ſuam Synodum habere: privilegium enim cumulat antiquis nova jura, ſed antiqua non aufert, ne ſecus plus afferat detrimenti, quam commodi, *Cap. Abbate §. Contra quod, de verbor. ſignificat. & Cap. In his, de privilegiis.* Quare, ſi quilibet Epiſcopus, ſtatim ac eſt electus, & confirmatus, & litteras Apoſtolicas expedivit, poteſt ſuam Synodum convocare, æquum non eſt, ut hoc jure ille ſpolietur, qui Pallii potitur privilegio. Nec novum videri debet, quod Epiſcopus Pallio decoratus, in aliquibus ſit melioris conditionis, quam Archiepiſcopus. Nonne Archiepiſcopus intra tres menſes a ſuæ conſecrationis die, aut, ſi jam antea conſecratus erat, a die ſuæ confirmationis numerandos, tenetur Pallium a Sede Apoſtolica expoſcere, per textum *in cit. Can. Quoniam diſt. 100.* ubi Archidiaconus *n. 2.* & Turrecremata *n. 14.*? Et tamen hoc onere non gravatur Epiſcopus habens uſum Pallii, quia nemo tenetur uti privilegio ſibi ſpecialiter conceſſo. Præterea Archiepiſcopus, ante receptum Pallium, non poteſt exercere Pontificalia, per textum *in cit. Cap. Niſi ſpecialis, de auctoritate, & uſu Pallii*; quod tamen nuſquam in Jure ſancitum reperitur de Epiſcopo, cui Pallium geſtare competat ex privilegio. Diverſitatis ratio facile ex dictis eruitur: etenim per Pallium confertur Archiepiſcopis plenitudo Paſtoralis officii; ut Epiſcopis in meram datur honoris ſignificationem, non ut aliquid juris per illud tribuatur, quo antea carerent. Plura de his videri poſſunt apud Marcum Paulum Leonem *de auctoritate & uſu Pallii cap. 10. & cap. 14.*

## CAPUT SEPTIMUM.

### *De Epiſcopo Titulari.*

OMnibus exploratum eſt pleraſque olim florentiſſimas Epiſcopales Sedes, nunc Infidelium jugo preſſas, habitualem duntaxat retinere Cathedralitatem. Notiſſimum pariter eſt, ne antiquæ illarum dignitatis memoria penitus obliteretur, ſolere ſummos Pontifices, nonnullos quandoque Epiſcopos ad earundem titulum creare: qui, etſi veri Epiſcopi ſint, ut

qui

UAB Biblioteca de Ciències Socials

qui in consecratione Episcopalem characterem, & potestatem huic adnexam receperunt; sunt tamen potestatis usu, & jurisdictionis, si quam in Ordinatione acceperunt, actu & exercitio penitus spoliati. Præter autem nuper insinuatam, aliæ justissimæ causæ urgent Romanos Pontifices, ut ad nudum prædictarum Cathedralium titulum aliquos promoveant Episcopos; quarum præcipua est, ut sibi assistant in Apostolico obeundo ministerio, utque eorundem opera in iis utantur, quæ nonnisi Episcopis decet committere; vel ut tanquam Suffraganei Pastoralia expleant munia in aliqua diœcesi, propter cujus amplitudinem proprius diœcesis Episcopus alieno ministerio indigere videatur: quæ recte adnotarunt Thomassin. *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 1. lib. 1. cap. 17.* Fagnanus *in Cap. Episcopalia num. 45. & 53. de privileg. & in Cap. Ex parte num. 47. & seq. de Clericis non residentibus*, Frances *de Eccles. Cathedral. cap. 32. a num. 79. ad 90.* Ex quibus evidenter desumitur, Joannem Georgium Pertsch, aut deceptum, aut certe alios decipere voluisse, cum *part. 3. elementor. Juris Canonici lib. 1. tit. 27.* scripsit, a Pontificiis Titulares Episcopos, per jocum, appellari *portatiles, conductitios, adventitios, fictitios, commentitios*. Probi siquidem Catholici eos summopere venerantur, cum propter Episcopalem, quem impressum habent, characterem, tum propter causas, quarum intuitu ad eximiam illam dignitatem, qua nulla est in Ecclesia præstantior, a summo Pontifice promoventur; tum denique quia, prævio processu super vita, moribus, ceterisque qualitatibus, ac meritis personæ, proponuntur a Papa in Consistorio, eo plane modo, qui servatur cum aliis Episcopis non Titularibus, quibus Ecclesiarum cura & regimen actu committitur. Neque absonum, aut recens institutum est, ut Romanus Pontifex aliquos ad Episcopatum promoveat, quin ullius specialis Ecclesiæ actualem administrationem illis tradat. Atque, ut cetera prætereamus hujus rei vetustissima exempla, congesta a Thomassino *cit. loc.* existimat Epiphanius *hæresi 27. num. 6.* cui alii plures adstipulantur apud Petrum Coustant *Epist. Roman. Pontif. tom. 1. pag. 3. & 6.* Linum, & Clementem, ita ab Apostolo Petro fuisse Episcopos ordinatos, ut nulli tunc Ecclesiæ fuerint alligati, sed unice ut Petro prout opus esset, in Ecclesiæ regimine adessent. Eodem fere modo, in fine secundi seculi, Cajum ex Romano Presbytero Episcopum ordinatum, nullius Ecclesiæ cura illi commissa asserit Franciscus Blanchinus *tom. 2. Anastasii in not. ad Vitam S. Eleutherii pag.* 142. ubi contra Pagium defendit, sæpius a Romanis Pontificibus ordinari consueviſſe ejusmodi Episcopos, quos vocat *Episcopos Gentium*; eo quod, data opportunitate, ad gentes mitterentur, quæ in Christiana religione institui exposcerent, etsi plures ex iis Romæ retenti, ad Romanum Episcopatum fuerint postea promoti.

II. Jam vero cum Episcopi Titulares actuali careant administratione Ecclesiarum, ad quarum titulum sunt promoti & consecrati, non obstringuntur lege lata a Sixto V. de sacris Apostolorum liminibus visitandis, exhibendaque relatione status suarum Ecclesiarum, prout anno 1594. declaratum fuit a Clemente VIII. & constat *ex lib. 8. decretor. sacræ Congregationis Concilii pag.* 100. Attamen, quia laude digni sunt, si Sedi Apostolicæ modum suggerant, quem opportunum existiment ad obtinendam conversionem Infidelium degentium in diœcesibus, quarum exornantur titulo, uti animadvertit Fagnanus *in Cap. Ego num. 85. de jurejuran.* idcirco dubitatur, an cogere possint Synodum ex Sacerdotibus, qui forte ex illis regionibus advenerint, ut ab istis instructi, quæ ad prædictum finem conducere possunt, melius assequantur.

III. In primo libro *cap. 5. num. 2.* narratum est, in civitate Burgensi, cum Ordinarii licentia, a quodam Episcopo Titulari Diœcesanam Synodum cum nonnullis suis Sacerdotibus fuisse celebratam. At ejusmodi exemplum non facit ad rem: quoniam ille Episcopus Titularis administraverat Ecclesiam, cujus habebat titulum, a qua postea expulsus, cogebatur exulare: in quibus circumstantiis urget profecto rescriptum Joannis VIII. *in Can. Porro 16. q. 3. Ubi Paganorum, & Incredulorum furor in causa est, quantalibet prætereant tempora, juri non præjudicant Ecclesiarum.* Alia propterea, si inveniri possint, disquirenda sunt hujus rei exempla.

IV. Turcarum armis anno 1190. occupata Palæstina, & proinde civitate Nazareth in captivitatem subacta, Archiepiscopo Nazaræno honoraria Sedes in Italia assignata est, in nobili Apuliæ oppido, quod dicitur *Barulum*, diœcesis Tranensis, & non procul ab oppidi mœnibus Ecclesia Beatæ Mariæ in Metropolitanam erecta, cum titulo, dignitate, & jure Archiepiscopali, Nazaræno Præsuli commissa fuit. Post aliquod temporis intervallum, aliæ Parochiales præfato Archiepiscopo subjectæ sunt; & subinde duæ Cathedrales, Cannensis videlicet, & Montis Viridis, fuerunt eidem perpetuo addictæ. Ipsaque postea Metropolitana, temporis, & bellorum injuria, solo æquata, in ejus locum suffecta est Ecclesia S. Bartholomæi, intra oppidum sita; quæ omnia narrantur ab Ughellio *in Italia sacr. tom. 7.* Itaque in præsenti rerum statu Archiepiscopus Nazarænus, habito respectu ad civitatem Nazareth, est mere Titularis; sed, si locum spectemus, in quo residet, plenamque Episcopalem jurisdictionem exercet, mere Titularis neque est, neque dici potest; ac proinde, quamvis in hoc loco Diœcesanam Synodum cogere valeat, sicuti re ipsa sæpius coegit, non possumus inde inferre, licere Episcopo Titulari Synodum celebrare.

V. Erunt fortasse, qui in exemplum adducant Episcopum Bethlehemiticum. Expulsis pariter Christianis e Terra Sancta, Reginerius Episcopus Bethlehemiticus sectatus est Guidonem Comitem Nivernensem, in Gallias redeuntem, qui eidem in suo Comitatu, seu Ducatu Nivernensi nonnullas attribuit terras, in quibus jus Episcopale exerceret. Plura de hoc Episcopo habentur *tom. 2. Galliæ Christianæ edit. Parisien. an. 1656. pag.* 297. & in historiis Archiepiscopatuum, & Episcopatuum Galliæ, conscriptis a Beaunier *tom. 2. pag.* 855. & *in Oriente Christiano* Patris le Quien *tom. 3. pag. 642. & pag.* 1275. Verum, quidquid olim fuerit, Episcopus iste Bethlehemiticus hodie jurisdictionem tantum exercet in Ecclesiam Beatæ Mariæ *de Bethlehem nuncupatæ*, prope Clameciacum in Ducatu Nivernensi diœcesis Antissiodorensis; & Episcopatus confertur a summo Pontifice ad supplicationem Ducis Nivernensis, de consensu Regis Christianissimi. Porro, vel sermo est de prædicto Episcopo Bethlehemitico, pro tempore, quo jurisdictionem exercebat in terris Ducatus Nivernensis; &, quamvis tunc posset Synodum indicere, ejusmodi tamen exemplum non esse ad rem, nemo non videt: aut sermo est de eodem Episcopo, considerato in statu, in quo nunc est; & cum is Clero, & populo careat, manifestum est, nullam ab eo posse Synodum fieri.

VI. Quare concludendum est, Episcopos Titulares, iis exceptis, qui aut a suis Ecclesiis in regionibus Infidelium, quas actu administrarunt, expulsi sunt, aut in terris Christianorum certa loca obtinent, in quibus veram jurisdictionem Episcopalem actu exercent, nulla potiri facultate Synodum Diœcesanam celebrandi.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

## CAPUT OCTAVUM.

*De Vicario Generali Episcopi.*

VIcarius Generalis Episcopi, qui & *Officialis* vocari solet, in iis, quæ jurisdictionis sunt, censetur una eademque cum Episcopo persona, atque unum & idem est utriusque tribunal: ex quo fit, ut a sententia Vicarii Generalis, non ad Episcopum, nec ab eodem ad eundem, sed ad Metropolitanum, cui Episcopus subest, interponatur appellatio, *Cap. 2. de consuetudine; & Cap. Romana, in principio, de appellationibus in 6.*

II. Sed, quamquam Vicarius ordinariam Episcopi jurisdictionem, Episcopi nomine, in diœcesi exerceat, plurima tamen sunt, quæ virtute solius generalis commissionis, sine speciali Episcopi mandato, facere nequit, juxta decisionem *Cap. Licet 2. & Cap. final. de officio Vicarii in 6.* ubi Glossa, & Interpretes. Inter ea porro, quæ sine speciali mandato Episcopi a Vicario Generali expleri nequeunt, hæc enumerantur: Primo, quæ spectant ad potestatem Ordinis, puta, Chrisma conficere, Sacramentum Confirmationis conferre, Ecclesias & Altaria consecrare, aut pollutis sanctitatem pristinam restituere. Hæc quippe, aliaque hujus generis, Vicarius Generalis, etsi Episcopali Ordine sit insignitus, peragere non potest, sine peculiari Episcopi diœcesani consensu; cum, non in istis, sed in jurisdictionis duntaxat exercitio, illius gerat vices; quod bene observat Sbroz. *de Vicar. Episc. lib. 2. quæst. 5. n. 10.* ob quam rationem nec ea peragendi potest alteri Episcopo facultatem impertiri, Rebuff. *tit. de Vicario n. 181.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 54. n. 83. & 84.* Secundo, concedere litteras dimissorias ad Ordines, extra casum, quo Episcopus in remotis regionibus versetur, *Cap. Cum nullus 3. de temp. Ordinat. in 6.* ita ut ab Ordinandis sine magna difficultate arbitrio prudentis viri metienda, conveniri non valeat, sicuti *in eod. Cap.* docet Glossa *verb. Remotis.* Tertio, in materia Beneficiali, ea quæ sunt meræ liberalitatis & gratiæ, *vel* speciem habent alienationis; ac proinde, *sine* speciali Episcopi mandato, non potest *Beneficia* conferre, aut ad ea, quæ jurispatronatus Episcopalis sunt, Clericos nominare, præsentare, vel eligere; quia tam collatio Beneficii, quam ad istud præsentatio, seu electio, donationem quamdam, & liberalitatem sapit, *Cap. Relatum de præbendis, & Cap. Post electionem, de conceff. præb.* Non potest Beneficia supprimere, aut simul unire, vel factas uniones revocare; nam hæc omnia speciem referunt alienationis, Layman *in cit. Cap. fin. de offic. Vicar. in 6. n. 8.* Neque Beneficiorum resignationes, tam simpliciter, quam ex causa permutationis factas, admittere; quoniam earum admissio requirit potestatem destituendi, juxta receptam Glossam *in Clemen. 1. de renuntiat.* Vicario Generali, sine speciali mandato, non competentem, Flamin. *de resignat. lib. 7. quæst. 24. n. 1. & seq.* Cabassut. *in theoria, & praxi Jur. Canon. lib. 1. cap. 13. a n. 2. ad 7.* An autem Vicarius Generalis, cui Episcopus peculiarem facultatem Beneficia conferendi non concessit, possit præsentatos a patronis instituere, & electos confirmare, lis est inter Doctores; sed magis recepta videtur opinio, quæ Vicario, solius generalis mandati virtute, facultatem inesse affirmat, præsentatos instituendi, & electos confirmandi; institutio enim, & confirmatio non liberalitatis, & gratiæ, sed necessitatis, & justitiæ sunt actus, quod docent, & Romanæ Rotæ decisione, ac sacræ Congregationis Concilii declaratione corroborant Garcias *de Benefic. part. 7. cap. 8. n. 84.* Barbosa *cit. alleg. 54. n. 70.* & prosequitur Natalis Alexander *epist. 10. Append. 1. tom. 1. Theolog. moral.*

III. De his, aliisque non paucis, quæ Vicarii Generalis, nisi speciali Episcopi commissione muniatur, vires excedunt, præter citatos, videri possunt ceteri Juris Canonici Interpretes *ad tit. de offic. Vicarii.* Quod unice nostra hic interest, est decernere, an Vicarius Generalis possit, sine speciali Episcopi mandato, Diœcesanam Synodum indicere, & celebrare. Melioris notæ Doctores sentiunt, non posse; quia Synodi coactio, veluti res gravioris momenti, quam cetera sint, quæ nuper recensuimus, ordinarias ipsius facultates prætergreditur: Ita docent Alteserra *in Vindiciis Ecclesiasticæ jurisdictionis lib. 7. cap. 5.* inquiens: *Vicarius Episcopi non potest celebrare Synodum, sine speciali mandato Episcopi:* Barbosa *cit. alleg. 54. n. 103.* Fagnanus *in Cap. Sicut olim n. 11. de accusat.* Romaguerra *ad Constit. Synod. Gerund. lib. 1. tit. 1. cap. 1. n. 13.* Petrus Leurenius *tract. 2. de potest. Vicarii Episcopi cap. 3. quæst. 168.* quodque caput est, ita expresse declaravit sacra Congregatio Concilii, quæ hisce verbis interrogata: *N. Ordinarius supplicat pro declaratione, an Vicarius Generalis Episcopi possit, Episcopo absente, Synodum Diœcesanam congregare, ita ut Constitutiones in ea editæ, sint observandæ:* die 4. Decembris 1655. respondit: *Non potuisse, absque speciali mandato Episcopi, ac propterea Constitutiones in Synodo, ut proponitur, factas, esse ipso jure nullas:* sicuti legitur *lib. 19. decretor. pag. 543. a tergo.* Neque refragatur Concilium, in Gallia sub Pipino Rege celebratum, quod nonnulli Metense existimant, cum *tom. 2. Concilior. Galliæ* editionis Sirmondi *pag. 5.* ita decrevit *cap. 3. De Presbyteris, & Clericis sic ordinamus, ut Archidiaconus Episcopi eos ad Synodum commoneat, una cum Comite:* ad Archidiaconum quippe, utpote Vicarium natum Episcopi, pertinebat Presbyteros ad Synodum convocare, sed de Episcopi mandato; seu verius, postquam Synodus ab Episcopo indicta fuerat, Archidiaconi munus erat commonere Presbyteros, & Clericos, ut ad illam accederent.

IV. Quod autem Vicarius Generalis possit Diœcesanam Synodum habere, si speciali ab Episcopo instruatur mandato, res compertissima est, quam nemo in controversiam adducit. Nam, præter ea, quæ *lib. 1. cap. 6. n. 4.* diximus, ut probaremus, non prohiberi Episcopum, ne suam Synodum per alium celebret, exemplum habemus S. Caroli Borromæi, qui anno 1572. suam tertiam Synodum Diœcesanam, quam ipsemet indixerat, Romam postea profectus, per suum Vicarium Generalem celebravit, quod ipsemet asserit in ejusdem Synodi proœmio *part. 2. Actor. Eccl. Mediol. pag. 347.* inquiens: *Cum Romæ anno superiori essemus, indictam a nobis Diœcesanam Synodum, quam eo ipso anno habere statueramus, a Vicario nostro Generali, Joanne Baptista Castellio, Protonotario Apostolico, nobis absentibus, celebrari jussimus.* Et animadversione dignum est, quod scribit Jacobus Meyer *lib. 7. Annal. Flandriæ ad an. 1191.* nimirum Episcopis Gandavensibus privilegium olim datum fuisse, ut Synodum quolibet tantum triennio cogerent, ea tamen adjecta conditione, ut per se, & non per Vicarium, illam celebrarent; quod profecto argumento est, hac speciali lege secluſa, & jure communi tantum spectato, licere Episcopo Synodum per Vicarium habere.

## CAPUT NONUM.

*De Vicario Capitulari.*

A Vicario Generali Episcopi ad Capitularem progredimur. Sane juxta veterem disciplinam, Ecclesia aliqua vacante, ad viciniorem Episcopum spectabat illius curam assumere: ut videre est *in Can. 6.* Concilii Regensis *anni 439.* & *in Can. 6.* Concilii Aurelianensis *anni 533.* inter antiqua Galliæ Concilia a Sirmondo collecta *tom. 1. pag. 68. & pag. 229.* & tradit Glossa *in Can. Quoniam, verb. Episcoporum, distinct. 100.* & fusius

pro-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

prosequitur Hallier *de sacr. Election. & Ordin. part. 2. sect. 5. cap. 3. art. 11. §. 4. n. 11. & 12. secundæ editionis.* Quin immo id etiam nunc obtinet inter Ecclesias Lugdunensem & Augustodunensem, quarum prima vacante, posterioris Episcopus totum illius regimen assumit: secunda vero Pastoris solatio destituta, prioris illius Præsul eam administrat, & omnimodam jurisdictionem in ea exercet, ut videre licet *in tom. 4. Galliæ Christianæ pag. 316. & seq.* Cumque olim in Civitate Manilæ, quæ primaria est in Insulis Philippinis, Episcopo defuncto, gravia quædam absurda & inconvenientia sub temporaneo Vicarii Capitularis gubernio accidissent, postulatum est a Romano Pontifice, ut per litteras Apostolicas statueret, prædicta Ecclesia vacante, illius regimen ad antiquiorem Episcopum, in iisdem Insulis residentem, devolvi; & quidem Congregatio Concilii consulendum censuit Sanctissimum, ut hujusmodi petitioni annueret: uti relatum habetur in Regestis dictæ Congregationis *lib. 12. Supplicum Libellorum pag. 569.* Præterea, ubi ex antiqua & immemorabili consuetudine inductum reperiatur, ut Ecclesiæ vacantis administratio ad aliquem in certa Ecclesiastica dignitate constitutum devolvatur, ut in Ecclesia Gerundensi contingit, cujus jurisdictio, Episcopo defuncto, ad Archidiaconum Majorem, *de Rogationibus* nuncupatum, devolvitur; antiqua hujusmodi consuetudo minime reprobatur, ut firmat Rota Romana *decis. 731. & 764. coram Emerix Jun. & decis. 132. coram Beneincasa.*

II. Verum, extra has rerum circumstantias, & extra casus peculiares hujusmodi, vacante Sede Episcopali, tota Episcopi jurisdictio transit ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, per textus *in Cap. His quæ, & Cap. Cum olim, de majorit. & obedien.* quod quidem de jure communi posset illam per se exercere, cum nullus reperiatur textus, quo ad suæ jurisdictionis exercitium alteri committendum obstringatur: quamvis re vera consultius semper, atque viduatæ Ecclesiæ utilius visum fuerit, singulari alicui personæ, e Capitularium cœtu seligendæ, illud demandare: etenim, vacante Ecclesia Faventina, cui, ita exigentibus peculiaribus rerum circumstantiis, non statim Pastorem præficiendum judicabat S. Petrus Damiani; hæc ad Faventinos scripsit *epist. 10. lib. 5. Unde & Dominus noster Papa rogandus est, ut Episcopum vobis modo non ingerat, sed Ecclesiam vestram interim vacare, & vos sub suæ benedictionis umbraculo manere decernat. Quia vero per Dei misericordiam industrios inter vos Clericos, ac prudentes, & litteratos habetis, si placet, unus ex eis eligatur, qui ad exequendum hoc negotium utilior invenitur: cui nimirum cura ac solicitudo totius Episcopatus possit imponi, ac per eum omnia necessitatis Ecclesiasticæ negotia debeant ministrari.* At jure novo Tridentini *sess. 24. cap. 16. de reform.* tenetur Capitulum intra octo dies post mortem Episcopi, aut aliter inductam Ecclesiæ vacationem, seu verius, ab habita vacationis notitia, uti decisum refert Quaranta *in Summa Bullar. verb. Capitulum Sede vacante*, Vicarium constituere, per quem jurisdictionem ad se devolutam exerceat. Quod si in Vicario, intra octo dies eligendo, negligens fuerit, tunc, si agatur de Ecclesia Suffraganea, ad Metropolitanum; si de ipsa Ecclesia Metropolitana, ad antiquiorem ex Suffraganeis; si de Ecclesia exempta, ad propinquiorem Episcopum, pro ea vice, electionem Vicarii pertinere, voluit idem Tridentinum *cit. loc.* Idemque juris est, si Ecclesia vacans careat Capitulo, a quo Vicarius constitui queat. Si tamen contingat, vacare Ecclesiam Suffraganeam, carentem Capitulo, tempore, quo etiam Metropolitana est suo Pastore viduata, in hoc casu, electionem Vicarii non spectare ad antiquiorem ex Suffraganeis, ut nonnulli opinabantur, sed ad Capitulum vacantis Ecclesiæ Metropolitanæ, censuit sacra Congregatio Concilii, a qua, cum quæsitum fuisset: *Primo, An, vacante Ecclesia Suffraganea Capitulo carente, illius administratio, & Vicarii, Sede vacante, deputatio spectet ad Metropolitanum: & quatenus Metropolitana Ecclesia Pastore careat. Secundo, An spectet ad Capitulum ejusdem Ecclesiæ Metropolitanæ, vel potius ad antiquiorem Suffraganeum Episcopum:* eadem die 28. Augusti 1683. *lib. 33. decretor. pag. 261.* ad primum respondit *Affirmative;* ad secundum, *spectare ad Capitulum Metropolitanæ.* Idemque responsum dedit die 14. Aprilis 1685. *lib. 35. decretor. pag. 190.*

III. Vicarius iste, sive a Capitulo, sive ab alio Capituli negligentiam supplente, electus, eodem fere potitur jure, ac Vicarius Generalis viventis Episcopi; ad eum quippe, ut notat cum communi Barbosa *supracit. alleg. 54. n. 158.* transfertur exercitium totius jurisdictionis Episcopalis, penes Capitulum existentis. Idque adeo verum est, ut sua auctoritate ordinaria conficere valeat processus super fama virtutum & miraculorum Servorum Dei, quos conficere potuisset Episcopus, juxta ea quæ allegavimus in nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 2. n. 2.* Immo ab ipsamet Sede Apostolica ad Vicarium Capitularem quandoque diriguntur litteræ remissoriales pro conficiendis processibus Apostolicis super virtutibus & miraculis tum eorundem Servorum Dei, tum etiam eorum, qui jam in Beatorum album sunt relati; quod pariter a nobis ostensum fuit *cit. lib. 2. cap. 45. n. 17.* Quamobrem, ut ingenue loquamur, nondum hactenus percipere potuimus, cur Dataria Apostolica dispensationes, quæ ex mente Tridentini *sess. 22. de reform. cap. 5.* extra Curiam committendæ sunt Ordinariis locorum, in quibus degunt illas impetrantes, nunquam committere consueverit Vicariis Capitularibus, quamvis eadem committere soleat Vicariis Generalibus: quemadmodum testantur Corradus *in Praxi dispens. Apostolicar. lib. 2. cap. 4. n. 11. & seq.* & Rosa *de executoribus litterar. Apostolicar. 3. n. 21. & seq.* Scimus utique, dispensationes ab Apostolica Sede Episcopo, aut ejus Vicario Generali delegatas, quas, ante Episcopi obitum, eorum alter non sit exequutus, non censeri commissas Vicario Capitulari, qui propterea, etsi Episcopo, quoad jurisdictionis exercitium, succedat, non tamen poterit prædictas Apostolicas litteras exequi, quemadmodum firmat Sylvius *Oper. tom. 5. verb. Vicarius secundo*: sed ejusmodi res nihil cum nostra habet commune; ideo enim Vicarius Capitularis exequi nequit præfatas litteras, quia istæ directæ sunt Episcopo, vel Episcopi Vicario Generali, & ipse, quamquam exerceat Episcopalem jurisdictionem, non tamen est Episcopus, nec Vicarius Generalis Episcopi: hoc autem non prohibet, ne eædem litteræ ad ipsummet Vicarium Capitularem signanter atque expresse dirigantur.

IV. Quoniam autem Vicarius Capitularis Vicario Generali Episcopi quodammodo comparatur, merito propterea dubitant Doctores, an ille, sola sui muneris commissione, ea expedire valeat, ad quæ perficienda Vicario Generali opus est speciali mandato. Negat Barbosa *de Canonic. & Dignit. cap. 42. n. 103.* asserens, contrariam opinionem minus firmam visam esse Romanæ Rotæ *in una Maurianen. Pensionis die 25. Junii 1626. coram Pirovano.* Sed Gutierrez *Can. Quæst. lib. 2. cap. 17. n. 21.* Garcias *de Benef. part. 5. cap. 7. n. 28.* Molina *de just. & jur. tract. 5. disput. 11. n. 3.* aliique plurimi, sententiam affirmativam tuentur, validisque sustentant rationibus: Tridentinum enim, inquiunt, voluit, Vicarium a Capitulo eligi, ad evitandas inter Capitulares discordias, ad causas celerius expediendas, & multa præcavenda incommoda, quæ, experientia edocente, obvenirent, si Episcopalis jurisdictionis actualis administratio penes universum Capitulum resideret. Hæc autem incommoda non minus sequerentur, si,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

constituto Vicario Capitulari, adhuc tamen Capitulum sibi, suoque judicio reservaret, quæ alias indigent speciali mandato. Neque dedecere ajunt, Vicarium Capitularem in hoc præstare Vicario Generali, cum & in aliis idem contingat: siquidem Vicarius Generalis potest ab Episcopo, pro suo libito, & sine ulla causa removeri; Vicarius vero Capitularis, semel electus, non potest a Capitulo revocari, nisi causa adprobata a sacra Congregatione negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, quod ab eadem sacra Congregatione fuisse sæpius declaratum, refert Barbosa *cit. cap.* 42. *de Canon. & Dignit. n.* 47.

V. Quidquid vero sit in aliis, quod peculiariter ad rem nostram attinet, Vicarium Capitularem nullo indigere speciali mandato, ut Diœcesanam celebret Synodum, videntur communiter affirmare Doctores, generatim docentes, integrum illi esse Synodum, cum voluerit, congregare, quin ullam specialis mandati mentionem faciant, quemadmodum, inter ceteros, tradunt Garcias *de Beneficiis part. 9. cap. 2. n. 64.* Bottus *de Synodo Episc. part. 1. q. 5. n. 40.* Ventriglia *tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 49.* Cardinalis Petra *ad Constitut. Apostol. tom. 6. pag. 119. n. 113.* Scarfanton. ad Ceccoper. *part. 2. lib. 4. tit. 3. in animadverf. pag. 126. n. 25. & 26.* Romaguerra *ad Constit. Synod. Gerundenf. lib. 1. tit. 1. cap. 1. n. 16. & seq.* Expresse autem facultatem, de qua loquimur, Vicario Capitulari, solo sui muneris jure, & sine speciali mandato, competere asserit Petrus Leurenius *de Vicario tract. 3. cap. 5. qu. 590.* Quoniam, ait, non minus diœceseos visitatio, quam Synodi coactio, inter majora & ardua recensentur; illa a Vicario Capitulari, sine speciali mandato, libere expleri potest: igitur & Synodus congregari.

VI. Hæc porro assertio, quam Leurenius aperte, & alii subobscure adstruunt, etsi verissima sit, attamen ex eodem illo argumento, quo præcipue innititur, ita videtur limitanda, ut nimirum liceat Vicario Capitulari, sine speciali mandato, Synodum convocare, dummodo effluxerit annus a die *ultimæ Synodi* habitæ ab Episcopo: etenim, *quamvis ille* possit diœcesim visitare, sicuti late probant Alteserra *in Vindic. Ecclesiast. jurisdict. lib. 8. cap. 16. in fin.* Marescott. *variar. resolut. lib. 2. cap. 15. n. 14. & seq.* Novar. *in Summa Bullar. commentar. 38. n. 6. part. 1.* Rota *dec. 346. n. 2. & 3. part. 1. recent. & dec. 84. alias 85. coram Merlino*, non potest tamen visitationem aggredi, nisi elapsus sit annus a die ultimæ visitationis ab Episcopo peractæ, uti prosequuntur Barbosa *Jur. Ecclesiast. universf. lib. 1. cap. 32. n. 71.* Novar. *cit. Summ. Bullar. part. 2. comment. 32. n. 5.* Ventriglia *in praxi rer. Ecclesiast. part. 2. annot. 15. §. 1. n. 21.* ac sæpius decisum fuit a sacra Congregatione Concilii, signanter *in Ostunen. 28. Julii 1718. lib. 53. decretor. pag. 266.* cum, proposito dubio, *An, & quando Vicarius Capitularis possit visitare*, rescripsit: *Affirmative post lapsum anni*: & dum fungebamur munere Secretarii ejusdem sacræ Congregationis, propositis die 13. Septembris 1721. sequentibus dubiis: *An Vicarius Capitularis Scardonen. facere possit visitationem civitatis, & diœcesis. Secundo, an facere possit visitationem personalem Capitularium*; responsum fuit. *Ad primum, & secundum Affirmative, dummodo elapsus sit annus a die ultimæ visitationis factæ ab Ordinario.* Quocirca, cum a sacro Concilio Tridentino tam diœceseos visitatio, quam Synodi coactio, quotannis perficienda statuatur, ac proinde hæc duo in re præsenti videantur quodammodo inter se connexa, eodem jure metienda sunt, idemque de utraque est ferendum judicium, cum in utraque eadem vigeat ratio, bene perpensa ab Alteserra *de Jurisdict. Ecclesiast. lib. 8. cap. 16. in fin. Probabilius est, Capitulum, Sede vacante, posse utrumque visitare, & Synodum celebrare, ne, crescente peccandi licentia, crimina maneant impunita.*

VII. Dicet fortasse quispiam: Quamvis ad Capitulum, & per Capitulum ad Vicarium tota Episcopalis jurisdictio, Sede vacante, transeat, & facultas convocandi Synodum, non ad Ordinem, sed ad jurisdictionem Episcopalem pertineat, non recte tamen exinde infertur, facultatem inesse Vicario convocandi Synodum: nam etiam potestas concedendi Indulgentias, non ad Ordinem, sed ad jurisdictionem pertinet, uti desumitur *ex Cap. Quod autem, de pœniten. & remission.* atque ex eo fit, quod a summo Pontifice simplici Clerico quandoque delegetur: & nihilominus ab Episcopo ad Capitulum, ejusve Vicarium non transit; hic quippe Indulgentias quadraginta dierum, quas Episcopus elargiri poterat, neutiquam concedere valet. At respondetur in primis, non deesse Doctores, qui eandem potestatem concedendi Indulgentias, qua pollet Episcopus, attribuant Vicario Capitulari, inter quos Abbas *in Cap. Cum olim, qu. 13. de majorit. & obedien.* Marchett. *in Praxi Vicar. Capitul. cap. 24. n. 1. & seq.* Peregrin. *in Praxi Vicar. part. 1. sect. 4. subsect. 2. n. 32.* Molin. *de just. & jur. tom. 6. disput. 11. n. 6.* Azor. *Institut. Moral. part. 2. lib. 3. cap. 37. qu. 9.* Barbosa *de Jur. Ecclesiast. lib. 1. cap. 32. n. 91.* Sylva *de Beneficiis part. 2. cap. 11. n. 4.* Armilla *in Summa in verb. Capitulum, verf. Cum jura dicant*, Sylvester *in Summ. verb. Capitulum, in fin.* Sa *in Aphor. Confessarior. verb. Capitulum Sede vacante.* Deinde, etsi libenter admittamus, veriorem esse sententiam oppositam, quam tuentur Turrecremata *in Can. Item in Levitico n. 41. de pœnit. dist. 1.* Socin. *in Cap. Nostram n. 19. & seq. de pœnit. & remiss.* Fagnanus *in Cap. Accedentibus n. 13. de excessib. Prælator.* Pirhing. *ad lib. 1. Decretal. tit. 33. sect. 2. n. 49. verf. Cujusmodi potestas, & lib. 5. tit. 38. sect. 2. n. 42.* Formosin. *de Capitulo Sede vacante quæst. 9. n. 10.* Leander *Oper. Moral. tom. 1. tract. 5. disp. 14. quæst. 23.* Fragos. *de Regim. Christian. Reip. tom. 2. part. 2. lib. 2. disput. 4. §. 1. n. 19.* Pax Jordan. *Elucubrat. tom. 1. lib. 5. tit. 16. n. 27.* Coton. *controv. lib. 2. controv. 11. cap. 1. n. 20.* & præterea fateamur, hanc secundam opinionem esse omnino in praxi servandam; nam sacra Congregatio Concilii die 13. Novembris 1688. interrogata: *An Vicarius Capitularis, Sede Episcopali vacante, facultatem habeat concedendi Indulgentias, quas ceteroquin concedere posset Episcopus vivens:* noluit quidem juris controversiam decidere, districte tamen vetuit, ne opinio, eam facultatem asserens Vicario, deduceretur in praxim, respondendo: *Vicarius Capitularis se abstineat*: multa nihilominus intercedere agnoscimus discrimina inter hanc, & potestatem congregandi Synodum. Primo enim facultas concedendi Indulgentias, uti bene ratiocinatur Theodorus a Spiritu Sancto *in Tract. de Indulgentiis part. 1. cap. 3. artic. 4.* non est adeo necessaria ad diœceseos regimen, ut aliquod damnum eidem immineat, si ea careat qui diœcesim ad tempus administrat: quod de usu jurisdictionis, quoad alia externam politiam respicientia, dici nequit. Secundo, præfata potestas, etsi jurisdictionis, & non Ordinis sit, est tamen jurisdictionis cujusdam extraordinariæ, soli dignitati Episcopali annexæ, sicuti diserte dicitur *in Cap. Accedentibus, de excessib. Prælator.* Tertio demum, jus Indulgentias elargiendi plenarie residet in solo Romano Pontifice, qui Ecclesiæ thesauri, ex infinitis Christi Domini meritis, Sanctorumque satisfactionibus conflati, custos, administrator, & dispensator est; atque a summo Pontifice profluit in Episcopos, uti docet Bellarminus *in tract. de Indulgentiis lib. 1. cap. 11. Controv. tom. 2.* Potuit autem summus Pontifex illius juris partem conferre Episcopis, tanquam suarum Ecclesiarum sponsis, ut ea uterentur in commodum gregis, cujus veri pastores, & tutores sunt, & nolle illam credere aliis, qui neque Ecclesiarum sponsi, nec veri pastores sunt, sed temporariam tantum gregis curam gerunt. Cum itaque

itaque tot & tanta inter utramque poteſtatem, quæ in objectione invicem comparantur, interſint diſcrimina; ex denegata Vicario Capitulari facultate concedendi Indulgentias, nullo pacto ſequitur, eſſe pariter illi abjudicandum jus congregandi Synodum.

VIII. Cave tamen, ne hanc poteſtatem Synodum Diœceſanam celebrandi, quam pluribus vindicavimus Vicario Capitulari, ita extendas ad Vicarium vacantis Eccleſiæ Metropolitanæ, ut jus pariter huic adſcribas indicendi Synodum Provincialem: nam, cum indecens & abſonum viſum fuerit tantam juriſdictionem tribuere Vicario Capitulari Metropolitanæ Eccleſiæ, ut valeat ad Synodum compellere totius provinciæ Epiſcopos, idcirco ſancitum eſt, ut, vacante Sede Metropolitana, non ad iſtius Vicarium, ſed ad antiquiorem Suffraganeum *jus* pertineat Provincialem Synodum cogendi, quod declaravit ſacra Congregatio Concilii in cauſa *Tarraconen.* 10. Februarii 1624. *lib.* 12. *decretor. pag.* 160. in qua interrogata: *An Capitulum Tarraconen. poſſit, Sede Archiepiſcopali vacante, indicere ac celebrare Concilium Provinciale; an vero hæc facultas ſpectet ad antiquiorem Epiſcopum ejus provinciæ;* Reſpondit: *Jus Provinciale Concilium indicendi ac celebrandi, Sede vacante, non ad Capitulum Metropolitanum, ſed ad antiquiorem provinciæ Epiſcopum pertinere.*

## CAPUT DECIMUM.

### *De Vicario Apoſtolico.*

APoſtolicorum quorundam Vicariorum illuſtria in Eccleſiaſtica Hiſtoria extant monumenta. Theſſalonicenſis Archiepiſcopus a S. Damaſo Romano Pontifice Vicarius Apoſtolicæ Sedis conſtitutus fuit. S. Simplicius Papa anno 482. Apoſtolicum Vicarium in Hiſpania Epiſcopum Hiſpalenſem deputavit; ut in prima illius epiſtola habetur. *Congruum duximus, Vicaria Sedis noſtræ te auctoritate fulciri, cujus vigore munitus, Apoſtolicæ inſtitutionis Decreta, vel Sanctorum terminos Patrum nullo modo tranſcendi permittas.* Quem quidem Vicariatum Apoſtolicum S. Hormiſda Romanus Pontifex ratum habuit, ſub eoque Bæticam, & Luſitaniam comprehendit; pro reliqua autem Hiſpania Archiepiſcopum Tarraconenſem Vicarium Apoſtolicum conſtituit, ut ex 24. epiſtola illius deprehenditur: *Servatis privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apoſtolicæ Sedis exterius delegamus, ut ſive ea quæ ad Canones pertinent, ſive ea quæ a nobis ſunt nuper mandata, ſerventur.* Flodoardus *in ſua Hiſtoria lib.* 1. *cap.* 15. docet, S. Hormiſdam eum fuiſſe Pontificem, per quem S. Remigius, Archiepiſcopus Remenſis, Apoſtolicus Vicarius in Gallia conſtitutus fuerit. Verum Cointius *in ſuis Annalibus* id, non Hormiſdæ, ſed Symmacho tribuit; additque, ut ſupremorum Principum in Gallia regnantium poſtulatis ſatisfieret, Vicariatum Apoſtolicum Arelatenſibus etiam Epiſcopis conceſſum fuiſſe. De apoſtolicis hiſce Vicariis fuſe agit Thomaſſinus *de veteri & nova Eccleſiæ diſciplina part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 7. *& ſeq. & cap.* 30. Porro inter cetera, quæ ad officium Vicariorum Apoſtolicorum extra Italiam pertinebant, id erat, ut Provinciales Synodos cogerent, ut eiſdem præſiderent, utque omnem curam adhiberent, ne a Metropolitanis Synodales Conventus prætermitterentur; quemadmodum P. Joannes Antonius Bianchi *in ſuo Opere de Poteſtate & Politia Eccleſiæ tom.* 5. *lib.* 3. *cap.* 2. §. 3. *n.* 2. late oſtendit. Verum, quia ad noſtrum inſtitutum non pertinet de hujus generis Vicariis Apoſtolicis hoc loco agere, ideo, quæ ad illos attinent, ex citatis Auctoribus petenda relinquimus.

II. De illis Vicariis Apoſtolicis nobis in præſentia ſermo eſt, qui hodiernis etiam temporibus a ſummis Pontificibus deputantur, interdum quidem ſine Epiſcopali charactere, interdum autem hujuſmodi charactere inſigniti, cum titulo tamen alicujus Eccleſiæ in partibus Infidelium ſitæ, ut ſpirituale regimen gerant alicujus regionis, cujus Epiſcopus & Paſtor proprius non exiſtat, aut ſi exiſtit, aliqua ratione, etiam ſine vitio ſuo, aut culpa, impediatur, quominus proprium gregem per ſemetipſum paſcere valeat: ac de his quæritur, utrum jus habeant diœceſanam Synodum in regionibus ſibi commiſſis convocandi.

III. Cum per Monaſterienſem Pacem læſa fuiſſent Archiepiſcopi Colonienſis jura, eique impeditum regimen cujuſdam partis ſuæ Diœceſis; delata fuit ad Apoſtolicam Sedem anno 1667. inſtantia Ducis Brunſvicenſis & Luneburgenſis, qui poſtulabat, ut in iis regionibus Vicarius Apoſtolicus conſtitueretur, ſimulque ad id muneris delegandum proponebat Valerium Macionum Equitem, & primum ſuum Eleemoſynarium. Conſultus per litteras Apoſtolicus Nuntius, Coloniæ agens, reſcripſit, ex hujuſmodi Vicarii deputatione, tum ipſi Duci majores animos additum iri ad Catholicam Religionem in illis regionibus promovendam; tum etiam fore, ut Catholici, qui in iis locis erant, magnopere ſublevarentur: ipſum vero Coloniæ Archiepiſcopum huic deputationi libenter aſſentiri, quippe qui impedimentum, exercitio ſui juris objectum, a ſe nullo pacto ſuperari poſſe intelligeret. De hujus Apoſtolici Vicarii conſtitutione, ac de reliquis, quæ ſuperius expoſuimus, extant monumenta in Tabulario S. Congregationis Propagandæ Fidei negotiis præpoſitæ.

IV. Poſtquam ab antiquiſſimo tempore, ſive, ut aliis placet, jam uſque ab Apoſtolorum ævo, Catholicæ Religionis primordia in Malabarica regione conſtituta fuerunt, diabolica fraude factum eſt, ut Neſtorianæ hæreſis labes illarum gentium animos inficeret; quam eo uſque tenuerunt, donec per celebrem Alexium de Menezes Goæ Archiepiſcopum eliminata fuit. Sed non diu permanſit hujus laborum atque operum fructus. Cum enim Granganorenſis Eccleſiæ Archidiaconus magnam ſemper in ea Eccleſia auctoritatem obtinuerit, quidam Thomas de Campo Archidiaconus graviſſimum ſchiſma adverſus Archiepiſcopum conflavit, & magnam illius ſubditorum partem ad ſuam obedientiam pertraxit. Quod cum circa finem Pontificatus Innocentii X. contigiſſet, ab Alexandro VII. ejus Succeſſore miſſus fuit in eas regiones Vir Religioſus e Carmelitana Familia, nomine Joſeph a Sancta Maria, qui ampliſſimis facultatibus a Pontifice ſibi delegatis munitus, exitiali illi malo jam late graſſanti remedium adhiberet. Cui quidem, cum primum ad Malabaricam regionem acceſſit, quantumvis multum ac diu laboraverit, parum, aut nihil proficere datum eſt. Idem tamen cum, Romam converſus, initam a ſe agendi rationem ſummo Pontifici magnopere probaſſet, Epiſcopali charactere, & Hierapolitanæ Eccleſiæ titulo decoratus, & in eaſdem regiones iterum miſſus, memoratum ſchiſma feliciter extinxit, & Thomam de Campo adduxit, ut male præſumpta poteſtate ſe abdicaret. Præterea Alexandrum de Campo, illius patruelem Epiſcopum conſecravit, magnumque animarum numerum, quæ in priſtinum Neſtoriani erroris laqueum reciderant, ad ſanctam Eccleſiæ Catholicæ Fidem reduxit: indeque digreſſus, ab eodem Alexandro VII. ſummo Pontifice, pro laborum ſuorum præmio, Briſiniani Epiſcopatum accepit; a quo deinde ad Tiphernatem Eccleſiam translatus eſt, ubi ſupremum diem obiit.

V. Sed vix e Malabarica regione memoratus Epiſcopus exceſſit, cum Archidiaconus eundem rurſus auctoritatis locum invaſit: in quo uſque ad vitæ finem perſeveravit: illo autem extincto, ſchiſmaticæ factionis qui erant, opem ferente ſchiſmatico Patriarcha Jeroſolymitano, Gregorio V. nuncupato, alium ſibi anteſigna-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

gnanum, cui nomen pariter Thomas de Campo, ſibi elegerunt. Atque hic rerum ſtatus cum ad noſtra uſque tempora permaneat, cumque Præſulibus Coccini, & Granganoris per ſeculares Poteſtates minime permiſſum ſit propriam ſpiritualem juriſdictionem exercere in illis regionibus, quæ temporali eorum ditioni ſubjectæ ſunt; neceſſe fuit, ut Sancta Sedes Vicarium Apoſtolicum, Epiſcopali charactere inſignitum, in locis illis conſtitueret, qui Catholicorum ibidem degentium regimen gerens, eoſdem in Sancta Religione continere, atque hæreſis progreſſum reprimere ſatageret: cui tamen rei, magnæ ad hunc diem difficultates ſe opponunt; cum & ſchiſma ibidem etiam nunc perſeveret, & aliquot loca ſint, quæ Archidiaconi ſchiſmatici, ac hæreſi infecti regimine & auctoritate continentur; licet ille, qui Archidiaconatum in præſentia occupat, apud nos & Apoſtolicam Sedem agat, ut in Catholicæ unitatis gremium recipiatur, paratum ſe ferens, erroribus abjuratis, in ſanctæ Matris Eccleſiæ ſinum, una cum magna populi multitudine ſibi dicto audiente, redire, ac ſummi Pontificis auctoritatem agnoſcere; quod ſane graviſſimi momenti negotium actu diſcutitur in dicta Congregatione Propagandæ Fidei præpoſita, quam nos jam ſemel coram nobis coegimus ad conſultandum, qua via & ratione ad optatum tantæ rei exitum perveniri poſſit. Hæc autem partim deſumpta ex hiſtoria vitæ præfati Patris Joſephi a S. Maria, qui Tiphernatium Epiſcopus obiit, partim ex monumentis, quæ in actis ejuſdem Congregationis aſſervantur, hoc loco paucis inſerere opportunum duximus, ut originem exponeremus Vicariatus Apoſtolici regionis Malabaricæ, qui ex eo tempore alicui ſemper e Carmelitarum Diſcalceatorum Familia Epiſcopali charactere prædito committi ſolet.

VI. Nankinenſem & Pekinenſem Epiſcopatus in Sinarum Imperio erexit Alexander Papa VIII. & jus nominandi perſonas illis præficiendas attribuit pro tempore exiſtenti Portugalliæ Regi *Fideliſſimo*, ut videre eſt in ejuſdem *Pontificis* Conſtitutionibus *16. & 17. tom. 9. Bullarii novæ Romanæ editionis*. Verum non multo poſt agnitum fuit, nimis vaſtas eſſe Diœceſes memoratis Epiſcopis aſſignatas, atque hinc animarum regimen ibidem haud recte procedere. Itaque Innocentius XII. per diverſos Diœceſum illarum tractus Apoſtolicos Vicarios conſtituit, quorum officium tamdiu duraturum eſſet, donec liceret novos ibi Epiſcopatus erigere: Epiſcopis autem Nankinenſi, & Pekinenſi interdixit, ne ſe ullo modo immiſcerent regimini illarum regionum, quæ per Vicarios Apoſtolicos gubernarentur. Et hi quidem Vicarii Epiſcopali charactere præditi ſunt, earumque regionum moderamini ad hunc diem præſunt, ad formam Conſtitutionis memorati Pontificis, quæ in eodem Bullario habetur *num.* 138.

VII. In Meliaporenſis Epiſcopatus erectione, quæ facta eſt a Pontifice Paulo V. Peguviæ Regnum, tanquam Diœceſis illius pars, deſcriptum reperitur. Sed, cum Epiſcopis nunquam datum fuerit, in ea Diœceſis ſibi attributæ parte viſitationem peragere, ideoque animarum cura multum inibi negligeretur, re ad nos delata per ſæpe dictam Congregationem de Propaganda Fide, anno 1741. Præſulem Galizia, Cliſmenſis Epiſcopi titulo decoratum, Vicarium Apoſtolicum in dicto Peguviæ Regno conſtituimus.

VIII. Quod itaque ad hujuſmodi Vicarios Apoſtolicos attinet, cum ipſis omnimoda Paſtoralis auctoritas communicetur, nullus controverſiæ locus eſt, quin Diœceſanam Synodum cogere, & celebrare valeant. Petrus Epiſcopus Beritenſis, Vicarius Apoſtolicus in Tunkini, aliiſque Sinenſis Imperii partibus a ſummo Pontifice deputatus, cum pro bono animarum ſibi creditarum regimine neceſſarium duxiſſet Diœceſanam Synodum convocare, de ſuis facultatibus nihil dubitans, ita ſcribebat: *Ex quo datum eſt nobis in Tunkinenſem Regnum ingredi, id unum præ animo habuimus, ut majorem Dei gloriam, ac infidelium converſionem promoveremus. Cum autem inter varia, quæ ſuppetebant, media, maxime præ ceteris conducere videretur Synodi celebratio, convocavimus eos omnes, quorum conſiliis in præſenti negotio uti poſſemus.* In hac autem Synodo, cui Apoſtolici Miſſionarii, Catechiſtæ, & Presbyteri vocati interfuerunt, inter alia quæ ſtatuta atque proviſa ſunt, hoc quod ſubjicimus decretum eſt: *Unoquoque vertente anno, Conventus Synodalis fiet coram nobis, aut Vicario noſtro Generali, ad quem vocabuntur Adminiſtratores, & in eo de rebus Religionis tractabitur.* Cumque Synodales hujuſmodi Conſtitutiones Romam tranſmiſſæ, & in Congregatione de Propaganda Fide examinatæ & probatæ fuiſſent; a ſummo etiam Pontifice Clemente X. per ſuas Apoſtolicas litteras die 23. Decembris anno 1673. datas, quarum initium *Apoſtolatus officium*, in forma ſpecifica confirmatæ fuerunt. Quæ litteræ inter Conſtitutiones Apoſtolicas ad Sinarum, & Tunkini Miſſiones pertinentes, anno 1676. Pariſiis editas, inſertæ ſunt *pag.* 121. *& ſeq.*

IX. Sixtus V. *in Conſtitutione* 117. *tom.* 4. *part.* 4. *Bullarii noviſſimæ editionis Roman. pag.* 399. Congregationi Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ, facultatem attribuit, ut, quando Eccleſiarum neceſſitas id exigeret, in Italia præſertim, Vicarios Apoſtolicos deputaret, probos ac doctos Viros, qui, auctoritate accepta a Romano Pontifice per Apoſtolicas litteras in forma Brevis, peculiares Diœceſes gubernarent: *Uti neceſſitas exegerit, Viros uſu & doctrina idoneos, rectos, & timentes Deum deligant, qui noſtrarum litterarum auctoritate ſuffulti, Eccleſias ut Vicarii Apoſtolici regant.* Atque hujus quidem generis Apoſtolicos Vicarios frequenter deputari contingit, ſive cum metus eſt, ne diutius Eccleſia aliqua Paſtore viduata permaneat; ſive cum in Vicarii Capitularis electione controverſias & turbas excitandas fore proſpicitur; vel quando Epiſcopus adverſa valetudine, aut ſenio affectus, gregi gubernando impar agnoſcitur; aut denique cum illius culpa fit, ut ab Epiſcopatus adminiſtratione ſuſpendi, aut perpetuo removeri debeat.

X. Ad hos igitur Vicarios Apoſtolicos ſermonem redigentes, ſi quæratur, an ipſis etiam competat facultas convocandi Synodum Diœceſanam, reſpondebimus, quoad illos, qui ad regendam Eccleſiam per obitum, aut translationem Epiſcopi, vacantem deputati fuerint, ea omnia locum habere, quæ in ſuperiori Capite de Vicariis Capitularibus diſſeruimus. Quod vero ſpectat ad alios, quibus ſupplendæ injunguntur vices Epiſcoporum, qui vel Eccleſiæ regimini nequaquam idonei, vel ab illius adminiſtratione remoti ſunt, omnium tutior ac melior ratio eſt, ut Apoſtolicæ eorum deputationis litteræ inſpiciantur, & perpendantur. Si enim in iis expreſſa reperiatur facultas cogendæ Synodi, utique Vicario jus erit eam convocandi: ſin autem ejuſmodi facultas in litteris expreſſa non fuerit, & tamen ea ſit rerum illius Diœceſis conditio, ut Synodum convocari requirat; ſupplicandum erit ſummo Pontifici, ab eoque facultas obtinenda celebrandi Diœceſanam Synodum: quod quidem facili negatio impetrabitur: eo vel magis, quod ipſis Apoſtolicis litteris, quibus Vicariorum deputationes fiunt, ut plurimum hujuſmodi facultas inſeri conſuevit. Formula, qua concipi ſolent hujuſmodi deputationum litteræ, impreſſa legitur in Tractatu *De Vicario Apoſtolico*, quem ſcripſit Præſul Baſſi quondam Epiſcopus Ananiæ *ad tit.* 1. Qui etiam Auctor jure ac merito cenſet, ad Synodales Conventus ab hujuſmodi Vicario Apoſtolico

ecle-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

celebrandos, minime accerſendum, aut admittendum eſſe Epiſcopum, cui vel ob inhabilitatem, vel ob culpam, datus eſt auctoritate Apoſtolica Vicarius ipſe, de quo agitur; ut videre eſt *in citato Tractatu tit. 2. num. 9.*

## CAPUT UNDECIMUM.

### *De Prælato inferiore.*

TAmburinus *de Jure Abbatum tom. 1. diſput. 24. qu. 7.* Ciarlinus *Controverſ. Juris lib. 2. cap. 220. n. 125.* & Joſeph de Proſperis *in ſuo tract. de territorio ſeparato quæſt. 5. num. 18.* indiſtincte docent, omnibus Prælatis inferioribus, qui tantam juriſdictionem in loco exercent, ut dicantur loci Ordinarii, jus eſſe congregandi Synodum Diœceſanam. At, ad arcendum errorem, qui ex vocis ambiguitate oriri, & multos decipere ſolet, tres diſtinguimus inferiorum Prælatorum ſpecies.

II. Prima eſt eorum, qui certo præſunt generi perſonarum exiſtentium intra ſepta alicujus Eccleſiæ, monaſterii, ſeu conventus, cum paſſiva exemptione a juriſdictione Epiſcopi. Ejuſmodi ſunt Superiores Regulares, & nonnulli Prælati Seculares qui una cum Eccleſia, ejuſque Eccleſiæ Clericis, & Adminiſtris, quibus præficiuntur, ſubſunt immediate Romano Pontifici.

III. Secunda ſpecies eſt Prælatorum habentium juriſdictionem activam in Clerum, & populum certi loci, qui tamen locus eſt intra Epiſcopi diœceſim, qua undique circumſcribitur. Et ejuſmodi Prælati improprie tantum, & lato quodam loquendi modo dicuntur eſſe *Nullius*.

IV. Tertia ſpecies eſt Prælatorum, qui juriſdictionem activam habent in Clerum, & populum alicujus loci, ſeu oppidi, aut plurium locorum & oppidorum, quæ omnino avulſa & ſeparata ſunt a cujuslibet Epiſcopi diœceſi; quapropter dicuntur conſtituere quamdam quaſi diœceſim, ubi Prælatus, iis exceptis, quæ Ordinis Epiſcopalis ſunt, omnia exercet, quæ cetero quin ad Epiſcopalem juriſdictionem pertinerent. Hujus generis Prælati inter inferiores nobiliſſimi ſunt; dicuntur vere & propriæ *Nullius*; & veris annumerantur Ordinariis locorum. De ſingulis hiſce Prælatorum ſpeciebus diligenter, more ſuo, agit Cardinalis Petra *ad conſtitutionem 4. Calliſti III. ſect. 1. tom. 5.* & poſt eum Clemens de Aroſtegui *in ſua Concordia Paſtorali ſuper jure diœceſano inter Epiſcopos, & Prælatos inferiores part. 1. cap. 4. num. 64. & ſeq.* ubi ſimul omnium præfatorum trium Prælatorum inveſtigat originem. Et ſiquidem ex privilegiis a Sede Apoſtolica conceſſis Prælatis primæ, & ſecundæ ſpeciei, incaute admodum nonnulli Doctores, & quandoque etiam Tribunalia, inferebant conceſſionem territorii vere ſeparati, & Prælatum tot tantiſque condecoratum prærogativis, illico accenſebant Prælatis tertiæ ſpeciei; idcirco nos ad ſupremum Pontificatum evecti, ad haſce avertendas æquivocationes, Conſtitutionem edidimus, quæ eſt *in ordine 76. noſtri Bullarii tom. 1.* in qua, additis etiam noſtræ Romanæ Rotæ Auditoribus, totam hanc materiam accurate digeſſimus, & perſpicue explicavimus, quod a nobis præſtitum eſt in alia noſtra Conſtitutione, quæ incipit *Inter multa*, edita die 24. Aprilis 1747. ſuper juriſdictione Epiſcopi Tuſculani in Clerum & populum Cryptæ Ferratæ, inſerta in ſecundum tomum noſtri Bullarii 33. *in ordine*.

V. Hac opportuna diſtinctione præmiſſa, certum eſſe dicimus, ab inferioribus Prælatis tum primæ, tum ſecundæ ſpeciei, non poſſe Diœceſanam Synodum celebrari: quod profecto de Prælatis primæ ſpeciei, eſt per ſe manifeſtum: de Prælatis vero ſecundæ ſpeciei, colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 2. de reform.* præcipiente, ut, niſi ipſi ſubdantur Capitulis generalibus, accedant ad Synodum Epiſcopi, cui alias ceſſante exemptione intereſſe deberent: non enim ita Tridentinum juſſiſſet, ſi ipſis jus eſſet propriam Synodum habendi. Quod vero ſpectat ad Prælatos tertiæ ſpeciei, non idcirco, quod illi vere *Nullius* ſint, & proprium ac ſeparatum territorium habeant, ſtatim jus ſibi vindicare poterunt congregandi Synodum Diœceſanam; ſed neceſſe eſt, ut duo inſuper probent: primum, ſibi a Sede Apoſtolica conceſſum fuiſſe explicitum privilegium Synodum convocandi: ſecundum, tale privilegium deductum fuiſſe in uſum, & reapſe a ſuis anteceſſoribus fuiſſe Synodum coactam: ſicuti docent Garcias *de Benef. part. 2. cap. 2. num. 121.* Pariſ. *de reſignat. lib. 8. quæſt. 9. num. 98.* ac pluribus Cardinalis Petra *cit. tom. 5. ſect. 2. pag. 129. n. 114. & ſeq.* quorum ſententiæ adſtipulantur plures Rotæ Romanæ deciſiones relatæ a Garcia *cit. loc.* & uberius videri poteſt *in deciſ. 13. & 14. tom. 2. tit. 23. de offic. Ordinar. cor. clar. mem. Cardinali Falconerio:* & quod magis eſt, eadem ſemper fuit ſententia ſacræ Congregationis Concilii, cui ſola qualitas *Nullius*, cum territorio ſeparato, nunquam viſa eſt ſufficere ad aſtruendam Prælato inferiori facultatem cogendi Synodum, niſi ſimul in eodem concurrant illa duo, ſpeciale ſcilicet expreſſum privilegium Apoſtolicum, atque ejuſdem privilegii uſus: uti conſtat ex quamplurimis ejuſdem ſacræ Congregationis reſponſis, & decretis, congeſtis & relatis a Cardinali Petra *loc. cit.* de quibus etiam teſtatur bon. mem. Altovitus, ſacræ Congregationis olim Secretarius, in voto, quod exaravit in cauſa *Iſernien. ſeu Nullius, Sancti Vincentii in Vulturno*, propoſita die 11. Januarii 1687. ubi hæc habet: *Ad hoc ut Epiſcopo Inferior poſſit Synodum congregare, duo copulative requiruntur; primum nempe, quod habeat proprium & ſeparatum territorium; ſecundum vero, quod eandem Synodum congregare conſueverit, ut alias reſpondit ſacra Congregatio, & ſignanter in Mileten. menſe Decembri 1586. lib. 4. decretor. pag. 216. ibi: Abbatem Sanctiſſimæ Trinitatis non poſſe ſeparatim Synodum celebrare, niſi conſtet, Abbatiam Nullius eſſe diœceſis, & proprium habere territorium, atque alias legitime Synodum celebraſſe.*

VI. Quia porro jus convocandi Synodum, & jus indicendi concurſum ad Parochiales Eccleſias videntur quodammodo inter ſe connexa, cum juxta Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.* concurſus inſtituendus ſit coram Examinatoribus in Synodo Diœceſana electis; idcirco ſacra Congregatio jus indicendi concurſum in Abbatibus non admiſit, niſi prius & privilegio, & privilegii uſu oſtenderint, ſe eſſe in quaſi poſſeſſione Synodum cogendi: *Quod ſi Parochialis*, verba ſunt ſacræ Congregationis, *non ſit intra fines diœceſis alicujus Epiſcopi, & Inferior Epiſcopo omnimodam habeat juriſdictionem Epiſcopalem, nec alicui ſubdatur, ſed eſt immediate ſubjectus Sedi Apoſtolicæ, Nullius diœceſis, proprium territorium habens, ſi habeat jus congregandi Synodum, & legitime conſtet, illam congregaſſe, & congregare, & elegiſſe, ac eligere Examinatores, poterit concurſum inſtituere, examinare, & approbare; OEconomos, Vicarios deputare, & alia facere, præſcribuntur cap. 18. ſeſſ. 24. Epiſcopus vero debet manuteneri, donec dicta requiſita Abbas probaverit, lib. 6. decretor. pag. 91.* Idemque, atque iiſdem fere verbis reſcriptum legitur die 26. Septembris 1615. *lib. 11. decretor. 163.*

VII. Prædicta connexio inter facultatem cogendi Synodum, & indicendi concurſum ad Eccleſias Parochiales, anſam præbuit controverſiæ, cujus notitia prodeſſe poteſt ad clariorem præſentis materiæ intelligentiam. Inter Commendatarium, *Archimandritam* nuncupatum, Monaſterii S. Salvatoris de lingua Phari, & Archiepiſco-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

piſcopum Meſſanenſem, diu multumque diſceptatum fuit de vera ſeparatione territorii ejuſdem Archimandritæ a diœceſi Meſſanenſi, cum vera qualitate *Nullius*; atque ad omnem finiendam controverſiam inita tandem eſt inter utrumque concordia, a Sede Apoſtolica approbata, in qua Archimandrita ponitur in pacifico ſtatu Prælati tertiæ ſpeciei, cum territorio ſeparato, & inter cetera jus illi adſcribitur indicendi, & inſtituendi concurſus ad Beneficia Curata, in ſua quaſi diœceſi vacantia, & vacatura. Cohærenter ad hujuſmodi concordiam, & veluti in neceſſariam illius ſequelam, contendebat Archimandrita, jus pariter ſibi eſſe Synodum congregandi. Re delata ad Sacram Congregationem Concilii, a docto & accurato ejuſdem Congregationis Secretario ſcite animadverſum fuit, ex poteſtate indicendi concurſum non neceſſario conſequi jus cogendi Synodum, cum poſſit concurſus fieri coram Examinatoribus, electis a Synodo finitimi Epiſcopi, qualis in caſu eſſet Archiepiſcopus Meſſanenſis; ex quo intulit, onus adhuc incumbere Archimandritæ probandi & privilegium Apoſtolicum, quo ſibi fiat expreſſa poteſtas Synodum cogendi, & prævia ejuſdem privilegii, ſi ab antiquo conceſſum demonſtretur, executionem: cumque hæc duo probata non fuerint, idcirco propoſito, die 5. Julii anno 1738. ſequenti dubio: *An Archimandritæ Meſſanenſi competat jus convocandi Synodum*: reſponſum fuit *Negative*. Verum cum, poſt noſtram aſſumptionem ad ſupremum Pontificatum, Cardinalis Silvius de Valentibus, Commendatarius Archimandrita præfati Monaſterii S. Salvatoris, nobis ſupplicaſſet, ut poteſtatem, qua hactenus caruerat, Apoſtolica auctoritate ei concedere dignaremur, nos ejuſdem Cardinalis precibus annuentes, noſtris in forma Brevis litteris datis die 14. Januarii 1741. privilegium eidem Cardinali indulſimus celebrandi Synodum in aliquo loco ſuæ juriſdictionis, extra civitatem Meſſanenſem; quod tamen privilegium perſonale duntaxat eſſe, declaravimus, nec ſuffragari voluimus futuris Archimandritis, niſi ſimile indultum a Sede Apoſtolica ipſi quoque obtinuerint. Eodem Apoſtolico privilegio, nunc temporario, nunc perpetuo, a Sede Apoſtolica exornatos fuiſſe alios plures inferiores Prælatos tertiæ ſpeciei, non ignoramus; cum frequenter occurrant Synodi ab iis habitæ, ac præſertim ab Abbatibus Caſſinenſi, Nonantulano, Farfenſi, S. Salvatoris Majoris, & ſimilibus.

VIII. Audivimus ab aliquibus, etſi viris probis & doctis, quæ modo dicta ſunt, improbari, ex eo potiſſimum, quod, ſi tertiæ ſpeciei Prælatis in vim ordinariæ ſuæ juriſdictionis competit aut Ordines ſuis ſubditis conferre, aut litteras dimiſſorias eis concedere, ut ab aliis Tonſuram & minores Ordines recipere poſſint, eiſdem Prælatis tertiæ ſpeciei denegari non poſſit facultas cogendi Synodum jure ſuo, & præciſo quolibet Apoſtolico privilegio. At tantum abeſt, ut allatum exemplum intentioni ſic arguentium prodeſſe poſſit, ut eam potius evertat: quod ut facilius percipiatur, opus eſt præmittere, a Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *de reform.* duo fuiſſe ſancita: primum, ne Abbatibus, aliiſque quibuſcumque, quantumvis exemptis, liceat primam Tonſuram, vel minores Ordines cuiquam conferre, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit: ſecundum, ne iidem Abbates, aliique exempti litteras dimiſſorias Clericis ſecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedere valeant.

IX. Jam vero primam decreti partem expendenti ſtatim coercita apparet illimitata illa facultas, a jure antiquiori quibuſdam Abbatibus data, omnibus indiſtincte & promiſcue conferendi primam Tonſuram & minores Ordines; & perſpicuum fit, ab iis, quantavis fruantur exemptione, hodie non poſſe initiari, niſi ſuos ſubditos Regulares. Ut autem hac ipſa, qua nunc unice fruuntur, poteſtate uti valeant, non ſolum debent eſſe in Presbyteratus Ordine conſtituti, ſed debent inſuper benedictionem obtinuiſſe ab Epiſcopo, niſi Epiſcopus *tertio cum humilitate ac devotione, ſicut convenit, requiſitus, eos benedicere forte renuerit*, juxta textum *in Cap. Statuimus, de ſuppl. neglig. Prælator.* aut niſi alio peculiari fulciantur privilegio, quo eis poteſtas fiat, etiam non recepto benedictionis munere, omnia peragendi, quæ Abbatibus competunt, Epiſcopi benedictione quodammodo ſacratis; quæ omnia ſingillatim & diſtincte a nobis expoſita fuere in brevi quadam diſſertatione, quam exaravimus occaſione cujuſdam cauſæ *Wratislavien.* ſacræ Congregationi Concilii, cujus Secretarii officium gerebamus, propoſitæ die 12. Februarii 1724. & juxta noſtrum ſenſum deciſæ, uti videre eſt *tom.* 3. *Theſaur. Reſolut. pag.* 19. *& pag.* 23. *& ſeq.* a quibus propterea ulterius enucleandis, ne actum agamus, conſulto abſtinemus. Solum addimus, prædictis peculiaribus privilegiis, quorum mentio fit etiam a Suarez *de Relig. tom.* 4. *lib.* 2. *cap.* 29. & a Diana *in edit. coord. tom.* 2. *tract.* 5. *reſolut.* 81. non fuiſſe derogatum per Conſtitutionem ſan. mem. Benedicti XIII. quæ incipit *Commiſſi nobis*, editam poſt noſtram memoratam diſſertationem, & impreſſam in Appendice ad Concilium Romanum, in qua præcipitur Abbatibus Regularibus perpetuis, ut intra annum, a die eorum electionis, Epiſcopalem ſuſcipiant benedictionem: in ea quippe §. *Quo vero ad Abbates*, nihil innovatum legitur quoad Abbates, qui præfatis peculiaribus ſunt inſtructi privilegiis.

X. Quoniam autem Tridentinum Abbatibus, quovis modo exemptis, facultatem duntaxat reliquit, primam Tonſuram minoreſque Ordines conferendi ſuis ſubditis Regularibus; & Abbates Seculares, quantacunque gaudeant exemptione, Regularibus non præſunt: neceſſario inde conſequitur, eos non poſſe ullum, quamquam ſuæ juriſdictioni ſubjectum, ad primam Tonſuram Ordineſque minores promovere, niſi hanc poteſtatem a Sede Apoſtolica poſt Tridentinum Concilium impetraverint. Concilium enim præcedentia privilegia abrogavit, ſed ab iiſdem in poſterum concedendis non potuit Apoſtolicam Sedem impedire, quemadmodum ad rem ponderat Fagnanus *in Cap. Statuimus n.* 14. *& n.* 53. *& 54. de ſupplen. neglig. Prælat.* Ejuſmodi privilegium ab Urbano VIII. conceſſum Abbati Commendatario pro tempore B. Mariæ Farfenſis, & S. Salvatoris Majoris, liquet ex ejuſdem Apoſtolicis litteris, impreſſis poſt Synodum Diœceſanam Farfenſem, habitam a Carolo Cardinali Barberino *pag.* 997. idemque privilegium ab Alexandro VIII. die 8. Aprilis 1690. datum Primicerio S. Marci Venetiarum quoad perſonas eidem inſervientes Eccleſiæ, refert Clericatus *poſt deciſ.* 15. *de Sacram. Ordinis* Eandem facultatem ſibi pariter adſtruebat Abbas S. Barbaræ civitatis Mantuanæ, de cujus juribus plura nos in utramque partem adduximus, quæ extant *citat. Theſaur. Reſolut. tom.* 3. *pag.* 214. *& ſeq. pag.* 230. *& ſeq. & pag.* 293. *& ſeq.* quibus in locis concludenter etiam probavimus, neminem poſſe eam poteſtatem ſibi arrogare, niſi a Sede Apoſtolica ſibi poſt Tridentinum ſpeciatim atque expreſſe conceſſam oſtendat.

XI. At duæ hac in re excitantur quæſtiones: prima ſcilicet, an Epiſcopi ſuis ſubditis, atque Regulares Prælati Religioſis ſibi ſubjectis litteras dimiſſorias concedere valeant, ut primam Tonſuram minoreſque Ordines recipiant aut ab Abbatibus Regularibus, quibus, virtute ſuorum privilegiorum, jus eſt ad eos promovendi ſubditos Regulares; aut etiam ab Abbatibus Secularibus, eodem ornatis privilegio, limitato tamen ad certum genus perſonarum; puta ad ſubditos in ſuo territorio commorantes, aliaſve certas, atque in privilegio deſignatas perſonas: ſecunda, an collatio Tonſuræ Ordi-

Ordinumque minorum, ab utriſque Abbatibus facta perſonis, in ſuis privilegiis minime comprehenſis, ſit tantum illicita, an etiam invalida. Sed ambæ iſtæ controverſiæ jamdiu diremptæ & definitæ ſunt a ſacra Congregatione Concilii.

XII. Atque, quod primam ſpectat, etſi olim, anno videlicet 1572. eadem Congregatio cenſuiſſet, integrum eſſe Abbatibus, de quibus eſt ſermo, prima Tonſura minoribuſque Ordinibus initiare, quotquot hiſce initiandi forent a propriis Ordinariis ad eos dimiſſi; ex quo plane conficiebatur, etiam locorum Ordinariis licere ſuas litteras dimiſſoriales ad eoſdem Abbates dirigere: attamen, cum eadem quæſtio, jubente Clemente VIII. fuerit ad trutinam revocata, atque in Rotæ Auditorio iterum diligenter diſcuſſa, ſacra Congregatio inhærens deciſioni, quæ a ſacra Rota emanavit, eſtque 995. *coram Seraphino*, a priori ſententia receſſit; ſtatuitque, non poſſe ad prædictos Abbates litteras dimiſſoriales dirigi, neque iiſdem fas eſſe perſonis, quæ in eorum privilegiis expreſſæ non ſunt, etſi cum ſuorum Prælatorum dimiſſorialibus litteris ad ſe acceſſerint, primam Tonſuram minoreſque Ordines conferre, ſub pœna ſuſpenſionis ab Ordinum collatione, tam ab Ordinantibus, quam ab Abbatibus, aliiſque Prælatis dimiſſoriales litteras concedentibus, incurrenda; atque hæc poſterior ſacræ Congregationis ſententia approbata fuit ab Urbano VIII. quæ omnia fuſe enarrantur a Fagnano *in Cap. Aqua a n.* 8. *uſque ad* 19. *de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* atque a Clericato *deciſ.* 15. *de Sacram. Ordin. a n.* 19. *uſq. ad* 33.

XIII. Quod autem ad alteram pertinet quæſtionem de Ordinationis validitate, jam plerique Doctores ſuſtineri docuerant primam Tonſuram, minoreſque Ordines a prædictis Abbatibus collatos aut Regularibus ſibi non ſubjectis, aut Secularibus in ſuis privilegiis non comprehenſis. Ita quippe diſerte aſſeruere Tamburin. *de Jur. Abbatum tom.* 2. *diſp.* 3. *qu.* 8. *per tot.* Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 21. Peirin. *Oper. tom.* 2. *quæſt.* 3. *cap.* 7. *n.* 23. Fermoſin. *in Cap. Cum contingat part.* 2. *n.* 6. *& ſeq. de ætat. & qualit.* Fagnan. *in Cap. Statuimus n.* 11. *de ſuppl. neglig. Prælator.* Huic vero ſententiæ calculum ſubinde adjecit ſacra Congregatio Concilii, quæ illicitam quidem habuit; ſed validam ſemper pronuntiavit Ordinationem, de qua diſſerimus: etenim, cum in cauſa *Conimbricen.* 26. Junii 1655. quæſitum fuiſſet: *An Abbates Congregationis S. Bernardi, & S. Benedicti conferre potuerint Ordines minores Regularibus ſibi non ſubditis, necnon Secularibus etiam habentibus litteras dimiſſorias ſuorum Superiorum*: reſpondit ſane, id fieri nequaquam potuiſſe, ſed ſimul addidit: *Promotos ab illis non indigere alia collatione dictorum Ordinum, ſed abſolutione, & rehabilitatione a Sanctiſſimo obtinenda*: quod habetur *lib.* 19. *decretor. pag.* 484. Similiter in cauſa *Panormitana collationis Ordinum*, die 16. Martii 1647. diſceptato articulo: *An Ordines minores, per Abbatem Regularem non benedictum collati non ſuis ſubditis, ſint validi, ſi Abbas habeat privilegium illos ſuis ſubditis conferendi*: prodiit deciſio alteri conformis, quæ antea emanaverat in cauſa *Catanien.* 23. Novembris 1641. cujus verba ſunt, *Collationem autem Ordinum ſupradictis non ſuis ſubditis, etiam Regularibus, factam, ſi fuerit de Ordinibus etiam minoribus, & dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium Apoſtolicum, Ordines collatos remanere invalidos, & Ordinatos indigere alia Ordinatione; ſi vero Abbas, non benedictus, habeat dictum privilegium, & Ordines minores tantummodo contulerit ſuis non ſubditis, Ordinatos non indigere alia Ordinatione, ſed ſolummodo abſolutione, & rehabilitatione a Sede Apoſtolica obtinenda*: uti habetur *lib.* 18. *decretor. pag.* 311. Denique, cum in cauſa *Lucana*, propoſita 16. Martii 1726. diſputaretur de privilegiis conceſſis Abbati S. Barbaræ civitatis Mantuanæ, & ſpeciatim res eſſet de Clerico, ab eodem Abbate ad minores Ordines promoto, quamquam promotus non recenſeretur inter perſonas in Abbatis privilegio expreſſas, ſacra Congregatio Ordinationem illicitam dixit, Clericumque minoribus initiatum, ſuſpenſione irretitum declaravit; non tamen Ordines eidem iterum conferendos juſſit, *Theſaur. Reſolut. tom.* 3. *pag.* 288. & 296. Quare, ut, quam verſamus, controverſiam paucis abſolvamus, aut Abbas nullo fruitur privilegio conferendi primam Tonſuram, & minores Ordines, aut privilegio potitur illos conferendi certo perſonarum generi. Si primum, nec licite, nec valide poteſt quemquam ad primam Tonſuram, minoreſque Ordines promovere. Si alterum, illicite profecto, attamen valide, primam Tonſuram, minoreſque Ordines etiam aliis confert, qui ceteroquin inter perſonas non numerantur in privilegio deſignatas.

XIV. Quæ hactenus diximus, omnes complectuntur Abbates, ſeu Prælatos inferiores, etiam tertiæ ſpeciei, habentes nimirum proprium territorium, a cujuslibet Epiſcopi diœceſi avulſum & ſeparatum, cum Clero & populo, in quem pleno jure exercent juriſdictionem activam & quaſi Epiſcopalem; nam etiam ejusmodi Prælatis, virtute præfati decreti Tridentini, adempta eſt facultas, ſi quam olim habuerant, conferendi primam Tonſuram, & Ordines minores ſuis ſubditis ſecularibus; neque hanc poteſtatem poſſunt ſibi vindicare, niſi a Sede Apoſtolica, poſt Tridentinum, & cum expreſſa Tridentini derogatione, eam iterum impetraverint; ſed ſecularium omnium, in prædicto territorio ſeparato degentium, Ordinatio ſpectat ad Epiſcopum viciniorem: quemadmodum, ſi Abbatia, ſeu Abbatis territorium, quantumvis exemptum, ſitum ſit intra fines alicujus diœceſis, ad ejuſdem diœceſis Epiſcopum pertinet Ordinatio ſecularium *inibi* habitantium. Hæc omnia diſerte definita ſunt a ſacra Congregatione Concilii, ex cujus ſententia Fagnanus *in Cap. Significaſti, de offic. Archidiaconi*, ubi *a n.* 12. *uſque ad fin.* hanc verſat quæſtionem *ſub n.* 24. ita demum concludit: *Nullus Prælatus inferior Regularis, aut Secularis hodie reperitur, cui liceat Tonſuram, & minores Ordines conferre perſonis ſecularibus, tametſi omnimodam juriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, ac etiam temporalem habeant in Clerum & populum, excluſis Epiſcopis, & ſive illorum territorium ſit intra fines alicujus diœceſis, ſive extra*: & proſequitur Cardinalis Petra *in comment. ad Conſtit. Apoſtolic. tom.* 5. *pag.* 116. *n.* 66. *& ſeq.*

XV. Aliquid nunc dicendum reſtat de ſecunda parte enuntiati Tridentini decreti *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. ubi decernitur: *Nec ipſi Abbates, & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Eccleſiarum Cathedralium, litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant: ſed horum omnium Ordinatio, ſervatis omnibus, quæ in hujus ſanctæ Synodi decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtant, pertineat*. Sub hujus decreti cenſura comprehendi Abbates, alioſque inferiores Prælatos primæ, & ſecundæ ſpeciei, nemo unquam potuit in quæſtionem adducere: at plerique Prælati tertiæ ſpeciei, ſe ab ejuſdem ſeveritate autumabant immunes, hac freti ratione, videlicet, quia ipſorum territorium, in quod exercent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, non exiſtit intra fines alicujus diœceſis, de quo tantum videtur loqui Tridentinum, ſed eſt a qualibet diœceſi omnino ſejunctum & ſeparatum: ac propterea, etſi ab Ordinibus per ſemetipſos conferendis, juxta modo traditam doctrinam, abſtinerent; liberum nihilominus ſibi eſſe putabant, litteras dimiſſoriales, ad Ordines ſuſcipiendos, ſuis ſubditis ſecularibus impertiri. Verum alia fuit mens ſacræ Congregationis, Concilii Tridentini interpretis, ad quam

unice ſpectat decretorum ejuſdem Concilii genuinum ſenſum aperire: ea ſiquidem probe conſiderans, in allegati capituli initio ſermonem eſſe, non ſolum de Abbatibus utcumque exemptis, verum etiam de illis, qui *Nullius diœceſis eſſe dicuntur*, quales ſunt, habentes territorium ſeparatum; hoſce pariter in omni parte comprehenſos dixit, iiſdemque ablatam cenſuit facultatem concedendi ſuis ſubditis ſecularibus litteras dimiſſoriales ad Ordines, quas proinde elargiri, ad viciniorem Epiſcopalem unice pertinere declaravit. Ejuſmodi ſacræ Congregationis reſponſa congeſta ſunt a Fagnano, & Cardinali Petra *cit. loc.* quibus alia atteximus, quæ eo prodierunt tempore, quo nos ejuſdem Congregationis Secretarium agebamus. Eccleſia Collegiata B. Mariæ Virginis de Alba Regali, diœceſis Veſprimien. ejuſque Præpoſitus, Canonici, ceterique eidem inſervientes Eccleſiæ, plenam obtinent exemptionem a juriſdictione Epiſcopi Veſprimienſis, atque a jure Metropolitico Archiepiſcopi Strigonienſis. Amplæ iſtius exemptionis obtentu, ſibi jus eſſe arbitrabatur Collegiatæ Præpoſitus concedendi litteras dimiſſorias ad Ordines ſuæ Eccleſiæ Canonicis, aliiſque miniſtris; ſed cauſa delata ad ſacram Congregationem Concilii, hæc die 26. Martii, & denuo 17. Decembris 1718. contra Præpoſitum pronuntiavit *tom. 1. Theſaur. Reſolut. pag.* 31. *& duabus ſeq. & pag.* 141. Sed, quoniam (ut ingenue fateamur) ejuſmodi deciſio Prælatum tangit ſecundæ potius, quam tertiæ ſpeciei, aliam ſtatim proferimus, in qua ſine ulla dubitatione quæſtio erat de Prælato tertiæ ſpeciei. Lis vertebatur in Romanæ Rotæ Auditorio inter Epiſcopum Brictinorien. & Capitulum Baſilicæ S. Petri de Urbe, ſuper articulo, an Abbatia S. Rufilli, ſita in caſtro Fori Pompilii, eidem Capitulo perpetuo unita, haberet territorium omnino ſeparatum a diœceſi Brictinorienſi. Interim vero Capitulum S. Petri, innixum immemorabili conſuetudine, ſeu quaſi poſſeſſione, concedendi litteras dimiſſoriales perſonis intra ſuæ Abbatiæ limites commorantibus, ne hac poſſeſſione exturbaretur, *pendente adhuc controverſia ſuper* Abbatiæ ſeparatione, *eaſdem litteras* concedere non dubitabat; at, *contradicente Epiſcopo* Brictinorienſi, ac jure meritoque contendente, immemorabilem poſſeſſionem, utpote a Concilio Tridentino infractam, viribuſque deſtitutam, non ſuffragari Capitulo, etiamſi territorium ſeparatum evinceret, ad ejus inſtantiam, die 3. Decembris 1718. fuit in ſacra Congregatione Concilii diſceptum: *An, etiamſi conſtaret de territorio ſeparato, poſſet Capitulum S. Petri concedere dimiſſorias*: & die 21. Januarii 1719. unanimi omnium ſuffragio, reſponſum fuit *Negative tom. 1. Theſaur. Reſolut. pag.* 140. *& 150.*

XVI. Nihilominus tamen non deſunt etiam nunc Abbates tertiæ ſpeciei, hac peculiari præfulgentes prærogativa, ut ſuis ſubditis litteras dimiſſorias ad Ordines nedum minores, ſed etiam ſacros ſuſcipiendos elargiri valeant, & re ipſa elargiantur, ita ut nulli Epiſcopo fas ſit, ſine ipſorum litteris, eorundem ſubditos ordinare: at hæc prærogativa non eſt annexa qualitati *Nullius*, neque profluit ex territorio perfecte ſeparato, ſed unice derivatur ex ſpeciali privilegio, poſt Tridentinum obtento, quo Sedes Apoſtolica nonnullos cumulavit Abbates. Ejuſmodi privilegio ab Urbano VIII. auctus eſt Abbas Nonantulanus, ita eundem Pontificem conſulente ſacra Congregatione Concilii die 10. Januarii 1636. cujus decretum refertur a Cardinali Petra *cit. loc. pag.* 117. Idem indultum aſſequutus eſt Abbas Farfenſis, uti habetur in memorato Apoſtolico Brevi, impreſſo poſt Synodum Farfenſem *pag. 996.* Eandemque poteſtatem a Sixto V. Abbati Caſſinenſi, atque a Paulo V. Abbati Cavenſi factam narrat Fagnanus *in cit. Cap. Significaſti, de offic. Archidiac. n.* 25. *& 26.* Et, ne ſilentio prætereamus prædictam Abbatiam S. Rufilii, Capitulum S. Petri, cui, ex ſacræ Congregationis ſententia, denegatam diximus facultatem concedendi litteras dimiſſoriales perſonis incolentibus eandem Abbatiam, ſibi perpetuo unitam, id juris ſibi fieri petiit a Sede Apoſtolica; ſed, cum adhuc in Rotæ Auditorio indeciſa penderet controverſia ſuper vera ſeparatione Abbatiæ, ejuſque territorii a diœceſi Brictinorienſi; Capituli inſtantia rejecta fuit a ſacra Congregatione Concilii, ad quam Innocentius XIII. eam remiſerat examinandam: verum, cum poſtea idem Capitulum cauſam obtinuerit in Rotæ tribunali, fueritque ei adjudicatum territorium omnino ſeparatum, ſuas preces inſtauravit apud ſan. mem. Benedictum XIII. votique compos effectum eſt, per Apoſtolicum Breve ab eodem Pontifice datum. Ceterorum Abbatum, qui eodem jure ab Apoſtolica Sede ſunt poſt Tridentinum donati, catalogum extare in Cancellaria Cardinalis Urbis Vicarii, teſtatur Romualdus Honorante in *Praxi Secretariæ Tribunalis dicti Cardinalis pag.* 193.

XVII. Huc uſque deducta, ni fallimur, ſicuti aperte oſtendunt, Prælatis inferioribus tertiæ ſpeciei non competere de jure facultatem concedendi litteras dimiſſorias ſuis ſubditis, niſi hæc *eis* ex ſpeciali diſtincto Apoſtolico privilegio conceſſa ſit; ita apprime demonſtrant, nullum a dicto exemplo inferri poſſe argumentum adverſus ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt de Prælato inferiore tertiæ ſpeciei, qui Synodum cogere nequit, niſi Apoſtolico diſtincto privilegio donatus ſit; quin immo eandem vigere juris cenſuram in utroque caſu, cum litterarum dimiſſorialium, tum Synodi.

## CAPUT DUODECIMUM.

*De Epiſcopo Latino, in cujus Diœceſi Græci Sacerdotes, & Clerici degunt.*

NEminem latet, quoſdam Græci Ritus homines, non quidem ſchiſmaticos, ſed Catholicos, eſſe, qui in Latinorum Epiſcoporum diœceſibus vivunt, quique Italo-Græci vocantur; pro quorum regimine ſummus Pontifex Clemens VIII. conſultiſſimam ſuam promulgavit Inſtructionem, cui nos deinde non pauca addidimus per Conſtitutionem noſtram, quæ eſt 57. *Bullarii noſtri tom.* 1. Aliquot hujuſmodi Græcorum Coloniæ tam in Italia, quam in Inſulis ipſi adjacentibus reperiuntur. Quærendum igitur occurrit, num Latini Epiſcopi, qui has Colonias habent in ſuis diœceſibus & cum iis Parochos & Sacerdotes Græcos, poſſint cum his peculiarem diœceſanam Synodum celebrare. Ut autem hujus quæſtionis examini, ea, quæ maxime opportuna ſunt, præmittamus; quærendum primo eſt, quinam ſit ejuſmodi Græcorum Ordinarius, tam in eo quod ſpectat ad collationem Ordinum, quam in eo quod pertinet ad poteſtatem juriſdictionis, ſive ad regimen animarum.

II. Laudatus Prædeceſſor noſter Clemens VIII. de optimo Italo-Græcorum regimine, deque recta eorum diſciplina valde ſolicitus, voluit, in urbe Roma ſemper adeſſe Epiſcopum Græcum, a quo Italo-Græci, qui in Latinorum Epiſcoporum diœceſibus vivunt, Ordines ſuſcipere deberent, ut in ejuſdem Pontificis Conſtitutione 34. §. 7. *tom. 3. Bullarii* videre eſt. Hujuſmodi Epiſcopus etiam nunc in Urbe exiſtit. Verum ſan. mem. Clemens XII. qui, antequam ad ſummum Pontificatum aſcenderet, inter Cardinales Collegii Græci Protectores locum tenuerat, adeoque gravia per ſe ipſum deprehenderat incommoda, quæ ab iiſdem Græcis ſubeunda erant, dum a regionibus valde remotis Romam ſe conferre debebant, ut ab Epiſcopo Græco ordines reciperent, cum jam pro iiſdem Græcis Collegium in Oppido S. Benedicti, Ullani nuncupati, Biſinianenſis diœceſis, erexiſſet, alterius Epiſcopi Græci

domi-

domicilium in eo constituit, cui etiam facultatem concessit, ut Græcis hominibus, in diœcesibus Latinorum Antistitum degentibus, qui debitis documentis instructi ad ipsum accederent, sacrarum Ordinationum munera impendere valeret. Quo sane nihil detractum voluit de facultatibus a Clemente VIII. tributis Episcopo Græco in Urbe constituto, ad quem adhuc Græci ad Ordines promovendi accedere possunt; sed alterum illum Græcum Episcopum adjecit, ut pauperum Græcorum commoditati consuleret, quibus longum iter ad Urbem usque suscipere, grave nimis accideret. Videatur ejusdem Pontificis Constitutio, cujus initium *Provida Pastoralis*, quæ etiam in Historia erectionis memorati Collegii, anno 1757. ab Angelo Zavarrono Neapoli edita, per extensum relata habetur *pag. 76. & seq.* De duobus hisce Græcis Episcopis, altero Romæ, in Calabria altero commorante, actum etiam fuit a nobis citata Constitutione nostra 57. §. 7. *de Sacramento Ordinis n. 1.* & prædictorum Decessorum nostrorum Clementis VIII. & Clementis XII. ratio ac providentia, hac etiam in re, pro merito commendata est.

III. Sic igitur constituto, quinam sit Italo-Græcorum Ecclesiasticus Superior in eo quod ad Ordinum collationem attinet; nunc de eorundem Ecclesiastico Ordinario agendum est, pro eo quod pertinet ad jurisdictionem, & animarum curam, universumque eorum regimen & gubernium. In quo, si standum est Canonicis Constitutionibus, ut certe standum est, omnia hæc ad Episcopum Latinum, in cujus Diœcesi Græci habitant, pertinere, dicendum est. Verum Episcopus Latinum Græcum Vicarium habere debet, sibi per omnia dicto audientem, cujus opera tutius atque salubrius eam Gregis sui portionem valeat gubernare: quod ipsum a nobis est quoque demandatum in allegata Constitutione 57. §. 9. *n. 21.*

IV. Postquam clarissima Bizantii urbs, conjunctis Francorum, Venetorumque armis, expugnata fuit, & Balduinus Flandriæ Comes ibidem Imperator est constitutus, opportunum factu reputatum est, ut Constantinopolitanus Patriarcha Latinus crearetur, ad eamque dignitatem Maurocenus evectus fuit, ac ceteræ deinde minores Imperii urbes, Regiæ civitatis exemplar secutæ, Latinos Episcopos habuerunt. Cum igitur, ut cuique facile est intelligere, hujusmodi Episcoporum subditi magna ex parte Græci essent, ut istorum regimini consuleretur, in Concilio Generali Lateranensi IV. quod sub Innocentio III. celebratum fuit, decretum est, non quidem in una eademque urbe geminos Episcopos esse debere, alterum Græcum, & alterum Latinum, quod monstri simile reputatum fuit; verum ut Episcopus Latinus Græcum Suffraganeum seu Vicarium retineret, qui ex illius præscripto omnia ageret: *Sed, si propter prædictas causas*, quæ ad Græcæ Linguæ imperitiam referuntur, *urgens necessitas postulaverit, Pontifex loci Catholicum Præsulem Nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi Vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subjectus:* cum paulo prius repudiatum fuisset id, quod de duobus Episcopis, altero Latino, & altero Græco, proponi cœperat: *Prohibemus autem omnino, ne una eademque Civitas, sive Diœcesis, diversos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum.*

V. Hæc Concilii Lateranensis verba relata habentur *in Cap. Quoniam, de officio Judicis Ordinarii.* Cui quidem Canonicæ dispositioni nos inhærentes, cum Pontificatus nostri tempore, anno scilicet 1746. a Varadinensi Episcopo instantius actum esset, ut sibi concederetur Episcopus auxiliaris Græci Ritus, propterea quod diœcesim haberet Græcis refertam, quorum linguam ipse ignorabat; audito prius hac de re Metropolitano Colocensi Archiepiscopo, acceptis Varadinensis Cleri supplicationibus, idque etiam petente Hungariæ Regina in Romanorum Imperatricem electa, legitimis processibus de mandato nostro confectis super illius qualitatibus, qui in auxiliarem Episcopum postulabatur, ac præsertim super abjuratione schismatis atque hæreseos per ipsum facta, ac tota re in Consistoriali Congregatione die 12. Julii 1748. mature discussa, sequens Decretum publicari mandavimus, quod etiam deinde executioni traditum est: *Deputandum esse Episcopum Suffraganeum, seu Vicarium, Reverendum Meletium Ritus Græci ad formam Canonis ix. Concilii Lateranensis IV. seu Capituli Quoniam, de officio Judicis Ordinarii, cum dispensatione super irregularitate ob schismata & hæresim incursa, necnon cum assignatione tituli Episcopalis, & congruæ pro ejus substentatione in florenis mille & quingentis illarum partium super fructibus mensæ Episcopalis Varadinensis.*

VI. Verum quidem est, aliquando ob temporum circumstantias factum fuisse, ut ab hac Canonica disciplina recederetur; sed simul negari nequit, gravia inde incommoda & absurda plerumque derivasse. Quidam Romani Pontifices Græcis, qui in Latinorum Episcoporum Diœcesibus habitarent, privilegia concesserunt, per quæ ab Episcoporum localium jurisdictione exempti, & Romano Pontifici immediate subjecti forent. Verum, cum a Pontifice Pio IV. maturius consideratum fuisset, ex immediata Græcorum Romano Pontifici subjectione nonnisi dissidia extitisse, ac fomenta, per quæ in schismate, atque etiam in hæresi pertinacius obfirmarentur; die 16. Februarii anno 1564. Constitutionem suam, cujus initium *Romanus Pontifex*, quæque est 74. *Bullarii tom. 2.* promulgavit, in qua, privilegiis per Decessores suos concessis derogando, decrevit, ut Græci, qui Siciliam citra & ultra Pharum incolerent, in posterum jurisdictioni Ordinariorum locorum, in quibus ipsi habitarent, subjecti esse deberent in iis omnibus, quæ ad Divinum cultum, administrationem Sacramentorum, extirpationem hæresum, visitationem suarum Ecclesiarum, & Ecclesiasticam disciplinam pertinerent, ut latius videre est in allegata Constitutione: in qua tamen illæsum manere Græcum Ritum, se velle declarat, quoad ea omnia, quæ ab Apostolica Sede approbata sint. Planæ Constitutioni nos quoque adhæsimus *in* nostra sæpe dicta Constitutione 57. §. 9. *n. 19.* In ea quippe statuimus, ut Græci, sive laici, sive Ecclesiastici Seculares, aut Regulares, Episcoporum Latinorum, in quorum Diœcesibus degunt, jurisdictioni subjecti sint; amplissime derogantes privilegiis, quæ a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, id exigentibus rerum circumstantiis, fuerant eisdem Græcis indulta.

VII. Præterea toleratum aliquando est ab Apostolica Sede, ut in eo ipso loco, in quo Latini & Græci habitant, gemini Episcopi essent; alter Latinus, cui Latini subjecti essent; & alter Græcus, qui Græcorum regimen cum jurisdictione exerceret. Sed utinam id nunquam indultum, aut toleratum fuisset. Inde enim factum est, ut Græci, initio Catholici, Episcopum Græcum schismaticum aliquando nacti, in eandem schismatis atque etiam hæreseos labem adducti fuerint, auctoque malis artibus numero subditorum Episcopi Græci, Latinorum numerus ad nihilum fere redactus sit; nec hactenus Latinis Episcopis vires sufficiant ad Græcorum schismaticorum audaciam retundendam.

VIII. Anno 1675. Genuensis Respublica sexcentis numero Græcis facultatem concessit, ut in Insula Corsicæ sedem figerent. In his nonnulli seculares Sacerdotes erant, aliquot præterea Monachi, ac etiam Præsul quidam, Parthenius nomine, Græci Ritus Episcopus Lacedæmoniæ; qui omnes in Diœcesi Sagonensi collocati sunt. Anno autem 1677. geminæ ab Apostolica Sede litteræ in forma Brevis prodierunt: alteræ quidem Sago-

Sagonenſi Epiſcopo directæ, quibus ipſe ſuper Græcos illos, diœceſim ſuam incolentes Delegatus Apoſtolicus deſtinabatur; alteræ vero ad prædictum Epiſcopum Lacedæmoniæ, quibus ille Vicarius Apoſtolicus pro iiſdem Græcis, quoad viveret, deputatus fuit. Hic cum anno 1683. mortuus eſſet, quamquam tunc Sancta Sedes de hujuſmodi Græcis Sagonenſi Epiſcopo ſubjiciendis cogitaret; quia tamen a Genuenſi Republica novi Vicarii Apoſtolici deputatio petita eſt, nihil circa eos innovatum fuit: rebuſque in eodem ſtatu relictis, alii deinceps Vicarii Apoſtolici eiſdem dati fuerunt. Sed, orta controverſia inter Sagonenſem Epiſcopum, tanquam Apoſtolicum *Delegatum* ex una parte, & Vicarium Apoſtolicum ex altera, eo quod Vicarius omnimodam independentiam ab Epiſcopo ſibi aſſereret; ſan. mem. Innocentius Papa XI. die 12. Maji anno 1685. per ſuas in forma Brevis litteras declaravit, Epiſcopum Parthenium Vicarium quidem Apoſtolicum prædictis Græcis datum fuiſſe, ſed ea conditione, ut debitam Sagonenſi Epiſcopo ſubordinationem profiteri deberet: *Ipſiſque Græcis in Vicarium Apoſtolicum aſſignatus fuit Epiſcopus, nomine Parthenius, qui illos in dictam Inſulam comitatus fuerat, ita ſcilicet, ut idem Vicarius Apoſtolicus tunc exiſtenti Epiſcopo Sagonenſi, in cujus Diœceſi Colonia prædicta conſtituta eſt, ſubordinatus eſſet*: deinde Monachum quemdam Caſſinenſem, Odericum Pierium nomine, Vicarium Apoſtolicum deputans, ſequentibus verbis utitur: *in Vicarium Apoſtolicum deputamus; Venerabilem vero Fratrem modernum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Sagonenſem, in Delegatum Apoſtolicum, cui idem Vicarius ſubordinatus eſſe debeat.*

IX. Subſequentibus tamen temporibus intermiſſa eſt Vicarii Apoſtolici deputatio pro Græcorum in Inſula Corſicæ exiſtentium regimine, iidemque ſubjecti remanſerunt Epiſcopo Sagonenſi, cui etiam aliquando a ſacra Congregatione de Propaganda Fide injunctum fuit, ut prædictam Græcorum Colonia viſitaret. Quod cum ab eodem ſedulo præſtitum fuiſſet, *in relatione* ſtatus Eccleſiæ, quam anno 1716. ad Congregationem Concilii de more *tranſmiſit*, omnia a ſe geſta deſcribens, *expoſuit* abuſus, & corruptelas, quas apud eos *invenit*, *rationeſque* a ſe initas, ut illis opportuna *remedia* afferret; ad aliam ſe referens longiorem rerum enarrationem, quem eodem tempore ad ſupradictam Congregationem de Propaganda Fide mittebat. Illud etiam animadvertere non prætermiſit, quod, cum Vicarius Apoſtolicus ſimul, & Delegatus Apoſtolicus ibidem reperirentur, Græci, ſuo arbitratu viventes, nec uni, nec alteri obtemperabant. Hæc autem Græcorum Colonia ad annum uſque 1729. in Sagonenſi diœceſi permanſit; quo anno a Genuenſium Republica translati ſunt in Adjacenſem diœceſim, ubi nunc vivunt, Epiſcopi juriſdictioni ſubjecti.

X. Hoc itaque poſito, quod Græci, qui Epiſcoporum Latinorum diœceſes incolunt, eorundem regimini, & Ordinariæ juriſdictioni in omnibus ſubeſſe debent, de his Epiſcopis Latinis quæri poteſt, an ſpecialem Synodum coadunare valeant ex ſolis Presbyteris & Clericis Græci Ritus, ſuas diœceſes incolentibus. Id autem ſine ulla hæſitatione fieri ab illis poſſe, affirmamus; cum nihil omnino huic actui videatur obſtare. Inter manuſcripta ſervata in Archivo Congregationis Concilii, litteras invenimus Archiepiſcopi Hydruntini, quibus ſacræ Congregationi expoſuit, plures Sacerdotes Græcos, in ſua diœceſi commorantes, tanta paupertate laborare, ut cogantur *victum* ſibi proprio labore comparare, eoſque quotidianis laboribus feſſos, nullo pacto poſſe Horas Canonicas Græco Ritu perſolvere, cum in illis perſolvendis ultra quatuor abſumantur temporis horæ. Reperimus etiam accuratam ſcripturam a Carolo de Vecchis, dictæ Congregationis tunc Secretario, elaboratam; in qua narrat, Petrum Codreros Archiepiſcopum Hydruntinum, commiſeratum pauperiem Sacerdotum Græcorum in ſua diœceſi exiſtentium, Synodum Diœceſanam coegiſſe, ad quam ducenti Presbyteri Græci convenerunt, atque in ea decreviſſe, quid in recitatione Horarum Canonicarum ab eis in poſterum faciendum eſſet. Ex quibus evincitur, poſſe ab Epiſcopis Latinis, in quorum diœceſibus Græci habitant, peculiarem Synodum cogi Sacerdotum & Clericorum Græcorum, ut in ea ſtatuatur, quid expediens viſum fuerit pro eorum regimine. Diximus, poſſe: ſi enim Epiſcopus, in cujus Diœceſi tum Latini, tum Græci reperiuntur, velit in ſua Synodo Diœceſana, conſueto modo celebrata, aliquid de Græcis in ſua diœceſi exiſtentibus ſtatuere, id utique non erit ei vetitum, quod reapſe factum reperimus in Synodo Melitenſi anno 1703. coacta ab Epiſcopo Davide de Cocco Palmerio; in qua præterea indicatur, idem antea ab aliis Epiſcopis Melitenſibus, Gargallo videlicet, & Cagliares, in ſuis Synodis præſtitum fuiſſe. Similia inveniuntur in quadam Conſultatione manuſcripta, quæ extat in Bibliotheca Vaticana, quæque olim a bon. mem. Cardinale Julio Antonio Sanctorio, Sanctæ Severinæ nuncupato, conſcripta fuit, ut quæſtionibus reſponderet, a Præſule Antonio Lombardo Archiepiſcopo Meſſanenſi propoſitis, circa dubia quædam ſibi occurrentia in regimine Græcorum, qui Meſſanam tunc incolebant, & apud quos nonnullos abuſus deprehenderat: *Cum menſibus proxime decurſis Archiepiſcopus prædictus in eadem civitate Diœceſanam Synodum celebraſſet, in qua cum illis, qui de jure intereſſe debebant, nonnulli Græcorum tam Secularium, quam Religioſorum, puta Calogerorum, intervenere.*

DE

UAB Biblioteca de Ciències Socials



# DE SYNODO DIOECESANA

## LIBER TERTIUS.

### DE VOCANDIS AD SYNODUM, ORDINE SEDENDI, ET SACRIS VESTIBUS JUXTA PROPRIUM CUJUSQUE GRADUM ADHIBENDIS.

### CAPUT PRIMUM.

*De Prælatis Regularibus, & Secularibus.*



Riusquam Regulares ab Episcoporum jurisdictione subtraherentur, cogebantur eorum Abbates Diœcesanæ Synodo interesse. Concilium Aurelianense I. an. 511. *tom.* 2. Collectionis Harduini *col.* 1011. *can.* 19. ait: *Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistant; &, si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur, qui semel in anno in loco, ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione, conveniant.* Concilium Osscense anni 598. *tom.* 3. Collectionis Harduini *col.* 535. *can.* 1. inquit: *Hoc Synodus sancta fieri elegit, ut annuis vicibus unusquisque nostrum omnes Abbates monasteriorum, vel Presbyteros, & Diaconos suæ diœcesis, ad locum, ubi Episcopus elegerit, congregare præcipiat: & omnibus regulam demonstret ducendi vitas, cunctosque sub Ecclesiasticis regulis adesse præmoneat.* Constitutiones excerptæ ex Concilio Galteri Archiepiscopi Senonensis, celebrato seculo x. *tom.* 6. *part.* 1. Collectionis Harduini *col.* 557. *cap.* 1. hæc habent: *Statuimus, ut Abbates, & Priores Conventuales; qui nec venerint ad Synodum, nec se excusaverint, prætendendo canonicum impedimentum, per octo dies ab ingressu Ecclesiæ suspendantur.* Inter statuta Synodalia Guillelmi Majoris, Episcopi Andegavensis, qui vivebat in fine seculi XIII. *tom.* 1. *novæ editionis Spicilegii* Lucæ Dacherii *pag.* 726. reperitur præceptum, Abbatibus, Archidiaconis, Archipresbyteris, & Decanis Ecclesiarum civitatis promiscue impositum, habendi penes se eadem statuta; & in nona Synodo ab eodem Guillelmo habita an. 1298. Abbatibus, ad Synodum accedere detrectantibus, infligitur pœna suspensionis; & in Synodo undecima, ab eodem celebrata anno 1300. revocatur quidem enuntiata suspensionis pœna, sed simul instauratur præceptum, ut Abbates omnino intersint Episcopali Synodo, quæ omnia leguntur *eod. tom.* 1. *cit. Spicileg. pag.* 739. & 740. Neque his refragatur textus *in Can. Episcopus* 11. *dist.* 18. ubi dicitur: *Episcopus non debet Abbatem cogere ad Synodum ire; nisi aliqua rationabilis causa existat.* Nam oppositum decernitur *in Can. Annis* 16. *eod. dist.* in quo habetur: *Annis singulis Episcopus in sua diœcesi Synodum faciat de suis Clericis, necnon Abbatibus, & discutiat alteros Clericos, & Monachos.* Unde Alteserra *de Jurisdict. Ecclesiast. lib.* 2. *cap.* 19. ad utrumque textum conciliandum, primum intelligendum arbitratur, de vocatione ad Synodum, quæ non semel, sed sæpius, seu ultra id, quod jura præscribunt, in anno fiat: *Et quod Can. Episcopus* (ait Alteserra) *dicit, Abbates non esse cogendos venire ad Synodum, nisi rationabilis causa adfuerit, cautius intelligendum est, non esse scilicet gravandos Abbates iterum in anno venire ad Synodum, si forte extra ordinem convocetur, nisi rationabilis causa adsit, puta translationis Reliquiarum, vel consecrationis Ecclesiæ, vel alia similis.*

II. Verum, cum hodie Abbates, ceterique Prælati Regulares plerumque plena gaudeant exemptione ab Episcopi jurisdictione, non possumus, juxta omnia antiqui juris principia, de illis ratiocinari, sed & eorum exemptionis habenda est ratio. Neque sectari licet Episcopum Phamaugustanum *in tract. de Conciliis*, cui titulus *Synodia Ugonia*, ubi *pag.* 3. *& seq.* plura disputat de interventu Abbatum ad Synodum; cum enim is scripserit ante Tridentinum, non omnia, quæ adducit, congruunt præsenti disciplinæ. Ut itaque distincte & ordinatim procedamus, primo de Abbatibus Secularibus, deinde de Regularibus disseremus.

III. Abbates Seculares, intra Episcopi diœcesim existentes, teneri Episcopali Synodo adesse, statuitur *in Cap. Quod super his, de major. & obed.* Neque ullius exemptionis prætextu possunt se ab hac obligatione unquam solutos existimare: nam Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.* illos solos exemptos liberat ab onere accedendi ad Synodum, qui subduntur Capitulis generalibus; quod profecto de Abbatibus Secularibus nunquam dici poterit, uti bene ponderat Tamburinus *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disput.* 24. *qu.* 4. *n.* 8. *& 9.* Rem exemplis illustrabimus.

IV. In civitate Cremonæ extat Ecclesia Collegiata S. Agathæ, quæ cum olim esset Regularium, a summis

Pon-

Pontificibus Calliſto II. & Eugenio III. ampliſſima obtinuit privilegia exemptionis a juriſdictione Ordinarii, & ab obligatione accedendi ad Synodum. Præpoſitura hujus Eccleſiæ auctoritate Pii II. fuit poſtmodum a ſtatu Regulari, & electivo, commutata in Dignitatem Secularem, & collativam, ejuſque Præbendæ Canonicales Clericis Secularibus addictæ ſunt, præſervatis tam Eccleſiæ, quam Præpoſito, & Canonicis, omnibus & ſingulis privilegiis, quibus antea fruebantur Regulares.

V. Præpoſitus, qui ex privilegio ſummi Pontificis Pii IV. & ex antiqua conſuetudine, habet præterea uſum Mitræ, & Paſtoralis, & una cum eo Canonici, recuſarunt accedere ad Synodum, ab Epiſcopo Cremonæ indictam ann. 1727. ſed inſtaurato judicio coram ſacra Congregatione Concilii, & re mature expenſa, die 5. Aprilis 1732. deciſum fuit, teneri accedere, & poſſe Epiſcopum pœnis, a jure ſtatutis, in inobedientes animadvertere. Cumque denuo Præpoſitus, & Canonici ſua jura experiri voluerint, in Congregatione habita die 29. Auguſti 1733. iterum ſuccubuerunt.

VI. Alterum, & celebre exemplum eſt Abbatis S. Barbaræ civitatis Mantuanæ. Præeſt iſte inſigni Collegiatæ, cui inſerviunt Dignitates, & Canonici, & ſimul cum Eccleſia, omnibuſque Eccleſiæ Adminiſtris, tanta fruitur exemptione, ut Epiſcopus nec Eccleſiam viſitet, nec Canonicos, alioſque Adminiſtros corrigat, niſi Abbas, aliique habentes Dignitates, Abbatiali inferiores, qui ſibi invicem in hoc munere gradatim ſuccedunt, negligentes fuerint in viſitando, & corrigendo: quæ omnia habentur in Bulla Pii IV. data pridie idus Octobris 1564. Idemque Pontifex hanc præterea Abbati eximiam addidit prærogativam, ut poſſet ſuis ſubditis, addictis ſcilicet ſervitio prædictæ Eccleſiæ, primam Tonſuram & Ordines minores conferre, ac Sacramentum Confirmationis, in ſua Eccleſia, Chriſmate a loci Ordinario accepto, omnibus indiſtincte adminiſtrare. Tot tantiſque condecoratus privilegiis, renuebat Abbas accedere ad *Synodum Epiſcopalem*; ſed, cauſæ *articulo examinato in ſacra* Congregatione *Concilii*, cum *hæc animadverterit*, nullum ab Abbate privilegium produci, quo ſpecialiter & expreſſe eximatur ab onere accedendi ad Synodum, propterea anno 1680. dixit, eum omnino intereſſe debere. Quæ omnia a nobis adnotata ſunt in diſſertatione, quam elaboravimus, cum ejuſdem ſacræ Congregationis Secretarii munere fungeremur, in cauſa *Mantuana*, diſcuſſa die 23. Auguſti 1727. de qua *in Theſauro Reſolut. tom.* 4. *pag.* 109. *& ſeq.* & præſertim *pag.* 112. *n.* 7.

VII. Hæc de Secularibus. Ad Regulares redeamus. Uſus quondam apud Monachos invaluerat, uti uni principali monaſterio plura inferiora ſubeſſent, perinde ac membra ſuo capiti. Hunc morem deſcribit Mabillon *in præfat. ad ſecul.* V. *Act. SS. Benedict.* §. 4. *n.* 53. his verbis: *Obſervare convenit .... eam fuiſſe in nobilioribus monaſteriis diſciplinam, ut quælibet minores ſub ſe haberent colonias, quæ Cellæ, Præpoſituræ, Obedientiæ, Prioratus, Monaſteriola, & Monaſteria paſſim, immo & Abbatiæ aliquando vocabantur. In illis Cellis erant Præpoſiti, ſeu Decani, ad nutum Abbatis, qui principi monaſterio præerat, amovendi: & ſi qui Abbates illis præficiebantur, nonniſi prius habito primi Abbatis conſenſu, eorum fiebat electio, ab eodem poſtea confirmanda.* Quandoque autem contingebat, principale monaſterium eſſe plene exemptum ab Epiſcopi juriſdictione, ſecus vero inferiora: in quo rerum ſtatu, Abbas, qui alicui ex inferioribus præerat, quamvis profeſſionem emiſiſſet in principali monaſterio exempto, attamen, ratione alterius monaſterii, non exempti, cui præerat, tenebatur adeſſe Synodo Diœceſanæ, juxta ſententiam latam ab Innocentio III. *in Cap. Ex ore, de privilegiis*, ubi controverſiam, hac ipſa de re agitatam inter Abbatem Evaſenſis cœnobii, & Vigorienſem Epiſcopum, ita definivit: *Sententialiter definimus, quod Evaſen. cœnobium liberum eſt in capite, tanquam ab Epiſcopali juriſdictione prorſus exemptum, & ſoli Romanæ Eccleſiæ ſubjectum .... In membris autem, quæ non probantur exempta, Diœceſano Epiſcopo ipſum ſubjacere, decernimus: propter quod Abbas ad Synodum ejus debet accedere .... pro ipſis quoque membris non exemptis idem Abbas tenetur Vigorien. Epiſcopo exhibere reverentiam, obſequium, & honorem.* Ex hac porro Innocentii Decretali evidenter conficitur, potiori jure debere ad Epiſcopalem Synodum accedere Abbatem Regularem qui non ſolum nulla fruitur perſonali exemptione, ſed & inſuper monaſterio præficitur, Epiſcopi juriſdictioni plene ſubjecto.

VIII. Si vero Abbates, una cum monaſteriis, quæ regunt, ſunt omnino ab Epiſcopi juriſdictione exempti; non ideo tamen ſunt ſtatim liberi pronuntiandi ab obligatione interveniendi Synodo Epiſcopali: ſed conſiderandum eſt, an ſimul cum aliis ſuis Ordinis monaſteriis coaleſcant in unum corpus, ſeu conficiant unam communitatem, cujus ſingula membra ſubdantur Capitulo generali ejuſdem Ordinis; vel potius monaſteriis præficiantur, quorum quodlibet ſolitarium eſt, nullam nimirum habens cum aliis Ordinis monaſteriis conjunctionem, nullum ſocietatis, & mutuæ communicationis vinculum; atque ideo eorundem monaſteriorum Prælati nullum Superiorem Generalem agnoſcunt, cujus Capitulo ſubjiciantur: cujus generis monaſteria non pauca extra Italiam reperiri, exploratum eſt omnibus. Primi non coguntur accedere ad Epiſcopi Synodum; ſecundi omnino accedere debent; illos ſiquidem, & non iſtos, exemit Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de reform.* ita decernens: *Synodi quoque Diœceſanæ quotannis celebrentur: ad quas exempti etiam omnes, qui alias, ceſſante exemptione, intereſſe deberent, nec Capitulis generalibus ſubduntur, accedere teneantur.* Cum enim exceptio firmet contrariam regulam pro non exceptis, manifeſtum inde fit, Regulares, generali Capitulo non ſubjectos, nulla ratione poſſe ſe a Synodo ſubducere, ſicuti optime perpendunt Fagnanus *in Cap. Quod ſuper his, de majorit. & obed. num.* 5. Cardinalis de Luca *de juriſdict. diſc.* 37. *num.* 5. Cardinalis Petra *cit. loc. num.* 108.

IX. Nullam vero diſtinctionem adhibendam cenſuit Tridentinum quoad illos Regulares, qui curam gerunt animarum; ſed hos omnes, ſive ſubjecti, ſive non ſubjecti ſint Capitulo generali, univerſim, promiſcue, & indiſtincte, Synodo intereſſe debere, decrevit: *Rationem tamen* (ait *cit. loc.*) *Parochialium, aut aliarum ſecularium Eccleſiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi ſint, Synodo intereſſe.* Idem, longe ante Tridentinum, edixerat Concilium Provinciale Moguntinum an. 847. *cap.* 14. in Collectione Harduini *tom.* 5. *col.* 11. diſtricte præcipiens, ne ullus Monachorum, qui Parochialibus præerant Eccleſiis, Epiſcopalem Synodum effugeret: *Nullus Monachorum* (inquit) *aliquid proprietatis habeat ..... nec Parochias Eccleſiarum accipere præſumat, ſine conſenſu Epiſcopi. De ipſis vero titulis, in quibus conſtituti fuerunt, rationem Epiſcopo, vel ejus Vicario reddant, & convocati ad Synodum veniant.*

X. Quam porro, Tridentino inhærentes, hactenus adhibendam diximus inter Regulares diſtinctionem, non ſolum fuſe explicant Doctores, præcipue Gonzalez *in cit. Cap. Quod ſuper his, de majorit. & obed. n.* 8. Antonius Paulutius *de Comitiis Eccleſiaſt. pag.* 453. *n.* 6. *Biblioth. maxim. Pontif. tom.* 4. Gavantus *in Praxi de Synodo Diœceſ. cap.* 2. *in annot.* §. 1. *n.* 4. Tamburinus, Fagnanus, Cardinalis de Luca *locis citatis*, ſed exacte ſervandam ſtatuit ſacra Congregatio Concilii in cauſa Regularium, die 19. Novembris 1604. *lib.* 10. *decre-*

*decretor. pag.* 102. *a tergo: Sacra &c. censuit, quoad primum esse injungendum omnibus Regularibus, qui vel Capitulis generalibus non subduntur, vel Curam animarum exercent, ut ad Synodos Diœcesanas accedant sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ipso facto incurrendæ, atque aliis pœnis, arbitrio Episcoporum imponendis, etiam excommunicationis, adeo ut jus declarandi, atque pœnas imponendi, ad Episcopos, non obstante quacumque exemptione, pertineat, eisdemque Episcopis jus sit prædictos Regulares, qui nullis Capitulis subduntur, absolute cogere ad Diœcesanæ Synodi observationem, eos vero, qui ratione Curæ animarum interfuerint, ad servanda ea omnia, quæ in Synodo decreta fuerint circa Curam animarum, & administrationem Sacramentorum.* Quodque hic de Parochis Regularibus sanciverat, eadem Sacra Congregatio iterum confirmavit in causa *Passavien. Jurisdictionis*, die 1. Octobris 1661. *lib.* 22. *decretor. pag.* 661. *& seq.* cum enim quinto loco disputatum fuisset: *An Parochi Religiosi monasteriorum exemptorum, ut supra, vocati ad Synodum, teneantur venire, ac mandata Episcopalia accipere, circa ea quæ pertinent ad dictam Curam, pariterque festa propria diœcesis populo denuntiare, & celebrare Jubilæa, & alia mandata Apostolica ab ipso diœcesano Episcopo recipere:* responsum fuit: *Ad quintum, teneri.*

XI. Verum, cum animarum Cura, Ecclesiæ Regulari annexa, possit ab Ecclesiæ Prælato exerceri vel per se, vel per Cappellanos ad nutum amovibiles, vel per Vicarium Secularem, prævia approbatione Episcopi, in perpetuum deputatum, singuli casus sunt speciatim expendendi. De primo, utpote manifeste comprehenso in enunciato Tridentini decreto, nulla fieri potest quæstio. De secundo dubitari potest; an ipse Prælatus Regularis, an potius ejus Cappellani Curati debeant Synodo interesse. Sed communiter sentiunt Doctores, hanc obligationem inesse Prælato, *juxta celebrem decis.* 190. *coram Seraphino.* Quoniam, pergit Cardinalis de Luca *cit. disc.* 37. *de jurisdict. n.* 3. tunc ipse Prælatus personam gerit Curati, aliique ab ejus nutu pendentes, meri reputantur ejusdem adjutores, & administri; unde rationi consentaneum est, ut Prælatus a Synodo normam accipiat, ad quam & se, & obnoxios sibi ministros, in animarum regimine dirigere debeat. In tertio casu, cum universum exercitium Curæ translatum sit in Sacerdotem Secularem, etsi ea habitu remaneat penes Prælatum Regularem, conveniunt pariter inter se Doctores, illi, & non huic, incumbere onus accedendi ad Synodum; Vicarius quippe, & non Prælatus Regularis, cujus vices gerit, potest Episcopo, & Synodo rationem reddere parochiæ, quam actu regit, sicuti, docet, & decisum testatur Fagnanus *in Cap. Quod super his, de majorit. & obed. n.* 7. cui subscribit Cardinalis de Luca *cit. loc.*

XII. Sed quid, si Cura annexa sit, non Ecclesiæ principali conventus, seu monasterii, sed alteri Ecclesiæ, monasterio accessorie unitæ; eaque regatur, non per Vicarium Secularem, sed per aliquem Regularem, a monasterii Prælato destinatum, atque ad ejusdem placitum amovibilem? Quinam tunc Synodo adesse debet? Prælatus ne, an ille Regularis Curam actu administrans? Hanc quæstionem movet modo citatus Cardinalis de Luca *n.* 4. eamque dirimit dicendo, non Prælatum, sed Vicarium Regularem debere Synodo intervenire: & recte; quia, posita locali separatione Ecclesiæ Curatæ a monasterio, Vicarius Regularis, qui in Ecclesia Curata residet, eamque actu administrat, solus versatur inter Parochiæ incolas, eorumque indolem & mores solus cognoscit: ex quo fit, ut loci Ordinarius in ceteris omnibus parochiam respicientibus, hunc, & non monasterii Præsulem, consulat, & si opus fuerit, moneat, ac corrigat, neque ullam monasterii Prælati rationem habeat, nisi cum eidem injungendum duxerit, ut præfatum Regularem a Curæ exercitio removeat. Accedit, sæpius contingere, ut Ecclesia Curata, & monasterium, cui est accessorie unita, in diversis existant diœcesibus, ac propterea, nisi Regularis, qui Ecclesiam Curatam actu administrat, teneretur interesse Synodo, a loci Ordinario indictæ, neque ipse, neque ejus Prælatus compelli possent ad illam accedere.

XIII. Idemque juris esse, arbitramur, cum animarum Cura est annexa quidem principali Ecclesiæ monasterii, ubi Prælatus residet, regitur tamen & administratur per Regularem, non ab ipsomet Prælato, sed a Capitulo electum & designatum, ita ut non sit in Prælati arbitrio illum a Curæ exercitio divellere: quod evidenter colligi autumamus ex decreto, a sacra Congregatione Concilii edito die 1. Aprilis 1656. in causa *novæ Segoviæ Insularum Philippinarum, lib.* 19. *decret. pag.* 568. in qua rescriptum fuit: *Episcopum procedere posse ad pœnas etiam censurarum contra Regulares exercentes Curam animarum in Ecclesiis Parochialibus Regularium, si renuant accedere ad Synodum, non autem contra Superiores eorundem Regularium.*

XIV. Sed, quamquam hæc ita de jure se habeant, quandoque tamen Regulares privilegium obtendunt, quo se ab accessu ad Synodum excusari arbitrantur. Ejusmodi privilegio, credere fas est, fuisse olim donatos Monachos Cistercienses, ne secus dicamus, eos contra jura deliquisse, cum inter statuta in Capitulo generali anno 1273. condita *cap.* 12. vetuerunt Abbatibus Lemovicensibus accedere ad Synodos Episcopales, sicuti legitur apud Martene, & Durand. *tom.* 4. *Thesauri nov. Anecdot. col.* 1440. Quod certo scimus, est, Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus fuisse illud concessum a Gregorio IX. *in Cap. Nimis parva, de excess. Prælat.* Ferunt quoque, Monachos Cassinenses, & quosdam alios Regulares, etiam Curam animarum habentes, simile indultum impetrasse ab Eugenio IV. Quamobrem Murga *in adnotat. ad primam decisionem post commentaria ad Constitutiones Apostolicas, & in tract. de Beneficiis quæst.* 2. *cap.* 109. eos subtrahit ab obligatione interveniendi Synodo. At certe hallucinatur, & fallitur: ea quippe privilegia, ante Tridentinum obtenta, ab eodem Tridentino revocata & abolita sunt; atque ideo nullus Regularium, qui alias de jure ad Synodum pergere tenetur, potest illam evadere obtentu privilegii Apostolici, nisi doceat, tale privilegium fuisse, post Tridentinum, concessum. Ita contigit in lite, olim exorta inter Archiepiscopum Beneventanum, & Monachos S. Sophiæ Rectores Ecclesiarum Parochialium, quæ eidem monasterio S. Sophiæ sunt unitæ. Renuebant Monachi interesse Synodo, ad quam ab Archiepiscopo cogebantur adire: & sacra Congregatio Concilii, in qua disceptabatur causa, non antea Monachos ab obligatione parendi Archiepiscopo solutos declaravit, nisi postquam docuerunt de expresso privilegio non adeundi ad Synodum, sibi a S. Pio V. & propterea post Tridentinum collato, quemadmodum referunt, & ad rem animadvertunt Fagnanus *in cit. Cap. Quod super his, de majorit. & obed. n.* 12. & Cardinalis Petra *ad Constitut. Apostol. tom.* 5. *pag.* 131. *n.* 118.

XV. Secus est de consuetudine, qua etiam aliquando fulciri se posse, credunt Regulares, ne teneantur ad Synodum ire: etenim, quamvis Cardinalis de Luca *cit. disc.* 37. *de jurisdict. num.* 6. *& seq.* opinetur, sola consuetudine absolvi posse Regulares a lege, eos ceteroquin ad Synodum ire adstringente, solumque disputet, an sufficiat decennalis, vel requiratur quadragenaria; verius tamen est, nullam consuetudinem, nisi tanti temporis sit, ut præsumptionem inducat privilegii Apostolici, Regularibus quoad hoc prodesse; quoniam

aut

aut consuetudo, de qua est sermo, præcessit Concilium Tridentinum, & illa ab eodem Tridentino fuit abrogata; aut est inducta post Tridentinum, & hæc infringitur a Bulla Pii IV. qua Concilii Tridentini acta & decreta confirmantur, & magis aperte ab alia ejusdem Pontificis Constitutione, data 13. Kalend. Martii 1564. ubi omnia, & singula, quæ Concilii decretis adversantur, sive antea inducta, sive in posterum inducenda, nulla, invalida, irrita, & nemini, tam in foro fori, quam in foro conscientiæ suffragari posse, decernit.

XVI. Abbates, de quibus hucusque locuti sumus, de eorum numero sunt, qui potiuntur exemptione primæ duntaxat, aut secundæ speciei quod quilibet potuit ex *iis*, quæ diximus, advertere. Aliud dicendum de Abbatibus præditis nobiliori exemptione tertiæ speciei, cum territorio separato, & vera qualitate *Nullius*: durum quippe nobis videtur, istos proprium habentes territorium, in quo jura exercent quasi Episcopalia, adigere ad interveniendum Synodo vicini Episcopi, si ipsimet Abbates facultatem habeant propriam Synodum celebrandi. Solumque disceptari possent, an, qui hac facultate, carent, cogendi sint ad eligendum aliquem, quem maluerint, ex finitimis Episcopis, cujus Diœcesanæ Synodo interfint. Rationem dubitandi præbet sæpius allegatum decretum Tridentini *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.* obligans Episcopos, nulli Archiepiscopo subjectos, ad semel eligendum aliquem *Metropolitanum*, ad cujus Povinciale Concilium semper deinceps teneantur accedere; quo quidem decreto affici etiam Abbates vere *Nullius*, decisum fuit in particulari Congregatione, deputata a san. mem. Benedicto XIII. & habita die 8. Maji 1725. in responsionibus ad quintum, & sextum dubium: inde enim, propter rationis paritatem, inferri posse videtur, eosdem Abbates, si potestate careant propriam Synodum habendi, obstringendos similiter esse ad eligendum Episcopum, *cujus Synodo assistant; ne secus* Clerus & populus, *cui præficiuntur*, omni careat Synodali statuto. *At nihilominus*, re melius perpensa, oppositum *nobis dicendum* apparet: etenim onus eligendi *Metropolitanum*, ad *cujus* Provinciale Concilium conferre se debeant, a Tridentino impositum est *solis* Episcopis, nulli Archiepiscopo subjectis, & solum, per extensionem, translatum est ad Abbates tertiæ speciei, habentes territorium separatum a diœcesi cujuscumque Episcopi: absonum autem, atque ab omni æquitate devium nobis videtur, iterum extensionem (ut ita dicamus) extendere, seu oneri per extensionem Abbatibus impositio, novum onus adjicere: quod profecto scimus nunquam fuisse *in* praxi receptum.

## CAPUT SECUNDUM.

*De Abbatibus, Prioribus, Guardianis Conventuum Subjectorum Jurisdictioni Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati.*

AD intelligentiam eorum, quæ in præsenti capite dicturi sumus, brevis præmittenda est notitia suppressionis quorundam Religiosorum conventuum, factæ ab Innocentio X. Quoniam exiguus Religiosorum numerus, in parvis cœnobiis commorantium, plerumque in causa est, cur Regularis disciplina ibidem relaxetur, & corruat; inde enim fit, ut Religiosi, qui ob eorum paucitatem, Choro vacare, ceteraque cujusque Ordinis propria Instituta explere non valent, otio indulgeant, liberiores evadant, ac secularibus negotiis se immisceant: idcirco Innocentius X. in sua Constitutione 50. *tom.* 5. *Bullarii pag.* 481. quæ incipit *Instaurandæ*, data idibus Octobris 1652. multa ex ejusmodi cœnobiis, in Italia, eique adjacentibus Insulis sita, atque in litteris Congregationis, super hac re specialiter deputatæ, nominatim expressa, auctoritate Apostolica suppressit, extinxit, & abolevit. Verum, cum postea plerique Regularium Ordinum Superiores eidem Pontifici supplicassent, ut aliqua ex suppressis cœnobiis in pristinum statum restitueret, ac præterea ex publicis documentis, & Episcoporum attestationibus constitisset, in illis tot ali posse Religiosos, qui, etsi numerum non exæquarent, quem Pontifex optaverat, sufficientes tamen videri poterant ad Regularem custodiendam disciplinam, & insuper necessarii reputabantur ad excipiendas populi Confessiones, & Divina persolvenda Officia in locis, ubi alii non reperiebantur Regularium conventus; Innocentius X. porrectis sibi precibus indulgens, nonnulla ex præfatis cœnobiis redintegravit, & Regularibus restituit, hisce tamen adjectis legibus: primo, ut in illis sex ali possent, & actu alerentur Religiosi probatæ vitæ, quorum saltem quatuor essent Sacerdotes maturæ ætatis: secundo, ut iidem conventus, antea suppressi, & postea restituti, *totaliter* subjacerent *jurisdictioni* Ordinarii, tanquam a Sede Apostolica Delegati; quam subjectionem duraturam decrevit, quamdiu iidem conventus tantas adepti non essent fortunas, ut sustentare possent, & actu sustentarent duodecim Religiosos. Aliud autem idem Pontifex statuendum duxit de parvis monasteriis, cœnobiis, seu conventibus, intra Italiam pariter, eique adjacentes Insulas existentibus, quæ nunquam suppressa fuerunt: hæc siquidem Episcoporum *jurisdictioni tunc* solum subjecta esse, sancivit, cum in iis actu non degunt sex Religiosi; sed, si sex Religiosi in hisce cœnobiis, nunquam suppressis, commorentur, illa eadem gaudere voluit exemptione, qua antea fruebantur. Habentur hæc omnia in Decreto incipiente *Ut in parvis*, quod prodiit die 10. Februarii 1654. Totaque rei gestæ series a Fagnano, qui particularis Congregationis ab Innocentio X. deputatæ, fuerat Secretarius, describitur *in Cap. Relatum, ne Clerici, vel Monachi*; & specialis historia suppressionis, & successivæ restitutionis aliquorum conventuum diœcesis Bononiensis edita est post Synodum Diœcesanam Cardinalis Hieronymi Boncompagni.

II. Præfata distinctio *inter* parva Religiosorum cœnobia, quondam suppressa, & postea redintegrata, atque ea, quæ nunquam suppressa fuerunt, est præ oculis habenda, ne, contra Innocentii Decretum, idem feratur de utrisque judicium. Loquendo itaque de conventibus primi generis, statim excitata est controversia, an ita illi subjacerent jurisdictioni Ordinarii, ut simul censerentur subtracti a jurisdictione Prælatorum Regularium. Et, teste Fagnano *in Cap. Quarto, de Offic. Ordinat. n.* 41. decisum fuit, non esse ademptam Prælato Regulari jurisdictionem, qua antea potiebatur, sed eandem promiscue, seu cumulative, datam etiam Ordinario, ita ut inter utrumque locus sit præventioni. Sed, quia nimis facile foret, ut Superior Regularis semper, atque in omnibus Ordinarium præveniret, ejusque jurisdictionem prorsus eluderet, propterea ab Alexandro VII. certi quidam casus determinati sunt, in quibus, non obstante præventione Superioris Regularis, licere voluit Ordinario causam ad se avocare; & simul quædam regulæ præscriptæ, ad quas & Ordinarii, & Superiores Regulares, in eorundem conventuum regimine, conformare se debeant, quæ videri possunt apud eundem Fagnanum *citato loco n.* 42.

III. Unica restabat dirimenda quæstio, an scilicet Abbates, Priores, Guardiani, & uno verbo Superiores conventuum, de quibus agimus, teneantur interesse Synodo, ab Episcopo indictæ. Et etiam hanc definivit Alexander VII. suis Apostolicis litteris, datis die 30. Martii 1661. quarum meminere de Aste, Archiepiscopus Hydruntinus, *in Methodo Visitationis Apostolicæ part.* 5. §. 2. *n.* 18. Verhorst *in addit. ad Chokier de juris-*

*jurisdict. in exemptos tom. 3. in addit. ad part. 4. quæst. 19.* Romaguer. *ad Constit. Synodal. Gerundens. tom. 1. lib. 1. cap. 2. n. 8.* Eæque per extensum relatæ a Fagnano *in cit. Cap. Quanto num. 64.* ita se habent: *Cum, sicut accepimus, posito Decreto fel. rec. Innocentii Papæ X. Prædecessoris nostri incipiente, Ut in parvis, die 10. Februarii 1654. edito, quo parvi conventus, non habentes præscriptum numerum Religiosorum, visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica Delegati, plene in omnibus subjiciuntur, dubitetur, an Abbates, Priores, Guardiani, & alii prædictorum conventuum Superiores, ab Episcopo vocati, ad Diœcesanam Synodum accedere teneantur; Nos, ejusmodi dubium tollere cupientes, præfatos Abbates, Priores, Guardianos, & alios parvorum conventuum hujusmodi Superiores, ad Synodum Diœcesanam accedere teneri, si ad eam ab Episcopo, uti Sedis Apostolicæ Delegato, vocentur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, declaramus, & ita ab omnibus, ad quos pertinet, servari præcipimus.*

IV. Alexandri VII. sanctioni concinit decisio sacræ Congregationis Concilii in causa *Pientina Synodi*, quam ad uberiorem rei elucidationem, integram atteximus: *Instante Promotore Synodi Diœcesanæ Pientinæ pro declaratione, an Superiores parvorum conventuum teneantur accedere ad Synodum Diœcesanam, quatenus fuerint vocati ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, datæ fuerunt litteræ pro informatione Ordinario, qui retulit, Guardianum Minorum Conventualium Sancti Quirici, ad Synodum Diœcesanam die 24. Septembris proxime elapsi accersitum, comparuisse per Procuratorem, asserendo, non teneri accedere, eo quia Fratres Minores Conventuales obstringi non poterant legibus Synodalibus; Priorem vero Servorum Beatæ Mariæ Virginis se excusasse per epistolam, ex quo dietim visitationem generalem sui cœnobii expectabat; & denique Patrem Guardianum Conventualium civitatis Pientinæ, absque ulla hæsitatione, Synodo interfuisse: unde EE. VV. exorat, ut, ne Superiores hujusmodi parvorum conventuum subjectionem suæ jurisdictionis quodammodo excutiant, licet in iis, quæ respiciunt visitationem, & correctionem, ad tenorem Decreti san. mem. Innocentii X. incipientis, Ut in parvis, semper suam exercuit facultatem, declarare dignentur, illos teneri ad Synodum accedere, mediante resolutione infrascriptorum dubiorum.*

*Primo: An PP. Guardiani, ceterique Superiores parvorum conventuum, teneantur accedere ad Synodum Diœcesanam, quatenus fuerint vocati ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato. Et, quatenus affirmative.*

*Secundo: An casu, quo vocati non interveniant, subjacere debeant mulctæ in prædicta Synodo Diœcesana adversus contumaces comminatæ.*

*Die 16. Junii 1703. sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, ad primum respondit affirmative; ad secundum pariter affirmative arbitrio Ordinarii, excepta mulcta pecuniaria.*

V. Jam, ut a suppressis, & restitutis, ad parvos conventus, nunquam suppressos, gradum faciamus, si hos actu non incolant sex Religiosi, quorum quatuor sint Sacerdotes, juxta censuram allegati Decreti Innocentii X. non secus ac priores, de quibus hactenus, subduntur jurisdictioni Ordinarii loci, & proinde metiendi sunt eodem jure, quo illi. Si vero sex in iis alantur Religiosi, eoque magis si plures, ab Ordinarii jurisdictione penitus eximuntur: quod liquet ex enunciato Decreto, & diserte declaravit sacra Congregatio super statu Regularium die 29. Novembris 1657. *Sacra Congregatio super statu Regularium censuit, conventus, nunquam suppressos, in quibus actu degunt de familia plures, quam sex Religiosi, minime comprehendi in Decreto san. mem. Innocentii X. quod incipit, Ut in parvis; ac proinde locorum Ordinarios nequaquam posse, in vim dicti Decreti, in hujusmodi conventibus, aut illorum personis, ullam sibi jurisdictionem vindicare:* quam declarationem postquam retulit Panimoll. *decis. 84. annot. 2. n. 62.* addidit: *Pro cujus observantia decreti respondit sacra Congregatio Concilii in Melphiten. Jurisdictionis 3. Augusti 1686.* Causa autem Melphitensis, quam innuit Panimoll., hæc fuit. Cum Episcopus Melphitensis sacra visitaret Apostolorum limina, quæsivit a sacra Congregatione Concilii, an sibi competeret delegata jurisdictio in parvos suæ diœcesis Regularium conventus, nunquam suppressos, in quibus non alerentur quatuor Sacerdotes, ita ut jus sibi esset, non solum iisdem conventibus annexas Ecclesias, sed & ipsos conventus, ejusque cubicula, ac præterea inibi existentes Regulares personaliter visitare. Et sacra Congregatio die 3. Augusti 1686. respondit: *Servandum esse decretum Congregationis super statu Regularium, editum 29. Novembris 1657.*

VI. Quamobrem Regulares, qui seni, ut præscriptum est, parvis in conventibus nunquam suppressis, degunt, nisi curam animarum habeant, adstringi nequeunt ad interveniendum Episcopali Synodo; quemadmodum in eadem, quam retulimus, causa *Pientina*, eadem sacra Congregatio Concilii, de his postmodum specialiter consulta, expresse sancivit.

VII. *In sacra Congregatione, habita sub die 16. Junii proxime elapsi, propositis ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiæ Episcopalis Pientinæ infrascriptis dubiis, nempe Primo: an Priores, Guardiani, ceterique Superiores parvorum conventuum teneantur accedere ad Synodum Diœcesanam, quatenus fuerint vocati ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato. Et, quatenus affirmativæ.*

VIII. *Secundo, an casu quo vocati non interveniant, subjacere debeant mulctæ, in prædicta Synodo Diœcesana adversus contumaces comminatæ, rescriptum fuit, Ad primum Affirmative; Ad secundum Affirmative, arbitrio Ordinarii, excepta mulcta pecuniaria. Reclamante autem adversus hujusmodi resolutionem Priore, & Patribus conventus B. Mariæ Virginis Servorum, loci Scrofani, sub fundamento, quod dictus eorum conventus non sit comprehensus in Decreto san. mem. Innocentii X. incipiente, Ut in parvis, renovato per Constitutionem san. mem. Alexandri VII. eo quia, ut asseritur, nunquam fuit suppressus, ac semper ibidem manserunt de familia sex Religiosi, Eminentiis Vestris resolvendum proponitur.*

IX. *An respectu dicti Conventus B. Mariæ Virginis, loci Scrofani sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

X. *Die 15. Septembris 1703. sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, censuit, conventum Scrofani non esse comprehensum.*

## CAPUT TERTIUM.

*De obtinentibus dignitates, personatus, officia, & de Vicariis, tum Generali, tum Foraneis.*

DIgnitas, Personatus, & Officium, sæpe promiscue accipiuntur: stricte tamen, & juxta juris apices, distincta sunt Beneficia. Dignitatem quippe obtinere dicitur, qui ratione Beneficii, quod possidet, præeminentiam habet, cum jurisdictione in foro externo, sicuti olim erat, alicubi etiam nunc est Archidiaconatus: Personatum, qui solam præeminentiam, sine jurisdictione, uti Prior, & Decanus: Officium, qui, nec præeminentiam, nec jurisdictionem, sed administrationem duntaxat habeat aliquarum rerum, ad Ecclesiam pertinentium, uti Sacrista, & Thesaurarius. Hi omnes lato quodam loquendi modo, dicuntur Prælati, & eapropter, si sint de Clero Seculari, nec privilegio post

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Tridentinum impetrato excuſentur, tenentur Synodo Diœceſanæ intereſſe: quod aſſerunt Maſſobr. *de Synodo Diœceſ. cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 9. Gavant. *in praxi Synodi Diœceſ. cap.* 2. *in annot. n.* 4. Pax Jordan. *lucubrat. lib.* 8. *tit.* 2. *n.* 46. *& ſeq.*

II. Vicarius Generalis Epiſcopi, quamquam a jure quandoque dicatur Officialis, ut *Cap. Licet, de offic. Vicar. in* 6. *& in Clement.* 2. *de reſcriptis*, attamen in aliquibus regionibus ultra montes, præſertim in Gallia, & Belgio, uſus obtinuit, ut ab Officiali diſtinguatur, & *Vicarius* nuncupetur, qui ea exercet, quæ ſunt juriſdictionis voluntariæ; *Officialis* vero, qui juriſdictioni præeſt contentioſæ: quod teſtantur Cabaſſut. *in theoria & praxi Jur. Canon. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 1. & Van-Eſpen *Jur. Eccleſiaſt. tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 12. *cap.* 5. atque Alteſerra *in Vindic. Eccleſiaſt. Juriſd. lib.* 7. *cap.* 6. Apud nos autem unus & idem Epiſcopi vices, in utriuſque juriſdictionis exercitio, gerere conſuevit; quod etiam eſſe juris conformius, obſervavit Guillelmus Lyndewode *ad Conſtitutiones Angliæ lib.* 2. *ad tit. de ſequeſtratione poſſeſſionis, & fructuum, verb. Vicarios Generales*, inquiens: *Horum poteſtas differt ab Officialium principalium poteſtate, de quibus ſequitur in textu: nam Officiales dicuntur, quibus cauſarum cognitio generaliter per habentes juriſdictionem Eccleſiaſticam committitur, & in tales transfunditur cognitio cauſarum totius diœceſis, non tamen inquiſitio, nec correctio, ſive punitio criminum &c. Sed Vicarii Generales omnia prædicta facere poſſunt virtute officii, excepta collatione Beneficiorum.* Quid porro Vicarius Generalis juris habeat quoad Synodum, abſente Epiſcopo, jam ſupra oſtendimus: in præſens aſſerimus, eum, præſente, atque ita jubente Epiſcopo, & poſſe & debere Synodo intervenire; atque inſuper affirmamus, maximopere decere & expedire, ut Epiſcopus velit, ſuum Vicarium Synodo adeſſe. Colligimus hæc ex quodam Brevi Gregorii XIV. edito ad dirimendam celebrem controverſiam, quam ſubdimus.

III. Præſidente Cardinali de Caſtro Metropolitanæ Eccleſiæ Hiſpalenſi, magna excitata eſt controverſia inter Vicarium Generale & Capitulum Metropolitanæ ſuper præcedentia ſedendi in Synodo: eaque delata ad ſacram Congregationem Concilii, cum adhuc indeciſa penderet, ſan. mem. Sixtus V. ita decrevit: *Vicarium, ſeu Officialem Generalem, præſente Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, neque locum in Synodo Diœceſana, aut in Capitulo, a jure communi habere, aut prætendere poſſe; ipſo vero Archiepiſcopo, vel Epiſcopo abſente, præcipuum in eadem Synodo locum obtinere debere.* Adverſus hujuſmodi Breve, prævia aperitione oris, quam de voto ſacræ Congregationis Concilii, a Gregorio XIV. obtinuit, reclamavit Cardinalis de Caſtro, aliudque ab eodem Gregorio reportavit Breve moderatorium decreti Sixti V. hiſce verbis conceptum: *Vicarium, ſeu Officialem, aut Proviſorem Generalem Archiepiſcopi, cujus præſentia in Synodis Diœceſanis, pro controverſiis & litibus dirimendis, & querelis cognoſcendis, & decretis ſtatuendis, neceſſaria omnino eſt, tam abſente, quam etiam præſente Archiepiſcopo, primum locum poſt ipſum Archiepiſcopum, & ante Capitulum, vel a Capitulo deputatos, in eadem omnino Synodo Diœceſana de jure habere, & obtinere debere, niſi tamen ex conſuetudine legitima Capitulo jus in eadem Synodo Vicarium præcedendi conſtiterit eſſe acquiſitum.*

IV. Hæc, quæ indicantur in deciſione Romanæ Rotæ *in Hiſpalen. Juris ſedendi in Synodo*, 21. Junii 1697. *coram Muto*, edita apud Nicollium *Jur. Canon. tom.* 1. *litt. C. §.* 3. *poſt n.* 180. eo tantum animo hic retulimus, ut a Gregorio XIV. rationes audiremus, propter quas oportet, ut Vicarius Generalis, etiam præſente Epiſcopo, Synodo interſit; nam de loco, ubi ſedere debeat, infra erit ſermo.

V. Præter Vicarium Generalem, qui toti præeſt diœceſi, alii ab Epiſcopis conſtituuntur peculiares Vicarii, dicti *Foranei*, ut extra civitatem in pagis, & oppidis jus dicant, in quibuſdam levioris momenti cauſis, & juriſdictionem exerceant, ad certos duntaxat actus limitatam; a quorum tamen ſententiis liberum eſt ad Epiſcopum appellare, juxta Gloſſam *in Clementina* 2. *verb. Foraneo*, ubi Archidiaconus, & Cardinalis, *de reſcriptis*, & late deducta per Sbrozzium *de Vicario Epiſcopi lib.* 1. *qu.* 3.

VI. Ejuſmodi Vicariorum originem antiquiſſimam eſſe, atque ad Chorepiſcopos referendam, non immerito arbitratur Juenin *de Sacramentis diſſert.* 9. *qu.* 2. *cap.* 4. Quamquam enim Rabanus Archiepiſcopus Moguntinus *in Opuſc. de Chorepiſc.* quem ſequuntur Beveregius *in notis ad Conc. Ancyran. can.* 13. Binghamus *Origin. Eccleſiaſt. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. Caveus, Blondellus, Tournely, aliique exiſtiment, Chorepiſcopos, ordinatione, & charactere, veros Epiſcopos fuiſſe; attamen, quod citatus Binghamus fatetur, communior, magiſque recepta eſt opinio, fuiſſe eos tantummodo Presbyteros, quemadmodum fuſe probant Turrianus *not. ad can.* IIV. *Nicæn. Arab.* Eſtius *in* 4. *ſent. diſt.* 24. §. 30. Anton. Auguſtinus *epit. Jur. Can. lib.* 6. *tit.* 1. *cap.* 8. 11. *&* 13. Morinus *de Sacr. Ordinat. part.* 3. *exercitat.* 4. Thomaſſinus *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *&* 2. Natalis Alexander *Appendic. ad diſſert.* 44. *in ſec.* VI. etſi negari haud poſſit, quandoque contigiſſe in Chorepiſcopum aſſumi, qui Epiſcopali charactere eſſet antea inſignitus, & a ſua diœceſi ob perſecutionis æſtum expulſus, aut ejuſdem adminiſtratione, in alicujus gravis criminis pœnam, legitima auctoritate privatus, quod opportune animadvertunt Bellarmin. *tom.* 2. *Controv. de Clericis lib.* 1. *cap.* 17. Hallier *de ſacris Ordinat. ſect.* 5. *cap.* 2. *art.* 2. §. 5. Cabaſſutius *Notit. Eccleſ. ſeculi* IV. *in can.* 13. *Concilii Ancyrani n.* 6. & Petrus de Marca *lib.* 2. *de Concord. cap.* 13. Siquidem Concilium Nicænum *can.* 8. ita proſpexit Epiſcopis Novatianis, qui ad Catholicam redirent Eccleſiam, ut ab Epiſcopo loci, ſive ad Presbyteri cujuſdam oppidani, ſive ad Chorepiſcopi officium admitterentur; idemque decretum fuiſſe de Epiſcopis Meletianis, ad Eccleſiæ unitatem reverſis, colligitur ex ejuſdem Concilii epiſtola Synodica apud Socratem *lib.* 1. *cap.* 9. Jam ergo hi Chorepiſcopi conſtituebantur in pagis, & oppidis, ut ea Epiſcopi loco gubernarent, quamobrem a Ferrando Diacono *Breviar. cap.* 79. vocantur Epiſcoporum Vicarii: *Chorepiſcopi*, inquit, *ideſt Vicarii Epiſcoporum*: eandemque nomenclaturam apud alios habent ſacrorum Canonum Collectores. Quia porro Chorepiſcopis, præter juriſdictionem ad regimen loci, cui præficiebantur, neceſſariam, poteſtas quoque data erat conferendi minores Ordines, quibus tunc temporis accenſebatur Subdiaconatus: & aliquando, cum nimirum Epiſcopali charactere erant exornati, iiſdem ab Epiſcopo loci facultas quoque delegabatur conferendi Ordines ſacros: inde factum eſt, ut Chorepiſcopi, tot condecorati prærogativis, eo uſque audaciæ devenerint, ut in omnibus ſe Epiſcopis æquarent: cumque nec Canones Conciliorum, præcipuæ Canon ſextus Concilii Sardicenſis, quartus Toletani XII. vigeſimus ſecundus Francofordienſis, ſeptimus Hiſpalenſis, neque epiſtolæ Decretales ſummorum Pontificum, & ſignanter epiſtola olim 88. Leonis Magni (ſi tamen ejus eſt, quod recentiores Critici negant) & epiſtola Leonis III. ad Epiſcopos Galliæ, quibus Chorepiſcoporum refrenabatur inſolentia, ſatis fuiſſent, ad eos continendos in officio: ideirco ſeculo VIII. & IX. ita pluribus præcipientibus Eccleſiæ legibus, Chorepiſcoporum ordo ſupprimi cœpit, ac medio circiter ſeculo X. prorſus extinctus eſt, quod narrat Natalis Alexander *hiſt. Eccleſ. tom.* 4. *ad ſeculum* IV. *in Append. ad diſſert.* 44.

VII. Ex-

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



VII. Extinctis Chorepiſcopis, ſolicitudo luſtrandi ruſticanas parochias, præſidendi parvis oppidis, corrigendi ac puniendi in his degentes Clericos, quæ prius Chorepiſcopis competebat, translata eſt in Archipresbyteros, Archidiaconos, & Decanos rurales: unde Sigebertus *in Chronico* agens de Damaſo II. qui Pontificatum iniit anno 1048. Archidiaconos cum Chorepiſcopis confundit, ita ſcribens: *Damaſus Papa decrevit, ne quid contra Epiſcopos præſumant Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiſcopi, ideſt villarum, & regionum Epiſcopi.* Erant igitur Archidiaconi, Decani, & ſimiles, in Chorepiſcoporum locum ſuffecti, Vicarii rurales, ſeu Foranei Epiſcoporum. Propterea Concilium Londinenſe anni 1237. *can.* 2. Archidiaconis, utpote vices Epiſcopi in ſibi commiſſis diœceſis regiunculis obeuntibus, injungit, ut *in Decanatuum ſuorum conventibus Sacerdotes maxime in his ſtudeant erudire, docentes eos, qualiter circa Baptiſmum, Pœnitentiam, Euchariſtiam, & Matrimonium debeant ſe habere:* quemadmodum legitur in Collectione antiqua Spelmanni *tom.* 2. *pag.* 222. etſi in recentiori Wilkins *tom.* 1. *pag.* 650. *Euchariſtiæ* nomen omiſſum ſit. Et Concilium Lambethanum anni 1261. *cap.* 31. ac Concilium ad Pontem Audemari anni 1279. *can.* 21. iiſdem Archidiaconis, & Decanis ruralibus, veluti juriſdictionem in pagis exercentibus, diſtricte præceperunt, ut in Clericos animadverterent, qui Clericalem Tonſuram non geſtarent. Ut porro ejuſmodi Vicarii Foranei proprio muneri facilius ſatisfacerent, a Concilio Colonienſi anni 1266. *can.* 14. Exceſtrenſi anni 1287. *can.* 31. aliiſque congeſtis a Thomaſſino *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 76. ſtatutum eſt, ut eorum quilibet, ſingulis menſibus, omnes ſuæ juriſdictioni ſubjectos Sacerdotes in quamdam veluti ruralem Synodum, coram ſe congregaret, ubi & eos inſtruere, & quæ in ſua regiuncula corrigenda eſſent, reſcire poſſet.

VIII. Morem iſtum partiendi diœceſim in totidem veluti minuſculos Epiſcopatus, quorum ſingulis ſuus præſideret Vicarius, etſi pervagatiſſimus eſſet in toto fere Occidente, inuſitatum tamen fuiſſe in noſtra Italia, aſſerit laudatus Thomaſſinus, in quam primum invectum credit a S. Carolo Borromæo, cujus rei cauſam refert in adeo anguſtos & coarctatos limites diœceſum Italiæ, ut unus Vicarius Generalis, in civitate reſidens, viſus ſit toti diœceſi regendæ ſufficere. At ſuſpicamur, virum, ceteroquin eruditiſſimum, in hoc erraſſe: nam, ut prætermittamus veſtigia; in pleriſque diœceſibus adhuc extantia, antiquæ juriſdictionis, quam in aliqua earundem parte exercebant Archidiaconi, & Decani, Joannes Franciſcus Bonhomius, Epiſcopus Vercellenſis, S. Carolo coævus, a quo, uti narrat Ughellius, anno 1572. fuit Epiſcopus inauguratus, *in ſuis Decretis generalibus reformationis Eccleſiaſticæ, editionis Colonienſis anni* 1585. *pag.* 119. *& ſeq.* differit de noſtris Vicariis Foraneis, non tanquam recens inſtitutis, ſed veluti jamdiu antea inductis, dicens, eos, aſſumi conſueviſſe ex Archipresbyteris, & Præpoſitis oppidorum; quod tamen monet, non oportere eſſe perpetuum, cum Vicarii Foranei officium illis duntaxat ſit committendum, qui litterarum ſcientia, morum integritate, ac rerum agendarum uſu, præſtantiores ſunt. De iiſdem pariter Vicariis, ante Bonhomium, mentionem fecerat Petrus Franciſcus Zinus *in Exemplis boni Paſtoris*: adhuc quippe viventi celebri Joanne Matthæo Giberto, Epiſcopo Veronenſi, laudatus Zinus Giberti Conſtitutiones, typis Veronenſibus impreſſas, evulgavit anno 1542. iterumque Venetiis excudi curavit anno 1563. quarum nova editio denuo prodiit Veronæ anno 1740. Jam autem in hac poſtrema editione *pag.* 290. profertur teſtimonium Zini aſſerentis, ab Epiſcopo Giberto conſtitutos fuiſſe per ſuam Veronenſem diœceſim Vicarios Foraneos: *Porro cum nec ipſe Epiſcopus* (inquit Zinus), *nec ejus Vicarius, & reliqui miniſtri, magna negotiorum urbis multitudine diſtenti, valeant ita accurate ea, quæ ruri gerenda ſunt, intueri, & animadvertere, utrum Sacerdotes ſe recte gerant, imperataque faciant; multos ex Archipresbyteris, & Parochis peritioribus, & magis idoneis, tanquam Vicarios ..... conſtituit.* Vicarios quoque Foraneos nominatos legimus ab Innocentio IV. *in Cap. Romana, de offic. Ordin. in* 6. at ibi Foraneos appellat Vicarios, quos Archiepiſcopus Remenſis conſtituere attentaverat in ſuorum Suffraganeorum diœceſibus. De veris autem Vicariis Foraneis loquitur Clemens V. *in Clem.* 2. *de reſcriptis*, ubi differentiam ponit inter Epiſcopi *principalem Officialem*, ejuſque *Officialem Foraneum*, qui in certa diœceſis parte ad certos actus conſtituitur: notatque ibidem Gloſſa, ab hoc Officiali Foraneo poſſe appellationem interponi ad Epiſcopum, etſi Anaſtaſius Germonius *Animadverſ. lib.* 1. *cap.* 7. contra communiter receptam, uſuque comprobatam Gloſſæ opinionem, oppoſitum ſuadere conetur.

IX. Verum, quidquid ſit de primordiis Vicariorum Foraneorum in Italia, certum eſt, nunquam apud nos tantam illis tributam juriſdictionem, quantam olim habuerunt, & alicubi etiam nunc habent, extra Italiam, ſed eorum facultates ad quædam duntaxat levioris momenti negotia conſueviſſe reſtringi & limitari, quod jam ſupra obſervavimus.

X. Illos porro ad Synodum referendo, ſi ad cœtum pertinent Parochorum, nullus dubitat, debere Synodo adeſſe: ſi vero ſimplices ſunt Presbyteri, quamvis nullum poſſideant Eccleſiaſticum Beneficium, idem de iis ſtatuimus, quod de Vicario Generali diximus; arceſſitos nimirum ab Epiſcopo, teneri ad Synodum accedere. Affirmamus præterea, oportere, ut Epiſcopus omnes ſuos Vicarios Foraneos ad Synodum vocet, quoniam ab iſtis, tanquam oculatis teſtibus, melius, quam a Vicario Generali, certior fieri poterit de iis, quæ in remotis diœceſis partibus occurrunt, & aliquam fortaſſe Synodalem ſanctionem expoſcunt.

## CAPUT QUARTUM.

*De Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, & Collegiatarum.*

CAnonicos Eccleſiarum Cathedralium invitandos eſſe ad Synodum Provincialem, deliberatum fuit in Concilio Provinciali Mechlinienſi, celebrato Lovanii anno 1574. *Fuit concluſum, & reſolutum, quod poſthac nominatim ad Concilium Provinciale vocabuntur Decani, & Capitula Eccleſiarum Cathedralium:* apud Martene, & Durand *Theſaur. nov. Anecdot. tom.* 4. *col.* 451. & cum communi docet Fagnanus *in Cap. Etſi membra a n.* 37. *uſque ad fin. de his, quæ fiunt a Prælatis ſine conſenſu Capituli.* Inviti tamen compelli nequeunt, ut interveniant, quemadmodum idem Fagnanus proſequitur: & ſi Concilio Provinciali interſint, votum mere conſultivum, non deciſivum, habent, juxta decretum ſacræ Congregationis Concilii, in *Salernitana Synodo*, die 19. Aprilis 1596. *lib.* 8. *decretor. pag.* 174. *Capitulorum Deputatos vocem duntaxat conſultivam in Concilio Provinciali habere.*

II. Quod ſpectat ad Synodos Diœceſanas, ut vera fateamur, nulla in antiquis Synodis fit mentio Canonicorum: ſæpius quidem illis interfuiſſe, atque intereſſe debere, legimus, Abbates, Priores, Decanos, & Parochos; quod patet tum ex iis, quæ *hujus libri cap.* 1. *n.* 1. retulimus, tum ex ſtatutis Synodalibus Joannis Epiſcopi Leodienſis anni 1287. *Mandamus Decanis, & Sacerdotibus, & aliis, qui ipſi Synodo intereſſe tenentur;* & ex ſtatutis Eccleſiæ Avenionenſis anni 1337. *cap.* 8.

*Hoc ſtatuto præcipimus & mandamus, ut de cetero Priores, Rectores, Decani, & alii, qui ad Synodum venire conſueverint &c.* atque ex ſtatutis Eccleſiæ Meldenſis: *Præcipitur diſtricte, ut omnes Presbyteri, Curam habentes, veniant ad Synodum: cit. tom. 4. Theſaur. Anecdot. col.* 829. 563. & 891. ſed nuſquam Canonicos, ſpecialiter nominatos, invenimus. At nihilominus, juxta præſentem diſciplinam, ad Diœceſanam Synodum invitandos eſſe Canonicos Eccleſiarum Cathedralium, communiter aſſerunt Doctores congeſti a Monacello *tom. 1. tit. 5. formul. 3. n. 5.* Solumque quæſtio eſt, an, invitati, teneantur adeſſe. Bottus *in tract. de Synodo part. 2. in princ. n. 2. & ſeq.* Maſſobrius *de Synodo Diœceſ. cap. 3. dub. 2.* affirmant, reluctantes cogi non poſſe, niſi tamen in Synodo agendum foret de negotiis ad eos pertinentibus, aut de rebus, in quibus ab Epiſcopo Capituli conſilium eſt exquirendum. Attamen ſententia oppoſita, obſtringens Canonicos Cathedralis ad interveniendum Synodo, ſaltem per aliquot, e Capituli gremio deputatos, magis recepta eſt apud Doctores, & uſu comprobata. Primo, quia cenſentur conſtituti in quadam quaſi dignitate, comparanda cum Prioribus, & Decanis, quos ſemper ad Synodum adactos nuper vidimus. Secundo, quia nunquam accidit, ut in Synodo non tractetur de Horis Canonicis rite perſolvendis, de Cleri moribus reformandis, de reſtauranda Eccleſiaſtica diſciplina, ceteriſque, quæ ipſos quoque Canonicos reſpiciant; in quo rerum eventu, omnes Doctores conſentiunt, non licere Canonicis ſe a Synodo excuſare, Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi part. 3. alleg. 33. n. 11.* Pax Jordan. *lib. 8. tit. 2. n. 59.* Romaguer. *ad Conſtit. Synod. Gerunden. lib. 1. tit. 1. cap. 2. n. 15.* & alii, eandem obligationem extendentes ad eorundem Canonicorum Coadjutores.

III. Epiſcopus Illerden. a ſua Synodo Diœceſana tentavit excludere Canonicum Pœnitentiarium, quia, ut ajebat, in jure cautum non reperitur, *jus illi eſſe interveniendi Synodo. Sed interpoſita a Pœnitentiario* appellatione ad ſacram Congregationem Concilii, hæc cenſuit, eum nequaquam excludi poſſe. Si enim invitandi, & admittendi ſunt ceteri Canonici, eo magis viſus eſt admittendus Canonicus Pœnitentiarius, qui eſt quaſi Parochus totius diœceſis, & jus habet excipiendi ſacramentales diœceſanorum Confeſſiones, non ex ſpeciali commiſſione Epiſcopi, ſed a lege, a Concilio ſcilicet Tridentino, ita ut propterea in iis, quæ ſpectant ad forum internum, cenſendus ſit Ordinarius: de qua re plura Fagnan. *in Cap. Grave a n. 10. de Præbendis.*

IV. Alii Eccleſiæ Cathedralis Beneficiarii, qui inter Canonicos non cooptantur, ab Epiſcopo vocati, poſſunt, & debent intereſſe, ſed veluti ſinguli, non tanquam conſtituentes unum corpus, ſeu collegium; juxta ſenſum ſacræ Congregationis Concilii, expoſitum a Pignatello *conſult. 3. tom. 7.*

V. De Canonicis Collegiatarum Eccleſiarum cenſet Maſſobrius *cit. cap. 3. dub. 2. n. 26.* neque oportere, ut ad Synodum invitentur, neque invitatos adigi poſſe ad interveniendum, niſi cum fortaſſe ceteri quoque e diœceſis Clero intereſſe tenentur. At, cum in ſupra allegato Concilio Mechlinienſi decere viſum fuerit, ut Capitula Collegiatarum Eccleſiarum vocarentur ad Concilium Provinciale: *Fuit concluſum, & reſolutum, quod poſthac nominatim ad Concilium Provinciale vocabuntur Decani..... & Capitula Collegiatarum Eccleſiarum provinciæ Mechlinienſis, ut per ſe, vel per ſuos Procuratores, in Synodo Provinciali compareant:* multo magis oportere exiſtimamus, ut ad Diœceſanam Synodum invitentur: invitatos autem non poſſe acceſſum detrectare, ex iis perſpicuum fiet, quæ de obtinentibus Beneficia ſimplicia inferius ſtatuemus. Quare rectius Pax Jordan. *cit. loc. n. 59.* omnes Canonicos Collegiatarum, eorumque Coadjutores, ad Synodum abſolute compellit. Quod ſi Collegiata extra locum ſit, ubi Synodus habetur, tunc, ne Eccleſia ſuo fraudetur ſervitio, non omnes Canonici, ſed aliqui eorum, a Capitulo deputandi, debent omnium nomine Synodum adire, juxta decretum ſacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium, apud Pignatellum *conſult. 77. n. 62. tom. 9.* & bene deducta per Pacem Jordanum *eod. cit. loc. n. 60.*

VI. Uſus obtinuit, ut Canonici tam Cathedralium, quam Collegiatarum Eccleſiarum, poſtquam quadraginta annorum non interrupto ſpatio diligenter Eccleſiæ inſervierunt, exemptionem conſequantur a Choro, atque ab omni abſolvantur ſervitio, deinceps Eccleſiæ præſtando, quin tamen idcirco aliquid amittant aut ex Præbendæ fructibus, aut ex diſtributionibus quotidianis, quas lucrantur, etiamſi abſint a loco Beneficii: ea ſiquidem exemptione obtenta, libertatem pariter nanciſcuntur a vinculo reſidentiæ, juxta declarationem editam a ſacra Congregatione Concilii die 17. Decembris 1718. in reſponſione ad quintum ex dubiis jubilationum propoſitis a nobis, ejuſdem ſacræ Congregationis Secretarii munus tunc obeuntibus. Jam autem, ſi de hiſce Canonicis, qui *Jubilati* dicuntur, inſtituatur quæſtio, an teneantur Synodum adire, ſine ulla hæſitatione affirmamus, modo tamen ab Epiſcopo ſpecialiter vocentur: quod colligimus *ex Cap. Cum ad hoc, de Clericis non reſidentibus*, & deciſum deprehendimus a ſacra Congregatione Concilii in *Aquilana* 27. Septembris 1659. ad tertium dubium *lib. 21. decretor.* & in *Sabinen.* 2. Octobris 1717. *lib. 67. decretor.* Poteſt quippe contingere, ut Epiſcopus Canonici jubilati, veluti maturioris ætatis, & conſilii, rerumque Eccleſiam & Capitulum reſpicientium magis periti, opera indigeat in Synodo; abſonum autem videtur, ut in his circumſtantiis *ille* non teneatur morem gerere Epiſcopo vocanti, poſſitque a Synodo ſe abducere; quemadmodum in re ſimili ratiocinatur Michael Thomaſius *in Tract. de ratione habendi Concilia Provincialia & Diœceſana fol.* 136. Accedit, Canonicum, etiam poſt obtentum jubilationis indultum, poſſe ad ſervitium Eccleſiæ revocari, ſi nimirum, ob aliorum miniſtrorum paucitatem, Divina Officia debito cultu expleri non valeant, quod *in cit. Cap. Cum ad hoc*, Patriarchæ Antiochenó diſertis verbis reſcripſit Gregorius IX. & cenſuit ſacra Congregatio Concilii in reſponſione ad quartum ex prædictis dubiis Jubilationum: multo magis itaque poterit Canonicus jubilatus ab Epiſcopo compelli venire ad Synodum, cum ejus præſentia conferre poſſe videatur ad Eccleſiæ, totiuſque diœceſis utilitatem.

## CAPUT QUINTUM.

### *De Parochis.*

DIœceſanas Synodos a prima earum origine potiſſimum ex Parochis fuiſſe conflatas, & ratio ſuadet, & antiquiſſimi Eccleſiæ Canones nos edocent. Illis quippe, quæ eo ſemper collimarunt, ut animarum ſalutem promoverent, eos maxime intereſſe oportuit, quibus aliqua Dominici gregis portio tradita erat cuſtodienda. Hinc Synodus Diœceſana Antiſiodorenſis anni 578. *can. 7. tom. 3.* Collectionis Harduini *col. 444.* ſancivit: *Ut medio Majo omnes Presbyteri ad Synodum in civitatem veniant:* & in formula habendi Synodum Diœceſanam, a Burchardo adſcripta Concilio Salegunſtadienſi anni 1022. quod ab aliis *Moguntinum* dicitur, eo quod Salegunſtadium jam tum eſſet Moguntinæ diœceſis, legitur: *Convenientes Presbyteri omnes intrent (Synodum), & ſecundum Ordinationis ſuæ tempus reſideant.* Quibus in locis, ſicuti & in aliis vetuſtis

Cano-

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



Canonibus, Sacerdotum, & Presbyterorum nomine, Parochos designari, advertit Van-Espen *Jur. Eccles. univers. part.* 1. *tit.* 18. *cap.* 2. *n.* 4. inquiens: *Hic nota, omnes indistincte Presbyteros ad Synodum admitti; nec mirum, quia juxta phrasim illius temporis, nomine Presbyterorum veniebant Parochi, adeo ut admittere Presbyteros ad Synodum, idem tunc significaret, quod hodie admittere Parochos.* Enimvero Concilium Liptinense anni 743. *tom.* 1. *Concil. Galliæ* editionis Sirmondi *pag.* 538. aperte ostendit, *Presbyterorum* nomine se, non alios, quam Parochos intelligere, cum *can.* 3. ait: *Ut unusquisque Presbyter, in parochia habitans, subjectus sit illi Episcopo, in cujus parochia habitat; & semper in Quadragesima rationem, & ordinem ministerii sui, sive de Baptismo, sive de Fide Catholica, sive de Precibus, & ordine Missarum, ipsi Episcopo reddat, & ostendat.* In eodem sensu *Sacerdotum* nomen usurpavit Innocentius III. *in Cap. Quod super his, de majorit. & obed.* cuidam Episcopo, quem, Gonzalez existimat, fuisse Cantuariensem, rescribens: *Abbates, & Sacerdotes, diœcesana lege tibi subditos, qui ad tuam Synodum venire contemnunt (dummodo in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum, quod Canonicis obviet institutis) per censuram Ecclesiasticam ad Synodum ipsam venire compellas, & debitam tibi obedientiam & reverentiam exhibere:* ubi Innocentium *Sacerdotum* vocabulo Parochos indigitasse, observat Fagnanus *in comment. ad idem Cap. n.* 2. & 3.

II. Magis diserte posteriores Canones Parochos, seu Curatos, proprio & speciali nomine expressos, ad Synodum compulere. Præter supra allegata statuta Ecclesiæ Meldensis, in quibus *Presbyteri Curam habentes*, ad Synodum ire jubentur; in epistola Synodica Raymundi, Episcopi Ruthenensis, anni 1289. habetur: *Præcipimus, ut ad dictam Synodum hiemalem veniant Ruthenam personaliter omnes Prælati, & Clerici, & Sacerdotes Curam animarum habentes: sæpius cit. tom.* 4. *Anecdot.* Martene, & Durand *col.* 673. Et inter statuta Ecclesiæ Nemausensis, anni 1364. *tit.* 15. *cap.* 2. legimus: *Præcipientes districte, quod Rectores, vel Sacerdotes Parochiales, singulis annis ad utramque Synodum veniant: eod. tom.* 4. *col.* 1065. Omnem demum dubitationem aufert Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.* clare & manifeste edicens: *Ratione tamen Parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse.* Quocirca extra controversiam est, quotquot animarum Curam gerunt, sive Seculares, sive Regulares illi sint, indubia lege adigi ad interveniendum Synodo. Barbosa *ad dictum cap.* 2. *Trident. n.* 26. & *de offic. & potest. Episc. part.* 3. *allegat.* 93. *n.* 5. & *seq.* Massobr. *de Synodo Diœces. cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 12. Amedeus Chirolus *de sacris Conciliis pag.* 381. §. *Dixi simpliciter, in Biblioth. Max. Pontif.* Roccaberti *tom.* 3. Ildephonsus Clemens de Arostegui *in suprac. Concordia Pastorali part.* 2. *cap.* 12. *n.* 22.

III. Aliqua difficultas unice esse poterat quoad Parochos, Ecclesias administrantes, subjectas Prælato *Nullius*, secundæ tamen, & non tertiæ speciei, juxta distinctionem, quam adhibuimus, & explicavimus *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 1. Si territorium præfati Prælati secundæ speciei, quod lato quodam loquendi modo dicitur *Nullius*, sit undequaque circumscriptum ab una eademque diœcesi, nullus unquam dubitavit, quin illius territorii Parochi interesse debeant Synodo, ab ejusdem diœcesis Episcopo indictæ: at, cum aliquando contingat, illud territorium a pluribus diœcesibus terminari, disceptatum fuit, cujusnam Episcopi Synodo intervenire deberent. Sed difficultatem enodavit sacra Congregatio Concilii: etenim, cum Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 9. *de reform.* statuerit, Ecclesias Seculares, quæ *Nullius* diœcesis esse dicuntur, visitandas esse ab Episcopo viciniori, hoc est, ut ibidem explicat, & decisum narrat Barbosa *n.* 4. ab Episcopo, cujus Cathedralis proximior est territorio, de quo agitur, & frustranea visa fuerit visitatio, nisi Parochi tenerentur accedere ad ejusdem vicinioris Episcopi Synodum, editisque in hac statutis parere; idcirco sacra Congregatio die 12. Februarii 1622. *lib.* 12. *decretor. pag.* 90. ad dubium his verbis propositum: *An Rectores, qui sunt Nullius diœcesis, teneantur accedere ad Synodum Diœcesanam illius Episcopi, qui tanquam proximior potest eos visitare:* respondit: *Teneri*. Quam quidem sacræ Congregationis sententiam pluribus exornarunt, aliisque argumentis roborarunt Fagnanus *in Cap. Quod super his, de majorit. & obed.* & Cardinalis Petra *ad Constit. Apostolic. tom.* 5. *pag.* 131. *n.* 117.

## CAPUT SEXTUM.

*De obtinentibus beneficia simplicia, ceterisque Presbyteris, & Clericis Diœceseos.*

NIhil de istis disputandum jam supereset, cum, quid de singulis sit statuendum, distincte explicaverit sacra Congregatio Concilii, cujus propterea sanctiones præstat duntaxat referre. In causa *Tullen.* die 17. Martii 1593. *lib.* 7. *decretor. pag.* 69. *Sacra &c. censuit, Episcopum non posse cogere accedendum ad Synodum habentes Beneficia simplicia, nisi ex consuetudine aliud observatum fuerit.*

II. Quoad ceteros e Clero, nullum habentes Ecclesiasticum Beneficium, eadem sacra Congregatio die 15. Decembris 1629. *lib.* 14. *decretor.* ita consulta: *Episcopus Balneoregien. supplicat per sacram Congregationem responderi, Primo: An ipse cogere possit simplices Sacerdotes non Beneficiatos, & Clericos sacris Ordinibus initiatos, pariter non Beneficiatos, suæ diœcesis, ad interessendum Synodo Diœcesanæ. Secundo: Et quid, si concurrat consuetudo?* Respondit: *Posse cogere, quando in Synodo agendum est de reformatione morum, sive de aliqua re, concernente totum Clerum, vel de intimandis decretis factis in Synodo Provinciali: hoc autem casu, in ipsa Synodi convocatione faciendam esse mentionem, quod de prædictis erit tractandum. Ad secundum, concurrente consuetudine, posse.*

III. Utramque responsionem confirmavit in causa *Januen.* die 10. Septembris 1633. *lib.* 14. *decretor. pag.* 780. addens, in circumstantiis, in quibus simplices Beneficiarii, aliique de Clero, Synodo adesse coguntur, *eos non esse admittendos ad votum ferendum pro confirmatione Judicum, Examinatorum Synodalium.* Idem repetitum fuit in causa *Forosempronien.* die 17. Januarii 1654. *lib.* 19. *decretor. pag.* 302. simulque deliberatum, ut secreto moneretur Episcopus, *ne absque necessitate coget Clericos, & Sacerdotes ad interessendum Synodo.* Et, cum Episcopus Sancti Angeli, & Bisaciarum, occasione visitationis sacrorum liminum, sciscitaretur, an posset ad Synodum compellere quemdam suæ diœcesis Sacerdotem, obtinentem Beneficium S. Antonii de Vienna, in eadem diœcesi existens, & propria carens Ecclesia; sacra Congregatio die 15. Aprilis 1690. respondit, servanda esse modo allegata decreta, *lib.* 4. *decretor. pag.* 254. *a tergo*, & 255.

IV. Ex quibus sacræ Congregationis sanctionibus, duo plane conficiuntur: Primum nimirum, obtinentes Beneficia simplicia tunc solum Synodo adesse debere, cum legitima consuetudo ad id eos obstringit: Alterum, tam ipsos, quam ceteros e Clero, generatim ad Synodum compelli posse, cum aut de morum disciplina restauranda, aut de re ad omnes Clericos pertinente, agendum est. Hæc non multum arridet Amedeo Chirolo *de Sacris Conciliis pag.* 382. *tom.* 3.

Biblio-

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



*Biblioth. Max. Pontif.* Sed, præter auctoritatem ſacræ Congregationis Concilii, cui, *vel ſoli*, Chiroli aſſeclas acquieſcere oporteret, illa eadem communi calculo a Doctoribus approbantur, præcipue a Panormitano *in Cap. Quod ſuper his, in primo notabili, de majorit. & obed.* Fagnano *ibid. num. 3.* Botto *in Tract. de Synod. part. 2. num. 18.* Azorio *Inſtit. moral. tom. 2. lib. 3. cap. 47. quæſt. 3.* Epiſcopo Criſpino *in Tract. de Viſitatione Paſtorali par. 3. §. 18. num. 4.* Monacello *in formular. legal. tom. 1. tit. 5. formul. 3. num. 3. & tom. 4. pag. 104. num. 155.* quorum poſtremus illud iterum monet, quod a ſacra Congregatione jam audivimus, nimirum oportere, ut Epiſcopus, ad omnem præcavendam litem, & impediendas querelas, cum omnes Clericos ad Synodum vocat, in convocationis edicto cauſam exprimat, propter quam id inſueti oneris iiſdem imponit.

V. Ceterum, quod poſſit conſuetudine induci, ut ſimplices Beneficiarii, ceterique de Clero obſtringantur adeſſe Synodo, præter ea, quæ Doctores de robore & efficacia conſuetudinis generatim adſtruunt *ad Cap. fin. de conſuet.* manifeſte colligitur ex Pontificali Romano *3. part. tit. 5.* ubi legitur: *Sacerdotes, & Clerici univerſi, qui ad Synodum de jure vel conſuetudine venire tenentur, conveniant in civitate, vel alio loco, prout Pontifex ordinaverit.* Idemque tam antiquæ, quam recentiores Synodi, ut certum ponunt. Statuta Synodalia Eccleſiæ Avenionenſis anni 1337. *cap. 8. cit. tom. 4. Anecdot. col. 563.* hæc habent: *Hoc ſtatuto præcipimus & mandamus, ut de cetero Priores, Rectores, Decani, & alii, qui ad Synodum venire conſueverint perſonaliter, in qualibet Synodo infallibiliter veniant.* Statuta Eccleſiæ Biterrenſis anni 1368. *num. 1. tom. 4. Anecdot.* Martene *col. 627.* ad Synodum vocant, *qui de jure, vel conſuetudine venire tenentur.* Et Concilium Provinciale Mediolanenſe V. *part. 1. Act. Eccl. Mediol. pag. 276.* decernit: *Synodo Diœceſanæ univerſi & ſinguli Sacerdotes, & Clerici cujuſcumque Ordinis interſint, quicumque Canonum jure, vel Eccleſiaſticis ſanctionibus, vel Tridentino decreto, vel conſuetudine, aliave ratione intereſſe poſſunt, aut plane debent. Adſint vero inter ceteros, quicumque Beneficium Eccleſiaſticum (cujus cauſa de jure, aut conſuetudine adeſſe debent) in ea diœceſi obtinent, cujus Synodus celebratur, quamvis in alia domicilium habeant.*

VI. Neque caſu, ſed conſulto in hoc Mediolanenſi Concilio bis mentio facta eſt conſuetudinis; quia, ſi vera narrat Pax Jordan. *lib. 8. tit. 2. num. 65.* Mediolani reapſe conſuetudo viget, ut omnes, Sacris initiati, ad Synodum accedant. Recte pariter ibidem cautum eſt, ut Beneficiarii ejus Epiſcopi Synodum adeant, in cujus diœceſi Beneficium poſſident: nam ſi quis origine ſubditus ſit Epiſcopo ex. gr. Parmenſi, ſed Beneficium poſſideat in diœceſi Placentina, & in hac inſuper commoretur; hujus, & non illius Epiſcopi, Synodo intervenire debet, quemadmodum cenſuit ſacra Congregatio Concilii, apud Fagnanum *in Cap. Quod ſuper his n. 13. de majorit. & obed.*

VII. At idem ne juris erit, cum quiſpiam ſimplex Beneficium obtinet in diœceſi Placentina, ſed domicilium habet in diœceſi Parmenſi? De hoc decerni videtur in allegato Mediolanenſi Concilio, quod adeſſe cogatur Synodo Placentinæ. Verum tunc advertendum erit, qua ratione ab alterutro Epiſcopo ad Synodum vocetur. Si a Parmenſi vocetur, tanquam Beneficiarius, eo quod conſuetudo ibi invaluerit, ut omnes Beneficiarii ad Synodum eant; non poterit præfatus Clericus ad acceſſum adigi, quoniam, qua Beneficiarius, Placentino, & non Parmenſi, ſubditur Epiſcopo: ſi vero vocetur, non quatenus Beneficiarius, ſed quatenus Clericus, quia ſcilicet eæ circumſtantiæ emergunt, quæ omnes Clericos ad Synodum urgent, non poterit acceſſum declinare, nam, qua Clericus, illi Epiſcopo ſubjicitur, in cujus diœceſi degit. Ab Epiſcopo autem Placentino poteſt ad ſuam Synodum cogi, ratione Beneficii, quandocumque caſus evenerit, ut alii ſimiles Beneficiarii, diœceſis Placentinæ, compellantur ad Synodum ſe conferre. Ex quo fit, ut ille, de quo eſt ſermo, eodem anno, ad duplicem Synodum adigi queat; ad Parmenſem ſcilicet, & Placentinam, ſi ad unam uno nomine, altero ad alteram vocetur.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De Fratribus Cappellanis Sacræ Religionis Jeroſolymitanæ, curam animarum habentibus, aliiſque eidem Religioni inſervientibus.*

ETſi ſacrum Concilium Tridentinum *ſæpius cit. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform.* omnes Regulares, Curam animarum habentes, ad Epiſcopalem Synodum ire, juſſerit; ſpecialis nihilominus inſtituta eſt diſputatio de Fratribus, quos Cappellanos vocant, Jeroſolymitanæ Religionis, in aliqua eidem Religioni annexa, ſeu ſubjecta Eccleſia animarum Curam exercentibus: cui quidem peculiari diſputationi anſam dederunt ampliſſima privilegia, quibus, ob ejus præclariſſima in Eccleſiam Catholicam merita, Jeroſolymitanus Ordo fuit a Sede Apoſtolica large exornatus. At perpetua & conſtans ſacræ Congregationis Concilii ſententia fuit, nullum privilegium Fratribus, de quibus agimus, ſuffragari, ut a Synodo, ab Epiſcopo indicta, ſe poſſint ſubtrahere: etenim S. Pius V. in ſua Conſtitutione 104. *tom. 4. part. 3. Bullar. pag. 49. poſtremæ Romanæ editionis*, aperte declaravit, exemptiones conceſſas Religioni Jeroſolymitanæ nequaquam comprehendere ejuſdem Ordinis Religioſos, eiſque commiſſas Parochiales Eccleſias, in illis, quæ animarum Curam reſpiciunt, in quibus ſervanda ſtatuit Concilii Tridentini decreta. Idemque iterum ſancitum reperitur a Gregorio XIII. *Conſtitut. 125. §. 5. cit. par. 3. tom. 4. Bullarii pag. 456.*

II. Quamobrem, cum ſacræ Congregationis Concilii examini ſubjecta fuerint hæc dubia, in cauſa *Illerden. Synodi.*

*Primo, an Fratres Cappellani ſacræ Religionis Jeroſolymitanæ, Curam animarum habentes, teneantur convenire ad Synodum Diœceſanam.*

*Secundo, an iidem Fratres Cappellani, Curam animarum habentes, & Sacramenta in eorum Eccleſiis Regularibus, & exemptis miniſtrantes Clero, & populo ſeculari, ſubjecto Epiſcopo loci, teneantur ad Diœceſanam Synodum convenire.*

*Tertio, an iidem Fratres Cappellani, Curam animarum habentes, teneantur intereſſe lectioni, & conferentiæ caſuum conſcientiæ ab Epiſcopo præſcriptis propter neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ, præſertim contra propoſitiones damnatas.*

III. Die 17. Julii 1683. ſacra Congregatio reſpondit: *Ad primum, ſecundum, & tertium, Affirmative.*

IV. Neque ſolus Epiſcopus prædictos Fratres Cappellanos cogere poteſt, ut Synodo interveniant; ſed liberam præterea poteſtatem habet, quas adminiſtrant Parochiales Eccleſias, quoad ea pariter, quæ ad animarum Curam quoquomodo referuntur, ut Delegatus Apoſtolicæ Sedis, viſitandi, juxta Conſtitutionem 187. S. Pii V. *cit. part. 3. tom. 4. Bullarii pag. 180.* Quia porro S. Pius V. expreſſe ait, ſe per hanc Conſtitutionem nullum voluiſſe afferre detrimentum juri viſitandi eaſdem Eccleſias, quod antea Religioni, ejuſque Militibus competebat; inde fit, ut facultas illas viſitandi, in his, quæ Curam ſpectant animarum, cen-

censeatur cumulative ineſſe Epiſcopo, & Prioribus Jeroſolymitanis; illi quidem jure delegato; iſtis autem jure ordinario: ita tamen, ut, ſi Epiſcopi, & Priorum decreta inter ſe diſcrepent, illa prævaleant, quæ ab Epiſcopo ſunt edita, juxta plures ſacrarum Urbis Congregationum ſententias, relatas a Monacello *in form. tom. 1. tit. 5. form. 2. n. 2.*

V. Quæ autem diximus de Fratribus Cappellanis, potiori jure locum ſibi vindicant in Sacerdotibus ſecularibus, qui aliquando præficiuntur Eccleſiis Parochialibus, annexis Jeroſolymitanæ Religioni. Hi ſiquidem, cum Religioſi non ſint, nullam omnino poſſunt prætexere cauſam, cur a Synodo ſe excuſent, aut in aliis parochiæ adminiſtrationem reſpicientibus, Epiſcopi juriſdictionem declinent. Hinc, cum in celebri cauſa *Pragen. Juriſdictionis*, de his ſacerdotibus quæſitum fuiſſet a ſacra Congregatione Concilii, *An nominati, ſeu deputati in dictis Eccleſiis, poſtquam reportaverint ab Archiepiſcopo licentiam pro exercenda Cura animarum, teneantur ſe conformare Conſtitutionibus Synodalibus, & ordinationibus Conſiſtorialibus quoad omnia, in ordine ad Sacramentorum adminiſtrationem, & Curam animarum:* die 14. Januarii 1708. reſponſum fuit *Affirmative*, ſicuti habetur *tom. 9. Theſauri Reſolutionum anni 1740. pag. 170.*

VI. At, quoniam alii etiam Sacerdotes reperiuntur, ſeculares quidem, nec Religioſis votis devincti, qui, non Curæ animarum, ſed aliis Jeroſolymitanæ Religionis ſunt ſervitiis addicti; de his quoque videndum remanet, an, & quando ad Epiſcopalem Synodum adigi queant. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 11. de reform.* decrevit, inſervientes Ordinibus Militaribus, & nominatim Religionis Jeroſolymitanæ, ſubjectos eſſe juriſdictioni Ordinarii, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, niſi vel Religioſam profeſſionem emiſerint, vel intra Militaris clauſtri, ſeu domus ſepta degentes, Religioni actu inſerviant, & ſub Ordinis Prælati obedientia vivant. Idem Tridentini decretum inſtauravit, & diſtincte explicavit Gregorius XIII. *cit. Conſt. 125. Bullar. part. 3. tom. 4.* in qua prædictos inſervientes, quocumque nomine nuncupentur, iterum ſubjecit delegatæ juriſdictioni Epiſcoporum, tam in viſitatione, quam extra viſitationem, §. 2. *pag. 455. Exceptis tamen iis, qui Eccleſiis, aliiſque locis dictorum Militum actu ſerviunt, & intra eorum ſepta, & domos reſident, ac ſub eorum obedientia vivunt, quæ omnia debere ſimul concurrere intelligantur; ſive iis, qui legitime, & ſecundum Regulam prædictæ Religionis profeſſionem fecerint, de quo loci Ordinario conſtare debeat.* Quam explicationem & proſequuntur, & illuſtrant Fagnanus *in Cap. Qui Presbyterum num. 80. 91. & 99. de pœnit. & remiſſ.* Monacellus *tom. 4. in ſupplemento ad 3. tom. n. 159. pag. 105.* Pignatell. *conſult. 22. tom. 2.* Rota *deciſ. 120. num. 16. & ſeq. part. 16. recen.* atque eandem ſemper reſpexit, ſuaſque deciſiones ad illam conformavit ſacra Congregatio Concilii, præcipuæ in *Materanen. Juriſdictionis*, 8. Februarii 1659. *lib. 21. decretor. pag. 533. & ſeq.* & noviſſime in *Caputaquen. Juriſdictionis* 19. Novembris 1735.

VII. Eidem itaque diſtinctioni inhærentes, nullo labore rem noſtram conficiemus. In primis enim nihil de illis Sacerdotibus peculiariter dicendum occurrit, qui religioſa vota nuncupârunt; hi quippe inter veros recenſentur Religioſos, de quibus ſatis abunde diſſeruimus. Ad alios vero quod attinet, aut Jeroſolymitanæ Religionis obſequiis ſunt ita mancipati, ut ſimul omnes ſervent & impleant conditiones, quas Concilium Tridentinum, & Gregoriana Conſtitutio expoſcunt; & tunc, cum exemptione fruantur ab Epiſcopi juriſdictione, in illis duntaxat eventibus cogunt Synodo intereſſe, in quibus eodem onere gravantur ceteri exempti, ac ipſimet Regulares: aut ab aliqua ex præſcriptis conditionibus deficiunt; & tunc, cum omnino ſubdantur juriſdictioni Ordinarii, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, debent ad Synodum accedere, perinde ac alii diœcetani.

VIII. Quæ hactenus de Jeroſolymitano dicta ſunt, adamuſſim congruunt Militari Ordini SS. Mauritii, & Lazari, qui a S. Pio V. *in Conſtitutione 43. §. 12. Bullar. tom. 4. part. 2. pag. 339.* in omnibus exæquatus eſt Ordini Jeroſolymitano. Hinc, cum nonnulli Sacerdotes diœceſis Uritanæ litteras, quas *Patentales* vocant, obtinuiſſent a Vicario Commendæ SS. Mauritii, & Lazari, iiſdemque muniti ſe immunes jactarent a juriſdictione Ordinarii; cauſa propoſita in ſacra Congregatione Concilii, & diſputato, quod ſequitur, dubio: *An Officiales Patentati Commendæ SS. Mauritii, & Lazari, ſint exempti a juriſdictione Ordinarii:* die 7. Septembris 1726. reſponſum fuit *Negative*.

## CAPUT OCTAVUM.

*De Beneficiariis, Cappellanis, aliiſque aggregatis Eccleſiæ in ſolo Lateranenſi fundatæ; de Protonotariis, & ſubcollectoribus ſpoliorum; ac de Eccleſiaſticis privilegiatis Almæ Domus Lauretanæ.*

PRiuſquam de iſtorum omnium acceſſu ad Synodum inſtituatur ſermo, aliqua neceſſe eſt de ſingulorum exemptionibus delibare.

II. Privilegia, a ſummis Pontificibus Lateranenſi Capitulo conceſſa, atque a Pio IV. poſtea revocata, denuo a Sixto V. reſtituta & confirmata fuerunt *in Conſtitutione 29. Bullar. tom. 4. part. 4. pag. 183.* Quocirca ad normam Sixtinæ, quæ hodie viget, Conſtitutionis, Eccleſiæ fundatæ in ſolo Lateranenſi ſunt exemptæ a juriſdictione ordinaria Epiſcopi, etſi ſubdantur ejuſdem juriſdictioni delegatæ, juxta *deciſ. 115. num. 7. & 9. deciſ. 313. num. 9. in fin. & num. 12. cum duob. ſeq. part. 9. recen. & deciſ. 485. part. 15. deciſ. 375. num. 17. & ſeq. & deciſ. 383. num. 5. & 6. part. 18. recent.* Aliqua tamen, circa ſenſum Sixtinæ Conſtitutionis, remanebat difficultas a Doctoribus excitata; num ſcilicet, ut Eccleſia dicatur fundata *in ſolo Lateranenſi*, neceſſe ſit, ut ſolum reapſe fuerit ſub vero, proprio, ſincero, ac ſtabili dominio Baſilicæ Lateranenſis, quod profecto exigere videntur verba privilegiorum eidem Baſilicæ competentium, quæ inſtaurata fuere a Sixto V. quemadmodum adnotavit Monacell. *in formul. legal. tom. 2. tit. 13. formul. 1. num. 85.* an potius ſatis ſit, ut ſolum, paulo ante Eccleſiæ conſtructionem, fuerit, data opera, Capitulo Lateranenſi donatum, ut nimirum Eccleſia in eo ædificanda ſubtraheretur ab ordinaria juriſdictione Epiſcopi. Hoc poſterius ſatis eſſe cenſuit olim Rota *deciſ. 185. part. 15. recent.* Verum, oppoſitum deciſum eſt a peculiari Congregatione, hac ſuper re a ſan. mem. Benedicto XIII. deputata, die 20. Decembris 1726. uti videre eſt in voto deciſivo, quod circumfertur, exarato a Cardinali Aldrobando, tunc Rotæ Decano, eidemque Congregationis adſcripto. Ceterum, quidquid ſit de qualitate ſoli, neceſſaria ad aſſequendam exemptionem, de qua diſſerimus, cum in citata Conſtitutione prohibuerit Sixtus V. Lateranenſi Capitulo, ne novas Eccleſias, vel Beneficia erigeret, ſine licentia Ordinarii, in cujus diœceſi eſſet erigenda; & præterea ſanciverit, ut quicumque eidem Capitulo annexas, ſeu addictas Eccleſias regerent, aut Beneficia obtinerent, nullius exemptionis prætextu ab Ordinarii juriſdictione cenſerentur ſubtracti, ſed exacte ſervanda ederit Concilii Tridentini decreta; idcirco ſacra Congregatio, ejuſdem Concilii interpres, in cauſa *Penenn. Juriſdictionis*, die 7. Septembris 1680. *lib. 31. decret. pag. 226.* diſcuſſo articulo: *An Clerici ſeu Presbyteri aggre-*

*aggregati Ecclesiæ, in solo Lateranensi fundatæ, excepto Vicario, sint exempti a jurisdictione Episcopi*; respondit: *Negative, ad formam Constitutionis Sixtinæ*. Et nuperrime, anno scilicet 1735. ab Episcopo Caputaquen. iterum interrogata: *An Beneficiatis Cappellanis, & Patentatis Capituli Lateranensis, existentibus in Caputaquensi diœcesi, competat exemptio ab Ordinarii jurisdictione*: die 17. Decembris denuo respondit *Negative*.

III. Transitum inde facientes ad Protonotarios, cuique exploratum esse credimus, eos originem duxisse a Notariis, qui a S. Clemente I. deputati perhibentur, ad perquirenda, & conscribenda Acta SS. Martyrum, quemadmodum affirmavit Leo X. in sua Constitutione, quæ incipit *Regimini universalis Ecclesiæ*, 11. *Bullar. tom.* 3. *part.* 3. *pagina* 406. edita in Concilio Lateranensi, quorum sane Notariorum mentio etiam occurrit *in Canone*, seu *Constituto* S. Silvestri *cap.* 1. quod etsi suppositititium habeatur, non esse tamen medio seculo VI. posterius, eruditi consentiunt apud Petrum Constant *in appendice ad epistolas Pontificias tom.* 1. *pag.* 43. Ob eorundem autem muneris excellentiam, dicti sunt Protonotarii, hoc est primi inter Notarios, qui subsequenti etiam ætate, post restitutam scilicet Ecclesiæ pacem, adhuc in Ecclesia Romana perseverarunt, & loco inscribendi Acta SS. Martyrum, aliis, in obsequium Apostolicæ Sedis, gravissimis distenti sunt curis. Quanti porro a Romanis Pontificibus suorum Notariorum dignitas haberetur, vel ex hoc colligitur, quod graviora Ecclesiæ negotia illis gerenda demandarent: siquidem S. Leo Magnus, & Synodus Romana, ad sedandas turbas, ab hæreticis Constantinopoli excitatas, duo statim illuc ablegarunt Romanæ Ecclesiæ Notarios, *epist.* 46. *col.* 23. ejusdem Leonis *cap.* 1. & Gregorius Magnus, cum graves accepisset accusationes adversus Archiepiscopum Calaritanum, misit in Sardiniam Joannem Notarium Apostolicæ Sedis, qui Archiepiscopum cogeret, certis documentis innocentiam suam prodere, *l.* 2. *indict.* 10. *epist.* 49. *col.* 34. *Operum tom.* 2. *col.* 613. narratque Joannes Diaconus in Gregorii Vita *lib.* 2. *cap.* 53. *Oper. tom.* 4. *col.* 64. ab eodem Notarios in provincias longinquas abigi solitos, ad disciplinam Canonum tuendam, aut restituendam. Similiter ab Innocentio III. *lib.* 15. *epist.* 153. *Magistro Maximo Notario nostro* ea in partibus Romaniæ peragenda legimus commissa, quæ summam quamdam auctoritatem, rerumque experientiam desiderarent. Hinc autem evenisse opinamur, ut Protonotarii, utpote præcipui Papæ Administri, olim in Romana aula supra Episcopos sederent, eamque prærogativam obtinuerint usque ad Pium II. qui eos deinceps Episcopis cedere jussit *sua Constitutione* 4. cui totum orbem plausisse, legitur in ejusdem Commentariis 4. *edit. Francofurt. anni* 1614. *lib.* 3. *pag.* 64. Qui plura de Protonotariorum origine, & præstantia sciri desiderat, legat Thomassinum *de vet. & nov. Eccles. discipl. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 104. *& duobus seq.* Cohell. *in Notitia Cardinalatus cap.* 18. Barbosam *Jur. Eccles. univ. lib.* 1. *cap.* 23. Andreuccium *in tract. de Protonotariis Apostolic. part.* 1. *cap.* 2. Quod nostra interest, est animadvertere, ex iis, qui nunc ad Protonotariorum officium assumuntur, alios dici *Participantes*, alios *non Participantes*, sed *extraordinarios*, *supranumerarios*, *sive honorarios*, *& titulares*, de quibus Scarfantonius ad Ceccoper. *art.* 1. *lib.* 1. *tit.* 9. *num.* 14. Participantium Collegium ante Sixtum V. ex septem constituebatur; sed Sixtus V. *sua Constitut.* 19. alios quinque illis adjecit: quare hodie ex duodecim conflatur veris Protonotariis, qui absque ulla dubitatione & controversia, tam in civilibus, quam in criminalibus, sunt plene exempti a jurisdictione Ordinariorum, quibus duntaxat subduntur quoad Beneficia, quæ in eorum possideant diœcesibus, juxta allegatas Leonis X. & Sixti V. Constitutiones, & late deducta per Fabrum *de Protonotariis cap.* 11. Aliud tamen est de Protonotariis non Participantibus: hos quippe, de quibus in presens solum agimus, Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 11. locorum Ordinariis supposuit, tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis; ex quo inferri putavit Cochier *de jurisdict. in exemptos part.* 1. *quæst.* 18. *n.* 8. omnem prorsus, qua antea fruebantur, exemptionem esse illis ademptam. Sed verius Barbosa *Juris Eccles. lib.* 1. *cap.* 23. *n.* 35. & Faber *de Protonotariis cap.* 11. *n.* 13. existimant, decreti Conciliaris virtute, unice ablatam illis esse exemptionem quoad causas criminales, non autem quoad civiles, in quibus vigere adhuc arbitrantur privilegium, iisdem concessum a Concilio Lateranensi *sess.* 10. atque a Leone X. confirmatum *Constitut.* 11. §. 4. *Bullar. tom.* 3. *part.* 3. *pag.* 406. quo immunes fiunt a potestate Ordinarii in causis excedentibus summam viginti quinque ducatorum.

IV. Quod si quis istius privilegii nudum verborum corticem consideret, facile sibi in animum inducet, enuntiatam restrictionem exemptionis, ad solas causas civiles, excedentes summam viginti quinque ducatorum, intelligendam esse de Protonotariis habitum, & Rocherum non gestantibus, non autem de illis, qui hisce insignibus induti continue incedunt, quos propterea credat in qualibet etiam minimi momenti civili causa esse ab Ordinarii jurisdictione subtractos. At, qui mentem Constitutionis penitius investigaverit, & contextum perpenderit, rectius existimabit, solum voluisse Pontificem, ut Protonotarii, proprium habitum deferentes, conveniri nequeant coram Ordinario, in causis prædictam summam excedentibus; ceteros vero, habitum non gestantes, in omnibus etiam gravioris momenti causis, reliquisse sub jurisdictione Ordinariorum, quibus alias de jure subduntur. Ita enim, paulo post Concilium Lateranense, Leonis Constitutionem interpretatus est Antonius de Pretis *de jurisdict. Episc. cap.* 8. *per tot. inter tractat. magnos tom.* 13. *part.* 12. *fol.* 368. cui subscripsit Faber *in tract. de Protonotariis cap.* 11. *n.* 8. *& seq.* Et, quod caput est, eandem interpretationem sequitur sacra Congregatio Concilii, uti videre licet in una *Papien.* 14. Decembris 1630. *lib.* 14. *decretor. fol.* 360. in *Placentina* 20. Augusti 1633. *lib.* 14. *decretor. fol.* 760. & in *Nullius* 19. Januarii 1641. *lib.* 16. *pag.* 520.

V. Quin immo eadem sacra Congregatio, ad arcendas frequentes Ordinariorum conquestiones de excessivo Protonotariorum numero, ex quo Episcoporum auctoritas in dies minuebatur, sæpius consulendum censuit Sanctissimo, ut deinceps in Apostolicis litteris, quibus ejusmodi Protonotarii creantur, expresse adderetur, ne in causis civilibus ulla gauderent exemptione a jurisdictione Ordinarii, quemadmodum, sacræ Congregationi consilium sequutus, addendum præcepit Urbanus VIII. anno 1633. quod legitur *in dicta Placentina lib.* 14. *fol.* 760. Et cohærenter ad hæc bon. mem. Altovitus, sacræ Congregationis Secretarius, in suo suffragio exarato in quadam causa, cui titulus: *Dubia exemptionis:* hæc scripsit: *Crederem, expresse declarandum, Protonotarios non Participantes, etiamsi immediate creatos a Papa, sive habitum, & Rochetum gestantes, sive non, tam ratione personarum, quam Beneficiorum, subjacere in criminalibus omnimodæ jurisdictioni Ordinarii; in civilibus vero causis, cujuscumque summæ, ejusdem Ordinarii jurisdictioni, in prima instantia, subjacere Protonotarios, habitum, & Rochetum continue non deferentes; illum autem continue deferentes prædictæ jurisdictioni subjacere in prima instantia, in causis summam ducatorum vigintiquinque non excedentibus, & quoad istos agendum denuo cum Sanctissimo, ut in Brevibus apponatur clausula, quod in civilibus omni-*

no

*no subjaceant Jurisdictioni Ordinarii*. Quocirca Apostolicis litteris, quibus aliquis in numerum refertur Protonotariorum non Participantium, semper hæc inseritur clausula: *Citra exemptiones a sacro Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia, subjaceas Ordinariis*: uti habetur apud citatum Fabrum *cap. 2. n. 7.* Et nos ipsi, qui, amplissimo diplomate, Dignitates, & Canonicos Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ, inter honorarios adscripsimus Apostolicæ Sedis Protonotarios, diserte simul declaravimus; per privilegia illis concessa, nihil esse detractum Episcopali jurisdictioni, quod legitur *in nostra Constit. 92. Bullar. tom. 1.* Consuli potest Josephi Rigantii Episcopi Aprutini Tractatus *de Protonotariis Apostolicis*, ubi specialiter *in dissert. 2. a n. 112. ad finem*, hæc omnia, quæ a nobis dicta sunt, confirmantur.

VI. Jam, quod attinet ad Subcollectores spoliorum ad Cameram Apostolicam pertinentium, est in primis animadvertendum, optimo jure summum Pontificem potuisse sibi reservare spolia Clericorum, in pauperes, aliosque pios usus distribuenda, uti bene, post Redoanum, probat Azorius *Instit. moral. part. 2. lib. 8. cap. 2. qu. 4.* & in provinciis, in quibus prædicta spolia colliguntur, potuisse Exactores, & Collectores constituere, quorum importunam, quam exagerat, exactionem facile Clerici eludere queunt, si scilicet bona Ecclesiæ, quæ supersunt, pauperibus erogent, neque in commodum congregent cognatorum: uti bene perpendit Cardinalis Baronius *ad an. 397. n. 64.* ubi loquens de his Collectoribus, inquit: *De quorum importuna exactione cum multi querantur, hos facile vitabunt, & prudenter arte eludent, qui bona Ecclesiæ, quæ supersunt, non congregarint, sed in pauperes erogarint*. Et adhæret Thomassinus *de Beneficiis part. 3. lib. 2. cap. 57. sub num. 9.* Horum Collectorum exemptio a jurisdictione Ordinarii certa est, & liquet ex Constitutione 40. Gregorii XIII. *tom. 4. part. 3. Bullar. nov. pag. 293.* & Constitutione 47. Urbani VIII. *Bullar. tom. 4.* sed, cum in sacra Congregatione Concilii disceptatum fuisset, quanta ea esset, & quibus limitibus circumscriberetur, tandem die 27. Februarii 1677. approbante san. mem. Innoc. XI. decretum fuit, Subcollectorum privilegia non impedire, quominus iidem subdantur jurisdictioni Ordinarii, in rebus respicientibus aut Curam animarum, si quam exerceant, aut servitium Ecclesiæ, si Canonicatum, aliudve Beneficium possideant, aliisque pluribus nominatim expressis in eodem decreto, edito in Append. ad Concilium Roman. annis 1725. *pag. 157.*

VII. Edixit præterea sacra Congregatio, ut nonnisi unus pro qualibet diœcesi deputari possit Subcollector, & si plures deputentur, quamvis unus dicatur deputatus pro diœcesi, alter pro loco exempto, intra diœcesim existente, hunc postremum nulla gaudere exemptione, decrevit. Quare, cum in diœcesi Bituntina tres olim reperirentur Subcollectores, unus videlicet pro ipsa civitate, & diœcesi Bituntina, alter pro Abbatia *Nullius* Fasani, tertius pro loco *Nullius* Rutiliani, & Episcopus Bituntinus die 4. Maji 1697. a sacra Congregatione Concilii quæsivisset: *An Subcollectores, deputati pro jurisdictionibus Fasani, & Rutiliani, & commorantes Bituti, aliqua in dicto loco gaudeant exemptione*: responsum fuit: *Non gaudere*; & *Episcopum procedere posse in futurum*: uti habetur *lib. 17. decret. fol. 185.* Atque Episcopo Caputaquensi, similem quæstionem proponenti, in Congregatione habita die 14. Martii 1722. cui nos tunc temporis a Secretis eramus, rescriptum fuit, ut servaretur prædictum decretum, editum in *Bituntina*.

VIII. Jactabant olim tam Protonotarii non Participantes, quam spoliorum Subcollectores, se illis adnumerari Sedis Apostolicæ Officialibus, de quibus loquitur textus *in Cap. Cum Matthæus, de hæreticis, & in Cap. Divina in eminenti, de privilegiis, inter Extravag. com.* ac propterea contendebant, se non posse ab Ordinariis ulla irretiri censura, neque Dignitates, & Beneficia non Curata, quæ obtinerent, illorum jurisdictioni subesse; atque hæc opinio adeo eorum menti insederat, ut ipsimet curaverint, ut a sacra Congregatione Concilii examinarentur quædam exemptionis dubia; quorum primum fuit: *An Protonotarii non Participantes, immediate creati a Papa, connumerari debeant inter illos Officiales, de quibus loquuntur Extravagantes, Cum Matthæus, de hæreticis, & Divina in eminenti, de privilegiis, ita ut Ordinarii locorum non possint in illos ferre censuras, & in illorum Dignitatibus, & Beneficiis non Curatis se intromittere, aut quoquomodo immiscere, & judicare, sub pœnis in dicta Extravaganti contentis*. Secundum: *An Subcollectores spoliorum pro Rev. Camera Apostolica recenseri pariter debeant inter Officiales, de quibus loquuntur dictæ Extravagantes ad effectum præmissum*. Et sacra Congregatio, re sedulo, de more, discussa, die 16. Maji 1682. ad utrumque *Negative* respondit; & perstitit in decisis die 20. Junii ejusdem anni. Etenim veri Officiales Sedis Apostolicæ, de quibus citati textus, altioris sunt gradus, atque ad graviora procuranda negotia destinati; quod egregie explicat Penia *comment. 75. vers. Rursus, in Addit.* ad Eimericum *in Directorio Inquisit. part. 3. quæst. 26.* ad quem remittit lectorem Glossator marginalis *eadem Extravag. Cum Matthæus*: unde audiendus non est Gonzalez, qui unico citato Eimerico, oppositum asseruit *ad reg. 8. Canc. gloss. 51. n. 82.*

IX. Quibus adnotatis, indubitanter concludimus, nullum ex iis, de quibus in præsens differimus, posse a Synodo se excusare, si huic alias interesse deberet. Quod profecto de Beneficiariis, & Cappellanis, addictis servitio Ecclesiæ Capituli Lateranensis, atque insuper de Protonotariis non Participantibus, est luce meridiana clarius: illi quippe nulla fruuntur immunitate a jurisdictione Ordinarii; & istorum exemptio, etiamsi habitum, & Rochetum continue gestant, restricta est ad solas causas civiles, excedentes summam ducatorum viginti quinque, uti ex iis patet, quæ præmisimus. De Subcollectoribus autem spoliorum, omnem dubitationem, si qua antea subesse poterat, abstulit sacra Congregatio Concilii in præfato decreto anni 1677. cujus verba sunt: *Et quod majoris momenti est, ne, prætextu hujusmodi officii, Cura animarum, servitium Ecclesiæ, ac Divini cultus, morumque honestas, detrimentum patiantur, declaravit .... minime gaudere exemptione in concernentibus Curam animarum, & respective adimplementum onerum ipsarum Præbendarum, & eadem ratione non gaudere Canonicos, & alios Beneficiatos Subcollectores in concernentibus servitium Ecclesiæ, & adimplementum onerum ipsorum Canonicatuum, & Beneficiorum, nec lucrari distributiones quotidianas, si non inserviant. Insuper teneri ratione Beneficiorum, quæ obtinent, ad publicas Processiones accedere, solvere Cathedraticum, & subsidium charitativum, & interesse Synodo, ac visitationi non tamen pluries, quam semel in anno*.

X. Neque sacra Congregatio ejusmodi decreto novum obligationis vinculum in Subcollectores injecit, sed libertatem, quam affectabant, iterum compescuit; siquidem jam antea, nimirum 1654. die 21. Martii Episcopo Cajacen. scisitanti: *An in casibus, in quibus Clerici Beneficiati tenentur interesse Synodis Diœcesanis, & ad publicas Processiones accedere, possit Episcopus cogere etiam pœnis censurarum Clericos Subcollectores, præsertim actu in Subcollectoria non inservientes, ut Synodis intersint, & ad publicas Processiones accedant*: eadem sacra Congregatio responderat: *Episcopum cogere posse etiam Clericos Subcollectores, ut Synodis intersint, & ad Publicas Processiones accedant, lib. 19. decretor. pag. 329.*

XI. Denique, quod pertinet ad Ecclesiasticos Almæ Domus Lauretanæ servitiis addictos, eoque nomine ab Ordinarii jurisdictione exemptos, cum inter eos, & Episcopum Recinetensem ac Lauretanum controversia esset, an posset hic eos compellere, ut Synodo Diœcesanæ interessent; propositum nobis fuit dubium his verbis conceptum: *An occasione convocationis Synodi liceat eidem Episcopo vocare ad se Ecclesiasticos privilegiatos Almæ Domus, tam ad Concilium, quam ad reliquos actus necessarios pro explenda dicta Synodo, eodem modo, quo se gerit respectu suorum subditorum: Et an facultate delegata possit renuentes debitis pœnis compellere.* Nos autem omnibus mature pensatis, respondimus: *Affirmative quoad utramque partem*: ut videre est *in Appendice ad tom. 2. Bullarii nostri pag. 26. n. 28.*

## CAPUT NONUM.

### *De Laicis.*

VIros Principes, ac præsertim Romanorum Imperatores, vel per se, vel per suos Legatos adfuisse Conciliis Generalibus, exploratissima res est, quam nemo unquam inficiabitur. Nullus quippe est, qui nesciat, Constantinum Magnum Nicæno I., Marcianum Chalcedonensi, Philippum Francorum Regem Viennensi, Sigismundum Imperatorem Constantiensi interfuisse Conciliis; ut alios multos prætereamus Reges, & Principes, qui suos Oratores ad Œcumenicas Synodos, & speciatim ad omnium novissimam Tridentinam miserunt. Non adfuerunt tamen Conciliis tanquam Judices, ut vel de Fidei dogmatibus sententiam ferrent, aut de rebus Ecclesiasticis judicarent: *Nefas est enim* (ajebat Theodosius junior in epistola ad Ephesinam Synodum) *qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere: tom.* 1. Collectioni Harduini *col.* 1346. sed ut Patrum securitati prospicerent, tumultuantes compescerent, & quæ definienda atque decernenda forent; sua auctoritate foverent & tuerentur, *sicuti* egregie scribebant Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in tractatu de reformatione Ecclesiæ *tit. de reform. Laicorum, & Principum*, inquiens: *Propter præmissa expedit, quod Reges, & Principes mittantur ad Generalia Concilia, non ad onerandum, & confundendum, sed ad honorandam, & confortandam Ecclesiam, & ad ea, quæ ibi decreta fuerint, quantum in eis est, exequendum*: quod etiam adnotarunt Bellarminus *lib. 1. de Concil. cap.* 15. & Thomassinus *de Conciliis dissert. 3. & 10.* Neque difficultatem facit, quod in Actis Concilii Chalcedonensis, Anatolius Magister Militum, Palladius Præfectus Prætorio, Tatianus Præfectus Urbi, aliique nobiles Laici, qui Imperatorem comitabantur, & veluti ejusdem assecłæ Concilio interfuerant, vocentur *glorioſissimi Judices*: ita quippe vocantur, non quod haberent munus judicandi in Concilio, sed quod ita extra Concilium, honoris causa, communiter appellarentur; nam, uti bene animadvertit du Cangius, nomen Judicis, & Comitis sæpe legitur promiscue usurpatum; quoniam ex numero Comitum, qui Imperatoris, sive Regis latus assidue tegebant, eumque comitabantur, Judices eligebantur, qui ad provincias regendas mitterentur.

II. At, quamvis propter indicatas rationes maxime deceat, ut Principes sua, vel Legatorum præsentia, Œcumenica Concilia cohonestent; nihil tamen proinde Conciliorum auctoritati detrahitur, si ab illis & se, & suos Legatos abducant. Unde audaciam Vigorii, qui non veritus est scribere, Concilium Tridentinum non fuisse legitimum, eo quod ab eo recesserint Legati Regis Galliarum, jure meritoque retundit Duvallius *part. 3. quæst. 7.* ita illum redarguens: *Quod autem Legati Regis Christianissimi a Concilio secesserint, quia honor illis debitus servatus non fuerat, nihil quidquam Vigorii intento favet: sicut enim eorum præsentia majorem vim decretis Fidei non conferebat, cum solis Prælatis, non autem Principibus, minusque eorum Vicariis, & Legatis, jus decernendi de Fide, & moribus Ecclesiæ conveniat; ita nihil quoque eorum absentia de robore eorundem decretorum quidquam detraxit. Legati enim, Concilio præsentes discere debent, non docere; audire, non loqui; decreta servare, & non condere.*

III. Non ita porro res se habet, cum non de Œcumenicis, sed Provincialibus Synodis agitur; his siquidem intervenire non consueviſse Laicos, quantacumque, etiamsi Imperiali, præfulgerent dignitate, testantur Nicolaus I. & octava Synodus, quæ est Constantinopolitana IV. Ille quippe epistola ad Michaelem Imperatorem, qui adfuerat pseudosynodo Constantinopolitanæ, contra sanctissimum Præsulem Ignatium coactæ, ita eundem alloquitur *tom.* 5. Collectionis Harduini *col.* 158. *Dicite, quæsumus, ubinam legistis, Imperatores antecessores vestros in Synodalibus conventibus interfuisse? Nisi forsitan in quibus de Fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad Clericos, verum etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos.* Et octava Synodus Nicolao, consentiens *cap. 17. cit. tom. 5. col.* 907. hæc ait: *Illud autem tanquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod a quibusdam imperitis dicitur, non posse Synodum absque Principali præsentia celebrari, cum nusquam sacri Canones, convenire seculares Principes in Conciliis, sanxerint, sed solos Antistites. Unde nec interfuisse illos Synodis, exceptis Conciliis Universalibus, invenimus: neque enim fas est, seculares Principes spectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt.*

IV. Non ignorabant enimvero sapientissimi illi Concilii Patres, Dionysium Exconsularem, a Constantino Magno delegatum, interfuisse Synodo Tyriæ anni 335. sed simul sciebant, hac ipsa de causa fuisse illam reprobatam a Concilio Alexandrino in sua epistola Synodica, apud S. Athanasium *in Apol. contra Arian. n.* 8. ita loquente: *Quomodo Synodum vocare audent, in qua Comes præsidebat? tom. 1. part. 1. Oper. pag.* 130. Neque eosdem latebat, alias similes Synodos, contra Athanasium congregatas, ob eandem rationem, quod scilicet illis potentes Laici interfuissent, illegitimas reputatas fuisse a Liberio Papa, qui nomine Imperatoris Constantii, ab Eusebio Spadone rogatus, ut in Athanasii damnationem, a pluribus pseudosynodis factam, subscriberet, inter cetera reposuit: *Ecclesiastica Synodus procul palatio cogatur, ubi nec Imperator compareat, nec Comes accedat, nec Judex comminetur*: quod refert Athanasius *in histor. Arianor. ad Monachos n. 36. loc. cit. pag.* 365.

V. Non idcirco tamen negamus, posse quandoque Reges, & Principes, aliosque Laicos particularibus Episcoporum conventibus adesse, si nimirum ita ferat consuetudo, aut ab Episcopis, ex aliqua rationabili causa, libere & sponte invitentur, aut illorum præsentiam rerum circumstantiæ exposcant, puta, si de rebus politicis, Principem & populum respicientibus, tractandum sit. Etenim Concilio Toletano VIII. anni 653. plures subscripsisse legimus Comites Palatinos, quos, antiqua consuetudo, ad illud introducendos suaserat, quemadmodum in allocutione ad Synodum ajebat Recesvinthus Rex: *Vos etiam illustres viros, quos ex officio Palatino huic sanctæ Synodo interesse primatus obtinuit: tom.* 3. Collectionis Harduini *col.* 655. Concilium vero Toletanum IV. anni 633. *cap.* 4. Laicos arbitrio Concilii admitti permisit: *Post ingressum omnium Episcoporum, atque confessum, vocentur deinde Presbyteri, quos causa probaverit introire ..... deinde ingrediantur Laici, qui electione Concilii interesse meruerunt: tom. 3. cit.*

*cit. Collect. col.* 580. Ad Concilium autem Epaonense anni 517. Viventiolus Episcopus Lugdunensis, in convocationis epistola etiam Laicos invitavit. *Præsenti protestatione denuntio conventum Episcoporum omnium sortis nostræ circa Septembris mensis initium, in Epaonensi parochia mox futurum, ubi Clericos, prout expedit, convenire compellimus, Laicos permittimus interesse: ut, quæ a solis Pontificibus ordinanda sunt, & populus possit agnoscere: cit. Collect. tom.* 2. *col.* 1046. Ac tandem Carolus Magnus, & Ludovicus Pius pluribus interfuerunt Episcoporum cœtibus, in quibus, non de solis rebus Ecclesiasticis, sed de aliis, ad politicum regni regimen spectantibus, actum & deliberatum fuisse, ex eorundem Actis apparet. Iisdem vero urgentibus circumstantiis, & accedente Patrum assensu, posse etiamnum Laicos ad Concilium Provinciale admitti, tradidit Guillelmus Durandus junior, Episcopus Mimatensis, in tractatu *de modo Generalis Concilii celebrandi*, quem jussu Clementis V. summi Pontificis edidit, & Concilio Viennensi obtulit, ubi *part.* 2. *tit.* 11. agens de Concilio Provinciali, & de modo in eo retinendo, inquit: *Post ingressum omnium Episcoporum, atque consessum, vocentur deinde Presbyteri, quos causa probaverit intrare. Nullus se inter illos ingerat Diaconorum. Post hos ingrediantur Diacones probabiles, quos ordo poposcerit interesse: & corona facta de sedibus Episcoporum, Presbyteri a tergo eorum resideant; Diacones in conspectu eorum stent; deinde ingrediantur Laici, qui electione Concilii interesse meruerunt.* Ruthenorum Synodus Provincialis, Zamoscia habita anno 1720. ac Romæ edita typis sacræ Congregationis de Propaganda Fide anno 1724. *sub tit.* 19. exhibet eorum nomina, qui Synodo interfuerunt, eique subscripserunt; quorum primus est Hieronymus Grimaldus Archiepiscopus Edessæ, Apostolicæ Sedis Nuntius, Synodi Præses, quem postea Clemens Papa XII. inter Presbyteros S. R. E. Cardinales adlegit; mox sequitur Archiepiscopus Kioviensis totius Russiæ Metropolitanus, deinde Episcopi, ac demum Archimandritæ; nec ullus omnino Laicus interveniisse legitur. Contra vero in Synodo Provinciali Syrorum Maronitarum Montis Libani, in quam anno 1736. convenerat ejusdem Nationis Patriarcha Antiochenus cum subjectis sibi Archiepiscopis, Episcopis, & Clero seculari, ac Regulari, præsidente in ea Josepho Simonio Assemani Præsule, Apostolicæ Sedis Ablegato, post subscriptiones dicti Patriarchæ, & Archiepiscoporum, ac Episcoporum, longus adjungitur catalogus Magnatum secularium, qui eidem Synodo, juxta antiquam consuetudinem, interfuerunt; cui quidem catalogo sequens inscriptio præfixa est: *Magnates, qui Synodo interfuerunt ex Gazenis Ageltonæ, & Gustæ Dominis, ex Habaiscis Gaziri Dominis, ex Montis Libani, & Antilibani Dominis.* Tum subjiciuntur eorum nomina. Hujus Synodi Acta nondum typis edita sunt, sed manuscripta asservantur in Tabulario supradictæ Congregationis de Propaganda Fide.

VI. Sed, præter recensitas circumstantias, nullum jus sibi arrogare possunt Principes, eorumve Administri interveniendi Synodis Provincialibus. Hinc summi Pontifices Pius IV. & S. Pius V. vetuerunt, ne quispiam nomine Regio admitteretur ad Synodum Provincialem Toletanam, ea tempestate indictam; sed Synodi acceleratio prævertit Pontificum mandata, quæ per Apostolicum Nuntium fuissent Archiepiscopo significanda. Cumque subinde aliud simile Concilium, præsente Legato Regio, anno 1582. fuisset Toleti celebratum, sacra Congregatio Concilii noluit illius decreta approbare, nisi prius Legati nomen ex Concilii Actis expungeretur: & quamquam Cardinalis Quiroga, Archiepiscopus Toletanus, pluribus ab antiquitate petitis exemplis, ostendere conatus sit, insuetum non esse, ut Ministri Regii in Conciliorum Provincialium Actis nominentur, ea tamen visa sunt non congruere præsenti disciplinæ, præsertim post Tridentinum vigenti, cum paucis exceptis in Hispania habitis, non facile sit aliud Provinciale Concilium reperire, cui Regii Administri interfuerint, sicuti scite ad eundem Cardinalem Quiroga anno 1584. rescripsit Cardinalis Philippus Boncompagnus: *Nunquam invenitur, seculares Principes, eorumve Nuntios interfuisse Conciliis, nisi Universalibus, ubi agitur de Fide, reformatione, & de pace.* Quocirca, post longas hac super re habitas disceptationes, tandem Gregorius XIII. suis Apostolicis litteris, in forma Brevis datis die 26. Januarii 1585. nomen Regii Legati ex præfato Concilio omnino deleri, mandavit. Tota hujus rei series descripta reperitur *lib.* 4. *decretor. sacræ Congregationis Concilii pag.* 18. & 19. & narratur a Cardinali de Aguirre *tom.* 4. *Concilior. Hispaniæ pag.* 224. & *seq.*

VII. Non exinde tamen fas est inferre, integrum nunc amplius non esse Episcopis Laicos ad Synodum invitare, non quidem ut intersint tanquam Judices, quod nunquam licuit, sed tanquam meri auditores, seu testes eorum, quæ decernuntur, quod olim a Viventiolo factum, paulo ante audivimus; quoniam nunc tales circumstantiæ occurrere possunt, quæ Laicorum præsentiam Synodo valde utilem, & fructuosam reddant. Quamobrem eadem sacra Congregatio Concilii post præfatum decretum editum in causa *Toletana*, die 22. Aprilis 1598. in alia causa *Turritana* dixit: *Gubernatorem, aliosque Laicos non debere Concilio Provinciali interesse, nisi a Synodo fuerint invitati: lib.* 9. *decret. pag.* 66. *a tergo.* Idque certum ponit Cæremoniale Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 7. ubi loquens de Conciliis Provincialibus, etiam Laicis locum assignat: *Sedilia in Ecclesia disponentur, in Provincialibus quidem capacia pro numero Episcoporum, Abbatum, aliorumque Ecclesiastica dignitate fulgentium, item pro Canonicis, ac etiam pro Laicis, si qui interfuturi sunt.* Recte nihilominus, & opportune Pignatellus *consult.* 70. *tom.* 1. Episcopos monet, ut caute in hoc se gerant, neque nimis faciles se præbeant in Laicis ad Synodum invitandis, ne quod ab initio meræ voluntatis, & urbanitatis fuit, tractu temporis fiat necessitatis.

VIII. Ut jam a Provincialibus ad Diœcesanas Synodos progrediamur, non prorsus ab antiquis moribus alienum fuisse arbitramur, ut ad istas pariter quandoque Laici introducerentur: quoniam in Concilio Tarraconensi anni 516. edito a Garzia Loaisa, & relato ab Ivone *part.* 5. *cap.* 158. statutum reperimus, Synodos ab Episcopis esse per litteras indicendas: *Ut non solum de Cathedralibus Ecclesiæ Presbyteris, verum etiam de Diœcesanis ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Ecclesiæ secularium secum adducere studeant.* At hic mos ita postea obsolevit, ut disputent Doctores, an in ullo rerum eventu liceat nunc Episcopo Laicos ad suam Synodum admittere. Monacellus *cit. tom.* 1. *formul.* 3. *n.* 6. & Dominus de Aste *in Methodo Visitationis Apostolicæ part.* 5. §. 3. *n.* 23. id arbitrio Episcopi plene permittunt. Sed his refragatur sacra Congregatio Concilii, quæ in causa *Oriolen. Synodi*, interrogata: *An Episcopus possit ad Synodum vocare Laicos, si eorum consilio uti velit*: respondit: *Episcopum non posse*: *lib.* 14. *decret. pag.* 600. & 601. Bottus *de Synodo part.* 2. *n.* 38. Laicos admittendos affirmat, cum de communibus Clericorum, & Laicorum negotiis est deliberandum. At Massobrius *de Synodo cap.* 3. *dub.* 3. & Romaguer. *ad Constit. Synod. Gerunden. lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *n.* 20. Botti assertionem ita temperandam existimant, ut tunc Laici admitti quidem possint, sed non necessario debeant. Nos vero cohærenter ad ea, quæ de Synodo Provinciali diximus, hæc statuimus. Primum, jus commune obsistere Laicis, ne Synodo se interesse debere contendant. Secundum, non obstante hac juris severitate aliquid nihilominus

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nus esse deferendum contrariæ consuetudini, sit alicubi jam invaluerit. Tertium, etiamsi ejusmodi consuetudo nondum sit inducta, posse Episcopum ex aliqua gravi urgentique causa ad suam Synodum Laicos admittere, dummodo tamen suffragium non ferant. Quartum, inter sufficientes causas illos admittendi, non posse eam annumerari, quam sacra Congregatio jam rejecit, quod scilicet Episcopus Laicorum consilio indigeat; commode quippe potest eos extra Synodum consulere. Quintum demum, cavendum esse Episcopis, ne sine vera & gravi necessitate Laicos ad Synodum arcessant; paulatim enim possent illi, consuetudinis obtentu, *jus interveniendi* sibi deinceps arrogare, quod jam nuper de Synodo Provinciali cum Pignatello animadvertimus.

IX. Hinc Odo, Episcopus Parisiensis, in suis Constitutionibus Synodalibus, quas anno 1198. condidit, quamvis Laicos a prævio ad Synodum apparatu non excluserit, districte tamen præcepit, ut ante sessionis initium e Synodi loco repellerentur: *Finito sermone* (inquit) *licentiabit Episcopus Laicos, & Scholares, & alios Clericos, qui non debent Synodo interesse*: tom. 6. Collect. Harduini *part.* 2. *cap.* 2. *col.* 1937. Idemque anno 1289. faciendum decrevit Raymundus, Episcopus Ruthenensis, in supra citata epistola Synodica. *In utraque vero die, completo sermone, Laici a loco, ubi tenebitur Synodus, expellantur:* quod pariter præscribunt sæpius laudata statuta Ecclesiæ Meldensis *tom.* 4. *cit. Anecdot. col.* 891. At S. Carolus Borromæus in suis Synodis, quo liberius posset Clericorum vitia redarguere, Laicos ante sermonem ab Ecclesia exire jussit, testo Giussano *in ejus Vita lib.* 2. *cap.* 16.

## CAPUT DECIMUM.

*De ordine Sedendi in Synodo.*

EXtra omnem controversiam est, primum, & spectabiliorem locum deberi Episcopo, juxta textum *in Can. Episcopus in Ecclesia, dist.* 95. & decretum Tridentini *sess.* 25. *cap.* 6. *de reform. Episcopis præterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in Choro, & in Capitulo, in Processionibus, & aliis actibus publicis, sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas.* Aliud tamen est de Synodis, sive Generalibus, sive Nationalibus, quibus una cum Episcopis simul intersint S. R. E. Cardinales: hi siquidem, etsi Episcopali careant charactere, ob eorum tamen officii, ac dignitatis præstantiam, Episcopis præferuntur, supra quos sedisse legimus in Concilio Lugdunensi I. sub Innocentio IV. *in cujus Actis* habetur *tom.* 7. Collectionis Harduini *col.* 378. *Ad dextram, & eminentioribus locis sederunt Episcopi Cardinales, ex altera vero Presbyteri Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi post eos.* In Concilio quoque Lugdunensi II. anni 1274. sub Gregorio X. Cardinales omnibus antelatos Episcopis, & Metropolitanis, legitur apud Raynaldum *ad eund. annum n.* 3. Eandemque loci prærogativam Cardinalibus delatam in Concilio Florentino, ex ejusdem Actis liquet. In Concilio pariter Romano anni 1059. sub Nicolao II. quod ex antiquo codice Vaticano transcriptum, publici juris fecit Petrus Possinus; Cardinales, ante Episcopos, Conciliaribus decretis subscripserunt, *tom.* 6. Collectionis Harduini *part.* 1. *col.* 1066. Nec mirum est, Cardinalibus, qui supremi Ecclesiæ Moderatoris consiliarii sunt, eique, tanquam membra suo capiti adhærent, hanc attribui præeminentiam, cum in Ecclesia Constantinopolitana eandem obtinuerint septem Diaconi Cruciferi, quin immo etiam Syncelli, hoc est simplices Clerici, aut Monachi, familiares, & commensales Patriarchæ, qui loco superiore in Synodis sedebant, quemadmodum ad rem observat Christianus Lupus *in schol. & not. ad can. Concil. tom.* 2. *pag.* 1474. *& tom.* 3. *pag.* 441. Durum nihilominus visum est Henrico Archiepiscopo Cantuariensi, sibi Regni Primati, atque Apostolicæ Sedis Legato nato, juxta text. *in Cap.* 1. *de offic. Legat.* anteponi Joannem Kemp, Archiepiscopum Eboracensem, ab Eugenio IV. purpura decoratum, cui propterea cedere recusavit: verum, cum excitatam ab Henrico de præcedentia quæstionem resciverit Pontifex, litteris ad eundem datis, primum in sedendo locum, honoremque, supra quosvis Episcopos, & Archiepiscopos, Cardinali adjudicavit: quæ quidem Eugenii litteræ, in quibus Cardinalitiæ dignitatis eminentia summopere celebratur, referuntur a Raynaldo *ad an.* 1439. *n.* 40. a Cardinali Jacobatio *de Conciliis lib.* 1. *pag.* 35. extantque *Bullar. Rom. pag.* 21. *tom.* 3. *par.* 3. Latæ tamen ab Eugenio sententiæ non acquievit Archiepiscopus Gnesnensis, Regni Poloniæ Primas, qui paucis postea annis, idest ann. 1449. in Comitiis Petricovienſibus de loci prærogativa contendit cum Cardinali Sbigneo, Episcopo Cracovienſi; quam tamen Nicolaus V. iterum Cardinali asseruit, uti narrat citatus Raynaldus *ad an.* 1449. *n.* 8. cumque Archiepiscopus ad Regem provocasset, negavit Rex, se posse causam pertractare, quam summus Pontifex sua sententia terminaverat, sicuti prosequuntur Spondanus *ad eundem annum n.* 14. & Cromerus *lib.* 22. Hæc, de quibus plura Jacobus Andreas Crusius *tract. de præcedentia cap.* 3. incidenter & cursim: scimus quippe nullam de hujusmodi præcedentia quæstionem moveri posse in nostra Synodo Diœcesana, cui unicus præest Episcopus; eique propterea principem locum deberi, nemo unquam dubitavit.

II. Post Episcopum, ante ceteros assidere debet Vicarius Generalis, qui *ratione jurisdictionis*, quam in omnes exercet diœcesanos, omnibus dignitate antecellit, sicuti late ostendunt Sbrozzius *de Vicario Episcopi lib.* 2. *qu.* 25. Leo *in Thesauro Fori Ecclesiastici part.* 1. *cap.* 10. *n.* 10. *&* 11. atque a sacra Congregatione Concilii decisum, testatur Jacobus Gallus *consul.* 62. *num.* 13. referens decisionis verba, quæ sic sonant: *Vicarium Generalem, tam præsente, quam absente Episcopo, præcedere debere Canonicos, & Dignitates Ecclesiæ Cathedralis, etiam in Synodo.* Gallo adstipulatur Scarfantonius in Addit. ad Ceccoper. *lib.* 4. *tit.* 3. *sub n.* 21. aliam adducens ejusdem sacræ Congregationis decisionem, hisce verbis conceptam: *Vicarium in Synodo locum habere ante Dignitates, & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis.* Quapropter Robusterius, Rotæ Auditor, in suo voto impresso apud Gratianum *discept.* 3. *num.* 23. egregie confutatis duobus contrariis consiliis 51. & 52. Jacobi Menochii, universim & generatim adstruit Vicario Generali præcedentiam tam in Synodo, quam extra Synodum, supra Ecclesiæ Cathedralis Capitulum, ejusque Dignitates: quod etiam affirmant Fagnanus *in Cap. Ad hæc, n.* 29. *de præbendis*, Panimoll. *decis.* 1. *adnot.* 5. *a n.* 2. *ad n.* 46. *& adnotat.* 16. *n.* 1. *& seq.* Ricc. *in praxi part.* 4. *resolut.* 190. *num.* 8. Monacell. *in formular. legal. part.* 2. *tit.* 13. *formul.* 2. *num.* 18. quorum Doctorum sententiæ favet textus *in Can. Præcipimus, dist.* 93. ubi legitur: *Præcipimus, ne Diaconus, quamvis etiam in dignitate; hoc est in officio quolibet Ecclesiastico sit, ante Presbyterum sedeat, nisi cum locum habuerit proprii Patriarchæ, aut Metropolitani sui, pro aliquo Capitulo; tunc enim sicut illius locum tenens honorabitur.* Hinc siquidem, quidquid in contrarium opinetur Janus a Costa *tit. de major. & obed. pag.* 216. evidenter desumitur, Vicarium Generalem, præsente, vel absente Episcopo, cujus locum tenet ac jurisdictionem exercet, in Synodo, & extra Synodum, etiam Canonicis, ac Dignitatibus præire debere.

III.

III. De loci, poſt Epiſcopum, honorabilioris prærogativa, cum Vicario Generali Patavino contendit olim Abbas Sanctæ Nicæ, habens uſum Mitræ, & Baculi, cum juriſdictione intra ſuam Eccleſiam, & in ſuos Canonicos: ſed illam pluribus Vicario vindicavit Maſſobrius *de Synod. Diœceſ. cap. 3. dub. 6.* ubi validis argumentis concluſit, tam præſente, quam abſente Epiſcopo, debere Vicarium Generalem Abbati præcedere. Hodie tamen, poſt Gregorii XIV. decretum ſupra allegatum *cap. 3. n. 3.* neminem reperiri putamus, qui audeat jus ſibi arrogare præcedendi Vicario, niſi illud acquiſierit ex legitima conſuetudine, cui Pontifex in eodem decreto non derogavit. Ejuſmodi conſuetudine ſe fulciri, jactabant Canonici Hiſpalenſes, ut locum, ſupra Vicarium, ſibi in Synodo compararent; ſed, cum illam non probaverint, in ſacræ Rotæ Auditorio die 21. Junii 1697. *coram Muto*, ſuccubuerunt, quemadmodum etiam ſuperius fuit indicatum. Secus accidit Archidiacono, Dignitatibus, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Melitenſis: hi quippe, cum rite oſtenderint ſe ex antiqua conſuetudine eſſe in quaſi poſſeſſione præcedendi Vicario Generali, tam in Rotæ Auditorio, quam in ſacra Congregatione cauſam obtinuerunt, uti narrat Auctor *Siciliæ Sacræ tom. 2. edit. Panorm. ann.* 1733. *pag.* 920. *n.* 49.

IV. Præter conſuetudinem, alia quoque poteſt eſſe ratio, ob quam Dignitates, & Canonici, ſe in Synodo præferendos Vicario Generali, jure meritoque poſtulare queant, ſi nimirum ſacris veſtibus induti ipſi Synodo aſſiſtant, quod cenſuit ſacra Congregatio Concilii in *Petragoricen.* die 16. Septembris 1649. *lib.* 18. *decretor. pag.* 678. *Sacra &c. reſpondit, Vicarium Generalem in Diœceſana Synodo habere debere locum ante Canonicos, & Dignitates Eccleſiæ Cathedralis, ſi non ſint parati.* Quæ tamen deciſio eſt intelligenda, niſi Vicario aſſiſtat conſuetudo, etiam tunc præcedendi, aut niſi ipſe pariter ſit indutus habitu Prælatitio, Rocheto videlicet, & Mantelletta, juxta alias ejuſdem ſacræ Congregationis declarationes, relatas a Maſſobrio *cap. 4. dub. 6. n.* 37. & 47. quem ſequitur Panimoll. *deciſ. 1. adnotat. 5. n.* 53.

V. Tertium in Synodo locum occupant Dignitates, & Canonici Eccleſiæ Cathedralis, eo inter ſe ſedendi ordine retento, quem in Choro, aliiſque actibus ſervare ſolent. Poſt Canonicos, ſedent eorundem Coadjutores, uti tradit Pignatell. *conſult.* 185. *n.* 3. & 4. *tom.* 4. Beneficiariis vero, ſeu Manſionariis Eccleſiæ Cathedralis, ſedilia aptantur ſtatim poſt Canonicos, non quia digniores ſint Canonicis Eccleſiarum Collegiatarum, ſed ne ſejungantur a Capitulo Eccleſiæ Cathedralis cujus ſunt addicti ſervitio; quod bene notavit Gavantus *in Praxi Synodi Diœceſanæ cap.* 13. *n.* 7. Eam autem poſt Epiſcopum, & Vicarium ſedendi præeminentiam obtinent Canonici Eccleſiæ Cathedralis, cum ſimul uniti, & conſtituentes unum corpus, ſeu *capitulariter*, ut dicitur, Synodo interveniunt; nam, ſi ſeparatim & ſingillatim adſint, debent locum cedere Abbatibus, jus Mitræ, & Baculi habentibus, etiam Titularibus, & Commendatariis, tam Secularibus, quam Regularibus ſicut præſcribitur in Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 1. cap. 31. n.* 15. ubi de ordine ſedendi in Synodo ſive Provinciali, ſive Diœceſana, hæc habentur: *Dignitates, & Canonici Cathedralis Eccleſiæ cum capitulariter procedunt, aut ſunt, præferuntur ceteris omnibus; alias Abbates Titulares, & habentes uſum Mitræ præcedunt, & poſt eos Commendatarii, deinde Dignitates, mox Procuratores Capitulorum Eccleſiarum Cathedralium, deinde ceteri, pro cujuſque dignitate, & gradu.* Additque Leo *For. Eccleſiaſt. part. 1. cap. 9. n.* 4. etiam Protonotarios non Participantes indutos Mantelletta, & Rocheto, anteponi Canonicis, non capitulariter, ſed diviſim incedentibus, aut adſtantibus: & ſequitur Scarfantonius in notis ad Ceccoperium *lib. 3. tit. 8. n. 38. & ſeq.*

VI. Inter Abbates autem ille cenſetur alteri honore antecellere, qui prius Abbatiam eſt aſſequutus, nulla habita ratione antiquitatis, ſeu dignitatis Ordinum, aut Eccleſiarum, quibus ſunt addicti, ad normam ſententiæ latæ a Pio IV. in cauſa præcedentiæ inter Canonicos Regulares Lateranenſes, & Monachos Caſſinenſes, quam quidem ſententiam idem ſummus Pontifex ſuis corroboravit Apoſtolicis litteris, quæ habentur in Bullario Lateranenſi *pag.* 275. Generatim enim, in quæſtionibus de præeminentia, receptum eſt, ut, ceteris paribus, ille alteri præponatur, qui prius ad dignitatem eſt promotus, quod ex textibus *in Can. final. diſt. 17. & in Cap. 1. & Cap. 15. de majorit. & obed.* bene deducunt Caſſan. *in cat. glor. mund. part. 4.* Manriquez *de præcedentia quæſt. 1. n. 17.* Peralta *eod. tract. de præcedentia cap. 3. n. 4.*

VII. Quartus in Synodo locus, Eccleſiarum Collegiatarum, intra civitatem; quintus, earundem in diœceſi exiſtentium, Canonicis aſſignatur: ita tamen, ut antiquior & dignior Collegiata civitatis anteponatur aliis Collegiatis ejuſdem civitatis, idemque ordo ſervetur inter Collegiatas diœceſeos. Contigit autem aliquando, ex inſignibus Collegiatis unam, quamquam recentiorem, ex Apoſtolico privilegio, uſum habuiſſe Cappæ magnæ, quam geſtare non poterant Canonici Collegiatæ antiquioris, cui ſimile indultum non fuerat conceſſum: quamobrem prioris Collegiatæ Canonici, una cum ſpectabiliori, magiſque honorifico Cappæ ornamento, ſe jus pariter aſſequutos contendebant præcedendi alterius antiquioris Collegiatæ Canonicis, ſola Almutia indutis. Verum ſacra Rituum Congregatio, ad quam cauſa eſt delata, cenſuit, ejuſmodi honoris inſignia nullam denotare præeminentiam, neque alterius juribus præjudicium nullum inferre, quocirca, etiam in prædicto rerum eventu, præcedentia competere decrevit inſigni Collegiatæ, quæ eſſet antiquior. Controverſiæ ſeriem exponit Urſaya *part. 1. diſcept. 6.* in cujus fine laudatum refert ſacræ Rituum Congregationis decretum. Canonicos, niſi obſtet contraria conſuetudo, ſubſequuntur Vicarii Foranei, quos forte contingat inter Parochos non cooptari; etenim ob illam qualemcumque juriſdictionem, quam exercent, maxime decet, eos Plebanis præferri, & præferendos ſtatuit Joannes Franciſcus Bonhomius *in ſupra alleg. Decretis reformationis Eccleſiaſticæ pag.* 122. ubi, loquens de Vicariis Foraneis, ait: *Parochi, reliquique omnes, quicumque illi ſint, & Archipresbyteri, aut Præpoſiti, Vicariis ipſis pareant, ac loco cedant, non in Divinis Officiis tamen, in quibus, ſi Canonici fuerint, ſuo loco eos ſedere, convenit.* Ideo autem locum digniorem cedunt Canonicis Eccleſiarum Collegiatarum, quia iſti (ut putamus) Synodo adſunt collegialiter uniti, ſeu ut conſtituentes unum corpus. Infra Vicarios Foraneos ſedere debent Plebani, ſeu Archipresbyteri rurales, niſi uſus obtinuerit, ut promiſcue aſſideant cum Parochis, & Curatis, qui in ſedendi ordine ſtatim ſuccedunt, & e quibus ille alteri præire debet, qui prius parochiæ præfectus fuit.

VIII. Poſt omnes hucuſque enumeratos, ſubſellia parantur: primo pro obtinentibus ſimplicia Beneficia: ſecundo pro ceteris e Clero: tertio pro Religioſis, & Monachis, ſi qui forte ad Synodum venire juſſi fuerint: poſtremo pro Laicis, ſi caſus evenerit, aut ad Synodum admittantur. Inter Clericos porro ille alteri præcedit, qui in majori Ordine eſt conſtitutus, Presbyter ſcilicet Diacono, Diaconus Subdiacono, & ſic deinceps, per textum *in Cap. Statuimus, de majorit. & obed.* Quod ſi plures fuerint Ordine pares, ſpectatur tempus Ordinationis, & ille alteri anteponitur, qui prius eſt inauguratus; & ſi etiam in Ordinationis die conveniant, habenda eſt ratio ætatis. Ab hac tamen regula eſt ille excipiendus, cui Ordo collatus eſt a Romano

no

UAB Biblioteca de Ciències Socials

no Pontifice; is quippe, propter ſupremam dignitatem Ordinantis, inter alias quibus gaudet prærogativas, quas recenſet Hallier *de ſacris electionibus part. 2. ſect. 5. cap. 3. art. 9. §. 1.* etiam hac potitur, ut ceteris præferatur, in eodem Ordine conſtitutis, per textus *in Can. ultim. diſt. 17. Can. fin. diſt. 75. & Cap. Per tuas, de majorit. & obed.* ubi Gonzalez *n. 3.* Barboſa *n. 2.* Valenz. *conſil. 1. n. 16.* & fuſius Hallier *cit. loc.* Siquidem, uti obſervat Gloſſa *in eod. cap. Per tuas*, etiam lege civili ſancitum eſt, primo eorum nomina eſſe ſcribenda, qui dignitatem judicio Principis ſunt conſecuti.

IX. Plurima de ordine ſedendi in Synodo videri poſſunt apud Bottum *de Synodo part. 1. n. 10.* Maſſobrium *cap. 4. dub. 6.* Urſayam *diſcept. 29. tom. 2. part. 1. & diſcept. 9. eod. tom. 2. part. 2.* quamvis revera difficile ſit, in hac præcedentiæ materia, certam regulam definire; cum potiſſimum inhærendum ſit conſuetudini, quæ pro locorum diverſitate, diverſa eſt. Ad amputandas autem lites, & cujuſque jura ſarta tecta ſervanda, prudenter ſe geret Epiſcopus, ſi in Synodi initio decretum promulgaverit, quo declaretur, ex ordine inibi ſedendi nihil detractum iri juri habendi præſtantiorem locum, quod quiſpiam ſibi competere credat; quod faciendum ſtatuit S. Carolus Borromæus in Concilio Provinciali Mediolanenſi V. *part. 3.* ubi inter Decreta initio Diœceſanæ Synodi legenda, hoc quarto loco commemorat *Act. Eccl. Mediolan. part. 1. pag. 278. Si cui in ea Synodo contigerit ſuo loco non ſedere, aut incedere, aut aliquid quidquam agere, per id propterea nemini jus acquiri, acquiſitumve eſſe, neque quidquam de cujuſquam jure, poſſeſſioneve detrahi; ſed omnia in eo ſtatu permanere, quo antea fuiſſe compertum erit*: Idemque cautum legimus in Synodo Diamperitana, habita anno 1590. quam notis a ſe illuſtratam anno 1745. typis Romanis edi curavit Pater Jo: Facundus Raulin. Neque ulli diſplicere poteſt ejuſmodi temperamentum, quod adhibitum ſcimus etiam ab Œcumenica Tridentina Synodo, quæ *in fine ſeſſ. 2.* ait: *Inſuper ipſa ſacra Synodus ſtatuit ac decrevit, quod, ſi forte contigerit, aliquot debito in loco non ſedere .... nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur.* In ejuſdem vero Concilii reſumptione, ſummus Pontifex Pius IV. ut eas controverſias de medio tolleret, quæ ex peculiaribus diverſarum Eccleſiarum privilegiis & prærogativis oriri poterant, Præſules omnes, ad illius celebrationem congregatos, in tres tantummodo claſſes diſtribuit, Patriarcharum nempe, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum; inter quos juſſit Patriarchas primum locum tenere, Archiepiſcopos ſecundum, Epiſcopos vero tertium; in ſingulis autem claſſibus digniorem ſeſſionis locum ab illis occupari, qui Ordinatione anteriores eſſent; nullo reſpectu habito ad eorum Primitiales dignitates, ſive veras, ſive prætenſas, quas proinde ſingulis in ſuo ſtatu illæſas præſervavit; ut videre eſt in ejuſdem Pii IV. *Conſtit. 24. Bullar. Rom. tom. 2.* Ac demum ipſius Concilii Patres in fine *ſeſſ. 25.* declararunt, *ex loco aſſignato Oratoribus, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, in ſedendo, incedendo, aut quibuſcumque aliis actibus*, nulli jus de novo acquiſitum, nulli ablatum, cenſeri debere.

## CAPUT UNDECIMUM.

*De indumentis Epiſcopi, aliorumque, qui Synodo Diœceſanæ interſunt.*

UT Sacerdotalis conſeſſus majeſtas ſplendidior foret, ſuſque venerationem omnibus ingereret, pluribus, & antiquis Conciliorum ſanctionibus, decretum fuit, ut quotquot Synodo intereſſent Clerici, aliquod induerent ſacrum ornamentum, cujuſque dignitatis, ſeu Ordinis proprium. Ex innumeris, quæ præſto ſunt, particularium Eccleſiarum hac de re ſtatutis pauca quædam ſeligimus. Inter Conſtitutiones Eccleſiæ Claromontenſis, anni 1268. Collectionis Harduini *tom. 7. col. 587.* legimus: *Diſtricte præcipientes Sacerdotibus, ut jejuni intrent Synodum; in jejunio enim, & oratione debet fieri. Injungimus iterum diſtricte Sacerdotibus Curam animarum habentibus, ut induti Albis, & Stolis intrent æſtivalem; in Superpelliciis tantum, & Stolis, Synodum hiemalem: Abbates autem Cappis ſericis ſint induti.* His concinunt ſæpius laudata ſtatuta Synodalia Eccleſiæ Meldenſis *cit. tom. 4. Anecdot. col. 881. cap. 2. Diſtricte præcipitur Sacerdotibus, ut raſi coronam, & jejuni intrent Synodum, ſub pœnis a jure ſtatutis. Diſtricte etiam præcipitur, ut induti Albis, & Stolis intrent Decani Synodum, Sacerdotes vero in Superpelliciis.* Conſtitutiones Eccleſiæ Nicoſienſis *tom. 7.* Collectionis Harduini *col. 1679. cap. 3.* decernunt: *Intrent autem omnes in honeſto habitu, videlicet in hieme in Superpellicio, vel Cappa clauſa, aut Chorali; in æſtate vero in Superpellicio tantum.* Statuta Sinodalia Eccleſiæ Nannetenſis *cap. 2. cit. tom. 4. Anecdot. col. 931.* ajunt: *Præcipitur Sacerdotibus, ut jejuni, & induti Superpelliciis, & Stolis mane intrent in Synodum; ceteri autem, Perſonatus, ſeu Vicarias habentes Eccleſiarum, Superpelliciis tantum albis: Abbates autem Cappis ſericis ſint induti.*

II. Majorem, & ſplendidiorem ſacrarum veſtium apparatum præſcripſit Concilium Budenſe a Philippo, Epiſcopo Firmano, Sedis Apoſtolicæ per Hungariam, & Poloniam Legato, anno 1279. celebratum, quod ex mſſ. codicibus Vaticano, & Vallicellano edidit Odoricus Raynaldus *ad calcem tom. 14. Annal. Eccleſiaſt.* In hujus quippe *cap. 20.* hæc leguntur: *Statuimus etiam, & præcipimus, ut omnes tam Regulares, quam Seculares in Dignitatibus, ſeu Perſonatibus conſtituti illius Metropolitanæ, in qua Provincialis, & illius diœceſis, in qua Epiſcopalis Synodus fuerit celebranda, veniant .... Præterea ſtatuimus, quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & quilibet alii, qui ex privilegio Mitris utuntur, mitrati cum Superpelliciis, Stolis, & Cappis, ſeu Pluvialibus; Præpoſiti vero, Priores & alii inferiores Prælati cum Superpelliciis, & Stolis, ſi Diaconi ſaltem ſint, &, ſi velint, Pluvialibus, ſeu Cappis: Rectores vero, & ſimplices Sacerdotes cum Cottis, ſeu Superpelliciis, & Stolis tantum; inferioris vero ſtatus, vel Ordinis Clerici cum Cottis Synodum intrent ..... Religioſos quoque, nullam Prælaturam, vel adminiſtrationem habentes perpetuam, permittimus, in habitu ſuo cum Stolis in Synodo poſſe ſtare.*

III. Licet porro hæc peculiarium Eccleſiarum ſtatuta omnes non obſtringant, ritum tamen & ſolemnitatem demonſtrant, qua decet Synodum celebrari. Adde, quod non multum diſcrepant ab uſitato, & communiori hujus temporis more, quem, ut ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 1. cap. 31.* & Gavanto *in cit. praxi cap. 13.* deſcribamus, ab Epiſcopo initium ducimus. Ante Synodum, aliquot congregationes, pro ejuſdem directione, fieri ſolent in ædibus Epiſcopalibus, quibus Epiſcopus præſidet indutus habitu Prælatitio, Rocheto ſcilicet, & Mozetta: cum ad Eccleſiam accedit, Synodum incepturus, vel profecuturus, incedit indutus Cappa: priuſquam preces recitet, quæ cujuſque ſeſſionis initio dicendæ ſunt, præter Superpellicium, Amictum, & Stolam, induit Pluviale rubeum: in ſolemni Supplicatione, quæ cum univerſo Clero in Synodi initio, & fine per urbem inſtitui ſolet, pergit indutus Alba, Stola, Pluviali rubei coloris, Mitram pretioſam, & Paſtorale baculum deferens; eaſdemque veſtes in ſeſſionibus Synodalibus retinet. Hiſce ornatum inſignibus ſuam Synodum auſpicatum fuiſſe S. Franciſcum Saleſium, narrat Carolus Auguſtus Saleſius *in ejus Vita lib. 5. pag. 250. Supplicatio per totam urbem inſtituta, in qua videre erat, præter Canonicos, centum Curiones Supparis indutos: ibat noviſſimus Saleſius Mitra, & Trabea inſignis, quem plurimi etiam Sacerdotes ſequebantur.*

IV. Quod

UAB Biblioteca de Ciències Socials



IV. Quod autem supra diximus de Episcopo, qui Congregationibus, pro rerum in Synodo decernendarum præparatione, in Palatio Episcopali habendis, habitu Prælatitio, id est Rocheto, & Mozetta indutus, assistere debet; de iis Episcopis intelligendum est, qui habent Rocheti usum. Sunt enim, quibus illud gestare interdictum est; nimirum ii qui ex Ordinibus Regularibus, Monasticis nempe, & Mendicantibus, ad Episcopatum assumuntur, ut habet *Cæremoniale Episcoporum lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 4. *& cap.* 3. *n.* 4. ubi tamen opportune declaratur, ejusmodi prohibitionem non afficere Episcopos illos, qui ex Ordinibus, seu Congregationibus Clericorum Regularium, aut Canonicorum etiam Regularium, sive Presbyterorum S. Spiritus, vel ex Militiis S. Joannis, & S. Jacobi, ad Episcopatum evecti fuerint. Modernus Joseph Catalanus *tom.* 1. *ad Cæremoniale Episc. lib.* 1. *cap.* 1. §. 4. *n.* 5. summa diligentia indicat auctoritates Theologorum, ac Juris Canonici Interpretum, qui docent, Episcopis ex Ordinibus Monasticis, aut Mendicantibus, assumptis non licere, sub excommunicationis, vel, ut aliis placet, sub gravis peccati pœna, Rochetum deferre; tam scilicet ob Cæremonialis nuper allegati prohibitionem, quam propter legem in Jure Canonico expressam, *Cap. Clerici officia, de vita & honest. Cleric.* Nonnulli asserunt, in locum Rocheti; concessum esse a Clemente VIII. Regularibus Episcopis usum Superpellicii. Verum concessio isthæc, si vera est, non pertinet ad casum, de quo nunc agimus; sed ad delationem Superpellicii subtus amictum, vel subtus albam, aut stolam, dum Missas privatim aut solemniter celebrant, vel cum Pluviale induunt, ut Divinis Officiis assistant; vel demum, cum stola duntaxat induti, Sacramentum Confirmationis, aut Ordines Minores conferunt, aliisve Benedictionibus, aut Consecrationibus operantur. De his videri potest quondam Josephi Mariæ Perrimezzii, qui Regularis erat Episcopus, *Dissert.* 4. *part.* 1. *pag.* 118. *& seq.* ubi observat, Superpellicium, dum eo utuntur Episcopi Regulares, sacrorum semper indumentorum partem esse; at Rochetum ab aliis Episcopis deferri, etiam tanquam communem habitum, & civilem. Dum vero exempla quædam affert concessionum a summis Pontificibus factarum certis illustribus Monachis ad Episcopatum promotis, ut vestium colorem mutare, ac etiam Rochetum gestare possent; dumque observat, in Hispaniis Episcopos Regulares Rochetum ex antiqua consuetudine induere; satis indicat, has esse limitationes regulæ generalis, qua contrarium statuitur. Quare, generaliter loquendo, concludendum erit, Episcopum Ordini Monastico, aut Mendicanti alias adscriptum, in Congregationibus præsynodalibus, de quibus supra, talari veste, & Mozetta duntaxat indutum sedere debere; servato in hujusmodi vestibus colore, cujus est habitus Religionis ab ipso professæ, ut se conformet textui *in cit. Cap. Clerici officia, de vita & honest. Cleric.* Quamvis enim ibi dicatur, Episcopos Monachos habitum Monachalem deferre oportere; usus tamen invaluit, ut hujusmodi Episcopi, retento colore Ordinis, ex quo assumpti fuerant, eadem vestium forma utantur, qua reliqui Episcopi uti solent; Mozetta nimirum, Mantelletta, & veste talari.

V. At una hic nobis occurrit quæstio: nimirum, an Archiepiscopus, Missam in sua Diœcesana Synodo solemniter celebraturus, inter cetera Pontificalia ornamenta, etiam Pallium induere queat. Idemque quæritur de Episcopo, cui ex privilegio usus Pallii sit concessus. Certum in primis est, neutri licere, extra Ecclesiam, & extra Missarum solemnia, Pallium gestare, cum id a Jure universim & generatim sit omnibus interdictum, juxta celebre responsum S. Gregorii Magni ad Joannem Episcopum Ravennatem *epist.* 56. *lib.* 3. *indict.* 11. *Operum tom.* 2. *col.* 666. relata a Gratiano *Can. Contra morem, dist.* 100. *Tibi non putamus ignotum, quod pene de nullo Metropolita in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extra Missarum tempus, usum sibi Pallii vendicasse. Et quod bene hanc consuetudinem generalis Ecclesiæ noveritis, vestris nobis manifestissime significastis epistolis*: & infra, eundem Joannem redarguens, quod in solemnibus extra Ecclesiam supplicationibus Pallium gestare præsumpsisset, pergit Gregorius *col.* 667. *Admoneo, quatenus nisi Decessorum meorum munificentia tibi hæc per privilegium attributa docueris, uti in plateis Pallium ulterius ferre non præsumas, nec non habere & ad Missas incipias, quod audacter & in plateis usurpas.* In eandem sententiam iterum scripsit Gregorius ad Marinianum, Joannis Successorem, *epist.* 56. *lib.* 5. *indict.* 11. *tom.* 2. *Oper. col.* 787. *Quo (Pallio) non aliter te uti memineris, nisi in propria tuæ civitatis, dimissis jam filiis, Ecclesia, procedens a Salutatorio ad sacra Missarum solemnia celebranda: peractis vero Missis, idem in Salutatorio rursus curabis deponere.* Salutatorium autem, cujus Gregorius meminit, quod etiam *Diaconicum magnum, Secretarium, Receptorium, & Vestiarium* appellabatur, erat Exedra Ecclesiæ adjuncta, ubi Episcopi sacras vestes induebant, & priusquam Ecclesiam ingrederentur, Fidelium salutationes excipiebant, sicuti videri potest apud du Cange *in descriptione ædis Sophianæ n.* 88. *ad calcem* Cinnami, *& in Glossario verb. Salutatorium*, & Binghamum *Origin. & Antiquit. Ecclesiastic. tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 7. §. 7. *&* 8.

VI. Certum præterea est, non in omnibus Missarum solemniis posse ab Archiepiscopo, aut Episcopo, Pallii usum habente, illud adhiberi; ut enim ait Innocentius III. *in Cap. Ad honorem, de auctoritate & usu Pallii, Solus Romanus Pontifex in Missarum solemniis Pallio semper utitur, & ubique: quoniam assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quæ per Pallium significatur. Alii autem eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus.* Dies porro, quibus illis permittitur Pallium deferre, recenset Glossa *in eod. Cap. verb. Ad honorem*, quibus posse alias ex speciali privilegio addi, certum ponit Gregorius Magnus *in cit. epist.* ad Joannem Ravennatem, inquiens *col.* 666. *Aut enim mos omnium Metropolitarum etiam a tua est Fraternitate servandus, aut, si tuæ Ecclesiæ aliquid specialiter dicis esse concessum .... a vobis oportet ostendi.* Et profecto illis diebus, a Glossa enumeratis, sive ab antiquo, sive a recentiori jure adjectam scimus diem, qua Archiepiscopus, Synodum celebrans Provincialem, sacra Mysteria solemniter agit, cum in Cæremoniali Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 31. *n.* 13. expresse dicantur: *Cantabitur Missa de Spiritu Sancto solemniter per Archiepiscopum, qui in ea utetur Pallio*: quod quidem fuisse in usum deductum a S. Carolo Borromæo, atque a san. mem. Benedicto XIII. cum ille Mediolani, hic Beneventi Provinciales Synodos haberent, narrat Cardinalis Petra *ad Constitut. Apost. tom.* 5. *pag.* 212. *n.* 31. *&* 32.

VII. Quare proposita quæstio unice versatur circa Missam solemniter celebrandam in Synodo Diœcesana. Ad quam indubitanter respondemus, neque Archiepiscopo, neque Episcopo habenti Pallii privilegium, fas esse in ea Pallium gestare. Ratio ex iis, quæ præmisimus, obvia & perspicua fit: etenim Pallii usus pro die, de qua agimus, nusquam reperitur Archiepiscopo, aut Episcopo, Pallii privilegio ceteroquin exornato, concessus; unde Gavantus *in praxi Diœcesanæ Synodi cap.* 13. *n.* 1. satis apposite scripsit: *Habitus Episcopi in Missa Synodali erit Pontificalis, & coloris rubei. Si celebrat solemniter, assumit omnia Paramenta Pontificalia, usque ad Pallium exclusive:* quod etiam notavit Pax Jordan. *tom.* 2. *lib.* 8. *tit.* 2. *n.* 92.

VIII. Quod attinet ad indumenta Vicarii Generalis:

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



lis: aut is est Protonotarius Apostolicus; & tunc vestes induit, hujus muneris proprias, Rochetum videlicet, & Mantellettam: aut ea prærogativa caret; & vestes defert, quibus per urbem incedere solet. Quod si inter Canonicos cooptetur; in Missa, & solemni Supplicatione, vestes adhibet Canonicorum; in sessionibus vero Synodalibus, illis depositis, proprias assumit: Gavantus *cit. cap.* 13. *n.* 11. & 12.

IX. Dignitates, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis Episcopo rem Divinam solemni ritu perficienti assistunt, induti vestibus sacris, hoc est Dignitates Pluviali; Canonici ex ordine Sacerdotali, Casula, seu Planeta; Canonici ex ordine Diaconali, vel Subdiaconali, Dalmaticis: quam distinctionem ideo servandam dicimus, quia factam credimus divisionem Præbendarum ad normam decreti editi a Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. *de reformatione*; ubi enim ea divisio nondum facta fuit, omnes Canonicos uti solere Pluviali, affirmat Paris Graffi *lib.* 1. *cap.* 18. Coadjutores Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis, & Canonici Ecclesiarum Collegiatarum, vestes adhibent, quas in Choro ferre consueverunt. Vicarii Foranei, & Archipresbyteri rurales, in aliquibus diœcesibus, aut Pluviale, aut aliud ornamentum assumunt, quo a ceteris distinguantur: in aliis autem nullum obtinent speciale insigne. Rectores quoque Ecclesiarum Parochialium, alicubi, præter Superpellicium, seu Cottam, gestant Caputium, alibi Stolam. Ceteri de Clero solum induunt Superpellicium. Quæ omnia didicimus a Gavanto *cit. cap.* 13. recte tamen concludente, standum esse locorum consuetudini.

X. Quod diximus de sacris indumentis, a Canonicis Ecclesiæ Cathedralis adhibendis, locum duntaxat habet, cum ipsemet Episcopus Sacris operatur solemni ritu; nam, si vel privatim Missam faciat, vel Missæ, quam alter celebrat, assistat, quod tamen improbandum esse, ex iis patebit, quæ inferius *lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 3. dicentur, Canonici sacra indumenta non assumunt, sed illa adhibent, quæ *in Choro deserunt*, quæ etiam retinent, cum *sessionibus Synodalibus* adsunt. Secus est de Episcopo, qui, etsi non celebret, debet tamen Synodo interesse, omnibus ornatus Pontificiis insignibus, quod monet Gavantus *eod. cap.* 13. *n.* 1. eique assistunt Diaconus, & Subdiaconus cum Dalmaticis, perinde ac si Missam celebranti inservirent, quemadmodum præscribitur in Pontificali Romano, notatque Pax Jordan. *loc. cit.*

XI. At una adhuc, quoad Canonicorum vestes, enodanda remanet difficultas. Nonnulla reperiuntur Cathedralium Ecclesiarum Capitula, a Romanis Pontificibus hoc singulari exornata privilegio, ut Dignitates, & Canonici usum habeant Pontificalium. Jamdiu Dignitates, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis Lucensis a Lucio III. Alexandro III. Martino V. & Julio III. potestatem acceperant gestandi Mitram albam sericam, ad instar S. R. E. Cardinalium; cumque Benedictus XIII. Lucensem Ecclesiam in Metropolitanam erexisset, aliud illis addidit privilegium deferendi Pastorale baculum, instar Abbatum. Clemens XI. Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiæ Metropolitanæ Beneventanæ, & Ecclesiæ Metropolitanæ Mediolanensis, præter Mitram, omnia indumenta concessit, quibus utuntur Abbates usum Mitræ habentes. Ac tandem, ut cetera prætereamus exempla, Benedictus XIII. usum Pontificalium permisit Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Viterbiensis.

XII. Quibus positis, dubitatur, an Canonici, ejusmodi privilegiis decorati, possint in Diœcesana Synodo Pontificalia insignia adhibere. Et respondendum censemus, posse, sepositis ceteris Pontificalibus ornamentis, atque assumptis sacris vestibus, quæ communes sunt aliis Canonicis, uti sola Mitra, cum Episcopus Missam solemni ritu celebrat, cumque una cum eodem Episcopo, & universo Clero ad publicas incedunt Supplicationes. Mitram pariter gestare poterunt in Synodalibus sessionibus; modo tamen aliis sacris, non vero Pontificalibus, vestibus adsint induti; incongruum quippe esset, sine aliis sacris indumentis, Mitram deferre. Quod possint in prædictis actibus Mitram adhibere, ex verbis colligitur privilegiorum, quibus potiuntur: in illis siquidem vel usus Mitræ ipsis tribuitur etiam expresse & nominatim in Synodo, quemadmodum sonant verba privilegii concessi Canonicis Viterbiensibus; vel saltem generalis facultas datur, Mitram gestandi in omnibus functionibus Ecclesiasticis, quibus etiam Synodales comprehenduntur.

XIII. Quod vero nequeant alia Pontificalia indumenta adhibere, censuit sacra Congregatio Concilii: etenim cum Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Agathæ civitatis Cremonæ, cujus *cap.* 1. *hujus libri n.* 4. meminimus, vellet Cremonensi Synodo interesse, indutus Pontificalibus ornamentis, quorum usum illi ceteroquin competere, nullus dubitabat, eique se opponeret Episcopus, quæsitum fuit a sacra Congregatione Concilii. *An Præpositus S. Agathæ possit, ultra usum Mitræ, in Cathedrali, & actionibus Synodalibus uti Baculo, aliisque Pontificalibus, & laminis aureis, cum separato genuflexorio, & sede, occasione celebrationis Missæ in Synodo.* Et die 5. Aprilis 1732. responsum fuit: *Negative, excepto usu Mitræ simplicis, in actibus Synodalibus tantum.* Iterumque causa proposita, die 8. Augusti 1733. sacra Congregatio fuit in eadem sententia quoad omnia, excepta qualitate Mitræ, quam, dixit, posse a Præposito gestari auriphrygiatam. Credere autem fas est, ideo quoad hoc sacram Congregationem sententiam mutasse, quia deprehensum fuit, Præpositum exemptum esse ab Episcopi jurisdictione; ceteri quippe, Mitræ usu a Sede Apostolica donati, si Episcopi jurisdictioni subjaceant, in Episcopali Synodo Mitram simplicem duntaxat, & non auriphrygiatam, ferre permittuntur, juxta apertam decisionem Clementis IV. *in Cap. Ut Apostolicæ, de privilegiis in 6.* cujus verba sunt: *De Fratrum nostrorum consilio, præsenti decreto statuimus, ut Abbates, & alii, quibus Mitræ usus est ab eadem Sede concessus; exempti quidem in Provincialibus Conciliis, & Episcopalibus Synodis (quibus nonnulli eorum interesse tenentur) Mitris tantummodo auriphrygiatis, non tamen aureas, vel argenteas laminas, aut gemmas habentibus, uti possint; non exempti vero, simplicibus, & albis, ac planis utantur. In aliis vero locis exemptis, & non exemptis, Mitris liceat illis uti, prout concessa eis ab eadem Sede Indulta permittunt.* Quamobrem Canonici, & alii, qui nobiliori Mitra in aliis actibus, & functionibus Ecclesiasticis, ex privilegio utuntur, si eandem in Synodo deferre gestiant, concludenter probare debent, id etiam honoris sibi specialiter & expresse, & quidem post Clementem IV. fuisse a Sede Apostolica tributum.

## CAPUT DUODECIMUM.

*De Pœnis, quibus fiunt obnoxii, non accedentes ad Synodum, nisi legitimo detineantur impedimento.*

INutiles essent leges, & contemptui expositæ, nisi simul in contumaces animadverterent. Eadem propterea jura, quæ Sacerdotes ad Synodum ire jubent; aut pœnas irrogant, aut irrogandas illis decernunt, qui parere recusant. Memorata statuta Ecclesiæ Biterrensis ejusmodi refractarios ab ingressu Ecclesiæ interdicunt: Synodus Catalaunensis anni 1393. & statuta Synodalia Ecclesiæ Nannetensis anni 1499. eos-

dem

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



dem excommunicatione ſtatim innodatos declarant, *cit. tom. 4. Theſaur. nov. Anecdot. col. 627. 667. & 1022.* Jus vero commune *in Cap. Quod ſuper his, de majorit. & obed.* Epiſcoporum arbitrio permittit, ſibi ſubditos Abbates, & Sacerdotes compellere *per cenſuram Eccleſiaſticam ad Synodum venire*. Unde quamvis Concilium Tridentinum *cit. cap. 2. ſeſſ. 24. de reform.* ubi omnes exemptos, & multis in caſibus jam a nobis expoſitis, etiam Regulares, ad Epiſcopalem Synodum ire debere, ſtatuit, nullam mentionem fecerit pœnæ, inobedientibus inferendæ, merito tamen ſacra Congregatio, ejuſdem interpres, cenſuit, poſſe Epiſcopum illorum pariter contumaciam cenſuris, aliiſque pœnis coercere, ſicuti *hoc eodem libro cap. 1. n. 5.* retulimus; ſiquidem quandocumque exempti, etiamſi Regulares ſint, ad Synodum accedere tenentur, ceſſat, quoad hoc, eorum exemptio, & ſubduntur Epiſcopo, perinde ac ceteri diœceſani. Quia vero cum *is*, qui ad Synodum ita cunctanter ſe confert, ut cum jam abſoluta eſt, ad eam perveniat, tum qui, priuſquam abſolvatur, a Synodo recedit, legi potius illudere, quam obedire videtur; idcirco iiſdem pœnis ſe obnoxium facit, quæ in illos latæ, aut ferendæ ſunt, qui nullo modo accedunt, quemadmodum advertunt Maſſobrius *de Synodo Diœceſ. cap. 3. dub. 7.* & Mareſcottus *variar. reſolut. lib. 1. cap. 52. n. 32.*

II. Nec ſolum poteſt Epiſcopus, ſuam Synodum pervicaciter evitantes, Eccleſiaſticis cenſuris irretire, ſed etiam pecunia multare, quod adnotavit Pax Jordan. *lib. 8. tit. 2. num. 70.* non enim deſunt homines adeo rudes & craſſi, rebuſque his terrenis tam perdite addicti, ut plus a pœna pecuniaria, quam a cenſuris, deterreantur. Ita Synodus Avenionenſis, anni 1337. *cap. 8.* viginti ſolidis, uſualis monetæ, in Eccleſiæ fabricam erogandis, illos multavit, qui ad Synodum arceſſiti non advenerant: & Synodus Meldenſis *cap. 4.* ſimilis inobedientiæ reos, ſuorum Beneficiorum fructibus privavit, *cit. tom. 4. Anecdot. col. 563. & 918.* Ex mente tamen ſacræ Congregationis Concilii, explicata in cauſa *Pientinæ Synodi*, quam *cap. 2. hujus libri num. 8.* allegavimus, non debet Epiſcopus pecuniariam pœnam imponere Regularibus: ii quippe viritim accepti, rerum temporalium proprietatem non habent; nec æquum videtur, ut pro unius, vel alterius Religioſi contumacia, communitas, ſeu monaſterium pœnam ſubire debeat.

III. Verum, quia omnes leges, ſed præcipue Eccleſiaſticæ, ſanctiſſimæ ſunt, & ne latum quidem unguem a juſtitia, & æquitate deflectunt, propterea a culpa, & pœna eum abſolvunt, qui ex rationabili cauſa ad Synodum non venit. Concilium Tridentinum *cit. cap. 2. ſeſſ. 24. de reform.* ab obligatione accedendi ad Synodum Provincialem eximit Epiſcopos, *quibus cum imminente periculo transfretandum eſſet:* ſicut olim contigit quatuor Epiſcopis, Antibarenſi, Catharenſi, Olchinienſi, & Suacenſi, qui miſerabili caſu naufragium in mari fecerunt, dum ad Concilium Provinciale Spalati indictum ſe ſimul conferrent; ut narrat P. Daniel Farlatus *tom. 1. Illyrici ſacri in Prolegomenis part. 3. ſect. 2. §. 5. pag. 308.* Eodem igitur jure a Diœceſana Synodo ſunt excuſandi, qui illam aut omnino, aut ſine gravi periculo, adire nequeunt, ſive ejuſmodi periculum ipſis immineat ab extrinſeca cauſa, puta a flumine, quod ſit trajiciendum, aut a latronibus viam obſidentibus; ſive a cauſa intrinſeca, puta ab adverſa valetudine. Multoque magis excuſandi ſunt Parochi, quos, non propria, ſed ſuarum ovium neceſſitas remoratur; etenim non ſolum non reprehendendi, ſed plurimum commendandi ſunt, ſi ideo duntaxat ad Synodum non accedant, quia alium non habent Sacerdotem, quem ſibi in animarum Cura ſubſtituant; idque præſertim, cum in parochia reperiuntur infirmi tam gravi morbo laborantes, ut prudenter timeatur, ne ſint cito deceſſuri: quanta enim ratio a Parochis, priuſquam ad Synodum ſe accingant, habenda ſit de ægrotis, quos in parochia relinquunt, ſatis aperte ediſſerunt ſanctiſſimi Eccleſiarum Antiſtites. Andreas de Albalato Epiſcopus Valentinus in ſua Synodo, habita anno 1255. cujus Acta evulgavit Cardinalis de Aguirre *tom. 3. pag. 511. ait n. 152. Item mandamus Sacerdotibus, vel habentibus Curam, quod nullus renuntiet, niſi in manu Epiſcopi; & cum venerint ad Synodum, perquirant parochias, & viſitent infirmos, & dent pœnitentias; eiſdem exponendo, qualiter tenentur ire ad Synodum, & ſi interim morerentur, ſine pœnitentia non decedant. A qua Synodo cum venerint, non requiſiti, viſitent infirmos, & faciant quod ſaluti animarum noverint expedire.* Conſtitutiones Eccleſiæ Claromontenſis, anni 1268. quorum ſupra meminimus, in principio hæc habent. *Item injungimus Sacerdotibus Parochialibus, qui Vicarios non habent, quod die Dominica, præcedente Synodum, diligenter inquirant publice in Eccleſiis ſuis, ſi aliqui ſunt infirmi in parochiis ſuis: feria vero ſequenti, ſive antequam iter arripiant, eos viſitent etiam non requiſiti, & faciant quidquid neceſſe fuerit ad ſalutem animarum: præcipientes in Chriſto, eorum viſitationem fieri per Presbyteros vicinos in eadem, vel aliis Eccleſiis remanentes.* Statuta Synodalia Eccleſiæ Conſtantienſis *cap. 17. cit. tom. 4. Anecdotorum col. 805.* præcipiunt: *Quando vos Presbyteri ad Synodum venire debetis, die Dominica præcedente, publice inquiratis in parochia, ſi qui ſint infirmi, & ea die, vel ſequenti feria, vel antequam iter arripiatis, & non requiſiti, viſitetis eos.* Ex his, aliiſque ſexcentis hujus generis monumentis, addiſcere debent Parochi, quam ſolicitos eos eſſe oporteat de æterna ſalute ſuarum ovium, quæ in extremo verſantur temporalis vitæ diſcrimine; cui nimirum ſi per alium conſulere nequeant, licite, & ſancte ſe a Synodo ſubtrahunt.

IV. Non idcirco tamen, quod quiſpiam legitimo detineatur impedimento, poteſt ſua auctoritate, ſe ab accedendi obligatione abſolvere; ſed cauſam, cur non accedit, debet Epiſcopo ſignificare, a Judicibus, ad id deputatis abſoluta Synodo, examinandam; & quo validius ſuam abſentiam excuſet, poterit ad Synodum mittere Procuratorem, qui omnes impedimenti, quo detinetur, circumſtantias, melius, quam per litteras fieret, Synodo aperiat, quod ſcribit Fagnanus *in ſuis Commentariis mſſ. ad cap. 2. ſeſſ. 24. de reform.* inquiens: *Qui vero verentur accedere, ex ſententia Congregationis, poterunt mittere Procuratores ad excuſandum ſe.* Idemque de Conciliis Provincialibus ſancitum invenimus in Concilio Pariſienſi, an. 1346. celebrato, Præſide Guillelmo Archiepiſcopo Senonenſi, in cujus *cap. 6.* habetur: *Illi, qui ad Provinciale Concilium venire tenentur, ſi propter impedimentum canonicum remaneant, ſe excuſent per idoneum Nuntium litteratorie deſtinatum, qui poſſit facere fidem per juramentum, de impedimento canonico, ſuper quo etiam debet habere mandatum: tom. 7. Collectionis Harduini col. 1681.* Opinatur præterea Bottus *cit. part. 2. num. 42.* legitime impeditum poſſe conſtituere Procuratorem, non ſolum ut ejus abſentiam excuſet, ſed ut Synodo ejus nomine interſit. At hæc opinio, quæ ceteroquin arriſit Maſſobrio *cap. 3. dub. 6.* a nobis improbatur & rejicitur: an autem id jure fiat, mox patebit. In electionibus Eccleſiaſticis jus eſſe abſenti, legitimo detento impedimento, conſtituere Procuratorem, qui ejus nomine ſuffragium ferat, conſtat *ex Cap. Quia propter, §. Illud autem, de elect.* & *Cap. Si quis juſto, in princ. eod. tit. in 6.* Eſt tamen neceſſe, ut Procurator ſit de gremio Capituli, ne ſecus Capituli ſecreta pandantur extraneo, quod in citatis textibus pariter decernitur. Sed, quia hæc Conſtitutio emanavit in favorem Capitularium, eſt

UAB Biblioteca de Ciències Socials

in eorundem facultate favori ſuo renuntiare, & extraneum Procuratorem admittere, ſicuti *in cit. Cap. Si quis juſto, verb. Nolente Capitulo*, obſervat Gloſſa, docentque Panormitanus *in Cap. Quia propter, §. illud n.* 2. Layman *nu.* 1. Pirhing *ad lib.* 1. *Decretal. tit. de elect. nu.* 148. Et, generatim loquendo, nunquam adſtringi poſſe Univerſitatem, ſeu Collegium, ad admittendum Procuratorem extraneum, tradit Joannes Andreas *in Cap. Quod alicui, 67. nu.* 17. *de regulis juris, in* 6. quia non poteſt unquam compelli ad aperiendum Collegii negotia *iis*, qui de Collegii gremio non ſunt, *l. Mercatores* 4. *C. de commerc. & mercator.* Quod ſi nullus de Collegio velit pro abſente Procuratoris munus ſuſcipere, & extraneus a Collegio non admittatur, ſibi, & ſuæ abſentiæ cauſæ imputare debet abſens, ſi pro ea vice ſuffragio careat, quemadmodum citati Doctores perpendunt. Procurator autem de gremio Capituli ad eligendum conſtitutus, ſi habeat ſpeciale mandatum ad eligendam certam perſonam, illam, nomine abſentis, tenetur eligere, etiamſi proprio nomine aliam duxerit eligendam; ſi vero conſtitutus ſit cum generali mandato eligendi quem digniorem exiſtimaverit, non poteſt unum ſuo, alterum procuratorio nomine eligere, ſed utrumque ſuffragium debet in unam eandemque perſonam conferre, ſicuti diſerte ſtatuitur *in cit. Cap. Si quis juſto, §. Porro, de elect. in* 6.

V. Quibus præmiſſis, cum Epiſcopi in Conciliis Generalibus votum habeant deciſivum, & præterea ſolemni jurejurando, in ſua conſecratione præſtito, promiſerint, ſe Concilium adituros, niſi præpediti fuerint *canonica præpeditione*, juxta juramenti formam, ſtatutam *in Cap. Ego N. de jurejur.* diſputant Doctores, an Epiſcopus, legitime impeditus, poſſit ad Concilium mittere Procuratorem; an neceſſe ſit, ut ejuſmodi Procurator aſſumatur e cœtu Epiſcoporum; an vocem deciſivam; an autem mere conſultivam habeat; an ſaltem locum obtineat *in* ſeſſionibus: an demum Epiſcopo, alterius Epiſcopi Procurator, duo ferre valeat ſuffragia. De *hiſce* quæſtionibus, quas uberrime tractat Cardinalis Jacobatius *de Conciliis, lib.* 2. decertatum fuit in Concilio Tridentino, quemadmodum narrant Cardinalis Pallavicinus in *Concilii hiſt. lib.* 21. *cap.* 1. & Joannes Stoz *in ſuccincta relatione hiſtorica de geſtis in Concilio Tridentino ſect.* 4. *art.* 23. §. 10. *punct.* 2. *a n.* 328. *ad* 332. Sed cum, jubentibus Apoſtolicis Legatis, ſingulæ diſcuſſæ fuerint a ſelectis ſacrorum Canonum Peritis, hi fere unanimiter cenſuerunt, integrum quidem eſſe Epiſcopis, legitime abſentibus, ſuos Procuratores ad Concilium mittere, ſed Procuratoribus neque deciſivam, neque conſultivam vocem, neque locum in ſeſſionibus, de jure competere. Omnem demum controverſiam compoſuit Pius IV. concedendo abſentium, Epiſcoporum Procuratoribus votum mere conſultivum.

VI. Secus eſt de Conciliis Provincialibus: in his quippe Procuratores Epiſcoporum abſentium votum habent conſultivum, & annuente Concilio, habere poſſunt etiam deciſivum; ſicuti reſpondit ſacra Congregatio Concilii in *Salernitana* 19. Aprilis 1596. *lib.* 8. *decret. pag.* 174. his verbis: *Epiſcoporum Procuratores poſſe etiam deciſivam vocem habere, ſi Concilio Provinciali placuerit*. Quam reſponſionem vetuſtiſſima Provincialium Conciliorum comprobat conſuetudo; etenim Concilium Arelatenſe II. circa annum 452. coactum, *tom.* 2. Collectionis Harduini *col.* 774. ita Epiſcopos vocatos ad Concilium venire juſſit, ut legitime impeditis, alium, loco ſui, mittere permiſerit: *Si quis* (ait can. 18.) *commonitus, infirmitatis cauſa defuerit, perſonam vice ſua dirigat*. Et Avitus Epiſcopus Viennenſis *in epiſtola tractoria*, qua ſcilicet Viennenſis provinciæ Epiſcopos ad Concilium Epaonenſe anni 517. invitavit, atque præcepti vinculo quodammodo traxit, inquit *cit. tom.* 2. ejuſdem Collectionis *col.* 1045. *Sed ſi forte, quod Deus avertat, tanta cuicumque acerbitas corporeæ infirmitatis ingruerit, ut ſpirituale deſiderium carnali vincatur incommodo, duos Presbyteros magnæ, ac probabilis vitæ, mandati inſtructione firmatos, Fratribus pro ſe præſentare procuret. Sed tales dignetur eligere, quos Epiſcoporum Concilio, non minus ſcientia, quam reverentia jure faciat intereſſe, cum quibus delectet ſummos Pontifices conferre ſermonem, quos ad definitiones pro Epiſcopo ſuo ſanciendas, ſubſcribendaſque, cum fuerit ſolertia eligi, ſit auctoritas legi: ſed iſtud non extorqueat, niſi ſumma neceſſitas*. Diſcriminis hac in re rationem inter Concilium Generale, & Provinciale, attigerunt Juris Canonici Periti, qui præfatos articulos in Concilio Tridentino examinarunt; illi ſiquidem, ſi vera narrat citatus Stoz ideo abſentium Epiſcoporum Procuratores a jure ſuffragandi repulerunt, quia, inquiebant, canones, & decreta, quæ a Concilio Œcumenico conduntur, propter eorum infallibilem auctoritatem, cenſentur quodammodo prodire a Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus eloquitur per os Paſtorum, quos poſuit regere Eccleſiam Dei, & non per alios, nullam Dominici gregis cuſtodiam habentes, niſi etiam iſtis loquendi prærogativam conceſſerit ſupremus Eccleſiæ Paſtor, ac totius gregis Moderator, id eſt Romanus Pontifex. Hæc autem ratio non urget, cum ſermo eſt de Conciliis Provincialibus, quorum decreta nec obſtringunt univerſam Eccleſiam, neque infallibilem auctoritatem habent, & plerumque nihil de rebus Fide Divina credendis, definiunt.

VII. Eodem modo, quo de Provinciali, ratiocinatur Bottus de Synodo Diœceſana. At longe diverſa eſt utriuſque ratio: etenim in Synodo Diœceſana ſolus Epiſcopus eſt Judex, & Legislator, ipſe ſuo nomine decreta facit & promulgat, & quamvis aſtantium conſilium expoſcat, non tamen cogitur illud ſequi, ex quo fit, ut admiſſio Procuratorum nihil prorſus ad Synodi utilitatem conferre valeat. Ad hæc, aut in Procuratorem eligitur, qui alias non eſſet Synodo interfuturus, & hic poteſt repelli tanquam extraneus; aut eligitur, qui jam ſuo jure Synodo intervenit, & hic certe non poteſt unum conſilium ſuo, aliud abſentis nomine, Epiſcopo præbere; eaque propter inutile & ſupervacaneum eſt, ut abſentis quoque perſonam in Synodo repræſentet. Quare concludendum exiſtimamus, abſentium Procuratoribus nullum patere aditum ad Diœceſanam Synodum, niſi illum iiſdem aperiat, quæ jamdiu ita in diœceſi inoleverit, conſuetudo.

DE

# DE SYNODO DIOECESANA

## LIBER QUARTUS.

### DE OFFICIALIBUS, SEU MINISTRIS SYNODI, SUAM NIMIRUM OPERAM SYNODO PRÆSTANTIBUS, ALIISQUE, QUI PRO FUTURIS EVENTIBUS IN SYNODO ELIGUNTUR.

### CAPUT PRIMUM.

*De Officialibus primi generis.*

IN Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 31. *n.* 18. ubi ſermo fit de Synodo Diœceſana, habetur: *Officiales quoque, & miniſtri neceſſarii, deputandi ſunt hujuſmodi Conciliis, veluti Notarii, Oſtiarii, Magiſtri cæremoniarum, & alii, ut habetur in Concilio Toletano IV. can.* 4. Ejuſmodi Officiales ſingillatim enumerat Gavantus *in praxi Diœceſ. Synodi cap.* 18. *& pluribus ſequentibus*, quorum aliquos eligendos affirmat ab Epiſcopo ante Synodum, alios in Congregatione Conſultorum, priuſquam incipiant Synodales ſeſſiones, in prima ſeſſione poſtea promulgandos, quemadmodum idem Gavantus *part.* 2. *ſeſſ.* 1. tradit. Singulos & nos recenſebimus; ſed, qui minoris momenti ſunt, curſim indicamus. Ante Synodum deſtinare debet Epiſcopus Præfectum hoſpitiorum, cum ſociis, de quibus idem Gavantus *cap.* 8. Eorum intereſt omnem adhibere diligentiam, ut Clerici ad Synodum venientes, honeſtis excipiantur hoſpitiis, aut diverſoria in civitate inveniant, eorum ſtatui congruentia.

II. In Congregatione Conſultorum unus pariter, vel duo deſtinantur Promotores, unus Urbanus, Foraneus alter, quorum munus eſt urgere actiones Synodales, ſeu inſiſtere, ut omnia, quæ in Synodo facienda ſunt, celeriter, & fructuoſe perficiantur. Eligitur Synodi Secretarius, quem, monente Gavanto *cap.* 20. decet eſſe aliquem ex Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, iſque alium, quem maluerit, ſibi ſocium, ſeu coadjutorem, adſciſcet; qui quidem Secretarii ſocius etiam *Lector* appellatur, eo quod ei onus incumbat, alta voce legendi Synodi decreta. Ad Secretarium autem ſpectat primo curare, ut pridie, quam Synodus inchoetur, futuræ ſeſſionis Edictum affigatur valvis Eccleſiæ: ſecundo, ante primam ſeſſionem, nominatim, ut moris eſt, vocare Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, & inſigniorum Collegiatarum; & ne nimium defatigetur, poteſt committere ſuo Coadjutori, ut ceteros de Clero vocet: tertio, præparare ſchedulas pro ſcrutinio, de quo mox, aliaque peragere, quæ a Gavanto *cit. loc.* deſcribuntur.

III. Deputatur inſuper Notarius Synodi, qui ſolet eſſe Epiſcopi Cancellarius. Hic abſentes notat, ut, niſi poſtea a Judicibus excuſentur, puniantur; ſingulorum, qui Fidei profeſſionem emittunt, nomina ſcribit; atque in fine cujuslibet ſeſſionis, rogatus a Promotore, ut de iis, quæ geſta ſunt, inſtrumentum conficiat, reſpondet, ſe facturum, ſimulque aliquos de Clero vocat in teſtes, quorum nomina in tabulas refert. Deſignantur præterea Præfecti Synodalis diſciplinæ, & ſcrutinii, hoc eſt aliquot Sacerdotes maturæ ætatis, prudentia & pietate conſpicui, quorum officium ſit, omnes Clericos ſingillatim ad ſe arceſſere, ac cujuslibet mores, & vivendi rationem inveſtigare: utque facilius huic muneri faciant ſatis, ſolet unicuique Præfecto certa pars Cleri, *in* ſchedula deſcripta, committi examinanda, aliaque ſchedula tradi, in qua quædam adnotantur, de quibus Epiſcopus vult ſpecialius inquiri. Abſoluto autem ſcrutinio, omnia ad Epiſcopum referentur, ac quilibet ex Præfectis, peracti a ſe ſcrutinii acta, propria manu ſubſcripta, Epiſcopo tradet, ſicuti monet Gavantus *cap.* 23.

IV. Ad evitandas turbas, & præcavendos tumultus, qui certe fierent, ſi ſingulis de Clero venia daretur reclamandi adverſus decreta, quæ in Synodo promulgantur, ſolet Epiſcopus aliquem conſtituere totius Cleri Procuratorem, qui omnium nomine, ea tamen qua decet modeſtia, & reverentia, dicat in Synodo, quæ Clero diſplicent, quæque ex iis, quæ aut ſtatuta, aut ſtatuenda ſunt, difficiliora, & aſpera videantur; ſimulque modum ſuggerat, quo illa emolliri Clerus optaret: omnia porro, quæ nomine Cleri petierit, ſcripta tradat Synodi Secretario: Gavantus *cap.* 25.

V. Inter Synodi Officiales enumerat Gavantus Confeſſarios, ab Epiſcopo pro Synodo deſtinatos, quibus valde congruum eſſe, ait, ut Epiſcopus, præſertim

UAB Biblioteca de Ciències Socials

in ſua prima Synodo, totam deleget poteſtatem, qua ipſe potitur, ne ea quidem ſibi retenta, quam habet a *Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* abſolvendi videlicet a caſibus occultis, Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & diſpenſandi in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, illa excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario. Caveat tamen Epiſcopus, ne præfatis Confeſſariis poteſtatem faciat abſolvendi ab hæreſi externa, quantumvis occulta; ſiquidem non ſolum, virtute Tridentini, non poſſet ejuſmodi facultatem alteri delegare, ſed hodie per Bullam, in Cœna Domini legi conſuetam, poteſtas abſolvendi ab hæreſi eſt ipſimet Epiſcopo omnino adempta, quemadmodum a S. Pio V. Gregorio XIII. & Clemente VIII. declaratum fuiſſe, teſtantur Toletus, Guttierez, Ugolinus, & alii apud Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 11. n. 26.* & Suarez *de cenſuris diſput. 21. ſect. 3. n. 5.* & conſtat ex tertia propoſitione, proſcripta ab Alexandro VII. in qua ſaltem indirecte, damnari ſententiam adſtruentem Epiſcopo facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta, notat ibidem Dominicus Viva; de qua re plenius ſuo loco.

VI. Confeſſariis adduntur Concionatores, ad hoc electi, ut totius diœceſis Clerum, ſimul coadunatum, opportune inſtruant, redarguant, hortentur, ac pabulo Divini verbi reficiant, niſi ipſemet Epiſcopus velit, id muneris in ſe ſuſcipere, quod profecto & maxime utile, & ſummopere laudabile foret.

VII. Officiales itidem, Synodo neceſſarii, ſunt Magiſtri cæremoniarum, ut omnia, quæ in Synodo fiunt, debito ritu, cultu, & majeſtate peragantur. Neceſſarii quoque reputantur Oſtiarii, qui præſint Eccleſiæ januis, & laicis, ſine ſtrepitu, ingreſſum prohibeant, & cum incipienda eſt Synodus, Eccleſiæ fores obſerent. Ejuſmodi Oſtiarios eſſe debere viros graves, notat Gavantus *cap. 29.* quia ad ipſos ſpectat, ſeſſionum tempore Clericos, quod forte videant Eccleſiam pervagantes, aut ſecum invicem colloquentes, admonere.

VIII. Officialibus Synodi attexit idem Gavantus *cit. cap. 18. & 26.* Œconomum, qui ſolet eſſe Præfectus domus Epiſcopi, *cujus eſt exigere* Cathedraticum, quod in pleriſque *locis*, Synodi tempore, eſt Epiſcopo ſolvendum. Ac tandem mentionem facit de Judicibus querelarum, & excuſationum, quorum officium eſt peculiariter conſiderandum.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Judicibus querelarum, & excuſationum.*

INter ceteras Epiſcopalis muneris curas, ab Eccleſiæ incunabulis, una, & non infima fuit Clericorum, laicorumque jurgia audire, & componere, ſubortaſque inter eos lites, ſine forenſi ſtrepitu, dirimere. Quo vero ſanctiora Epiſcoporum judicia forent, in Eccleſiis, & Synodis, adſtante Sacerdotum ſenatu, plerumque exercebantur; quocirca non immerito Thomaſſinus *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part. 2. lib. 3. cap. 75. n. 4.* ſpeciem quandam, & imaginem Curiæ, ſeu Tribunalis Eccleſiaſtici, Diœceſanas Synodos præfetuliſſe, aſſerit. Neque ſolum civiles controverſiæ, ſed etiam cauſæ criminales ad Epiſcopales Synodos deferebantur, ut perpetrati delicti rei, Synodali ſententia debitam ſubirent pœnam; cujus rei indubiam fidem facit Cyprianus *epiſt. 12. & 49.* Inter Diœceſanas Synodos Landavenſes, quinque reperimus hanc unicam ob cauſam coactas, ut ſententiam ferrent in quoſdam, qui homicidium, perjurium, & inceſtum commiſerant; & *inſuper* alias duas, *in quibus* pœna decreta eſt in alios, qui Eccleſiæ patrimonium invaſerant, & Epiſcopi familiam injuriis laceſſiverant, ſicuti legi poteſt in earundem Actis collectis ab Henrico Spelmano *Concil. Britann. tom. 1. a pag. 381. ad 386.* & Wilkins *tom. 1. pag. 17. & pag. 199.* Neque pœnæ a Synodis irrogatæ erant mere ſpirituales cenſurarum, quemadmodum garriunt, qui Eccleſiaſticam juriſdictionem impugnant, ſed quandoque erant mere temporales, quod factum præcipue legimus in Synodo Landavenſi anni 887. *cit. tom. 1.* Wilkins *pag. 199. in principio*, ubi Rex Brochvail, cujus familia læſerat familiam Epiſcopi, nulla irretitus fuit cenſura, ſed damnatus duntaxat ad erogandum *pretium faciei ſuæ longitudine, & latitudine in puro auro.*

II. Hanc, quam exponimus, diſciplinam maxime viguiſſe ſeculo XI. colligimus ex formula celebrandi Diœceſanam Synodum, a Burchardo relata, & Concilio Salegunſtadienſi anni 1022. adſcripta, cujus ſupra *lib. 3. cap. 5. n. 1.* meminimus; in ea quippe præſcribitur, ut Epiſcopus, ſuæ Synodi initio, ita Presbyteros alloquatur: *Deinde vos ſimili obteſtatione conjuro, ut nullus veſtrum in judicando, aut perſonam accipiat, aut quolibet favore, aut munere pulſatus, a veritate diſcedat. Sed cum tanta pietate, quidquid cœtui ſe judicandum intulerit, retractare, ut nec diſcordans contentio ad ſubverſionem juſtitiæ inter nos locum inveniat, nec iterum in perquirenda æquitate rigor noſtri ordinis, vel ſolicitudo tepeſcat.* Statimque ordo ſubnectitur, in cauſis audiendis ſervandus, qui erat ejuſmodi: prima die expediebantur cauſæ Clericorum, & ideo poſt Epiſcopi admonitionem ſubditur: *Poſt hanc exhortationem quiſque Clericorum velit, conferat querelam*: ſecunda die propoſitæ a Laicis quæſtiones dirimebantur, unde poſt preces, ſecundæ ſeſſioni præmittendas, ibidem legitur: *Tunc ſi Clerici querelam non habent conferendam, Laici intromittantur .... quiſquis ex Laicis habeat querelam, proferat.* Quod ſi non omnes ſecunda die abſolvi potuerant, proponebantur tertia die: *Si quæ ſint quæſtiones, vel querelæ conferantur, & ſic Synodus tertiæ diei ſolvatur.* Hæc autem omnia evidenter evincunt, plurimas tunc temporis fuiſſe Clericorum, Laicorumque controverſias, ad Synodum definiendas delatas.

III. Ex hac antiqua diſciplina ortum habuit, ut Epiſcopus in Synodo duos, vel tres, una cum ſuo Vicario Generali, deputet Judices, qui criminales querelas excipiant, & civiles lites audiant, ac ſummario judicio, de utriſque cauſis ſententiam proferant. Ad eoſdem Judices pertinet, quæſtiones circa ordinem ſedendi, ſeu præcedendi, inter congregatos forte excitatas, brevi manu (ut dici ſolet) ita componere, ut nulli præjudicium inferatur: ad eos pariter deferendæ ſunt excuſationes eorum, qui ad Synodum non acceſſerunt, finita Synodo deinde examinandæ.

IV. Licet autem hodie primum, & potiſſimum munus prædictorum Judicum fere conquieſcat, quia fere impoſſibile eſt, ut Clericorum, aut Laicorum cauſſæ in Synodo terminentur: adeo enim mutati ſunt hominum mores, ut contendentes inter ſe Patres ſummarium judicium effugiant, omnemque telam, ſeu ordinem judiciarium exacte, atque ad unguem ſervari exoptent, ex quo fit, ut Vicarii Generalis tribunal libentius adeant: non idcirco tamen eorundem Judicum electio eſt cenſenda ſuperflua: tum quia, ut animadvertunt Bottus *part. 3. art. 7.* & Maſſobrius *cap. 5. dub. 19.* adhuc poſſent, ſi qui vellent, litis ſumptibus parcere, ſuaſque cauſas celeriter expedire, Judices Synodales adire, eorumque judicio acquieſcere; tum quia neceſſarii reputantur ad ſervandam antiquæ diſciplinæ memoriam, atque ad alia duo explenda munia, quæ illis pariter diximus demandata.

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

## CAPUT TERTIUM.

*De Teſtibus Synodalibus.*

DIſſeruimus haƈtenus de Officialibus Synodo inſervientibus: uberius nunc eſt de aliis agendum, qui in Synodo eliguntur, ut in poſterum adhibeantur. Præcipuum inter iſtos locum obtinent Teſtes Synodales, homines ſcilicet probatæ fidei, ab Epiſcopo in Synodo deſignati, ut cuſtodes quodammodo ſint decretorum, quæ a Synodo eduntur. Eorum quippe officium eſt diœceſim ſubinde perluſtrare, atque animadvertere, an quidquam alicubi contra Synodi decreta fiat, & omnia in futura Synodo Epiſcopo referre; ſicuti recte tradunt du Cangius *in Gloſſario verb. Teſtes Synodales*, Cironius *Obſervat. Jur. Canon. lib.* 1. *cap.* 18. Thomaſſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 76. *num.* 8. *& cap.* 79. *n.* 9. *& ſeq.* Janus a Coſta *ad Cap.* 1. *tit.* 31. *Decretal. pag.* 156. Alteſerra *de Juriſdict. Eccleſiaſt. lib.* 2. *cap.* 19.

II. Sunt, qui Synodalium Teſtium originem referant ad *Periodeutas*, de quibus in canone 57. Concilii Laodiceni *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 792. Verum *Periodeutæ* dicebantur, qui Epiſcopi vice, diœceſim circumeuntes viſitabant, ejuſque vicario nomine, non ſine perfecto juriſdictionis exercitio, decreta condebant: quocirca diœceſis Viſitatores, qui Græce *Periodeutæ*, Latine *Circuitores* dicti ſunt, quemadmodum & Epiſcoporum Viſitationes, *Circuitiones* paſſim appellatæ, præſertim in Capitulari Caroli Calvi *tit.* 5. *cap* 4. ex recenſione Baluzii *tom.* 2. *Capitular. col.* 23. Ac propterea procuratio, quæ viſitanti Epiſcopo jam tum debebatur, *Circada* eſt vocata, quod obſervavit du Cangius *in Gloſſario verb. Circada*. Noſtri vero Teſtes Synodales diœceſim perluſtrant quidem, ſed abſque ullius prorſus juriſdictionis exercitio, ſicuti mox audiemus. Vera Synodalium Teſtium lineamenta nobis exhibet Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, qui medio ſeculo IX. florebat; is quippe *Oper. tom.* 1. *pag.* 716. nonnullis præmiſſis, a ſuo Clero cuſtodiendis, ſtatim ſubjungit: *Hæc omni anno inveſtiganda ſunt a Magiſtris, & Decanis Presbyteris per ſingulas matrices Eccleſias, & per Cappellas parochiæ noſtræ, & nobis Kalendis Juliis renuntianda. Similiter etiam inveſtigandum, & renuntiandum eſt nobis, qualiter obſerventur, & cuſtodiantur illa, quæ capitulatim obſervanda Presbyteris dedimus.*

III. Adumbrata ab Hincmaro Synodalium Teſtium lineamenta clarius explicavit Regino, Abbas Prumienſis, qui, labente eodem ſeculo IX. ſcripſit. Modum, & formam deſcribens Regino *lib.* 2. *de Eccl. diſc. cap.* 2. viſitandæ ab Epiſcopo diœceſis, illud inter cetera faciendum monet, ut in qualibet rurali parochia quædam veluti particularis Synodus congregetur ex omnibus ejuſdem parochiæ Sacerdotibus, Clericis, aliiſque gravibus & prudentibus viris; e quibus ſeptem ab Epiſcopo, ait, ſeligendos Teſtes Synodales, qui juramento conſtricti ad renuntiandum quidquid explorati habeant, ſingillatim ab eodem Epiſcopo interrogentur de criminibus, & abuſibus, in ea parochia graſſantibus. Secundum hanc formulam ſuas viſitationes inſtituiſſe Uldaricum Epiſcopum Auguſtanum, narrat Gerardus, Scriptor ſeculi X. *in ejus Vita* §. 6. *n.* 27. apud Mabillon. *Act. Benedict. ſeculi* V. *pag.* 428. *Venetæ edit.* & Baluzius *ad Reginonem pag.* 533. ſe opinari, aſſerit, eandem formulam per omnes Occidentis regiones fuiſſe receptam; atque inde factum eſt, ut Burchardus, & Gratianus, ſuo quiſque Decreto, hunc Canonem inſeruerint: *Epiſcopus, in Synodo reſidens, poſt congruam allocutionem, ſeptem ex plebe ipſius parochiæ, vel eo amplius, prout viderit expedire, maturiores, honeſtiores, atque veraciores viros in medium debet evocare, & allatis Sanctorum pignoribus unumquemque illorum tali ſacramento conſtringat: Amodo in antea quidquid noſti, aut audiſti, aut poſtmodum inquiſiturus es, quòd contra Dei voluntatem, & rectam Chriſtianitatem in iſta parochia factum ſit, aut futurum erit .... nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter pretium, nec propter parentelam, ullatenus celes Epiſcopum:* Burchardus *lib.* 1. *cap.* 91. *&* 92. Gratian. *Can.* 7. *cauſ.* 35. *quæſt.* 6.

IV. Ne vero hæc ſalubris diſciplina, quæ fortaſſe ſeculo XIII. remitti cœperat, obſoleſceret, Innocentius III. in Concilio Lateranenſi *cap.* 6. *tom.* 7. Collectionis Harduini *col.* 23. mandavit, ut in Synodis Provincialibus, quotannis celebrandis, Synodales Teſtes pro qualibet e provinciæ diœceſibus conſtituerentur, ut unuſquiſque ſibi commiſſam perluſtraret, quodque corrigendum deprehenderet ad futuram Provincialem Synodum deferret: *Per ſingulas diœceſes* (ait) *ſtatuant idoneas perſonas, providas videlicet, & honeſtas, quæ per totum annum, ſimpliciter, & de plano, abſque ulla juriſdictione, ſolicite inveſtigent, quæ correctione, vel reformatione ſint digna: & ea fideliter perferant ad Metropolitanum, & Suffraganeos, & alios in Concilio ſubſequenti, ut ſuper his, & aliis, prout utilitati, & honeſtati congruerit, provida deliberatione, procedant; & quæ ſtatuerint, faciant obſervari.*

V. Quamquam autem Innocentius III. de ſolis meminerit Teſtibus, a Provinciali Synodo deſignandis, non propterea tamen antiquum morem abrogavit, ut a quolibet etiam Epiſcopo in ſua Diœceſana Synodo deputarentur: quare poſteriora Concilia, ſe ad Innocentii inſtituta, ut par erat, componentia, in utriſque ſacris Comitiis Teſtes deſignandos, aut expreſſe edicunt, aut certum & uſitatum jam ponunt. Concilium Saltzburgenſe, habitum anno 1420. *cap.* 2. Collectionis Harduini *tom.* 8. *col.* 960. ſancivit: *Sacro approbante Concilio, ordinamus, ut omnes & ſinguli noſtri Suffraganei, in proximis ipſorum Synodis per ſingulas diœceſes, prout & nos in noſtra proxima Synodo Saltzburgenſi ordinabimus, ſub pœna ſuſpenſionis a Pontificali officio, ſtudeant perſonas idoneas, probas videlicet, et honeſtas, in Teſtes publicos, ſive Synodales ordinare, qui per totum annum ſimpliciter, et de plano, abſque ulla juriſdictione, ſolicite inveſtigent, quæ correctione, et reformatione ſint digna; et ea fideliter referant ad Provinciale Concilium, aut Synodum Epiſcopalem, ut correctione digna, animadverſione congrua puniantur.* S. Carolus Borromæus in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. anni 1576. *part.* 3. *cap.* 6. *Actor. pag.* 179. decrevit: *Ut Teſtium Synodalium munus, ſicubi intermiſſum eſt, reſtituatur; atque non nomine ſolum, ſed certis officii partibus recte per eos geratur, quibus in Synodo vel Provinciali, vel Diœceſana committetur.* Concilium Avenionenſe anni 1594. *cap.* 4. Collectionis Harduini *tom.* 10. *col.* 1838. idem, ac fere totidem verbis repetit, quod S. Carolus ſanciverat.

VI. Ut porro ſine mendacio & dolo munus ſuum expleant, antequam illud aſſumant, jusjurandi religione electi Teſtes obſtringuntur, ad omnia, quæ reſciverint, & emendanda exiſtimaverint, ingenue & ſincere Epiſcopo renuntianda, juxta juramenti formam, ſtatutam in Synodo Diœceſana Saltzburgenſi, habita poſt prædictam Provincialem, eodem anno 1420. quæ extat *eod. tom.* 8. Harduini *col.* 981. aliamque ſimilem, præſcriptam a S. Carolo Borromæo *cit. cap.* 6. Concilii Provincialis Mediolanenſis IV. de qua etiam Gonzalez in *Cap. Præterea, litt.* C. *de Teſtibus cogendis*, quæque non multum diſcrepant ab ea, quæ habetur *in alleg. Can. Epiſcopus in Synodo.*

VII. Sæpius laudatus Franciſcus Bonhomius *in ſuis decretis generalibus Reformationis Eccleſiaſticæ edit. Colon. ann.* 1585. poſtquam plurimum commendavit Synodalium

UAB Biblioteca de Ciències Socials

lium Teſtium utilitatem, *pag.* 129. formam & ipſe exhibet juramenti ab illis præſtandi. Ratione autem emiſſi juramenti Teſtes Synodales recenſentur quodammodo inter publicos Officiales, quibus *in iis*, quæ pertinent ad munus, ad quod ſunt a republica deſtinati, plena fides habetur: quod tamen ita limitandum, docet Maſſobrius *de Synodo Diœceſ. c. 4. dub. 26. & tribus ſeq.* ut non procedat, cum aut agitur de crimine gravi pœna coercendo, aut cum de crimine denuntiatus, ſe alias inſontem probat; quo in eventu puniendus eſt Teſtis, tanquam perjurus.

VIII. Verum ea eſt rerum humanarum conditio, ut non omnia, quæ optima ſunt, ſemper in praxim deduci valeant. Synodalium Teſtium utilitatem jure meritoque extollunt ſanctiſſimi Eccleſiæ Canones, eamque optime cognovit S. Thuribius in ſexta Synodo Diœceſana Limenſi, habito anno 1590. *cap.* 13. *tom.* 4. Collectionis Cardinalis de Aguirre *pag.* 453. inquiens: *Ratio, ob quam ſancti Patres juſte & ſancte inſtituerunt, ut Synodi ſingulis annis fierent, erat, ut in eis tractetur correctio & emendatio malorum morum, atque bonorum reformatio, & ut in eis conſtituatur quod expedit ad bonum regimen animarum, & de rebus ad Epiſcopatus pertinentibus. Et, ut quod ordinaretur, & fieret in eiſdem Synodis, cum majori efficacia adimpleretur, ac deſideratum ſortiretur effectum, ſtatuerunt; ut ſingulis Epiſcopatibus conſtituerentur, & nominarentur Teſtes Synodales perſonæ idoneæ, & bonæ, quæ per totum Archiepiſcopatum, quiſque in diſtricto ſibi aſſignato, magna diligentia inquirant, qualiter ſervetur & adimpleatur quod in Synodis conſtitutum, & præceptum eſt.* Et nemo profecto eſt adeo hebetis ingenii, qui non videat, quantum illorum opera ad rectam conferret diœceſis adminiſtrationem; multis ſiquidem malis obviam iretur, ſi Epiſcopus ex relatione hominum integerrimæ fidei illa præſciret. Et nihilominus difficile, ne impoſſibile dicam, eſt hujuſmodi homines invenire, qui velint id muneris capeſſere; enimvero quamquam, ut omnem ab illis arcerent invidiam, jamdiu cœperint Epiſcopi Teſtium nomina in Synodo non publicare, eorumque juramentum ſecreto excipere, quod & fieri permiſit citatus Bonhomius, & a multis Epiſcopis factum, aſſerit Gavantus *in ſua praxi in annot. ad cap.* 33. non propterea tamen, quos exoptaſſent, allicere potuerunt ad prædictum munus acceptandum. Præſto ſiquidem ii eſſent, qui illud affectarent, ut charitatis & zeli prætextu, poſſent pro libito huic, aut illi ſibi inviſo, falſum crimen appingere: ſed viri vero probi & integerrimi, qui omni ſepoſito humano affectu, veritatem inveſtigent, eamque ſincere Epiſcopo, ſolo charitatis ſtudio, aperiant, deſiderari quidem poſſunt, ſperari tamen non poſſunt. Quare, ut ait Piaſecius *in praxi Epiſcopali part. 2. cap. 2. num.* 9. Synodales Teſtes fere ubique deſueverunt: in eorumque locum ſuffecti ſunt Fiſcales Epiſcoporum, & Decani, hoc eſt Vicarii Foranei, qui utique, quemadmodum bene advertit Van-Eſpen *Jur. Eccleſ. univerſ. tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 18. *cap.* 3. *n.* 14. ſi doctrina, pietate, prudentia, & zelo præſtarent, ac munus ſuum diligenter obirent, Synodalium Teſtium defectum ſupplerent & compenſarent.

## CAPUT QUARTUM.

### *De Punctatoribus.*

COmpertum eſt omnibus, in hiſtoria Eccleſiaſtica vel mediocriter verſatis, nomina Beneficiorum, & Præbendarum incognita fuiſſe prioribus Eccleſiæ ſeculis, cum bonorum, & redituum omnium Eccleſiaſticorum cura & adminiſtratio ad ſolos pertinebat Epiſcopos, a quibus, ſtatis temporibus, juxta præſcriptam a ſacris Canonibus menſuram inter Clericos dividebantur: quia vero hujuſmodi diviſio ſingulis menſibus fiebat, ideo *menſurna* appellata eſt a S. Cypriano *epiſt.* 28. Erectis deinde Beneficiis, & cuique Clericorum ſua aſſignata Præbenda, ex cujus fructibus, quoad viveret, aleretur; ne Præbendam aſſequuti ab Eccleſiæ ſervitio ſe impune ſubtraherent, loco diviſionum menſurnarum inſtitutæ ſunt diſtributiones quotidianæ, certæ videlicet redituum portiones, ex ſingulorum Præbendis plerumque detractæ, illis duntaxat erogandæ, qui Divinis interſunt. Et ne hæc ipſa diſciplina pedetentim relaxaretur, Bonifacius VIII. *in Cap. uni. de Clericis non reſidentibus, in 6.* omnem illi contrariam conſuetudinem, quæ jam alicubi cœperat inoleſcere, tamquam abuſum & corruptelam improbavit; ſtatuitque, ut in nullo rerum eventu quotidianas diſtributiones lucretur, qui re ipſa Horis Canonicis, ceteriſque Eccleſiaſticis functionibus non adeſt: iis ſolum exceptis, *quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret*: ubi, nomine *juſtæ, & rationabilis corporalis neceſſitatis*, Doctores intelligunt injuſtam detentionem in carcere, injuſtam excommunicationem, aliamve cenſuram, & grave periculum, ab inſidiante inimico imminens Beneficiario, ſi domo egrediatur; quemadmodum, nomine *utilitatis Eccleſiæ*, ſolum venire utilitatem ejus particularis Eccleſiæ, ubi quis beneficium poſſidet, & veroſimilius etiam Eccleſiæ univerſalis, iidem Doctores communiter tradunt; recte ſimul notantes, neminem, ab infirmitate, aliave ex indicatis cauſis impeditum a ſuo miniſterio, Eccleſiæ præſtando, lucrari quotidianas diſtributiones, niſi antea conſueverit eidem inſervire, ac Divinis Officiis intereſſe; quæ omnia enucleate explicantur a Covarr. *lib.* 3. *var. cap.* 13. Moneta *de diſtribut. quotidian. part.* 2. *a quæſt.* 5. *uſque ad* 18. Vaſquez *opuſcul. de Benefic. cap.* 4. Garcia *de Benefic. part.* 7. *cap.* 13. Pirhing *ad tit.* 4. *lib.* 3. *Decretal. ſect.* 2. *per tot.* Bonifacii Conſtitutionem inſtauravit Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* & quo religioſius cuſtodiretur, omnem prohibuit inter Beneficiarios colluſionem, ſeu remiſſionem: vetuit nimirum, ne Beneficiarii aut amiſſas ab abſentibus diſtributiones, quæ præſentibus accreſcunt, ullo pacto condonent; aut de illis condonandis, ſeu poſtquam præſentibus traditæ ſunt, reſtituendis, quoquo modo inter ſe paciſcantur; de qua re iidem citati Doctores, aliique apud Barboſam *in collectan. ad idem Trident. cap. n.* 108. *& ſeq.*

II. Verum facile eluderentur tot ſalutares Conſtitutiones, niſi in ſingulis Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, certi & deſignati forent Canonici, ſeu alio quocumque nomine nuncupentur Beneficiarii, quibus onus incumberet accurate adnotandi quotquot in Choro, aliiſque ſacris functionibus deſiderantur, & quibus nominatim diebus, aut a qua ſpeciatim Divini Officii parte hic, aut ille ſe ſubducat. Qui vero ad ejuſmodi munus deſtinantur, olim dictos fuiſſe *Obedientiales*, quaſi ex mera obedientia inviſum munus ſubirent inquirendi in aliorum negligentiam, ex quodam diplomate Innocentii III. colligi autumat Petrus Morettus in ſuo Opere *de ritu dandi Presbyterium part.* 1. *ſect.* 5. *num.* 3. Nunc autem communiter vulgo dicuntur *Punctatores*; atque ad id muneris in ſingulis Eccleſiis duo plerumque deliguntur, tum ut uno impedito, alter non deſit, tum potiſſimum, ut alicujus a Choro abſentiam ambo uniformiter teſtantes, omnem a ſe removeant ſuſpicionem fraudis. Ex his duobus, unum deputandum a Capitulo, alterum ab Epiſcopo, decrevit S. Carolus Borromæus in primo Concilio Provinciali Mediolanenſi *tit. de officio Punctatoris part.* 1. *Act. Eccl. Mediol. pag.* 29. *Ut autem hoc officium melius exerceatur, neminique aliquid injuſte aut remitti, aut adimi poſſit,*

*præter*

*præter delectum a Capitulo, alter Punctator ab Episcopo creetur*: quibus vestigiis laudabiliter & sancte plures alii Episcopi inhæserunt.

III. Neque hac sola diligentia contentus S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. *part.* 2. *Act. Eccl. Mediol. part.* 1. *pag.* 160. juramentum ab iisdem præstari voluit, hisce verbis conceptum: *Ego N. Punctatoris officium, quod suscepi, per hæc sancta Dei Evangelia juratus, sancte promitto ac spondeo, me fideliter & sincere, quantum in me est, executurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia*; vel si juret super sacras Reliquias, *& hæc Sanctorum pignora*. Atque, universim loquendo, electos in Punctatores, priusquam officium assumant, esse jurejurando obstringendos ad illud fideliter obeundum, edixit sacra Congregatio Concilii in *Maceraten. Visitationis sacrorum liminum* 26. Aprilis 1664. ad sextum dubium *lib.* 24. *decretor. pag.* 130. & in *Curzulen. Jurisdictionis*, 16. Novembris *lib.* 26. *decretor. pag.* 328. Cumque postea dubitatum fuisset, coram quo prædictum juramentum præstandum esset, sacra Congregatio præstandum censuit coram illo, a quo Punctator esset electus; in causa enim *Senen. Officiorum*, die 13. Julii 1686. proposito sequenti dubio: *An qui Punctatoris munere fungi debet, teneatur, & cogi possit ad præstandum juramentum in manibus Archiepiscopi, & in Capitulo, vel saltem alterutro modo, de fideliter exercendo dictum munus*: sacra Congregatio respondit: *Punctatorem tenere jurare coram Deputante*.

IV. Præterea S. Carolus Borromæus, quo magis magisque securus fieret de Punctatorum diligentia & fidelitate, non solum eos jurare voluit, cum Punctatoris officium capessunt, sed & idem juramentum renovandum, statuit, in prima Synodo Diœcesana, quam contingat celebrari, dum ipsi idem officium gerunt: *Quod de Punctatorum jurejurando* (*ait loc. cit. pag.* 160.) *in Concilio Provinciali primo sancitum est, id & ab iisdem, & ab unoquoque item Punctatore, qui vel festi diei, vel funeris, vel Anniversariorum, vel Processionum, vel aliorum denique Divinorum Officiorum causa, etiam in Collegiatis, aliisve Ecclesiis constitutus est, præstetur, non modo cum Punctatoris officium suscipiunt, verum etiam in publico Diœcesanæ Synodi conventu, qui habebitur, dum ipsi id officium gerunt; quo religiosius unusquisque eorum excitetur ad debitum in munere suo obeundo diligentius officium cum fidelitate conjunctum adhibendum*.

V. Hæc consuetudo jurandi in Synodo, quæ a Mediolanensi in plures alias pariter Ecclesias est propagata, unica causa fuit, cur Doctores, de Synodo tractantes, etiam Punctatorum meminerint. Ceterum, ubi ea consuetudo non viget, nullo jure tenentur Punctatores juramentum, quod semel præstiterunt, iterum in Synodo emittere; ac proinde non recensentur inter veros Synodi Officiales, neque alia ratione ad Synodum pertinere queunt, nisi fortasse, quia de illis aut restituendis, sicubi non deputarentur, aut corrigendis, si officium suum negligerent, in Synodo agendum foret. De Punctatoribus, de distributionibus, de causis, ob quas absentes possunt eas lucrari, de collusione, aut remissione illarum vitandis, fuse a nobis actum est *in nostra Institut.* 107.

## CAPUT QUINTUM.

### *De Judicibus Synodalibus.*

*CUncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes Beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Ita *epist.* 7. ad Episcopos Dardaniæ anno 495. scripsit Gelasius Papa *tom.* 2. Collectionis Harduini *col.* 909. cujus auctoritatem Nicolaus I. allegavit *epist.* 8. ad Michaelem Imperatorem *tom.* 5. Collectionis Harduini *col.* 167. inquiens; *Patet profecto, Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Est autem ejusmodi appellationum jus adeo necessario connexum cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis Primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere; nisi & hunc velit perfracte inficiari: etenim cum Primatus prærogativa, Romanus Pontifex sit supremus in Ecclesia Judex, cuique datur, per appellationem, ipsius implorare tuitionem: ab inferioris quippe sententia Superioris tribunal adire, omnibus concessum esse ipsa naturalis æquitas dictat & persuadet. Quocirca Stephanus Tornacensis *epist.* 162. *tom.* 25. *Biblioth. Patr. pag.* 34. in hoc appellationis communi refugio, ait *consistere dignitatem Ecclesiæ Romanæ*: & S. Bernardus *epist.* 198. quæ est ad Innocentium II. *tom.* 1. *Oper. col.* 190. in eodem sitam, affirmat, pretiosiorem gemmam, quæ in Pontificia emicet Thiara: *Hoc, inter cetera vestri singularis Primatus insignia, specialius, nobiliusque nobilitat vestrum, & inclytum reddit Apostolatum, si eripitis pauperem de manu fortiorum ejus. Nulla, meo judicio, in corona vestra pretiosior gemma zelo illo vestro, quo æmulari consuevistis oppressos, nec relinquitis virgam peccatorum super sortem justorum*.

II. Appellationibus, quæ undequaque ad Sedem Apostolicam semper delatæ sunt, alia insuper Romanis Pontificibus accessit cura, audiendi nimirum, etiam in prima instantia, causas eorum, qui ab Episcoporum jurisdictione subtracti, Apostolicæ Sedi immediate subduntur. Verum optime perpendentes iidem summi Pontifices, non facile esse de rebus, in longinquis regionibus emergentibus, rectum Romæ institui judicium, *ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis, adduci non poterunt*, sicuti ad Cælestinum I. scripserant olim Africani Episcopi *epist.* 2. *num.* 3. inter epistolas Cælestini, ex recensione Petri Constant *col.* 1061. gravioribus proinde causis tantum suo judicio reservatis, alias levioris momenti Judicibus in partibus delegare consueverunt: cujus delegationis multa, & præclara exempla nobis suppeditant epistolæ Alexandri III. ad Petrum Abbatem Sancti Remigii, & alios, editæ a Jacobo Sirmondo post epistolas Petri Abbatis Cellensis *Oper. varior. tom.* 3. *in fin.* Cum autem Innocentius III. experientia didicisset, quod *nonnulli gratia Sedis Apostolicæ abutentes, litteras ejus ad remotos Judices impetrare niterentur, ut reus fatigatus laboribus & expensis, liti cederet, vel importunitatem actoris redimere compelleretur*: ut huic dolo aditum occluderet, in Concilio Lateranensi statuit: *Ne quis ultra duas dietas extra suam diœcesim, per litteras Apostolicas, ad judicium trahi possit, nisi de assensu Partium fuerint impetratæ*: uti habetur *in Cap. Nonnulli*, 28. *de rescriptis*.

III. Magis adhuc, quam Innocentius, litigantium commodo prospexit Bonifacius VIII. *in Cap. Statutum, de rescriptis, in* 6. decernens, ut si actor & reus ejusdem civitatis, seu diœcesis fuerint: extra ipsas causa a Sede Apostolica non committatur, nisi in duobus casibus, ibidem nominatim expressis, in quibus extra dictas civitatem, & diœcesim ita causam committi permisit, ut *nullus eorum ultra unam dietam a fine suæ diœcesis valeat conveniri*: statimque subjungit: *Cum autem*

*autem actor, & reus civitatum, & diœcesum fuerint diversarum, si actor in civitate, vel diœcesi rei, Judicem habere recusat; ipsum, non in sua, sed in alia civitate, vel diœcesi libere impetrare valeat ..... dummodo locus ad quem eum traxerit, ultra unam dietam, sicut in casu alio præmittitur, minime sit remotus.* Ad hæc, ne Apostolicæ delegationes vilescerent, non aliis causas committi, voluit idem Bonifacius, nisi personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, aut Personatum, vel saltem Canonicatum in Ecclesiis Cathedralibus obtinentibus, a quibus præterea non alibi causas audiri & definiri, mandavit, nisi in civitatibus, aut in locis insignibus, ubi litigantibus juris Periti adesse queant: *Sancimus igitur* (ait *in eod. Cap. Statutum*) *ut nullis, nisi dignitate præditis, aut Personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causæ, auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem, de cetero committantur, nec audiantur, alibi, quam in civitatibus, vel locis insignibus, ut possit commode copia Peritorum haberi.*

IV. Bonifacii Constitutionem renovavit Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 10. de reform.* utque magis adhuc Sedes Apostolica secura foret de scientia, prudentia, & probitate personarum, quibus causas extra Urbem judicandas committit, eidem Constitutioni nonnulla sapientissime adjecit: *Quoniam* (verba sunt Tridentini) *ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ mandantur, usque adeo haberi non potest, hincque interdum Judicibus, non undequaque idoneis, causæ in partibus delegantur; statuit sancta Synodus, in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant, juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit Statutum, & alioquin ad id aptas designari; ut præter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci, cum consilio Capituli, alium in ejus locum, usque ad futuram Provincialem, aut Diœcesanam Synodum, ita ut habeat quæque diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac, ut supra, qualificatas, quibus hujusmodi causa a quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam a Sede Apostolica committantur; alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quæcumque aliorum Judicum, aliis, quam his factæ, subreptitiæ censeantur.*

V. Itaque inter graviora negotia in Diœcesana Synodo ab Episcopo tractanda & expedienda, recenseri debet deputatio Judicum Synodalium, quorum nomina ad Sedem Apostolicam subinde transmittantur. Non est tamen necesse, ut in præfatos Judices, ab Episcopo in Synodo deputatos, ipsa Synodus consentiat; quoniam non dixit Tridentinum, eos designandos a Synodo, sed in Synodo: quapropter Tridentini decreto satisfaciet Episcopus, si Synodi consilium exposcat, etsi ex causis sibi notis, illud amplecti postea noluerit: quemadmodum, cum aliquem ex deputatis in Synodo mori contingit, debet quidem Episcopus, priusquam alium in ejus locum substituat, exquirere Capituli consilium, sed non tenetur illud sequi; quia non consensum, sed consilium duntaxat Capituli Tridentinum exigit: quod bene probat Fagnanus *in Cap. Cum olim, II. num. 13. & seq. de privilegiis*, atque a sacra Congregatione Concilii declaratum refert Gallemart *ad cit. cap. 10. sess. 25. n. 3.* Generatim enim loquendo, *quibus in actionibus, aut deliberationibus, OEcumenica Synodo Tridentina, aut Provincialibus Conciliis constitutum est, de Capituli, Clerive consilio aliquid agendum esse; non propterea tamen illud sequendi necessitatem sibi impositam esse, Episcopus existimet, nisi in iis tantum, de quibus id speciatim, nominatimque cautum est:* dixere Patres Concilii Mediolanensis V. *part. 3. Actor. Eccles. Mediol. part. 1. pag. 282.*

VI. Præfati Tridentini decreti executionem, quam certe & litigantium indemnitati consulere, & ad rectam conferre justitiæ administrationem, nemo est qui non videat, præ ceteris, summopere inculcarunt Joannes Franciscus Bonhomius *in citatis decretis generalibus reformationis Ecclesiasticæ edit. Colon. ann. 1585. pag. 115.* & Cardin. Gabriel Palæotus Archiepiscopus Bononiens. in suo Provinc. Concilio, habito an. 1586. ubi simul monuit, ut factæ in Synodo Judicum electiones, illico summo Pontifici notificarentur: *Hujusmodi autem nominationes, sive electiones, in singulis Ecclesiis factas, unusquisque Episcopus ad Summum Pontificem statim transmittere curabit, ut iisdem Apostolica auctoritate causæ delegentur; & delegationes quæcumque aliorum Judicum, aliis, quam his, factæ, subreptitiæ censeantur.* Et nihilominus in sacræ Congregationis Concilii Archivo nullus extat catalogus Judicum Synodalium, qui ab Episcopis fuerit ad sedem Apostolicam unquam transmissus; neque aliud hujus rei invenimus exemplum, præter unicum, adnotatum a Cardinali Bellarmino *ad cap. 10. sess. 25. Concil. Trident.* Ex hac porro Episcoporum injuria fit ut Sedes Apostolica causas in partibus personis committat in dignitate constitutis, ad solam normam *cit. Cap. Statutum*, nulla habita ratione Judicum Synodalium, quorum nomina ignorat, sicuti ad rem perpendit Barbosa *ad dictum cap. 10. Trident. n. 25.* scribens: *Decretum hoc de committendis causis solis Judicibus Synodalibus respectu Papæ in usu non est, cum adhuc frequenter ipse committere soleat causas aliis personis tam in dignitate Ecclesiastica constitutis, quam deputatis in Synodo; sed id verisimiliter ex eo procedit, sive quia sit supra Concilium, sive quod Diœcesani Episcopi ex sua parte etiam non curent, ad Summum Pontificem transmitti nominationes, & designationes Judicum, a Synodo factas, quod tamen juxta hoc decretum facere tenentur, & sic Papa, ex quadam quasi necessitate justitiæ administrandæ, decretum non observat.* Et tamen sæpius Episcopi conquesti sunt apud sacram Congregationem Concilii, quod a Sede Apostolica delegationes fierent personis minus idoneis, perinde ac si ipsimet non essent hujus abusus præcipua causa. Id autem dissimulavit sacra Congregatio; & ne muneri suo deesset, monuit Officiales, ad quos pertinet, ut in causis, in partibus committendis, omnino morem gererent Tridentino. Ita a sacra Congregatione rescriptum fuisse ad Turritanum Antistitem die 3. Februarii 1635. legimus *lib. 15. decretor. pag. 162. a terg. Significatum est Ministris hujus sanctæ Sedis pro commissione causarum in partibus, ut eas nonnisi ab Archiepiscopo in Synodo ad præscriptum cap. 10. sess. 25. de reform. designatis, & notificandis committant.* Idemque & nos fieri curavimus, dum ejusdem sacræ Congregationis Secretarii munere fungebamur: etenim, cum Episcopus Portallegren. postulasset, ut causæ solis committerentur Judicibus, in Synodo electis, nequaquam autem, ut antea fieri solebat, Protonotariis Apostolicis, inter quos multi reperiebantur indocti & imperiti, & hanc instantiam nos retulerimus ad sacram Congregationem, hæc die 17. Novembris 1725. rescripsit a Domino Cardinali Præfecto ferio agendum esse cum Cardinali Pro-Datario, ut a suis Administris adamussim servari mandaret Tridentini sanctionem. Sed si Episcopi nomina Judicum, in Synodo deputatorum, Sedi Apostolicæ non manifestant, sibi imputare debent, quod commissiones ad minus peritos quandoque dirigantur: Officiales enim sanctæ Sedis divinare non possunt, quinam in hac, aut illa diœcesi idonei

nei sint ad Apostolicas commissiones rite subeundas, ac propterea Apostolicas litteras ad eos dirigunt, quos audiunt aliquo specioso titulo condecoratos, quamvis non ignorent, sub specioso tituli cortice homines aliquando latere satis rudes & crassos.

VII. Neque a Judicibus Synodalibu seligendis Episcopos remorari debet timor, ne illi quoddam quasi tribunal erigant, quasi aliquam jurisdictionem statim adepti essent: nam sacra Congregatio Concilii in causa *Januen.* die 25. Martii 1601. *lib. 6. decretor. pag.* 134. jam statuit: *Personas designandas in Synodo ex cap.* 10. *sess.* 25. *ante delegationem, nullam habere jurisdictionem:* quin immo, ut omnem ab illis arceret ambitionem ostentandi tribunal proprium cum propriis administris, eadem sacra Congregatio in causa *Alben.* die 15. Januarii 1656. *lib.* 19. *decretor. pag.* 554. *a tergo* dixit: *In hujusmodi appellationum causis, ad Judices Synodales delatis, adhibendos esse Notarios Curiæ Episcopalis.* Unum duntaxat impedimento esse potest Episcopis, ne Synodalium Judicum nomina ad Sedem Apostolicam mittant, prætermissio scilicet tam Provincialium, quam Episcopalium Synodorum, in quibus essent illi designandi: quamvis enim a Tridentino facultas Episcopis data sit, Judicibus in Synodo electis, & mox decedentibus, alios cum consilio Capituli, substituendi, duraturos usque ad novam Synodum, quæ ceteroquin, tempore a Tridentino statuto, sit habenda; nulla tamen iisdem potestas facta est novos Judices deputandi, cum aut nulli in Synodo deputati sunt, aut nulla habita est Synodus, in qua deputari potuerint, aut effluxit jam tempus, intra quod, juxta Tridentini decretum, nova Synodus fuisset habenda. Verum, ne diœceses suis Synodalibus Judicibus diu careant, etiam in his eventibus modus suppetit Episcopis illos nominandi: si enim potestatem, quam ceteroquin non haberent, a sacra Congregatione Concilii petant, eique simul causas exponant, propter quas Synodum celebrare nequeunt, hæc facultatem iisdem impertietur Judices Synodales, cum consilio Capituli, designandi; sicuti factum Archiepiscopo Januensi constat ex Actis sacræ Congregationis *lib.* 19. *decretor. pag.* 171. ubi hæc leguntur. *Januen. Dubium Judicum Synodalium. Sacrum Concilium Tridentinum cap.* 10. *sess.* 25. *de reform. statuit: in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis &c. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci, cum consilio Capituli, alium in ejus locum, usque ad futuram Provincialem, aut Diœcesanam Synodum.*

VIII. *Occurrit in his terminis casus in diœcesi Januen. in quo per plures annos non fuit celebrata Synodus Provincialis, aut Diœcesana. Propterea Eminentissimus Archiepiscopus, dubius de facultate, si aliquem interim mori contigerit, substituendi alium in ejus locum, reverenter recurrit ad hanc sacram Congregationem pro declaratione, an valeat uti dicta facultate substituendi alium, etsi Synodus tam Provincialis, quam Diœcesana, non fuerit intra tempus a Concilio præscriptum sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. celebrata. Unde expetitur sapientissimum oraculum EE. VV. ut declaretur, an & quomodo valeat Eminentissimus Archiepiscopus procedere ad substitutionem Judicum Synodalium in casu &c.*

*Die prima Junii* 1609. *Sacra &c. in casu, de quo agitur, petitam facultatem substituendi, cum consilio Capituli, Eminentissimo Archiepiscopo oratori impertita est.*

IX. Quæ hactenus enarravimus, omnia a nobis indicata fuere in nostra Epistola encyclica, quum, post supremum Ecclesiæ clavum susceptum, die 26. Augusti 1741. dedimus ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ubi methodum illis præscripsimus designandi Judices Synodales tam in Synodo, quam extra Synodum, & modum simul ostendimus, quo eorum nomina Sedi Apostolicæ notificare debeant, ut hæc viris probis & doctis causarum cognitionem in partibus deinceps committere valeat; uti videri potest in citata nostra epistola, quæ est 28. *in nostro Bullario tom.* 1.

## CAPUT SEXTUM.

### *De Judicibus Conservatoribus.*

REgularium Ordines, pleræque Universitates, ac nonnulla quoque Canonicorum Collegia, inter cetera privilegia, quibus a Sede Apostolica sunt exornata, hoc etiam gaudent, ut Judices eligant eorundem privilegiorum Conservatores. Non deputantur ejusmodi Judices in Synodo; & nihilominus connexionem habent cum Synodo, quia desumendi sunt e cœtu Judicum Synodalium, de quibus in præcedenti capite actum est juxta Constit. 9. Greg. XV. *Bullar. tom.* 3. *pag.* 440. cujus verba sunt §. 2. *In futurum vero Sanctitas sua hac generali, & in perpetuo valitura Constitutione, statuit & decrevit, ut Judices Conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione similis recordationis Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris sui, quæ incipit Statutum, ita ut vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel Personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, juxta decretum Concilii prædicti, Judices electi, seu designati sint.* Et §. 5. subdit. *Ceterum, ut latius pateat Conservatorum hujusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Diœcesanis, quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione ejusdem Bonifacii Prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent: & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci, cum consilio Capituli, alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem, aut Diœcesanam Synodum.* Et postquam *sequenti* §. 6. iterum Pontifex edixit, ne quispiam in Conservatorem eligatur, qui inter Judices Synodales non numeretur; præcipit, ut nomina Conservatorum, quos Regulares selegerunt, Curiæ Episcopali exhibeantur: *Ejusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus hujusmodi,* videlicet sex mensium, *penes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere & dimittere teneantur; alioquin, eo ipso termino elapso, quandiu Conservatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur.*

II. Neque hac Constitutione quidquam de novo Gregorius sancivit, sed sanctiones, quæ jam antea emanaverant, confirmavit: etenim, ante Greg. XV. Pontificatum, hoc est anno 1614. sacra Congregatio Concilii, apud Gavantum *in praxi diœces. Synod. in annot. ad cap.* 32. etiam hac de causa oportere, dixerat, ut in Synodis Diœcesanis, celebrandis ab Episcopis Mediolanensis provinciæ, ad quos suas litteras direxit, plures deputarentur Judices Synodales, ut nimirum liceret Regularibus, quos vellent, ex illis seligere, suorumque privilegiorum Conservatores constituere. Quæ autem a Conservatoribus, qui inter Judices Synodales non recensebantur, antea gesta fuerant, eadem sacra Congregatio ad cautelam convalidavit, *perinde ac si a Conservatoribus, legitime deputatis, processissent.* Quod profecto indicio est, illa jam tum minus firma, & nutantia sacræ Congregationi visa fuisse.

III. Si autem in diœcesi nulli reperiantur Judices Synodales, tunc, ne Regulares (quod de Regularibus dicimus, de aliis eodem privilegio fruentibus est semper intelligendum) suo, sine culpa, priventur jure, poterunt, quem maluerint, in Conservatorem as-

ſumere; modo tamen qualitatibus præſtet, quas Bonifacius VIII. *in cit. Cap. Statutum*, expoſcit, atque in reliquis omnia ſerventur, quæ a Gregorio XV. præſcribuntur, uti docent Fagnanus *in Cap. Sane, II. n.* 33. *de offic. Judicis delegati*, & *in Cap. Si Clericus, n.* 57. *de foro competenti*, & Nidus *de conſervatoribus cap.* 3. *part.* 7. *n.* 7. At, ſi poſtea Synodus celebretur, in qua Synodales Judices conſtituantur, ſtatim ceſſat juriſdictio prædictorum Conſervatorum, iterumque a Gregoriana Conſtitutione adiguntur Regulares ad aliquem eligendum ex deſignatis in Synodo, quod, teſte Monacello *tom.* 4. *pag.* 21. *n.* 221. ſæpius declaravit ſacra Congregatio Concilii, & præſertim in *Wladislavien.* 16. Januarii 1649. *lib.* 18. *decret. pag.* 574. & in alia cauſa *Ordinis Minorum Obſervantium* die 10. Decembris 1661. *lib.* 22. *decretor. pag.* 777. *a tergo*.

IV. Dubitatur autem, an extra Judicum Synodalium cœtum, facultatem habeant Regulares, aliquem in Conſervatorem ſibi eligendi, qui majori præfulgeat Eccleſiaſtica dignitate, puta Epiſcopum, Archiepiſcopum, aut aliquem ex S. R. E. Cardinalibus. Affirmant plerique Doctores, innixi perſpicuo textu *in Cap. final. de offic. delegati, in* 6. ubi Bonifacius VIII. non ſolum permittit, ſed diſerte præcipit: *Ne de cetero Conſervatores deputari poſſint, niſi Epiſcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates &c.* Eandemque olim fuiſſe ſententiam ſacræ Congregationis Concilii, liquet ex citato decreto anni 1614. relato a Gavanto, ubi expreſſe ait, præter Judices Synodales, poſſe in Conſervatores aſſumi *Epiſcopos, atque illis Superiores, eorumque Generales Vicarios*. At rectius opinantur alii, ejuſmodi ſanctionibus derogatum eſſe a poſteriori Conſtitutione Gregorii XV. qua Regularium libertas ita, quoad hoc, eſt coarctata, ut neminem in Conſervatorem eligere valeant, qui Judicibus Synodalibus non annumeretur, & omnis electio Conſervatorum, facta contra formam ibidem ſtatutam, nullius roboris eſſe decernitur. Non immerito tamen ad hæc reponere poſſent Regulares, facultatem ſibi datam a *Bonifacio VIII.* tunc ſaltem reviviſcere, cum *in* diœceſi nullus adeſt Judex, in Synodo deputatus, aut ab Epiſcopo, neceſſaria facultate inſtructo, *in* Synodalium locum ſuffectus. Verum, quidquid ſit, an poſſint Regulares in Conſervatorem aſſumere Epiſcopum, aliumve majori præditum dignitate, qui forte in diœceſi commoretur, certum eſſe videtur, ab iiſdem, in una diœceſi exiſtentibus, in Conſervatorem eligi non poſſe alterius diœceſis Epiſcopum; ejuſmodi enim electiones ſæpius improbatas fuiſſe a ſacra Congregatione Concilii, teſtatur Monacellus *tom.* 4. *pag.* 22. *num.* 222. Cumque denuo alieni Epiſcopi electio a Regularibus attentata fuerit, eadem ſacra Congregatio die 3. Auguſti 1715. in *Nullius Altamuræ* iterum dixit, illam non ſuſtineri, ut videre eſt *in Theſaur. Reſolut. tom.* 9. *pag.* 222. *inter ſelectas ab anno* 1700. *ad* 1718. Innituntur hæc ſacræ Congregationis reſponſa citatæ Conſtitutioni Gregorii XV. in qua decernitur, nullum a Conſervatore jus exerceri poſſe extra diœceſim, pro qua fuit deputatus. Conſervator enim, ſicuti ait Nidus *de Conſervator. part.* 2. *num.* 7. præſto eſſe debet, ad Partes audiendas, & Regularium privilegia tuenda, eo ipſo in loco, ubi in diſcrimen vocantur; ex quo fit, ut nequeat unus & idem pro diverſis diœceſibus conſtitui, ſed ſuus cuilibet diœceſi adeſſe debeat, quod late oſtendunt Monacellus *cit. loc. num.* 222. Paſſerinus *in cap. Hac Conſtitutione num.* 161. *in fine, de officio delegati, in* 6. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 106. *num.* 7. *in fin.* Aut igitur alterius diœceſis Epiſcopus, in Conſervatorem electus, commiſſum ſibi munus exercere vult in propria diœceſi, & hoc facere prohibetur a citata Gregorii Conſtitutione; aut, quandocumque Regulares ejus opera indigent, accurrere vult ad aliam diœceſim, pro qua fuit Conſervator deſignatus, & hoc multis nominibus dedecere quilibet videt.

V. Plurima nunc ſupereſſent dicenda de Conſervatorum juriſdictione, ejuſque abuſu, quæ, quoniam præſentis inſtituti non ſunt, ſummatim indicabimus. Innocentius IV. *in Cap.* 1. *de offic. & poteſt. Judicis delegati, in* 6. ſtatuit, Conſervatores ſolum poſſe illos, quibus dati ſunt, *defendere a manifeſtis injuriis & violentiis: nec ad alia quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam poſſe extendere poteſtatem*. Bonifacius VIII. *in Cap. Hac Conſtitutione, eod. tit.* addidit, quod, *ſi de aliis, quam de manifeſtis injuriis & violentiis ſcienter ſe intromiſerint, ſeu ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam extenderint poteſtatem, eo ipſo per unum annum ab officio ſint ſuſpenſi. Pars vero, quæ hoc fieri procurabit, ſententiam excommunicationis incurrat*. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *de reform.* decrevit, cauſas criminales, & mixtas ad locorum Ordinarios, & non ad Conſervatores, pertinere; civiles vero a Conſervatoribus poſſe cognoſci, cum ii, quorum privilegia tuentur, rei ſunt, non autem ſi ſint actores. Clem. VIII. *in ſua Conſtitut.* 3. *Bullar. tom.* 3. & Gregorius XV. *cit. Conſtitut.* 9. præfatas juris ſanctiones renovarunt, omneſque litteras Apoſtolicas, quas *Conſervatorias* vocant, contra earundem ſanctionum formam conceſſas, revocarunt, & intra illarum terminos coarctarunt. Cumque Patres Societatis Jeſu contenderent, litteras Apoſtolicas, quibus ipſi potiuntur, obtentas a S. Pio V. & ſub conſueta formula *Rationi congruit*, poſtea expeditas a Gregorio XIII. propter ſpeciales, & ampliſſimas clauſulas, quibus ſunt roboratæ, non eſſe revocatas, neque reſtrictas intra limites Gregorianæ Conſtitutionis, *in* celebri cauſa *Angelopolitana* ſuccubuerunt; in reſponſione enim ad quintum dubium, deciſum fuit, illas clauſulas minime obſtare, quominus comprehenſæ dicantur in Gregorii XV. Conſtitutione, quemadmodum habetur in Bulla 32. Innoc. X. *Bullar. tom.* 5.

VI. Cohærenter ad enuntiata jura, plura poſtmodum prodierunt a ſacra Congregatione Concilii decreta. Die 28. Julii 1657. propoſito dubio: *An Regulares, habentes Conſervatorem, ſi rei ſint, in cauſis requirentibus judicialem diſcuſſionem & indaginem, conveniri queant coram eodem Conſervatore*: ſacra Congregatio reſpondit *Negative*, addiditque, in eo rerum ſtatu provocandos eſſe ad loci Ordinarium, *lib.* 21. *decretor. pag.* 31. Idemque reſponſum dedit in cauſa *Papien.* die 30. Martii 1680. *lib.* 31. *decretor. pag.* 73. In cauſa *Januen. Juriſdictionis*, quæ verſabatur inter Patres Societatis Jeſu, & Patres Carmelitas Excalceatos, die 20. Februarii 1723. quo tempore nos ſacræ Congregationi eramus a Secretis; declaratum fuit, Conſervatori, a Patribus Societatis in civitate Januenſi deputato, jus tantum eſſe, illos defendendi a manifeſtis injuriis & violentiis, eorumque cauſas cognoſcendi, quando iidem rei ſunt, ad normam Gregorianæ Conſtitutionis, quæ uberius videri poſſunt *in Theſaur. Reſolut. tom.* 2. *pag.* 274. Quod vero attinet ad Miniſtros, quos Conſervatores deputare ſe poſſe arbitrabantur, in cauſa *Faventina* 17. Septembris 1667. *lib.* 25. *decretor. pag.* 443. & iterum in dubiis generalibus de Conſervatoribus die 28. Januarii 1679. *lib.* 30. *decret. pag.* 249. *& ſeq.* ac denique in particulari Congregatione, a ſan. mem. Clemente XI. deputata, cui nos, tanquam ejuſdem Secretarius, interfuimus, die 22. Martii 1720. deciſum fuit, alios Miniſtros a Conſervatoribus aſſumi non poſſe, præter unum Notarium. De Judice Conſervatore Regularium integrum tractatum concinnavit Petrus Maria Forti, Societatis Jeſu, natione Siculus, quem, Typis Mutinenſibus impreſſum, evulgavit anno 1743. Non multum tamen huic Auctori fidem eſt, quoniam multis in locis, ſed præſertim *art.* xx1. Judicum Conſervatorum juriſdictionem ultra limites protendit a ſacris

Urbis

Urbis Congregationibus eidem præscriptos de Judicibus Conservatoribus Universitatis Studii Generalis Avenionensis, & eorum jurisdictione nonnulla a nobis constituta sunt *in Constit.* 142. *Bullarii nostri tom.* 1.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De Synodalibus Examinatoribus.*

SAcrosancta Tridentina Synodus *sess.* 23. *cap.* 7. *de reform.* decrevit, ut Episcopus, priusquam Ordines conferat, aliquot tibi adjectis Sacerdotibus, aliisque prudentibus viris, Divinæ Legis peritis, & in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, *Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet.* Et *cap.* 15. statuit, nullum Sæcularem, *etiam Regularem, posse Confessiones Secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem obtineat.* Postquam autem *sess.* 24. *cap.* 18. præmiserat, animarum saluti maxime expedire, a dignis, & idoneis Parochis gubernari, ut id diligentius, ac rectius perficiatur, edixit, vacantes Ecclesias Parochiales illis duntaxat esse ab Episcopo conferendas, qui in experimento, seu examine, coram eodem Episcopo, aut ejus Vicario Generali, aliisque Examinatoribus *non paucioribus, quam tribus* instituendo, fuerint approbati, & idonei renuntiati. Jussit præterea, sex ad minus Examinatores ab Episcopo, vel ejus Vicario, in Diœcesana Synodo, singulis annis, proponi, *qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur*, e quibus, adveniente Parochialis Ecclesiæ vacatione, tres ab Episcopo seligi voluit, qui una cum eo examen perficiant, additque: *Sint vero hi Examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam Seculares, qui ad id videbuntur magis idonei; jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia, &c, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caveantque, ne quidquam prorsus, occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant; alioqui simoniæ vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur.* Hæc quoad Ecclesias Parochiales, quæ ad liberam spectant collationem Episcopi, aut juris patronatus Ecclesiastici sunt, omnino servari jussit Tridentinum; omnesque earundem Ecclesiarum provisiones, seu institutiones, contra formam istius decreti factas, irritas & inanes fore pronuntiavit.

II. Quamobrem examen, seu concursus ad Ecclesias Parochiales necessario institui debet coram tribus saltem Examinatoribus, a Synodo approbatis: secus autem est de examine, ab aliis subeundo, qui aut Ordines petunt, aut ad excipiendas Confessiones approbari cupiunt; in hoc quippe poterit Episcopus Examinatoribus uti, quos maluerit, quod opportune advertit Gavantus *in praxi Diœc. Syn. cap.* 31. *n.* 2. quoniam Tridentinum Synodales Examinatores exigit tantum in concursibus ad Parochiales, cumque agatur de sanctione restringente facultatem, alias Episcopo a jure communi concessam, non debet extendi ultra casum expressum: quocirca merum consilium præbere voluisse, opinamur, septem illos Episcopos, auctores articulorum reformationis Parisiensis anni 1586. cum *articulo* 58. *tom.* 4. *Thesaur. nov. Anecdot.* Martene, & Durand. *col.* 1199. dixere: *In Diœcesana Synodo, ubi commode fieri poterit, juxta decreta Concilii Tridentini deputentur Examinatores, quorum opera utatur Episcopus, tum pro examine illorum, quibus Beneficia, præsertim Curata, conferenda erunt, tum etiam eorum, qui promovendi erunt ad Ordines*: aut, si legem condiderunt, Episcopos extra Galliam non obstrinxere. Enimvero quod in examine, non causa conferendi Beneficium Parochiale, sed alio nomine faciendo, liceat Episcopo Examinatores adhibere, quos voluerit, pro certo posuit S. Carolus Borromæus in Concilio Provinciali Mediolanensi V. anni 1579. cum *part.* 3. *Actor. Eccl. Mediol. part.* 2. *pag.* 259. præceptum a Tridentino Synodalibus latum, ne examinis occasione quidquam accipiant, etiam ad alios Examinatores extendit, inquiens: *Nec vero item, qui Examinatores libere, pro arbitratu Episcopi, ad alios quocumque nomine, causave examinandos adsciscuntur, examinis occasione unquam quidquam, ne esculenta quidem, poculentave capiant.* Præterea, etsi Benedictus XIII. in sua Constitutione, quæ incipit *Pastoralis*, & habetur in Appendice ad Synodum Romanam, edixerit, ut Præbenda Theologalis, & Pœnitentiaria, in Italia, eique adjacentibus Insulis, conferantur, prævio examine & concursu, eo plane modo, quo conferuntur Ecclesiæ Parochiales; expresse tamen declaravit, concursus ad illas non necessario instituí oportere coram Examinatoribus Synodalibus, *sed coram Episcopo, & quatuor Examinatoribus, etiamsi Synodales non sint.*

III. Quibus adnotatis, accuratius sunt singula explicanda, quæ in Examinatoribus Synodalibus Tridentinum exposcit. Sex ad minus ab Episcopo, aut ejus Vicario, in Synodo proponi voluit; non tamen vetuit, ne plures proponantur: quin immo ex tali loquendi modo, & plures proponi posse, & ut plures proponantur, se exoptare, satis aperte Tridentinum innuit; quemadmodum observat Barbosa *in collectan. ad cap.* 17. *sess.* 24. *n.* 85. ubi tamen a sacra Congregatione Concilii decisum refert, non esse ultra viginti proponendos, fortasse ob periculum, ne nimium aucto eorundem numero, minus diligens sit personarum, quæ proponuntur, delectus. Propositi ab Episcopo, officium non assequuntur, nisi approbentur a Synodo: unde necesse est, ut major pars eorum, qui Synodo interfunt, in illos consentiat; secus, alii ab Episcopo erunt proponendi, qui a majori parte acceptentur. Posse autem hanc acceptationem fieri per suffragia tum publica, tum secreta, respondit sacra Congregatio Concilii ad Patriarcham Venetiarum die 11. Julii 1592. *Amplitudini tuæ super examinatoribus, in Synodo approbandis, sic respondit Congregatio sacri Concilii Interpretum, nempe Examinatores, qui ab Amplitudine tua propositi fuerint Synodo, tam per vota secreta, quam aperta posse probari. Itaque Amplitudo tua eum modum in probatione servari faciat, quem magis expedire judicaverit.*

IV. Quod spectat ad Examinatorum qualitates, quamvis Tridentinum desideret, ut deputandi ad ejusmodi munus, gradum aliquem in sacra Theologia, vel in Jure Canonico sint consecuti; attamen arbitrio Episcopi permittit, etiam, qui nullo gradu est condecoratus, proponere: ex quo fit, ut etiamsi plures in diœcesi reperiantur Doctoratus laurea insigniti, si nihilominus Episcopus eos minus peritos existimet, poterit, cum Synodi approbatione, aliis, sive Secularibus, sive Regularibus, qui sine Doctoratu doctiores reputantur, Examinatoris officium committere: quod a Sacra Congregatione Concilii decisum, refert Fagnanus *in Cap. Inter ceteras, n.* 45. *usque ad fin. de rescriptis.*

V. Designantur quandoque Examinatores sub nomine tantum dignitatum, seu officiorum, quæ obtinent, dicendo ex. gr. *Examinatores erunt Vicarius Generalis, Archidiaconus, Decanus, Prior Conventus S. Dominici &c* statimque oritur quæstio, an decedentibus, vel dignitatem, seu officium dimittentibus electis, Examinatoris munus transeat ad eorum in dignitate, vel officio successores. De hac controversia, teste Garcia *de Beneficiis part.* 9. *cap.* 2. *in responsione ad dub.* 22.

*n.* 339. *& ſeqq.* actum fuit in ſacra Congregatione Concilii in una *Toletana* anno 1594. & decilum, ſub generali deputatione Auditorum conſilii Archiepiſcopalis, in Synodales Examinatores, *illos* ſolum fuiſſe comprehenſos, qui Auditorum officium tunc temporis gerebant, non vero eorundem ſucceſſores; eidemque deciſioni adſtipulatam fuiſſe Romanam Rotam, idem Garzias *n.* 341. *& ſeq.* refert. Eadem quæſtio fuit nuperrime inſtaurata in ſacra Congregatione Concilii: etenim, cum in Synodo Diœceſana Policaſtrenſi inter Examinatores Synodales deputatus fuiſſet etiam Vicarius Generalis Epiſcopi, ſub ſolo appellativo nomine dignitatis Vicariatus, atque hic una cum aliis duobus Examinatoribus Synodalibus interfuiſſet concurſui habito ad quamdam Parochialem; ſacra Congregatio die 19. Septembris 1745. concurſum convalidavit ad cautelam, ſed ſimul ſcribendum dixit Epiſcopo, Vicarium Generalem non poſſe deinceps Synodalis Examinatoris munus exercere, niſi proprio expreſſo nomine ad illud iterum deputaretur. Ideo autem concurſus fuit ad cautelam convalidatus, quia non deſunt Doctores, qui opinantur, Examinatorum electionem, factam ſub ſolo appellativo nomine dignitatis, ſeu officii, ne quoad illos quidem ſuſtineri, qui electionis tempore dignitatem, ſeu officium obtinent: & licet ſacra Congregatio in prædicta *Toletana* oppoſitum cenſuerit, noluit tamen hanc quæſtionem refricare, iterumque decidere. Gavantus *in praxi Diœceſ. annot.* 5. *ad cap.* 31. non improbabile opinatur, Examinatoris munus tranſire ad ſucceſſorem in dignitate, ſeu officio, cum electio hoc modo fit: *Deputetur Prior S. Dominici, qui pro tempore fuerit.* At hæc opinio, cui ſolum dubitanter Gavantus adhæret, nobis non arridet; ad munus quippe, ad quod eligitur induſtria perſonæ, non poteſt deſignari perſona incerta, cujus doctrina, prudentia, & probitas ignorantur. Ad tot itaque præcavendas, & obtruncandas controverſias, conſultius erit, ut Synodales Examinatores, ſub proprio & expreſſo cujuſque nomine, & cognomine, *ab* Epiſcopo proponantur, atque a *Synodo approbentur.*

VI. Electi Examinatores jurare debent, ſe, omni poſtpoſita humana affectione, munus ſuum fideliter executuros, ſicuti Tridentinum præcipit. Ejuſmodi autem juramentum in ipſa Synodo eſt emittendum, ſi illi Synodo adſit; ſin minus, coram Epiſcopo, aut ejus Vicario. Quamvis porro Tridentinum, juramentum ab illis præſtandum, dixerit, ad ſancta Dei Evangelia; attamen Gavantus *citat. cap.* 31. *annot.* 7. nihil referre affirmat, an ſuper Evangelia, vel ſacras Sanctorum Reliquias præſtetur. Morem jurandi ad Sanctorum Lipſana antiquum eſſe, conſtat ex S. Auguſtino *epiſt.* 78. *tom.* 2. *Oper. col.* 184. in qua refert, imperaſſe ſe, ut Bonifacii Presbyteri accuſatores pergerent, *ubi B. Felicis Nolenſis corpus conditum eſt*, ut ibi juramentum præſtarent: ſubditque: *Nam & nos novimus, Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad eum locum venerat, ut falſum jurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat, reddere.* Gregorius Magnus *lib.* 6. *epiſt.* 61. *tom.* 2. *Oper. col.* 837. juſſit, Archidiaconum Ravennæ, & ſeniores perſonas venire *ante corpus S. Apollinaris, & tacto ejus ſepulcro jurare, quæ conſuetudo ante Joannis Epiſcopi tempora fuerit.* Formulam vero juramenti ibidem addit *col.* 838. *Juro ego per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, inſeparabilem Divinæ potentiæ Trinitatem, & hoc Corpus B. Apollinaris Martyris, me pro nullius favore perſonæ, neque commodo aliquo interveniente, teſtari.* Cum vero Epiſcopus quidam fuiſſet accuſatus, idem S. Gregorius *lib.* 2. *epiſt.* 33. *ibid. col.* 597. narrat, præter inquiſitionem factam, *ne quid videretur omiſſum, aut noſtro potuiſſet dubium cordi remanere, ad B. Petri ſacratiſſimum Corpus, diſtricta cum ex abundanti fecimus ſacramenta præbere.* Singularia hæc exempla non eſſe, demonſtrant frequentiſſima, quæ narrat Gregorius Turonenſis, ut *lib.* 5. *hiſtor. Franc. cap.* 33. *&* 49. *lib.* 1. *de glor. Martyrum c.* 58. *lib.* 2. *c.* 19. *lib. de glor. Confeſſorum cap.* 33. *&* 49. *&c.* Quin ex eodem conſtat, plurium SS. Martyrum ſepulcra ob id ipſum inſignia fuiſſe, quod perjuros, qui falſo jurarent ad ſua Corpora, punirent: *Eſt etiam* (inquit *lib.* 1. *de glor. Martyrum c.* 39. *col.* 756.) *haud procul ab hujus urbis muro, & Pancratius Martyr valde in perjuris ultor. Ad cujus ſepulcrum, ſi cujuſquam mens inſana juramentum inane proferre voluerit..... ſtatim aut arripitur a dæmone, aut cadens in pavimento amittit ſpiritum. Ex hoc enim quiſque fidem cujuſcumque rei ab alio voluerit elicere, ut verum cognoſcat, non aliter, niſi ad hujus Baſilicam deſtinat. Nam ferunt, pleroſque juxta Baſilicas Apoſtolorum, ſive aliorum Martyrum commanentes, non alibi pro hac neceſſitate, niſi Templum expetere Beati Pancratii, ut ejus ſeveritatis cenſura publice diſcernente, aut veritatem audientes credant, aut pro fallacia judicium Martyris beati experiantur.* Eadem ferme narrat de ſepulcro S. Geneſii Martyris *lib.* 1. *de glor. Martyrum cap.* 74. de S. Juliano *lib.* 2. *cap.* 39. *col.* 878. de S. Nicetio Treverorum Epiſcopo *de glor. Confeſſ. c.* 94. *col.* 976. *Ad cujus tumulum* (ait) *vinctorum catenæ franguntur &c. Jam de perjuris quid dicam? Si quis enim ibi falſum juramentum proferre auſus fuerit, illico Divina ultione corrigitur.* De Sancto Eligio pariter Noviomenſi Epiſcopo ſimilia exempla narrat S. Audoenus *lib.* 2. *cap.* 56. 58. *&* 77. *tom.* 2. Spicilegii Dacheriani *pag.* 118. *&* 122. Idem aliquando factum & juramentum præſtitum Conſtantinopoli in Baſilica Sancti Petri in Hormiſda, teſtis eſt Vigilius *epiſtol.* 15. *tom.* 5. Collectionis Labbeanæ *col.* 330. ubi legitur: *Et dum ſæpe dicti Judices poſito indiculo ſuper altare, & cataracta B. Petri Apoſtoli, & ſuper Crucem, quæ de ligno Paſſionis Domini habet inclauſum, ſed & ſuper Claves Beati Petri Apoſtoli præſtitiſſent corporale juſjurandum &c.* Hæc omnia exempla VIII. ſeculum præcedunt, atque initium hæreſis Iconoclaſtarum. Nam, poſt eam exortam, maxime propagatum hunc morem arbitramur, ut ſacra Pignora, quibus illi omnem cultum denegabant, hoc etiam ſpeciali religionis actu Catholici proſequerentur; præſertim cum Sanctorum corpora tunc maxime diſtrahere, atque in partes ſecare, & in diverſa loca transferre, Fidelium pietas cœperit; quod adnotavit Mabillonius *præfat. in ſecul. II. Bened.* Hinc ergo juramenti hujus conſuetudo maxime invaluit: & in Concilio Francofordienſi, anni 794. poſtquam ſcilicet Iconomacorum in Sanctorum Imagines, & Reliquias furor eruperat, *can.* 9. *tom.* 4. Collectionis Harduini *col.* 906. mos innuitur jurandi aut tactis Evangeliis, aut coram propoſitis Reliquiis. Initio vero ſequentis ſeculi IX. lege inſuper cautum invenimus, ut omne juramentum ſupra Reliquias præſtaretur: ita quippe jurandum edixere Capitularia, edita anno 803. *cap.* 10. ex recenſione Baluzii *tom.* 1. *col.* 398. & inter Capitula ex variis Synodis, & publicis conventibus, poſt adeptum a Carolo Magno Imperium, celebratis, excerpta, & evulgata a Sirmondo *tom.* 2. *Concil. Gall. pag.* 246. hoc etiam *cap.* 13. adnotatur: *Omne ſacramentum in Eccleſia, aut ſupra Reliquias juretur..... & ſic juret: Sic illum Deus adjuvet, & illi Sancti, quorum iſtæ Reliquiæ ſunt, ut veritatem dicat.* De hoc jurandi modo legi poſſunt Martene *tom.* 3. *lib.* 3. *antiq. Eccl. rit. c.* 7. *n.* 2. Ferrandus *diſquiſit. Reliq. lib.* 2. *p.* 1. *cap.* 3. *art.* 3. Poſtquam vero Lutherus, & Calvinus, qui nullam antiquam hæreſim non iterum excitarunt, etiam Iconoclaſtarum impia dogmata renovaverunt, quo magis illi contrairet S. Carolus Borromæus, voluit, ut Teſtes, Judices, & Examinatores

Syno-

Synodales, ſuper Sanctorum Reliquias jurarent: de quo ritu, a S. Carolo Borromæo in Mediolanenſem provinciam inducto, pluribus differit Pax Jordanus *tom. 2. lib. 8. tit. 2. n. 104. & ſeq.*

VII. Synodalium Examinatorum officium durat uſque ad novam Synodum, quæ intra unius anni ſpatium, ad Tridentini normam, eſſet celebranda, & in qua aut iidem, aut alii de novo deputandi forent, ſicuti idem Tridentinum *ſeſſ. 24. de reform. cap. 18.* præcepit: *Examinatores autem ſingulis annis in Diœceſana Synodo ab Epiſcopo, vel ejus Vicario, ad minus ſex proponantur.* Si autem vel omnes, vel aliqui ex deſignatis in ultima Synodo, decurrente anno, moriantur, aut e diœceſi ſe ſubducant; tunc ſi ſex ſaltem ex deſignatis remaneant (quoniam longe plures eligi poſſe jam diximus), cum adhuc tunc numerum exæquent a Tridentino ſtatutum, iſtorum opera Epiſcopus utetur, nec alios in demortuorum, aut longe abſentium locum ſubſtituere poterit: ſi vero ſex non ſuperſint, tunc Clementis VIII. decreto, relato a Garcia *cit. part. 9. cap. 2. n. 72.* & Fagnano *in Cap. Cum ſit ars, n. 54. de ætate & qualitate*, facultas data eſt Epiſcopis alios ſubrogandi, modo iis qualitatibus præſtent, quas Tridentinum requirit, a Capitulo approbentur, & una ſimul cum ſuperſtitibus, ex electis in Synodo, ſenos non excedant.

VIII. Verum hæc annum duntaxat reſpiciunt a poſtrema Synodo ad aliam, quæ poſt annum habenda eſſet, defluentem. Quid autem fiet, ſi annus elabatur, & nova Synodus non celebretur? Certum eſt, ſtatim ac effluxit annus ab ultima Synodo, ceſſare officium Examinatorum, qui intra ejuidem anni intervallum, in demortuorum, ſeu abſentium locum forte fuerint ab Epiſcopo ſuffecti: ita enim diſerte ſtatuit Clemens VIII. in citato decreto: *Officium autem omnium prædictorum Examinatorum Synodalium ſubrogatorum expiret, cum primum advenerit tempus novæ Synodi, juxta cap. 2. ſeſſ. 24. celebrandæ.* Quoad alios porro non ſubrogatos, ſed in ultima Synodo electos, hoc cenſuit ſacra Congregatio Concilii: quamdiu ſex illorum ſuperſtites ſunt, omnes perſeverant in munere, & Epiſcopus in concurſibus ad Eccleſias Parochiales illis uti poterit: ſed, ſi vel unus ex illis deceſſerit, ita ut, ex electis in Synodo, ſex non remaneant, omnium officium expirat, & nullus adhiberi poterit in concurſibus ad Parochiales; neque, poſt annum, datum eſt Epiſcopo in demortui locum quemquam ſufficere; quæ videri poſſunt apud Garciam *cit. cap. 2. num. 73.* Fagnanum *in cit. Cap. Cum ſit ars, eod. num. 54.* & Maſſobrium *in praxi habendi concurſum requiſit. 12. dub. 4.*

IX. Quapropter ut, elapſo anno, & non exiſtentibus ſex Examinatoribus, in Synodo electis, inſtitui valeat validum experimentum concurrentium ad vacantes Eccleſias Parochiales, neceſſe eſt, ut Epiſcopus vel novam Synodum cogat, vel facultatem petat a ſacra Congregatione Concilii novos Examinatores extra Synodum deputandi: etenim, ſi concurſus fiat coram Examinatoribus, extra Synodum deſignatis ab Epiſcopo, nulla ad hoc inſtructo ſpeciali facultate, Parochialium collationes, inſtitutiones, ſeu proviſiones, erunt irritæ. Hinc, cum in diœceſi Bracharenſi, plures Parochiales iis collatæ fuiſſent, qui approbati fuerant ab Examinatoribus, extra Synodum deputatis ab Archiepiſcopo cum conſenſu Capituli, opus deinde fuit, ut qui illas obtinuerant, preces porrigerent ſummo Pontifici, ut ſuprema ſua auctoritate earundem collationes convalidaret, & ſacra Congregatio Concilii, ad quam preces remiſſæ fuerant die 26. Januarii 1715. illas convalidandas cenſuit, quia ſupplicantes, bona fide Parochiales acceptaverant, atque ex Archiepiſcopi atteſtatione conſtabat, multa exoritura ſcandala, ſi novus concurſus ad illas foret indicendus, quod refertur *Theſaur. Reſolut. tom. 9. pag. 219.*

X. Nec ſacra Congregatio facultatem, de qua loquimur, renuit unquam petentibus concedere; quoniam, cum probe noverit, non facile eſſe Epiſcopis, ſingulis prorſus annis, ſuas Synodos cogere, ne idcirco legitimis careant Examinatoribus, ex quorum defectu initi ad Eccleſias Parochiales concurſus ſint irriti, ſtatim ac Epiſcopus eidem exponit, ſex ex electis in poſtrema Synodo, amplius non extare, poteſtatem ei facit novos eligendi, a majori parte Capituli approbandos, quorum tamen officium duraturum decernit, tantum ad annum; quo elapſo, iterum ad preces Epiſcopi illos in munere confirmat, quod & deinceps ſemper in annum iiſdem prorogat. Ea facultate a ſacra Congregatione accepta, Epiſcopus ſex Examinatores ſeligit, omnibus præditos qualitatibus, a Tridentino requiſitis, eoſque Capitulo proponet. Quod ſi Capitulum illos, quamvis ceteroquin idoneos, approbare recuſaverit, exiſtimant Pignatellus *conſult. 119. tom. 1.* & P. Andreuccius Societatis Jeſu in ſuo tractatu *de tuenda pace & concordia inter Epiſcopum, & Capitulum part. 4. cap. 1. §. 1. num. 198.* habendos nihilominus eſſe pro approbatis; ſemel enim poſito, quod propoſiti ab Epiſcopo tales ſint, quales Tridentinum exigit, Capitulum tenetur ex juſtitia illos approbare, & conſenſus ex juſtitia præſtandus, cum injuſte denegatur, habetur pro præſtito, ſicut docent Surdus *deciſ. 220. num. 54.* Mantic. *deciſ. 226. tract. 9.* Valenz. *conſil. 113. num. 27.* Sed, quidquid ſit de veritate hujus opinionis, de qua non vacat hic diſputare, certum eſt, quod, qui illam in praxi ſectatur, obnoxium ſe facit innumeris litibus & controverſiis: cum enim hominum doctrina, & mores evidentes non ſint, nec unquam obtrectantium linguas evadant, ſemper excitabitur quæſtio, an Capitulum juſte, vel injuſte, conſentire recuſaverit in Examinatores ab Epiſcopo propoſitos; & durante hac quæſtione, firmi non erunt concurſus ad Eccleſias Parochiales, coram illis inſtituti. Tutius propterea erit, ut in eo eventu Epiſcopus a ſacra Congregatione Concilii petat ſupplementum conſenſus, quem Capitulum ſine cauſa denegavit. Ita ſe geſſit Epiſcopus Averſanus, qui cum poteſtate, antea ſibi facta a ſacra Congregatione Concilii, quemdam Sacerdotem propoſuiſſet ſuo Capitulo, in Synodalem Examinatorem approbandum, quem tamen Capitulum approbare noluit, iterum ſupplex adiit eandem ſacram Congregationem, expoſcens, ut conſenſum, a ſuo Capitulo irrationabiliter denegatum, ipſa ſuppleret. Epiſcopi inſtantia examinanda erat in Congregatione habita die 2. Martii 1639. ſed, cum perpenſum fuerit, jam tum elapſum fuiſſe annum, quo præfatus Sacerdos exercere potuiſſet Examinatoris munus, juxta ea quæ ſupra diximus, ſacra Congregatio ſupervacaneum duxit cauſam definire, ab ejuſque propterea diſcuſſione ſupерſedit.

XI. Aliquid nunc dicendum ſupereſſet de præcepto, Examinatores obſtringente, ne quidquam prorſus occaſione examinis recipere valeant: at Tridentinum adeo perſpicuis verbis ſuam mentem, quoad hoc, explicuit, ut expoſitione non indigeant. Unum tamen, notatione dignum, referimus, quod ſtatutum reperimus in Concilio Provinciali Toletano, habito anno 1566. *act. 2. cap. 24. tom. 10.* Collectionis Harduini *col. 1155.* his verbis: *Horum vero Examinatorum cuilibet, pro muneris ſuſcepti labore, Ordinarius, poſt Beneficii collationem, ex reditibus Eccleſiæ vacantis, qui alioqui Rectori debeantur, juſtam aliquam mercedem, ejus arbitrio, reddi curabit; cum & dignus ſit mercenarius mercede ſua.* Licet autem, quod a præfati Concilii Patribus geſtum eſt, non improbemus, non tamen abſolute approbamus, multoque minus imitandum pro-

poni-

ponimus: ſiquidem, cum reditus vacantis Eccleſiæ debeantur futuro Rectori, aut aliis, quibus forte fuerint ab Apoſtolica Sede aſſignati, ſi Examinatores quidquam ex illis lucrarentur, viderentur quodammodo aliquid, occaſione examinis, ab illo percipere, quem ad Parochialem approbarunt; quod profecto quamdam ſimoniæ ſuſpicionem poſſet indoctis ingerere, cujus vel ſolam ſpeciem ab Examinatoribus arcere Tridentinum voluit. Quapropter, cum de ſimili ſtatuto, edito a Concilio Provinciali Compoſtellano, relatum olim fuſſet ad ſacram Congregationem Concilii, hæc illud adverſari cenſuit menti Tridentini: propoſito enim ab Epiſcopo Abulenſi ſequenti dubio: *In Epiſcopatu Abulenſi, & tota Provincia Compoſtellana, ex decreto Concilii Provincialis Compoſtellani, poſt Concilium Tridentinum facti, datur ſtipendium Examinatoribus Synodalibus ex fructibus Parochialium, ad quas ſit examen: dubitatur, an poſſit hoc dari, ſtante decreto ſancti Concilii Tridentini ſeſſ. 24. de reform. cap. 18.* ſacra Congregatio reſpondit: *Non poſſe:* quod narrat Garcias *de Beneficiis part. 5. cap. 7. num. 11.*

## CAPUT OCTAVUM.

*Expenduntur alia ad Synodalium Examinatorum Officium ſpectantia.*

QUamquam Examinatorum officium ſit extra Synodum exercendum; quia tamen eorum electio *in Synodo* fieri debet, non abs re eſſe ducimus, non nulla ad illud ſpectantia ſubnectere: inde enim clarius patebit, quanti momenti ſit in Examinatorum delectu non errare.

II. Vacante igitur Parochiali Eccleſia, quæ ſit per concurſum conferenda, Epiſcopus, indicta ad concurſum die, ex Examinatoribus, *in Synodo electis*, tres ad minimum vocabit, qui coram ſe, vel ſuo Vicario, concurrentes ad Parochialem *examinent*. Quod ſi examen fieret coram *Examinatoribus Synodalibus paucioribus, quam tribus*, vel ſi præter tres, aut etiam plures *Examinatores Synodales*, alii adhiberentur non *Synodales*, ab Epiſcopo deputati, concurſus eſſet illegitimus, & collatio Parochialis, utpote facta contra formam a Tridentino præſcriptam, nullius eſſet roboris, ſed ad Sedem Apoſtolicam devolveretur, juxta Conſtitutionem 51. S. Pii V. quæ incipit: *In conferendis, Bullar. Romanæ editionis tom. 4 part. 2. pag. 362.* quemadmodum Epiſcopo Carthaginienſi a ſacra Congregatione Concilii reſcriptum fuiſſe, aſſeritFagnanus *in Cap. Cum ſit ars, de ætate & qualitate num. 55.*

III. Examinatores autem, priuſquam concurrentes approbent, ſeu idoneos renuntient ad animarum Curam: non ſolum experiri debent eorundem ſcientiam, ſed & præcipuam rationem habere probitatis morum, prudentiæ, ætatis, & ceterarum qualitatum, quibus præditum eſſe oportet, cui animarum regimen committitur. Hanc enim eſſe Tridentini mentem, ſatis manifeſte ex ejus verbis liquet *ſeſſ. 24. cap. 18. de reform. Peracto deinde examine, renuntientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis:* & adhuc clarius Tridentini mentem explicavit ſacra Congregatio, ejuſdem interpres; præfato enim Abulenſi Epiſcopo, ſciſcitanti: *An proviſio Parochialis nulla ſit, ſi Examinatores relationem fecerint ſolum quoad litteraturam, examen vero circa mores, ætatem, & reliqua Epiſcopo relinquatur: vel ſi non fecerint relationem Epiſcopo de omnibus idoneis repertis, ſed tantum de eo, qui ipſis magis idoneus videtur:* reſpondit: *Teneri facere relationem etiam circa mores, ætatem, & reliqua, & Examinatores debere renuntiare quotquot idonei judicati fuerint; Epiſcopum vero debere ex his qui renuntiati fuerint, magis idoneum eligere:* cujus quidem reſponſionis authenticas litteras ſe vidiſſe, teſtatur laudatus Garcias *cit. part. 5. cap. 7. num. 11.* eaſque refert etiam Maſſobrius *in praxi habendi concurſum, requiſit. 4. dub. 1.* Quin immo eadem Congregatio adeo neceſſarium reputavit, ut Examinatores non ſolam reſpiciant ſcientiam, ſed & ceteras expendant animi dotes eorum, quorum habilitatis ad exercendam animarum curam periculum faciunt, ut aliter latum ab illis judicium, clarius adhuc, & expreſſius, quam in prædicta cauſa Abulenſi fecerat, nullius eſſe roboris, poſtea dixerit, & inde conſecutam Eccleſiæ Parochialis collationem irritam atque inanem decreverit, ſicuti affirmat Fagnanus *in Cap. Eam te, de ætat. & qualit. num. 15.* inquiens: *Orta dubitatione, an ſicut Epiſcopo, & Examinatoribus ſimul junctis Concilium Tridentinum cap. 18. ſeſſ. 24. committit examen ſcientiæ, ſic etiam committat eiſdem ſimul examen morum, & prudentiæ, ita ut, ſi examen ætatis, morum, & prudentiæ factum fuerit a ſolo Epiſcopo, concurſus ſit nullus: Die 2. Auguſti 1607. ſacra Congregatio cenſuit, ſi Examinatores non retulerint idoneos, quoad omnes qualitates, prout Concilium requiyit, nullum eſſe concurſum.* De qua re videri etiam poſſunt Ventriglia *in praxi Eccleſ. part. 2. annot. 5. §. 1. num. 46. & ſeq.* Lotter. *de re Benefic. lib. 2. quæſt. 31. num. 98.* Rota *deciſ. 299. num. 1. ſeq coram Cavalerio.* Cumque de his jamdiu antea nobis compertum eſſet, idcirco, poſtquam ſupremi Pontificatus ſolium conſcendimus, in noſtris litteris encyclicis diei 14. Decembris 1742. quæ editæ ſunt *in noſtro Bullario tom. 1.* & ſunt 68. *juxta ordinem editionis*, ad univerſos Eccleſiarum Antiſtites datis, reprobavimus abuſum, alicubi inoleſcentem, quod in concurſibus ad Parochiales, Synodales Examinatores de ſola litterarum peritia ſuffragium ferant, nec cetera conſiderent, quæ ad animarum regimen rite obeundum ſunt neceſſaria; ac memoratas ſacræ Congregationis Concilii ſanctiones commendantes, diximus §. 10. *Idque probe noſcens Congregatio, ejuſdem Concilii interpres, pluries edixit, Examinatores ſuo deeſſe muneri, ſi doctrinæ tantum Judices eſſent, nec inquirerent, qui præ aliis, probitate morum, laboribus, præſtito antea Eccleſiæ obſequio, ceteriſque dotibus, ad Officium Parochi cumulate obeundum neceſſariis, eſſent idonei & commendabiles.*

IV. Porro Examinatores ſua ſuffragia ferre debent, priuſquam a loco examinis diſcedant, & ab Epiſcopo, ejuſve Vicario ſejungantur: quod recte notat Barboſa *ad cit. cap. 18. ſect. 24. num. 113.* Nec quidquam refert, an ſuffragia ſecreto, vel palam ferantur; cum nihil de hac re fuerit a Tridentino ſancitum: quod ad Cardinalem Gabrielem Palæotum, primum Bononienſem Archiepiſcopum, reſcripſit ſacra Congregatio Concilii, addens tamen, congruentius ſibi videri, ut Examinatores ſecum invicem ſuffragia communicent, & deinde jubeant Notario, ut in Acta referat, Titium ex. gr. eſſe approbatum, Sejum reprobatum, quæ omnia diſcimus a Fagnano *in cit. Cap. Eam te, num. 16. & 17. de ætat. & qualit.* At nihilominus Bononiæ antiqua viget conſuetudo, ut vota ab Examinatoribus dentur ſecreto per albos, & nigros lapillos, in urnam conjectos, teſte Franciſco Leone *Theſauri For. Eccleſ. part. 2. cap. 18. num. 35.*

V. In hoc Examinatorum judicio nullæ ſunt partes Epiſcopi, vel Vicarii, qui Epiſcopi loco examini aſſiſtat, niſi forte Examinatorum vota ſint paria, aut ſingularia: tunc enim integrum erit Epiſcopo, vel Vicario, cui voluerit, accedere, juxta Tridentinum *eodem cap. 18. Omnes, qui deſcripti fuerint, examinentur ab Epiſcopo, ſive, eo impedito, ab ejus Vicario Generali, atque ab aliis Examinatoribus, non paucioribus, quam tribus: quorum votis, ſi pares, aut ſingulares fuerint,*

acce-

*accedere poſſit Epiſcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur*. Quocirca, cum a ſacra Congregatione Concilii anno 1573. quæſitum fuiſſet: *Utrum Epiſcopus, vel Vicarius haberent votum deciſivum in approbando examinatos ab Examinatoribus in Synodis deputatis*: eadem cenſuit, *habere; ſi Examinatores fuerint pares, aut ſingulares in votis ſuis*, *lib.* 1. *decretor. pag.* 158. At, ſicuti ab Examinatoribus ſuffragia ferenda ſunt, ſtatim peracto examine: ita etiam in eventu, quod Epiſcopus, aut ejus Vicarius alicui accedere poſſit, coram iiſdem Examinatoribus explicare debet, cuinam accedat, cum id pertineat ad examinis complementum: Garcias *part.* 9. *cap.* 2. *n.* 58.

VI. Prolato ab Examinatoribus judicio, Parochialem Eccleſiam uni ex approbatis eſſe conferendam, differte Tridentinum edixit: *Non cuiquam alteri, quam uni ex prædictis examinatis, & ab Examinatoribus approbatis, juxta ſupradictam regulam, de Eccleſia provideatur*. Verum, cum idem Tridentinum ſimul definiverit, ex pluribus approbatis illi eſſe conferendam, qui magis idoneus reputatur; ſtatim oritur quæſtio, an ejuſmodi judicium de majori habilitate, ſeu ſupra ceteros approbatos præſtantia, ad ſolum ſpectet Epiſcopum, an etiam ad Synodales Examinatores. Sed adeo luculenta ſunt verba, quibus Tridentinum renuntiare digniorem, inter approbatos, ſolius Epiſcopi judicio committit, ut mirum nobis videatur, aliquos reperiri Doctores, qui id juris adſcripſerint Examinatoribus: *Peracto deinde examine*, ait Tridentinum, *renuntientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint; ætate, moribus, prudentia, & aliis rebus, ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis, ex hiſque Epiſcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit*. Tridentino adhæſit ſacra Congregatio, ejuſdem interpres, quæ anno 1573. ab Epiſcopo Patavino ad hunc modum interrogata: *Licet clare Concilium Tridentinum cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *loquatur, nihilominus Examinatores Patavini prætendunt, ad eos etiam ſpectare eligere magis idoneum ex illis, qui fuerint approbati in examine concurſus ad Parochiales vacantes, & non ad Epiſcopum, contra clara verba ipſius Concilii. Quare nomine Ordinarii Patavini, Dominationibus Veſtris Illuſtriſſimis humiliter ſupplicatur, ut ſuis litteris ipſi Vicario Generali, & Examinatoribus explicite declarent, quænam in caſu ſupradicto fuerit Concilii ſententia*: reſpondit: *id ad eos non ſpectare*: *lib.* 1. *decretor. pag.* 110. Quod iterum nos declaravimus, & confirmavimus in præfata noſtra epiſtola encyclica §. 11. ubi diximus: *Abſoluto examine, ut cuique ſatis compertum eſt, ſit tantummodo poteſtas Examinatoribus renuntiandi quotquot regendæ Eccleſiæ idoneos judicaverint, reſervata uni Epiſcopo electione digniores*. Non negamus tamen, poſſe Epiſcopum, ſi velit, antequam digniorem ex approbatis renuntiet, quo cautius agat, Examinatorum conſilium exquirere: quod recte perpendit Ventriglia *in prax. rer. Eccleſ. par.* 2. *annot.* 5. §. 1. *n.* 49. & 50.

VII. Hæc de Parochialibus, quarum collatio ad Epiſcopum pertinet. Sed, cum Tridentinum *eod. cap.* 18. ſanciverit, etiam ad vacantes Eccleſias Parochiales juris patronatus Eccleſiaſtici, indicendum eſſe concurſum, & digniorem ex approbatis, a Patrono præſentandum Epiſcopo; alia hinc ſuboritur quæſtio, cujus nimirum tunc ſit judicare, quinam ex approbatis ab Examinatoribus ſit dignior. Verum hanc quoque quæſtionem dirimunt verba Tridentini, aperte concedentia Patrono jus deſignandi magis idoneum: *Si vero juris patronatus Eccleſiaſtici erit, ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non alium, pertineat; is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur*. Sed, quamvis Tridentini verba adeo perſpicua ſint, ut nullum dubitationi locum relinquant, attamen Abbas S. Cucufati diœceſis Barchinonenſis anno 1573. conqueſtus eſt apud ſacram Congregationem Concilii, quod in concurſibus ad Eccleſias Parochiales ſui juris patronatus Eccleſiaſtici, Examinatores ſibi jus uſurparent renuntiandi digniorem inter eos, quos approbaverant. Abbatis querelas, & ſacræ Congregationis ſententiam *lib.* 1. *decretor. pag.* 167. ita deſcriptam legimus: *Examinatores Synodales non ferebant tantum judicium ſuper idoneitate concurrentium, ſed apertum judicium ferebant ſuper majori idoneitate inter eos, quos approbaverant ut idoneos; ſupplicavitque (Abbas) Cardinalibus Congregationis, ut dignarentur, ſuæ indemnitati providendo, ordinare Epiſcopo, ut faceret, & curaret, quod examinatores in hujuſmodi Beneficiis patronatus Eccleſiaſtici approbarent tantum idoneos, & relinqueretur locus Patrono eligendi digniorem, quem ipſe Epiſcopus inſtituere debet, & tenetur*. Et ſacra Congregatio cenſuit, *non pertinere ad Examinatores judicare, quis magis idoneus ſit; & ſi Parochialis ſit juris patronatus Eccleſiaſtici, & inſtitutio ad Epiſcopum pertineat, facultatem judicandi digniorem inter idoneos, approbatos ab Examinatoribus, ſpectare ad Patronum Eccleſiaſticum, & Epiſcopum teneri inſtituere eum, quem dictus Patronus digniorem judicaverit, & ipſi Epiſcopo præſentaverit*.

VIII. Conſulto autem adjecta fuit illa limitatio: *ſi Parochialis ſit juris patronatus Eccleſiaſtici, & inſtitutio ad Epiſcopum pertineat*: nam, cum inſtitutio, non ad Epiſcopum, ſed ad alium pertinet, electionem dignioris non ad Patronum, ſed ad Epiſcopum ſpectare, voluit Tridentinum: *Cum vero inſtitutio ab alio, quam ab Epiſcopo, erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat*. Quod quidem decretum adeo religioſe cuſtodiendum cenſuit ſacra Congregatio Concilii, ut etiam quando inſtitutio pertinet ad Papam, eo quod Eccleſia Parochialis vacaverit in menſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, facultatem deſignandi digniorem ex approbatis, non Patrono Eccleſiaſtico, ſed Epiſcopo competere, dixerit; apud Garciam *cit. part.* 9. *cap.* 2. *n.* 272. & *ſeq.* & Barboſam *de offic. & poteſt. Parochi part.* 1. *cap.* 2. *n.* 127. ubi inſuper ab eadem ſacra Congregatione deciſum refert, quod, ſi Eccleſiam Parochialem juris patronatus Eccleſiaſtici vacare contingat in menſibus Papæ reſervatis, ad ſolum Ordinarium pertineat indicere concurſum, renuntiare magis idoneum, atque hæc omnia ad ſummi Pontificis Datarium referre, nulla prorſus habita ratione Patroni Eccleſiaſtici: quocirca jure ac merito dixit Navarrus *conſil.* 5. & 6. *de jurepatron.* Patroni Eccleſiaſtici jura multum, poſt Tridentinum, imminuta eſſe, & limitata. Hoc ipſo anno 1746. quo haſce noſtras de Synodo lucubrationes, plures ante annos exaratas, expolimus, tres, quæ huc pertinent, quæſtiones nobis decidendas propoſuit Archiepiſcopus Florentinus. Primo, an Patronus Eccleſiaſticus, etiam in foro externo, teneatur ad vacantem Eccleſiam Parochialem præſentare magis idoneum, ſeu digniorem ex approbatis ab Examinatoribus. Ad quod indubitanter teneri reſpondimus; utrumque enim forum reſpiciunt enuntiata Tridentini verba *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *Quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Epiſcopo præſentare teneatur*. Secundo quæſivit, an Epiſcopus acquieſcere debeat Eccleſiaſtici Patroni judicio, & quem iſte tanquam digniorem præſentaverit, inſtituere; an potius inveſtigare, num Patroni judicium fuerit rectum, & rationabile. Cui interrogationi ſatisfacimus, hac adhibita diſtinctione: aut ex approbatis ab Examinatoribus nullus eſt, qui de Patroni judicio conqueratur, ſuamque querelam ad Epiſcopum deferat; aut inter eos reperitur, qui illud injuſtum fuiſſe contendat, & hac de cauſa ad Epiſcopum provocet: in primo caſu, non debet Epiſcopus indagare,

gare, an revera, inter approbatos, *dignior* ille sit, quem Patronus præsentat, cum Concil. Tridentin. hanc indaginem Episcopo non commiserit, sed, instituendum edixerit, quem Patronus tanquam digniorem præsentaverit: in altero autem rerum eventu debet Episcopus Judicis partes assumere, & diligenter disquirere, an rectum fuerit judicium, a Patrono latum de sui præsentati meritorum, supra reliquos ex approbatis, præstantia. Tertio loco scisitabatur, an ab Episcopi, in hujus generis causis, sententia, qua, ex litigantibus unum digniorem pronuntiat, appellatio ab alio interposita, qui in judicio succubuit, admittenda sit tantum in devolutivo, an etiam in suspensivo. Ad quod cum distinctione pariter duximus respondendum: aut enim judicium Episcopi est conforme judicio Patroni, ita scilicet, ut ille idem ab Episcopo magis idoneus pronuncietur, quem, tanquam digniorem, Patronus antea præsentaverat; & tunc appellatio admittenda est solum in devolutivo: aut judicium Episcopi discrepat a judicio Patroni, siquidem non illum, quem Patronus præsentavit, sed alium ex approbatis digniorem declarat, & interposita ab hac Episcopi sententia appellatio, admittenda est etiam in suspensivo: neque ullus est de Beneficio instituendus, nisi post aliam sententiam proferendam a Judice, ad quem appellatur; atque interim vacans Ecclesia Parochialis erit ab Œconomo administranda: quæ uberius explanata leguntur in nostris litteris ad præfatum Archiepiscopum datis hoc ipso anno 1746. typis Florentinis impressis, & in secundum tomum nostri Bullarii insertis *n.* 4. *in ordine*.

IX. Hæc quoad Ecclesias Parochiales juris patronatus Ecclesiastici. At, si sermo sit de Ecclesiis Parochialibus juris patronatus Laicorum, ad eas non requiritur examen per concursum, sed sat est, ut præsentatus a Patrono, idoneus reperiatur ab iisdem Examinatoribus in Synodo deputatis: *quod si juris patronatus Laicorum fuerit*, (pergit Tridentinum,) *debeat, qui a Patrono præsentatus erit, ab iisdem deputatis, ut supra, examinari, & nonnisi idoneus repertus fuerit, admitti*. Dubitabant olim Doctores, an idem statuendum foret de Ecclesia Parochiali, quæ sit juris patronatus mixti, hoc est partim Ecclesiastici, partim Laicalis: & sacra Congregatio Concilii die 5. Februarii 1620. ne jura Laici, ob consortium cum Ecclesiastico, ulla ex parte læderentur, declaravit, neque ad ejusmodi Ecclesiæ collationem necessarium esse examen per concursum, ac proinde etiam jus patronatus mixtum hac postrema parte Tridentini decreti comprehensum censuit, sicuti testatur Barbosa *cit. loc. num.* 126. Potest nihilominus evenire, ut concursus institui debeat etiam ad Ecclesias Parochiales juris patronatus Laicorum: nam, si ab uno, aut pluribus Patronis Laicis, gaudentibus æquali jure, plures ad vacantem Ecclesiam sint nominati, & Episcopo præsentati, neque ullus ex præsentatis retulerit a Patronis plures voces, quam ceteri; tenetur Episcopus indicere concursum inter eosdem præsentatos, atque illum eligere, quem, ex approbatis ab Examinatoribus judicaverit magis idoneum: quod pariter a S. Congreg. Conc. decisum refert idem Barbosa *n.* 146.

X. Jus Eligendi digniorem in singulis enumeratis casibus, competens Episcopo, vacante Sede Episcopali, transit ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, ad quod tota Episcopi jurisdictio devolvitur; sed a Capitulo transfertur in Vicarium Capitularem, quem ex Tridentini decreto *sess.* 24. *cap.* 16. *de reform.* intra octo dies ab habita notitia vacationis Ecclesiæ, tenetur eligere. Vigebat olim opinio permittens Capitulo aliquam jurisdictionis partem sibi reservare. Eapropter, cum olim institutus fuisset concursus ad quamdam Ecclesiam Parochialem, & lis excitata fuerit inter Capitulum, & Vicarium Capitularem, cuinam jus competeret renuntiandi magis idoneum; S. Congr. Conc. die 18. Novembris 1651. *lib.* 10. *decret. pag.* 155. & 156. censuit, spectare ad Capitulum, quia in deputatione Vicarii id juris sibi expresse reservaverat. Verum, cum postea prævaluerit sententia opposita, & jam communiter Doctores sentiant, integrum non esse Capitulo, ne minimam partem quidem jurisdictionis sibi reservare, sed totam, quam habet, conferre debere Vicario Capitulari, quod nos insinuavimus *lib.* 2. *cap.* 9. & pluribus probant Fagnanus *in Cap. His quæ, n.* 71. *de majorit. & obed.* & Marchett. *de Vicario Capitulari part.* 2. *tit.* 12. *n.* 27. etiam sacra Congregatio e priori sententia recessit, aliudque judicium tulit in alia simili controversia. Vacante Ecclesia Cathedrali Elven. indictus fuit concursus ad quamdam Ecclesiam Parochialem. Concursus, ut moris est in regno Lusitaniæ, habitus fuit coram Capitulo. Lis subinde vertebatur inter Capitulum, & Vicarium Capitularem, super jure eligendi digniorem ex approbatis; quod Capitulum, ea potissimum ratione, sibi astruebat, quo scilicet in Vicarii deputatione, ejusdem jurisdictionem coarctasset. Re delata ad sacram Congregationem Concilii, hæc die 1. Decembris 1736. jus, de quo disceptabatur, asseruit Vicario, cujus jurisdictionem, censuit, nequaquam potuisse a Capitulo limitari.

DE

UAB Biblioteca de Ciències Socials



# DE SYNODO DIOECESANA

## LIBER QUINTUS.

## DE GERENDIS IN SYNODO.

### CAPUT PRIMUM.

*De Publicis Supplicationibus, Missis, Allocutionibus, Sermonibus, & Acclamationibus.*



Onstitutam ab Episcopo diem, qua suam Synodum celebrare vult, die Epiphaniorum, vel Calendarum Januarii, Cathedrali in Ecclesia e suggestu indici & promulgari, atque Calendario, quod in singulos annos confici solet, adscribi, statuit S Carolus Borromæus in Conc. Provinc. Mediolanensi IV. *part.* 3. *Act. Eccles. Mediol. part.* 1. *pag.* 177. Et in Conc. Provinciali V. *part.* 3. *ibid. pag.* 276. Parochis præcipit, ut per mensem, ante statam Synodi diem, quinta quaque feria Missam celebrent de Spiritu Sancto, aut, pro diversitate temporum, Orationem saltem de Spiritu Sancto in Missæ sacrificio recitent; populumque hortentur, ut die Dominico, Synodi diem antecedente, vere pœnitentes & confessi sacram Communionem sumant; hoc præcipue precantes, ut, quæ ad eorum salutem pertinent, Dei auxiliante misericordia, per Episcopum in Synodo diligenter, sancteque agantur. Hæc, aliaque ante Synodum, tam in civitate, quam in diœcesi facienda, magis adhuc accurate & minutim descripta leguntur in appendice ad Synodum Amerinam, an. 1595. habitam a celebri ejus urbis Episc. Antonio Maria Gratiano, *cap.* 1071. & 1072.

II. Synodali celebritati triduum, veteri ritu, præstitutum esse, idem S. Carolus *cit. loc. pag.* 278. affirmat, & Pontificale Romanum *tit. de ordine ad Synodum*, tribus sessionibus illam absolvi solere, ait, quamvis utrobique addatur, fas esse Episcopo, pro rerum gerendarum ratione, Synodum ultra triduum protrahere. Quid autem singulis diebus agendum sit, nostrum erit hic exponere. *Prima die Synodi Pontifex summo mane Cappam indutus, ab universo Clero cum Superpelliciis comitatus, ad Ecclesiam pergit; paratur in sede; celebrat Missam de Spiritu Sancto, & præbet Clero S. Communionem*: verba sunt Pontificalis Romani *cit. loc.* Eodemque ritu, post ultimam sessionem, esse Episcopum a Clero associandum, cum ab Ecclesia se domum recipit, in eodem Pontificali inferius præscribitur: *Tunc omnes pariter surgentes, Pontificem, Cappa indutum, cum Superpelliciis ad domum reducunt*. Hic porro Clericorum, Episcopum associantium, comitatus, speciem quamdam præsefert Processionis: nec alicubi, ut in diœcesi Neapolitana, alia fieri solet solemnis Supplicatio, seu Processio, cum nulla reapse descripta appareat in Actis Synodi Diœcesanæ, anno 1694. celebratæ a Jacobo Cardinali Cantelmo, neque in Actis alterius Synodi anno 1726. habitæ a Cardinali Francisco Pignatello, Neapolitanis Archiepiscopis; nisi forte ideo non reperiatur descripta in Actis Synodalibus, quia pridie habita fuerit, quemadmodum, sua ætate, Neapoli fieri consueviſſe, asserit Gavantus *in praxi part.* 2. *sess.* 1. *annot.* 1. Ceterum, quidquid sit de contraria consuetudine, in hac, aut illa peculiari diœcesi vigente, communi usu receptum est, ut prima Synodi die ab Episcopo, & universo Clero publica instituatur Supplicatio, seu Processio per urbem; quod & faciendum præscripsit S. Carolus Borromæus *citat. loc.* & factum a S. Francisco Salesio *lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 3. narravimus, quorum exempla satis superque sunt ad firmandam regulam, ad quam omnes conformare se debeant. Ejusmodi Processionem instituendam, post celebratam ab Episcopo Missam, ut dum ea celebratur, commodius possit Clerus in Ecclesia congregari, ait Gavantus *cit. loc.* sed S. Carolus Borromæus illam, ante Missam, peragendam dicit: *Primo Synodi die Episcopus, Processione solemni primum peracta, Missæ sacrificium celebret*. Quilibet, quoad hoc, suæ Ecclesiæ consuetudinem sectetur, modo Missa non omittatur, quam Synodalibus semper præmitti consueviſſe, vel ex ipsis colligitur, quæ seculo VI. conficta creduntur, Gestis de Xysti Romani Pontificis purgatione, & Polychronii Jerosolym. Episcopi accusatione, ubi *cap.* 8. cum Synodus Jerosolymis, certe, prout moris erat, celebrata fingatur, dicitur: *Feria* 1. *celebratæ sunt Missæ a Casto Episcopo, qui directus fuerat a Xysto Episcopo, & Coepisc. suis, vel a Synodo*: apud Coustant *in App. ad tom.* 1. *epist. Pontif. col.* 121.

III. Itaque, sive ante, sive post Processionem, debet Episcopus Missam facere de Sp. Sancto, & porrigere Clero sac. Communionem, quam, acceptis Stolis rubeis, etiam Sacerdotes sument, qui forte ea die non celebrave-

braverint. In Pontificalibus editis ante Clement. VIII. uti obſervat Joſeph Catalanus *in notis ad Pontificale Romanum tom. 3. tit. 5. §. 2. num. 5.* non legimus, Miſſam celebrandam, ſed audiendam ab Epiſcopo: *Prima autem die Concilii, ſeu Synodi, mane conveniunt Sacerdotes, & Clerici univerſi in Eccleſia, in qua debet Concilium, ſeu Synodus celebrari, ubi Pontifex Miſſam audit.* Sed quod ita olim fierent, non abſolvit Epiſcopos ab obligatione per ſe ipſos celebrandi, quam illis imponit recens Pontificale, quod prodiit auctoritate Clementis VIII. ubi Epiſcopo, & non alteri, dicitur: *Paratur in ſede, celebrat Miſſam de Spiritu Sancto.* Nec ſatis eſt, ut Epiſcopus Miſſam privatim faciat; ſed omnino decet, ut ſolemni, & Pontificali, ritu celebret: ſiquidem S. Carolus Borromæus in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. *part. 2. tit. Quæ pertinent ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, pag.* 152. dies enumerans, quibus Epiſcopus *& Patrum monimentis, & veteri rituum, cæremoniarumque Romanorum Codice, eoque comprobato,* ſacra myſteria ſolemni celebritate, & Pontificio apparatu perficere debet, primam quoque Diœceſanæ Synodi diem inter illas recenſet.

IV. Secunda Synodi die, mos eſt, inquit Gavantus *citat. prax. part. 2. ſeſſ. 2. num. 2.* ut unus ex Canonicis Miſſam ſolemniter faciat pro Defunctis, cui Epiſcopus aſſiſtit, eaque peracta, Stolam, & Pluviale nigri coloris aſſumit, & conſuetas Orationes recitat pro Defunctis, poſt quas, veſtes nigras in rubeas mutat, & accepto Paſtorali baculo, ad ſedem Synodalem aſcendit. Tertia demum die unus pariter ex Canonicis Miſſam celebrat de Sanctiſſima Trinitate, addita Collecta in gratiarum actionem: Epiſcopus aſtat indutus Stola, & Pluviali albi coloris. Miſſa abſoluta, rubea accipit indumenta, ad conſuetam ſedem ſe confert, ultimæ ſeſſioni præſidet, & Synodo finem imponit.

V. Poſt ultimam ſeſſionem, alia fieri ſolet Supplicatio, ſeu Profeſſio, minus tamen ſolemnis, intra, vel circa Eccleſiam, quod Gavantus *pag.* 40. monet; qua abſoluta, Epiſcopus conſueto ritu, Clero, & populo benedicit, & quadraginta dierum Indulgentiam impertitur. Quo tamen uberiorem fructum e Synodi celebritate ſinguli capiant, ſolent Epiſcopi, ſaltem cum primam agunt Synodum, Indulgentiam plenariam a ſummo Pontifice, ſub conſueta formula, illis impetrare, qui una ex tribus Synodi diebus, Eccleſiam Cathedralem viſitaverint. Cetera, quæ ad preces in Synodo recitandas, aliaſque functiones peragendas pertinent, legenda ſunt in Pontificali Romano; & antiquiora quædam monumenta, hanc eandem materiam reſpicientia, videri poſſunt in Appendice Concilii Salegunſtadienſis *tom. 9.* Collectionis Conciliorum Labbei *col.* 488. apud Martene *de antiquis Eccleſiæ ritibus tom. 3. lib. 4. cap. 34. num. 39.* & apud Catalanum *ad Pontificale Romanum in Append. ad ordinem celebrandi Synodum.*

VI. Vetus inſtitutum eſt, ut Epiſcopus in Synodo brevi, gravique ſermone Clerum alloquatur, & de iis admoneat, quæ in illo corrigenda deprehenderit; quod ſaltem in poſtrema ſeſſione omnino fieri voluere Patres Concilii Mediolanenſ. V. *cit. part. 3. pag. 279. Epiſcopus antea, quam Synodum dimittat, ſermonem habeat, paternis monitionibus plenum, & dimiſſioni accommodatum.* Hujus admonitionis antiqua formula, ſub nomine *inquiſitionis*, extat apud Reginonem Abbatem Prumienſem; aliaque occurrit in Pontificali Romano, ex variis Conciliorum decretis, Pontificiis ſanctionibus, & SS. Patrum ſententiis concinnata. S. Carolus Borromæus ad ſublevandos Epiſcopos, qui concionibus habendis aſſueti non ſunt, quaſdam elucubravit, atque a ſuo quarto Concilio Provinciali approbatas admonitiones, in qualibet Diœceſana Synodo legendas, quæ compendioſam atque exactam Clericalis vitæ diſciplinam, & vivendi rationem continent: *Quibus* (ait *pag.* 181.) *pro libito ſuo unuſquiſque Epiſcopus addat, & detrahat, prout Eccleſiæ ſuæ Clero, pro temporum ratione, utile eſſe viderit.* Alias inſuper, & uberiores admonitiones idem S. Carolus evulgavit in ſua tertia Synodo Diœceſana, quæ inſertæ ſunt Actis Eccleſiæ Mediolanenſis *part. 2. pag.* 299. Ex his quilibet Epiſcopus ea ſeligere poterit, quæ ſuæ Eccleſiæ, pro loco, & tempore, magis accommodata judicaverit, aliaque addet, quæ Spiritus Sanctus dabit ei eloqui.

VII. Mirabitur fortaſſe quiſpiam, in præfata admonitionum formula, quæ habetur in Pontificali Romano *tit. de ordine ad Synodum ad fin. 3. ſeſſ.* hoc inter cetera ab Epiſcopo Clero injungendum adnotari: *Tribus temporibus in anno, ideſt Nativitate Domini, Paſcha, & Pentecoſte, omnes Fideles accedere ad Communionem Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti admonete, & ne omittat, quin ſaltem in Paſcha communicet.* Sed meminiſſe oportet, legem olim ab Eccleſia latam fuiſſe, ut omnes Chriſtiani adultæ ætatis, iis diebus, quibus præcipua noſtræ religionis myſteria recoluntur, ideſt Paſchatis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini, Euchariſtiam ſumerent; uti conſtat ex decreto quod refertur, & Fabiano Papæ tribuitur ab Ivone *part. 2. cap. 27.* Burchardo *lib. 5. cap. 17.* & Gratiano *de conſecr. diſt. 2. Can. 16. Etſi non frequentius, ſaltem in anno ter laici homines communicent (niſi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur,) in Paſcha videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini:* ex Concilio Agathenſi anni 506. *can. 18. tom. 2.* Collect. Harduini *col.* 1000. *Seculares, qui Natale Domini, Paſcha, Pentecoſte non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur:* ex Concilio Turonenſi III. aliiſque. Sed, magis magiſque in dies frigeſcente Fidelium pietate, Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. *can. 22.* relato *in Cap. Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* ſtatuit, ut omnes Fideles ſemel ſaltem in anno ſua peccata ſacramentali Confeſſione expiarent, & *ad minus in Paſcha* Euchariſtiam ſuſciperent. Totam, quæ in Eccleſia viguit, quoad obligationem accedendi ad Euchariſtiam, diſciplinam, ejuſque pedetentim, & veluti per gradus, remiſſionem deſcribit Petrus Bleſenſis *ſerm. 16.* ex recenſione Joannis Buſæi, inquiens: *In prima Eccleſia quotquot intererant conſecrationi Euchariſtiæ, communicabant eidem ..... Poſtquam autem crevit numerus Fidelium, nec omnes accedere ad Euchariſtiam viſum eſt; ſtatutum eſt, ut ſaltem diebus Dominicis Fideles communicarent. Cum vero paleæ ſupercreſcentes cœperunt cooperire grana, & multorum refriguit charitas ..... decretum eſt, ut ſaltem per tres ſolemnitates in anno Fideles communicarent in Paſcha, Pentecoſte, & Natali ..... Nunc autem, quoniam dies mali ſunt, & omnes fere declinaverunt, & inutiles facti ſunt, non audeo dicere, ex præcepto Eccleſiæ, ſed ex tacita permiſſione ipſius introductum eſt, ut ſemel in anno congregentur in Eccleſia ad communicandum: quod præterire fas non eſt.* Jam vero cum formula, de qua loquimur, antiquiſſima ſit, & ante Concilium Lateranenſe IV. exarata, nemini mirum videri debet, quod in ea Fideles admoneantur, ut ter in anno ad ſacram Communionem accedant. Poſtquam autem præceptum communicandi ter in anno in Conc. Later. temperatum fuit, addita ſunt eidem formulæ ea verba, *& ne omittat, quin ſaltem in Paſcha communicet*, quæ quidem in antiquioribus formulis deſiderantur, & ſatis aperte indicant, Communionis præceptum nunc obligare ſolum in Paſchate; quamvis expediat, ut Epiſcopus & Parochi populum hortentur ad ſæpius, ſed præſertim in celebrioribus feſtivitatibus, ſacra myſteria participanda.

VIII. Antiquam pariter diſciplinam reſpiciunt verba, quæ in eadem formula ſequuntur: *Certis temporibus conjugatos abſtinere ab uxoribus exhortamini.* Olim enim in ſolemnioribus feſtivitatibus, ac jejunii diebus, quibus

bus peculiariter erat orationi vacandum, vetitum fuisse conjugibus matrimonii usum, ex pluribus colligitur Ecclesiæ sanctionibus, collectis a Gratiano *causa* 33. *q.* 4. Ratherius, Episcopus Veronensis, in sua epistola Synodica, quæ habetur *tom.* 1. *Spicilegii* Dacherii *pag.* 379. conjuges se abstinere jubet *in Natali Domini viginti diebus ac noctibus ..... in octavis Paschæ, & Pentecostes, Litaniarum, & omnium festivitatum vigiliis, sextis etiam feriis, præcipue autem omnibus diebus, vel noctibus Dominicis*. Inter Capitularia Theodori, Archiepiscopi Cantuariensis, ab eodem Dacherio *Spicilegii tom.* 1. evulgata *cap.* 49. *pag.* 488. legitur: *Vir abstineat se ab uxore sua quadraginta dies ante Pascha, & prima hebdomada post Pascha, & post Pentecosten una hebdomada*. In Quadragesima pariter, in qua *non solum illicita, verum etiam multa a nobis quoque licita merito resecamus*, esse a conjugibus *omni voluptati renuntiandum, & licenter orationi vacetur, castitati mentis, & corporis incumbendum*, respondit Nicolaus I. *ad consulta Bulgarorum cap.* 9. *tom.* 5. Collectionis Harduini *col.* 358. In canone III. *tom.* 1. *noviss. Collect. Concilior. Britan. pag.* 107. ex iis, quos Ecgbertus Archiepiscopus Eboracensis ex pluribus excerpsit Conciliis, hæc habentur: *Qui in matrimonio sunt, abstineant se tres noctes, antequam communicent, & postquam communicaverint*. Hæc fortasse, aliaque hujus generis multa, ignota fuerunt nonnullis Theologis moralibus, qui antiquam disciplinam ex hodierna metientes, atque illam huic accommodantes, quod sæpe ab iisdem fieri notavit Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 1. non dubitarunt affirmare, nunquam ab Ecclesia fuisse usum conjugii certis diebus interdictum; cum potius asserere debuerint, intra meri consilii limites contineri, quod olim severa lege erat prohibitum: sicuti scite ponderat Catalanus *in Comment. ad Pontificale Romanum tom.* 3. *tit. de ordine ad Synodum §.* 22.

IX. In fine Synodi fieri solent Acclamationes, quibus Diaconus, ceteris respondentibus, omnem laudem, honorem, & gloriam refert Deo Patri misericordiarum, qui Spiritus Sancti invisibili gratia Synodum dirigere, atque ad felicem exitum perducere dignatus est; summo Pontifici, universalem Ecclesiam gubernanti, veram & diuturnam prosperitatem; Episcopo, Synodo præsidenti, ejusque Ministris, salutarem vigilantiam, & Divinarum miserationum abundantiam; civitati, & oppidis diœceseos, pacem, animorumque concordiam, omniaque fausta precatur; supplicatque Deo, ut uberem opem elargiatur, qua singuli adjuti, edita in Synodo decreta, sancte inviolateque custodiant & exequantur.

X. Faustæ Acclamationes frequenter occurrunt in Conciliis OEcumenicis. Eas quippe in Concilio Chalcedonensi *act.* 1. *act.* 4. & bis *act.* 6. factas legimus. In Concilio vero Constantinopolitano IV. ad finem cujusque actionis, acclamatum deprehendimus Hadriano Romano Pontifici, Basilio, & Constantino Imperatoribus, Eudoxiæ Augustæ, Ignatio, ceterisque Patriarchis Orientalibus, omniumque Episcoporum orthodoxo senatui. Quæ autem in Concilio Tridentino, auspicante Cardinali a Lotharingia, aliisque Patribus prosequentibus, factæ sunt, extant *tom.* 10. Collectionis Harduini *col.* 129. Rarius occurrunt in antiquioribus Conciliis Provincialibus, etsi in Synodo Romana anni 853. *cap.* 42. *ab universis Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Clero cuncto* Leoni IV. summo Pontifici *tom.* 5. Collectionis Harduini *col.* 75. & in Concilio Toletano IV. anni 633. *ad finem*, Sisenando Regi acclamatum legamus *tom.* 3. Collectionis Harduini *col.* 595. Inter Concilia vero Provincialia, post Tridentinum habita, Acclamationes reperimus in fine Cameracensis, anni 1586. *tom.* 9. Collectionis Harduini *col.* 2181. Burdigalensis anni 1624. *tom.* 11. Collectionis Harduini *col.* 141. & aliis. Post Acclamationes in Conciliis Provincialibus, omnes Episcopi accedunt ad osculum pacis, a Metropolitano accipiendum, quod deinde sibi invicem pariter dant, & accipiunt, ut mutuam charitatem, animorumque conjunctionem ostendant.

XI. Quod vero attinet ad nostras Diœcesanas Synodos, in Cæremoniali Episcoporum *cap.* 31. *in fin.* habetur: *In Synodis Diœcesanis magis deceret, ut Acclamationes, & oscula pacis omitterentur*. Sed nihilominus Gavantus *in praxi Diœces. part.* 2. *sess.* 3. *num.* 27. ait: *Acclamationes fiunt, saltem in prima Synodo, ut aliquando fiant: & Cæremoniale non eas prohibet, sed parcius adhiberi censet in Diœcesanis Synodis*: & re ipsa Acclamationes factas comperimus in Synodo Diœcesana Sutrina, anno 1671. habita a Julio Cardinali Spinola; in Synodo Diœcesana Farfensi, anno 1685. habita a Carolo Cardinali Barberino; in Synodo Diœcesana Montis Falisci, habita ab Episcopo Bonaventura, aliisque non paucis. De osculo pacis hæc habentur in Concilio Provinciali Mediolanensi V. *cit. part.* 3. *Act. Eccl. Mediol. part.* 1. *pag.* 279. *Acclamationibus factis, omnes Sacerdotes, & Clerici, surgentes, cum reverentia osculum pacis ab Episcopo accipiant, & sibi invicem dent, cum timore, & amore Dei. Si vero Cleri, qui convenerit, numerus is est, ut longius hic osculi ritus ducatur, ea ratio ineatur, ut Præpositi, & Archipresbyteri solum ab Episcopo illud accipiant, qui deinceps suo cuique Clero dent, iisque inter se mutuo item*. Verum, cum hæc in Cæremoniali Episcoporum nec præcipiantur, nec prohibeantur, liberum erit Episcopis ea vel facere, vel omittere; sicuti fert cujuslibet diœcesis consuetudo.

## CAPUT SECUNDUM.

*De legendis in Synodo, & Fidei Professione in ea emittenda.*

COncilia Provincialia, & Diœcesana olim fuisse ita inter se colligata ut unum alterum consequeretur, diximus *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. In Provincialibus enim Universalium, in Diœcesanis Provincialium Synodorum definitiones, & decreta promulgabantur: quocirca Concilium Toletanum XVI. anni 693. *cap.* 7. *tom.* 3. Collectionis Harduini *col.* 1797. sancivit, ut unusquisque Episcopus, intra sex menses post peractum Provinciale Concilium, suæ diœcesis Clerum ad Synodum arcesseret: *Quatenus coram eis publice omnia referata, de his, quæ eodem anno in Concilio acta, vel definita extiterint, plenissime notiores efficiantur*. Priscæ disciplinæ non ignarus S. Carolus Borromæus, in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. illam renovare studuit, decernens *part.* 1. *Act. Eccl. Mediol. pag.* 179. *In prima quaque Diœcesana Synodo decreta, in Provinciali proximo Concilio edita promulgentur*. Ad eundem pariter morem alludere voluit, & retinendum duxit sacra Congregatio Concilii, cum rescripsit, posse ab Episcopo omnes, & singulos diœcesis Clericos ad Synodum evocari, si Concilii Provincialis decreta sint in ea publicanda, sicuti *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 2. retulimus. Præterea Concilium Tridentinum, ne eorum, quæ de Episcoporum, & Parochorum residentia, tum *sess.* 6. *cap.* 1. *de reform.* sub Paulo III. tum *sess.* 23. *cap.* 1. sub Pio IV. sanctissime constituerat, ullo unquam tempore memoria obliteraretur, in Provincialibus, & Episcopalibus Synodis illa semper in posterum tegenda, & promulganda præcepit: *Postremo* (ait) *tam decretum illud sub Paulo III. quam hoc ipsum, in Conciliis Provincialibus, & Episcopalibus publicari, sancta Synodus præcipit; cupit enim, quæ adeo ex Pastorum munere, animarumque salute sunt, frequenter omnium*

*auribus, mentibusque infigi, ut in posterum, Deo juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut desuetudine aboleantur.*

II. Ad hæc, S. Carolus Borromæus in sæpius citato Concilio Provinciali Mediolanensi V. *part.* 3. *Act. Eccl. Mediol. part.* 1. *pag.* 278. *&* 279. in qualibet Diœcesana Synodo semper legendas edixit Constitutiones Pii II. de Clericis illegitime promotis, S. Pii V. de confidentiis Beneficialibus, & de Horis Canonicis recitandis, quibus permisit ut adjungerentur *aliæ vel Pontificiæ sanctiones, vel Provinciales Constitutiones, vel decreta Diœcesana, quæ Episcopus legenda censuerit.* Nec incongruum esse, ait Gavantus *in citata praxi part.* 2. *sect.* 2. *num.* 39. *& seq.* ut Episcopus promulgari jubeat etiam sacrarum Urbis Congregationum decreta, si quæ de novo prodierint, ad universum Clerum spectantia; simulque expedire monet, ut iis, quæ leguntur, aliqua Episcopus vulgari sermone interserat, quibus causam, & rationes exponat, propter quas emanarunt, & accuratam omnium observationem inculcet. Verum, ne tot Constitutionum, & decretorum farrago confusionem pariat, & audientium mentes obruat, jamdiu mos inolevit, ut Episcopus in suis Synodalibus Constitutionibus, summorum Pontificum, sacrarumque Urbis Congregationum recentia decreta, quæ speciatim suo Clero notificanda judicaverit, breviter innuat, eademque postea vel per extensum, vel in compendium redacta, ac notis insuper quandoque illustrata, in appendice ad Synodum edat, & evulget.

III. Quod attinet ad Fidei professionem, semper in Ecclesia hæc disciplina viguit, ut Patres, ad sacra Comitia coeuntes, se Catholicam Fidem profiteri, & præcedentia OEcumenica Concilia recipere ac admittere, publice protestarentur. Ita præsertim in Concilio Chalcedonensi, atque aliis deinceps Conciliis, Nicæna, ac Constantinopolitana Fidei formula recitata. Quibus vestigiis inhærens Tridentina Synodus *sess.* 25. *de reform. cap.* 2. præcepit Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque omnibus, qui de jure, vel consuetudine Synodo Provinciali interesse debent, *ut in ipsa prima Synodo Provinciali, post finem præsentis Concilii habenda, ea omnia & singula, quæ ab hac Sancta Synodo definita, & statuta sunt, palam recipiant, necnon veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeant, & profiteantur, simulque hæreses omnes, a sacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, præsertimque ab hac eadem Synodo damnatas, publice detestentur & anathematizent*: eandemque Fidei professionem semper deinceps a novis Ecclesiarum Præsulibus emittendam, statuit in prima Synodo Provinciali, cui intervenerint: *Idemque in posterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcoposque promovendi, in prima Synodo Provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent.* Huic vero sanctioni Episcopos, ut par erat, morem gessisse, probant omnium Provincialium Conciliorum, quæ Tridentinum sunt consecuta, Acta, quorum pleraque ad rem allegantur a Natali Alexandro *hist. Eccles. sec.* XV. & XVI. *dissert.* 12. *art.* 16.

IV. Inspecto igitur Tridentini decreto, non tenetur Episcopus Fidei professionem emittere in prima Synodo Diœcesana, sed in prima Provinciali: attamen maxime decet, ut in hoc religionis actu præstando, etiam in sua Diœcesana Synodo ceteris exemplo præeat, & Fidem Catholicam, sub consueta formula, coram astantium Sacerdotum cœtu, palam profiteatur, quod docet Gavantus *in citata praxi part.* 2. *in annot.* §. 3. rationem simul adducens, cur id fieri expediat, inquiens: *Notandum est, non teneri Episcopum emittere professionem Fidei in prima Synodo Diœcesana, quia non habet ibi majorem, sed in prima Synodo Provinciali. Quia tamen Provincialis Synodus fere nunquam hodie celebratur, laudandi sunt ii Episcopi, qui in prima sua Synodo coram Deo, genuflexi ante altare, Fidei professionem emittunt; est enim actus summæ religionis: quo casu stabit totus Clerus, ob reverentiam genuflexi Episcopi, qui breviori formula, de qua infra, eam emittet &c.* Gavanto obsecuti sunt duo Cardinales, Archiepiscopi Neapolitani, Cantelmus, & Pignatellus, Fidei professionem, in sua quisque Synodo, emittentes; quod ideo se facere declararunt, quia nulli Provinciali Concilio, usque ad eam diem, intervenerant.

V. Severius egit Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* cum Parochis, a quibus Fidei professionem emitti voluit intra duos menses, numerandos a die, qua Beneficii Parochialis possessionem consecuti sunt: *Provisi etiam de beneficiis quibuscumque, Curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram Generali ejus Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ Fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant ac jurent:* eidemque obligationi obnoxios fecit Canonicos Ecclesiarum Cathedralium; quin immo istos non solum coram Episcopo, aut ejus Officiali, sed etiam coram Capitulo, Fidei professionem edere debere, statuit: *Provisi autem de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo, idem facere teneantur.* Porro tam Canonicos, quam Parochos, huic sanctioni non obtemperantes, jure privavit percipiendi suorum Beneficiorum fructus: *Alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur:* ubi tamen, nomine fructuum, non venire quotidianas distributiones, sæpius censuit sacra Congregatio Concilii, & præcipue die 9. Februarii 1726. cum interrogata: *Quibus pœnis subjaceant non emittentes, vel debito modo non emittentes professionem Fidei:* respondit: *Non facere fructus suos, sed distributiones lucrari pro Horis, quibus interfuit:* juxta ea, quæ de hac materia tractantes plene deduximus *in nostra Institut.* 60.

VI. Præfatum Tridentini decretum *sess.* 24. solos attingit Curatos, & Canonicos Cathedralium, non autem Canonicos Collegiatarum Ecclesiarum, ceterosque Beneficiarios: sed idem Tridentinum *cit. cap.* 2. *sess.* 25. postquam ad Fidei professionem, in primo Provinciali Concilio emittendam, adegit Episcopos, addidit: *Ceteri vero omnes, sive in præsenti, sive in futurum Beneficia Ecclesiastica habituri, & qui in Synodo Diœcesana convenire debent, idem ut supra, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant & observent; alias secundum formam sacrorum Canonum puniantur.* Dubitarunt quidem nonnulli, an ejusmodi decretum *sess.* 25. referendum sit ad decretum *sess.* 24. & de illis duntaxat Beneficiariis accipiendum, de quibus *cap.* 12. *sess.* 24. fuerat sermo: sed, unde hæc dubitatio oriri queat, plane non videmus. In priori quippe decreto soli nominantur Curati, & Cathedralium Ecclesiarum Canonici; posterioris vero decreti verba generalia sunt, & omnes omnino Beneficiarios complectuntur; nec ullam involvunt particulam, quæ vel leviter innuat, hæc intra limites prioris decreti esse restringenda: quapropter, sine ulla hæsitatione, concludendum est, postremi decreti virtute, omnes & singulos, qui Beneficium Ecclesiasticum possident, in prima Synodo Diœcesana, cui alias obstringantur adesse, debere Fidei professionem emittere.

VII. Verum, etsi Concilium Tridentinum prædicta statuerit, nullam tamen specialem Fidei formulam, certis verbis conceptam, adornavit, in quam ii jurare debeant, quos ceteroquin ad Fidei professionem faciendam severa lege adstrinxit. Eam tamen formulam postea concinnavit Pius IV. & *sua Constit.* 103. *Bullar. tom.* 4. *part.* 2.

*part.* 2. *pag.* 204. *Roman. edit.* in eam jurare juſſit, quicunque Cathedralibus, aut ſuperioribus Eccleſiis eſſent in poſterum præficiendi, vel Canonicatus Cathedralium Eccleſiarum, aut Beneficium animarum Curam annexam habens, forent conſecuturi. Quia autem de ceteris Beneficiariis nihil Pius IV. decrevit, inde exorta eſt dubitatio, an iſti Fidei profeſſionem in prima Synodo Diœceſana, ad Tridentini normam editûri, teneantur illam conceptis verbis emittere, juxta formam a Pio IV. præſcriptam: ſed, cum in Piana formula, revera alia non contineantur, præter illa, quæ Tridentinum ſpeciatim exprimenda præcepit, merito deciſum fuit, illam ab omnibus eſſe adhibendam, qui Tridentini decreto obſtringuntur ad Fidei profeſſionem, ſive in Synodo, ſive extra Synodum, edendam, quemadmodum refert Fagnanus *in ſuis manuſcriptis ad cap.* 2. *ſeſſ.* 25. *de reform. advertendum, quod, licet hæc formula profeſſionis Fidei, edita a Pio IV. non fuit edita tempore hujus decreti; cum tamen præcipitur Concilio Provinciali intereſſentibus profeſſio eorum, quæ in dicta formula continentur, bene fuit judicatum, ſecundum eam formulam quemque debere profiteri.*

VIII. Non eſt tamen neceſſe, ut ſinguli Pianam formulam ſeparatim recitent, ſed ſat eſt, ut Synodi Secretarius illam e ſuggeſtu alta voce legat, omneſque Fidem profeſſuri eandem totidem verbis ſimul repetant; qua abſoluta, bini, terni, vel quaterni ad Epiſcopum accedent, & coram eo genuflexi, ſuper expoſita ſacroſancta Evangelia jusjurandum ſingulatim in hunc modum proferent: *Ego idem N. N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

IX. Diſplicet hoc jusjurandum pleriſque heterodoxis, ideo duntaxat illud improbantibus, quia unicuique fas eſſe vellent, religionem, & Fidem, quaſi induſium, pro libito mutare; ac proinde Fidei profeſſionem, conceptis verbis faciendam, *Fidem formulariam*, per ludibrium appellant. Noſtrum hic non eſt, eorum inſaniam refellere: obiter tamen, & veluti per tranſennam advertimus, Fidei formulas, non recenter adinventas, ſicuti illi oblatrant, ſed Eccleſiæ coævas eſſe, quod & cordatiores inter eoſdem hæreticos ultro fatentur; nullus ſiquidem adultæ ætatis, primis Eccleſiæ ſeculis, Baptiſmate donabatur, qui Catholicam Fidem, conceptis verbis, antea non profiteretur, & graſſantes tunc temporis hæreſes publice non deteſtaretur: de qua re luculentum teſtimonium perhibent Cyprianus *epiſt. 76. ad Magnum*, Tertullianus *de Baptiſm. cap. 6.* Euſebius *epiſt. ad Cæſar.* apud Socratem *lib.* 1. *cap.* 8. Auguſtinus *lib.* 8. *Confeſſ. cap.* 2. Specialem quoque Fidei profeſſionem, ſub certa formula, ſemper Eccleſiam exegiſſe a ſuſpectis Catholicis, redeuntibus ad Eccleſiam hæreticis, ac novis Epiſcopis, tradit Cyrillus Alexandrinus *epiſt. ad Acacium tom.* 5. *part.* 2. *Oper. pag.* 109. & pluribus probat Chriſtianus Lupus *in ſcholiis, & notis ad Canones Epheſinos tom.* 1. *edit. Lovanien. anni* 1665. *pag.* 360.

X. Nec præterea recens inſtitutum eſt, ut Catholicam Fidem, quam quis exterius profitetur, ſe conſtanter retenturum juratus promittat: etenim Patres Concilii Toletani XI. anni 675. *can.* 10. ſtatuere: *Placuit huic ſancto Concilio, ut unuſquiſque, qui ad Eccleſiaſticos gradus eſt acceſſurus, non ante honoris conſecrationem accipiat, quam placiti ſui innodatione promittat, ut Fidem Catholicam ſincera cordis devotione cuſtodiens, juſte & pie vivere debeat*: Collectionis Harduini *tom.* 3. *col.* 1028. ubi *placiti innodatione* aliud deſignari non poſſe, quam juramenti vinculum, nemo non videt. Gregorius II. a Bonifacio Germanorum Apoſtolo, quem pridie Kalendas Decembris anno 723. Epiſcopum inauguravit, juratam Fidei profeſſionem, ab omnibus Epiſcopis in eorum ordinatione præſtari ſolitam, accepit, in hanc formam conceptam: *Promitto ego Bonifacius &c. tibi, Beate Petre, Apoſtolorum Princeps, Vicarioque tuo beato Gregorio Papæ, & Succeſſoribus ejus, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum Corpus tuum, me omnem Fidem, & puritatem ſanctæ Fidei Catholicæ exhibere, & in unitate ejuſdem Fidei, Deo operante, perſiſtere, in qua omnis Chriſtianorum ſalus eſſe ſine dubio comprobatur &c.* apud Baronium *ad eundem annum* 723. *num.* 4. Berengarius in Concilio Romano ſub Gregorio VII. anni 1079. poſt ejuratam hæreſim, Fidei profeſſionem, juramento ſuper ſancta Dei Evangelia, obſignavit, ut narrat Baronius *ad dictum annum num.* 3. Et Concilium Toloſanum anni 1129. *can.* 10. ſancivit: *Univerſi tam mares, quam feminæ, maſculi a* XIV. *anno, & ſupra, feminæ a* XII. *abjurent omnem hæreſim, extollentem ſe adverſus ſanctam, & Catholicam Romanam Eccleſiam .... jurent etiam, quod Fidem Catholicam, quam Romana Eccleſia tenet & prædicat, ſervabunt: tom.* 6. Collectionis Harduini *part.* 2. *col.* 1151. Hæc, aliaque hujus generis innumera, vetuſtate veneranda exempla, & decreta ſatis ſuperque eſſent ad obſtruendum os hæreticorum obloquentium de Fidei profeſſione ex Pii IV. Conſtitutione, conceptis verbis edenda, & juramento confirmanda; quæ tamen nos prætermittimus, quia præſentis inſtituti non eſt cum heterodoxis dimicare.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Scrutinio.*

SCrutinium, ita dictum a ſcrutando, duplex eſſe poteſt: ſpeciale, cum ſcilicet ſingularis perſonæ mores inveſtigantur; & generale, cum in totius Cleri vivendi rationem inquiritur. Accuratiſſimum & minutiſſimum Scrutinium ſemper in Eccleſia fieri conſuevit de probitate, doctrina, ceteriſque animi dotibus eorum, qui ad Ordines, præſertim Sacerdotium, & Epiſcopatum, eſſent promovendi; quamvis nec ſemper, nec ubique *idem fuerit modus illud inſtituendi*. In Conſtitutionibus Apoſtolicis *lib.* 8. *cap.* 4. *tom.* 1. *Patr. Apoſtolic.* Cotelerii *pag.* 395. ab ipſis Apoſtolis ſtatutum dicitur, ut Epiſcopum ordinaturi, eum populo ſiſtant, petatque qui inter reliquos præcipuus eſt, *an ab omnibus teſtimonium habeat, quod dignus ſit magna hac & illuſtri præfectura*. Ex eadem Apoſtolica traditione promanaſſe, ut idem fieret in Sacerdotum, & Diaconorum Ordinatione, aſſerit Cyprianus *epiſt.* 68. quæ eſt ad Clerum, & plebes in Hiſpania conſiſtentes: *Ordinationes Sacerdotales nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, ut plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur .... Nec hoc in Epiſcoporum tantum, & Sacerdotum, ſed in Diaconorum Ordinationibus obſervaſſe Apoſtolos, animadvertimus*. At in fine ſeculi IV. hanc diſciplinam in Africa mutari cœpiſſe, colligitur ex Concilio Carthaginienſi III. anni 397. *can.* 22. relato a Gratiano *diſt.* 24. ubi Epiſcoporum arbitrio relinquitur, vel populi teſtimonium exquirere, vel aliter Ordinandorum merita examinare: *Nullus ordinetur, niſi probatus fuerit vel Epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio*. Enimvero cum abſonum viſum fuerit, cuilibet etiam ex infima plebe permittere, illos publice accuſare, quos ipſamet ad Epiſcopatum, Sacerdotium, aliudve ſacrum miniſterium, electio fecerat honorandos; uſus poſtea invaluit, ut Ordinandi vitia, non palam & publice, ſed ſecreto, Epiſcopo denuntiarentur: Epiſcopi autem erat, primo loco, in denuntiantium *vitam* inquirere, ut inde liqueret, an & quanta fides eſſet illis habenda; cujus conſuetudinis plurima exempla adducit Cironius *ad tit.* 12. *de Scrutinio in ordine faciendo*. Ne autem, in hac ipſa

ipſa ſecreta denuntiatione, aditus pateret calumniæ, accuſatorem, crimen non probantem, quod Ordinis candidato affinxerat, exilio plectendum, ſtatuit Juſtinianus Imperator *novella* 123. *cap.* 2. *Accuſator autem, ſive non probaverit, ſive etiam fugit propoſitam a ſe accuſationem, a provincia, in qua habitat, abjiciatur:* & *novella* 6. *cap.* 2. eum *in perpetuum a ſacra communione* ſegregandum conſtituit.

II. Quia porro Epiſcopi, pluribus curis diſtenti, non poterant ſingulorum, quibus eſſent manus impoſituri, vitam & mores diligenter, ſicuti oportebat, examinare; inde factum eſt, ut Ordinandorum Scrutinium commiſerint Archidiaconis: quod quidem conſilium jam a quarto ſeculo captum fuiſſe a Romanis Pontificibus, qui totius Eccleſiæ regendæ onere gravantur, conſtat ex Hieronymo, *epiſt.* 146. *ad Evang. tom.* 1. *Oper. col.* 1077. ſcribente: *Sed dicis, quomodo Romæ, ad teſtimonium Diaconi, Presbyter ordinatur?*

III. Poſteriori ævo diverſus, magiſque exactus peragendi Scrutinii modus *inductus* eſt, quem primo præſcriptum invenimus a Conc. Nannet. incertæ ætatis, quod tamen Eruditi conſentiunt non eſſe ſeculo IX. poſterius, ſed vel anno 658. vel 990. celebratum; in ejus quippe *cap.* 11. decernitur: *Epiſcopus quando Ordinationem facere diſponit, omnes, qui ad ſacrum miniſterium accedere volunt, feria quarta ante ipſam Ordinationem vocandi ſunt ad civitatem, una cum Archipresbyteris, qui eos præſentare debent. Et tunc Epiſcopus e latere ſuo dirigere debet Sacerdotes, & alios prudentes viros, gnaros Legis Divinæ, & exercitatos in Eccleſiaſticis ſanctionibus, qui Ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, inſtitutionem, locum, ubi educati ſunt, ſi ſint bene litterati, ſi in Lege Domini inſtructi, diligenter inveſtigent. Concil. Gall.* editionis Sirmondi *tom.* 3. *pag.* 604. & Collectionis Harduini *tom.* 6. *part.* 1. *col.* 456. Sed, quoniam ſalutaris hæc inſtitutio, temporum malitia, atque Epiſcoporum incuria deſueverat; ſapienter propterea ad hoc delecti a Paulo III. Cardinales & Præſules, ut nimirum collato ſtudio ea ipſi ſuggererent, quæ ad reformandam Eccleſiam neceſſaria reputarent, in celebri conſilio, anno 1538. eidem Pontifici in ſcriptis exhibito, inter ceteros corrigendos abuſus, hunc, tanquam graviſſimum, primo loco recenſuere: *Primus abuſus in hac parte eſt Ordinatio Clericorum, & præſertim Presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla adhibetur diligentia, quod paſſim quicumque ſint, imperitiſſimi ſint, viliſſimo genere orti ſint, malis moribus ornati ſint, adoleſcentes admittantur ad Ordines ſacros, & maxime ad Presbyteratum, ad characterem, inquam, Chriſtum maxime exprimentem: hinc innumera ſcandala, hinc contemptus Ordinis Eccleſiaſtici, hinc Divini cultus veneratio non tantum diminuta, ſed etiam prope jam extincta.* Ad hæc autem præcidenda ſcandala, iidem delecti Cardinales, & Præſules modum Pontifici indicarunt, quo in poſterum exactum, de promovendis ad Ordines, Scrutinium efformaretur. Quod vero illi tantopere exoptaverant, Concilii Tridentini Patres poſtea præſtiterunt *ſeſſ.* 23. *cap.* 7. *de reformat.* ubi allegatum Nannetenſem canonem totidem fere verbis inſtaurarunt; eamque Tridentini ſanctionem, adhuc luculentius explicatam, inculcarunt, religioſeque cuſtodiri præceperunt Clemens VIII. *Conſtitut.* 61. §. 7. *tom.* 3. Alexander VII. *Conſtitut.* 129. *tom.* 5. Innocentius XIII. *Conſtitut.* 34. §. 5. *Bullar. tom.* 10. *part.* 2. *Roman. edit.* & nos ipſi in epiſtola commonitoria ad omnes Epiſcopos, quæ eſt *ſecunda* §. 1. *noſtri Bullarii tom.* 1.

IV. Quamquam autem nunc in ipſo Ordinationis actu Scrutinium non fiat, attamen, ut antiquiſſimæ illius diſciplinæ, quam commemoravimus, memoria extet, & ſaltem veſtigia remaneant, Epiſcopus Diaconatum, aut Sacerdotium collaturus, populi teſtimonium exquirit, dicens: *Quid de eorum actibus, aut moribus noveritis, quid de merito ſentiatis, libera voce pandatis ..... Si quis habet aliquid contra illos, pro Deo, & propter Deum, cum fiducia exeat, & dicat.* Et Archidiaconum poſtea interrogat, an ſciat, eſſe dignum, quem ordinandum exhibet: cui Archidiaconus reſpondet: *Quantum humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcio, & teſtificor, ipſum dignum eſſe ad hujus onus officii.* Similem atteſtationis formulam adhibitam vidimus in nonnullis antiquis litteris, quibus Epiſcopus Clericum, e ſua in alienam diœceſim commeantem, in hunc modum commendabat: *Qui, in quantum humana fragilitas ſcire poteſt, adminiſtratione ſacrorum miniſteriorum non ſit indignus:* apud Pithœum *in Gloſſario Juliani Anteceſſoris.* Quia porro prædicta Archidiaconi atteſtatio, nunc merus ritus, & cæremonia eſt, cum jam aliunde Ordinandi vitam, & mores Epiſcopus antea exploraverit, idcirco Innocentius III. *in Cap. unico de Scrutinio in ordine faciendo*, culpa vacare dixit, Archidiaconum, illum dignum affirmantem, quem indignum eſſe non novit, quamvis ignoret, an re vera dignus exiſtat.

V. Hæc de Scrutinio particulari. Scrutinium generale totius Cleri fieri deberet in Diœceſana Synodo, ubi totus Clerus Epiſcopi oculis & cenſuræ ſubjacet. Forma iſtud peragendi jam indicata fuit *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 2. Synodi initio eliguntur Scrutatores, ſeu Scrutinii Præfecti, ex urbano, & diœceſano Clero, qui Sacerdotes ſint, ætate, prudentia, & probitate præſtantes, tot numero, quot neceſſarii reputantur ad univerſi Cleri Scrutinium, intra tempus Synodalium ſeſſionum abſolvendum: utque id commodius expleri valeat, ſingulis Scrutatoribus certus ſcrutandorum numerus aſſignatur, & unuſquiſque Scrutator unum ſibi adſciſcit Scribam, cujus ſit, eorum, qui Scrutinio ſubjiciuntur, reſponſiones notare, quamvis ea, quæ graviora ſunt, & arctius ſecretum exigunt, ipſemet Scrutator ſcribere debeat: omnia vero, quæ explorarunt, ante Synodi finem, in compendium redacta, & ſcriptis conſignata, Epiſcopo referant, ut, ſi quid omnibus in communi injungendum ſit, fiat, ac opportuno Synodi decreto irrepentes abuſus coerceantur.

VI. Singulis Scrutatoribus traditur tabella, ſeu ſchedula Scrutinii, ubi certa capita adnotantur rerum, de quibus Epiſcopus vult eſſe ſpeciatim inquirendum. A Burchardo, Wormatienſi Epiſcopo, *lib.* 1. *decret. pag.* 91. & *pluribus ſequentibus*, octo ſupra octoginta proponuntur interrogationes, in Synodo faciendæ, accuratum certe, ſed nimis prolixum Scrutinium continentes: eodemque prolixitatis vitio laborat Scrutinium exhibitum ab Antonio Maria Gratiano *in Synodo Amerina cap.* 1096. & *ſeq.* In Actis Eccleſiæ Mediolanenſis *part.* 6. *pag.* 997. diligens reperitur catalogus eorum, quæ Scrutatores indagare debent; quibus tamen permittitur alia ſuperaddere, quæ iidem Scrutatores, pro ſua prudentia, in Clericis, & potiſſimum Canonicis, peculiariter perſcrutanda judicaverint. Pax Jordan. *tom.* 2. *lib.* 8. *tit.* 2. *de Synodo Diœceſ. num.* 110. plurima Scrutatoribus ſuggerit quæſita, quæ ad exactum Scrutinium perficiendum exiſtimat opportuna. Preſſiores & breviores ſunt interrogationes, quæ proponuntur in Archiepiſcopali Bononiæ Cardinalis Palæoti *pag.* 213. & *ſeq.* ad quarum calcem idem prudentiſſimus Archiepiſcopus inquit, non eſſe omnia & ſingula, quæ in interrogationibus proponuntur, ab unoquoque inquirenda, ſed ea tantum, quæ ad cujuſque conditionem, ſtatum, & neceſſitatem magis accommodata videbuntur.

VII. Maximam Scrutinii utilitatem nullus inficiatur; ſed difficile videtur, intra triduum, vel quatriduum, cum ulterius Synodus protrahi non ſoleat, omnium Clericorum Scrutinium rite expleri poſſe. Hac for-

fortaſſe difficultate perterriti Epiſcopi, etſi ceteroqui in ſuo Paſtorali munere obeundo diligentiſſimi, Scrutinium in Synodis jamdiu omiſerunt, & paſſim omittunt: quamplurima quippe nos Synodorum Acta tam typis edita, quam manuſcripta pervolvimus, & in aliquibus Scrutatores quidem deſignatos vidimus, Scrutinium tamen factum non legimus; in aliis vero nec Scrutinii, nec Scrutatorum ullam mentionem deprehendimus. Pax Jordan. *cit. lib.* 8. *tit.* 2. *n.* 102. Scrutinium inventum exiſtimat ad ſupplendum defectum viſitationis; cumque diœceſis viſitatio, juxta rectam diſciplinam, Synodum præcedere debeat, inde eveniſſe arbitratur, quod Epiſcopi Synodale Scrutinium, veluti inutile & ſuperfluum, prætermiſerint. At hæc Jordani ratiocinatio aliquid efficacitatis unice habere poteſt apud antiquæ diſciplinæ ignaros: qui enim vetuſtos Eccleſiæ canones vel leviter pertractarunt, optime norunt, onus perluſtrandæ diœceſis, non eſſe de novo Epiſcopis impoſitum, ſed ſemper illis incubuiſſe; & nihilominus poſt diœceſim perluſtratam, Strutinium in Synodo fieri curarunt. Atque, ut cetera prætercamus ſanctiſſimorum Epiſcoporum exempla, S. Carolus Borromæus nunquam profecto ſuam diœceſim viſitare neglexit, nec propterea Scrutinium in ſuis Synodis omiſit. Alia igitur erit cauſa, cur hodie Synodalia Scrutinia fere deſueverint; eaque eſſe poteſt, vel quia Epiſcopus per ſuos Adminiſtros quotidie audit, quid a ſingulis diœceſeos Clericis fiat, & hac ratione omnium mores jam perſpectos & cognitos habet; vel quia homines tantæ experientiæ, atque integritatis non invenit, quibus Scrutatoris munus tuto credere queat; vel quia demum Clerici cupiunt, ſe a proprio Paſtore, non ab alio, examinari. Mutantur in dies hominum mores, mutantur rerum circumſtantiæ, & quod uno tempore utile erat, poſtea inutile, & quandoque perniciosum evadit. Prudentis autem Prælati eſt, in iis, ad quæ Superioris lege non adigitur, ſe loco, & tempori accommodare, & quædam, quæ olim in uſu erant, prætermittere, ſicuti ad rectum ſuæ diœceſis regimen magis expedire in Domino judicaverit. Superius diximus, nos interfuiſſe Concilio Romano ſub Benedicto XIII. Jam vero, integro fere anno, qui Concilium præceſſit, plures habitæ ſunt Congregationes Præſynodales, quibus pariter præſentes fuimus, una cum aliis, ab eodem Pontifice delectis viris: cumque aliquot ex iis nonnulla judicarent eſſe Concilio poſtmodum proponenda, quæ ibidem, ad ſervandam quodammodo formam Scrutinii, diſcuterentur, & deciderentur; nos ingenue diximus, id nequaquam fieri poſſe: negotia enim, quæ Concilio proponenda ſuggerebantur, jus alterius lædebant; atque ideo, licet viderentur Conciliari diſcuſſione digna, nihilominus ii, de quorum jure agebatur, erant prius neceſſario audiendi; quod ſane in Concilio, per modum Scrutinii, rite peragi, ob modo adductam rationem, impoſſibile foret: quocirca auctores fuimus, ut prædicta negotia, quæ judicialem quamdam requirebant indaginem, a ſummo Pontifice extra Concilium terminarentur: conſilioque noſtro ceteri acquieverunt.

## CAPUT QUARTUM.

*De auctoritate reſervandi Caſus, eorumque reſervatione in Synodo facienda.*

POſſe ſummos Eccleſiarum Antiſtites, multoque magis omnium ſupremum, Romanum Pontificem, inferiorum Sacerdotum juriſdictionem ita coarctare, ut a quibuſdam gravioribus culpis, quas ſibi, ſuoque judicio relaxandas reſervant, ne in foro conſcientiæ quidem, & coram Deo, illi abſolvere valeant, Catholicum dogma eſt, quod contra Wicleſum ſtrenue propugnavit Waldenſis *tom.* 2. *de Sacram. cap.* 149. Etenim ad relaxanda, etiam in foro interno, peccata, præter poteſtatem Ordinis, neceſſaria eſt poteſtas juriſdictionis, quæ a Superiore poteſt ad plures perſonas, et cauſas extendi, atque ad pauciores reſtringi, prout ei viſum fuerit. Hanc Catholicam veritatem, iterum a Luthero impetitam, non ſolum validis argumentis fulſerunt Theologi, e quibus videri poſſunt Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 5. Vaſquez *in* 3. *part. D. Thom. tom.* 4. *quæſt.* 91. *art.* 3. & Cardinalis Roſſenſis *in ſuis Aſſertionibus adverſus Lutherum art.* 3. *pag.* 66. *& ſeq.* ſed Henricus VIII. Angliæ Rex, priuſquam ab Orthodoxa Fide deſciſceret, agnovit, & explicavit *in ſua Aſſertione ſeptem Sacramentorum adverſus Martinum Lutherum*, Romæ edita anno 1543. *de Confeſſione*, inquiens: *Sacerdos quilibet Ordinem quidem habet, ſed auctoritatem judicandi non habet (quæ res ad abſolventem pertinet), priuſquam ei gregis alicujus cura committitur, idoneus tamen ante reputatur, cui cura tuto poſſit committi. Epiſcopus ergo, qui curam habet totius diœceſis, ſi cui Sacerdoti partem quampiam ſuæ curæ commiſerit, an non ipſa ratio docet, hunc non amplius aut ligare poſſe, aut ſolvere, niſi quatenus ille permiſerit, ſine cujus mandato nihil omnino in illius populo, vel ligare quemquam, vel ſolvere potuiſſet? Quippe quod nec ipſi licebat Epiſcopo in aliena diœceſi. Quid ergo miri eſt, ſi quædam ſibi reſervat Epiſcopus, quorum curam putat eſſe majorem, quam ut cuilibet poſſit etiam non imperito, committi?*

II. Validius autem idem Eccleſiæ dogma, contra Lutheri conatus, ſtabilivit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de Sacram. Pœnit.* ubi *cap.* 7. Catholicam doctrinam expoſuit, & *can.* 11. contrarium ſentientes anathemate percuſſit. *Magnopere vero* (ait *cit. cap.* 7.) *ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non a quibuſvis, ſed a ſummis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur: unde merito Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate, ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat, pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem, conſonum eſt Divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo, vim habere.* Et *citat. can.* 11. *Si quis dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quominus Sacerdos a reſervatis vere abſolvat, anathema ſit.* Plurima, quæ ad rem faciunt, & traditam a Tridentino doctrinam illuſtrant, occurrunt in libro, cui titulus *Tres Epiſtolæ Paſtorales* Epiſcopi Atrebatenſis, *cap.* 7. *de reſervatione caſuum pag.* 193. Licet autem Tridentinum poteſtatem reſervandi peccata tantum ſummo Pontifici, & Epiſcopis nominatim adſtruxerit; nomine tamen Epiſcopi, etiam inferiores Prælatos, habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, cum territorio ſeparato, comprehendiſſe, cenſuit ſacra Congregatio, ejuſdem interpres, in *Salernitana* an. 1585. *lib.* 4. *decretor. pag.* 36. reſcribens: *Prælatos Seculares, Epiſcopis inferiores, qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in loco, & nulli Diœceſano nec ipſi, nec eorum ſubditi ſubſunt, habere facultatem reſervandi ſibi caſus.* Et in *Marſicana* an. 1587. idem, totidemque verbis reſpondit *lib.* 4. *decretor. pag.* 250. *a tergo*. Eadem inſuper poteſtate gaudere Parochos, quoad ſimplices Sacerdotes, ſeu Cappellanos, in Curæ exercitio ituidem inſervientes, docuerunt Sylvius *in* 3. *part. D. Thom.* 4. *q.* 19. *pag.* 552. *art.* 2. *quæſt.* 2. *edit. Antuerp.*

*Antuerp. an.*1714. Suarez *tom.*4. *in* 3. *part. disp.*29. *sect.* 1. *n.*4. Cardinalis de Lugo *de Pœnit. disp.*20. *sect.* 1. *n.*2. Neesen *tom.* 2. *tract.* 5. *de Sacram. Pœnit. q.* 4. *dub.* 10. quia & ipsi jurisdictionem ordinariam habent *in foro interno*, quam delegant suis Cappellanis: simul tamen iidem Doctores notant, non esse usu receptum, ut Parochi ea facultate utantur; additque de Lugo, inutilem insuper fore reservationem, si quæ a Parochis fieret, quoniam ea non ligarentur excipientes Confessiones auctoritate, & jurisdictione accepta ab Episcopo, cujus imperio tota Parochorum jurisdictio subest. Dedita opera diximus, Parochos jurisdictionem ordinariam habere *in foro interno*: scimus quippe, Disceptationem Petri Mengonii *de eminentiori Parochorum dignitate supra Canonicos*, ann. 1723. Florentinis typis excusam, in qua Auctor innixus Decretali Alex. III. *in Cap. Cum ab Ecclesiarum*, *de offic. Judic. ordin.* asserere conatur Parochis jurisdictionem ordinariam etiam in foro externo, fuisse valide confutatam a Joanne Dominico Lario in alia Dissertatione, insequenti an. 1733. Pisis impressa, & merito; siquidem ex communiori, atque in praxi recepta sententia, quam cum S. Thoma *in Supplem.* 3. *part. quæst.* 22. *art.* 1. Suarez *de censuris disp.*2. *sect.* 2. *num.* 10. Vasquez *in opusc. de excomm. dub.* 17. *num.* 1. aliisque propugnat, pluribusque exornat Gonzalez *ad cit. Cap. Cum ab Ecclesiarum*, *n.*2. non potest Parochus, jure ordinario, sententiam ferre excommunicationis: neque contrarium evincit textus objecti *Cap. Cum ab Ecclesiarum*; quamquam enim ibi Pontifex observari præcipiat excommunicationem *in Clericos*, *vel Laicos suos* latam a Plebano S. Pancratii de Lucar, hunc tamen Plebanum eam non tulisse jure ordinario, sibi, ratione solius Parochialis Ecclesiæ, competente, sed jure extraordinario, videlicet ex speciali privilegio, vel ex præscripta consuetudine, vel alio legitimo titulo, idem Gonzalez ostendit. Sat tamen est id obiter adnotasse. Ad propositum regrediamur.

III. Quamvis *prædicta facultate reservandi casus*, possit Episcopus semper, & quandocumque voluerit, uti; multis tamen nominibus decet, ut illam potius in Synodo, quam extra Synodum exerceat. Primo, quia, ut in hoc negotio cautius se gerat, uti opportune monent Homobonus *tract.* 15. *cap.* 6. *quæst.*12. & Lælius Zecchius *de munere Episcopi cap.* 7. expedit, ut prius probos, atque longa experientia edoctos Sacerdotes in consilium adhibeat, quos profecto nusquam melius & commodius, quam in Synodo, habere potest: attamen curandum est, ut hoc ipsum consilium maxima circumspectione, & cautela petatur, atque præstetur, ne arctissimum sacramentalis Confessionis sigillum ulla ex parte videatur violari: qua de causa, cum olim Vicarius Generalis Tridentinus rogaverit Regulares oppidi Bulganensis, ut sibi, adjecta ceteroquin severa lege secreti, quod se religiose servaturum promittebat, manifestarent, quænam in genere essent graviora peccata, quæ eo in loco magis communiter committerentur, & Regulares Vicario morem gerere abnuerint, quos tamen Vicarius urgere non desinebat; re delata ad sacram Congregationem Concilii, hæc die 19. Augusti 1673. dixit, Regulares ad id cogi non posse, & monendum Vicarium, ut ab ejusmodi interrogationibus abstineret, *lib.* 28. *decretor. pag.* 150. Secundo, congruum est, ut reservatio fiat in Synodo, ne secus Parochi conquerantur, suam ordinariam potestatem, ipsis prorsus insciis, nimis admodum coarctari: ut enim notat Cardinalis de Lugo *de Sacram. Pœnit. disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 37. quamvis Episcopus possit jurisdictionem absolvendi, quam aliis Sacerdotibus delegat, omnino pro libito limitare, & ad paucissimas causas restringere; tanta tamen potestate non potitur quoad Parochos, quorum jurisdictio, etsi ab Episcopo pendeat, eique subjaceat, non est tamen delegata, sed ordinaria; nec potest, sine legitima causa, aut prorsus auferri, aut adeo imminui, ut fere inanis remaneat. Omnis autem querelarum occasio præciditur, cum reservatio fit in Synodo, ubi si ea plus æquo aucta, & extensa videatur, statim possunt Parochi reclamare, & causas Episcopo exponere, cur exoptent, hoc, aut illud peccatum e reservatorum albo expungi: quibus auditis, aut Episcopus sententiam mutabit, aut alias urgentiores rationes adducet, propter quas peccata illa reservanda existimat, quibus Parochi acquiescent. Tertio denique convenit, reservationem fieri in Synodo, quia in Synodo facta, induit naturam legis, quæ, nullo contradicente, perpetua est, & quamdiu non revocatur, perseverat; facta autem extra Synodum, non ab omnibus reputatur perpetua, opinantibus plerisque Theologis, quos sequuntur Gavantus *in Manuali Episcoporum verb. Casus reservati n.* 16. & Roncaglia *in Theolog. moral. tom.* 2. *tract.* 19. *q.* 7. *quæst.*2. illam, decedente Episcopo, a quo est facta, illico expirare; aliis ex adverso, cum Capeavil. *de casib. reserv. part.* 1. *cap.* 5. *in fin.* contendentibus etiam tum perpetuam esse, & durare, donec a Successore vel expresse, vel tacite revocetur; ex quo fiat, ut, mortuo Episcopo, aliqui prima sententia imbuti, a reservatis absolvant; alii vero secundam sectantes, talem absolutionem invalidam pronuntiabunt; atque exinde multa scandala exorientur, quæ præcaventur, si reservatio in Synodo fiat. Quocirca communi usu receptum est, ut Episcopus in Synodo statuat, quænam peccata velit esse sibi reservata: nec solum in Diœcesanis, sed in pluribus Provincialibus Synodis casuum reservationes factas legimus, ut in Eboracensi ann. 1195. *cap.* 11. Lambethensi anni 1281. *cap.* 6. Avenionensi a tribus provinciarum Episcopis anno 1326. celebrata *cap.* 22. Collectionis Harduini *tom.* 6. *part.* 2. *col.* 1932. *& tom.* 7. *col.* 864. *&* 1503. aliisque adductis a Thomassino *de vet. & nov. Eccl. discipl. part.* 1. *lib.* 2. *cap.*14. *n.*4. *&* 5. Non idcirco tamen, quo casuum reservatio a Provinciali Concilio facta esset, potestas adempta erat Episcopis ab illis absolvendi, sicuti contingit in legibus, a Superioribus latis, quæ a nullo inferiorum relaxari possunt: etenim eadem Concilia, non sibi, aut Metropolitanis, sed ipsismet Episcopis illorum absolutionem reservabant; quod præfatos canones legenti patebit. Aliud erat de gravioribus criminibus, Papæ reservatis; ab his quippe, sicuti nunc, ita & olim, nullus, sine auctoritate Papæ, unquam absolvere audebat: sic in Concilio Londinensi anni 1142. statutum narrat Matthæus Parisiensis *ad eundem annum*: *Ne aliquis*, *qui Ecclesiam*, *cœmeteriumque violaverit*, *vel in Clerico*, *aut viro religioso manus injecerit violentas*, *ab alio*, *quam ipso Papa*, *possit absolvi*: quod decretum ex Rogerio quoque refert Harduinus in Collectione sua *tom.*6. *part.* 2. *col.* 1234. *ad annum* 1143. Et Concilium Saltzburgense anni 1386. *cap.* 2. *sub interminatione maledictionis æternæ*, *districte* prohibet, ne quispiam a casibus, Sedi Apostolicæ reservatis, absolvere præsumat, in Collectionis Harduini *tom.* 7. *col.* 1901. Nec verum est, quod asserit Van-Espen *Juris Eccles. universf. tom.* 1. *par.* 2. *tit.* 6. *cap.* 7. *num.* 9. non ante seculum XI. cœpisse Episcopos graviorum quorumdam criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere, ut a Pontifice reconciliarentur; siquidem *ex lib.* 3. *de Gestis Sanctorum Rotonensium cap.* 1. *seculo* IV. *Benedictino*, constat, ante annos circiter nongentos, homicidas ad Papam fuisse remissos, quod opportune notavit Martene *de antiquis Ecclesiæ ritibus tom.*1. *lib.* 1. *cap.* 6. *art.* 6. *n.* 6. Enimvero, cum homicidium, inter illa enumeretur enormia facinora, quorum reis, saltem in plerisque Ecclesiis, nunquam olim concessam fuisse absolutionem, contendunt

dunt Petavius *in notis ad S. Epiphanium hæreſ* 59. Albaſpinæus *in notis ad Concilium Illiberitanum*, Morinus *lib. 9. de Pœnit. cap. 19.* & citatus Martene, aliique non pauci; credere fas eſt, quod, cum nimia hæc diſciplinæ auſteritas emolliri cœpit, id retentum fuerit, ut qui ea perpetraverant, a ſola Sede Apoſtolica veniam conſequerentur. Sedes autem Apoſtolica tanta ſemper lenitate uſa eſt, ut etiam cum priſca illa vigebat ſeveritas, juſtis quandoque de cauſis, a peccatis abſolveret, quæ ceteroqui, ordinaria lege, non ſolebant ab Eccleſia remitti, ſed uni Dei judicio relinqui, quemadmodum colligitur ex Tertulliano, qui hæreticus Montaniſta jam factus, *lib. de pudicit. cap. 5.* Zephyrinum Papam carpit, quod mœchis veniam daret, quibus, aut ipſamet Eccleſia Romana, ut exiſtimat Martene, aut ſaltem pleræque aliæ Eccleſiæ, ſicuti opinatur Morinus, antea conſueverant omnem indulgentiam denegare.

## CAPUT QUINTUM.

*Quænam ſint atrociora & graviora crimina reſervanda, una cum aliis ad materiam pertinentibus, & ſignanter quoad Regulares.*

POſt aſſertam Epiſcopis facultatem caſus reſervandi, & deſignatum tempus, quod magis congruum videtur ad reſervationem faciendam, operæ pretium eſt examinare, quænam ſint illa atrociora & graviora crimina, quæ ſanctiſſimorum Patrum judicio reſervari conſueviſſe dixit Tridentinum: inde enim normam ſument Epiſcopi, ad quam in reſervandis peccatis ſe tuto conformare queant. Non aliunde autem illa melius reſcire poſſumus, quam ex Conciliis, in quibus modo hæc, modo illa peccata, tanquam graviora, fuere reſervata. Nuper laudatum Concilium Londinenſe, a ſolo Epiſcopo abſolvendos decrevit, *incendiarios, pejerantes in alicujus diſpendium, & fures atrociores*. Concilium Lambethenſe *cit. cap. 6.* Epiſcopo reſervavit *homicidia voluntaria, tam publica, quam occulta*. In Diœceſana Synodo Santonenſi, habita anno 1280. *cap. 14.* Collectionis Harduini *tom. 7. col.* 848. longus contexitur catalogus caſuum reſervatorum, inter quos numerantur homicidium, mutilatio, lapſus carnis tam ſacrilegus cum Moniali, quam contra naturam, perjurium, inceſtus, abortus ſtudioſe procuratus, litterarum falſificatio, ſortilegium cum abuſu Sacramentorum, violatio Eccleſiarum, aliique non pauci. Concilium Provinciale Ravennat. anni 1286. *cod. tom.* 7. Harduini *col.* 948. *cap.* 8. ad Epiſcopum remittendum juſſit, *cum quis petit abſolvi ab excommunicatione majori, lata, vel inducta ab homine, vel a jure; item incendio, & crimine publico; ſicut in blaſphemante Deum, vel Sanctos; item in voto, qualitercumque emiſſo; & cum illis, qui filios oppreſſerunt ex propoſito, ſive caſu; & cum quibuslibet homicidis, & ſacrilegis, falſariis, violatoribus Eccleſiarum, & immunitatum Eccleſiaſticæ libertatis, & ſortilegis; item cum iis, qui cum brutis libidine polluuntur; item cum inceſtuoſis, & corruptoribus Sanctimonialium, & in omni occupatione, uſurpatione, & detentione rei alienæ, ubi, cui reſtitutio fieri debeat, non inveniri poteſt; item cum perjuris, & clandeſtine matrimonium contrahentibus, ex quo matrimonio dubitatio oriatur, vel oriri poſſit, & in omnibus aliis criminibus, delictis, & exceſſibus, in quibus de conſuetudine generali, vel ſpeciali, Epiſcopis reſervatur confeſſio.*

II. Verum, cum ſeculi xv. initio nimium excreverit caſuum reſervatio, & præterea Abbates Carthuſienſes eouſque devenerint, ut omnia ſuorum ſubditorum peccata gravia ſibi reſervaverint; in ejuſmodi effrenes reſervationes cenſoriam virgam ſtrinxit Joannes Gerſonius tam in Opuſculo *ſuper abſolvendi poteſtate, & qualiter expediat fieri reſervationem peccatorum*, quam in Epiſtola ad quemdam Epiſcopum *de moderatione cauſum reſervandorum, tom. 2. Oper. col.* 413. & 315. quibus in locis reſervari quidem permittit pauca quædam peccata atrociora, ſed non approbat, ut hæc ipſa reſerventur, quando ſunt occulta; exinde enim periculum ſubeſſe, inquit, ne, quod occultum eſt, publicetur. Gerſoni adhæſiſſe videntur Concilium Senonenſe anni 1524. & Synodus Diœceſana Carnotenſis anni 1526. quæ nulla reſervatione, quoad crimina occulta, affici voluerunt mulieres, ne iſtæ, cum propriæ famæ diſpendio, Epiſcopum vel Pœnitentiarium, ad quem alias accedere non conſueverant, cogerentur adire. Alia tamen poſt Gerſonis ætatem in Gallia celebrata Concilia, ſicuti animadvertit Thomaſſinus *cit. part. 1. lib. 2. cap. 14. n. 8.* in priori ſententia, & praxi perſiterunt, pluraque, quantumvis occulta, peccata Epiſcopis reſervarunt: quin immo Concilium Sueſſionenſe anni 1455. Collectionis Harduini *tom. 9. col.* 1385. hortabatur Epiſcopos, ne facultatem abſolvendi a reſervatis paſſim concederent Regularibus.

III. Sed quod in Gallia non eſt aſſequutus Gerſon, præſtitit in Germania Laurentius Cardinalis Campegius, ubi Legatum agens Apoſtolicum, & ſedulam operam navans Eccleſiarum reformationi, inter ſuas Conſtitutiones, Ratisbonæ promulgatas anno 1523. quæ habentur *in faſciculo rerum expetendarum & fugiendarum, edito Londini* 1690. *pag.* 425. omnibus Confeſſariis concedendam in poſterum, edixit, facultatem abſolvendi laicos a quibuslibet occultis criminibus, etſi alias reſervatis, exceptis duntaxat hæreticis, homicidis, & excommunicatis, quos ad Epiſcopos, vel Vicarios, remittendos conſtituit; Clericis vero etiam poſtmodum, eo loco futuris, quo prius erant. Campegio obſequens Archiepiſcopus Colonienſis in ſuo Concilio Provinciali anni 1537. *part. 7. cap.* 37. poteſtatem fecit omnibus Parochis remittendi quælibet crimina occulta: & Synodus Diœceſana Auguſtenſis anni 1548. Collectionis Harduini *tom. 9. col.* 2045. ſtatutum Cardinalis Campegii inſtauravit, & confirmavit.

IV. Non propterea tamen, quod ita aliquibus viſum fuerit ſtatuendum, reſtricta cenſenda eſt auctoritas Epiſcoporum ad ſola ſibi reſervanda peccata notoria: quoniam, uti recte perpendit citatus Thomaſſinus *eod. n. 8.* Concilium Tridentinum, novis præſidiis muniens Epiſcoporum juriſdictionem ad caſus reſervandos, illam non coarctavit ad publica, ſed *ad atrociora, & graviora crimina*, qualia eſſe, & dici poſſunt etiam occulta. Quia autem idem Tridentinum ſimul Epiſcopos monuit, ne ea poteſtate in deſtructionem, ſed ædificationem utantur; idcirco nimium faciles eſſe non debent ad reſervationes multiplicandas. Quamquam vero non poſſit, quoad hoc, certa regula, ubique cuſtodienda, præſcribi, neque in ſpecie deſignari queant peccata, quæ reſervari oporteat; alicubi enim ſola proclivitas populi ad aliquod crimen frequenter perpetrandum, ut difficultate obtinendæ abſolutionis, veluti quodam freno, cohibeatur, ſufficientem cauſam præbet Epiſcopo illud reſervandi; quæ cauſa urgere deſinit, ubi populus non eſt ad illud proclivis: attamen inſtar regulæ eſſe poſſunt quædam generalia monita, & decreta, quæ a ſacris Urbis Congregationibus hac ſuper re emanarunt. Sacra Congregatio, Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita, die 9. Januarii 1601. locorum Ordinarios ita monendos, ſtatuit: *Ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reſervandorum caſuum competit, pluribus, quam opus ſit, reſervationibus, ſubditis, aut Confeſſariis in animarum ſalute procuranda cooperantibus, ſint oneroſi, monentur omnes, ut paucos, eoſque tantum, quos ad Chriſtianam diſciplinam retinendam, animarum ſibi creditarum ſalutem, pro cujuſvis diœceſis ſtatu, & qualitate neceſſario reſervandos eſſe judicaverint, reſervent.* Idemque monitum replicandum decrevit, die

26. Novembris 1602. *Sed, ne locorum Ordinarii, ad quos caſuum reſervatio ſpectat, ea in re modum excedant, eadem ſacra Congregatio illos rurſum magnopere admonendos cenſet, ut, non paſſim, ſed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & graviorum criminum abſolutionem ſibi reſervent, quorum reſervatio ad Chriſtianam diſciplinam retinendam conferat, & in ædificationem, non autem in deſtructionem, cedat; ne alioquin, Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrorum coarctata poteſtate, ſanctæ matris Eccleſiæ piæ menti contrarius effectus ſubſequatur. Prohibet etiam, ne ſibi ſuperflue reſervent caſus in Bulla, die Cœnæ Domini legi conſueta, contentos, neque alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatos.* Encyclicæ quoque litteræ ab eadem ſacra Congregatione, eadem die 26. Novembris 1602. ad Epiſcopos in hunc modum datæ ſunt: *Præcipue vero hæc monenda cenſet ſacra Congregatio, ut videant ipſi Ordinarii, ne illos caſus promiſcue reſervent, quibus annexa eſt excommunicatio major, a jure impoſita, cujus abſolutio nemini reſervata ſit, niſi forte propter frequens ſcandalum, aut aliam neceſſariam cauſam, aliqui hujuſmodi caſus nominatim reſervandi viderentur, neque caſus, in quibus abſolutio, niſi cum reſtitutione, vel executione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur, neque illos, qui, etſi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti verſantur, & frequenter inter idiotas evenire ſolent, uti damni dati, & ſimilium. In peccatis etiam carnalibus reſervandis multa utantur circumſpectione, propter periculum ſcandalorum in iis maxime perſonis, in quas ob acceſſum ad Confeſſarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios, ſuſpicionis aliquid cadere poteſt. Poſtremo eam potiſſimum ineant & ſequantur rationem, quæ conſideratis diligenter cujuſque provinciæ, ac populorum moribus, natura, ac propenſione, magis in Domino expedire videbitur.* Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium decretis legendis apud Quarantam *in verb. Caſus n.* 14. & apud de Lamet & Formageau *in Dictionario caſuum conſcientiæ tom. 1. caſ. 1.* conſentiunt deciſiones ſacræ Congregationis Concilii: etenim, cum ad hanc delatum fuerit, quod Epiſcopus Bellicaſtrenſis ſupra modum auxiſſet catalogum caſuum reſervatorum, die 29. Januarii 1661. decem, aut ad ſummum duodecim gravioribus exceptis, Epiſcopi arbitrio deſignandis, ceteros e catalogo deleri, juſſit *lib. 22. decret. pag* 415.

V. At illud, præ ceteris, cavere debet Epiſcopus, ne peccata, quantumvis gravia, ſed mere interna, ſibi reſervet: licet enim etiam hæc reſervari queant, ſicuti docent Vaſquez *ſupra cit. quæſt. 91. art. 3. dub. 4.* Cardinalis de Lugo *diſput. 20. ſect. 2. num.* 13. & Suarez *de Fide diſp. 21. ſect. 4. n. 2.* ubi hæc habet: *Solent aliqui Epiſcopi etiam hæreſim mentalem reſervare, quod quidem in ſummo rigore juris facere poſſunt, quia reſervatio non eſt uſus juriſdictionis externi fori, ſed eſt ablatio juriſdictionis pro foro Sacramentali, quam Epiſcopus ſicut dare poteſt, ita etiam auferre:* non eſt tamen in praxi receptum, ut unquam reſerventur, veluti proſequitur Suarez. *loc. cit. Nihilominus tamen Auctores communiter non conſulunt, neque laudant talem reſervationem, propter animarum periculum; nam actus interiores frequentes & moleſti ſunt, & difficile cognoſcuntur; & ita etiam ego credo regulariter non expedire:* quia immo Sotus *in 4. diſt. 18. qu. 2. art. 5.* actus mere interni reſervationem acriter reprehendendam exiſtimat. Et re vera, uti bene de Lugo obſervavit, ſolos, ſcimus, Prælatos Regulares quædam peccata ſive externa, ſive interna, ſibi olim indiſcrete reſervaſſe; ceterum nec Epiſcopi, nec ſummi Pontifices, actus mere internos ſuis reſervationibus complecti unquam conſueverunt. Unde, etſi peccatum hæreſis graviſſimum ſit, & cum in externum prodit, ſummo Pontifici reſervetur; quamdiu tamen intra animum conſiſtit, reſervationem effugit. Et quoniam de Regularibus ſermo incidit, ad coercendam nimiam libertatem, quam ſibi Religionum Prælati uſurpabant, augendi in dies caſuum reſervationes, Clemens VIII. die 26. Maji 1593. undecim caſus deſignavit, quos referunt Suarez *de Pœnitentia diſput. 29. ſect. 3. n. 11.* & Layman *Theolog. moral. lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 6.* vetuitque Regularibus, ne alios, præter illos, ſibi reſervare præſumerent, niſi *Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in provincia, matura diſcuſſione, & conſenſu*; quamvis non propterea ad omnes ibidem deſcriptos ſibi reſervandos, eoſdem adſtrinxerit. Et nihilominus contendebant Prælati Regulares, ſibi ablatam non eſſe facultatem alicui gravi peccato, in Clementino decreto ceteroquin non expreſſo, annectendi cenſuram, quam ſibi reſervare poſſent: nec deerant graves Doctores, qui huic eorum opinioni adſtipularentur; inter quos Suarez, Filliucius, Villalobos, aliique, quos adducit Diana *tom. 7. tract. 1. de dubiis Regular. reſol.* 114. Sed, cum hac ratione Clementis decretum prorſus eluderetur, ſacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium die 7. Julii 1617. prædictam opinionem improbavit: *Cum a nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto felic. record. Clementis Papæ VIII. anno* 1593. 26. *Maji, ſuper qualitate caſuum, ab eorundem Regularium Superioribus reſervandorum, edito, cenſuræ etiam comprehenderentur, ita ut iiſdem Superioribus, abſque Capituli Generalis, aut Provincialis conſenſu, aliquibus peccatis in decreto hujuſmodi non contentis excommunicationem annectere, ejuſdemque abſolutionem ſibi reſervare liceat; Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum, Illuſtriſſimo Bandino referente, cenſuras in ſupradicto decreto comprehendi cenſuit.*

VI. Verum, quia homines quantum propriam juriſdictionem dilatare geſtiunt, tantum alienam, cui ſubſunt, reſtringere tentant; illi iidem, qui reſervationis vinculum in ſubditos, pluſquam par erat, injicere voluerant, reſervationes ab Epiſcopis factas, pro viribus conati ſunt effugere: & niſi eorum conatibus Apoſtolica Sedes obſtitiſſet, Epiſcoporum juriſdictionem fere labefactaſſent. Jampridem Benedictus XI. *in Cap. 1. de privilegiis, inter Extravag. comm.* & Clemens V. *in Clementina Dudum, §. Per hujuſmodi, de ſepulturis, & in Clementina Religioſi, §. Quibus, de privileg. & exceſſ. privilegiator.* declaraverant, non licere Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus quempiam abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis; & nihilominus iidem, ceteriique Regulares, obtentu privilegiorum, quorum confirmationem poſt Concilium Tridentinum impetraverant, & præſertim illius, quod contineri jactabant in Bulla, quam vocant *Mare magnum*, jus ſibi arrogabant crimina relaxandi Epiſcopis reſervata. Ut Regularium auſus reprimeret, ſuaque, & Coepiſcoporum jura tueretur, S. Carolus Borromæus Sedem Apoſtolicam adiit, petiitque: *An Regulares, ex privilegiis a Sede Apoſtolica impetratis, præſertim autem ex eo, quod nominant* Mare magnum, *poſſint in his caſibus, quos ſibi Epiſcopus reſervavit, abſolvere confitentes:* & ſacra Congregatio Concilii die 10. Septembris 1572. approbante Gregorio XIII. reſpondit. *Ex facultatibus per hoc* Mare magnum, *aliave privilegia, Regularibus conceſſa, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ſibi ab Epiſcopo reſervatis:* cujus rei fidem faciunt ejuſdem ſacræ Congregationis litteræ, de quibus in notis Cardinalis Auguſtini Valerii, Epiſcopi Veronenſis, ad Conſtitutiones editas per Joannem Matthæum Gibertum Anteceſſorem *pag. 100. edit. anni* 1740. Hoc reſponſo fretus S. Carolus in ſuo Concilio Provinciali Mediolanenſi III. anni 1573. *ſub tit. De iis, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent, Actor. part. 1. pag. 93.* edixit *Ne Confeſſarii Regulares, eorum peccatorum, quorum abſolutio Epiſcopo reſervata eſt, vinculis irretitos pœnitentes*

abſol-

*absolvant, quemadmodum a sancta Sede Apostolica declaratum est, id eis non licere, quavis privilegiorum suorum auctoritate.* Utque efficacius Regulares in officio continerent, in alio Concilio Provinciali Mediolanensi V. anni 1579. *cit. part.* 1. *pag.* 222. absolvere præsumentes a casibus, Episcopis reservatis, excommunicatione innodavit: *Ab iis casibus proxime promulgatis, si quis Confessarius cujusvis Ordinis, sine facultate scripta ab Episcopo data, aliquem absolvere attentarit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat.*

VII. At non propterea Regulares sunt in ordinem redacti, sed alias in dies nectebant inanes rationes, quibus sibi assererent jurisdictionem, quam semel affectaverant. Quare a sacra Congregatione Episcoporum & Regularium die 9. Januarii 1601. novum promulgatum fuit decretum, Clementis VIII. auctoritate roboratum, quo iterum decisum est, nullam illis facultatem competere absolvendi a casibus, *quos locorum Ordinarii hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt.* Et, quoniam etiam hanc novam decisionem variis tricis eludere iidem tentarunt, ut his obviam iret, eadem sacra Congregatio, jubente Paulo V. die 6. Januarii 1617. aliud edidit decretum, quo priora confirmavit, atque ad unguem servari præcepit. Tot, ac toties repetitis sanctionibus minime perterriti Regulares, illas, si non prorsus evertere, saltem debilitare, novo molimine studuerunt, dictitantes nimirum, robur non habere extra Italiam. Quocirca, ad hanc quoque cavillationem amputandam, eadem sacra Congregatio, præcipiente Urbano VIII. die 18. Novembris 1628. omnia hucusque relata decreta, jam tertio renovavit, ac Regulares tam intra, quam extra Italiam degentes afficere, & complecti, expresse edixit, & declaravit. Ad hæc, Alexander VII. die 24. Septembris 1665. inter alias, hanc etiam propositionem damnavit. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Et Clemens X. ut aditum obseraret innumeris effugiis, a Regularibus adinventis, anno 1670. sua Constitutione, quæ incipit *Superna magni Patrisfamilias, tom. 6. Bullar. pag.* 305. non solum denuo definivit, per *Mare magnum*, aliave privilegia, nulli Regularium, cujuscumque Ordinis, Instituti, seu Societatis, etiam Jesu, factam esse potestatem absolvendi a casibus Episcopo reservatis, sed insuper sancivit, *habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus, Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere.* Cumque demum nos sacræ Congregationis Concilii Secretarium ageremus, instante Archiepiscopo & Electore Colonienſi, ejusdem sacræ Congregationis examini subjecimus sequens dubium: *An confessarii Regulares possint seculares, extra mortis periculum, absolvere a casibus Ordinario reservatis.* Ad quod die 16. Novembris 1720. responsum fuit *Negative.* Ne porro præfatæ decisiones ullo unquam tempore e Regularium memoria excidirent, utque continue præ oculis iidem haberent culpas, quas nequeunt relaxare, eadem sacra Congregatio Concilii in *Sublacen. Jurisdictionis* die 10. Octobris 1676. dixit, eos teneri affigere propriis sedibus Confessionalibus notulas casuum Episcopo reservatorum; & renuentes, opportunis juris remediis ad id cogi posse: uti habetur *lib.* 29. *decretor. pag.* 284. *a tergo & pag.* 285.

VIII. Præter Regulares, alii quoque Episcoporum reservationes declinare tentarunt, quibus itidem sacræ Congregationes obstiterunt. Confratres quarumdam Confraternitatum, & signanter sanctissimi Rosarii, suorum privilegiorum virtute, sibi fas esse arbitrabantur, in quibusdam anni solemnitatibus Confessarium eligere, a quo possent a casibus absolvi Episcopo reservatis. Sed sacra Congregatio, statim ac illorum falsam persuasionem detexit, eam radicitus evellere studuit pluribus decretis, quibus oppositum definivit, præcipue in *Neritonen.* anni 1573. *lib.* 1. *decret. pag.* 143. & in *Mediolanen.* eodem anno *eod. lib. pag.* 162. Unde S. Carolus Borromæus in citato Concilio Provinciali Mediolanensi V. anni 1579. *ead. part.* 1. *pag.* 222. statuit: *Ne facultatum, privilegiorumque jure, quæ cuicumque, etiam Rosarii, & Crucesignatorum, Scholæ, Confratriæ, Collegiove etiam laicorum, quæve collegis, confratribusque in eo adscriptis ante, vel post Concilii Tridentini confirmationem, concessa sunt, Confessarius, cujusvis Ordinis sit, ab iis casibus, quos sibi Episcopus in sua diœcesi reservaverit, pœnitentes, sine illius facultate, absolvat. Si contra fecerit, suspensionem a Divinis ipso facto incurrat.* Canonicus Pœnitentiarius quandoque credidit, sola sui muneris assecutione, se facultatem nanciscí relaxandi peccata Episcopo reservata; sed sacra Congregatio Concilii sancivit, ejusmodi facultatem, sine speciali Episcopi concessione, illi neutiquam competere, *lib.* 15. *decret. pag.* 621. Præterea hæc olim opinio multorum mentes invaserat, liberum cuique esse, ex propria diœcesi, ubi in casum reservatum inciderat, ad aliam, in qua reservatus non esset, ad hunc finem commeare, ut inibi a simplici Confessario absolveretur: sed sacra Congregatio probe noscens, per hanc opinionem factas ab Episcopo reservationes penitus eludi, atque inutiles reddi, in causa *Compsana* die 16. Septembris 1649. *lib.* 18. *decret. pag.* 667. declaravit: *Absolutionem pœnitentibus indultam, qui fraudolenter, & sub eo fine, in aliam diœcesim se transtulerunt, non sustineri.* Quam declarationem postmodum confirmavit, & roboravit Clemens X. in laudata Constitutione, decernens: *Posse Regularem Confessorem in ea diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim, pro absolutione obtinenda, migrasse.* Atque hoc Pontificium decretum ab Auctore Theologiæ Moralis, in usum Seminarii Petrocorensis editæ, commendatur sequentibus verbis: *Hac convenienti moderatione contendentium Theologorum rationibus satisfecit. Sic enim secundum exterorum leges judicare non tenebimur, ut quidam opponebant. Sic etiam Episcopi casum reservantis piæ intentioni sufficienter consulitur, ut alii volebant. Quis enim conqueratur, si ipsius subditus bona fide in aliam diœcesim transiens, secundum illius loci leges Sacramenta recipiat? Receptissima siquidem consuetudo est, ut viatores, mercatores, aliique, qui propter negotiorum necessitatem, vel ob pium alium finem, in alienas diœceses transeunt, ibi possint sacramentaliter absolvi.* Ita legitur apud eundem Auctorem *tom.* 4. *lib.* 2. *tract.* 1. *de Pœnitentia cap.* 7. *qu.* 6.

IX. Denique post primam hujus Operis nostri editionem, occasione oblata, infrascriptum Decretum a nobis conditum fuit, quod ad eam pertinet piarum quarumdam Sodalitatum persuasionem, qua putant, Confessarios a suis sodalibus, *in vim peculiarium facultatum* sibi concessarum, electos, absolutionem ipsis impertiri posse a casibus etiam Ordinariis locorum reservatis. Cum enim in civitate Januensi non ita pridem erecta fuisset pia Confraternitas sub invocatione *B. Mariæ de Succursu contra Infideles*, eaque per nostras litteras in forma Brevis, quarum initium est *Attendentes*, non solum approbata & confirmata fuisset, sed etiam variis indultis & privilegiis ditata, inter quæ illud erat, ut singuli illius confratres Presbyterum quemlibet Confessarium, ab Ordinario Loci respective approbatum, eligere possent, cui facultas tribuebatur, ut unumquemque eorum a casibus reservatis, bis in eorum vita, & in eorumdem mortis articulo, absolvere valeret; non defuit, qui hanc

excitaret controverſiam, an ſcilicet Confeſſarii, ſic a prædictis electi, poſſent etiam a caſibus Ordinariis Locorum reſervatis, ſine ipſorum Ordinariorum licentia confratres illos abſolvere. Nos vero aliis noſtris Apoſtolicis litteris, incipientibus *Piæ Chriſtifidelium*, datis XII. Kal. Septembris 1752. ita reſpondimus: *Hujuſmodi eligendi, & reſpective abſolvendi facultatem &c. præterquam in caſibus Nobis & Sedi Apoſtolicæ duntaxat, non vero etiam Ordinariis locorum, reſervatis, niſi eorundem Ordinariorum licentia accedat, per Nos in præcitatis noſtris litteris nunquam conceſſam fuiſſe; & conſequenter abſolutiones in vim earumdem litterarum, contra præſentis declarationis noſtræ tenorem, forſan de præterito impertitas, aut in poſterum impertiendas, nemini ſuffragari potuiſſe, ſive poſſe, decernimus, & declaramus.*

## CAPUT SEXTUM.

*De jure exigendi Cathedraticum, in Synodo ut plurimum ſolvendum.*

ABuſus quondam in Eccleſiam irrepſerat, ut Archiepiſcopus Patriarchæ, Epiſcopus Metropolitæ, Sacerdos Epiſcopo, in ſua quiſque Ordinatione, aliquid penderent, veluti in honoris, & ſubjectionis ſignificationem; ſed quod fortaſſe ab initio modicum quid fuerat, adeo poſtea auctum eſt, ut Euſebius, Ancyræ Epiſcopus, & primæ Galatiæ Metropolita, in Concilio Chalcedonenſi *act. 16. tom. 2.* Collectionis Harduini *col. 642.* conqueſtus fuerit, ſe inveniſſe ſuam Eccleſiam nimio ære alieno gravatam, ob debita, quæ Theodotus deceſſor contraxerat ad ſolvenda Patriarchæ Conſtantinopolitano Ordinationis jura. Ad peſtiferum hunc abuſum ex Eccleſia Latina, ubi non minus, quam in Græca invaluerat, eliminandum, Concilium Bracarenſe II. anni 572. *can.* 3. ſtatuit. *Placuit, ut de Ordinationibus Clericorum Epiſcopi munera nulla ſuſcipiant; ſed, ſicuti ſcriptum eſt, quod gratis, donante Deo, accipiunt, gratis dent:* Collectionis Harduini *tom. 3. col. 386.* Voluerunt quippe hujus Concilii ſapientiſſimi Patres exempla ſectari antiquioris Synodi Illiberitanæ, quæ *can.* 48. idem in Baptiſmo ſervandum edixerat: *Emendari placuit, ut qui baptizantur (ut fieri ſolebat) nummos in concham non immittant; ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur:* Collectionis Harduini *tom. 1. col. 255.* Sed Concilii Bracarenſis ſalutare decretum efficax non fuit ad ſerpentem morbum compeſcendum: tempore enim Gregorii Magni adhuc idem abuſus vigebat aliquid penſitandi Epiſcopo ordinanti, quod, novo vocabulo, a ſimulatione invento, uti Gregorius ait, a Romanis dicebatur *Paſtellum*, quaſi, inſtar modici paſtus, eſſet quid modicum, & vile: ſed, quantulumcumque eſſet, illud ſevere prohibuit idem Gregorius Magnus in Synodo Romana, decernens *tom. 3.* Collectionis Harduini *col. 497. Antiquam Patrum regulam ſequens, nihil unquam de Ordinationibus accipiendum eſſe conſtituo ..... Pro Ordinatione ergo, vel Pallio, ſeu cartis, atque Paſtello, eundem, qui ordinandus, vel ordinatus eſt, omnino aliquid dare, prohibeo.* Quam Gregorii Magni ſanctionem inſtauravit Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 1. de reform. Quoniam ab Eccleſiaſtico Ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet; nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis Tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, & alii Ordinum Collatores, aut eorum Miniſtri, quovis prætextu, accipiant.*

II. Jam vero, quia prædictum munus, tributum, ſeu Paſtellum, olim in Ordinatione dari ſolitum, quandoque appellabatur etiam *Cathedraticum*, quod recte obſervarunt Gonzalez *in Cap. Conquerente, de offic. ordinar. Litt. L. in fine*, & Chriſtianus Lupus *in ſcholiis, & notis ad canon. Concil. tom. 1. pag. 467.* inde factum eſt, ut nonnulli, nominis æquivocatione decepti, ſcribere non dubitaverint, Cathedraticum, generatim, atque univerſim, a ſacris Canonibus improbari, & prohiberi. At, quantum iſti a veritate aberrent, ex ſequentibus patebit. Verum Cathedraticum, de quo in præſens, eſt certa penſio, non occaſione Ordinationis, ſed ſingulis annis Epiſcopo ſolvi conſueta in ſignum ſubjectionis, & honorem Cathedræ, ſeu Epiſcopalis officii onera ſuſtentanda. Huic penſioni ſolvendæ, pro locorum, & temporum diverſitate, duplex erat præfixum tempus: alicubi præſtabatur Epiſcopo, cum diœceſim viſitabat, quod ex mox referendis Conciliis Bracarenſi, & Toletano VII. colligitur: alibi, & magis communiter, pendebatur tempore Synodi; & quoniam Synodus plerumque poſt Paſcha cogebatur, idcirco ejuſmodi penſitatio quandoque *Paſchalis* eſt nuncupata, ſicuti poſt textum *in Cap. 15. de Simonia, in prima Collectan.* notavit Gironius *ad tit. de cenſibus*, & proſequitur Gonzalez *in cit. Cap. Conquerente, eadem Litt. L.* Frequentius tamen a Synodo dicta eſt *Synodatica:* quod conſtat tum *ex cit. Cap. Conquerente*, ubi Honorius III. ait: *Synodatici, ſeu Cathedratici nomine:* tum *ex Cap. Olim, de cenſibus*, ubi Innocentius III. cauſam definit inter Epiſcopum Spoletanum, & Clericos Plebis Rupinæ ſuper quantitate *Synodatici* exagitata. Dicta eſt etiam *Synodus*, ut conſtat ex Concilio Toloſano *cap. 10. tom. 6. part. 1.* Collectionis Harduini *col. 1045. Statuimus etiam, ut Eccleſiæ ad Sedem pertinentes, quæ ſolvunt tertium, aut Paratam, vel Synodum, ſolito more perſolvant Epiſcopis, vel Clericis: ex epiſtol. 58.* Fulberti Carnotenſis, *tom. 18. Bibl. Patr. pag. 18. &c.* quamquam a *Synodatico* diſtingui *Synodus* videtur in Indice mſ. Beneficiorum Eccleſ. Conſtan. apud du Cangium *verb. Synodaticum: Archidiaconi habebunt cobertionem extra viſitationem pro deportationibus, & penſionibus ſibi debitis, ac ratione Circatæ, quæ debetur in Synodis, ac ratione tertiæ partis, quæ debetur in Synodatico.* Cujus nominis ea ratio eſſe videtur, quod ad avertendam fortaſſe omnem fraudis ſuſpicionem penderetur in Synodo. Quare in vetere carta apud Joannem Columbum *lib. 4. de Epiſc. Syſtaric. num. 36. conceſſit tertiam partem juris, ſeu ſervitii Synodatici, quod ſolvi conſuevit in Synodo, quæ tenetur ad Syſtaricum &c.*

III. Cathedraticum in hac acceptione nunquam Eccleſiæ Canones vetuere, ſed duntaxat illud taxarunt, jubentes, ne duos ſolidos excederet. Laudatum Concilium Bracarenſe II. *Can. 2. tom. 3.* Collectionis Harduini *col. 386.* ait: *Placuit, ut nullus Epiſcoporum per diœceſes ſuas ambulans, propter honorem Cathedræ ſuæ, ideſt duos ſolidos, aliquid aliud per Eccleſias tollat.* Concilium Toletanum VI. anni 646. *cap. 4. tom. 3.* Collectionis Harduini *col. 622. Non amplius, quam duos ſolidos, unuſquiſque Epiſcoporum præfatæ provinciæ, per ſingulas diœceſis ſuæ Baſilicas, juxta Synodum Bracarenſem, annua illatione ſibi expetent conferri.* Et, ne quiſpiam Cathedraticum cum procuratione Epiſcopo diœceſim viſitanti, alio nomine debita, confunderet, de hac, veluti de re diverſa, idem Concilium ſubjunxit: *Cum vero Epiſcopus diœceſim viſitat, nulli præ multitudine oneroſus exiſtat.* Alexander III. *in Cap. 9. de cenſibus*, permittit Epiſcopo ab Eccleſiis, quas de novo acquirit, Cathedraticum exigere: *Eccleſiis*, inquit, *quas de novo Epiſcopi de manibus laicorum eripiunt, præter Cathedraticum, & jura omnia, quæ aliis Eccleſiis imponuntur, exactionem prohibemus imponi.* Honorius III. *in cit. Cap. Conquerente*, inter jura Epiſcopalia recenſet jus exigendi, *Synodatici, ſeu Cathedratici nomine, duos ſolidos Lucenſis monetæ*; ſicuti legitur in integra Decretali apud Gonzalez. Nullum enimvero

Epiſ-

Episcopale jus, Cathedratico antiquius, comperimus: siquidem Arnoldus, Abbas Lubecensis, in Chronico Sclavorum narrat Hartuinum Archiepiscopum Bremensem, deductum ad inopiam ex solo Cathedratico vixitasse. In Concilio Ravennati anni 997. *can.* 2. constitutum est, ut quotannis, die Sancto Vitali sacro, omnes Archipresbyteri censum Episcopo penderent duorum solidorum, quos, non alio, quam Cathedratici nomine solutos, ostendit Thomassinus *de vet. & nov. Eccles. discipl. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 5. Geraldus Episcopus Carducensis, cum anno 1090. Canonicorum Regularium Collegium instituisset, illi in dotem assignavit jus exigendi tertiam partem Paratarum, idest Procurationum, & Cathedratici: *Tertiam partem Paratarum, & quod in Synodis exierit, ipsorum usui deputavit tertiam portionem: Spicileg. tom.* 3. *pag.* 416. Gualterus Episcopus Pictavensis, in sua Synodo, habita anno 1280. *can.* 11. inter Episcopalia jura Synodaticum recensuit: *Monemus in generali, quod de Bissexto, & aliis juribus Episcopalibus reddant nobis, vel mandato nostro; item de Synodo, Parata, & aliis juribus Archidiaconorum*: Collectionis Harduini *tom.* 7. *col.* 854. ubi *Bixeti* nomine intelligi quartam decimarum, & oblationum, suspicatur Thomassinus. Synodus Avenionensis anni 1366. *cap.* 11. neminem e Synodo recedere jussit, nisi prius Cathedraticum solvisset: *Quilibet vestrum etiam, antequam recedat, solvat Synodalem, & Cathedraticum ..... si voluerit excommunicationis sententiam, & expensarum gravamina evitare.* Idemque decrevit Synodus Biterrensis, anni 1368. *cap.* 26. *Thesaur. nov. Anecdot.* Martene, & Durand *tom.* 4. *col.* 576. & 632. Humbertus de Romanis, quintus Generalis Magister Ordinis Prædicatorum, in suo Opere *de eruditione Religiosorum Prædicatorum lib.* 2. *cap.* 2. de Synodis agens, dicit, Sacerdotes ad eam accedentes, ut suam subjectionem Episcopo testentur, solvere eidem *didrachma Cathedraticum*, exemplo illorum, de quibus ait Evangelista Lucas 2. *Ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem.* Hæc, aliaque hujus generis multa, quæ congeruntur a Christiano Lupo *in scholiis, & notis ad canones Conciliorum cit. tom.* 1. *pag.* 469. *tom.* 2. *pag.* 1123. *tom.* 3. *pag.* 209. atque a Thomassino *cit. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. plane evincunt, Synodaticum semper fuisse Episcopis debitum.

IV. Non tamen negamus, potuisse Episcopos, in Cathedratico exigendo, aut contra justitiam, aut contra æquitatem, aliamve virtutem peccare, & quandoque peccasse: vel quia ultra duos solidos, a jure statutos; vel quia nimis violenter a pauperibus Clericis illud exigebant: vel demum quia nimiam aviditatem, aurique sacram famem in Cathedratici exactione, non sine profecto aliorum offensione, & scandalo, manifestabant: contra quos juste invehitur S. Petrus Damianus *lib.* 2. *epist.* 2. *ad Cardinales Episcopos Apostolicæ Sedis*, sive *Opuscol.* 31. *cap.* 5. inquiens: *Vidi ..... quemdam de Fratribus nostris ..... qui sic subsultabat, atque glisebat, dum præfixum Synodalis Concilii tempus insisteret, ac si trituræ, sive vindemialis proventus articulus immineret. Accingebat enim se muneribus colligendis, ad quos utique præcidendos, non aciem ferri, sed falcem exacuebat eloquii.* Quamobrem alii sancti Antistites, ut omnem a se avaritiæ suspicionem quam procul arcerent, suis Presbyteris, ad Synodum evocatis, onus solvendi Synodatici liberaliter remiserunt, inter quos emicuit Sanctus Rudolphus, Eugubinus Episcopus, quem idem Petrus Damianus, scribens ad Alexandrum II. *lib.* 1. *epist.* 19. *cap.* 3. hoc nomine laudat, quod *congregans annualiter Synodum, nullum adsuetæ oblationis, vel xeniorum canonem a Clericis exigi permittebat ..... absit, inquiens, ut Synodum vendam.* Eadem de causa Hincmarus, Archiepiscopus Remensis, *epist.* 46. omnibus sibi subjectis Episcopis mandavit, *Synodos Presbyterorum secundum sacros Canones sine venalitate habere.* Non idcirco vero, quod priores contra leges deliquerint, & posteriores juti cesserint, quod eis competebat, jus aliis ademptum est, quo a sacris Canonibus, & legitima consuetudine fuit singulis Episcopis concessum, sicuti egregie ratiocinatur Lupus *cit. loc.*

V. Hinc, quamvis Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.* novis exactionibus Episcopis interdixerit, non proinde expunxisse jus Cathedratici, modo non in visitatione, ubi quidvis exigi, idem Concilium vetuit, sed vel in Synodo, vel alio tempore, pendatur, censuit Congregatio, ejusdem interpres: *Sacra Congregatio Concilii censuit, Concilium Tridentinum nequaquam sustulisse Cathedraticum, non illud tamen solvendum in visitatione, sed extra, & in Synodi celebratione.* Quam decisionem pluribus argumentis roborat Fagnanus *in Cap. Conquerente, num.* 48. & *sequent. de offic. Ordinar. & in Cap. Venerabili, num.* 16. & *seq. de censibus.* De hac Trideatini mente nihil dubitavit S. Carolus Borromæus, qui etsi sacrosancta illius decreta religiose custodierit, & ne minimum quidem eorum apicem neglexerit, nihilominus in sua secunda Synodo Cathedratici legem renovavit *Act. Eccl. Mediol. part.* 2. pag. 346. *Illud sacris Canonibus constitutum est, ut a singulis Parochis in Diœcesana Synodo, Cathedratici nomine, solidi duo exigantur, idque argumento honoris, qui Cathedrali Ecclesiæ tanquam Matri a ceteris Parochialibus Ecclesiis tribui debet.* S. Carolo consenserunt Prælules Concilii Bituricensis, anni 1584. sub anathematis interminatione, Synodaticum, seu Cathedraticum solvi, jubentes, *tit.* 33. *can.* 7. *Jura Synodalia, Cathedratica, Episcopalia, & quævis alia ... integre persolvantur, sub pœna excommunicationis.* Collectionis Harduini *tom.* 10. *col.* 1402.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De nonnullis quæstionibus Cathedraticum respicientibus.*

FIrmato jure Cathedratici, aliquot statim occurrunt enodandæ difficultates, & dirimendæ quæstiones. Et primo quidem, non facile est determinare quantitatem pecuniæ Cathedratici nomine, Episcopo erogandæ: scimus quippe, a jure præscriptos duos solidos, sed quænam pecuniæ species, & quantitas, *solidi* nomine, sit intelligenda, ignoramus: siquidem, uti observant Covarruvias *de veter. numism. cap.* 3. & 6. *num.* 5. & Gonzalez *in cit. Cap. Conquerente, lit. M.* nec solidus, nec solidi valor, semper, & ubique unus fuit, sed, pro temporum, & regionum diversitate, diversus. Apud Romanos solidus erat sexta pars unciæ auri, & ideo, alio nomine, dicebatur *sextula*, uti tradit Isidorus *de origin. lib.* 16. *cap.* 24. quod tamen Budæus *de asse lib.* 5. intelligendum putat, non de solidis aureis antiquis, qui quaterni in uncias signabantur, & singuli binas drachmas pendebant; sed de posterioribus, cum, pondere imminuto, sex aurei solidi ex uncia cudi cœperunt. Apud Gallos aureus solidus quadraginta, argenteus duodecim tantum denariis æstimabatur; non enim ejusdem aurei solidi valor, a quadraginta, ad duodecim denarios, a Rege Pipino est adductus, uti putarunt Lindenbrogius, du Cangius, & alii, quos refellunt le Blanc *in tract. histor. pecun. Gallic. pag.* 8. & Maurini *in addit. ad Gloss. du Cangii;* sed ad similitudinem antiqui solidi aurei percusum a Francis solidum argenteum, & duodecim denariis æstimatum, iidem Auctores narrant, quibus etiam suffragatur Gronovius *lib.* 3. *de pecun. veter. cap.* 6. Apud Longobardos quilibet solidus quadraginta pariter denarios continebat, sicuti citatus Gonzalez notat. Verum non satis liquet, aureus ne,

an

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



an argenteus esset, & quanti æstimaretur solidus ille Lucensis, in cujus moneta duos solidos pendendos, statuit Honorius III. *in cit. Cap. Conquerente*. Concilium Romanum anni 1725. singulis solidis valorem attribuit uniu auri monetæ Romanæ, ac proinde duos solidos, titulo Cathedratici persolvendos, continere, ait viginti julios ejusdem monetæ: quamquam non integros solidos, a singulis Beneficiariis pendendos decrevit, sed pro quantitate reddituum Beneficiorum, quæ obtinent, secundum mensuram ibidem definitam. Verum, cum præfatum Concilium mere Provinciale fuerit (quod alibi diximus,) legem non constituit extra Romanam provinciam servandam. Quocirca, cum nihil certi, hac de re, a jure communi colligere possimus, concludendum est, certam & universalem regulam, quoad quantitatem Cathedratici, præscribi non posse, sed illam desumendam esse a particularibus locorum statutis, & recepta in qualibet diœcesi consuetudine, quemadmodum docuerunt Abbas *in Cap. Olim, de censibus*, & Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 86. *num.* 84.

II. Facilius, quam census Episcopo pensitandi quantitas, determinantur personæ, a quibus sit quotannis persolvendus: certum enim est Cathedraticum solvi debere ab omnibus Ecclesiis Secularibus, & quibuscunque Parochis, & Beneficiariis; æquum quippe est, ut qui ab Ecclesia stipendia recipit, Ecclesiæ Moderatori, ejusque Cathedræ, in subjectionis signum, aliquod tributum pendat: nec ad rem præsentem quidquam refert, cujus ritus Parochi, & Beneficiarii sint, modo in diœcesi degant, & unius Episcopi jurisdictioni subsint: quare, cum quidam Parochi, & Beneficiarii diœcesis Cassanensis, hac ratione se exemptos crederent ab obligatione solvendi Cathedraticum Episcopo Latino, quod ipsi addicti essent Græco ritui, in sacra Congregatione Concilii, ad quam ejusmodi controversia delata fuerat, die 8. Februarii 1738. causa ceciderunt, uti habetur *tom.* 8. *Thesaur. Resolut. part.* 2. *pag.* 23. *& duabus seqq.*

III. Consulto diximus, ab Ecclesiis Secularibus; quoniam Ecclesiæ Regularium, monasteriis contiguæ, in quibus iidem Regulares Divina peragunt Officia, gaudent exemptione a Synodatico solvendo, per textus *in Can. Inter cetera, caus.* 10. *quæst.* 3. *& Can. Quam sit, caus.* 18. *quæst.* 2. aliaque jura allegata a Barbosa *jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 2. *& seq.* Engel *ad tit. de censib. num.* 2. Aliud est de Ecclesiis, Cappellis, & Parochialibus Secularibus, Regularium monasteriis pleno jure unitis, a quibus Cathedraticum Episcopo loci esse pensitandum, communiter Doctores tradunt; quia ejusmodi Ecclesiæ nusquam reperiuntur subtractæ a lege diœcesana, quin immo huic diserte subjiciuntur *in Cap. Conquerente, de offic. Ordinar.* ubi Honorius III. ait: *Episcopus jura Episcopalia in Ecclesiis, seu Cappellis monasterii debeat habere*: ac propterea, cum inter jura Episcopalia annumeretur Cathedraticum, etiam hoc Episcopo ab illis deberi, merito infert Fagnanus *in eod. Cap. Conquerente, num.* 10. *&* 43.

IV. De Confraternitatibus laicorum, auctoritate ordinaria erectis, disputatum est, an tenerentur ad Cathedratici solutionem: & responsum fuit, teneri, si habeant propriam Ecclesiam; secus autem, si simplicem tantum Cappellam, seu Altare habeant, in aliena Ecclesia situm: in causa enim *Firmana Cathedratici* die 24. Julii 1734. examinatis sequentibus dubiis: *An Confraternitates erectæ auctoritate ordinaria, & habentes propriam Ecclesiam teneantur solvere Cathedraticum in casu &c.* item: *An ad solutionem Cathedratici teneantur item Confraternitates, non habentes propriam Ecclesiam, sed simplicem tantum Cappellam in honorem Sanctorum, sub quorum titulo sunt erectæ, in casu &c.* sacra Congregatio Concilii ad primum respondit *Affirmative*; ad secundum *Negative*: idemque responsum dedit in *Urbevetana Cathedratici* die 20. Martii 1745.

V. Diximus etiam, Cathedraticum solvendum a quibuscumque Parochis, & Beneficiariis. Quoniam autem qui civitatem incolunt, unum quasi corpus simul constituunt, aliudque corpus constant ceteri Parochi, & Beneficiarii, in suburbiis degentes; dubitatum fuit, an satis sit, ut unicum Cathedraticum solvatur a corpore Parochorum, & Beneficiariorum civitatis, alterum a corpore aliorum, extra civitatem commorantium: an potius ab unoquoque singulatim suum Cathedraticum sit pensitandum. Quæstio discussa, & decisa fuit in sacra Congregatione Concilii die 19. Novembris 1735. in *Perusina Cathedratici*, in qua proposito dubio: *An Cathedraticum sit solvendum a Rectoribus Ecclesiarum Parochialium civitatis, & suburbiorum Perusiæ, uti asserto uno corpore, seu potius ab unoquoque ex eis*: responsum fuit: *Negative quoad primam partem; & affirmative quoad secundam*. Secus est, cum nullus Clericorum, uni eidemque Ecclesiæ intervientium, suam possidet specialem Præbendam, sed singuli sustentantur ex massa communi, ex qua unusquisque suam accipit portionem; tunc enim unicum Cathedraticum esse ab omnibus ex eadem massa persolvendum sancitum est in Concilio Romano anni 1725. *tit.* 8. *cap.* 4. *Ab Ecclesiis vero, ubi plures de massa participant, ab omnibus in communi, julii viginti; salvis tamen consuetudinibus, Ecclesiis, & Episcopis magis favorabilibus*. Et quod specialiter attinet ad Beneficia simplicia, sacra Congregatio Concilii in *Maceraten. Cathedratici* die 29. Aprilis 1731. dixit, ex omnibus Beneficiis Cathedraticum deberi Episcopo, solis exceptis Cappellaniis laicalibus, & ad nutum amovibilibus.

VI. Alia succedit controversia: an ex privilegio, vel consuetudine tanti temporis, cujus initii non sit memoria, acquiri possit exemptio ab onere solvendi Cathedraticum. Atque, ut prius de privilegio loquamur, cum Romanus Pontifex possit quamlibet Ecclesiam, & Beneficium, ab Episcopi jurisdictione totaliter subtrahere, multo magis poterit a solutione Cathedratici eximere, quod ex text. *in Cap. Constitutus, de religiosis domibus*, bene probat Bottus *de Synodo* 3. *part. num.* 90. Non tamen præsumitur, quod Pontifex id privilegii alicui concesserit, nisi illius expressam mentionem fecerit, juxta textum *in Cap. Pastoralis, de donationibus*. Quin immo docet Piasec. *in praxi Episcopal. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 13. non censeri Ecclesiæ remissum Cathedraticum, etsi generatim fuerit ab Episcopi jurisdictione subtracta, nisi speciali privilegio ab illius pensitatione deprehendatur nominatim liberata. Quod vero consuetudinem spectat, in eam olim sententiam nonnihil propenderat S. Congregatio Concilii, quod posset, immemorabili consuetudine, quilibet libertatem nanciscì ab obligatione præstandi Cathedraticum; sed, causæ articulo ad novam trutinam revocato, cum consideraverit, Episcopalia jura a subditis adversus Episcopos nunquam præscribi posse, juxta sanctionem Innocentii III. *in Cap.* 16. *de præscr.* e priori sententia recessit, & oppositum definivit in *Lavellen. Cathedratici* 6. Junii 1693. *lib.* 42. *decretor. pag.* 261. disceptato enim sequenti dubio: *An Cathedraticum Episcopo debeatur, non obstante immemorabili in contrarium*: responsum fuit, *Affirmative, ad formam juris, ab Ecclesiis, & Beneficiatis*. Quam decisionem postea roboravit sæpius laudatum Concilium Romanum anni 1725. *tit.* 8. *cap.* 4. decernens: *Census Cathedrali Ecclesiæ solvendus in signum honoris, & subjectionis Cathedræ Pontificali. Jus sane, inter cetera Episcopalia, ita privilegiarium, ut neque ab Episcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat, quocumque titulo, vel immemorabili consuetudine, præscribi*. Atque hac defi-

definitione freta ſacra Congregatio Concilii, in nuper allegata cauſa *Perufina*, interrogata: *An Cathedraticum debeatur Epiſcopo ab Eccleſiis exiſtentibus in aſſerta quaſi centenaria, vel immemorabili illud non ſolvendi:* fidentius reſpondit *Affirmative*. Nimium itaque a ſacris Eccleſiæ Canonibus deviarunt, qui aſſeruerunt, non licere Epiſcopo a ſuis Clericis Cathedraticum exigere, niſi prematur inopia, aut innitatur præſcriptione longioris temporis; quod moribus Galliæ receptum affirmat Feuret *lib. 3. cap. 3. num. 23.* addens, quod, ſi exigatur, interponitur appellatio tanquam ab abuſu: etenim uti contra eundem Feuret egregie ratiocinatur Alteſerra *in vindic. Juriſdict. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 19.* gravis Epiſcopi neceſſitas requiritur, ut expoſcere queat ſubſidium charitativum, quod in paupertatis levamen illi conceſſit Concilium Lateranenſe III. anni 1179. ſub Alexandro III. *can. 4.* inquiens: *Suſtinemus pro multis neceſſitatibus, quæ aliquoties ſuperveniunt, ut, ſi manifeſta ac rationabilis cauſa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium poſtulare:* quam ſanctionem commemorat Honorius III. *in citat. Cap. Conquerente, de offic. Ordinar.* ſcribens Epiſcopo Aſſiſienſi, ut aliis juribus contentus, ſubſidium charitativum ab Eccleſiis, præſertim exemptis, non exigat, niſi gravi urgeatur neceſſitate: *Tu autem, his juribus ..... contentus exiſtens, non amplius ab eis exigas, præter moderatum auxilium, quod juxta formam Lateran. Conc. ſi manifeſta & rationabilis cauſa extiterit, cum charitate poſtulandum: ſicut ab aliis Eccleſiis ejuſdem diœceſis, pro neceſſitate temporis, ſuſtinemus.* Sed neque paupertas, neque alia cauſa requiritur ad exigendum Cathedraticum, quod inter Epiſcopalia jura recenſetur, & cuilibet Epiſcopo, ſine ulla limitatione, conceditur: nec profecto neceſſe eſt, ut Epiſcopus a præſcriptione ſortiatur illud jus, quod adeo eſt ſui muneris proprium, ut no contraria præſcriptione quidem poſſit illud amittere; ut enim dicebamus, nullus unquam poteſt præſcribere adverſus ſubjectionem, & reverentiam debitam Epiſcopo, in cujus ſignificationem Cathedraticum penſitatur.

VII. Poſtremo dubitatur, an Cathedraticum, quod penſitandum eſſet in Synodo, debeatur Epiſcopo pro tempore, quo Synodum non celebravit; quod idem eſt ac quærere, an poſito, quod Epiſcopus decem ex. gr. annorum ſpatio Synodum non coegerit, in prima Synodo, quam habet, unicum tantum, an potius decem Cathedratica exigere valeat. Sæpius de hac quæſtione diſceptatum eſt in ſacra Congregatione Concilii; eaque ſemper fuit in ſententia, quod Cathedraticum ſingulis annis ſit Epiſcopo ſolvendum, etiamſi Synodus quotannis non cogatur: quamvis enim in Synodo ſolvi conſueverit, & hac de cauſa Synodaticum ſit appellatum (ut diximus); non idcirco tamen eſt ita affixum Synodo, ut, hac non habita, ceſſet obligatio illud præſtandi: ſemper quippe urget ratio reverentiæ, & ſubjectionis erga Cathedram Epiſcopalem, propter quam Synodatici penſitationem jura imperarunt. Quocirca in citata Synodo Avenion. anni 1366. *cap. 11.* & in alia Synodo pariter Avenion. ſub Alano Epiſcopo *cap. 15. cit. tom. 4. Anecdotor. col. 575.* & 580. decretum fuit, ut non ſolum Synodaticum anni tunc decurrentis, ſed *etiam Arreragia temporis jam lapſi*, ante Synodi dimiſſionem, integre Epiſcopo perſolverentur: & ſacra Congregatio Concilii, nullo habito reſpectu ad Synodum, Cathedraticum Epiſcopo deberi a die adeptæ poſſeſſionis Eccleſiæ, dixit in *Amalphitana Cathedratici* 5. Septembris 1705. & 26. Februarii 1707. & in *Caſſanenſi* 21. Martii 1735. *lib. 55. decret. pag. 326. & lib. 57. pag. 68. & lib. 85. pag. 188.*

VIII. Quod tamen eſt intelligendum, niſi adſit longæva, & legitime præſcripta conſuetudo non ſolvendi Cathedraticum, niſi in Synodo: quoniam, etſi conſuetudo non poſſit prorſus delere obligationem illud penſitandi, poteſt nihilominus minuere ſolutionis onus, & facere, ut non urgeat ſingulis annis: ſiquidem eo ipſo, quod aliquando, & in aliqua etiam minima quantitate, eſt ſolvendum, jam ſervatur honor debitus Cathedræ Epiſcopali, contra quem duntaxat præſcribi non poteſt, ſicuti recte perpendunt Bottus *de Synod. part. 3. num. 89. & ſeq.* & Maſſobrius *eod. tract. cap. 4. dub. 33. & 34.*

IX. Porro, ut quam celeriter, & prompte ſibi debitum Cathedraticum Epiſcopus aſſequatur, in particulari Congregatione a ſan. mem. Clemente XII. deputata die 5. Octobris 1731. hæc methodus, in illius exactione ſervanda, præſcripta fuit: *Ut Cleri ſolutioni Cathedratici conſultum ſit, nec tamen judiciarius ordo prætermittatur, ſacra Congregatio, a Sanctiſſimo Domino noſtro deputata, cenſuit, rem ſic eſſe temperandam, ut adverſus eos, qui illud ſolvere tenentur, ſi in mora fuerint, unica ſufficiat citatio, cum præfixione termini quinque dierum, antequam decernatur expeditio mandati executivi: præmiſſa autem illa citatione, poſſit etiam deinde in contumaces ad ejuſdem mandati executionem procedi, abſque alia nova citatione.* Cohærenter ad hujuſmodi decretum datæ ſunt litteræ, quæ extant in Appendice ad Conſtitutiones Synodales Sabinenſes Hannibalis Cardinalis Sancti Clementis *pag. 30.*

X. Duo his ſuperaddimus, quæ ad Cathedraticum referri poſſunt. Primum eſt, ab Antiocheno Patriarcha Maronitarum, cum ſacra Olea diſtribueret, aliquam exigi conſueviſſe pecuniæ oblationem, qua uteretur ad ſui alimoniam, atque ad onera ſuſtinenda, quæ Patriarchali incumbunt officio, ac dignitati. Quamquam autem conſtitiſſet, pecuniam neque dari, neque recipi animo nundinandi ſacra Olea; attamen, ad omnem propellendam ſimoniæ ſuſpicionem, prædicta conſuetudo *fuit improbata* a Congregatione particulari, cui demandata eſt cognitio rerum ad Maronitas pertinentium, ejuſque ſententia fuit a nobis confirmata. Ut vero Patriarchæ indigentiis proſpiceremus, juſſimus, ut in poſterum eædem pecuniarum oblationes, nomine ſubſidii charitativi, fierent Patriarchæ die Dominica infra octavam ſolemnitatis Aſſumptionis Deiparæ Virginis Mariæ; quod videre eſt *in noſtra Conſtit. 43. Bullar. tom. 1.* Alterum eſt, quod Canonica portio, ſeu Quarta Epiſcopalis, debita Epiſcopo ex iis, quæ relinquuntur Eccleſiis, juxta textum *in Cap. Requiſiſti, de teſtam.* de qua copioſe nos, in minoribus tunc conſtituti, diſſeruimus in quadam cauſa *Aretina*, & plura etiam adducta fuerunt a Ferdinando de Valentibus in ſuo voto, in eadem cauſa exarato, quod eſt 19. *Oper. tom. 3.* Cathedratici naturam imitatur, iiſdemque prorſus ſubjacet juris regulis, quæ in Cathedratici ſolutione ſervantur: quemadmodum demonſtrat Scarfantonius in diſſertatione, quam concinnavit pro quadam cauſa *Piſcien. Quartæ*, edita Lucæ anno 1746. ad cujus calcem impreſſa pariter reperitur prædicta noſtra elucubratio in ſimili cauſa *Aretina*.

## CAPUT OCTAVUM.

*De Eleemoſyna Miſſarum, & ejus taxatione in Synodo ut plurimum facienda.*

MOs fuit in Eccleſia, plurium ſeculorum intervallo ſancte retentus, ut quotquot ad Miſſarum ſolemnia convenirent fideles, ſuam unuſquiſque ſacrificii partem, hoc eſt panem, & vinum conſecrandum, offerret: ad quem alludens Cyprianus *lib. de oper. & eleemoſyn.* divitem feminam hoc nomine increpat, quod nihil offerens, alienæ oblationis partem ſumeret: *Locuples* (inquit) *& dives es, & dominicum* cele-

*celebrare te credis, quæ corban omnino non respicis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis*: eundemque respexit Augustinus (seu quisquis est Auctor sermonis olim 215. *de tempore*, nunc 265. *in Append. tom.* 5. *part.* 2. *n.* 2.) dicens: *Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit*: atque inde etiam factum est, ut Tertullianus *lib. de exhort. castitat. cap.* 7. omnes Christianos, Sacerdotes dixerit, non quod omnes potestatem haberent consecrandi, sed quia omnes panem, & vinum ad Dei Altare offerebant, sicuti egregie explicat Petavius *in diatriba de potestate consecrandi cap.* 1. *tom.* 4. *Theolog. dogmat.* Tanta porro illius ritus fuit apud majores nostros religio, ut, cum Patres Concilii Matisconensis II. anni 585. deprehendissent, eum pedetentim obsolescere, statim restitui curaverint, *can.* 4. decernentes: *Residentibus nobis in sancto Concilio, cognovimus, quosdam Christianos, relicto fratrum cœtu, a mandato Dei aliquibus locis deviasse; ita ut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio Deitatis, dum sacris Altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quam vini: ut per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel ceteris justis offerentibus, promereantur esse consortes. Omnes autem, qui definitiones nostras per inobedientiam evacuare contendunt, anathemate percellantur*: Collectionis Harduini *tom.* 3. *col.* 461. Neque vero, quod a singulis fidelibus offerebatur, modicum quid erat panis, & vini, quæ postea per Sacerdotem consecrata, atque in Christi Corpus, & Sanguinem conversa, ipsimet offerentes perciperent; sed quilibet, pro sua facultate, plures offerebat panes, cum larga vini amphora, quorum exigua pars consecraretur, & reliqua massa Sacerdotibus, & Clericis cederet, quemadmodum, pluribus allatis monumentis, ostendit Christianus Lupus *dissert.* 2. *proœm. ad decret. & canon. Concil. tom.* 3. *primæ edit. pag.* 183.

II. Præter panem, & vinum, quæ sacrificio usui erant, aliud ad Altare offerre prohibuit canon 3. Apostolorum: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in sacrificio offerat super Altare, id est aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur*. Et quamvis sequens canon 4. ejusmodi prohibitionem temperans, permittat offerri etiam oleum, incensum, novas spicas, & uvas; ceteros tamen fructus, non ad Altare offerri, sed ad Episcopum mitti jubet, Presbyteris, Diaconis, & Clericis distribuendos: *Offerre non liceat aliquid ad Altare, præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id est incensum, tempore, quo sancta celebratur oblatio. Reliqua poma omnia ad domum primitiæ Episcopo, & Presbyteris dirigantur, non offerantur in Altari. Certum est autem, quod Episcopus & Presbyteri dividant & Diaconis, & reliquis Clericis*. Concilium vero Carthaginiense III. anni 397. *can.* 24. qui est 37. in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ, *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 883. mel, & lac offerri permittit in die Paschalis festivitatis, quo solemne Baptisma celebrari, & egressis e sacro fonte mel, & lac dari consueverat: de quo ritu plura Cardinalis Bona *rer. liturg. lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 3. *Ut in Sacramentis* (ait cit. Concilium) *Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aquæ mixtum. Primitiæ vero, seu mel, & lac, & quod uno die solemnissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in Altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici Corporis, & Sanguinis distinguantur: nec amplius in primitiis offeratur, quam de uvis, & frumentis*. Verum posteriori ætate usus obtinuit, ut nihil quidem, præter panem, & vinum, juxta prisca Patrum decreta, Offertorii tempore exhiberetur, sed vel ante Missam, aut ante Evangelium, sive statim post Evangelium, liceret fidelibus, quidquid vellent, in Sacerdotum commodum, ad Altare offerre: quod ex Reginone *lib.* 1. *de Eccles. discipl.* recte colligit Martene *de antiquis Eccles. ritib. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 6. Duo pariter oblationum genera commemorant Capitularia Caroli Magni *lib.* 6. *cap.* 305. & magis aperte Liturgia Æthiopum, quam ad hunc ritum comprobandum adducit Honoratus a Sancta Maria *in suis Animadvers. in regulas, & usum Critices tom.* 2. *lib.* 4. *art.* 6. oblationes factas ante Offertorium, ab illis distinguit, quæ fiebant, dum Offertorium canebatur.

III. Sed num, inter cetera, etiam pecunia, sive ante Missam, sive ante Offertorium, prioribus seculis, ad Altare offerri soleret, ignoramus. Scimus enimvero, ab Ecclesiæ incunabulis, in singulis Christianorum Ecclesiis expositam fuisse arcam, quam Baronius *ad an.* 44. *num.* 69. *Gazophylacium* appellat, in quam pecuniæ a fidelibus inferebantur. Ejusmodi arcæ meminit Tertullianus *apol. c.* 39. inquiens: *Si quod arcæ genus est non de ordinaria* (al. *honoraria*) *summa quasi redemptæ religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem, menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert*. Et Justinus *apolog.* 1. *ad Antoninum Pium n.* 67. quasi rationem reddens pecuniæ, quæ in Ecclesiæ Gazophylacium conjiciebatur, ait: *Qui abundant, & volunt, suo arbitrio, quod quisque vult, largiuntur, & quod colligitur, apud eum, qui præest, deponitur, ac ipse subvenit pupillis, & viduis, & iis qui vel ob morbum, vel aliam ob causam egent, tum etiam iis qui in vinculis sunt, & advenientibus peregre hospitibus; uno verbo, omnium indigentium curam suscipit*. Ubi *indigentium* nomine, etiam Ecclesiæ Ministros Justinum comprehendisse, minime dubitamus: illi siquidem ex fidelium oblationibus alebantur, & incredibile videtur, quod ex solo pane, & vino, ad Altare oblatis, potuerint omnia sibi ad vitæ sustentationem necessaria comparare. Eundem morem deponendi pecuniam in Gazophylacio commemorant Augustinus *serm.* 356. *tom.* 5. *Oper. part.* 2. *n.* 13. & Paulinus *epist.* 34. sive *sermone de Gazophylacio*: quorum proinde testimonio constat labente seculo IV. & decurrente V. illum perseverasse.

IV. Sed quandonam, non in Gazophylacium immitti, sed ad ipsum Altare cœperit pecunia offerri, certo definire non possumus. Habemus quippe ex Augustino *epist.* 22. *num.* 6. *tom.* 2. *Oper. col.* 29. quæ est ad Aurelium Primatem, tempore oblationis, seu Missæ pro defunctis, fuisse simul denarios oblatos: sed, cum istos ab ipsismet offerentibus in pauperes erogari idem præcipiat, non videtur approbare, ut in Diaconorum manibus ad Altare deponerentur: *Oblationes pro spiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atque omnibus petentibus, sine typho, & cum alacritate præbeantur, neque vendantur; sed, si quis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus eroget*. Honorius Augustodunensis, Scriptor XII. seculi, *in Gemma animæ lib.* 1. *cap.* 66. tunc in Ecclesiam morem invectum asserit, pecuniam, loco panis, ad Altare offerendi, cum desierunt fideles, Sacrificio assistentes, sacra participare mysteria, quod ceteroquin antea fas non erat prætermittere: *Postquam autem Ecclesia numero quidem augebatur, sed sanctitate minuebatur, propter carnales, statutum est, ut qui possent singulis, Dominicis, vel tertia Dominica, vel summis festivitatibus, vel ter in anno communica-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*nicarent; ne ante Confessionem, & pœnitentiam pro aliquo crimine, judicium sibi sumerent. Et quia populo non communicante, non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est, eum in modum denarii formari, vel fieri, & ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret:* tempus tamen, quo id acciderit, Honorius non designat.

V. Verum, ut ut hæc res se habeat, & quidquid sit de initio usus offerendi ad Altare pecuniam, indubitatum est, quod asserit Thomassinus *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 3. lib. 1. cap. 7. num. 8.* juxta primigeniam nascentis, & adolescentis Ecclesiæ disciplinam, sive panem, sive denarium oblatum fuisse Ecclesiæ, & Clericis in commune, non vero datum cuipiam peculiari Sacerdoti, ut Missam privatim faceret, quæ uni eleemosynam offerenti prodesset. Morem autem stipem elargiendi Sacerdoti, ut exuberantem Sacrificii fructum stipis largitor in se, proximos, aut amicos, sive vitæ compotes, sive defunctos, derivaret, non ante seculum VIII. inductum, neque passim ubique ante XII. receptum, asserit Mabillonius *in præf. 1. in secul. III. Benedictinum n. 62.* cui tamen contradicit P. Franciscus Berlendi Clericus Regularis Theatinus *in dissert. Historico-Theologica de Oblationibus part. 2. §. 2.* illum longe antiquiorem affirmans: enimvero, quod in fine seculi VIII. jam invaluisset, fidem facit Chrodegangus, Episcopus Metensis, in Regula, quam eo seculo labente, vel nono ineunte, suis Canonicis præscripsit: in ea quippe *cap. 32. de eleemosynis*, cuique Canonicorum liberam potestatem fecit accipiendi, & in quos vellet usus expendendi, eleemosynam, quæ pro sua sibi Missa offerebatur: *De eleemosynis accipiendis* (inquit) *ita constituimus, ut si aliquis uni Sacerdoti pro Missa sua, vel pro Confessione, aut infirmitate, seu pro quolibet caro suo, aut vivente, aut mortuo, aliquid in eleemosynam dare voluerit, hoc Sacerdos a tribuente accipiat, & exinde, quod voluerit, faciat:* Collectionis Harduini *tom. 4. col. 1196.* Seculo vero XI. eundem morem adeo longe lateque propagatum scimus, ut etiam pueris notus esset: etenim Joannes Monachus *in vita Sancti Petri Damiani cap. 2.* de eo adhuc puerulo narrat, *quod quadam die .... casu nummum reperit, & tanquam subito dives effectus, gratulabundus, quid eo mercari aptius posset, diu mente revolvere cœpit ..... divinitus tandem inspiratus, ait: melius est, ut tradam Presbytero, qui Deo Sacrificium offerat pro patre meo.*

VI. Specialem hanc Sacrificii applicationem illi, qui eleemosynam largitus fuerat, vitus est improbare Walafridus Strabo, qui seculo IX. floruit, existimans, illud non plus prodesse uni, pro quo speciatim offeratur, quam universo cœtui fidelium; libro enim *de reb. Ecclesiast. cap. 22.* ait: *Sed & in hoc error non modicus videtur, quod quidam se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant, vel pro vivis, & defunctis non simul æstimant immolandum, cum vere sciamus, unum pro omnibus mortuum, & unum panem esse, & sanguinem, quem universalis Ecclesia offert. Quod si cui placet, pro singulis singulatim offerre; pro solius devotionis amplitudine, & orationum augendarum delectatione id faciat, non autem pro stulta opinatione, quæ putet, unum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum.* At non animadvertit Walafridus, quod, etsi sacrificium ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, scilicet Christi, sit infinitæ virtutis, non tamen, ita ejus institutore Christo volente, infinitos producit effectus: secus, si finem excipias colendi Deum, & supremum latriæ actum, qui sane ex qualibet, quantumvis crebro repetita, Divinæ victimæ immolatione, semper Deo exhibetur, quoad cetera, quæ ex sacrificio reportare intendimus, superflua esset ejusdem iteratio. Semel autem posito, quod effectus sacrificii finitus sit, perspicuum jam est, illud plus ei prodesse, cui applicatur, quam aliis: uti enim ratiocinatur Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 78. sect. 1. & disput. 79. sect. 12.* aut consideratur tanquam propitiatorium, seu satisfactorium; & certe pro illo speciatim satisfacit, in cujus debiti solutionem Deo exhibetur: aut consideratur tanquam impetratorium, & profecto ad beneficia illi uberius elargienda Deum movet, pro quo nominatim Sacerdos Divinam Hostiam immolans, Deum exorat. Rem totam explicat D. Thomas *in 4. dist. 45. art. 4. q. 1. & quæstiunc. 2.*

VII. Quod visus est improbare Walafridus, alio nomine sunt aperte infectati Wiclefistæ, hodieque infectantur Lutherani, & Calvinistæ, dictitantes, pecuniam Sacerdoti celebraturo in Missæ pretium dari, eamque propterea, veluti aperte simoniacam, damnantes. At in primis, ad eorum fallaciam refellendam, satis abunde foret illud adducere, quod ad rem ajebat Gerson *in opusc. de solicitudine Ecclesiasticorum, tom. 2. part. 3. particul. 19.* inquiens: *Sufficere in primis debet ad consensum hujus veritatis usus totius communis Ecclesiæ, qui sic habet, & recipit; cui si quis detrahit, imprudenter se decipit.* Et *part. 6. Nihil æquius, secundum omnem legem, esse deducit Apostolus prima ad Corinth. 9. quam qui altario deservit, de altario & vivat.* Præstat nihilominus audire D. Thomam, qui hanc ipsam hæreticorum calumniam jampridem anteverterat, & diluerat *2. 2. quæstion. 100. art. 2. ad 2.* inquiens: *Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ; hoc enim esset simoniacum: sed quasi stipendium suæ sustentationis.* Et in *4. dist. 25. q. 3. art. 2. quæstiunc. 1. ad 4. Facere pactionem de Missa celebranda est simoniacum semper. Si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicuti conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.*

VIII. At, quamvis res ita se habeat, nihilominus fatendum est, quorumdam improborum Sacerdotum sordidam avaritiam quandoque deboneſtasse, quod ceteroqui in se licitum, & sanctum erat: nonnulli quippe visi sunt Missas quodammodo venditare, ac turpissimum quæstum de illis facere. Et primo quidem, cum nondum Missæ eadem die iteratio erat severa lege prohibita, nonnulli ad solum finem plures eleemosynas captandi, sæpius in die Sacris operabantur, quos acriter perstringit Auctor vitæ S. Thomæ Cantuariensis *cap. 11.* his verbis: *Illos autem in præsentiarum nec memoratu dignos, non Christi, sed mammonæ Sacerdotes prætereo, qui, propter oblationum quæstum, unam Christi, & semel oblatam Hostiam quotidie, non semel, sed libentius, iterum, non tam consecrant, quam dilaniant, Filium Dei quæstui habentes.* Postquam vero & Alex. II. *Can. 53. de consecrat., dist. 1.* & Innoc. III. *in Cap. Consuluisti, de celebrat. Missar.* & Honor. III. *in Cap. Te referente, eodem tit.* districte vetuerunt, Sacrificium eadem die, sola excepta solemnitate Nativitatis Domini, ab eodem Sacerdote iterari, alias nequiores artes excogitarunt, quibus plures eleemosynas, unius Missæ celebratione, lucrarentur. Aliqui enim tot in eadem Missa consecrabant, quot illi fuerant, a quibus eleemosynam acceperant, autumantes, se hac ratione omnibus satisfacere: alii plures Missas in unam congerebant; Missam quippe diei usque ad Offertorium legebant; tum aliam incipiebant usque ad eundem locum; deinde tertiam, & quartam, eodem modo; postea tot Secretas dicebant, quot Missas inceperant; demum sub uno Canone Sacrum perficiebant, totidem additis in fine Collectis, quot initio recitaverant: has autem Missas *bisfaciatas*, & *trisfaciatas*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nuncupabant, quasi duplicem, & triplicem haberent faciem, quæ solæ satis illis esse videbantur ad plures eleemosynas, pro earum numero, assequendas. Hæc, aliaque hujus generis Missarum monstra recensent Petrus Cantor in Opere, quod inscripsit *Verbum abbreviatum*, *cap.* 29. & Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib.* 1. *cap.* 15.

IX. Quibus ab Ecclesia eliminatis, non idcirco improba Sacerdotum cupiditas fuit radicitus evulsa: adhuc enim iidem ingens lucrum ex Missa aucupantes, de unica eleemosyna, quam accipere poterant, quasi de mercis cujuspiam pretio paciscebantur, & nisi ad eorum votum augeretur, Missam facere renuebant; quos proinde Robertus Cardinalis Pullus, natione Anglus, *in Summa Theologica*, quam medio seculo XII. concinnavit, *part.* 7. *cap.* 17. ita objurgavit: *Quid est Missarum solemnia contuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Juda Christum vendere, tanto nequius, quanto resurgendo est sublimatus?* Quamobrem, ut glisentem hanc pestem tandem ab Ecclesia prorsus propellerent, & insatiabilem Sacerdotum aviditatem perpetuo freno coercerent, Patres Concilii Toletani, anni 1324. *c.* 6. vetuerunt, ne ullus Sacerdos quidquam, vel minimum, pro Missa ex pacto exigeret, sed eleemosyna contentus esset, quæ ei sponte daretur: *Multa mentis amaritudine concitamur, gravisque doloris aculeus perfodit mentem nostram, intelligentes, quod aliqui Presbyteri, detestanda, & abominabili ambitione cæcati, pro Missis per eos celebrandis, pecuniam exigunt, & super hoc, ac si vellent vendere rem profanam, impudenter mercantur .... Verum, cum dictum Sacramentum super omnia pretiosum sit liberaliter, sicut cetera Sacramenta, celebrandum; districtius prohibemus, ne aliquis Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem, sed grate accipiat, si aliquid, per facientem Missas celebrari, oblatum sibi charitative fuerit, absque pacto, & conventione quacumque*: Collectionis Harduini *tom.* 7. *col.* 1489.

X. Ac demum Concilium Tridentinum cum animadvertit, nondum Sacerdotes a profano illo mercimonio cessasse, quod Patres Toletani fuerant detestati, *sess.* 22. *in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, injunxit Episcopis, ut de medio tollant quidquid avaritia contra reverentiam sacrificii Missæ induxit, utque in primis *cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant*. Ut itaque Episcopi Trident. obtemperent, atque importunas, & immoderatas eleemosynarum pro Missis exactiones impediant, debent, in sua quisque diœcesi, Missarum stipem taxare, ultra quam, nemo quidquam exigere valeat: quod etiam ante Tridentinum factum legimus a Willelmo Archiepiscopo Eboracensi, cujus Constitutionem renovavit Joannes ejusdem Successor in Concilio Provinciali Eboracensi anni 1367. *cap.* 3. *Universis Rectoribus, & singulis Ecclesiarum Prælatis, Vicariis, & aliis quibuscumque personis Ecclesiæ, Cappellas, Cantorias, Oratoria, Hospitalia, seu Beneficia Ecclesiastica quæcumque, infra nostram diœcesim, obtinentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna quadraginta solidorum, eleemosynæ nostræ applicandorum, similiter inhibemus, ne in Ecclesiis, Cappellis, Cantoriis, Hospitalibus, seu aliis Beneficiis suis hujusmodi, quemquam Cappellanum stipendiarium Divina celebrare permittant, nisi, nomine stipendii sui annualis, de summa sex marcarum sit contentus: Concilior. Britanniæ tom.* 3. *pag.* 69.

XI. Quamvis autem eleemosynæ taxatio & a consuetudine induci, & ab Episcopo extra Synodum fieri queat; attamen, ut stabilior sit, ac Sacerdotibus commodius significetur, & innotescat, plerumque in Synodo fieri consuevit, ac proinde *Taxa Synodalis* communiter appellatur: quocirca sacra Congregatio Concilii interrogata, primo, *Quanta debeat esse eleemosyna Missarum manualium*; secundo, *Quanta esse debeat pro perpetuis, non taxatis a Fundatore*: die 15. Novembris 1698. respondit: *Ad primum, & secundum censuit, attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem, quatenus adsit; sin minus, statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem, ejus arbitrio*: *lib.* 48. *decret. pag.* 584.

## CAPUT NONUM.

*De advertendis ab Episcopo in statuendis Missæ eleemosynis, evellendisque abusibus circa eas glisscentibus; & ne Confessarii eadem a pœnitentibus exigant.*

SApienti sane consilio sacra Congregatio Concilii Episcoporum arbitrio commisit præfinire quantitem eleemosynæ, pro singulis Missis, Sacerdotibus erogandæ; quia non potest hac in re, certa & universalis regula, ubique custodienda, statui, cum alicubi majorem, alibi minorem eam esse deceat, habito respectu ad locorum, & temporum circumstantias, & præcipue ad annonæ penuriam, vel copiam. Unum tamen advertendum existimamus, nimirum necesse non esse, ut eleemosyna tanta sit, quæ integram sustentationem Sacerdoti ea die, qua celebrat, suppeditet: etenim, sicuti optime perpendit Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 83. *art.* 6. *sect.* 2. *concl.* 3. actio sacrificandi non requirit integrum diem, neque majorem ejus partem; unde non est, cur Sacerdos propter hoc solum ministerium integre alatur ab eo, pro quo Sacrificium offert. Accedit, neminem Secularem ad sacros Ordines promoveri, qui sufficiens Beneficium, aut patrimonium non habeat; nec ullum ad Religionem admitti, qui ex monasterii reditibus, aut consuetis eleemosynis ali nequeat: ex quo fit, ut nullus cogatur victum sibi comparare ex solo Missarum stipendio, quemadmodum argumentantur Gibalinus *de simonia q.* 18. *conject.* 7. *n.* 4. Diana *in edit. coord. tom.* 2. *tract.* 1. *resolut.* 22. *n.* 17. & Juenin *de Sacram. dissert.* 5. *q.* 7. *c.* 1. *art.* 5. ubi ait: *Sed monitum velim lectorem, rationi consonam non esse consuetudinem, quæ illud stipendium definit ex summa, quæ satis sit Sacerdotis in unam diem sustentationi. Ratio est, quia stipendia non conferuntur ad integram Presbyteri sustentationem, sed ad illius adminiculum: nec mirum: quippe quod Seculares Sacerdotes fruantur aut titulis patrimonialibus, aut Beneficiis, quæ tenent eorum locum: vetant nempe Canones, ne Seculares ordinentur, quin sufficiat ad vitam titulo; Mendicantes vero a populo fideli supponuntur recipere eleemosynas, quibus vescantur: nec enim ad monasterium admitti debent plures, quam consuetæ eleemosynæ sustentare valeant.*

II. Porro, si ultra eleemosynam, ab Episcopo taxatam, plus Sacerdos celebraturus exigat, non solum delinquit contra legem Ecclesiæ, verum etiam justitiam commutativam lædit: etenim, uti argumentatur Suarez *cit. loc. concluſ.* 1. quamvis Missæ stipendium non habeat rationem pretii, nihilominus exposcit justitia, ut aliqua proportio servetur inter illud, & opus, ad quod subeundum subministratur; eamque proportionem definire, inspecta natura rei, de qua agitur, ad solum spectat Episcopum. Ob eandem rationem, judicio Episcopi, Missarum eleemosynam taxantis, stare debent etiam Regulares, quibus, suorum privilegiorum obtentu, neutiquam licet stipem exigere illa majorem, quam Episcopus præscripsit: quemadmodum enim ipsi, veluti membra communitatis, obstringuntur in contractibus servare æqualitatem statutam a legibus loci, ubi degunt; ita &

in hoc

in hoc quaſi contractu non poſſunt proportionem prætergredi, quam loci Ordinarius determinavit. Quocirca ſacra Congregatio Concilii in una *Romana* 15. Januarii 1639. *lib.* 16. *decretor. pag.* 138. dixit: *Eleemoſynam pro qualibet Miſſa, per Regulares celebranda in eorum Eccleſiis, eſſe taxandam arbitrio Ordinarii, juxta morem regionis*: Nec Regulares tamen, nec Seculares prohibentur uberiorem ſtipem a ſponte dantibus accipere, dummodo abſit dolus, & quodcumque pactum, etiam implicitum: quod docuerunt Suarez *cit. concluſ.* 1. Cardinalis de Lugo *reſponſ. moral. lib.* 5. *dub.* 18. ac cenſuit ſacra Congregatio Concilii 16. Januarii 1649. *lib.* 18. *decret. pag.* 575. *a tergo*, quæ interrogata: *An poſſit Epiſcopus prohibere ſub pœna cenſurarum laicis, ne pinguius ſtipendium taxæ ſolvant Sacerdotibus tam Secularibus, quam Regularibus, Miſſam celebrantibus, & quod iidem Sacerdotes illud acceptare non poſſint, etiam a ſponte dantibus:* reſpondit: *Prohiberi non poſſe*. Si tamen qui manualem eleemoſynam, conſueta pinguiorem, accepit, alteri Sacerdoti Miſſam celebrandam committat, non poteſt illius partem ſibi retinere, ſed totam, quam accepit, erogare debet Sacerdoti celebranti: quod ab Urbano VIII. ſtatutum eſt; & oppoſita opinio ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. proſcripta fuit; inter propoſitiones enim, ab eodem Pontifice damnatas, una, quæ eſt nona, ſic ſonat: *Poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta*. Neque, ſolo jure ſpectato, prohiberentur Sacerdotes, minori accepta eleemoſyna, ad Miſſam celebrandam ſe obligare; ſiquidem quilibet poteſt cedere juri ſuo, & etiam ſine ullo ſtipendio celebrandi onus in ſe ſuſcipere: quia tamen aliquando illa conſuetæ eleemoſynæ remiſſio deprehenſa eſt noxia aliis Sacerdotibus, qui, ob fraudulentam aliorum liberalitatem, debita ſtipe privabantur, idcirco ſacra Congregatio Concilii prædictam remiſſionem quandoque fieri vetuit, quemadmodum contigit in una *Sancti Severini*, in qua Epiſcopo, ad hunc modum interroganti: *Sacerdotes quotidie ſe offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemoſynæ dimidii julii pro qualibet Miſſa; unde ſupplicat declarari, an ipſe ſtatuere poſſit eleemoſynam manualem unius integri julii pro qualibet Miſſa, imponendo pœnam celebrantibus pro minori quantitate:* die 16. Julii 1689. eadem reſpondit: *Affirmative, quoad eleemoſynam manualem*.

III. Quia vero recta ratio non patitur, ex eleemoſyna, ab Epiſcopo taxata, quæ exigua eſſe ſolet, aliquid detrahi in commodum Eccleſiæ ſubminiſtrantis Sacerdoti ſacra indumenta, aliaque utenſilia, ad Miſſæ celebrationem neceſſaria; hac de cauſa Urbanus VIII. decrevit, nihil ex eleemoſynis manualibus eſſe, eo nomine, detrahendum: ex ſtipendiis vero, pro Miſſis perpetuis relictis, tunc ſolum Eccleſias, ubi ſunt celebrandæ, aliquid percipere permiſit, cum alios reditus non habent, quibus onus ſuſtineant ſacra utenſilia præſtandi: quæ omnia a nobis adducta, & fuſe pertractata fuere *in noſtra Inſtit. Eccleſ.* 56. & in diſſertatione, quam, dum munus obiremus Secretarii ſacræ Congregationis Concilii, exaravimus, quæ extat *in Theſaur. Reſolut. tom.* 3. *pag.* 307.

IV. Quis non crederet, tot ſalubres Conſtitutiones, Sacerdotum avaritiam refrenaſſe? Et nihilominus ſcimus, ſufficientes haud fuiſſe ad eam cohibendam. Aliqui enim ſuffulti plurium Theologorum opinione, qui, etſi Sacrificii fructum, quoad effectum, & in actu ſecundo, uti ajunt, finitum eſſe fateantur, attamen opinantur, illud pluribus applicatum, æque ſingulis prodeſſe, ac ſi uni tantum applicaretur, inſtar radii ſolaris, qui quamvis finitus ſit, æque tamen in unum, ac in multos ſe effundit; poſt acceptam a pluribus conſuetam eleemoſynam, ſe omnibus ſatisfacere arbitrabantur, unicum Sacrificium ſingulis, qui ſibi ſtipem contulerant, nominatim, & expreſſe applicando. Alii conſiderantes, tres eſſe Sacrificii fructus; generalem videlicet, qui in univerſam Eccleſiam redundat; ſpecialem, ſeu medium, quem ille ſolus participat, pro quo nominatim a Sacerdote Sacrificium offertur; & ſpecialiſſimum, quem ipſemet celebrans in ſe derivat: putarunt, ſe poſſe hunc tertium fructum, qui ceteroquin eſt veluti actio immanens, quæ nequit ab agente in alium tranſire, alteri cedere, atque hac ratione novam eleemoſynam accipere. Ejuſmodi opiniones, & ſubdolæ artes, unice ab avaritia excogitatæ, jam a ſeculo XIII. in Eccleſiam irrepſerant, iiſque obviam ierat Concilium Lambethenſe, celebratum anno 1281. *cap.* 2. decernens: *Nec credat celebrans, ſe dicendo Miſſam unam poſſe ſatisfacere pro duobus, pro quo utroque promiſit ſpecialiter, & in ſolidum celebrare .... Abſit enim, ne a quoquam Catholico credatur, tantum intentione prodeſſe Miſſam unam devote celebratam mille hominibus, pro quibus forſan dicitur, quantum ſi mille Miſſæ pro eis devotione ſimili canerentur. Licet ipſum Sacrificium, quod eſt Chriſtus, ſit infinitæ virtutis, non tamen in Sacrificio ſuæ immenſitatis ſummam plenitudinem operatur: alioquin pro uno mortuo, nunquam oporteret, niſi unam Miſſam dicere. Operatur enim in hujuſmodi myſteriis diſtributione certa ſuæ plenitudinis, quam ipſe eiſdem lege infallibili alligavit:* Collect. Harduini *tom.* 7. *col.* 862. Et nihilominus ſeculi XVI. initio nondum abolitæ fuerant: ſiquidem Norimbergenſis Germanorum Principum conventus, apud Hadrianum VI. ſummum Pontificem, de hoc eodem abuſu conqueſtus eſt: *Sacerdotes unius diei Miſſas, ad quas fundationis, ſeu annuæ recordationis jure celebrandas obligantur, non ſemel, ſed quater, quinquies, pluriesve venundant, unaque Miſſa duobus, tribus, aut pluribus Eccleſiaſticis Beneficiis ſatisfacere præſumunt*. Quamobrem eam peſtilentem corruptelam iterum totis viribus eradicare ſtuduerunt cum Urbanus VIII. in ſuis decretis anno 1625. promulgatis, tum ſacra Congregatio Concilii aliis decretis editis die 15. Januarii 1659. & 13. Decembris ejuſdem anni, quæ referuntur a Fagnano *in Cap. Fraternitatem, de ſepulturis, n.* 96. & 97. ac poſtremo illam omnino profligavit Alexander VII. cum anno 1665. has damnavit propoſitiones: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Urbani VIII. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram*.

V. Quæ hucuſque ſunt in medium prolata, adhuc uberius expoſita a nobis fuere *in noſtra Inſtit. Eccl.* 56. ubi de Miſſarum eleemoſyna, de titulo eam percipiendi, de abuſibus in illius perceptione præcavendis, de proſcriptis ab Apoſtolica Sede propoſitionibus, hanc materiam reſpicientibus: & rurſus *in Inſtit. Eccleſ.* 36. ubi quæſtionem agitavimus, an ſuffragia uni defunctorum ſpecialiter applicata, plus ei proſint, quam ceteris fidelium animabus in Purgatorio detentis: *in Inſt. Eccl.* 92. ubi, an Sacerdotes Miſſæ ſacrificium pro eo offerre valeant, qui poſtea erit eleemoſynam oblaturus, ut Sacrificium pro ſe peragatur, quamvis ante Miſſæ celebrationem, nec eleemoſynam dederit, nec Miſſam pro ſe celebrari petierit: & *in noſtro tractatu de Sacrificio Miſſæ ſect.* 2. §. 19. & 20. ubi agitur de Sacerdote, qui tenetur per ſe celebrare, & quæritur, an juſta de cauſa poſſit interdum a celebrando ſe abſtinere, & an tunc teneatur celebrare per alium: atque *in noſtra Conſtit.* 22. *Bullar. tom.* 1. qua turpe damnavimus quorumdam mercimonium, qui Miſſarum eleemoſy-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

mosynas ibi quæritant, & colligunt, ubi taxa Synodalis largiorem stipem Sacerdotibus, Sacrum peragentibus, assignat, Missas vero alibi celebrari curant, ubi, sive consuetudine, sive Synodali lege, minor eleemosyna pro singulis Missis est celebrantibus attributa, ut hac ratione prædicti pravi nundinatores partem lucrentur acceptæ stipis.

VI. Aliquid dicendum superest de prava quadam avaritiæ specie, in quam incurrere possent Sacerdotes Confessarii, si eleemosynas pro Missarum celebratione sibimet ipsis a pœnitentibus erogari curarent. Porro non dubitatur, quin possit Confessarius pœnitentibus injungere, ut Missarum Sacrificia celebrari faciant in satisfactionem suorum peccatorum; id enim inter opera satisfactoria merito recensetur, tum quia pœnitentes propterea aliquam pecuniæ summam a se abdicant, tum quia sic Sacrificii oblationi cooperantes, peculiari quadam ratione participes efficiuntur illius fructus satisfactorii. Sed, ne hac occasione aliqua suboriatur avaritiæ suspicio, non debet Confessarius a pœnitente, cui hujusmodi Missarum celebrationem procurandam injungit, eleemosynam accipere, ut vel ipse eas Missas celebret, vel in propria Ecclesia celebrari faciat. *Cum pro pœnitentia Missas injunxerit, sibi, aut Ecclesiæ suæ, aut Monasterio dicendas non addicat*: verba sunt S. Caroli Borromæi in Instructione ad Confessarios *part.4. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis*, a nobis alias relata *in citata nostra Institutione* 92. Quam vero abhorreat Ecclesia a qualibet hujusmodi avaritiæ specie, & Sacerdotes Sacramentorum Ministros ab omni illius suspicione, nedum crimine, velit immunes, satis declarat Rituale Romanum tum in prima generali Instructione *de iis, quæ in Sacramentorum administratione servanda sunt*, tum etiam peculiariter *in Regulis de ordine ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ*. Cum autem anno 1709. sacræ Universali Inquisitioni relatum fuisset, Presbyteros quosdam in Ecclesia Sancti Jacobi de Compostella Confessionibus excipiendis addictos, sub præsidio antiquæ consuetudinis, eleemosynas accipere solere a pœnitentibus, qui eas post Confessionem peractam sponte illis dabant; san. mem. Clemens Papa XI. in Congregatione Sancti Officii coram ipso habita *die* 14. *Februarii prædicti anni* mandavit, ad Archiepiscopum litteras scribi, quibus moneretur, ut omni studio & vigilantia caveret, ne vel minima avaritiæ suspicio in Sacramenti administratione misceretur. Laudatus autem S. Carolus Borromæus *loco citato* ita scribit: *Non modo non petat, sed nec velle se habere significet pecuniam, aliamve rem, pro suscepti in Confessione laboris munere, immo verbis, vel potius factis, ab his omnibus abhorrere demonstret*.

## CAPUT DECIMUM.

*De Missarum oneribus minuendis.*

CUm sapientissimi Concilii Tridentini Patres probe animadverterint, adeo ingentem esse numerum Missarum, ex piorum defunctorum legatis, in perpetuum celebrandarum, ut illum explere, & exæquare, impossibile jam foret; cumque insuper perpenderint, ob decrementum redituum, quos illi reliquerant, adeo tenuem supereſſe eleemosynam, singulis Missis respondentem, ut nullus reperiretur Sacerdos, qui onus subire vellet eas celebrandi: hisce de causis *sess.25.c.4. de reform.* facultatem dederunt Episcopis, & Superioribus Generalibus Ordinum Regularium, ut illi in sua quisque Diœcesana Synodo, hi vero in Capitulis Generalibus, pro ipsorum arbitrio, & conscientia, Missarum onera contrahere, seu eorum numerum minuere possent.

II. Verum hanc facultatem, qua plerique Antistites, præsertim Archiepiscopus Valentinus in sua Diœcesana Synodo anni 1577. & in Synodo Provinciali anni 1584. atque in alia Synodo Diœcesana, habita anno 1590. apud Cardinalem de Aguirre *tom.* 4. *Conciliorum Hispaniæ pag.* 289. *&* *pag.* 459. usi fuerant, revocavit, & ad Sedem Apostolicam avocavit Urbanus VIII. in sua Constitutione 45. *Bullar. tom.*5. §.1. cujus verba sunt: *Districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas, contra hujus prohibitionis formam, fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit*. Quare hodie integrum amplius non est Episcopis in suis Diœcesanis Synodis, virtute facultatis sibi olim a Tridentino concessæ, Missarum onera minuere, & moderari; ac proinde rescissæ hodie sunt pleræque quæstiones, quæ antea a Doctoribus versabantur; puta, an solus Episcopus, etiam extra Synodum, possit Missarum onera minuere, an potius Synodi consensus ad id requiratur, aliæque similes, de quibus Hurtadus *resolut. moral. tom.*2. *lib.* 6. *num.* 2125. Solumque disputari potest, an per prædictam Urbani VIII. Constitutionem adempta quoque eis sit potestas moderandi numerum Missarum, quarum celebrandarum obligationem nemo adhuc in se suscepit, & fortasse, ob tenuitatem eleemosynæ, illarum numero respondentis, nemo reperitur, qui illam acceptare velit. Non esse ademptam, opinati sunt Pasqualig. *de Sacrificio novæ Legis quæst.* 1168. Passerin. *de statu hominum tom.* 2. *quæst.* 187. *num.* 1055. & alii; quoniam Urbanus VIII. solum interdixit Episcopis, ne Missarum onera, a fundatoribus imposita, imminuant; onus autem, inquiunt, a fundatore quidem relictum, sed nondum acceptatum, non potest dici ulli impositum, cum, ante acceptationem, nullus sit, qui eo gravetur; sed, hac subtili ceteroquin ratiocinatione posthabita, prævaluit sententia opposita, quam tuetur Diana *in edit. coord. tom.* 2. *tract.* 1. *resol.* 14. *n.* 3. *&* 4. eique semper adstipulata est S. Congregatio Concilii, a qua cum quæsitum fuisset: *An prohibitio facta Episcopis reducendi onera Missarum habeat locum etiam in casu, quo legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, &, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis*: quamvis verba illa: *ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire*: manifeste indicarent, celebrationis onus nondum fuisse ab ullo acceptatum, nihilominus eadem sacra Congregatio respondit: *Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam*: quod adnotatum legitur post prædictam Constitutionem Urbani VIII. *Bullar. tom.*5. idemque iterum sacra Congregatio declaravit in causa *Lucen. onerum Missarum*, in qua disceptato sequenti articulo: *An Episcopus possit onera Missarum nondum acceptata reducere, absque beneplacito Sedis Apostolicæ, sive hujus sacræ Congregationis, quoties reductionem necessariam esse judicaverit, ex eo quod locus pius legatum acceptare recuset, non diminuto onere*: die 20. Junii 1682. respondit *Negative*. Secus vero esset, si is, qui legatum reliquit, expressam facultatem dedisset Episcopo, Missarum designatarum numerum minuendi; tunc enim licere Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, ea facultate uti, censuit eadem sacra Congregatio, uti habetur

betur *cit. tom.* 5. *Bullar.* post laudatam Urbani VIII. Constitutionem.

III. Attamen, post Urbanum VIII. alii Romani Pontifices, videlicet Alexander VII. Clemens X. Clemens XI. Innocentius XIII. & Benedictus XIII. fere omnibus Religiosis Institutis privilegium concesserunt, ut Superiores Generales, adhibito maturo consilio, ac nonnullis servatis regulis, in eorundem privilegiorum litteris expressis, possent, in sua quisque Religione, onera Missarum, antea relicta, & acceptata moderari: eademque facultas a san. memor. Benedicto XIII. facta fuit omnibus Episcopis, qui vel per se, vel per suos Procuratores, interfuerant Concilio Romano, habito anno 1725. ut videre est in eodem Concilio *tit.* 15. *cap.* 8. Huic Concilio nos quoque interfuimus, tanquam Doctor in Decretis, non vero tanquam Archiepiscopus Theodosiæ, licet hujus Ecclesiæ titulo essemus exornati; Episcopis quippe mere Titularibus aditus ad illud non patuit: & nihilominus, postquam ab Ecclesia Anconitana ab eodem Benedicto XIII. nobis commissa, ad Bononiensem Metropolitanam, auctoritate Clementis XII. translati fuimus, ab eodem Clemente potestatem impetravimus, Missarum in perpetuum celebrandarum numerum, justis exigentibus causis, in nostra Bononiensi civitate, & diœcesi contrahendi; qua tamen, summa cum moderatione, & cautela, usi sumus, iisque in primis adhibitis regulis, quas semper præ oculis habuimus, cum sacræ Congregationis Concilii Secretarii munus obeuntes, de Missarum numero, a fundatoribus præscripto, minuendo in eadem sacra Congregatione agendum erat,

## CAPUT UNDECIMUM.

*De ratione reddituum Seminarii a Deputatis in Synodo reddenda, & de nonnullis ad eosdem deputatos pertinentibus.*

NIhil est, quod magis conferat ad reipublicæ felicitatem, quam quod puerilis ætas ad omnem informetur sapientiam: cum enim sit Spiritus Sancti effatum: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedat ab ea, Proverb.* 22. inde poterit respublica optimos Rectores, & Administros sperare, ac jure sibi polliceri. Hæc scite perpendentes majores nostri, ubi primum turbulentis priorum seculorum temporibus successit tranquillitas, Episcopalia Seminaria institui curarunt, in quibus, sub Episcopi oculis, instruerentur & perpolirentur juniores Clerici, qui ad majores Ordines crescerent. Nisi suspecta esset fides illorum Nicænorum canonum, quos ex Arabico in Latinum sermonem versos, primo Franciscus Turrianus, deinde Abrahamus Ecchellensis evulgarunt, merito affirmari posset, ejusmodi Seminariorum vestigia fuisse a Concilio Nicæno delineata: etenim in canone qui est 55. apud Turrianum, & 59. apud Ecchellensem, jubentur Chorepiscopi *instituere Ministros, eosque distribuere per Ecclesias, & monasteria providere, ut discant: ut reddantur apti, & idonei ad ædificationem monasteriorum, & Ecclesiarum, & aliorum locorum, quæ horum opera indigebunt.* Quæ quidem verba expendens qui notas huic canoni adjecit in Collectione Labbeana *tom.* 2. *pag.* 307. ait: *Cernitur in hoc canone ratio quædam Seminarii Ministrorum Ecclesiæ, seu vestigium quoddam Seminariorum, quæ nuper, secundum decret. Synodi Tridentinæ instituta sunt.* Verum, quod jam nos animadvertimus *in nostra Instit. Eccles.* 59. ubi de Seminariis disseruimus, cum allegatus canon Nicænus non accenseatur numero illorum viginti, quos, tanquam indubios Concilii Nicæni fœtus, universa recipit Ecclesia, nihil certi ex eo colligere possumus. Aliud certissimum, & manifestum Seminarii Clericorum vestigium nobis suppeditat Concilium Toletanum II. habitum anno 531. cum *cap.* 1. decernat: *De his, quos voluntas parentum a primis infantiæ annis Clericatus officio manciparit, statuimus observandum, ut mox cum detonsi, vel ministerio Lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ, sub Episcopali præsentia, a Præposito sibi debeant erudiri:* Collectionis Harduini *tom.* 2. *col.* 1139. Idem, quod Toletanum II. constituit Toletanum IV. celebratum anno 633. *cap.* 24. & relatum a Gratiano *Can.* 1. 12. *quæst.* 1. præcipiens, ut in ædibus Ecclesiæ proximis juniores Clerici educentur sub cura sanctissimi senis, cujus oculos nec ad momentum effugiant: *Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum: nihil enim incertius, quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in Clero puberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos, non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem magistrum doctrinæ, & testem vitæ habeant.* Concilium vero Valense II. anni 529. *cap.* 1. non unum tantum in qualibet diœcesi, sed in cujuslibet Parochi domo, Clericorum Seminarium esse jubet, asseritque idem in totius Italiæ moribus positum: *Placuit, ut omnes Presbyteri, qui sunt in Parochiis constituti, secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores Lectores, quantoscumque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant: & eos quomodo boni patres spiritualiter nutrientes, Psalmos parare, Divinis lectionibus insistere, & in Lege Domini erudire contendant: ut & sibi dignos successores provideant, & a Domino præmia æterna recipiant:* Collectionis Harduini *tom.* 2. *col.* 1105.

II. Posterioribus tamen seculis infrequens est mentio ejusmodi Episcopalium Seminariorum; quod ideo evenisse plerique arbitrantur, quod, illorum loco, passim erecta fuerint Clericorum collegia intra Monasteriorum claustra. At, licet Monachi scholas ubique aperuerint, in quibus pueri erudirentur, sicuti narrat Mabillonius *in præfat. ad secul. III. in Act. SS. Ord. S. Benedicti* §. 4. & colligitur ex Concilio Aquisgranensi anni 789. *cap.* 72. ubi adolescentes vel in episcopiis, vel in monasteriis, pro ipsorum, vel parentum libito, litteris, atque Ecclesiasticis disciplinis institui jussit: *Ut scholæ legentium puerorum fiant, Psalmos, notas, cantus, computum, grammaticam, per singula monasteria, vel episcopia discant: tom.* 4. Collectionis Harduini *col.* 842. attamen, ut idem Mabillonius *ibid. n.* 40. probat, nunquam Seculares Clerici, intra monasterii septa educandi, bonisque artibus imbuendi, excepti fuere, sed duæ diversæ in quolibet Monasterio constitutæ erant puerorum scholæ: aliæ *interiores seu claustrales* pro Monachis, & pueris monasterio oblatis; aliæ *exteriores, & canonicæ* pro Clericis Secularibus; Clerici enim vocabantur, quotquot litteris operam dabant, quod testatur Ordericus Vitalis *histor. lib.* 3. inquiens: *Rodulphus autem quintus frater, Clericus cognominatus est, quia peritia litterarum, aliarumque artium optime imbutus.* Ejusdem etiam discriminis inter Secularium Clericorum, aliorumque, qui se Religioni devoverant, scholas, præter Mabillonium, fidem facit Gerardus Dubois *in hist. Eccles. Paris. lib.* 11. *cap.* 7. ubi *pag.* 776. ait: *Scholæ illæ in primis cœptæ sunt ad Clericorum institutionem: unde Scholares, Clerici vulgo dicebantur, & eam ob causam scholas erigi jubent, & Constitutiones Regiæ, & decreta Conciliorum; locus & episcopium, & monasterium designatur, hoc Monachis, illud Clericis:* quin immo in Conventu ab Abbatibus Franciæ habito Aquisgrani anno 817. *cap.* 42. expresse statutum legimus: *Ut nullus plebejus, seu Clericus*

*secu-*

*secularis in monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri Monachus: & cap. 45. Ut schola in monasterio non habeatur, nisi eorum, qui oblati sunt: tom.4.* Collectionis Harduini *col.1231.*

III. Quamquam itaque verum sit, quod asserit Thomassinus *de vet. & nov.Eccles.discipl. part.2. lib.1. cap.102. num.1.* nimirum, circa annum Christi millesimum neglecta prorsus fuisse Episcopalia Clericorum Seminaria, id tamen non inde contigit, quod Clerici intra monasteria educarentur, sed quia satius visum est Episcopis, ut Monachorum, aut Universitatum, quæ jam ea tempestate auctæ & propagatæ erant, scholas illi frequentarent. Sed, cum postea, quod idem Thomassinus *ibid. num.4.* observat, in Universitatibus, litterarum fervore, & scholarum pompa, pene oppressa langueſceret pietas; Regulares vero Congregationes subalienatæ essent ab illa strictissima cum Episcopis conjunctione, qua olim ab ipsis totæ pendebant, & quam Clericis omnibus inspirari avebant Episcopi; idcirco de antiquis Seminariis restituendis cogitatum est. Reginaldus Cardinalis Polus, cum anno 1556. Anglicani Cleri reformationem meditaretur, inter cetera reformationis capita, quæ extant in Collectione Conciliorum Harduini *tom.10. col.408.* juniores Clericos educari jussit in Seminariis, quorum formam decreto 11. expressit; uti etiam a nobis fuit adnotatum *in citata nostra Institution. Ecclesiastic. 59.* Formæ autem, quam Polus delineaverat, summam manum adjecere Patres Tridentini *sess.23. cap.18. de reform.* decernentes, ut a quolibet Episcopo prope suam Cathedralem Ecclesiam, aut alio convenienti loco, Collegium, seu Seminarium instituatur, ubi Clerici omnibus liberalibus artibus, & Ecclesiasticis excolantur institutis: cujus quidem decreti executionem urgere non omisimus in nostra Epistola commonitoria ad omnes Episcopos, quæ est secunda §.2. *Bullarii nostri tom.1.* Ne vero ejusmodi Seminaria ex redituum defectu, ullo unquam tempore pereant, statuit ibidem *Tridentinum, ut ex reditibus* Mensæ Episcopalis, & *Capituli*, & quorumlibet Beneficiorum diœcesis, *certa* pecuniæ *summa* detrahatur, quotannis Seminario pensitanda, juxta mensuram, seu taxam, ab ipsomet Episcopo præscribendam cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab ipsomet Episcopo, alter a Capitulo eligatur, ac duorum item de Clero Civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad eundem Clerum pertineat. Inter Apostolicas litteras Sancti Pii Papæ V. typis impressas per Franciscum Gaubau, complures leguntur, quæ hujusmodi Seminariorum erectiones respiciunt, dum Sanctus Pontifex Episcopis per Germaniam constitutis Tridentinorum Decretorum executionem hac in re enixe commendat.

IV. Præterea idem Tridentinum *loc. cit.* mandavit, ut Episcopus, singulis annis, rationem redituum Seminarii ab Administratoribus accipiat, præsentibus duobus a Capitulo, ac totidem a Clero Civitatis deputatis. Hanc porro redituum rationem accipiendam in Synodo, docuerunt Piasec. *in praxi Episcop. part.1. cap.2. art.1. num.11.* & Barbosa *de offic. & potest. Episc. part.3. alleg.93. num.22.* Sed, cum neque a Tridentino, neque ab ulla Apostolica Constitutione id cautum reperiatur, verius existimamus, liberum esse Episcopo prædictæ administrationis rationem extra Synodum exposcere; nisi peculiaris cujusque diœcesis consuetudo ferat, ut illa in Synodo reddatur. Quoniam autem prædictorum Auctorum opinio occasionem nobis præbuit de Episcoporum Seminariis, eorumque curæ deputatis hic loquendi, inopportunum non erit nonnulla sacræ Congregationis Concilii decreta, præsatos Deputatos respicientia, simul conglomerata hic referre.

V. In *Oscen.* anni 1585. *lib.4. decretor. pag.84.* hæc habentur: *Alias sacra Congregatio ad interpretationem decreti cap.18. sess.23. censuit, Episcopum Oscen. cum consilio Deputatorum teneri tam circa institutionem, disciplinam, & mores Clericorum, quam circa temporalium rerum administrationem providere: sufficere tamen, quod Episcopus hujusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito, posse Episcopum statuere & deliberare quæ pro prudentia sua magis expedire judicaverit; exactionem vero, quæ sit pro Seminario ad solum Episcopum pertinere.*

VI. In *Nullius*, anni 1595. *lib.8. decretor. pag.97.* ita legitur: *Sacra Congregatio censuit, omnes quatuor Deputatos, de quibus agitur in cap.18. sess.23. adhibendos esse in consilio, in administratione rerum ipsius Seminarii, præterquam in compulsione ad portionem Seminario debitam, cujus facultas ad solum Episcopum spectat.*

VII. Instante Capitulo Salernitano, plures quæstiones discussæ, & decisæ fuerunt in eadem sacra Congregatione, quæ habentur *lib.6. decretor. pag.22. & seq. Primo, an duo Canonici, electi ab Archiepiscopo ad constituendam educationem puerorum Seminarii, possint pro libito Archiepiscopi mutari. Secundo, an eorum consilium adhibendum tam in constituendis regulis universalibus Seminarii, electione singulorum puerorum introducendorum, electione Magistrorum, librorum legendorum, Confessoris, punitione dyscolorum, expulsione, visitatione, & similibus. Tertio, an alii quatuor sint deputandi in consilio tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione Beneficiorum, ut in aliis difficultatibus, ob quas Seminarii instructio, vel conservatio impediretur, aut perturbaretur, an etiam in exactione, & temporalium administratione tam dicti Seminarii, ut, puta, deputatione, vel expulsione ministrorum, & famulorum temporalium, expensis quotidianis provisionis bladorum, quam etiam bonorum quorumcumque, & redituum ipsius Seminarii, etiam ex Beneficiis unitis, ut puta locationibus, concessionibus, aliisque contractibus, litibus. Quarto, an hi quatuor Deputati sint perpetui, vel etiam amovibiles, servata, in eorum electione, ratione Concilii, & dicta electio spectet ad Capitulum.* En quæsita. Sequuntur responsiones: *Ad primum, non posse amoveri, nisi ex legitima causa. Ad secundum, in omnibus his esse adhibendum. Ad tertium, teneri Episcopum adhibere Deputatorum consilium tam circa institutionem, disciplinam, & mores, quam temporalium rerum administrationem. Ad quartum, esse perpetuos.*

VIII. In causa *Fundana Deputationis Officialium Seminarii*, 26. Martii 1689. disceptato sequenti articulo: *An Episcopus potuerit, & possit deputare Rectorem, aliosque Officiales Seminarii, absque consilio Deputatorum a Capitulo:* responsum fuit *Negative:* & examinato subinde altero dubio: *An Episcopus in revisione, & solidatione computorum dicti Rectoris debuerit sequi consilium Deputatorum:* responsum fuit: *Teneri adhibere consilium, sed non sequi: lib.39. decret. pag.129. & seq.* His cohærent responsa ab eadem sacra Congregatione data in *Tricarien. Administrationis Seminarii* 24. Martii 1736.

IX. Verum, quod diximus, Seminarii Rectorem esse ab Episcopo constituendum cum Deputatorum consilio, limitationem patitur quoad Seminaria, quæ, legitima auctoritate, tradita sint curæ, & regimini alicujus Ordinis Regularis, sub expressa conditione, ut ejusdem Ordinis Prælato integrum sit, quem maluerit, sui Instituti Religiosum in Seminarii Rectorem eligere, & deputare. Ita accidit Romæ, ubi cum, juxta Tridentini statuta, Clericorum Seminarium a Pio IV. erectum fuerit, & suppositum jurisdictioni, ac tutelæ Cardinalis in Urbe Vicarii, ejus cura, & actualis administratio commissa est Præposito Generali, & Presbyteris Societatis Jesu, quod legere est in

Con-

Constitut. 134. Urbani VIII. §. 4. *Bullar. tom.* 5. Dubitaverant nonnulli ex iisdem Religiosis, an sine violatione proprii Instituti, fas sibi esset, curam acceptare Seminarii, quod Episcopi subsit jurisdictioni: sed, pervolutis Sancti Ignatii Regulis, perpensisque suarum Generalium Congregationum decretis, nihil inventum est, quod prædicto regimini suscipiendo adverfaretur, modo tamen deputatio Rectoris, aliorumque Religiosorum, qui Seminarii præsint regimini, & disciplinæ, ad Præpositum Generalem pertineat, quod a Congregationibus Generalibus, secunda scilicet sub Sancto Francisco Borgia, quarta sub P. Claudio Aquaviva, & duodecima sub P. Carolo de Noyelle fuit declaratum. Cum nos munere fungebamur Secretarii sacræ Congregationis Concilii, Episcopus Civitatis Conceptionis in America Meridionali, se plurimum adlaborasse, retulit, ut Clericorum Seminarium, ad Tridentini normam, in sua erigeret diœcesi; sed vel nullum, vel exiguum sane fructum ex illius jam propediem absolvenda erectione sperare, nisi ejus cura demandaretur Patribus Societatis Jesu; cum difficile esset, homines seculares inibi invenire, ad Clericos in doctrina & pietate imbuendos, & Seminarium rite administrandum idoneos. Actum fuit de hac re in Congregatione habita 13. Junii 1722. & deliberatum, dandam esse Episcopo, quam poscebat, facultatem, ita tamen, *ut Seminarium sit sub patrocinio, protectione, & subjectione Episcopi, ejusque alumni nominentur ab Episcopo*; quemadmodum habetur *tom.* 2. *Thesaur. Resolut. pag.* 191. Sub iisdem legibus, alia quoque Episcoporum Seminaria, aliorum Regularium gubernio reperiuntur commissa: cura siquidem Seminariorum civitatis Albani, & Senogalliæ tradita est Clericis Regularibus, *Scholarum Piarum* nuncupatis: & nos ipsi Seminarii nostri Bononiensis regimen dedimus Clericis Regularibus S. Pauli, vulgo *Barnabitis*, non amotis quidem Deputatis, qui, juxta enuntiatas Tridentini sanctiones, Seminarii disciplinæ, atque administrationi invigilent, sed eorundem auctoritate intra certos limites coercita. Post primam hujus Operis nostri editionem, ad manus nostras pervenit *Historia Seminariorum Clericalium* studio Joannis de Joanne, Metropolitanæ Ecclesiæ Panormitanæ Canonici, collecta, in qua de omnibus, quæ ad rem pertinent, diligentissime agitur: quamque consulere poterit, quisquis exordia & progressus Seminariorum Episcopalium, optimamque eorum regiminis rationem noscere cupiat.

## CAPUT DUODECIMUM.

*De nonnullis monitionibus in Synodo faciendis.*

CLerici constituti in Minoribus, nullum possidentes Ecclesiasticum Beneficium, nisi Clericalem habitum, & Tonsuram deferant, aliasque adimpleant conditiones, quas Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 6. *de refor.* exposcit, fori privilegio non gaudent, quemadmodum idem Tridentinum ibidem sancivit. Possunt tamen iidem Clericales vestes, quam dimiserant, resumere, & amissum fori privilegium hac ratione recuperare; modo tamen id non fiat in fraudem, & nisi ab Episcopo fuerint illo per sententiam privati: potest quippe Episcopus Clericum, qui habitum deseruit, ut illum resumat, monere, & si ter monitus non paruerit, potest per sententiam declarare, eum excidisse Clericalibus privilegiis, neque ad ea, quibus jam sponte per habitus dimissionem se abdicavit, esse deinceps admittendum: qua sententia prolata, etiamsi Clericales vestes iterum induere propria auctoritate præsumat, ad fori privilegium non restituitur.

II. His positis, quæ summatim hic indicata, uberius a nobis inferius exponentur; putarunt nonnulli, posse Episcopum in sua Synodo universim edicere, ut Clerici, qui Clericalem habitum dimittunt, nisi intra trimestre numerandum a die, quo illum deponunt, iterum eundem resumant, statim, & illico Clericalibus excidant privilegiis; neque illis profuturum, si trimestri elapso, denuo habitum suscipiant: trinæ enim monitioni, quam privationis sententiam præcedere debere diximus, hanc unicam declarationem in Synodo factam æquivalere autumant Panimoll. *decis.* 41. *tom.* 1. Monacell. *in formul. legal. pract. tom.* 2. *tit.* 15. *formul.* 5. *n.* 3.

III. Verum quamvis hæc monitio, seu declaratio in Synodo laudabiliter fiat ad incutiendum terrorem Clericis contumacibus, sicuti re ipsa in pluribus Synodis eam factam vidimus, inutilis tamen est ad inducendam statim privationem, quam comminatur: quoniam, etiam hac generali monitione præmissa, in singularibus casibus necessario conficiendus erit judicialis processus super transgressione, & contumacia ejus, qui Synodali decreto non obtemperavit; ac propterea fieri nequit, ut alio ordine judiciario non servato, illa sola declaratio vires habeat quempiam privandi jure resumendi habitum, quo ceteroquin potiretur.

IV. Præterea juxta Constitutionem 18. san. mem. Gregorii XV. Episcopus, una cum Prælatis Regularibus, interesse, & præsidere potest electionibus Abbatissarum, quæ præficiendæ sunt in monasteriis iisdem Regularibus subjectis: in cujus Constitutionis sequelam, a sacris Urbis Congregationibus decisum est, debere Regulares futuram electionem Abbatissæ Episcopo denuntiare; & si Episcopus dixerit, se velle per se, vel per alium eidem electioni interesse, teneri Episcopi adventum, usque ad præfinitum tempus, exspectare. Jam vero, ne Episcopus gravetur onere suam voluntatem singulis vicibus manifestandi, eidem consulunt Doctores, ut semel in Synodo generatim declaret, se uti velle facultate a Gregorio XV. sibi facta, & quarumcumque Abbatissarum, quantumvis exemptarum, electionibus semper, & quandocumque interesse: hac enim declaratione semel in Synodo emissa ligari Regulares, ne Episcopo inconsulto, Abbatissarum electionibus præsidere valeant, perinde ac si in singulis specialibus casibus fuisset Episcopi voluntas expresse iisdem significata, recte probat Monacell. *in formul. legal. tom.* 3. *pag.* 187.

V. Multa, quæ controversias spectant inter Episcopos, & Prælatos Regulares, quoad electiones Abbatissarum, his subjectarum, sæpius excitatas, legi possunt in folio sacræ Congregationis Concilii, habitæ die 26. Aprilis 1727. a nobis, ejusdem Congregationis Secretarii munus tunc obeuntibus, exarato, & edito a Bartholomæo Liverzani *Thesaur. Resol. tom.* 4. *pag.* 47.

DE

# DE SYNODO DIOECESANA

## LIBER SEXTUS.

### DE CONSTITUTIONIBUS IN DIŒCESANA SYNODO EDENDIS, EARUMQUE CONSCRIBENDARUM METHODO.

### CAPUT PRIMUM.

*Summa ſtatuendorum in Diœceſanis Synodis.*

REM nedum difficilem, ſed plane impoſſibilem aggrederemur, ſi in animo nobis eſſet, cuncta ſigillatim exponere, quæ in Diœceſanis Synodis conſtitui poſſint: innumera quippe ſunt mala, quæ in hanc, aut illam diœceſim irrepere queunt, quibus opportunis conſtitutionibus ſit occurrendum: cumque non eadem ſit omnium locorum indoles, non iidem ubique hominum mores, non eædem in omni loco ſimul inoleſcant morum corruptelæ, nequeunt omnes leges cuicumque loco, & tempori congruere, ſed quod unus diœceſis ſtatus hic & nunc decernendum ſuadet, alteri diœceſi, ſi ibidem ſtatueretur, inopportunum, inutile, & quandoque etiam noxium accideret, quod, inferius afferendis exemplis, oſtendemus. Solum itaque generatim aſſerimus, debere Epiſcopum in ſua Synodo conſtituere, quæ ad vitia coercenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, & Eccleſiaſticam diſciplinam aut reſtituendam, aut fovendam, neceſſaria & utilia eſſe judicaverit. Ut autem facilius remedia parare valeat, quæ ingraveſcentibus in diœceſi morbis medendis ſint apta, expedire videtur, ut ante Synodum a Vicariis Foraneis, Parochis civitatis, Monialium Confeſſariis, aliiſque probis, & prudentibus viris ſciſciretur, quænam, eorundem judicio, in diœceſi, præcipue quoad adminiſtrationem Sacramentorum, verbi Divini prædicationem, dierum feſtorum cultum, & obſervationem, videantur corrigenda, & emendanda; in Congregationibus vero, quæ Synodo præmitti ſolent, Theologos, & Canoniſtas, doctrina, pietate, ac prudentia præditos, de modo conſulet, quo inoleſcentes abuſus ſuaviter ſimul, & efficaciter eradicari poſſint. Has omnes diligentias a Præſule Bonaventura, Epiſcopo Montis Faliſci, & Corneti, præmiſſas ſuæ Synodo Diœceſanæ, ut uberem ex illa fructum commiſſa ſibi diœceſis perciperet, deprehendimus ex Ordine ejuſdem Synodi, a Franciſco Gervaſio typis edito anno 1719. Eaſdemque in omni Diœceſana Synodo adhibendas, ſancitum eſt in celeberrima Synodo Provinciali Colonienſi, habita anno 1536. ab Archiepiſcopo Hermanno, annoque 1544. typis Venetis excuſa, & evulgata; in ea ſiquidem *part.* 14. *cap.* 18. Collectionis Harduini *tom.* 9. *col.* 2028. ubi ſermo eſt de Synodo Epiſcopali, hæc habentur: *In his ergo Conciliis ..... apud Metropolitanæ, Cathedralium, Collegiatarum, Monaſteriorumque Prælatos, & præſertim Archidiaconos, ac quos vocamus Decanos rurales, qui vocati ſunt in partem ſolicitudinis Epiſcopalis, per Vicarium noſtrum in Pontificalibus, ac Officialem, diſquiſitio diligens fiat: & quæ ex illorum judicio reformatione opus habere comperientur, communi conſilio emendentur.* Hanc Colonienſem Synodum, ſaluberrimis ſane, atque utiliſſimis Conſtitutionibus refertam, cum laudis ſignificatione commemoramus; at non eandem laudem attribuere poſſumus eidem Præſidi Hermanno, qui turpiter poſtea ad Lutheranos defecit, eaque de cauſa fuit a Paulo III. per judicialem ſententiam Colonienſi Archiepiſcopatu exturbatus, uti narrat Cardinalis Pallavicinus *in hiſtor. Concil. Trid. lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 2. *& 3. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 1. *& lib.* 9. *cap.* 13. *n.* 1.

II. Opus eſt etiam, ut Epiſcopus ſanctiſſima Concilii Tridentini decreta, ſummorumque Pontificum Conſtitutiones, ſacrarum Urbis Congregationum ſanctiones, ſuorumque Prædeceſſorum ſtatuta diligenter expendat, cum ut eorum inhæreat veſtigiis, tum ut videat, an illa excitata, iterumque inculcata, ſatis ſint ad compeſcendos abuſus, quibus obſiſtere exoptat: non enim neceſſe eſt, ut in qualibet Synodo novæ ſemper condantur leges, ſed quandoque expedit antiquas tantum inſtaurare, earumque inſiſtere obſervationi, quod, inter ceteros, feciſſe comperimus Joannem Epiſcopum Trecorenſem, in ſua Synodo, quam habuit anno 1423. relata *in ſæpius cit. Theſaur. nov. Anecdot.* Martene, & Durand. *tom.* 4. *col.* 1129. ubi ait: *Communi utilitati, & grato regimini gregis nobis commiſſi intendere cupientes, nihil de novo, præter*

*unum*

*unum inferius descriptum ad præsens statuentes; sed potius laudabilibus statutis Prædecessorum nostrorum, infra designatis, & per nos mature advisatis inhærentes, ipsa statuta dictorum Prædecessorum nostrorum, inferius per rubricas adnotata, & per nos ex multis aliis extracta, & alia, quæ de jure procedunt, laudamus, & approbamus, ipsaque, juxta eorum formas, & tenores, volumus, & præcipimus, a subditis nostris inviolabiliter observari.* Ita cum nobis innotuisset, complures abusus in Regno Poloniæ invectos esse in usu Oratoriorum domesticorum, ideoque, ad eos de medio tollendos, Epistolam encyclicam dederimus ad Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos ejusdem Regni, quæ incipit *Magno cum animi nostro dolore*, datam die 2. mensis Junii 1751. & impressam *tom. 3. Bullarii nostri n.* 48. collectis in unum Prædecessorum nostrorum legibus hac de re constitutis, necnon resolutionibus a Congregationibus Urbis, cum eorundem Prædecessorum assensu, editis circa ea, quæ in hujusmodi Oratoriis domesticis fieri possunt, vel non possunt, demum §. 26. ita scripsimus: *Quod si vos etiam id præstare curabitis, ut in Diœcesanis Synodis vestris, in vestris item Edictis, quæ a vobis pro bono Diœcesis vestræ regimine publicantur. Pontificiorum Decretorum, ac Resolutionum desuper indicatarum observantiam inculcetis, duplex inde bonum extabit, ut & vivam in vobismetipsis eorundem memoriam teneatis, atque ab aliis aut ignorantiam expellatis, aut eandem, utpote crassam deinceps, atque supinam, inexcusabilem reddatis. Hanc agendi rationem & normam tenuerunt, atque in præsentia tenent nostri in Italia Episcopi, cum aut Pontificiorum Decretorum, quæ super privatis Oratoriis condita sunt, summam in Synodis suis inseruerunt, aut in Appendice ad ipsas Synodos eadem decreta per extensum adjunxerunt.*

III. Quoniam igitur specialia decreta, quæ fieri oporteat, Episcopis suggerere non possumus, eosdem monemus, ut scopum, ad quem Synodi colliment, studiose perpendant: idem enim facili negotio assequentur, quæ hic, & nunc specialiter sanciri debeant. Ut porro finis, quem Synodi respiciunt, magis magisque eorum menti insideat, & oculis obversetur, præter ea, quæ *lib. 1. cap. 2.* retulimus, alia subnectimus, illustrium Antistitum allocutiones, & monita, eorum Synodis plerumque præmissa, quibus diserte causas explicarunt, propter quas illas coegerunt.

IV. In Constitutione edita a Leone X. in Concilio Lateranensi dicitur, Synodos cogi, *ut depravata corrigantur*: quæ verba expendens Erasmus Chokier *in tract. de Jurisdictione in exemptos tom. 2. part. 1. §. 18. n. 206.* ait: *Episcopalis Synodus instituta est quatuor ex causis, e quibus unam hic designat Pontifex: primo, ut depravata corrigantur: secundo, ut ignorantes instruantur: tertio, ut regulæ morum, statutaque formentur: quarto, ut quæ in Provinciali Synodo decreta sunt, in Episcopali publicentur.*

V. In Pontificali Romano *sub tit. de ordine ad Synodum*, ita Episcopus præsentes alloquitur: *Venerabiles Consacerdotes, & Fratres nostri charissimi, præmissis Deo precibus, oportet, ut ea, quæ de Divinis Officiis, vel sacris Ordinibus, aut etiam de nostris moribus, & necessitatibus Ecclesiasticis a nobis conferenda sunt, cum charitate, & benignitate unusquisque vestrum suscipiat, summaque reverentia, quantum valet, Domino adjuvante, percipiat, vel quæ emendatione digna sunt, omni devotione unusquisque fideliter studeat emendare.*

VI. Initio statutorum Synodalium Ecclesiæ Æduensis anni 1299. quæ referuntur *tom. 4. Thesaur. nov. Anecdot.* Martene, & Durand. *col.* 480. hæc leguntur: *Quia humana natura de facili prolabitur ad delicta, expedit, ut homini noxius appetitus frenetur, & ligetur legalibus constitutionibus, & præceptis, ut declinet prohibita, & permissa sequatur.* Extant *eod. tom. 4. col.* 522. & *seq.* Synodalia statuta Ecclesiæ, & diœcesis Andegavensis, ab Episcopo Harduino anno 1423. edita, in quorum præfatione hæc Episcopus loquitur: *Cura Pastoralis officii, & suscepti regiminis nos instanti pulsat aculeo, tanto velocius ad subjectorum nostrorum culpas, & morum correctionem assurgere, quanto eas damnabilius desereremus incorrectas.* Et postquam diœcesis suæ vitia, & corruptelas longa oratione est prosecutus, sic tandem præfationem absolvit: *Hinc est, quod nos præmissorum consideratione debitum officii nobis commissi exequentes, vitia extirpare, virtutesque inserere, ac saluti, & periculis animarum subditorum nostrorum, & nostræ providere cupientes, ne sanguis eorum de manibus nostris in districti Judicis examine requiratur, plurimorum, scientificorum, proborum, & honestorum virorum ducti consilio, prohibitiones, monitiones, ordinationes, & statuta, quæ sequuntur, fecimus, constituimus, &c.*

VII. In ampliſſima Collectione veterum Scriptorum, & Monumentorum, edita a citatis Martene, & Durand, *tom. 7. col.* 1225. referuntur statuta Synodalia Ecclesiæ Ambianensis, condita anno 1464. in quorum initio hæc leguntur: *Cum solum illud bene actum censeatur, quo vita hominum corrigitur, nullique dubium existat, quin ex decretis, & legibus, statutis, & constitutionibus humana coerceatur audacia, & appetitus noxius ad juris tramitem reducatur; ideo nos subditorum nostrorum mores in melius reformare cupientes, nonnulla statuta decrevimus promulganda.*

VIII. Episcopus Audomarensis in Synodo Diœcesana anni 1583. causam allegans, cur Synodus quotannis cogatur, ait: *Quædam sunt ita communia mala, ut diœcesim unam integram obtineant, nec facile possint, nisi communi consilio, & auxilio eorum omnium, qui in diœcesi sunt, extirpari. Ad hæc congruit, ut una eadem diœcesis, eodem uno modo, & eisdem unis legibus universa regatur. Quare recte a Patribus, & nominatim a Tridentinis statutum est, ut, præter particulares Ecclesiarum visitationes, quotannis etiam Synodi Diœcesanæ celebrentur, in quibus, congregatis totius diœcesis capitibus omnibus, statuantur ea, quæ pro communi totius diœcesis bono statuenda videri possint, & caveatur, ne quæ bene constituta sunt, temerentur.*

IX. Sanctus Carolus Borromæus in præfatione ad Synodum Diœcesanam Mediolanensem undecimam, quam habuit anno 1584. *part. 2. Act. Eccles. Mediol. pag.* 399. *Quoniam*, inquit, *præcipua quædam capita sunt, in quibus exequendis longe languidiori studio actum, aut fortasse crebrius peccatum est (id quod ex speculatione nostra Archiepiscopali, quam in visitatione, alioque munere præstare debemus, hoc ipso præsertim anno, animadvertimus); ideo, ut prospiciamus, atque adeo caveamus, ne quid ex eo detrimenti jam institutæ disciplinæ ratio, progressioque patiatur, voluimus his nostris monitis assiduam eorum executionem excitare, eandemque explicationibus augere, atque adeo ob oculos ponere, quo distinctius, & clarius, ob eamque rem facilius, & commodius in executionis usum ab iis ipsis, quorum interest, inducantur.*

X. Similia passim occurrunt in aliorum Episcoporum Diœcesanis Synodis, quæ scopum indigitant, ad quem Synodales Constitutiones collineare debeant. Hunc præ oculis habeat Episcopus, ad illum suas dirigat Constitutiones, & rem totam conficiet, quam ex crebra Synodorum celebratione Ecclesia intendit.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

## CAPUT SECUNDUM.

*Qua methodo, quoque sermonis stylo conscribendæ sint Synodales constitutiones.*

NIhil peculiare dicendum occurrit de methodo, qua sint exarandæ Synodales Constitutiones, nisi quod in memoriam revocetur monitum Isidori *lib. 2. etymolog. cap. 10.* relatum *Can. 2. dist. 4.* ubi inter ceteras conditiones, quas in lege requirit, has etiam expoſcit, nimirum, ut ſit *neceſſaria, utilis, loco, tempori que conveniens*. Haud enim imitatione dignos putamus illos Epiſcopos, qui ut methodum retineant, quam a ſuis Prædeceſſoribus ſervatam vident, innumeras conſarcinant, neque neceſſarias, neque utiles, neque tempori accommodatas Conſtitutiones: non animadvertentes, ſapienter utique eas conditas fuiſſe a ſuis Prædeceſſoribus, utpote maxime convenientes ætati, qua ſuas celebrarunt Synodos; hodie vero, mutatis rerum circumſtantiis, eſſe prorſus ſupervacaneas. Inter plurimas Diœceſanas Synodos, quas pervolvimus, Synodum etiam percurrimus, anno 1609. habitam ab Anaſtaſio Germonio, Archiepiſcopo Tarantaſienſi, cujus Conſtitutiones diſtributæ ſunt juxta ordinem titulorum Decretalium. Ideo autem hanc methodum Germonius elegit, ut ſuo Clero aliquod ſaltem ſpecimen daret Juris Pontificii, cujus pleroſque prorſus jejunos, & ignaros deprehenderat. At ſi quis vellet eandem methodum ſectari, ubi Juris Canonici ſtudium viget, & ſcientia emicat, ſuperfluis certe, atque inutilibus Conſtitutionibus ſuam repleret Synodum, & potius, quam ſtatuta ſuæ diœceſis indigentiis congruentia, novam videretur conficere collectionem juris communis.

II. Synodus coacta ab Antonio Maria Gratiano, Epiſcopo Amerino, anno 1595. *referta eſt decretis* Concilii Tridentini; & *laudabiliter ſane*: etenim celebrata cum fuerit *triginta circiter* annis poſt abſolutum, & confirmatum Tridentinum, neceſſe fuit, iſtius ſaluberrimis ſanctionibus Clerum, & populum imbuere; quod ob eandem rationem a S. Carolo Borromæo in ſuis tam Provincialibus, quam Diœceſanis Synodis præſtitutum, ex earundem diſcimus lectione. At cum hodie Tridentini decreta vulgatiſſima ſint, fruſtraneum profecto videretur illa tranſcribere, atque in Diœceſanæ Synodi acta intrudere, ſed ſat erit, eadem innuere, novis ſanctionibus fulcire, earumque obſervationem urgere. Eadem præterea Amerina Synodus quamplurimis abundat adhortationibus, monitis, & ſtatutis, quæ prudens Epiſcopus neceſſaria putavit ad radicitus evellendum vitiorum lolium, quod, ob diu intermiſſam Synodorum coactionem, in ſuæ curæ concredito Domini agro nimium ſupercreviſſe compererat. Hanc methodum illis commendamus Epiſcopis, qui diœceſi præſunt, in qua abuſus, & corruptelæ, una cum rerum Divinarum inſcitia, adeo altas egerunt radices, ut non facile extirpari queant: oportet enim tunc Synodo inſerere congruas inſtructiones, ad erudiendos indoctos, & Synodales Conſtitutiones crebris conſpergere adhortationibus, quibus earum jugo ferendo inſuetus populus, ad collum eidem ſubmittendum ſuaviter inducatur: quin immo, generatim loquendo, hanc methodum illis etiam Eccleſiarum Præſulibus ſummopere convenire arbitramur, qui fere nunquam ſuum Clerum, & populum encyclicis litteris alloquuntur, nec alias Synodos ſe facile deinceps habituros prævident; ita quippe, in unius ſaltem Synodi lectione, omnes oves ſui Paſtoris vocem quodammodo audient, quæque facere, quæque declinare debeant, addiſcent. Qui vero ſæpius Synodos celebrant, aut frequenter, prout ſcilicet ſe obtulerit occaſio, encyclicis litteris commiſſum ſibi gregem paſcunt, hortantur, & edocent, ſatius erit, ut a prolixis inſtructionibus, in ſuam Synodum inſerendis, abſtineant, ne ſecus inutiliter repetant, quæ jam alias edixerunt, rerumque fruſtra repetitarum multitudine legentium mentes obruant. Verum, cum etiam hæc res ab innumeris pendeat circumſtantiis, quas prævidere, & conſiderare eſt impoſſibile, idcirco liberum relinquimus Epiſcopo eam methodum in ſuis conſcribendis Synodalibus Conſtitutionibus ſeligere, quæ magis ei arriſerit, modo nunquam a propoſito deviet proſpiciendi ſaluti animarum.

III. Quod attinet ad ſermonis ſtylum in componendis Conſtitutionibus ſervandum, meminiſſe etiam oportet, quod laudatus Iſidorus inculcat, nempe: *Erit autem lex .... manifeſta, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat*: ac proinde talibus verbis eſt concinnanda, quæ omnem excludant ambiguitatem, conditoriſque mentem, ac voluntatem ſubditis perſpicue exhibeant. Eſtque hæc conditio adeo neceſſaria, ut quamvis, juxta Suarez *lib. 1. de Legibus cap. 11. n. 1.* ad ſolam pertineat legis perfectionem, non itidem ad ſubſtantiam; attamen, ſi lex verbis ita obſcuris ſit concepta, ut multiplicem ſenſum reddat, nec qualem Legislator intenderit, potuerint Interpretes, & Doctores determinare, vim, & efficaciam obligandi eam non obtinere, docent Baldus *in l. Data opera*, 11. *Cod. de his, qui accuſare non poſſunt*, & Everard. *Arg. legal. loco a rubro ad nigrum, num. 7.* & certe qui in praxi unum ex multis ſenſibus, quos lex obſcura præſefert, ſequitur, legis violatæ reus, & pœnæ obnoxius eſſe nequit; etiamſi poſtea, eo rejecto, alius ſenſus, legitima auctoritate, uſuve approbatus ſit, vel receptus, arg. *Cap. Cappellanus*, 4. *de feriis*, ubi Panorm. *num. 6.* Imola *num. 3.* Barboſ. *num. 4.* Tanti igitur intereſt, claris ac manifeſtis verbis legem adornare, quanti exactam ejuſdem executionem obtinere, aditumque occludere tergiverſationibus, quibus ſubditi ſe valeant excuſare a legis obſervatione. Ceterum, dummodo obſcuritas, & dubietas in lege evitetur, nihil refert, quo ſit exarata ſtylo. Synodi habitæ annis 1680. 1686. 1692. & 1697. a Guidone de Seve de Rochechouart, Epiſcopo Atrebatenſi, qui annis amplius quadraginta eidem Eccleſiæ præfuit, gregemque ſuum aſſidua præſentia fovit, atque a noxiis erroribus, morumque corruptelis, indefeſſa cura tutatus eſt, uti legitur *tom. 3. Galliæ Chriſtianæ* Dionyſii Sammarthani *col.* 353. ſcriptæ ſunt brevi, conciſo, & laconico ſermone; eundemque ſtylum imitantur Synodi habitæ a Cardinali Lanfredino, Epiſcopo Auximano, & Cingulano, anni 1734. 1735. & 1736. Ex adverſo alias multas invenimus Synodos, longo, & aſiatico, ut vocant, elucubratas ſtylo; qui utique rudiorum captui videtur magis accommodatus. Sed etiam in hoc quilibet abundet in ſenſu ſuo, et ſtylum adhibeat, quem maluerit.

## CAPUT TERTIUM.

*Quæ utiliter in una, inutiliter in alia Synodo decernuntur: ubi nonnulla de Oblatis, Eremitis, & Græcis degentibus in Diœceſibus Epiſcoporum Latinorum.*

AUdivimus nuper ab Iſidoro, legem convenire debere *loco, & tempori*: ex hoc vere illud conſequitur, quod jam ſuperius animadvertimus, non poſſe videlicet certam regulam præſcribi, quæ Conſtitutiones indigitet in qualibet Synodo edendas; quæ enim uno tempore, atque in uno loco ſaluberrimæ ſunt, alio tempore, alioque in loco incaſſum renovantur.

Rem,

Rem, uti nos facturos promiſimus, nonnullis exemplis illuſtrabimus.

II. Pluribus Eccleſiæ ſeculis, liberum fuit parentibus, impuberes filios Deo, & monaſterio offerre; iiſque ſemel a parentibus oblatis, integrum deinceps non erat, monaſterium deſerere, atque ad ſeculum regredi, ſine apoſtaſiæ nota: quocirca communis adagii loco habebatur canon 49. Concilii Toletani IV. *Monachum, aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit: tom.* 3. Collectionis Harduini *col.* 589. Tantam parentum in filios poteſtatem aliqui profluxiſſe opinantur a veteri Teſtamento, ubi 1. *Regum cap.* 1. legitur, Samuelem, trium annorum puerum, fuiſſe a matre templo oblatum: alii eam referendam autumant ad antiquas Romanorum leges, per quas tantum parentibus in ſuos liberos adſtruebatur dominium, ut jus vitæ, ac necis in iſtos haberent, ſummaque urgente neceſſitate, poſſent eoſdem in ſervitium vendere ſine redemptione, quemadmodum conſtat *ex lib.* 1. *titul.* 3. *lib.* 3. *Codicis Theodoſian. & ex lib.* 10. *titul.* 47. *lib.* 8. *Codicis Juſtinian.* Quamquam autem Chriſtianorum Imperatorum leges ejuſmodi enormem parentum in filios poteſtatem multum coercuerint: facultatem nihilominus illis reliquerunt, de ſuis liberis, quamdiu eſſent impuberes, pro arbitrio diſponendi, excepto duntaxat mortis, & ſervitutis negotio, uti habetur *in leg. unic. titul.* 15. *lib.* 9. *Codicis Theodoſiani* Verum, quæcumque fuerit origo prædictæ conſuetudinis, quam uſque ad ſeculum duodecimum perſeveraſſe, ex epiſtola prima Sancti Bernardi ad Robertum nepotem, atque ex epiſtola Siberti ad Rodulphum Abbatem Sancti Trudonis, colligit Couſtant *in epiſtola Romanorum Pontificum tom.* 1. *col.* 317. certum eſt, quod, quamdiu ea in Eccleſia viguit, fere omnia Concilia aliquid decrevere de pueris, & puellis, a parentibus monaſterio oblatis, uti, inter cetera, Aurelianenſe Quintum anni 549. *can.* 19. *tom.* 2. Collectionis Harduini *col.* 1447. Matiſconenſe Primum anni 581. *can.* 12. *tom.* 3. Collectionis Harduini *col.* 452. Toletanum Decimum anni 656. *can.* 6. *ibidem col.* 980. At, poſtquam ea diſciplina obſolevit, ineptum plane foret, de iiſdem Oblatis in Synodis verba fieri.

III. Quemadmodum porro diverſitas temporum facit, ut in hodiernis Synodis nihil ſtatuendum occurrat de impuberibus filiis, a parentibus monaſterio oblatis; ita locorum diverſitas efficit, ut in aliqua Synodo prudenter atque utiliter, in alia vero imprudenter, & inutiliter de alio agatur, adhuc extante, Oblatorum genere. Alii quondam fuerunt, & alicubi etiam nunc ſunt, monaſteriorum Oblati, de quibus Mabillonius *in præfatione ad ſecul.* VI. *in Act. Sanctor. Ordin. Sancti Benedicti num.* 92. & Carolus du Cangius *in Gloſſarium verb. Oblati monaſteriorum*; homines ſcilicet, qui ſe, ſuaque omnia in monaſterii uſus conferunt, ejuſdemque monaſterii Prælato ad omnia obediunt. Ejuſmodi autem Oblati, qui etiam *Donati* appellantur, habitum quidem aſſumunt a ſecularibus paululum diverſum, ſeque monaſterio tradunt ſub certa verborum formula, nulla tamen ſolemni profeſſione ſe obſtringunt: quocirca Religioſi vere non ſunt, nec matrimonii valide contrahendi incapaces; ſimplex quippe caſtitatis votum, ſi quod forte in prædicta oblationis formula, quæ, pro monaſteriorum diverſitate, eſt diverſa, contineatur, impedit utique matrimonium contrahendum, ſed contractum non dirimit: uti ad rem ponderant Regens Tapia *in Aut. Ingreſſi, ver. Sua, cap.* 10. *num.* 6. Covarruv. *in Cap. Alma mater, part.* 2. *relect.* §. 2. *cap.* 8. Navarrus *conſil.* 81. *primæ editionis, num.* 15. *de Regular.* Fagnanus *in Cap. Ut privilegia, de privilegiis, numer.* 30. Lezana *Oper. moral. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 8. & 9. ubi formulam refert, quam recitant Oblati Ordinis Sancti Hieronymi, Rocca *tom.* 2. *diſput. jur. cap.* 140. ubi expendit formulam oblationis mulierum, ſacras ingredientium ædes nuncupatas *Sanctiſſimæ Virginis Dolorum de Urbe*, Donatus *tom.* 1. *rerum Regular. part.* 2. *tractat.* 13. *de Oblatis Religioſorum quæſt.* 6. *per totum*, Rota *in Romana Majoratus, & Primogenituræ de Cæſarinis* 16. *Junii* 1698. §. *Siquidem electio, coram Lancetta.*

IV. Quamvis vero prædicti Oblati Religioſi non ſint, attamen ſi omnia bona ſua, ne minima quidem eorum parte, neque quoad proprietatem, neque quoad uſumfructum, ſibi reſervata, abſque fraude, & dolo, in monaſterium contulerint, & habitum aliqualiter mutaverint, cenſentur perſonæ Eccleſiaſticæ, gaudentque privilegio fori, atque immunitate ab exactionibus ſecularibus: uti colligitur *ex Cap. Per exemptionem, de privileg. in* 6. ubi Bonifacius Octavus ſtatuit: *Per exemptionem Eccleſiæ conceſſam, ipſa Eccleſia, & ipſius Monachi, vel Canonici, Clerici etiam, & Converſi, perpetuoque Oblati . . . . . intelliguntur exempti*: atque *ex Clementina prima, de decimis*, in qua Clemens Quintus poſtquam declaravit, teneri Regulares, decimas perſolvere *de animalibus familiarium, & paſtorum ſuorum*, addit: *Ceterum præmiſſa extendi nolumus ad animalia, quæ per Religioſorum ipſorum Donator, ſeu Oblatos tenentur, dum tamen illi Religioſis eiſdem cum effectu donaverint, aut obtulerint ſe, & ſua*: quas Conſtitutiones recte perpendunt Fagnanus *in citat. Cap. Ut privilegia, num.* 25. & *ſeq.* & Barboſa *in eodem Cap. num.* 43. Ut vero ſubtrahantur etiam ab Epiſcopi juriſdictione, ſolique ſubdantur Prælato Regulari, non ſolum neceſſe eſt, ut prædictas impleant conditiones, juxta apertam deciſionem Alexandri Tertii *in Cap. Cum & plantare*, 3. *de privileg. De Confratribus* (hoc nomine *Oblatos* appellat) *hoc conſtituimus, ut ſi, non ſe prædictis Fratribus omnimodo reddiderint, ſed in proprietatibus ſuis omnino duxerint remanendum; propter hoc ab Epiſcoporum ſententia nullatenus eximantur, ſed poteſtatem ſuam in eos, ſicut in alios parochianos ſuos, exerceant, cum proſuis fuerint exceſſibus corrigendi*; verum etiam, jure noviſſimo Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. *de reform.* requiritur, ut actu Religioni inſerviant, cujus ſunt Oblati: ſecus, etiamſi ab aliis conditionibus non deficiant, Epiſcopali foro remanent obnoxii. Ad arcendas autem diſſenſiones, ſuper prædicta Oblatorum exemptione, ſæpe inter poteſtatem ſecularem, & Epiſcopos excitatas, accuratiſſimum decretum olim editum fuit a ſacra Congregatione Concilii, in quo ſingulæ enumerantur qualitates, quibus præſtare debent Oblati, ut habeantur pro perſonis Eccleſiaſticis: atque ad iſtius decreti normam omnes deciduntur quæſtiones, Oblatorum immunitatem ſpectantes. Alia præterea ab eadem ſacra Congregatione emanarunt decreta, quibus definitum eſt, quandonam iidem Oblati etiam a foro Epiſcopali prorſus ſubtrahantur, & quandonam tam Epiſcopi, quam Prælati Regularis coercitioni ſubjaceant. Primum decretum refertur a Cohell. *ad Bullam Boni Regiminis cap.* 50. *num.* 142. Paſſerino *de hominum ſtat. tom.* 2. *quæſt.* 187. *articul.* 4. *num.* 225. Barboſ. *cit. loc.* & fuſe explicatur a laudato Fagnano. Alia decreta ſunt a nobis indicata, & expenſa in quadam cauſa *Anglonen.* ſacræ Congregationi propoſita 15. & 29. Januarii 1724. de qua *tom.* 3. *Theſaur. Reſolut. pag.* 5. & 11.

V. Jam autem Epiſcopus diœceſim adminiſtrans, ubi plures degunt Oblati, ſapienter ſane enuntiata decreta in ſuam Synodum inſeret, aut illis conformes novas promulgabit Conſtitutiones: at, ſi in diœceſi ejuſmodi Oblati non reperiantur, Conſtitutiones ad eoſdem pertinentes Synodi paginas inutiliter replerent. Idemque judicium ferendum eſt de Synodalibus ſtatutis feminas reſpicientibus, quæ vulgo *Beatæ, Beguinæ, Tertiariæ, & Bizochæ* appellantur: ubi

enim ejuſmodi ſeminarum copia invenitur, prudenti certe conſilio aliquid de iis, earumque vivendi ratione, in Synodo decernitur: laudabiliter quoque poterunt certæ regulæ deſignari in earundem admiſſione ad *Beguinarum* habitum ſervandæ, quæ jampridem a ſacra Congregatione Concilii præſcriptæ fuere, & nobis relatæ ſunt in quibuſdam ex noſtris Inſtitutionibus pro Archiepiſcopi munere olim Bononiæ Italico ſermone editis, ac deinde in Latinum converſis, videlicet *Inſtitution.* 29. §. *Poſt Moniales*, & *Inſtitution.* 105. *in Monitis pro Mulieribus Tertiariis, quæ privatim in ſuis ædibus vitam agunt*, §. 1. Aſt, ubi aut nullæ, aut raræ ſunt feminæ, quæ *Beguinarum* amplectantur inſtitutum, nemo non videt, ſupervacaneum eſſe de illis in Synodo pertractari.

VI. A Religionum Oblatis ad Eremitas progredientes, aliud ad rem noſtram appoſitum ab iſtis deſumimus exemplum. Quatuor ſunt Eremitarum genera: alii tria ſubſtantialia nuncupant Religionis vota in aliqua ex Religionibus a Sede Apoſtolica approbatis, quales ſunt Eremitæ Camaldulenſes, qui propterea ſunt veri Religioſi: alii a votorum nexu ſoluti, in aliqua Congregatione degunt, ab Epiſcopo approbata, modumque vivendi ibidem tenent ab eodem Epiſcopo præſcriptum; & iſti, licet Religioſi vere non ſint, interdum tamen, cum aliqua improprietate ſermonis, *Religioſi* vocantur: alii ſunt Eremitæ, qui nec Religionem profeſſi, neque ulli adſcripti Congregationi, habitum Eremiticum ab Epiſcopo accipiunt, ejuſdemque auctoritate, alicujus Eccleſiæ addicuntur ſervitio: alii demum ſunt, qui pro ſuo libito Eremiticas veſtes induunt, neque ullius Eccleſiæ, legitima auctoritate, alligati ſervitio, ſolitariam vitam eligunt. Ex his quatuor Eremitarum ſpeciebus, de quibus a nobis actum eſt *in noſtro Opere de Canonizatione Sanctorum*, *lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 15. ſecunda, & tertia ordinariæ ſubſunt Epiſcopi poteſtati: Eremitæ vero quartæ *ſpeciei*, *utpote qui inter* perſonas Eccleſiaſticas non numerantur, fori privilegio non gaudent; abſonum quippe videretur, ut quis, pro *ſuo arbitrio*, *ſe a laicali* eximeret juriſdictione, cui erat antea obnoxius: quemadmodum recte conſiderant Fermoſinus *in Cap. Nullus*, *de foro competenti*, *quæſt.* 15. *numer.* 1. & 2. Fagnanus *ibidem num.* 63. Cortiada *deciſ. Catal. tom.* 3. *deciſ.* 137. *numer.* 61. Diana *in Oper. coordinat. tom.* 9. *tract.* 2. *reſolut.* 174. aliique paſſim: licet tamen Epiſcopo eos compellere ad habitum dimittendum, vivendique rationem deſerendam, quam propria auctoritate ſuſceperunt. Hanc poteſtatem *in ſua* Synodo exercuit Epiſcopus Gerundenſis, prohibens, ſub pœna excommunicationis, ne quis, ſine Epiſcopi decreto, audeat Eremiticas veſtes aſſumere, uti legitur apud Romaguer. *lib.* 3. *titul.* 15. *cap.* 1. 2. 4. & 5. Severiores etiam leges adverſus eoſdem Eremitas, tanquam apes ſine rege, uti Doctores loquuntur, huc illuc diſcurrentes, tulit clara memor. Cardinalis Portocarrero, Archiepiſcopus Toletanus, in ſua Toletana Synodo *lib.* 3. *titul.* 13. *conſtitut.* 4. Nihil igitur eſt, quod a ſimilibus Conſtitutionibus condendis alios detineat Epiſcopos, qui ejuſdem generis vagos Eremitas in ſua habent diœceſi. Jure pariter poterunt leges ſancire, alios complectentes ſecundæ, & tertiæ ſpeciei Eremicolas; puta edicere, ſe nulli in poſterum veniam daturum ſolitarie vivendi, cujus mores ſibi non fuerint antea bene perſpecti, aliorumque teſtimonio comprobati: quod laudabiliter ſancitum legimus a Cardinali Carolo Barberino in ſua Synodo Farfenſi, atque a Cardinali Cybo in Synodo Oſtienſi, & Veliterna, habita anno 1698. *titul.* 35. Ea ſiquidem ſolitarie vivendi ratio, adeo periculoſa eſt, ut Hieronymus *in epiſtol.* 125. *ad Ruſticum monachum num.* 9. eligendum aſſerat a ſolis viro, & non ex parte perfectis; & Synodus Venetica anni 465. *can.* 7. *tom.* 2. Collectionis Harduini *col.* 797. ne Monachis quidem illam permittendam cenſuerit, *niſi forte probatis*, *poſt emeritos labores*. Multoque magis decet, ut Epiſcopus in Synodo regulas præſcribat ab Eremitis religioſe ſervandas, quod itidem a præfatis Cardinalibus diligenter præſtitum vidimus. Ex pluribus autem, quæ circumferuntur, Eremitarum regulis, optimæ ſunt, quæ habentur in Appendice ad Concilium Romanum *pag.* 257. a ſan. mem. Benedicto Decimotertio concinnatæ, atque in eodem Concilio *tit.* 22. *cap.* 2. ſingulis Epiſcopis propoſitæ, & commendatæ, ut ad earum normam ſuos diœceſanos Eremitas vivere cogant. Has igitur recte Epiſcopus ſuæ Synodo adjunget, earumque obſervationem, ut in eodem Concilio Romano cautum eſt, *practice promovebit*. Verum hæc, ut quilibet videt, ſolis aptantur diœceſibus, quas aliquot incolunt Eremitæ; neutiquam vero aliis, a quibus abſunt. Quamobrem qui iſtarum regimini præficiuntur Antiſtites, oleum, & operam perderent, ſi vano pruritu voluminoſam conficiendi Synodum, Conſtitutiones, & Regulas in illam ingererent cuſtodiendas ab Eremitis, qui ceteroquin in nullo ſuæ diœceſis angulo exiſtunt.

VII. In aliquibus diœceſibus, uti etiam ſuperius dictum eſt, una cum Latinis, commorantur Catholici, Græci ritus, eidem Latino Epiſcopo omnes ſubjecti; cui propterea laudi adſcribetur, ſi in ſua Synodo proſcribat errores, & inſectetur abuſus, ſi qui forte in prædictos Græcos irrepſerint. Ita ſe geſſit Cardinalis de Torres, Archiepiſcopus Montis Regalis in Sicilia, qui in Diœceſana Synodo interdixit Italo-Græcis, ſuam habitantibus diœceſim, uſum *Synaxarii*, *quod recitare ſolebant* poſt *lectionem* ſextam Sabbati ante Dominicam Sexageſimæ, eo quod in eo contineretur error, a Catholica Eccleſia jamdiu damnatus, de animabus *in* cælum non *recipiendis*, neque ad æternas ablegandis pœnas ante diem Judicii: vetuit præterea, ne iidem recitarent Officium impii Gregorii Palamæ, Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, cenſuraque perſtrinxit quaſdam acclamationes, quibus plaudebant eidem Palamæ, ac ſceleſtiſſimo Photio, Pſeudo-patriarchæ Conſtantinopolitano, auctori Schiſmatis Græcorum: quæ quidem Synodalia Cardinalis de Torres decreta referuntur a Joanne de Joanne *in tractat. de Divinis Siculorum Officiis cap.* 11. Neque idcirco Cardinalis ordinariæ ſuæ poteſtatis limites eſt prætergreſſus; quamvis enim nequeat Epiſcopus quæſtiones definire ad Fidei doctrinam pertinentes, non tamen prohibetur, ne aut in Synodo, aut extra Synodum, cavendos jubeat errores, jam ab Eccleſia proſcriptos, quod colligitur *ex Cap. Ad abolendam*, *de hæreticis*, notatque Gonzalez *in Cap. Veſtra*, *num.* 3. *de locato*, & *conducto*. Commendandi igitur erunt etiam alii ſimilium Eccleſiarum Præſules, ſi ſuam curam, & ſtudium impendant, ut Græcorum, quibus præſunt, præcidant errores, depravatoſque mores corrigant. At, ubi nulli ſunt homines Græci ritus, videretur aerem verberare Epiſcopus, qui in ſua Synodo de illis ſana doctrina informandis ſe valde ſollicitum oſtentaret. Sed de Græcorum erroribus, deque his, quæ præſtare debent Epiſcopi Latini, ut Græcos homines, in ſuis diœceſibus degentes, ab illis immunes ſervare valeant, alibi fuſius agemus.

C A-

## CAPUT QUARTUM.

*Aliis exemplis demonſtratur, non omnes Conſtitutiones omni Synodo æque congruere: ubi multa de Judæis degentibus in terris Chriſtianorum.*

A Multis Chriſtiani orbis regionibus, uti in Hiſpania, & Luſitania, Judæi coguntur perpetuo exulare; in aliis autem libere habitare permittuntur. Ab omni temporali ditione Romanæ Eccleſiæ juſſi ſunt abeſſe excepta Roma, & Ancona, per Conſtitutionem 110. Sancti Pii Quinti, quæ incipit *Hebræorum*, *tom.* 4. *part.* 3. *Bullar. pag.* 57. Et quamquam Sixtus Quintus per alias litteras in forma Brevis, datas die 22. Octobris 1586. inter cetera privilegia Hebræis conceſſa, poteſtatem eiſdem fecerit domicilium figendi in quolibet loco, temporali Eccleſiæ dominio ſubjecto; hæ tamen Sixti Quinti litteræ revocatæ poſtea fuere a Clemente Octavo Conſtitutione 19. quæ incipit *Cæca & obdurata*, qua iterum Hebræi expulſi ſunt e terris Eccleſiæ, exceptis duntaxat Roma, Ancona, & Avenione. Cumque ſub eodem Clemente Octavo ad Eccleſiam Romanam devolutus fuerit Ducatus Ferrarienſis, & ſubinde ſub Urbano Octavo Ducatus Urbinatenſis, venia data eſt Hebræis domicilium retinendi, quod antea habebant, in aliquot iſtorum Principatuum locis.

II. Quibus præmiſſis, facile erit cuilibet dijudicare, quibuſnam locis ſtatuta conveniant, certum Chriſtianis præfinientia modum cum Hebræis converſandi: illis quippe in regionibus, in quibus Hebræi ſtabilem ſedem habent, omnino expedit, ut Epiſcopi in ſuis Synodis nimiam coerceant Chriſtianorum cum illis conſuetudinem, juriſque communis ſanctiones, ſummorumque Pontificum inſtaurent huc reſpicientia decreta, quæ, ad eorundem Epiſcoporum commodum, conglomerata proferimus. *In Cap. Judæi*, 5. *de Judæis*, prohibentur Chriſtiani cum Hebræis cohabitare, & contravenientes ſubjiciuntur excommunicationi. Quo vero exactius huic præcepto fieret ſatis, atque nimia evitaretur familiaritas Chriſtianorum cum protervis Hebræis, quam omnes antiqui Eccleſiæ canones deteſtantur, præcipue canon 50. Concilii Illiberitani *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 255. canon 40. Concilii Agathenſis *tom.* 2. Collectionis ejuſdem *col.* 1002. canon 15. Concilii Epaonenſis *ibid. col.* 1049. canon 15. Concilii Matiſconenſis I. *tom.* 3. ejuſdem Collectionis *col.* 453. juſſit Paulus Quartus in ſua Conſtitutione 4. §. 1. *tom.* 4. *part.* 1. *Bullar. pag.* 321. ut in locis ditionis Eccleſiaſticæ, in quibus degere permittuntur Judæi, habitare debeant in loco ſeparato, & clauſo, atque a Chriſtianorum ædibus penitus ſejuncto. Ne vero cum Chriſtianis confundantur, decrevit Innocentius Tertius *in Cap. In nonnullis*, 15. *de Judæis*, ut in qualibet Chriſtianorum provincia habitum deferant a Chriſtianis diverſum. In cujus decreti executionem Concilium Ravennatenſe Secundum anni 1311. *rubr.* 23. *tom.* 7. Collectionis Harduini *col.* 1370. Judæos portare ſtatuit *in pannis ſuperioribus certum ſignum, ſcilicet rotam panni crocei coloris; & mulieres eorum in capite*. Eodemque fere ſigno eoſdem a Chriſtianis diſtingui, voluere Patres Concilii Albienſis, anni 1254. *can.* 65. *tom. cit. titul.* ejuſdem Collectionis *col.* 468. Nemauſenſis anni 1284. *titul. de perfidis Judæis*, *ibidem col.* 936. & Avenionenſis anni 1326. *can.* 57. *ibidem*, *col.* 1514. Paulus vero Quartus in laudata Conſtitutione §. 3. ab Hebræis maſculis ſemper deferendum conſtituit *biretum glauci coloris*, *a feminis vero aliud ſignum patens*, *ita ut nullo modo celari*, *aut abſcondi poſſit*: & licet ab iſtius ſigni delatione Pius Quartus in Conſtitutione 57. *tom.* 4. *part.* 2. *Bullar. pag.* 105. iter facientes abſolverit Hebræos, ejus tamen Conſtitutio reſciſſa fuit a Sancto Pio Quinto in ſua Conſtitutione 10. §. 6. *tom.* 4. *part.* 2. *Bullar. pag.* 286. atque a Clemente Octavo in citata Conſtitutione 19. Ne porro Judæi publicis præficiantur officiis, vetitum eſt ab Innocentio Tertio *in Cap. Cum ſit*, 16. atque a Gregorio Nono *in Cap. Ex ſpeciali*, 18. *de Judæis*. Ne iidem fiſcalia, ac Vectigalia conducant, atque a Chriſtianis exigant, interdictum jam fuerat a Synodo Regiaticina anni 850. *can.* 20. *tom.* 5. Collectionis Harduini *col.* 30. iterumque ſancitum a Gregorio Nono *citat. loc.* Ne ad ſuos lactandos filios Chriſtianas nutrices adhibeant, cautum eſt in *citat. Cap.* 8. *& Cap.* 13. *de Judæis*, atque a Gregorio Decimotertio in ſua Conſtitutione 131. §. 11. *tom.* 4. *part.* 5. *Bullar. pag.* 6. Chriſtianis autem non licere, aut accepta mercede ſervitium ſuum Judæis aſſidue impendere, habetur *in citat. Capitul.* 5. 8. *&* 13. *de Judæis*; aut, ad ſuas curandas infirmitates, Judæum Medicum arceſſere, liquet ex citata Conſtitutione 4. Pauli Quarti Conſtitutione 129. Gregorii Decimitertii *tom.* 4. *part.* 4. *Bullar. pag.* 1. quin immo a Synodo quiniſexta *can.* 11. relato a Gratiano *quæſt.* 1. 18. *Canon.* 13. anathemate percelluntur laici, & depoſitionis pœna decernitur in Clericos, qui ad ſuam ſive tuendam, ſive recuperandam valetudinem, Judæi Medici opera utuntur. Aliæ plurimæ Eccleſiæ ſanctiones, hanc materiam ſpectantes, congeſtæ ſunt a Cardinali Sanctorio *in ſuo Rituali Sacramentorum*, *tit. de Infidelium converſione procuranda*: quibus addenda eſt Conſtitutio Clementis Undecimi incipiens *Propagandæ*, *in ordine* 61. *tom.* 10. *Bullar. nov. pag.* 64. ubi proſpicitur indemnitati Hebræorum Chriſti Fidem complectentium, caveturque, ne bonis priventur, quæ antea poſſidebant, neque excludantur a ſucceſſione ad parentum hæreditatem. In iis itaque diœceſibus, in quibus licet Hebræis impune commorari, licebit etiam Epiſcopo prædictas Conſtitutiones, ne e Fidelium memoria excidant, renovare. Legere etiam idem poterit noſtram Epiſtolam die 28. Februarii 1747. datam ad Archiepiſcopum Tarſenſem, noſtrum in Urbe Viceſgerentem, in qua ex communi Theologorum doctrina probavimus, Hebræorum infantes baptizandos non eſſe, invitis parentibus, niſi eæ occurrant peculiares circumſtantiæ, quas recenſet Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 10. *artic.* 12. *&* 3. *part. quæſt.* 68. *artic.* 10. eaque occaſione, non pauca allegavimus ſacrarum Urbis Congregationum decreta ad eandem rem pertinentia, e quibus excerpere poterit Epiſcopus, ſuæque Synodo attexere, quæ opportuna judicaverit ad ſuum edocendum gregem, ſi quem habeat Hebræis permixtum. Hæc Epiſtola inſerta eſt *in tom.* 2. *Bullarii noſtri num.* 28. Aliam quoque Epiſtolam encyclicam ad Primatem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Poloniæ conſcripſimus, datam die 14. Junii 1751. in qua pleraque indicavimus, quæ vetita ſunt Hebræis commorantibus in Chriſtianorum regionibus. Eodemque anno ſub die 15. Decembris, aliam dedimus Epiſtolam ad Præſulem Petrum Hieronymum Guglielmi, Romanæ Inquiſitionis Aſſeſſorem, de baptizandis Hebræorum infantibus; quæ Epiſtolæ, ſeparatim tunc editæ, mox impreſſæ ſunt *ejuſdem Bullarii noſtri tom.* 3. *num.* 49. *&* 54.

III. Verum, quod plus negotii interdum faceſſit Epiſcopis, & matrimonium ab Hebræis in Infidelitate contractum, & conſummatum, de quo diſputatur, an, & quando per converſionem alterius conjugis ad Chriſtianam Fidem, dirimatur. Certum eſt, Infidelium conjugium, ex privilegio in Fidei favorem a Chriſto Domino conceſſo, & per Apoſtol. Paulum 1. *ad Cor.* cap. 7.

*cap. 7.* promulgato, dissolvi, cum conjugum, alter Christianam Fidem amplectitur, renuente altero, in sua Infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis conjugis Fidelis, vel non sine execratione sanctissimi nominis Christi, & Christianæ religionis despicientia. Ex hoc vero fit, integrum non esse conjugi converso transire ad alia vota, priusquam Infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit, cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia; uti colligitur ex celeberrima Decretali Innoc. III. *in Cap. Quanto, de divortiis*, notantque Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 74. n. 12.* Salmanticenses *tom. 2. tr. 9. de matrim. cap. 4. n. 48.* Card. de Lauræa *de matrim. disp. 16. n. 198.* Clericatus *de Sacram. matrim. decis. 11. n. 24.* At quandoque evenit, conjugem Infidelem in longinquas abiisse regiones, aut ita latitare, ut interpellari nequeat; & tunc dubitatur, an, interpellatione omissa, fas sit converso alias inire nuptias. Affirmant plerique, quibus adstipulantur Sanchez *cit. loc. n. 14.* Genuensis *in prax. Cur. Archi. Neap. cap. 27. num. 20.* Riccius *in praxi part. 1. resolut. 241.* Alii ex adverso, inter quos Pontius *lib. 7. de matrim. cap. 48. numer. 22.* in eo rerum statu necessariam putant dispensationem summi Pontificis, cujus est declarare, in quibusnam circumstantiis desinat obligare præceptum Divinum, quo prædicta interpellatio, ante rescissionem matrimonii, videtur injuncta: atque huic posteriori sententiæ in quadam causa *Florentina*, discussa 17. Januarii 1722. adhæsit S. Congr. Conc., cujus judicio nos omnia subjecimus rationum momenta, quæ a dissidentibus inter se Doctoribus in utramque partem afferuntur, uti legere est *tom. 2. Thesaur. Resolut. pag. 117. & seq.* Neque Sedes Apostolica difficilem se præbet eam petentibus dispensationem, quam urgens causa suadet concedendam: etenim, sicuti in præfata causa *Florentina* animadvertimus, Greg. XIII. locorum Ordinariis, Parochis, & Presbyteris Missionariis Societatis Jesu, in Angola, Æthiopia, & Brasilia degentibus, potestatem fecit dispensandi cum quolibet conjuge, qui Christianæ religioni nomen dedit, ut novum possit matrimonium inire, omissa interpellatione alterius conjugis Infidelis, quem constat legitime interpellari non posse; et nos ipsi, ad Petri Cathedram evecti, facultatem concessimus Apostolico Nuntio, Venetiis commoranti, ut in simili rerum eventu possit ab ejusdem interpellationis onere relevare conjuges conversos, existentes in loco pio Catechumenorum ejusdem civitatis Venetiarum: quod habetur *in Constit. 3. nostri Bullarii tom. 1.*

IV. Sed alia hinc oritur controversia de temporis momento, quo rescindatur fœdus connubii, de quo est sermo. Plerique Doctores sentiunt, interpellato conjuge Infideli, eoque aut expresse abnuente legitime cohabitare cum Fideli, aut intra terminum, sibi in interpellatione præfixum, nihil respondente, dissolutum statim censeri vinculum conjugii, quo erant ambo constricti. Alii arbitrantur, tunc primum dirimi, cum conjux conversus alteras nuptias contrahit. Ab istius autem controversiæ decisione, alterius pendet enodatio difficultatis, de qua non semel contigit in Ecclesiasticis foris disputari. Fingite, Titium Hebræum Christianam Fidem amplecti: postquam fuit Baptismate ablutus, uxorem suam Næviam, quam in Judaismo pertinacem reliquit, interpellet, an velit secum cohabitare sine Creatoris contumelia: Nævia aut expresse renuat, aut intra præfinitum sibi temporis intervallum nihil respondeat: aliud deinde matrimonium cum Hebræo viro contrahat Nævia, Titius autem Christianus cælibem statum eligat: fingite rursus, post aliquot annos, Næviam, cum suo secundo viro, ad Christianam Fidem converti, colente adhuc Titio cælibatum: gravis statim excitatur quæstio, an Nævia redire debeat ad Titium suum primum virum, an potius permanere cum secundo. Hujus autem quæstionis decisio ab alia pendet, quam antea proponebamus: etenim, si matrimonium Titii cum Nævia rescissum fuit, statim ac Nævia interpellata renuit cum Titio legitime cohabitare, uti opinantur Doctores primæ sententiæ; valide profecto potuit eadem Nævia alteri se copulare viro, cum quo propterea perseverare debet, etiam cum ambo Christianorum sacris sunt initiati: at, si matrimonium, in Infidelitate contractum, tunc solum dissolvitur, quando conjux conversus aliud conjugium init, uti existimant Doctores secundæ sententiæ, cum Titius, in casu, aliam non duxerit uxorem, illegitimum certe fuit novum matrimonium a Nævia, nondum a priori vinculo soluta, contractum; atque idcirco, cum Christianam Fidem amplectitur, tenetur ad primum virum redire. Verum, cum res contigerit Florentiæ anno 1726. & de ea disceptaretur in S. Cong. Conc. nos pro nostro, quod tunc gerebamus, Secretarii munere, dissertationem elucubravimus, qua luculenter ostendimus, ex enuntiatis sententiis posteriorem esse tam inter antiquos, quam inter recentiores Theologos, & Canonistas, fere communiter receptam: ex quo concludimus, virum Hebræum, de quo res erat, quique cum secunda uxore, quam, juxta præmonstratum casum, duxerat, Baptismum petebat, post illud susceptum teneri redire ad primam, jampridem Christianam factam, & adhuc perseverantem innuptam: & sacra Congregatio ne latum quidem unguem a nostra sententia recessit, eoque libentius eam est amplexata, quod, nobis pariter suggerentibus, compererit, ita contientientibus Theologis in consilium adhibitis, fuisse ab eadem definitum anno 1679. & 1680. in simili casu, qui Florentiæ quoque evenerat: quæ omnia legenda sunt *in Thesaur. Resol. tom. 3. pag. 346. & 352. ac seq.*

V. Alter ejusdem causæ articulus, sacræ Congregationis discussioni tunc quoque propositus, indecisus remansit. Quærebatur itidem, an saltem jus esset summo Pontifici, primum matrimonium, in Infidelitate contractum, & consummatum, suprema sua auctoritate relaxandi, veniamque concedendi conjugi, tardius ad Fidem converso, ut, in prædictis rerum circumstantiis, posset cum secunda uxore permanere. Opportuna etiam de hac, longe utique graviori, quæstione fuit a nobis exarata dissertatio, quæ extat *tom. 4. cit. Thes. Res. pag. 30. & seq.* in qua plures allegavimus Doctores, hanc potestatem Pontifici afferentes, simulque contendentes, eam re ipsa exercuisse S. Pium V. & Gregor. XIII. sicut in citata dissertatione fuse habetur: sed S. Congregatio satius duxit, a sententia ferenda se abstinere; quoniam, etiam data Pontifici potestate rescindendi prius vinculum conjugii in Infidelitate contracti, nihilominus, quod nos S. Congreg. insinuare non prætermisimus, merito dubitabatur, num eæ adessent gravissimæ causæ, quæ necessariæ sunt, ut per Apostolicam dispensationem dirimatur.

VI. Itaque Episcopus diœcesi præsidens, in qua, ob admixtionem Christianorum cum Hebræis, interdum casus occurrant, de quibus disseruimus, utiliter de iisdem sermonem instituet in sua Synodo. Salubriter in ea formam inseret interpellationis a conjuge converso alteri faciendæ, in sua persistenti perfidia, quam formulam integram refert Clericatus *cit. loc.* Prudenter denique suis Parochis doctrinam tradet a S. Congr. Conc. approbatam, secundum quam dijudicare debeant, an, & quando, per conversionem alterutrius conjugis ad Christianam Fidem, alter in Infidelitate relictus libertatem nanciscatur a vinculo matrimonii, quo erat obstrictus. Severe autem prohibebit, ne

mari-

maritus Hebræus, ad Fidem conversus, mittat ad uxorem in sua persistentem Infidelitate libellum repudii, juxta ritum Judaicum, ut hac ratione det illi libertatem transeundi ad alia vota. Hunc enim detestabilem abusum, Judaica utique superstitione infectum, nos proscripsimus nostra Constitutione, quæ incipit *Apostolici ministerii*, edita die 16. Septembris 1747. estque 38. *in ordine Bullarii nostri tom.* 2. Frustra vero, & incassum hæc constituerentur, aut pertractarentur in Synodo diœcesis, a qua Hebræi coguntur perpetuo exulare, nec proinde unquam in ea casus eveniunt, de quibus hactenus.

## CAPUT QUINTUM.

*Quæ in præcedenti capite dicta sunt, novo confirmantur exemplo communicationis videlicet Catholicorum cum Hæreticis in Divinis, atque adeo etiam Matrimonii Catholicorum cum Hæreticis.*

QUantum Ecclesia abominata fuerit Catholicorum cum hæreticis consortia, plane liquet ex epistola secunda Apostoli Joannis, in qua *vers.* 10. & 11. discipulos suos in hunc modum admonuit: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis:* & insuper ex epistola Apostoli Pauli ad Titum *cap.* 3. *v.* 10. *Hæreticum hominem, post unam, & secundam correptionem, devita.* Quocirca idem Apostolus Joannes, ut ceteris suo præiret exemplo, noluit cum Cerintho hæretico in eodem balneo lavari, sed dixit ad collegas: *Fugiamus ocius, ne balneum, in quo est Cerinthus veritatis adversarius, extemplo corruat:* uti Irenæus, Hieronymus, atque Epiphanius testantur. Suique Magistri exemplo edoctus S. Polycarpus, Smyrnensis Episcopus, obvium, & salutantem Marcionem, nec resalutare ausus, reposuit: *Cognosco primogenitum diaboli.* Hujus autem disciplinæ adeo tenax fuit magnus Antonius, ut de eo scribat Athanasius *in vita num.* 68. *tom.* 1. *part.* 2. *Oper. pag.* 847. *Cum Meletianis schismaticis nunquam communicavit, compertam habens eorum ab initio malitiam atque defectionem. Nec cum Manichæis unquam, aut aliis quibuslibet hæreticis amice collocutus est, nisi admonendi causa, ut mutata sententia piam sectarentur Fidem, ratus, eorum amicitiam & colloquia, animi damnum atque perniciem esse; quod item alios monebat.* Eandem prohibitionem instaurarunt innumeri Ecclesiæ Canones, sed potissimum institere ne Catholici cum hæreticis communicarent in rebus sacris, neve eorundem frequentarent conventus. Inter Apostolicos Canones xlv. *al.* xxxvii. statuit: *Episcopus, Presbyter, & Diaconus, qui cum hæreticis oraverit tantummodo, communione privetur:* & lxv. *al.* lxiv. *vel* lvii. *Si quis Clericus, aut laicus, ingressus fuerit in synagogam Judæorum, vel hæreticorum, ad orandum, deponatur, & segregetur.* Similem in modum Synodus Laodic. *can.* 9. ex versione Dionysii Exigui, *tom.* 1. Collect. Harduini *col.* 781. decrevit. *Quod non permittantur Ecclesiastici ad hæreticorum cœmeteria, vel ad ea, quæ ab eis martyria appellantur, orationis causa, vel sanitatis, accedere: sed hujusmodi, si Fideles fuerint, certo tempore communione privari:* & rursus *can.* 33. *col.* 788. *Quod non oporteat cum hæreticis, aut schismaticis pariter orare.* Et Concilium Carthagin. iv. *canon.* 72. *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 983. quem laudat Augustinus in sermone ad populum Cæsariensem, ait: *Cum hæreticis nec orandum, nec psallendum.* Hinc Cyrillus Jerosolymitanus *catech.* iv. *n.* 37. *in fin.* Cathecumenum suum præcipue odisse jubet omnia perfidorum hæreticorum conventicula; idemque monent ceteri Patres, quos adducit Christianus Lupus *in schol. & not. ad canon. Concil. tom.* 4. *edition. Bruxellens. pag.* 129. *& seq.*

II. Et nihilominus ea est misera nostrorum temporum conditio, ut multis in provinciis, in quibus hæreses aut dominantur, aut grassantur impune, duram Catholici subeant necessitatem cum hæreticis conversandi, & familiariter agendi. Quamvis autem per Canonem Concilii Constantiensis a Martino V. approbatum, qui incipit *Ad evitanda*, quique in suo semper vigore permansit, non obstantibus contrariis subsequentibus Constitutionibus Conciliorum Basilæensis, & Lateranensis, nonnihil relaxata fuerit disciplina in eo, quod pertinet ad conversandum, atque etiam in Divinis communicandum cum hæreticis, qui tolerantur, & expresse denunciati non sunt tanquam vitandi, ut fuse Cabassut. *in Theoria & Praxi Juris Canon. lib.* 5. *c.* 11. *num.* 3. *& seq.* non idcirco tamen arbitrari debent Catholici, fas sibi esse, indistincte cum hæreticis, quamvis non denunciatis, in rebus sacris & Divinis communicare: siquidem Paulus V. post maturam rei discussionem, neutiquam licere definivit Catholicis Regni Angliæ, hæreticorum templa adire, ritibusque interesse, quos inibi exercent, uti legere est in duobus decretis, ab eodem Pontifice editis, uno scilicet anni 1606. altero anni 1607. quæ referuntur a Cardinali de Laurea *in* 3. *sent. part.* 2. *tom.* 3. *disp.* 11. *art.* 9. §. 4. *num.* 292. Haud equidem ignoramus, non deesse Theologos, ab omni culpa absolventes Catholicos, qui cum hæreticis, & schismaticis, nominatim non denunciatis, communicant in Divinis, atque etiam Sacramenta ab iisdem recipiunt, dummodo hæ simul concurrant rerum circumstantiæ: primo scilicet, ut ad prædictam communicationem Catholicos adigat gravissima, & urgentissima causa: secundo, ut hæretici, aut schismatici, a quibus Sacramenta exposcunt, sint valide ordinati, ut Sacra administrent ritu Catholico, absque ulla admixtione ritus damnati: tertio, ut communicatio cum iisdem in Divinis, non sit externa protestatio falsi dogmatis, qualis erat ingressus in Protestantium ecclesias, cum Catholicis Angliæ illum inhibuit Paulus V. ideo quippe Regis edicta omnes adire jusserant hæreticorum templa, ut tali pacto se cum Protestantibus sentire faterentur: quarto demum, ut Catholicorum cum hæreticis communicatio in Divinis nulli scandalum ingerat. Verum in primis prædicta Theologorum sententia suos habet adversarios, neque ab omnibus admittitur tanquam in praxi secura: deinde, ea etiam admissa, cum omnes enumeratæ circumstantiæ, simul & conjunctim adesse debeant, ut Catholicorum cum heterodoxis in rebus sacris societas omni vacet culpa, quemadmodum docent Sylvius *in* 3. *part. S. Th. tom.* 4. *q.* 64. *art.* 6. *quæst.* 3. *concl.* 3. Cardinalis de Lugo *de Fide disp.* 22. *section.* 1. *num.* 11. Thomas a Jesu *tract. de omnium gentium salute procuranda lib.* 8. *part.* 2. §. 4. *vers. Sed major est difficultas pag.* 556. Cardinalis Albitius *de Inconstantia in Fide cap.* 18. *num.* 30. *& seq.* Cardinalis Gottus *in* 2. 2. *S. Thomæ quæst.* 4. *dub.* 6. §. 3. *num.* 2. *quæst.* 3. *de Infidelibus comparate ad Fideles dub.* 3. §. 2. idcirco fere impossibile est usuvenire, ut a flagitio excusari valeant Catholici, se se in rebus sacris cum hæreticis, vel schismaticis admiscentes. Quamobrem sacræ Urbis Congregationes, S. Officii videlicet, & de Propaganda Fide, illicitam semper reputarunt communicationem, de qua est sermo, doctamque concinnarunt institutionem, nobis in minoribus tunc degentibus qualemcumque nostram operam navantibus, ad Missionarios, cum opus fuerit, transmittendam, ubi rationes expenduntur, propter quas vix unquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia Catholicorum cum hæreticis communicatio in Divinis.

III. In

III. In Divinis porro cum hæreticis communicant Catholici, qui cum iisdem se se matrimonio jungere non dubitant: etenim, cum matrimonium unum sit ex septem Ecclesiæ Sacramentis, a Christo Domino institutis, idem est matrimonium cum hæretico contrahere, ac unum idemque Sacramentum una cum eodem vel conficere, si nimirum ipsimet contrahentes sint talis Sacramenti Ministri, quod magis communiter opinantur Scholastici, vel saltem percipere, si scilicet, quod alii præsertim ex recentioribus Theologis autumant, illius minister sit solus Sacerdos. Utrumque autem & illicitum, & sacrilegum esse, nemo dubitat. Quare Ecclesia iisdem fere legibus, quibus Christianis interdixit, ne connubia inirent cum Infidelibus, Catholicos pariter a sacrilegis nuptiis, cum hæreticis contrahendis, deterruit. Concilium Laodicen. *can.* 10. *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 784. ait: *Quod non oporteat indifferenter Ecclesiastico fœdere nuptiarum hæreticis suos filios, filiasque conjungere.* Agathense *can.* 67. relato a Gratiano *caus.* 28. *q.* 1. *Can.* 16. *Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros, & Catholicos.* Concilium Chalcedonense *can.* 14. Lectoribus, & Cantoribus, inter inferiores Clericos, interdicit *Hæretico vel Pagano, vel Judæo se conjungere, nisi forte promittat se ad orthodoxam fidem persona orthodoxæ copulanda transferre.* Hasce vero sanctiones roboravit Bonifac. VIII. *in Cap. Decrevit, de hæreticis in* 6. ubi dote privandam statuit mulierem, quæ scienter viro hæretico nupserit. Iis igitur *in provinciis*, in quibus ejusmodi conjugia, non sine sacrorum contemptu, passim celebrantur, debet Episcopus, in sua præsertim Synodo, ab illis in propriarum animarum perniciem contrahendis Catholicos absterrere: quod nos faciendum ediximus *in nostra Constitutione* 34. §. 3. *nostri Bullar. tom.* 1. Præcipuæ quoque Episcopalis muneris partes erunt, maxima Catholicis denunciare pericula, quæ *tam ipsis*, quam nascituræ soboli ex *præfatis* imminent nuptiis, quæ propterea cohonestari nequeunt obtentu solius consuetudinis (verius corruptelam dicerent), nisi ea amoveantur pericula, quod tamen vix evenire posse, recte notant Layman *Theolog. mor. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 14. *n.* 2. Pirhing *ad tit. de sponsal. & matr. n.* 166. Reiffenstuel *ibid. num.* 360. Engel *ad tit. de matrim. contra interdict. Eccles.* §. 2. *n.* 2. Gobat *Theolog. experim. tract.* 9. *casu* 11. *n.* 216. Nicolaus Serarius *in opusc. de Catholicorum cum hæreticis matrimoniis*, Van-Espen *Jur. Ecclesiast. part.* 2. *titul.* 13. *cap.* 8. *numer.* 9. aliique passim.

IV. Diximus autem, vix evenire posse, ut a connubiis Catholicorum cum hæreticis ea amoveantur pericula, quæ ipsis plerumque conjuncta esse solent; verum non id omnino impossibile esse pronunciavimus. Tales enim re ipsa concurrere possunt circumstantiæ, quæ cum ab eo, qui facultatem dispensandi habet, expensæ fuerint, aditum aperiant concessioni legitimæ dispensationis, cujus *vi* matrimonium inter partes, hæreticam unam, alteramque Catholicam, licitum reddatur, ut alibi demonstrabimus. Quare in iis locis, atque regionibus, ubi hujusmodi matrimonia aliquando sic contrahi permittuntur, expedit omnino, ut Episcopus, ad tuendum Ecclesiæ decorem, ritus in eorundem connubiorum celebratione servandos opportune prudenterque præscribat.

V. Putant aliqui, & fidenter docent, hujusmodi matrimonia a Sacerdote benedicenda esse. Ita censet Theophylus Raynaudus in libro, cui titulus. *Heteroclita Spiritualia*, *Operum tom.* 16. *pag.* 182. *n.* 24. *& seq.* Sed rectius judicat Pontius *de Sacram. Matrim.* in Appendice *de Matrimonio Catholici cum hæretico cap.* 9. admonens, hujusmodi matrimoniis Sacerdotalem benedictionem impendendam non esse, neque Missam in præsentia hæretici celebrari debere, nec matrimonium ipsum intra Ecclesiæ ambitum contrahi; quoniam nihil horum ad illius validitatem intervenire necesse est. In Collationibus Ecclesiasticis Parisiensibus *de Matrim. tom.* 3. *lib.* 1. *col.* 2. §. 5. exhibetur ritus, quo celebratæ fuerunt nuptiæ inter Henrichetam e Regio Francorum sanguine Principem, & Carolum I. Magnæ Britanniæ Regem, quibus Apostolicam dispensationem Urbanus Papa VIII. in eum finem concesserat: quæ nuptiæ descriptæ habentur etiam in Historia, seu Commentario, cui titulus *Mercurius Gallicus*, *tom.* 2. *pag.* 359. Narrant itaque, matrimonium inter prædictam Catholicam Principem, & hæretici Regis Procuratorem, extra Ecclesiam contractum fuisse ad limina Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis coram Cardinale magno Franciæ Eleemosynario, a quo tamen benedictio nuptialis data non fuit: deinde Britannici Regis Procuratorem novam nuptam deduxisse usque ad ingressum Chori: ibi vero a prædicto Cardinale celebratam solemni ritu fuisse Missam, adstantibus Rege, & Regina Franciæ, & nova Magnæ Britanniæ Regina, ac universa Regia Familia: sed prædictum Regis Angliæ Procuratorem, quamvis ipse Catholicus esset, cum personam gereret Principis Anglicanæ sectæ addicti, in proximum Archiepiscopi Palatium interim secessisse, donec Missa terminaretur, qua demum expleta, ad reducendam ab Ecclesia Reginam accessit. Honoratus Tournely *in Prælectionibus Theolog. de Sacram. Matr. pag.* 106. juxta editionem Parisiensem, narrat, expresse vetitum fuisse a Clemente VIII. ne hujusmodi matrimoniis Benedictio impenderetur; Gallicanum vero Clerum anno 1670. suas ad Christianissimum Regem preces detulisse, ut eorum importunitatem cohibere curaret, qui Parochos ad benedicendas hujusmodi nuptias compellere sæpe tentabant; aliaque ad rem *hanc pertinentia* subjungit *ibid. pag.* 108.

## CAPUT SEXTUM.

*De iis, quæ provisa sunt super matrimoniis initis, atque ineundis in Hollandia, & in regionibus Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis; quæ scilicet in Synodis earum regionum, non autem in aliis, inseri & manifestari convenit.*

SOlemne judicium de his rebus actum, quas in præsenti capite tractandas suscipimus, promulgatum fuit die 4. Novembris anni 1741. edita Declaratione & Instructione, quæ in Bullario nostro extat *tom.* 1. *num.* 34. & diligentiæ ea occasione adhibitæ, in volumine foliorum Congregationis Concilii anni 1741. in lucem evulgatæ fuerunt. Quia tamen facillime evenire potest, ut hujusmodi rerum notitia nequaquam ad omnes perveniat, nos, qui hanc curam assumpsimus, ut quædam hic indicaremus, quæ laudabiliter inseri possunt in Synodis ab iis Episcopis, ad quos pertinent, id quod ab aliis, ad quorum curam illa non spectant, minus laudabiliter fieret; cum in hoc rerum genere ea matrimonia merito recensenda putemus, quæ in Hollandia, aliisque Belgii regionibus, Fœderatorum Ordinum dominio subjectis, ineuntur, sine Parochi præsentia, inter partes hæreticas, vel alteram hæreticam, alteram vero Catholicam: ideo quidquid ad eandem materiam pertinet, summatim in hoc capite inferendum suscipimus.

II. Cum sacri Tridentini Concilii acta atque decreta a Summo Pontifice Pio IV. die 26. Januarii anno 1564. confirmata fuissent, nulla interposita mora, Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus, Concilium ipsum per omnia Regna, ceteraque dominio suo subjectas regiones promulgandum mandavit, ejusque decretorum promptam ubique observantiam edixit. Qua in re in Hispaniis quidem mira facilitate

Regiis

Regiis juſſis obtemperatum eſt. Cum autem ejuſdem Philippi dominio Belgium quoque ſubjectum eſſet, illiſque regionibus Margarita Parmenſis Duciſſa Gubernatricis munere præſideret; hæc verita, ne Concilii publicatio gravem aliquem motum excitaret in iis provinciis, quæ contra Hiſpanorum regimen jampridem tumultuari cœperant, ex ſententia etiam Epiſcoporum, & Magiſtratuum, qui omnino ſuperſedendum cenſebant a promulgatione Concilii, pro ea in aliud tempus differenda ad Philippum conſcripſit: a quo tamen reſponſum eidem mandatumque eſt, ut, omnibus poſthabitis, Concilium publicaretur: id quod ab ipſa prompte adimpletum eſt. Ita Belgicarum rerum Scriptores teſtantur, videlicet Cardinalis Bentivolus, Famianus Strada, Nicolaus Burgundus, Joannes Meurſius, Emmanuel de Meteren. Et ſane Provincialia duo extant Concilia, alterum a Maximiliano a Bergis Archiepiſcopo Cameracenſi anno 1565. alterum ab Archiepiſcopo Mechlinienſi anno 1570. celebratum, quæ legi poſſunt *tom.* 10. Collectionis Harduini, in quibus, ſecundum Tridentini Concilii decretum, irrita declarantur ea matrimonia, quæ ſine Parochi, & duorum teſtium præſentia celebrari contingat; adeo ut valde probabile ac veriſimile fiat, Concilii decretum *de Reformatione Matrimonii*, in Belgio & regionibus Fœderatis publicatum obſervatumque fuiſſe, antequam res in apertam rebellionem erumperent, quod anno 1572. factum eſt. Ad cujus rei comprobationem facit etiam relatio quædam Præſulis de Turre Archiepiſcopi Epheſini, olim in Fœderatis Belgii provinciis Vicarii Apoſtolici; in qua Religionis ſtatum in Hollandia exponens, anno 1656. ad Pontificem Alexandrum VII. ſcripſit, Concilium Tridentinum fuiſſe in iis locis & præceptum & promulgatum, ejuſque decreta in praxim deducta, antequam fera peſſima hæreſis omnia illuc devoratum veniſſet. Relatio hæc impreſſa habetur *in Hiſtoria Eccleſiæ Ultrajectinæ* Pauli Hoynck *in Appendice pag.* 95.

III. Cum igitur eo tempore, quo Tridentini Concilii leges vim ſuam habere cœperunt, Fœderatæ provinciæ, non hæreticorum, ſed Principis Catholici dominio ſubjectæ eſſent, cumque decretum, de quo agitur, in eiſdem promulgatum fuerit; id gravi controverſiæ viam aperuit, num ſcilicet, mutato earum regionum temporali dominio, iiſque a Catholici Regis ditione in hæreticorum Principum poteſtatem translatis, matrimonia, quæ ibi fierent inter partes vel utramque hæreticam, vel alteram Catholicam, & alteram hæreticam, ſine Catholici Parochi, & duorum teſtium præſentia, nulla & irrita cenſeri deberent, veluti facta contra Tridentini Concilii diſpoſitionem, an vero valida, utpote ſub ejuſdem Concilii cenſura minime comprehenſa.

IV. Hic, quod in omnibus quæſtionibus uſuvenire ſolet, in duas claſſes diviſi Auctores fuerunt: alii enim tam ex Theologis, quam ex Canoniſtis, pro nullitate; alii vero pro validitate ſteterunt. Cum autem in Romanæ Curiæ Tribunalibus, & Cardinalium Congregationibus, occaſione quarumdam cauſarum matrimonialium, ſuper hoc quæſtionis capite deliberatum eſſet: negari nequit, illis ut plurimum magis arriſiſſe priorem opinionem, quæ eorum matrimoniorum nullitatem tuetur. Nos quidem, cum plurium annorum ſpatio, antequam ad majores dignitates aſcenderemus, munera tum Secretarii Congregationis Concilii Tridentini interpretis, tum Doctoris in Decretis in Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Officio, tum etiam Conſultoris ſupremæ Inquiſitionis, exercuerimus, memoratarum cauſarum diſcuſſioni interfuimus; ſed nunquam opinioni illi acquieſcere potuimus, per quam prædicta matrimonia nulla judicantur. Quare nobis continenter in votis erat, ut aliqua ſe opportunitas offerret, in qua generalis regula & lex pro eorumdem matrimoniorum aut nullitate, aut validitate ſtatueretur; quoniam anteacto tempore nonniſi particularia decreta in hac, vel illa cauſa, condita erant, quæ ne inter ſe quidem conformia ſemper fuerant, propter varietatem circumſtantiarum, quæ modo in una facti ſpecie aderant, modo in altera deſiderabantur.

V. Optata a nobis opportunitas oblata quidem eſt, ſed non eo tempore, quo nos memoratis officiis fungebamur, verum poſtquam ad Cardinalitiam dignitatem evecti, Bononiæ ad Archiepiſcopalis illius Eccleſiæ regimen reſidebamus. Eam occaſionem attulit factum hujuſmodi. Yprenſis Epiſcopus optimo Eccleſiæ ſuæ moderamini ſtudioſe proſpiciens, in relatione ſtatus ſuæ Eccleſiæ, quam, ex Sixti V. præſcripto, ad ſacram Concilii Congregationem tranſmiſit, certam ſibi regulam præfiniri poſtulavit, ſecundum quam poſſet optune ſe gerere, & matrimonia hujuſmodi, quæ in Fœderatis Belgii regionibus, ſine Parochi, & duorum teſtium præſentia, vel ab hæreticis inter ſe, vel a Catholicis cum hæreticis contracta forent, aut nulla & irrita, aut firma & valida reputare. Ut igitur Epiſcopi illius poſtulatis ſatisfieret, Præſul Cavalchinus, Archiepiſcopus Philippenſis, qui tunc temporis eidem Congregationi a Secretis erat, nunc autem hujus S. R. E. Presbyter Cardinalis, cum laborem nullum omiſiſſet pro iis colligendis, quæ hac ſuper re ante decreta fuerant, accuratam Diſſertationem ad explanandam materiam conſcripſit; aliæ vero tres, de Congregationis ejuſdem mandato, a tribus eximiis in Urbe Theologis elucubratæ fuerunt. Quæ omnia in unum collecta in tomo foliorum dictæ Congregationis Concilii anni 1741. quemadmodum dictum eſt, impreſſa reperiuntur. Cumque ſub Clemente XII. Deceſſore noſtro materia minime proponi atque examinari potuiſſet, noſque interea temporis, nullis meritis noſtris ad ſummum Pontificatum evecti eſſemus, lectis per nos, examinatiſque omnibus, quæ ſuper hac re in præcedenti Pontificatu collecta & conſcripta fuerant, opportunum factu exiſtimavimus, Congregationem Concilii coram nobis habere, ut Cardinalium ejuſdem Congregationis ſententias viva voce prolatas exciperemus, id quod die 13. Maji anni 1741. præſtitum eſt. Decretum autem, quod a Congregatione conditum, atque a nobis die 4. Novembris ejuſdem anni approbatum fuit, impreſſum, ut dictum jam eſt, *in tom.* 1. *Bullarii noſtri* reperitur.

VI. Tres ſunt partes illius Decreti, quæ unicuique legenti occurrunt. Prima verſatur circa matrimonia inita, vel ineunda in locis Hollandiæ, & Belgii Fœderatorum Ordinum dominio ſubjectis, inter duos conjuges hæreticos, ſine Catholici Parochi præſentia: & de his quidem decernitur, ea valida eſſe, tam quæ jam facta fuerint, quam quæ eodem modo in poſterum fieri contingat: ita ut, ſi ambo conjuges ad Catholicam Religionem convertantur, contracti matrimonii vinculo adſtricti remaneant, abſque eo quod coram Catholico Parocho renovare conſenſum obligentur: ſi vero alter eorum convertatur, altero in hæreſi permanente, neutri fas ſit ad alias nuptias tranſire, niſi alterutrius mors interceſſerit, per quam maritalis nodus diſſolvatur.

VII. In quo ſane conformia fuerunt ſuffragia eorum, qui in Congregatione convenerant: & licet alii alia via inſiſterent, omnes tamen ad eandem metam, eundemque finem pervenerunt, ut pro validitate matrimonii ſententiam ferrent. Quidam enim exiſtimarunt, certam & perſpicuam deeſſe probationem, quod Concilii decretum publicatum fuerit in unaquaque parochia earum regionum, antequam illæ ab Hiſpanica dominatione ſe ſubtraherent; ideoque ex ejuſdem Conciliaris decreti tenore, ea matrimonia unaquaque



UNIVERSITAT DE BARCELONA BIBLIOTECA

nullitatis vitio subjacere. Quamvis enim admitterent, edita fuisse Regia mandata pro Concilii publicatione, neque negarent, decretum *de reformatione Matrimonii* in supra laudatis Provincialibus Synodis insertum fuisse; attamen nil aliud ex his desumi posse dixerunt, nisi quamdam præsumptionem, quod decretum promulgatum fuerit, ut par erat, in singulis parochiis: quod tamen ad effectum, de quo agitur, demonstrari oporteret per positivam probationem, quæ saltem colligeretur ex immediata, nec interrupta serie plurium actuum similium, & decreto uniformium; quæ sane probatio in proposito casu non adest. Hæc autem eo vel magis confirmari autumabant, quod si, post finem bellis impositum, apertumque Catholicis aditum in Hollandia, aliisque Fœderati Belgii regionibus vivendi, pro verisimili habetur, Parochos & Missionarios Catholicos Conciliaris decreti promulgationem tunc in suis quoque parochiis fecisse; ex hoc ipso arguere licet, hujusmodi publicationem antea factam non fuisse, quantumvis Catholici Regis mandata pro Concilii observatione prodiissent. Videatur Marchant. *in Tribun. Sacram. lib.* 1. *tit.* 7. *q.* 9. *concl.* 4.

VIII. Alii vero, omissa quæstione, an ante defectionem earum gentium ab Hispanorum Principum fide, in singulis locis atque parochiis publicatum fuerit, necne, Tridentinæ Synodi decretum, ac etiam admittentes publicationem hujusmodi rite factam; duas reputabant hominum societates, inter se plane distinctas, per occasionem, & in sequelam illiusmet defectionis, efformatas fuisse: alteram Catholicam, & alteram hæreticam, quæ nunc invicem permixtæ in iisdem regionibus versantur. Quapropter, etiamsi ante civiles motus publicatum fuisset decretum, de quo agitur, cum nondum exorta, neque ibi constituta tunc esset altera illa hæreticorum societas, hæc ipsis minime videbatur ejusmodi decreti publicatione adstringi potuisse.

IX. Alii videntes, propositum casum *cum adjunctis* circumstantiis nequaquam *dici* posse *litteraliter* decisum in Conciliari *decreto*, quo nil aliud statuitur, nisi quod nulla sint matrimonia, quæ coram Parocho, & *duobus* testibus non contrahantur; quodque hæc nova lex non ante vim habere incipiat, quam post *triginta dies*, ex quo ipsa in singulis parochiis publicata fuerit; ulterius autem decretum non progredi, neque declarare, an ejusmodi lege heterodoxæ societates, quæ tunc essent, æque ac aliæ, quæ *in* posterum efformari possent, comprehendi deberent: ideo necessarium putabant, ipsam Tridentinorum Patrum mentem indagare, ut secundum eam de proposita quæstione judicari posset. Quo posito, magnam sane rationem habendam esse dicebant de ea conditione in decreto apposita, quod nempe decretum ipsum non obligaret, nisi post triginta dies ab ejus publicatione in singulis parochiis elapsos. Quæ quidem conditio (si fides habenda Card. Pallavicino *in historia Conc. lib.* 22. *cap.* 8. *num.* 10. ut certe habenda est) idcirco adjecta fuit, quia, absque illa, magnus heterodoxorum querimoniis campus apertus foret, eoque magis aucta fuisset eorum aversio a Concilio, dum illius decreti vigore, uxores suas pro concubinis haberi, suosque liberos illegitimos declarari doluissent: siquidem nunquam futurum erat, idque Patres ignorare non poterant, ut novum decretum ab illis acciperetur, & executioni demandaretur, eorumque matrimonia coram Parocho Catholico celebrarentur. Huic igitur incommodo provide occursum est per conditionem illam decreto adjectam, qua imposita fuit illius publicationis necessitas, ita ut in locis hæreticorum, in quibus procul dubio nunquam expleta foret hujusmodi publicatio, non verificata conditione, a cujus existentia Concilium pendere voluit decreti sui efficaciam, nec incolæ hæretici unquam adstricti forent servandæ formæ in ipso decreto præscriptæ. Quod si nunc in proposito casu pronunciaretur pro nullitate matrimoniorum, quæ ab heterodoxis in Hollandia, & in Fœderato Belgio, absque præsentia Catholici Parochi ineuntur, futurum dicebant, ut in omnia illa incommoda & absurda incideremus, quæ Tridentini Patres, laudatum decretum efformantes, tanta prudentia evitare studuerunt.

X. Alii denique Catholicæ Religionis causam utilitatesque potissimum præ oculis habentes, ajebant, in hujusmodi rerum circumstantiis, id consilii capiendum esse, per quod eadem Religio minus invisa ipsius hostibus redderetur, quodque impedimenta non interponeret his, qui forte parati essent in illius gremium sese recipere. Hoc autem præmisso, perpendere non omittebant, quod, si matrimonia, de quibus agebatur, irrita declararentur, si quando aliqui conjuges de abjuranda hæresi statuissent, ut ipsis liceret in conjugali societate permanere, necesse haberent consensum renovare coram Parocho Catholico, & duobus testibus; alioquin pro legitimis conjugibus se invicem habere non possent. Quantum porro in hujusmodi consensus renovationibus periculum insit, & quam gravia incommoda inde metuenda essent, enarrando pergebant. Primum videlicet, quod plures conjuges, quibus Catholicam Religionem amplectendi desiderium inesset, illud fortasse abjicerent, utrimque metuentes, ne alter ab altero, cum quo multorum annorum spatio libenter vixisset, relinqueretur. Deinde, quod si forte vir uxori, aut uxor viro displiceret, nec alia ipsis suppeteret via, qua se a contracto vinculo liberarent, facillime evenire posset, ut simularent se ad Catholicam Fidem converti, quo sibi solutionem a matrimoniali vinculo quærerent, requisitam nempe consensus renovationem, post simulatam *conversionem*, alter alteri denegando. Tertium, quod, etiamsi conjuges ad sanctam Religionem serio ac firmo proposito converterentur, attamen fieri posset, ut præcipua causa, ad conversionem impulsiva, esset spes recuperandæ libertatis, & abrumpendi vinculi, quod ipsis ad ferendum molestissimum esset: quod ubi eveniret, nemo est, qui non videat, quanti conversiones hujusmodi faciendæ essent.

XI. Sane, quod pertinet ad timorem simulationis, de qua modo dictum est, congruit Innocentii III. responsum ad Episcopum Ferrariensem, relatum *in Cap. Quanto, de divortiis*, ubi Pontifex rogatus, num matrimonii vinculum dissolvatur, altero conjugum a Catholica Religione ad Ethnicam superstitionem, aut ad hæresim transeunte, nequaquam dissolvi respondet: & hanc, inter alias, rationem affert: *Quorumdam malitiæ obviatur, qui in odium conjugum, vel quando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim.*

XII. De altero autem quæstionis capite, quod in secunda Decreti parte definitum fuit, nimirum de matrimoniis, quæ in iisdem Fœderati Belgii provinciis a Catholico viro, aut muliere, cum hæretica femina, aut viro, sine Catholici Parochi præsentia, contrahuntur, de quibus quærebatur, valida ne, an nulla habenda essent; quidam suffragia ferentium, Apostolicæ Sedis instituta præ oculis habentes, quibus semper ea matrimonia reprobata sunt, quæ inter duos contrahentes, alterum Catholicum, & alterum hæreticum ineuntur, in eam propendebant partem, ut matrimonia ista hæc nulla & irrita decerni deberent. Verum ab aliis sapienter responsum fuit, non utique id agi, ut a prædictis institutis, & a veteribus hac de re decretis discederetur, quorum observantia etiam in præsentia inculcanda erat, quemadmodum gravibus verbis in Decreto inculcata fuit; sed propositæ difficultatis summam in eo esse, ut dispiceretur, num, contracto jam

ma-

matrimonio in dictis regionibus a Catholica parte cum alia hæretica, & jam expleto hujuſmodi actu, qui ſine dubitatione ulla illicitus eſt, nullum præterea & irritum declarandum eſſet matrimonium, propterea quod in eo contrahendo minime ſervata fuiſſet Concilii forma: adeoque, cum matrimonium inter duos baptizatos, diverſæ licet communionis, de facto initum, non quidem nullum, ſed dumtaxat illicitum ſit, num idem pro nullo habendum eſſet, ex eo quod ſine Parochi præſentia in iis regionibus contractum foret. Senſu igitur quæſtionis explanato, concordibus ſuffragiis in eam ſententiam itum eſt, quod ſicuti valida declarata fuerant ea matrimonia, quæ in prædictis Fœderati Belgii provinciis inter duos contrahentes hæreticos, ſine Parochi præſentia, inita eſſent; ita valida dici deberent illa, quæ in iiſdem locis inter duas partes, alteram Catholicam, & alteram hæreticam, eodem modo contracta forent: quoniam, cum conjugum alter, tum ratione loci, in quo habitat, tum ratione ſocietatis, in qua vivit, exemptus ſit a Tridentinæ Synodi lege; exemptio, qua ipſe fruitur, alteri parti communicata remanet, propter individuitatem contractus, vi cujus exemptio, quæ uni ex partibus competit, ad alteram, ſecundum etiam civiles leges, extenditur, eidemque communicatur.

XIII. Poſtquam vero ſupra memoratum Decretum noſtrum anno 1741. in Fœderatis Belgii provinciis promulgatum eſt, quæſitum a nobis fuit, utrum ea matrimonia comprehenderet, quæ in iiſdem regionibus inirentur a contrahentibus utrimque Catholicis, non coram Parocho Catholico, & duobus teſtibus: quin etiam petitum fuit, ut, ſi forte illud hæc minime comprehenderet, ad ea ſaltem per viam indulti extenderetur; quo conſcientiæ Catholicorum, qui in Fœderatis Belgii provinciis habitant, in tranquillo ponerentur. Reſponſum facile eſt, & dicta matrimonia in Decreto nequaquam comprehendi, & extenſionem, quæ petebatur, abſurdam, & mali exempli futuram. Et quidem, matrimonia Catholicorum in Decreto non comprehenſa, facile intelliget quicumque advertat, illud nominatim reſtrictum eſſe ad ea matrimonia, quæ in præfatis regionibus vel inter duos contrahentes hæreticos, vel inter unam partem Catholicam, & alteram hæreticam, contrahuntur. Extenſio autem Decreti ad Catholicorum matrimonia idcirco abſurda, & mali exempli extitiſſet, quod, cum in iis locis Miſſionarii Catholici adſint, coram quibus anteacto tempore a contrahentibus Catholicis celebrata ſunt matrimonia, cumque Concilii Tridentini decretum inter Catholicos illarum partium, & in peculiaribus eorum Parochiis, ſaltem poſtquam provinciæ Fœderati Belgii a Catholici Principis dominatione in hæreticorum poteſtatem tranſierunt, rite publicatum fuiſſe conſtet; unuſquiſque videt, quanta cum offenſione univerſæ Eccleſiæ auditum fuiſſet, matrimonia Catholicorum, quæ in regionibus illis juxta Tridentini formam celebrari poſſunt, a tam providæ legis obſervantia eximi per viam gratiæ & diſpenſationis. Videantur Juenin *de Sacramentis diſſertat.* 10. *qu.* 5. *cap.* 4. & Piette *Quæſt. Theologicar. part.* 6. *pag.* 441. *edit. anni* 1741. qui docent, a contrahentibus Catholicis ſervandum eſſe Concilii decretum etiam in iis regionibus, in quibus ab hæreticis non obſervatur.

XIV. Ultima Decreti noſtri pars ea reſpicit matrimonia, quæ in Catholicorum Principum regionibus fiunt ab iis, qui domicilium habent in aliis regionibus Fœderatorum Ordinum dominio ſubjectis, necnon illa, quæ in provinciis Fœderatis contrahuntur ab his, quorum domicilium ſitum eſt in dominio Principum Catholicorum. De quibus ſane reputatum fuit nihil neceſſe eſſe peculiariter ſtatuere, cum ſatis proviſum ſit per Canonici Juris regulas jam pridem conſtitutas de iis, qui, relicta regione, in qua domicilium habent, nec novo alibi domicilio, vel quaſi, adhuc acquiſito, matrimonium ibi contrahere cupiunt. De quibus regulis nos ipſi egimus *in noſtra Inſtitutione* 33. *editionis Latinæ*.

XV. Hæc autem ſatis erunt, ut in Synodis earum diœceſium, quarum conditio exigit, ut de hujuſmodi matrimoniis agatur, opportuna ſuper ipſis decreta, Apoſtolicis definitionibus conſentanea, efformari valeant.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De aliis quibuſdam reſpicientibus* **Matrimonia**, *quæ a Catholicis contrahuntur in regionibus Infidelium, aut Hæreticorum Principum dominio ſubjectis, vel quæ in regionibus Catholicis ineuntur inter Catholicum ex una parte, & Hæreticum occultum ex altera: de quibus ſimiliter nequaquam in omnibus Synodis agendum eſt.*

QUædam regiones ſunt Principum Infidelium dominio ſubjectæ, in quibus degentes Catholici matrimonia inter ſe coram Parocho & duobus teſtibus contrahunt, temporali Principe, cui parent, nullam in hac re moleſtiam eiſdem exhibente. Verum, quia vel ante, vel poſt matrimonium ea ratione celebratum, patriis legibus coguntur coram Infideli Miniſtro ſe ſiſtere, eoque præſente quamdam contractus matrimonialis ſpeciem inire: neque id ab iis prætermitti poteſt, quin graves ipſis perturbationes obveniant, & magnum præjudicium innocenti proli, quæ alias minime legitima reputaretur: quæſitum aliquando eſt, num id a Catholicis, ſalva conſcientia, fieri poſſit; & quo modo Rectores animarum in hujuſmodi caſibus ſe gerere debeant: & quidem id, quod contingit in regionibus ſubjectis dominio Principum Infidelium, in aliis pariter evenit, quæ Principum hæreticorum imperio parent.

II. Leſſius *in Auctario caſ.* 24. *in verb. Hæreticorum converſatio*, id, ſalva conſcientia, neque fieri, neque tolerari poſſe, contendit: ejuſque opinio veriſſima eſſet, ſi hæreticus miniſtellus adhiberetur tamquam perſona ſacra, quæ ſacram cæremoniam intenderet exercere, ac per eam, ſanctitatem tribuere contractui matrimoniali; tunc ſiquidem viderentur Catholici eum agnoſcere tanquam legitimum Chriſti Miniſtrum, ritumque hæreticum approbare, & profiteri. Verum, cum plerumque res aliter ſe habeat, illeque Catholicorum matrimoniis ſolum aſſiſtat, tamquam miniſter mere politicus, neque virtute verborum, quibus conjugibus bene apprecatur, ullam credat ſanctitatem accedere eorum conjugio, quod Sacramentum eſſe, noſtri temporis hæretici communiter inficiantur; rectius idcirco Catholicos eidem ſe ſiſtentes, ut patriæ legibus morem gerant, graviaque evitent incommoda, quæ ſecus ſibi imminerent, a culpa excuſant Joannes Verjuys *in ſuo Paſtorali tract.* 13. *art.* 7. Arſdekin *Theolog. tripartitæ tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 4. *de Matrim. cap.* 8. §. 2. *n.* 17. la Croix *lib.* 6. *part.* 3. *de Matrim. n.* 775. Piette *Quæſtion. Theologicar. part.* 6. *pag.* 441. In hac quoque ſententia fuit ſacra Congregatio Sancti Officii, quæ hanc quæſtionem diligenter, uti ſolet, examinavit, & die 29. Novembris 1672. in eum, qui ſequitur, modum definivit: *Catholici, qui matrimonio juncti ſunt coram Parocho & teſtibus Catholicis, in pluribus locis (ita invaluit conſuetudo) ſolent coram miniſtro hæretico, ſeu proteſtante, rurſus conjungi, ad evitanda gravia damna; neque poteſt conſuetudo hæc a Clero corrigi. Peccant ne? & quo peccato, Catholici ſic demum conjuncti coram miniſtro hæretico? Et quomodo ſe gerere debeat erga illos Ordinarius loci? Sacra Congregatio reſpondit: Quatenus miniſter aſſiſtat matrimoniis Catholicorum,*

*uti minister politicus, non peccare contrahentes. Si vero assistat ut minister addictus sacris, non licere, & tunc contrahentes peccare mortaliter, & esse monendos.* Huic nos sententiæ, tunc a laudata Congregatione prolatæ, auctoritatem nostram adjecimus *in nostra Constit.* 89. §. 10. *nostri Bullarii tom.* 1. ubi Fidelibus degentibus in Regno Serviæ, finitimisque regionibus, interdiximus, ne, matrimonio inter se Catholicis ritibus celebrato, illud renovare præsumant coram *Caddi*: nostram tamen interdictionem hac temperavimus limitatione, nisi scilicet nuptiarum cæremonia, explenda coram *Caddi*, actus sit mere *civilis*, nullamque contineat Mahumetis invocationem, aliudve superstitionis genus includat.

III. Postquam conditum, promulgatumque fuit Decretum illud nostrum, quod in præcedenti capite sexto exposuimus super matrimoniis, quæ in Belgii regionibus Fœderatorum Ordinum dominio subjectis contrahuntur vel inter hæreticos, vel inter partem alteram Catholicam, & alteram hæreticam; eaque, licet non coram Parocho Catholico contracta, valida esse declaratum est: cum palam factum fuerit, hujusmodi indulgentiam in illis matrimoniis minime locum habere, quæ in illis eisdem regionibus inter Catholicos contrahuntur, in quibus videlicet servanda est forma a sacro Concilio Tridentino præscripta, expositum nobis fuit, prædictos Catholicos, in eis locis degentes, non solum teneri coram ministro hæretico se sistere, atque ibi quamdam contractus matrimonialis speciem celebrare, idque re ipsa ab illis fieri ad gravissima evitanda infortunia, quæ ipsis alioquin imminerent; verum etiam aliquando contingere, ut, cum memoratus actus coram hæretico ministello præcedat, celebratio autem matrimonii coram Parocho Catholico, & duobus testibus differatur, hoc intermedio tempore inter hujusmodi sponsos copula intercedat, ex eaque proles oriatur. Unde controversia orta erat inter Missionarios: quorum aliqui prædictos *actus intermedios* excusabant, ea nixi opinione, quod etiam inter Catholicos possit in matrimonio contractus a Sacramento sejungi: alii vero Concilii Tridentini sanctionibus inhærentes, quæ in illis regionibus inter Catholicos vim suam obtinere debent, nulla ratione subsistere, aut validum censeri posse putabant matrimonium illud, quod coram Catholico Parocho & duobus testibus celebratum non foret, adeoque omnes intermedios actus, quos supra innuimus, illicitos, & prolem inde susceptam illegitimam esse judicabant; contrariæ autem opinioni connivere, perinde esse contendebant, ac observantiam formæ a Tridentino Concilio præscriptæ, ab iis regionibus, & ab ipsis Catholicorum matrimoniis penitus eliminare.

IV. Re itaque per Missionarios dissentientes ad nos & Apostolicam Sedem delata, una cum eorum rationibus hinc inde scripto exaratis, hisque per nos accurate perpensis, audiendum nobis esse judicavimus consilium nonnullorum S. R. E. Cardinalium, aliorumque virorum sacræ Theologiæ, & Juris Canonici peritorum, quibus antea singulis dissertationem quamdam, super hoc a nobis conscriptam, distribui mandavimus. Qui sane, iisdem principiis inhærentes, quæ nos in dissertatione posueramus, concordibus suffragiis eorum Missionariorum sententiam approbarunt, qui steterant pro nullitate matrimonii, nisi contrahentes Catholici vel ante, vel postquam hæretico ministello se præsentassent, coram Parocho Catholico, & duobus testibus, matrimonium rite celebrassent: quique proinde peccaminosos definierant prædictos actus, intermedio tempore a sponsis exercitos.

V. De hac controversia certiores nos fecerat vir religiosus, multiplici ex capite laudandus, P. Paulus Simon a S. Joseph e Carmelitarum excalceatorum familia, cui propterea directæ sunt litteræ responsa nostra ferentes, quarum exemplum hic subjicimus, quæque etiam referuntur *tom.* 3. *nostri Bullarii in supplem. n.* 3. His deinde omnes in dictis regionibus facile acquievisse, ac normam in ipsis traditam in posterum sibi sequendam proposuisse, posterioribus litteris, inde acceptis, cum gaudio intelleximus. Nostrarum litterarum tenor talis est:

## BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

*Redditæ sunt nobis per Dilectum Filium, eundemque primarium Administrum nostrum, Silvium Cardinalem Valenti, vestræ litteræ, quibus subortam inter vos in re gravis sane momenti controversiam exponitis, eamque judicio nostro subjicitis. Non possumus equidem non magnopere commendare propositum vestrum, quo Sedem Apostolicam consulendam censuistis, ejusque definitionem exposcendam, ut eam unanimi consensu amplectamini; quam si omnes, cum similes emergunt quæstiones, pari docilitate exquirerent, & sequerentur, non tanta succresceret in dies inter Evangelicos operarios opinionum varietas, nec doleremus aliquando, ob eorundem in tradenda morum doctrina diversas sententias, in partes distrahi Christianum populum, eamque scindi mentium, animorumque concordiam, quam Christus Dominus Ecclesiæ suæ commendatam voluit usque adeo, ut ea præsertim, quasi tessera, discipulos suos cognoscendos prædixerit.*

*Exposuistis itaque nobis, non raro isthic contingere, ut Catholici matrimonium inter se contracturi, civilem adeant Magistratum, aut hæreticum ministellum quibus, se sistere legibus patriæ coguntur, & coram illis mutuum exprimant in conjugium consensum, quem tamen postea renovare coram legitimo Ministro Catholico & duobus testibus, uti Tridentinum præcipit, aut omnino negligunt, aut in longum tempus differunt: interim vero, perinde ac si legitimi conjuges jam forent, non dubitant omnem conjugalem consuetudinem inter se habere. Quæsivistis deinde, quid de illo consensu sentiendum sit, coram civili Magistratu, aut hæretico ministello, præstito: num scilicet satis fuerit ad perficiendum matrimonium validum, saltem in ratione contractus, quod alter ex vobis affirmat, alter inficiatur; etsi ad Sacramenti dignitatem non assurgat, quod nemo vestrum in quæstionem adducit: si enim res ita se haberet, ut primus existimat, subsequens inter consentientes copula, etiam ante renovatum coram Parocho Catholico consensum, omni flagitio vacaret, & suscepta exinde proles absque ulla dubitatione esset legitima reputanda.*

*Jam vero, ut postulatis vestris breviter simul, & dilucide respondeamus, unaque controversiam omnem judicio nostro præcidamus, sic habete: ubicumque promulgatum & receptum sit Concilii Tridentini decretum cap.* 1. *sess.* 24. *de reformat. matrim. ibi nulla prorsus, atque in omni ratione irrita esse conjugia aliter, quam coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho, aliove Sacerdote Parochi vices agente, & duobus testibus, celebrata. Scimus profecto, esse Theologos, qui in ipso Fidelium matrimonio contractum a Sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad Sacramenti excellentiam pertingat. Sed, quidquid sit de hac opinione, quam nos quidem nunc in medio relinquimus, ea certe, quod attinet ad rem præsentem, locum nullum sibi vindicare potest apud eos, qui Tridentina lege obstringuntur: etenim qui, præter formam a se præscriptam matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non Sacramentum modo, sed contractum ipsum irritum diserte pronunciat, atque, ut ejus verbis utamur, eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos esse decernit.*

Qua-

*Quare, cum inter Catholicos in iſtis provinciis degentes, & promulgatum, & receptum jam fuerit illud Tridentini decretum, quod ambo fatemini; perſpicuum eſt, matrimonium ab ipſis invicem initum coram civili Magiſtratu, aut a catholico miniſtello, & non item coram proprio alterutrius contrahentium Parocho, & duobus teſtibus, neque in ratione Sacramenti, neque in ratione contractus ſuſtineri, aut ullo pacto validum reputari poſſe. Neque vero rationes, propter quas valida pronunciavimus matrimonia, quæ aut ab hæreticis inter ſe, aut a Catholicis cum hæreticis, in iſtis Fœderatis provinciis contrahuntur, non ſervata forma Tridentini, aptari queunt conjugiis inter ſe initis a Catholicis, quorum quilibet Tridentini decreto ſe obſtrictum agnoſcit, ejuſque ſe auctoritatem ſequi profitetur.*

*Sciant itaque Catholici veſtræ curæ concrediti, cum civili Magiſtratui, aut hæretico miniſtello, matrimonii celebrandi cauſa, ſe ſiſtunt, actum ſe mere civilem exercere, quo ſuum erga leges, & inſtituta Principum obſequium oſtendunt: ceterum tunc quidem nullum a ſe contrahi matrimonium. Sciant, niſi coram Miniſtro Catholico & duobus teſtibus nuptias celebraverint, nunquam ſe, neque coram Eccleſia, veros & legitimos conjuges fore: nec, ſi interim conjugalem inter ſe conſuetudinem habuerint, eam gravi culpa carituram. Sciant denique, ſi qua ex hujuſmodi conjunctione oriretur ſoboles, eam, utpote ex non legitima uxore natam, in oculis Dei fore illegitimam; & niſi conjuges conſenſum ex Eccleſiæ præſcripto renovaverint, illegitimam perpetuo futuram etiam in Eccleſiæ foro.*

*Erit porro officii veſtri, hæc omnia, cum commoda ſe obtulerit occaſio, atque ea, quam rerum circumſtantiæ vobis adhibendam ſuaſerint, circumſpectione & cautela, ſingulis explicare prolixius; ſimulque omnes commonere, ut, ſiquidem regionis conſuetudini, & terreni Principis ſanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, ſed Religione ſalva, potioreſque ducant SS. Eccleſiæ leges, quibus Fidelium matrimonia conſtringuntur. Illud præterea vobis curandum eſt, ne, etiamſi duo Catholici civilem illam, ac mere politicam coram hæreticis cæremoniam peregerint, nimium inter ſe familiariter agant, aut ſub tecto in communi habitent, niſi ſe prius veris & legitimis nuptiis, ex norma Tridentini, alligaverint: quamquam enim ea familiaritas eſſe poſſit ſine flagitio, ſine flagitii certe periculo & ſuſpicione non vacat: utrumque autem probis & bene moratis Chriſtifidelibus cavendum eſt. Ad ejuſmodi porro evitanda pericula, cognoſcimus conſultius utique fore, ut Catholici, nonniſi matrimonio jam antea in faciem Eccleſiæ inter ſe legitime celebrato, ad illam explendam civilem cæremoniam, ſecularem Magiſtratum, ſeu hæreticum miniſtellum adirent: ſed, quoniam ex veſtris litteris deprehendimus, id non ſine periculo, & perturbationibus poſſe adimpleri, id ſaltem pro viribus ſatagite, ut, poſtquam reipublicæ morem illi geſſerunt, non diu differant Eccleſiæ legibus parere, & conjugale fœdus, juxta præſcriptam a Tridentino normam, rite & ſancte inire, & ſi quid tum ſuper hac re, tum ſuper aliis, quæ iſtam Miſſionem reſpiciunt, nobis ſuggerendum eſſe putetis, communicato inter vos conſilio, operam noſtram implorate, quam ſemper præſentem invenietis. Epiſtola hæc noſtra tibi, dilecte fili, Paule Simon a Sancto Joſeph, inſcripta eſt: eam tamen volumus a te communicari etiam dilecto filio Hadriano Auguſtino Won-Duck Paſtori Leidenſi, cujus ſcriptum ſuper ea, de qua nunc agitur, controverſia a ſupradicto Cardinali de Valentibus nobis oblatum libenter perlegimus.*

*Poſtremo vos hortamur majorem in modum, ut iſtam Dominici gregis non contemnendam portionem ſedulo, ſicuti laudabiliter hactenus feciſtis, excolere, atque ad omnem pietatem informare pergatis. Vobiſque interim Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 17. Septembris 1746. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

VI. Quæ hactenus dicta, & narrata ſunt, ad ea pertinent loca, quæ infidelium, aut hæreticorum Principum ditioni ſubſunt. Sed alia loca non deſunt, in quibus etiamſi alia Religio, præter Sanctam Catholicam Romanam, non toleretur, complures tamen occulte vivunt ab illius communione extranei, qui Catholicorum ſpeciem præ ſe ferentes, matrimonia cum Catholicis ineunt; eaque occaſione Catholicus Parochus accerſitur, qui matrimonii celebrationi aſſiſtat, licet hic privata ſcientia ſatis ſuperque compertum habeat, alterum ex contrahentibus hæreticum eſſe. In arduis hujuſcemodi circumſtantiis, ſunt qui contendant, debere Parochum, nulla oppoſita difficultate, vel mora, matrimonio aſſiſtere, nec in occultam contrahentium fidem ſubtilius inquirere, quamvis matrimonium inter Sacramenta vivorum connumeretur; cum etiam Euchariſtia, quæ vivorum Sacramentum eſt, peccatoribus occultis, cum ad eam recipiendam publice accedunt, non denegetur, juxta doctrinam S. Thomæ 3. *part. q.* 80. *art.* 6: Contra autem alii reputantes, quod in Sacramento matrimonii tenetur Parochus ſuam aſſiſtentiam denegare, ſi noverit privata etiam ſcientia, impedimentum aliquod adeſſe, nedum dirimens, ſed vel duntaxat impediens, ut puta ſponſalia cum aliis præcedenter contracta, vel votum ſimplex caſtitatis ab alterutro contrahentium emiſſum; in eoque rerum ſtatu, illius officii partes eſſe, ut Eccleſiaſticum Superiorem, ſive Epiſcopum, de ea re certiorem faciat, qui opportune conſulere, & providere valeat: eadem ratione, docent, atque contendunt, ſe gerere debere Parochum, qui advocatur ad aſſiſtendum matrimonio, in quo ipſi conſtat, quantumvis privata ſcientia, alterum ex contrahentibus, pro orthodoxo publice habitum, hæreticæ ſectæ occulte adhærere. In Aquenſi Conc., quod anno 1585. celebratum eſt, *ad tit. de Parochis*, extat decretum hujuſmodi: *Nullus Parochus, pœna illis excommunicationis propoſita, Sacramentum ullum adminiſtrare audeat hæreticis quibuſvis, vel quocunque modo a fide Catholica averſis, niſi prius conſtiterit, illos reſipuiſſe, & Eccleſiæ rite reconciliatos fuiſſe: tom.* 10. Collectionis Harduini *col.* 1562.

VII. Altera hæc ſententia, non ſolum priore tutior, ſed etiam communior eſt. Cum autem illius defenſoribus onus incumbat diluendi argumentum illud, quod contra eam objiciebatur, de peccatore occulto publice Euchariſtiam petente, quam *illi* adminiſtrandam eſſe paulo ante ſignificavimus; id ſane aggreditur Sanchez *in lib.* 3. *de Matrimonio diſput.* 15. *numer.* 13. verum felicius rem confeciſſe videtur Card. de Lugo *de Sacramentis diſp.* 8. *ſect.* 13. *num.* 208. *& ſeq.* quem ſuper hac re conſuli volumus; cum minime conſilium noſtrum fuerit, ut hic ex profeſſo, ut ajunt, Tractatum de Matrimonio conſcriberemus. Illud ad ſuſcepti inſtituti rationem pertinet, ut Epiſcopis, in quorum diœceſibus hæretici, cum publice verſari non permittantur, occulte vivunt, magnopere ſuademus, ut ſive in Synodis, ſive alia quacunque opportuna ratione, certas præſcribant regulas de his, quæ præſtari debeant ab illis omnibus, qui occultæ hæreſis ſuſpicione laborant, antequam Parochi ad Sacramenta illos admittant, atque adeo antequam eorum matrimoniis aſſiſtant; ſeveriores autem pœnas conſtituant adverſus eos, qui, expletis ſemel illis actibus, qui pro ſolemni probatione eorum ortodoxæ Fidei præſcripti ſunt, atque ita ad Sacramenta Eccleſiæ Catholicæ & ad matrimonii celebrationem admiſſi, in hæreſim poſtmodum relapſi deprehendantur. Hac enim tuta agendi methodo Parochis ſuppeditata, ſi ipſi eam ſequantur, ab illis eximentur anguſtiis, in quibus hærere

meri-

merito ſolent, cum ad aſſiſtendum matrimoniis accerſuntur, privata ſcientia compertum habentes, contrahentium alterum, tametſi pro Catholico habeatur, hæreticum eſſe, poterunt ſiquidem, atque debebunt, in hujuſmodi circumſtantiis, eas probationes ab illo exigere, quibus ſe Catholicum eſſe, certa & irretractabili profeſſione demonſtret, ſecundum ea, quæ ab Epiſcopo in Synodo, vel in aliis ordinationibus præſcripta fuerint.

## CAPUT OCTAVUM.

*De conſtitutionibus Synodalibus ad Miſſæ Sacrificium ſpectantibus, quæ peculiaribus quibuſdam Diœceſibus, non vero aliis, congruere poſſunt.*

PRæſens Eccleſiæ diſciplina circa numerum Miſſarum, quæ ſingulis diebus a Sacerdote celebrari poſſunt, unum duntaxat Sacrificium quovis die offerri permittit; excepto Natalis Jeſu Chriſti ſolemni die, quo recurrente, cuique Sacerdoti fas eſt ter Miſſam celebrare, modo à purificatione abſtineat, ne alioqui, ea ſumpta, frangat jejunium naturale, quod alteram, ac tertiam Miſſam neceſſario præire debet, ut expreſſe ſtatuitur *in Can. Sufficit, de Conſecrat. diſtinct. 1. in Cap. Te referente, & in Cap. Conſuluiſti, de celebratione Miſſarum.*

II. Nonnullæ tamen a Theologis excitantur quæſtiones circa alios caſus, in quibus licere ajunt duas eadem die, etiam extra prædictum Nativitatis Domini feſtum, Miſſas celebrare; veluti ſi priore Miſſa expleta, infirmo jam jam morituro miniſtranda ſit Euchariſtia per modum Viatici; ſi nuptiarum benedictio urgeat; aut feſto die, celſioris nobilitatis, aut dignitatis quiſpiam ſuperveniat, qui Sacrum non audierit, & Miſſam iterari poſtulet, ut Eccleſiæ præcepto faciat ſatis, nec interim in hiſce rerum *circumſtantiis* alius Sacerdos præſto ſit, præter eum, qui Sacrum pridem obtulit. Regino Abbas, qui floruit decimo Eccleſiæ ſeculo, *in libello de Eccleſiaſticis diſciplinis num. 33.* monet Epiſcopum, ut viſitationem inſtituens, Parochum interroget, *ſi tempore ſtatuto, id eſt circa horam tertiam diei, Miſſam celebret, & poſt hæc, uſque ad mediam diem jejunet, ut hoſpitibus, atque peregre venientibus, ſi neceſſe fuerit, poſſit Miſſam cantare.* Quidquid vero ſit de hujuſmodi Theologorum quæſtionibus, hodie unus duntaxat ſupereſt caſus, quo Sacerdoti fas eſt uno eodemque die geminum offerre Sacrificium, ſi nempe idem Parochus duarum Parochiarum curam gerat, quæ ad invicem longo ſatis intervallo diſſocientur; ex quo fiat, ut vix, aut ne vix quidem, utriuſque Parochiæ populus in unam ſe conferre poſſit Eccleſiam ad Sacrum audiendum. In quo rerum ſtatu concors omnium opinio eſt, Parochum nedum poſſe, ſed plane teneri bis eodem die Miſſam celebrare, ac, poſtquam in una Parochia Miſſam expleverit, ad aliam accedere, ne alterutrius Eccleſiæ populus, die feſto, a Sacro audiendo excludatur. Rem hanc fuſiore ſtylo expendimus in Tractatu noſtro *de Sacrificio Miſſæ ſect. 2. §. 34. & ſeq.* ubi in unum colligere ſtuduimus, quidquid circa eam cum ex veteri, tum ex recenti Eccleſiæ diſciplina, nobis haurire licuit. Itaque ad eandem lucubrationem lectores amandamus, ne actum agere videamur.

III. Cum per Oſcenſis Diœceſeos tractum, non uno in loco, duæ Parochiæ, longo intervallo diſſitæ, ſub uno animarum Rectore ſocientur, Parochis illis conſilium incidit, ut, poſt Sacrum in una Eccleſia peractum, aliud eodem die in alterius Parochiæ Eccleſia celebrarent. Verum ſolers Epiſcopus, edita Synodali Conſtitutione, id vetuit; non enim deerant Sacerdotes, qui, poſt Miſſam a Parocho in una Eccleſia Parochiali celebratam, poſſent illius vice in alia Parochia Sacrum obire. Excitatam hac de re controverſiam nos definivimus favore Epiſcopi, cujus Synodalis Conſtitutio firmo ſatis innitebatur fundamento. Tunc enim ſolummodo permitti poteſt, die feſto, Miſſarum celebrationem iterari, ne alterutrius Parochiæ populus ſolemni Sacrificio careat, cum nemo, præter Parochum, adeſt, qui in altera ex Parochiis Miſſam celebrare valeat. Aſt, ubi alii ſuppetunt Sacerdotes, qui in ſecunda Parochia rem Divinam facere poſſunt, prædictæ diſciplinæ indulgentia locum non habet, ut accurate expendimus, tandemque decrevimus in Conſtitutione noſtra, *ordine tertia Bullarii noſtri tom. 2.* quam lectores conſulere poterunt; nolumus enim, quæ pridem ſcripſimus, hic rurſum inutili labore repetere.

IV. In quarumdam Civitatum Eccleſiis mos obtinet, ſpeciali quopiam privilegio firmatus, celebrandi Miſſas in pervigilio Nativitatis Domini ante noctis dimidium. Cumque Synodali ſanctione Epiſcopi decreverint, nulli fas eſſe Sacrum obire, qui a præcedentis noctis dimidio jejunus non ſit, nonnulla hinc prodiere controverſiarum capita. Onus quippe minime ferendum imponi viſum eſt Sacerdoti, ſi a media nocte quæ præceſſit, ad illud temporis ſpatium, quo ſequenti nocte Sacrificium offerre debet (etiamſi hujuſce noctis dimidium, ex vi privilegii, nondum expectet,) jejunio obſtringatur. Nec defuere, qui arbitrarentur, ex privilegio ſemel obtento, neceſſario ſequi exemptionem a lege jejunii, quod alias a præcedentis noctis dimidio ſervandum præcipitur. Itaque exiſtimarunt, Sacerdoti, qui ante noctis dimidium jus habet Miſſam celebrandi, licere præcedenti die Sacrificium offerre, & ablutionem ſumere, immo & prandio *ſe ſe reficere*; tum maxime, quod in ſacra antiquitate nonnulla ſuppetunt monumenta, ex quibus colligitur, Sacram Euchariſtiam etiam non jejunis miniſtratam fuiſſe. Enimvero, ut alibi videbimus, infantibus, quos matrum ubera paulo ante lactaverant, olim Euchariſtiæ Sacramentum poſt Baptiſmum porrigebatur, ut patet a Sacramentario Gregoriano apud Hugonem Menardum, *tom. 3. Oper. S.* Gregorii *pag. 73.* ubi legimus: *Pontifex vero redit in Sacrarium, expectans, ut, cum veſtiti fuerint infantes, confirmet eos, qui etiam prohibentur lactari ante ſacram Communionem, ſi neceſſe fuerit.* Concordat etiam Ordo XV. Eccleſiæ Apamienſis penes Martene *de antiquis Eccleſiæ ritibus lib. 1. cap. 1. art. 18. col. 206. litter. C. edit. Antuerp.* Neque primus Ordo Romanus, relatus a Mabillonio *tom. 2. Muſei Italici pag. 28. num. 46.* ſtatuit, ut infantes a lacte, aliove cibo abſtineant a præcedenti nocte, ſed jejunium duntaxat indicit unius horæ ſpatio ſervandum, hoc eſt ab eo tempore, quod a Baptiſmo ad Euchariſtiæ ſumptionem intercurrit. Nec ſilentio prætereundus mos *ille*, qui apud Fideles olim invaluerat feria quinta in Cœna Domini, quo die ad ſacram Synaxim accedebant poſt comeſtionem: *Sacramenta Altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur, excepto die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur*: ut legitur *in Can. Sacramenta Altaris, de Conſecrat. diſt. 1.* Qua de re interrogatus S. Auguſtinus, *in epiſtola 54. ad Januarium* reſpondit, ſervandam eſſe locorum conſuetudinem.

V. Ut recte diſſolvatur hæc controverſia, quæ nonniſi ad peculiaris alicujus diœceſis gubernium pertinet, hæc, quæ ſequuntur, prænotaſſe juvabit. Et primo, juxta Miſſalis Rubricas, tempus ad privatam celebrationem Miſſarum ſtatutum, ab auroræ initio incipere, & ad meridiem uſque incluſive protendi. Et quamvis ex ejuſdem Rubricæ præſcripto, pro conventualibus, ac ſolemnioribus Miſſis certa quædam hora definiatur, ea tamen eiſdem limitibus includitur,

UAB Biblioteca de Ciències Socials



tur, nimirum ab aurora ad meridiem. Cujus rei causam explicat Sanctus Thomas 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 2. *ad* 4. noſque nonnulla item adnotavimus in Paſtoralibus noſtris Inſtitutionibus Bononiæ editis, ac præcipue in ea, quæ *tertiadecima* occurrit in Latina editione.

IV. Secundo, etiam poſt conſtitutam, & uſu firmatam ejuſmodi diſciplinam, adhuc tamen veterem conſuetudinem celebrandi Miſſas veſpertinas quibuſdam per annum noctibus in more permanſiſſe. De Miſſis hiſce veſpertinis conſulendus Vicecomes *de Ritibus Miſſæ lib.* 3. *cap.* 29. ubi fuſiori ſtylo rem tractat. Noctibus, quibus Sacrificium offerebatur, S. Thomas *loc. cit.* accenſet noctem Sabbathi Sancti, quæ Dominicam Reſurrectionis immediate præcedit, aitque, tunc temporis Miſſam celebrari conſueviſſe *circa noctis principium*. Sed alii aliud tempus deſignant, hoc eſt poſt noctis dimidium. Ita ſentiunt Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. diſput.* 46. *ſect.* 2. *& tom.* 3. *diſput.* 80. *ſect.* 3. §. *Secunda exceptio*, Vaſquez *tom.* 3. *diſput.* 232. *cap.* 2. *a num.* 23. Binius *tom.* 1. *Concilior. pag.* 77. *num.* 66. Sauſſay *part.* 2. *Panopliæ Sacerdotalis lib.* 1. *cap.* 9. *art.* 2. §. 3. Rurſum alii, non jam poſt mediam noctem, ſed eo temporis ſpatio, quod ad dimidium noctis accedit, Sacrificii tempus ſtatuunt, ut refert Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 4. quæ quidem ſententia ceteris probabilior videtur, cum a S. Hieronymo *cap.* 25. *in Matthæum* doceamur, in Paſchæ pervigilio populum ante noctis dimidium non dimitti; quod ſatis oſtendit, Miſſam veſpertinam paulo ante mediam noctem fuiſſe abſolutam, ut ſcite ratiocinatur Henaus *part.* 2. *de Sacrificio diſput.* 21. *ſect.* 3. *num.* 48. Verum, cum priſca illa conſuetudo Miſſam celebrandi nocte Sabbathi Sancti, juſtis de cauſis ſublata jam fuerit, nihil eſt, quod in hanc rem plura congeramus.

VII. Tertio prænotandum, etiamnum vigere conſuetudinem celebrandi Miſſam ipſa nocte, quæ diem feſtum Nativitatis Domini antecedit: *Nocte ſancta Nativitatis Domini Salvatoris Miſſas celebrent Presbyteri, & hymnum Angelicum in illis ſolemniter decantent, quoniam & eadem nocte ab Angelo Paſtoribus nunciatus eſt*: ſic habet textus *in Can. Nocte ſancta, de Conſecrat. diſtinct.* 1. Quæ verba cum nullo modo definiant tempus noctis, quo Sacrum offerre liceat, profecto ritum Miſſas celebrandi poſt noctis dimidium, a communi, & univerſali conſuetudine, quam Eccleſia probavit, repetamus oportet, ut animadvertit Paſqualig. *de Sacrificio novæ Legis num.* 1. *quæſt.* 405. *per tot.*

VIII. Quarto præmittendum, nonnunquam ſummos Pontifices Eccleſiis aliquibus tribuiſſe privilegium celebrandi Miſſas in pervigilio Nativitatis Domini ante noctis dimidium. Quo pertinet Indultum Alexandri VI. editum 6. Auguſti 1502. favore monaſterii Canonicorum Regularium Venetiis erecti ſub titulo S. Mariæ Charitatis, quod quidem privilegium refert Flaminius Cornelius *in decade ſeptima* Eccleſiarum Venetarum, quarum ipſe monumenta erudite illuſtravit. Pius IV. Prædeceſſoris Alexandri exemplum ſequutus, die 27. Februarii 1562. pari beneficio donavit Moniales S. Mariæ Miraculorum ejuſdem urbis; & ſequenti anno 1563. inſtante Equite Jacobo Superantio, Venetæ Reipublicæ apud S. Sedem Oratore, benigne annuit, ut in Collegiata & Parochiali Eccleſia S. Pauli, Miſſæ Sacrificium peragi poſſet prima hora noctis, quæ Natalem Chriſti diem antecedit. Præterea ante ejuſdem noctis dimidium ſolemnis Miſſa in auguſto S. Marci Templo celebratur; idemque ritus in aliis Eccleſiis bene multis Venetiis obtinet, ut nos ipſi, quo tempore munus a Secretis Congregationis Concilii gerebamus, multis prolatis monumentis olim oſtendimus in folio quodam, quod typis evulgatum in cauſa *Veneta* 12. Julii 1720. prōſtat *tom.* 1. *Theſaur. Reſolut. Sac. Congregat. Concil. pag.* 345.

IX. Quinto: S. Pontifex Pius V. privilegia omnia de Miſſæ Sacrificio ante dimidium noctis Nativitatis Domini celebrando abrogavit per Conſtitutionem, quæ incipit *Sanctiſſimus in Chriſto*, & inter ejuſdem Pontificis Conſtitutiones recenſetur *ordine quarta tom.* 2. *Bullarii Romani*. Hinc communi ſuffragio Scriptores affirmant, non licere poſt Pianam ſanctionem ullibi celebrare Miſſas in pervigilio Nativitatis ante mediam noctem, eſto, ex vi præcedentium privilegiorum, id olim in Eccleſiis aliquot obtinuiſſet. Ita cenſet Azor. *Inſtit. moral. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæſt.* 3. Francolin. *de tempore Horar. Canonic. cap.* 29. *num.* 11. & 14. Cardinalis Brancatius *de Privil. Cappell. Cardinal. pag.* 15. Clericatus *de Sacrific. Miſſæ deciſ.* 39. *num.* 15. & 16. Quod ſi etiam noſtra ætate adhuc Venetiis in Eccleſiis nonnullis mos perſeverat Sacrum offerendi ante dimidium noctis, quæ Feſtum Nativitatis præcedit, id aut ab aliis privilegiis poſteriori ævo indultis repetendum eſt, aut veterum privilegiorum confirmatione, juſtis ac rationabilibus cauſis ita ſuadentibus, conceſſa, ut contigiſſe meminimus in Pii IV. Diplomate favore Collegiatæ & Parochialis Eccleſiæ S. Pauli, quam ſupra memoravimus. Etſi enim Congregatio Concilii die 15. Julii 1720. reſcripſerit, hocce privilegium per Pii V. Bullam fuiſſe revocatum, addidit tamen, conſulendum ſummo Pontifici, ut Pii IV. Indultum confirmaret; nec Pontifex confirmationem denegavit.

X. Poſtremo, aliquid etiam de jejunio ab iis ſervando, qui aut Miſſam celebrant, aut ſacram Euchariſtiam percipiunt, præmittere opportunum ducimus. Vetuſtiſſima ſane eſt Eccleſiæ diſciplina, quæ præcipit, neminem ad Euchariſtiam accedere poſſe, qui jejunus non ſit; nec deſunt qui *ejus initia* repetant ab ævo Apoſtolico, ut probat Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 21. *Ut nullus poſt cibum, potumque, ſive quodlibet minimum ſumptum, Miſſam facere præſumat*: verba ſunt decreti, quod Antero Pontifici a nonnullis tribuitur. *Ut nullus accipiat Sacrificium poſt cibum, aut poſt aliquam parviſſimam refectionem, niſi pro Viatico*: verba ſunt alterius decreti, quod ſub Eutychiani Pontificis nomine ab Ivone recitatur *part.* 2. *cap.* 45. Haud ignoramus, ejuſmodi decreta apocryphis accenſeri. Quidquid vero ſit de genuino illorum auctore, nemo tamen, qui ſapiat, inficiabitur, jam tum ab antiquiſſima ætate invaluiſſe conſuetudinem miniſtrandi jejunis Euchariſtiam, eſto definitum originis tempus adhuc ſit incompertum.

XI. Statuta autem neceſſitate jejunii, ejuſque jejunii, quod naturale vocatur, ſupereſt inquirendum, a quo tempore illius initium deſumi debeat. Juxta communem Eccleſiæ conſuetudinem, cujus item exordia adhuc ignorantur, jejunium illud a noctis dimidio incipit, & uſque ad tempus, quo Euchariſtia ſumitur, perſeverat. Ita unanimi conſenſu docent Theologi, duce D. Thoma, qui 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 8. *Ad quintum*, ita loquitur: *Eccleſia Romana diem a media nocte incipit: & ideo, ſi poſt mediam noctem aliquis ſumpſerit aliquid per modum cibi, vel potus, non poteſt eadem die hoc ſumere Sacramentum: poteſt vero, ſi ante mediam noctem*. Excipit tamen S. Doctor *in præcitato art.* 8. infirmum, cui etiam non jejuno, miniſtrari poterit Euchariſtia, ſi periculum mortis immineat, ne forte ſaluberrimo Corporis Chriſti Viatico deſtitutus moriatur. Conſonat Rubrica Miſſalis *tit.* 9. *n.* 1. in eodem jejunii naturalis initio deſignando: atque huc referri etiam poſſunt, quæ lato calamo ſcripſit Theodoſius Rubeus *in Horario univerſali cap.* 20. Hoc naturale jejunium quamcumque vel minimam cibi quantitatem, ſive, ut ajunt, materiæ parvitatem exclu-

cludit, quæ tamen cum Eccleſiaſtico *jejunio* componi poteſt. Hinc patet utriuſque jejunii latum diſcrimen, quod multis demonſtravimus *in Tractatu de Sacrificio Miſſæ ſect.* 2. §. 96. *Latinæ editionis*, contra ſingularem cujuſdam ſententiam, quæ adſtruere nitebatur, jejunium naturale per modiciſſimam cibi partem non lædi. Huic ſane non parum faver Petrus Ledeſma, qui *in quæſt.* 24. *art.* 2. veterum Theologorum opinionem obtendens, aſſerere non dubitavit, licere Sacerdoti, plures Miſſas celebraturo, ad ſecundam, & tertiam Miſſam progredi, etſi in primo Sacrificio conſueram purificationem ſumpſerit. At Henaus *in cit. diſput.* 20. *ſect.* 4. *num.* 46. id falſum eſſe demonſtrat, relatis auctoritatibus Paludani, Durandi, Gabrielis Biel, Sylveſtri, ac aliorum. In Decretali Innocentii III. quæ incipit: *Ex parte, de celebrat. Miſſar.* injungitur Sacerdoti, ut purificationem ſorbeat, *poſtquam totum acceperit Euchariſtiæ Sacramentum:* mox vero Pontifex monet, ne Sacerdos ita ſe gerat, ſi pluries eodem die Sacrificium offerat: *Ne, ſi forte vinum perfuſionis acciperet, celebrationem aliam impediret.* Eadem occurrunt in Sacramentario Gregoriano *tom.* 3. *pag.* 111. *litter. D. Ad vigiliam Sancti Petri, & Pauli*, hiſce verbis concepta: *Quando Apoſtolicus duas Miſſas celebrat una die, inter eas non lavat os, niſi poſt officium; ſed abſque intervallo, finita priore, incipitur altera.*

XII. Certam igitur Eccleſia conſtituit diſciplinam cum circa numerum Miſſarum, quæ a Sacerdote uno eodemque die offerri poſſunt, tum circa tempus ad Miſſas celebrandas ſtatutum, tum etiam circa jejunii legem a Sacerdote ſervandam, necnon circa definitum temporis limitem, a quo jejunii naturalis initium ducere oportet. Cum tamen in hac Eccleſiæ œconomia nihil occurrat, quod a naturali aut Divina lege ſuam trahat originem; hinc ſequitur, poſſe Romanum Pontificem, graviori quapiam, ac legitima cauſa impellente, ſuper hujuſmodi *Eccleſiaſticis* Conſtitutionibus diſpenſare. Sed, cum plura ſint relata Eccleſiaſticæ *diſciplinæ capita*, eaque ad invicem diſtinguantur, quippe quæ nullo neceſſario nexu inter ſe copulantur; hinc etiam ſequitur, diſpenſationis beneficium ab uno ad alium caſum, cujus expreſſa non fiat mentio, extendi non poſſe. Quocirca improbanda eſt illorum opinio, qui ex privilegio Miſſam celebrandi ante dimidium noctis Nativitatis Domini, inferunt, ipſam quoque jejunii ſervandi legem, quæ a dimidio præcedentis noctis Sacerdoti imponitur, fuiſſe ſublatam; ita ut is, exempli cauſa, qui Miſſam de vigilia Nativitatis pridie celebraverit, & ablutionem hauſerit, adveniente nocte, ejus tamen dimidio nondum elapſo, ſolemnem Miſſam de Nativitate Domini celebrare valeat; Indultum præveniendi in ea ſolemnitate ſtatutam mediæ noctis horam, ideo a nonnullis cum prætenſa exemptione a naturalis jejunii lege conjungitur, quia alioquin gravi nimis incommodo premeretur Sacerdos, ſi a præcedentis noctis dimidio ad inſequente noctem, etiam non expectato illius dimidio, *jejunium* protraheret; & quia non deſunt ſacræ antiquitatis exempla, quæ probant, Euchariſtiam etiam non jejunis fuiſſe porrectam. At exaggeratum cum primis Sacerdotis incommodum, uſque adeo grave non eſt, ut ferri non poſſit. Siquidem noſtra etiam ætate multi enumerantur, qui, per idem temporis ſpatium, *jejunium* tolerant citra ullum valetudinis detrimentum. Quæ ex adverſo producuntur monumenta, minus officiunt. Haud inficiamur, infantibus pridem lacte nutritis, ac Fidelibus feria v. in Cœna Domini prandio refectis, ſacram Euchariſtiam olim fuiſſe diſtributam. Reponimus tamen, prius exemplum ad rem non facere, ut cuique patet; poſterius vero deſumptum eſſe a peculiari duntaxat quarundam Eccleſiarum more, qui *in* memoriam noviſſimæ Cœnæ, a Chriſto Domino celebratæ, olim inſtitutus, aliquandiu apud illas viguit, ſed jampridem in uſu eſſe deſiit.

XIII. Opportunius ad præſentem controverſiam produci potuiſſet exemplum Pontificiæ Cappellæ, in qua primam Miſſam ante noctis dimidium celebrat, qui ut plurimum a præcedentis noctis dimidio jejunium non ſervavit. Antequam vero hujuſce difficultatis nodum diſſolvamus, abs re non erit aliquanto longius digredi, ut, quæ hac in re ad Pontificiam Cappellam pertinent, accuratius explicemus.

XIV. Ex Diariis, quæ Pontificii Cæremoniarum Magiſtri ab anno 1484. ad annum 1517. digeſſerunt, colligimus, Matutinum in Pontificia Cappella incepiſſe circa octavam, nonam, ac etiam decimam horam (ab occaſu Solis numerando, juxta Italiæ morem) illius noctis, quæ diem Chriſti Natalis præcedit; ac præterea, ſacrum hunc ritum, una cum ſolemni Miſſa, nonniſi quatuor horarum ſpatio expleri conſueviſſe. Leo X. referente in Diariis Paride de Craſſis, anno 1517. ob adverſæ valetudinis incommoda, Pontificiæ Cappellæ initium ſtatuit *hora quinta noctis*. Pontifex Hadrianus VI. veterum morem ſequutus, horam noctis nonam reſtituit. At Clemens VII. Paulus III. ac Julius item III. circa ſecundam, aut tertiam noctis horam Matutinum inchoandum mandarunt: hinc hora ſeptima noctis ipſi etiam ſolemniori Miſſæ finis imponebatur. Varius in hoc tempore deſignando fuit S. Pontifex Pius V. quandoquidem, eo jubente, anno 1566. Matutino initium dedit hora noctis ſexta; anno 1567. hora quarta; anno 1568. hora quinta; anno 1569. hora octava cum dimidio; anno demum 1570. hora nona. Gregorius XIII. juxta veterem morem, tertiam, aut quartam noctis horam in uſum revocavit. Atque hic demum mos in *Pontificia Cappella* deinde ſervatus fuit, & adhuc viget, ſtatuta pro Matutini initio quarta hora noctis: ex quo ſequitur, ut ſolemnis Miſſa paulo ante noctis dimidium perficiatur.

XV. Jam vero a deſignatione temporis, & horæ, ad jejunium progrediamur. Cæremoniarum Magiſtri nonnunquam in Diariis referunt, Cardinalem, qui Sacrum obtulit, ad Miſſam celebrandam acceſſiſſe jejunum. Noſtra ætate Cardinalis Leander Coloredus, qui per quamplures annos Miſſam nocte Nativitatis Domini ſolemni ritu obtulit, jejunium a præcedentis noctis dimidio accurate ſervavit. Eadem jejunii lege ſe ſe obſtrinxit recolendæ memoriæ Benedictus Papa XIII. quem præterea novimus, ad meridiem uſque Feſti Nativitatis Chriſti, jejunium protraxiſſe: ſiquidem, poſt Sacrum in pervigilio hora conſueta noctis ſolemniter peractum, alteram Miſſam in aurora recitabat; ac poſtremo Miſſarum ſolemnia aut in Pontificia Cappella, aut in Vaticana Baſilica perficiebat. Quia vero haud multa occurrunt eorum exempla, qui jejuni accceſſerint ad Altare; contra vero frequentius contigit, ut Cardinalis, qui nocte Nativitatis Sacrum explet, die præcedenti a refectione non abſtinuerit: ſupereſt, ut rationem, quæ id licere ſuadeat, inquiramus.

XVI. Sunt qui credant, Romanum Pontificem quotannis litteras in forma Brevis expedire, per quas Cardinalis nocte Nativitatis celebraturus eximatur a lege *jejunii*, quod alioquin a præcedentis noctis dimidio ſervare teneretur. Ita putat Paſqualig. *in Deciſionibus Moralibus deciſ.* 3111. *& deciſ.* 451. *de jejunio*. Id tamen gratis aſſeritur, & hujuſmodi litteræ re ipſa minime conceduntur, ut appoſite animadvertit Diana *in edit. coord. tom.* 2. *tract.* 3. *reſol.* 12. *num.* 4. Alii, ut a difficultate ſe expediant, aliam ineunt viam. Cardinalis de Lugo *de Sacramentis diſput.* 15. *de Euchariſtia ſect.* 2. *a num.* 55. affirmat, Cardinalem, qui in pervigilio Nativitatis ante noctis dimidium Miſſam celebrat in Pontificia Cappella, jejunium naturale non fran-

frangere, etsi mane cibum sumpserit, & Sacri oblatio mediam noctem antevertat, nec ullam a Pontifice obtinuerit dispensationem. Cum enim, expressa Pontificis voluntate, certum temporis spatium ad solemne officium peragendum fuerit definitum, Pontifex ipse mediam noctem anticipasse censetur, non universim quidem, sed quoad solum Pontificiæ Cappellæ locum, & quoad personam duntaxat Cardinalis, qui Missam canit, ac aliorum, qui ibidem Missarum solemniis adstant. Ad hanc opinionem confirmandam, advertere juvat; fas esse Romano Pontifici Ecclesiasticorum dierum limites statuere, absque eo quod mediæ noctis, vel auroræ physica momenta accuratius inspiciat. Enimvero iis in regionibus, in quibus, ob sublimiorem poli elevationem, punctum mediæ noctis statui vix potest, punctum vero insequentis auroræ magis adhuc latet, quia plerumque nullum est, Ecclesiasticorum dierum initia a moribus, & consuetudine petenda sunt; nimirum ab eo tempore, quo regionum illarum incolæ aut laboribus se se exercere incipiunt, aut quieti indulgent: ut olim sub Pontifice Urbano VIII. in Congregatione habita die 2. Novembris 1634. definitum fuisse testantur memoratus Theodosius Rubeus *in Horario universali cap. 19. a n. 17.* & in alio Opusculo *ad Rubricam Missalis de aurora*, Cardinalis Brancatius in Dissertatione *de privilegiis Cappellæ Cardinalium pag. 22. & seq.* Merati *ad Gavantum tom. 1. part. 2. pag. 767. & pag. 1378. Decreto 276. Romanæ editionis.*

XVII. Sententiam Cardinalis de Lugo amplectuntur Magri *in Hierolexico verb. Nativitatis Domini*, Aversa *de Eucharistia quæst. 8. sect. 8.* & Diana *loc. cit. resolut. 11. & resolut. 12.* Quia vero nunquam fortasse Romani Pontifices de noctis dimidio in Pontificia Cappella anticipando cogitaverunt, proindeque fundamentum, cui Cardinalis de Lugo, ejusque sectatores innituntur, satis firmum non est: hinc meliori consilio alii sentiunt, ac docent, in proposito casu, licet expressa Pontificis dispensatio non appareat, inesse tamen tacitam, ac rationi admodum consonam. Enimvero, cum, nonnisi præhabito summi Pontificis assensu, stata ad Matutinum inchoandum hora definiatur, profecto summus Pontifex haud ignorat, quo tempore in pervigilio Nativitatis Cappella incipiat, qua hora solemnis Missa, cui nonnunquam ipsemet Pontifex interesse solet, celebretur. Et, quoniam præterea compertum persæpe illi est, eum, qui Sacrum offert, non esse jejunum, & tamen nullus unquam Pontifex edixisse fertur, ut Cardinalis ea occasione ante noctis dimidium celebrans, a præcedenti media nocte jejunium servaret; nil ultra requirendum videtur ad tacitam Pontificis dispensationem inducendam, æquitatis tamen ac rationis legibus consentaneam. In hanc tententiam descendunt Dicastillus *tom. 1. de Sacramentis tract. 4. de Eucharistia disput. 9. dubitat. 17. quæst. 7. n. 404.* Gabriel de Henao *part. 2. de Sacrificio Missæ disput. 22. sect. 4. num. 44.* Martinon. *tom. 3. disput. 35. num. 64.* Quartus *ad Rubricas Missalis part. 3. tit. 9. sect. 1. in dubiis conscientiæ dub. 6.*

XVIII. Hanc tacitam Pontificis dispensationem, æquitati ac rationi consentaneam diximus: non enim temere antevertitur Officii nocturni hora in Pontificia Cappella; cum & hujusmodi anticipatio modica sit, & Cardinalibus, ac Prælatis, qui in ea nocte eidem Capellæ intersunt, non modo valde opportuna, sed fere necessaria dignoscatur. Non iidem sequenti die ad aliam Cappellam accedere debent, in qua summus Pontifex solemnia ut plurimum exercet Pontificalia. Quare, cum illi, qui Episcopi, aut Presbyteri sunt, mane tres Missas sint celebraturi, antequam ad tertiam solemnem Missam in Cappella peragendam revertantur; aut tempus illis deficiet, aut angustum nimis supererit, nisi per anticipatum nocturni Officii initium angustia temporis laxetur.

XIX. Quod si rationi, & æquitati consonum est horam antevertere; non minore rationis & æquitatis jure innititur tacita dispensatio, quæ celebrantem in Pontificia Cappella ante noctis dimidium a naturali jejunio eximit. Si enim humani corporis imbecillitatem, quæ in dies gravior fit, expendamus; quodque caput est, si ad celebrantis ætatem, quæ ut plurimum senilis est, oculos convertamus: facile apparebit, vix, ac ne vix quidem sperandum esse, ut possit tamdiu jejunium tolerare. Pontifex Julius III. die 15. Martii 1554. per litteras in forma Brevis concessit Imperatori Carolo V. ut, antequam sacram Eucharistiam sumeret, paululum cibi gustaret *ad necessariam sustentationem ventriculi*: ac insuper eundem Imperatorem absolvit, quod antea, citra Romani Pontificis dispensationem, *de Medicorum consilio*, ad sacram Eucaristiam accesserit non jejunus. Pius item IV. a Portugalliæ Rege certior factus, quod nonnulli Sacerdotes, qui Indicas regiones, ejus dominio subjectas, inhabitabant, *aut propriæ infirmitatis, aut aeris intemperiei occasione quibusdam remediis comestibilibus, aut potabilibus nocte uti consueverant*; per alias litteras datas die 10. Februarii 1563. benigne indulsit, ut, *si ipsos illis post mediam noctem uti contigerit, Missam die sequenti celebrare valeant, si urgentissima fuerit celebrandi necessitas, & paululum inde dormierint*. Præterea, inter Innocentii XIII. litteras in forma Brevis, una occurrit sub die 5. Octobris 1722. in qua regnanti Ludovico Galliæ Regi conceditur, ut die coronationis suæ *modicum jentaculum* sumere valeat ante Communionem, habita nimirum ratione diuturnioris temporis, quod in eo solemni ritu peragendo impenditur, ac imbecillis valetudinis ipsius Regis, qui ætate adhuc recens, corporis habitudinem nondum satis firmaverat, ut in memoratis litteris expressum legimus. Pari privilegio idem Pontifex donavit Imperatricem Elisabetham, datis litteris die 20. Augusti 1723. ut scilicet modica refectione uti posset, quamvis communicatura, quo die illius coronatio in Bohemiæ Reginam, solemni pompa, ac in multas horas protrahenda, fieri debebat.

XX. Ex hactenus dictis colligitur, privilegium celebrandi Missam in Pontificia Cappella ante noctis dimidium, non quidem per necessariam connexionem secum ferre aliud privilegium exemptionis a lege jejunii; immo vero posterius hocce privilegium esse repetendum a tacita Pontificis dispensatione, quam satis probant eæ rerum, ac temporis circumstantiæ, simul sumptæ, quas supra memoravimus. Hinc sequitur, sublatis hisce circumstantiis, jam nullum tacitæ dispensationi esse locum; ideoque ad jejunium naturale servandum teneri, qui alibi Sacrum offerat, etiamsi, ex Apostolico Indulto, mediæ noctis articulum in Missæ oblatione præveniat. Consulendi in rem hanc Andreas Piscara Cataldo *in Praxi Cærem. lib. 3. sect. 2. cap. 1. num. 4. pag. 391. & cap. 3. n. 1. pag. 393.* necnon celebris Gavantus *part. 4. titul. 3. numer. 5.* ubi ita loquitur: *Celebraturus ante mediam noctem ex privilegio, vel legitima consuetudine, vere non dispensatur in jejunio necessario ad Missam. Ideo a pridiana media nocte jejunet, neque in Missa vigiliæ sumat purificationem.* Consonat diligens Scriptor P. Merati *tom. 1. part. 2. Romanæ editionis pag. 853. num. 12.*

XXI. Itaque, ut rem hanc expediamus, Episcoporum partes erunt, duo hæc in Synodis opportune secernere: ut scilicet primo edicant, nulli fas esse, citra Apostolicam dispensationem, in nocte Nativitatis Christi Missam celebrare ante noctis dimidium: & id quidem fieri prohibeant, indicta in contumaces pœna suspensionis, quam etiam probant, ac laudant-

UAB Biblioteca de Ciències Socials



Polacus *in ſuis Aphoriſmis ſacrar. Cæremoniar. Aphoriſm.* 1. *num.* 4. Pax Jordan. *Elucubrat. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *de Sacrificio Miſſæ num.* 93. ſecundo aperte declarent, eos, qui ex Apoſtolico privilegio Sacrum obeunt ante noctis dimidium, adhuc teneri *lege* jejunii, idque a præcedentis noctis dimidio ſervandum eſſe. In ordine quodam pro Divini Officii celebratione, Romæ edito anno 1645. cujus etiam meminit Diana *in edit. coord. tom.* 3. *tract.* 1. *reſolut.* 55. *num.* 3. hæc legimus: *Miſſa hujus ſacratiſſimæ noctis debet celebrari poſt mediam noctem; aliter Sacerdos non celebraret jejunus. Celebraturus ante mediam noctem ex privilegio, vel legitima conſuetudine, non diſpenſatur in jejunio neceſſario ad Miſſam; id eſt a pridiana nocte jejunet, neque in Miſſa vigiliæ ſumat purificationem.* Eadem occurrunt in ordinario Patriarchali, quod anno quolibet Venetiis evulgatur, ubi ad diem 24. Decembris hæc legitur adnotatio: *Celebrantes ante mediam noctem ſint jejuni a media nocte antecedenti, adeoque non ſumant purificationem in Miſſa hodierna.*

XXII. In Regnis, atque ditionibus Hiſpaniarum, & Portugalliæ Regibus ſubjectis, adeſt privilegium celebrandi tres Miſſas in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum: quod olim pro aliquibus ex dictis Regnis, & pro quibuſdam perſonis ibidem degentibus invectum, a nobis ampliatum, & declaratum eſt ſub ea forma, quæ legi poteſt in decreto noſtro, Apoſtolicis litteris firmato, quod extat *Bullarii noſtri tom.* 2. *num.* 61. *Sane pro recto hujus privilegii uſu plura obſervanda, pluraque opportune præſcribenda providimus; eaque omnia eodem decreto complexi ſumus.* Proindeque Epiſcopi locales earum regionum, in quibus locum habet hujuſmodi indultum, ſi quid ſtatuendum habeant circa triplicem illam Miſſarum celebrationem, ut errandi pericula evitent, eidem decreto noſtro in omnibus & per omnia ſe conformare curabunt.

## CAPUT NONUM.

*De Communione ſub utraque ſpecie quoad Laicos, Clericos, & Sacerdotes non celebrantes: de qua etſi quibuſdam in Synodis actum fuerit, in aliis tamen non expediret ſermonem inſtituere.*

DE Communione ſub utraque panis, & vini ſpecie late egimus *in noſtro Tractatu de Sacrificio Miſſæ, editionis Latinæ* §. 356. *& pluribus ſequentibus*: ubi oſtendimus primo, Fidei dogma eſſe, totum ac integrum Chriſtum ſub unaquaque ſpecie contineri: ſecundo, eos, qui ſub una tantum ſpecie Chriſtum ſumunt, nulla fraudari gratia, quæ propria ſit Sacramenti, & ad æternam ſalutem neceſſaria: tertio, nullo Dei præcepto iis, qui Miſſam non celebrant, Communionis ſub utraque ſpecie neceſſitatem imponi: quarto, ad Eccleſiaſticam diſciplinam unice pertinuiſſe, quod Calicis uſus aliquando permiſſus, & Communio ſub utraque ſpecie Laicis, Clericis, & Sacerdotibus non celebrantibus conceſſa fuerit; prævia tamen proteſtatione, per quam agnoſcere ſe profiteantur, totum ac integrum Chriſtum Dominum ſub utraque ſpecie contineri, ſeque ea omnia, quæ ſupra expoſuimus, tamquam Fidei dogma ab Eccleſia definitum, tenere, & credere.

II. In eodem Tractatu noſtro *de Sacrificio Miſſæ* narravimus, Archiepiſcopum Pragenſem, ut Huſſitas a ſeditionibus ac cædibus, quas propter ſibi denegatum a Conſtantienſi Concilio Calicis uſum paſſim inſtaurabant, tandem avocaret, in Synodo habita anno 1436. Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie illis conceſſiſſe; mox tamen Martini Papæ V. decreto hocce privilegium fuiſſe revocatum. Præterea memoravimus, Concilium Baſileenſe, Bohemiæ, ac Moraviæ populis uſum Calicis tribuiſſe, modo in ceteris omnibus cum Eccleſia Romana convenirent, ac crederent, non minus ſub panis, quam ſub vini ſpecie, totum ac integrum Chriſtum Jeſum exiſtere; ſed hanc itidem conceſſionem, ob varios, qui invaluerant, abuſus, fuiſſe ſublatam. Inſuper addidimus, Romanos Pontifices Paulum III. ac Julium III. Apoſtolicis Nunciis auctoritatem delegaſſe, ut Calicis uſum Laicis permitterent; eos autem ſatius duxiſſe ab hujuſmodi privilegii largitione abſtinere. Tandem adnotavimus, Concilium Tridentinum hanc ipſam de uſu Calicis diſcuſſionem, Romani Pontificis arbitrio expediendam reliquiſſe: ac Pium IV. ut refractarios, ac rebelles ad veritatis ſemitam revocaret, per litteras in forma Brevis ad Archiepiſcopum Pragenſem datas indulſiſſe, ut nonnulli Sacerdotes Catholici deſtinarentur, qui, præhabitis neceſſariis de Fide proteſtationibus, poſſent Euchariſtiam ſub utraque ſpecie Laicis miniſtrare: verum, cum ſpes a Pio IV. concepta, irrita cecidiſſet, immo ex hac benigna Calicis conceſſione non levia prodiiſſent mala, oportuiſſe, ut ſucceſſores Pontifices S. Pius V. & Gregorius XIII. beneficium illud, quod in perniciem vertebatur, e medio tollerent.

III. Nihil igitur hac in parte addendum ſupereſt, niſi hoc unum, nimirum temporibus Sixti V. & Pauli V. iterum de Calicis conceſſione actum fuiſſe, inſtantibus Apoſtolicæ Sedis Nunciis, qui eam indulgentiam, ſi tunc temporis in uſum revocaretur, in magnum Catholicæ Religionis incrementum ceſſuram pollicebantur. Placuit tamen poſtulata rejicere, ut patet ex monumentis, quæ in Archivo ſacræ univerſalis Inquiſitionis ſervantur.

IV. In Synodo Diœceſana ab Wratislaviæ Epiſcopo *habita, atque in capite ſexto de Euchariſtia*, quod Apoſtolicæ Sedis Nuncio, juſſu Pauli V. fuit tranſmiſſum, poſt rejectas preces a Nunciis, ut modo narravimus, porrectas, hæc, quæ ſequuntur, circa Calicis uſum ſtatuta fuere. Ipſo capitis initio declarat Synodus, præcepto Euchariſticæ Communionis ſolo Paſchatis tempore Fideles obſtringi: addit tamen monendos eos, ac hortandos, ut etiam ſolemnioribus feſtis Nativitatis Chriſti, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis ad ſacram Synaxim accedant. Mox docet, jam tum ab Eccleſiæ primordiis Euchariſticam Communionem aut ſub una panis, aut ſub utraque panis & vini ſpecie miniſtrari conſueviſſe; Eccleſiam tamen ſucceſſu temporis, juſtis, validiſque rationibus ita ſuadentibus, hanc, quoad Laicos, probaſſe conſuetudinem, ut nonniſi ſub una panis ſpecie ſacra Euchariſtia reficerentur. *Licet vero* (verba ſunt Synodi *citato capite*) *ab initio Chriſtianæ Religionis aliquando unius, aliquando utriuſque ſpeciei uſus fuerit; progreſſu tamen temporis Eccleſia, gravibus, & juſtis cauſis adducta, conſuetudinem ſub altera tantum ſpecie communicandi approbavit.* Admittit etiam conceſſionem a Pio IV. Regno Bohemiæ factam; nec inficiatur, Diœceſim Wratislavienſem ſub Bohemiæ Regni ditione contineri: fatetur tamen, ſe nolle a communi Eccleſiæ diſciplina recedere: *Ex conceſſione autem Apoſtolicæ Sedis ſub Pio IV. Pontifice felicis recordationis Regno Bohemiæ facta, cui Provincia hæc & Diœceſis Wratislavienſis incorporata eſt, Laicis Calicis uſus liber permittitur. Nihilominus Eccleſiæ univerſalis approbatam conſuetudinem, quantum Domino ſuffragante poterimus, rurſum introducere cupimus.* Poſtremo methodum ſuppeditat, quam hac in re ſequantur magiſtri erga diſcipulos, Sacerdotes erga parentes, quorum intereſt filios erudire, Confeſſarii erga pœnitentes; ut omnes ſtudio pacis & charitatis incenſi, communem Eccleſiæ conſuetudinem ultro amplectantur: *Quod obtinebunt facilius, ubi illos accurate*

*erudie-*

*erudierint, tantum ſub una ſpecie, quantum ſub utraque ſpecie contineri.*

V. Pietatis, prudentiæ, ac paſtoralis ſolicitudinis legibus conſentanea profecto eſt memorata Synodalis Conſtitutio, ſi temporum circumſtantias, quibus edita fuit, inſpiciamus. At vero pari digna laude fortaſſe non eſſet, aut ſaltem inutilis videri poſſet Epiſcoporum cura, ſi quæ olim in Wratislaviæ Synodo ſancita fuere, ad eas Diœceſes, & loca trahere vellent, in quibus, citra ullam controverſiam, laudabilis ac inviolatus vigeret uſus diſpenſandi Laicis Euchariſtiam ſub unica panis ſpecie.

VI. Quoad hoſce Epiſcopos, in quorum diœceſi pacifica viget conſuetudo Communionis laicis miniſtrandæ ſub ſola panis ſpecie, hoc unum notatu dignum ſupereſt explicandum. Accidit non ſemel, ut Lutheranus aliquis, qui pravo imbutus errore, Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumere conſuevit, Catholicam Religionem amplectatur. In hoc rerum ſtatu ſolent aliquando Epiſcopi, pietate moti, ab Apoſtolica Sede ſupplices poſtulare, ut is, qui, hæreſi ejurata, Catholicæ Fidei nomen dedit, valeat in poſterum Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie recipere, veteri conſuetudine, cui pridem aſſueverat, non immutata; præmiſſa tamen proteſtatione, per quam ſe credere fateatur, totum integrumque Chriſtum tam ſub panis, quam ſub vini ſpecie contineri, ac ſpondeat, ſe nonniſi in privata domus Cappella ſacram Euchariſtiam ſub gemina ſpecie ſumpturum. In toties memorato Tractatu noſtro *de Sacrificio Miſſæ* multa numerantur exempla Romanorum Pontificum, qui privilegium pro Communione ſub utraque ſpecie, Catholicis Principibus aliquando miniſtranda, conceſſerunt. Hæc tamen exempla ad hanc, quam tractamus, cauſam transferri non poſſunt: tum quia Perſonarum conditio, quæ ad privilegia impetranda plurimum aliquando valet, diverſa eſt; tum etiam quia ſuſpicari non licet, eum, qui in Catholica Fide educatus, ab ea nunquam receſſit, affirmare, aut docere poſſe, Communionem ſub utraque ſpecie Divino præcepto cunctis Fidelibus fuiſſe propoſitam. Contra vero timendum, ne is, qui longo tempore hæreſim profeſſus eſt, in veteri errore adhuc permaneat, quantumvis eum ſolemni proteſtatione ejuraverit, atque in hoc ipſo articulo nominatim id omne, quod Romana credit Eccleſia, ſe creditum ſpoponderit; cum præſertim de ſinceritate proteſtationis antea emiſſæ ex hoc ipſo dubitandum videatur, quod nihilominus ſacram Euchariſtiam ſub utraque ſpecie accipere, poſt factam hæreſis abjurationem, in votis habeat: qui enim ita ſe gerit, videtur adhuc in eadem verſari opinione, quam ante abdicatam hæreſim fovebat. Hæc autem, aut his ſimilia rationum momenta, in cauſa fuiſſe putamus, cur Prædeceſſor noſter Urbanus VIII. anno 1627. privilegium a Barone quopiam Bohemo petitum, ut in privato domus ſuæ Oratorio Euchariſtiam ſub utraque ſpecie acciperet, conſtanter denegaverit. Neque vero nos ipſi faciliores hac in re fuimus erga nobilem mulierem, pridem Lutheranam, poſtea Catholicam; quam tamen moneri curavimus, ut quoniam ſingulari Dei beneficio ad Catholicam Fidem acceſſerat, æquo animo ſe ſubmitteret legibus Romanæ Eccleſiæ, quæ mater omnium clementiſſima, ac de filiorum ſalute impenſius ſolicita, quid proſit illis, quid noceat, optime intelligit. Hujuſmodi ſenſus eruimus ex oratione, quam ſuper uſu Calicis habuit in Concilio Tridentino Villalpandeus Segobienſis Theologus, quamque Harduinus retulit in ſua Conciliorum Collectione *tom.* 10. *col.* 312. *Tanti enim apud nos, modo pie Chriſtianeque ſimus inſtituti, Eccleſiæ auctoritas, & charitatis opinio valere debet, qua nos illa ſemper tanquam piiſſima mater liberos tenerrime proſecuta eſt, noſtraque commoda procurat, ut, poſthabito, atque abjecto procul quocumque affectu, quem fortaſſe nos erga Calicem hunc temere admodum induimus, gerimuſque, illi uni nos, atque omnia noſtra ſubmittere, illud velle unum, quod illa vult, illud optimum putare, quod optimum illa ducit, ſuſpectamque habere ſententiam noſtram, quæ non ex obedientia Eccleſiæ orta ſit, & ortam jam, continuo deſerere debeamus.* Sylvius *in* 3. *part. D. Thomæ quæſt.* 80. *art.* 2. *quæſit.* 4. propoſito dubio, *Utrum Calix ſit ex diſpenſatione concedendus hæreticis*, qui ſanctæ Romanæ Eccleſiæ imperio ac legibus ſe obtemperaturos promittunt, reſpondet, poſſe quidem hoc privilegium concedi; addit tamen: *Vix eſt, ut ejuſmodi diſpenſatio expediat reſpectu hæreticorum noſtri temporis.* Haud equidem ignoramus, celebrem hunc Scriptorem ita ſentire de iis, qui, hæreſi nondum ejurata, Calicis uſum poſtulant, quo fruantur poſt hæreſim abjuratam. Si tamen rationes, quibus ille utitur, expendantur, unuſquiſque facili negotio dignoſcere poterit, eas ſibi locum vindicare etiam quoad eos, qui pro uſu Calicis orant poſt hæreſim ejuratam: inquit enim Sylvius, quod inſtantes pro uſu Calicis ante hæreſim abjuratam, ut plurimum ita ſe gerunt, pravo errore ducti, quod putant, Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ex vi Divini præcepti eſſe ſumendam. Jam vero hujus erroris ſuſpicione non carent, qui hoc ipſum poſtulant poſt hæreſim ejuratam. Addit, quod, privilegio ſemel conceſſo, in præconcepta opinione magis adhuc obfirmarentur hæretici, quibus latior aperiretur campus, ut Catholicis audaciores inſultarent, & contra infirmiores ac puſillos acceptam diſpenſationem oſtentarent, perinde ac ſi Romana Eccleſia eorum dogmata tandem probaret. Ac denique ſubdit, Sedis Apoſtolicæ indulgentiam ceteris exemplo futuram, ut privilegium peterent, quod aliis conceſſum ſcirent: ex quo communis ac pernicioſa paulatim inoleſceret conſuetudo. Tanti Scriptoris animadverſiones & valido non deſtituuntur fundamento: & ſi quis eas accurate perpendat, eaſdem videbit utrique caſui maxime aptabiles, hoc eſt tam illi, in quo hæretici ante hæreſim abjuratam Calicem petunt, ut eo poſt ejurationem utantur, quam alteri, in quo converſi ad Fidem Catholicam, Calicis uſum, poſt hæreſim ejuratam, efflagitant.

## CAPUT DECIMUM.

*De vernacula divinarum ſcripturarum lectione alicubi prohibenda Synodali decreto, ſi abuſus irrepſerit: ſi tamen nullus abuſui locus ſit, hac in re ſilere præſtabit.*

SPiritus Roterus, inter Dominicanæ familiæ alumnos accuratus Scriptor, & contra hæreticam pravitatem Inquiſitor; cujus multa cum laude meminit P. Echardus *tom.* 2. *Scriptorum Ordinis Prædicatorum pag.* 188. celebrem edidit Diſſertationem, de non vertenda Scriptura Sacra in vulgarem linguam, quam anno 1548. Henrico II. Francorum Regi nuncupavit. Hæc lucubratio communi plauſu in Galliis recepta, anno 1661. publica Cleri Gallicani auctoritate iterum prælo ſubjecta fuit. Tres item egregii S. R. E. Cardinales hoc idem argumentum pertractarunt, eorum ſententiam refellentes, qui aut plane neceſſariam, aut ſaltem opportunam, ac valde utilem, jactabant verſionem ſacrarum Scripturarum in vulgarem linguam, ut nimirum cuique promiſcua eſſet earum lectio. Hos inter primus occurrit Cardinalis Stanislaus Hoſius, qui in Tridentino Concilio Legati munere præclare functus eſt, *lib.* 3. *de auctoritate Scripturæ ſacræ pag.* 247. alter vero Cardinalis Jacobus de Perron *lib.* 6. *cap.* 6. *Reſpon. ad Angliæ Regem*, tertius Venerabilis Cardinalis Bellarminus *tom.* 1. *Controverſiar. Fidei lib.* 2. *de verbo Dei cap.* 15. Si quis autem noſſe cupiat Scriptores alios, & qui-

& quidem bene multos, qui varios Tractatus, ac Diſſertationes erudito calamo elucubrarunt, ut oſtendant, lectionem ſacrorum Bibliorum, vulgari lingua redditorum, non eſſe cuique permittendam, conſulat volumen juſſu Cleri Gallicani Pariſiis editum anno 1661. ita inſcriptum: *Collectio quorundam gravium Auctorum, qui ex profeſſo, vel occaſione, ſacræ Scripturæ, aut Divinorum Officiorum in vulgarem linguam translationes damnarunt*. Quibus addere poſſumus, præter Juſtum Fontaninum in Opere *de Italica eloquentia verb. Romanzo, ſive Romanzio*, etiam Paſſavantium *in Speculo veræ Pœnitentiæ*, ubi ſolidis probat rationibus, quam ardua res ſit ſacrarum Scripturarum nuda & accurata in vulgarem linguam converſio. Non enim ſufficit, ad opus rite perficiendum, ſola linguarum peritia; ſed alia inſuper ſcitu neceſſaria ſunt, quæ ab interpretibus ut plurimum ignorantur. Nolumus hic ſilentio præterire Fridericum Furium Coriolanum, virum eruditione clarum, & Carolo V. Imperatori, ac Philippo II. ejus Filio ſatis acceptum. Hic Auctor ſcripſit ac evulgavit Opus *de Conſilio, & Conſiliario*, communi ſuffragio comprobatum commendatumque. Mox tamen ſobrietatis limites prætergreſſus, poſtquam Diſſertationem adornavit anno 1556. Baſileæ impreſſam, cui titulus: *Bononia, ſive de libris ſacris in vernaculam linguam convertendis*: cunctorum indignationem ac cenſuram promeritus, in quamplura ſe ſe conjecit diſcrimina, teſte P. Michaele a S. Joſeph, nunc Epiſcopo Guadicenſi, *tom.* 2. *Bibliographiæ Criticæ pag.* 413.

II. Propoſitum nobis non eſt, hanc controverſiam univerſim expendere, ac funditus exhaurire: ab iis tamen abſtinere nolumus, quæ ſemel cognita, plurimum prodeſſe poterunt. Itaque prænotare juvat primo, ſummum Pontificem Innocentium III. opportuna adhibuiſſe remedia, ut modum imponeret divinarum Scripturarum verſioni, cum earum in linguam Gallicam translatio Metis vulgata non leves in Diœceſi illa tumultus excitaſſet; quippe vernacula lectio in omnium etiam mulierularum manibus & ore verſabatur. Conſulenda in rem hanc memorati Pontificis *epiſtola* 141. *lib.* 2. *pag.* 432. & 434. juxta Baluzii Collectionem. Conſulendus item Raynaldus *ad annum Chriſti* 1199. *n.* 27. Secundo, Clementem XI. Prædeceſſorem noſtrum, per celebrem Conſtitutionem *Unigenitus*, nonnullas propoſitiones, hoc eſt 79. cum aliis pluribus, quæ ſequuntur, ideo proſcripſiſſe, quod communem omnibus inducerent neceſſitatem legendi ſacram Scripturam: quo ſemel poſito, etiam ipſa Scripturarum in linguam cuique obviam translatio ſtatuenda omnino eſſet. Errorem hunc Pontificia auctoritate confixum, alii etiam Catholici Scriptores impugnarunt: quos inter numerandi P. Jacobus Fontana Societatis Jeſu, *tom.* 3. *Operis*, quod Romæ prodiit anno 1721. contra Queſnellii propoſitiones, P. Fulgentius Belleli ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini, *tom.* 2. *Operis*, quod contra eaſdem Queſnellii propoſitiones ſcripſit, ac Romanis typis edidit anno 1737. P. Viva item Societatis Jeſu, in ſuis lucubrationibus, quas adverſus hunc ipſum errorem perfecit, ac evulgavit.

III. Nec defuere complures Epiſcopi, qui de ovium cuſtodia ſoliciti, promiſcuam ſacrorum Bibliorum vulgari lingua lectionem per Synodales Conſtitutiones e medio ſublatam voluere. In Concilio Toloſano, habito anno 1229. atque ab Harduino in Conciliorum Collectione relato *tom.* 7. *col.* 178. cavetur *cap.* 14. ne laici libros retineant veteris, aut novi Teſtamenti, exceptis Pſalterio, & Breviario: mox vero additur: *Sed, ne præmiſſos libros habeant in vulgari translatos arctiſſime inhibemus*. Pari œconomia Concilium Provinciale Oxonienſe anni 1408. *cit. tom.* 7. Collectionis Harduini *col.* 1491. ita ſtatuit *cap.* 7. *Periculoſa res eſt, teſtante Beato Hieronymo, textum ſacræ Scripturæ de uno in aliud idioma transferre, eo quod in ipſis translationibus non de facili idem in omnibus ſenſus retinetur*. Dein prohibet, ne quiſpiam ullum Divinarum Scripturarum librum in Anglicum ſermonem transferre præſumat; verſionem a Vicleſo inſtitutam damnat; ac tandem decernit, nullas translationes recipi, niſi primum Concilii Provincialis decreto probentur. In noviſſimorum Conciliorum, quæ in Galliis celebrata ſunt, Collectione, a Ludovico Odeſpun concinnata, occurrit Concilium Provinciale Bituricenſe, habitum anno 1584. in quo *ſub tit.* 4. *de abuſu Scripturarum tollendo* hæc decernuntur *can.* 2. *Omnia Biblia ſacra, & quivis alii libri de Fide & Religione, vernacula lingua ſcripti reſpuantur, niſi quos Eccleſiæ Catholicæ, & Ordinarii auctoritas probaverit*. Eadem ſtatuuntur in Concilio Hieroſolymitano, an. 1672. a Patriarcha Doſitheo adverſus Calviniſtas coacto, cujus Concilii Acta proſtant in memorata Harduini Collectione *tom.* 11. *col.* 255. & 258. Adſtipulantur alia item Concilia in Belgii provinciis habita, nimirum Cameracenſe, ac Mechlinienſe; necnon Synodi Diœceſanæ Brugenſis, Yprenſis, Gandavenſis, Namurcenſis, ac Leodienſis, quarum ſanctiones promiſcuam Divinorum librorum lectionem vulgari idiomate expreſſam proſcribunt, ut teſtatur P. Fontana *cit. tom.* 3. *pag.* 593. *ſub n.* 4.

IV. Hæc tamen Conciliorum, & Synodorum decreta utilitati ac neceſſitati conſentanea fuiſſe arbitramur, quod in provinciis, ac diœceſibus, in quibus promulgata fuerunt, jam inoleverit abuſus promiſcuæ lectionis ſacrorum librorum, in maternam linguam pro cujuſque lectoris intelligentia captuque translatorum. At vero iis in locis, in quibus ejuſmodi abuſus nondum invectus eſt, minus provido conſilio fortaſſe uterentur Epiſcopi, qui vetitam lectionem inſectarentur, ac propoſitis pœnis interdicerent. Ea quippe hominum conditio eſt, ut nitantur in vetitum, ac ſtatuto ſemel interdicto, pernicioſa quadam cupidine illecti, quod prohibitum audiunt, curioſius inquirant; atque hac una de cauſa vetantem legem infringant, ut, quod legis juſſu inconceſſum norunt, introſpiciant. S. Carolus Borromæus, prudentia, ac vigili cura vere magnus, in primo Mediolanenſi Concilio, cui præfuit anno 1565. hanc legem ſervandam decrevit: *Ut Epiſcopi regulas Indicis de libris vetitis, ab iis, qui illi negotio a ſacroſancta Tridentina Synodo præfecti fuerunt, ex auctoritate Sanctiſſimi Domini noſtri Pii IV. editas, ab omnibus librorum impreſſoribus, ac bibliopolis, ceteriſque omnibus laicis, & Eccleſiaſticis perſonis ſervari jubeant*. Quarta autem Indicis regula, juſſu Trid. Concilii ſtatuta, & Pii IV. Pontificis auctoritate firmata, hæc circa vernaculam ſacrorum librorum lectionem ſervanda præcipit: *Cum experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis, oriri; hac in parte judicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio Parochi, vel Confeſſarii, Bibliorum a Catholicis Auctoribus verſorum lectionem vulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerint ex hujuſmodi lectione non damnum, ſed fidei & pietatis augumentum capere poſſe; quam facultatem in ſcriptis habeant. Qui autem abſque tali facultate ea legere, ſeu habere præſumpſerit, niſi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſſit*.

V. Quia vero inſequentibus annis experientia docuit, Epiſcopos, & Inquiſitores, quorum judicio vernacula ſacrorum librorum lectio concedi poterat, vel denegari, indulgentiores hac in re ſe præbuiſſe; immo vero, ipſos etiam Regularium Præſides eandem, quæ Epiſcopis, & Inquiſitoribus conceſſa fuerat, auctoritatem ſibi arrogaſſe: hinc quartæ Indicis regulæ hæc, quæ ſequuntur, juſſu Clementis VIII. fuere ſuperaddita:

*Ani-*

*Animadvertendum eſt circa ſupradictam quartam regulam Indicis ſel. record. Pii Papæ IV. nullam per hanc impreſſionem & editionem de novo tribui facultatem Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, aut Regularium Superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato, & uſu ſanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis ſublata eis fuerit facultas concedendi hujuſmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias ſacræ Scripturæ tam novi, quam veteris Teſtamenti partes, quavis vulgari lingua edita, ac inſuper ſummaria, & compendia etiam hiſtorica eorundem Bibliorum, ſeu librorum ſacræ Scripturæ quocumque vulgari idiomate conſcripta; quod quidem inviolate ſervandum eſt.*

VI. Itaque, ut rem conficiamus, ubi nullus quoad vernaculam ſacrarum Scripturarum lectionem abuſus irrepſit, aut ſileant Epiſcopi, aut ſolum quartæ Indicis regulæ urgeant complementum. Ubi vero abuſus ſemel innotuit, etiam Synodali decreto radicitus evellatur. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *de Sacrificio cap.* 8. declarat, non expedire, ut vulgari idiomate Miſſæ Sacrificium offeratur. Ubi vero, nullo contradicente, lex iſta ſervatur, ſuperfluum plane eſt, hac de re in Synodis ſermonem inſtituere. At contra, ſi forte paulatim inferenda timeatur prava conſuetudo celebrandi Miſſam novo quopiam idiomate, quod Eccleſia nondum probaverit; Epiſcoporum intererit non ſolum Synodali decreto contra abuſum illum totis obniti viribus, ſed etiam ab Apoſtolica Sede conſilium, ac præſidium quærere, ut ingruenti malo validiores occurrant. In Eccleſiaſtica hiſtoria notum ſatis eſt duorum Monachorum Cyrilli & Methodii, quorum uterque ſanctitatis fama decoratur, exemplum. Cum enim, poſt evulgatum in Moraviæ regionibus Evangelium, poteſtatem Sacerdotibus tradidiſſent, ut Miſſæ Sacrificium Sclavonico ſermone perficerent, judicium ſubiere Joannis VIII. ſummi Pontificis, qui ab iis geſta, Apoſtolica auctoritate firmavit. Univerſam rei ſeriem *in Tractatu de Sacrificio Miſſæ ſect.* 1. §. 79. *& ſeq.* fuſiori ſtylo explicavimus. Hunc igitur locum, ne futili labore eadem repetamus, lectores conſulant.

## CAPUT UNDECIMUM.

*Recens ſubortus in diœceſi abuſus, modo revera talis ſit, & remediis canonicis ſubmoveri valeat, neceſſariam interdum reddit Conſtitutionem, quæ in alia forte Synodo redundaret: ubi de Confeſſariis, qui pœnitentes adſtringerent ad ſibi aperiendum nomen complicis in peccato; item de denunciatione Confeſſariorum ſolicantium ad turpia, & de ſolicitantibus ad alia illicita.*

NE *improba uſurpatione diſſimulatio in deterius convaleſcat, & fiat de conſuetudine regula, quæ non veniat ab ipſa, quæ litteris mandata eſt diſciplina* (uti ad Epiſcopos, in Toletana Synodo conſtitutos, apoſite ſcripſit Innocentius I. *epiſt.* 23. *num.* 2. *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 1023.,) quantocius ſane præcidendus eſt abuſus, qui ſub ſpecie ſeverioris, & ſanctioris diſciplinæ, eam labefactat, quæ ab Eccleſia eſt tradita, veramque Sacramentorum ſanctitatem contaminat. Rem enarrabimus, quæ non diu antea contigit. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *can.* 7. anathemate perſtringit aſſerentes, non eſſe in ſacramentali Confeſſione neceſſario aperiendas circumſtantias, mutantes ſpeciem peccati: an autem ſint etiam neceſſario aperiendæ, quæ inter eandem ſpeciem notabiliter aggravant peccatum, litigant quidem Theologi; ſed Catechiſmus S. Pii V. *tit. de conditionibus, & circumſtantiis ad Confeſſionem requiſitis*, S. Carolus Borromæus *in Inſtruct. Sacerdotum Actor. Eccleſ. Mediol. part.* 4. *pag.* 756. pluresque Synodi Epiſcopales, quas profert Genettus *Theolog. moral. tom.* 4. *tract.* 6. *de Sacram. Pœnit. cap.* 6. *quæſt.* 3. etiam iſtas manifeſtandi gravem obligationem in pœnitente agnoſcunt: quod etiam inter Theologos docent Suarez *de Pœnit. diſp.* 22. *ſect.* 3. Henriquez *de Pœnit. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 6. Thomas Sanchez *in Summ. lib.* 2. *cap.* 32. *n.* 39. *& lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 24. Gonet *diſp.* 10. *art.* 3. Salmant. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 8. *punct.* 2. Baron. contra Amad. *diſput.* 2. *ſect.* 3. aliique ab his citati. Cavere nihilominus debet Confeſſarius, ne occaſione, ſeu prætextu exquirendi a pœnitente peccati, quod confitetur, circumſtantias, eundem inducat ad pandendum nomen complicis, hoc eſt perſonæ, cum qua peccatum illud perpetravit: etenim, quidquid ſit, quando liceat pœnitenti ſui criminis ſocium libere & ſponte Confeſſario revelare, certum tamen eſt, raro evenire poſſe, ut liceat Confeſſario complicis nomen a pœnitente ſciſcitari, multoque minus ad illud ſibi patefaciendum eundem obligare. Et nihilominus haud ita pridem rumor ad nos pervenit, aliquot Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtros ſuffultos quorumdam Theologorum aut falſa, aut male intellecta doctrina, cœpiſſe non ſolum a pœnitentibus complicis nomen exquirere, ſed ad illud ſibi aperiendum, locumque inſuper deſignandum, ubi is habitaret, eoſdem adigere, denegata renuentibus alterutrum manifeſtare Sacramentali abſolutione. Hujus vero perniciosæ praxis hanc præferebant cauſam, videlicet, ut ipſi complicem poſtea corriperent, atque ita in ejus tantum utilitatem hujuſmodi uterentur revelatione. Verum nos gravia conſiderantes mala, quæ inde neceſſario conſequebantur; proximi enim lædebatur fama; arctum ſacramentalis Confeſſionis ſigillum periclitabatur; abſterrebantur Fideles a ſuis culpis Confeſſario integre, prout ceteroquin opus eſt, manifeſtandis; rixæ, & diſcordiæ diſſeminabantur, & tota demum perturbabatur communitas: idcirco, pro noſtro ſupremi Apoſtolatus munere, prædictum tunc primo pullulantem abuſum, priuſquam inoleſceret, præfocandum duximus noſtris Apoſtolicis litteris, incipientibus *Suprema*, quæ habentur *noſtri Bullarii tom.* 1. *n.* 134. aliiſque duabus poſterioribus Conſtitutionibus, quarum initia ſunt *Ubi primum*, necnon *Ad eradicandum*, quæ inſertæ ſunt *ejuſdem Bullarii noſtri tom.* 2. *n.* 8. *& n.* 20. ſuper quibus bo. mem. Ludovicus Antonius Muratorius peculiarem Diſſertationem conſcripſit, ac typis vulgavit.

II. Quod autem faciendum fuit a nobis, qui omnium Eccleſiarum gerimus curam, non illico fieri decuiſſet a quolibet Antiſtite, cui unius particularis Eccleſiæ commiſſum eſt regimen; is ſiquidem ſolicitus eſſe debet de ſua excolenda diœceſi, non de infectandis abuſibus, quos audit in aliena inoleſcere, niſi prudenter prævideat, eoſdem, ſi non ſtatim retundantur, ſuam pariter eſſe mox ſubituros: ubi enim abuſus non eſt, quando novæ Conſtitutionis freno vitium cohibetur, quod nunquam diœceſim invaſit, injuriam ſibi fieri credunt diœceſani, putantes nimirum, ſe quodammodo infamari, quaſi reos criminis, quod ipſi non admiſerunt. Ad Præſules vero, ſi forte eorum diœceſes exitioſus ille morbus inficeret, ſpectabat ſane opportunis ſanctionibus eum quantocius propulſare, quod ſanctiſſime factum legimus in pluribus antiquis Synodis. In Synodo enim Bajocenſi anni 1300. *cap.* 82. *tom.* 7. Collectionis Harduini *col.* 1238. habetur: *In Confeſſione ſibi caveant Sacerdotes, ne inquirant nomina perſonarum cum quibus peccaverunt confitentes, ſed circumſtantias tantum, quæ poſſunt aggravare peccatum.* In Synodo Lingonenſi anni 1404. *Caveant Sacerdotes, ne in Confeſſione inquirant ab his, quorum audiunt Confeſſiones, ut nominent eis expreſſe perſonas, cum quibus ipſi confitentes peccaverint, niſi eſſet tale peccatum, quod oporteat exprimi aliquid de perſona; puta, peccavi cum filia mea naturali, vel ſpirituali, vel nepte: & hoc caſu non debet dici nomen proprium, aut cognomen perſonæ.* In Synodo

Leo-

Leodiensi anni 1405. *Inhibemus Sacerdotibus, statuendo, & omnibus Confessoribus, ne a confitentibus nomina illorum, cum quibus peccaverunt, inquirant, vel circumstantias, per quas possint nomina eorum designari. Quod si fecerint, ab officio audiendi Confessiones noverint se ipso facto esse suspensos.* In Synodo Senonensi anni 1524. *In audiendis Confessionibus caveant Sacerdotes, ne inquirant loca mansionum, & nomina personarum, cum quibus peccaverunt confitentes.* His concinunt Synodus Carnotensis anni 1626. Synodus Parisiensis anni 1557. Statuta Synodalia Ecclesiæ Trecensis, & Sifridi Archiepiscopi Coloniensis, quæ videri possunt in Tractatu historico, & dogmatico *de secreto inviolabili Confessionis*, edito anno 1708. a Langlet du-Fresnoy *pag.* 223. *& seq.* In *aliis* autem innumeris Synodis, quamquam speciatim agatur de Sacramento Pœnitentiæ, nulla tamen occurrit peculiaris constitutio, qua expresse prohibeantur Confessarii, ne a pœnitentibus complicum nomina exquirant; quia scilicet ejusmodi detestandus abusus, non in omnes irrepserat diœceses, ac proinde non ab omnibus erat speciali constitutione repellendus.

III. Quare iterum concludendum est, quod satis abunde demonstratum arbitramur, nimirum non omnes Synodales Constitutiones omni loco, & tempori convenire; sed prudentis Præsulis esse, eas tantum in Synodo edere, quas ad obsistendum serpentibus corruptelis, atque Ecclesiasticæ disciplinæ nitorem restituendum, pro locorum, & temporum diversitate, utiles reputaverit, & necessarias. Apostolicas vero Constitutiones, quamvis non omnes Episcopus Synodo inserere debeat, præsertim eas, quæ pertinent ad vitia, quæ in suam diœcesim minime invecta noverit, nec facile in eam introducenda prospiciat; expedit tamen, ut ipse eas probe calleat, quo ipsi in promptu sit ad earum præscriptum se gerere, earumque *executionem* ab aliis exigere, quoties abusus, & crimina per eas damnata, aditum sibi in ejus diœcesim aperuerint, aut aperire moliantur. *Præter superius adductum* de Confessario *complicis* nomen a pœnitentibus indebite exquirente, aliud exemplum afferre juvat de matrimoniis Eunuchorum, & Spadonum, qui utroque teste carent. Ea postquam a Sixto V. per Constitut. 59. quæ incipit *Cum frequenter*, nulla & irrita declarata sunt, talia etiam communiter agnita fuerunt ab Auctoribus, Schmalzgrueber *ad lib.* 4. *Decretal. tit.* 15. §. 2. Anacleto *ad eundem librum, & titulum num.* 31. Clericato *de Matr. decis.* 32. *num.* 48. Rosignolio *Oper. Moral. part.* 1. *tom.* 6. *præcept.* 17. *contract.* 15. *num.* 37. aliisque recentioribus. Itaque in iis diœcesibus, in quibus de hujusmodi matrimoniis contrahendis neque cogitatur, neque cogitatum fuisse constat, improvidum esset in Synodo præfatam Sixtinam Constitutionem inserere. Ut autem Episcopus, si quæ forsan aliquando inter suos subditos hac in re attentari contigerit, de his recte decernere valeat, opportunum ipsi, vel potius necessarium erit, hujus quoque Sixtinæ Constitutionis legem non ignorare.

IV. Innuimus autem in argumento hujus capitis, non omnes semper abusus revera tales esse, ut novis condendis legibus causam præbere possint. Quod quidem ex his, quæ mox dicturi sumus, probari poterit. Pervulgatæ sunt Romanorum Pontificum Constitutiones, altera Pii IV. & altera Gregorii XV. contra Confessarios, qui sacramentalis Confessionis obtentu pœnitentes ad turpia solicitant. In harum postrema *jungitur* Confessario, qui personæ solicitatæ Confessionem audit, ut eam adigat ad denunciandum Confessarium solicitantem apud competens Tribunal, nimirum aut sanctæ Inquisitionis Officio, aut Ordinario loci. Et nos quidem has omnes Constitutiones innovavimus, & declaravimus per nostram, quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, quæque extat *tom.* 1. *Bullarii nostri num.* 20.

V. Cum itaque aliquando contingeret, & alias contigisse constaret, ut personæ solicitationem passæ, admonitæ a Confessario de obligatione ipsis imposita denunciandi solicitantem, huic antea rem communicarent, ut ipse quoque sibi consuleret, idem Tribunal adeundo, suumque reatum sponte accusando; quidam Episcopi, corrigendorum criminum zelo flagrantes, hujusmodi communicationem pro abusu valde pernicioso accipientes, cogitaverant aut peculiaribus Edictis, aut Synodalibus Constitutionibus districte inhibere, ne personæ solicitatæ solicitantibus quidquam significare auderent, quo hi ad sponte comparendum excitarentur.

VI. Favebant ipsis Edicta tum ab Hispanica Inquisitione, tum ab ea, quæ per Siciliam constituta est, emanata, quibus injungitur solicitatis, ut solicitantem denuncient, hoc addito, ut nemini id antea significent: Bannes *in* 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 8. *dub.* 2. *in septimo argumento*, Sanchez *in selectis disput.* 11. *num.* 57. Diana *edit. coord. tom.* 5. *tract.* 9. *resol.* 68. *n.* 3. Felix Potestas *tom.* 2. *part.* 2. *de denunciatione num.* 257.

VII. Cum vero hujusmodi clausula in Edictis supremæ Romanæ Inquisitionis minime appareat, non deerant tamen alia, quibus veluti fundamentis inniteretur dictorum Præsulum solicitudo, ut ea, quæ meditabantur, re ipsa decernerent atque statuerent. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. *in corpore*, expresse docet in criminibus etiam occultis fraternam correctionem judiciali denuntiationi minime præmittendam, quin immo illa confestim Judici deferenda esse, quoties ejus generis sint, ut etiam in occulto ad spiritualem tendant proximorum perniciem, quemadmodum in hæresis crimine evenire non dubitatur. Præterea Sylvius *ad cit. art.* 7. *concluf.* 3. certas quorumdam Regularium Ordinum Constitutiones, tanquam justitiæ consonas tuetur, quæ statuunt, delicta quædam, absque prævia correctione fraterna, Superiori statim denunciari debere. Quod vero plurimum refert, illud est, Alexandr. VII. Pontificem Maximum, in Congr. S. Officii coram ipso habita die 8. Julii anno 1660. illorum reprobasse opinionem, qui docebant, crimina ad S. Officii jurisdictionem spectantia, denuntianda illi non esse, nisi correctio fraterna præcesserit. Quod quidem decretum in Opere Card. Albitii *de Inconstantia in Fide cap.* 35. *n.* 44. *& seq.* editum est.

VII. Nec silentio prætereundum, quod ex prævia admonitione, quæ a solicitato ante denunciationem solicitanti fit, justitia vindicativa non leve patitur detrimentum. Etenim, si reus ad se accusandum coram Tribunali compareat, antequam solicitatus ad illum denunciandum accedat, ex consueta Tribunalis pietate, tanquam sponte comparens, salutaribus duntaxat impositis pœnis, dimittitur. Nec aliter se res habet, ubi solicitans Judicibus se sistat, semetipsum incusans, etiam postquam a persona solicitata fuerit denuntiatus; tunc enim, si ab unica tantum persona præventus fuerit, non amplius quidem uti sponte comparens, verum *ac si esset sponte comparens*, salutaribus solum multatus pœnis, dimittitur.

IX. Dubitari nequit, quin allata rationum momenta aliquam vim præseferre videantur. Verum, cum nulla lege, aut decreto prohibitum sit, quominus solicitantem solicitatus admoneat, ut, quoniam ab eo denunciandus est, interea temporis cavere sibi festinet; optimum factu visum est, Præsulibus significare, ut a quocumque Edicto, vel Synodali Constitutione super hoc promulganda sese abstinerent, remque totam intactam relinquentes, non quidem approbarent eorum agendi rationem, qui delinquentem Confessarium ante denunciationem monendum censebant, sed neque eam

im-

improbarent; cum in quibuſdam rerum circumſtantiis hujuſmodi admonitio pernicioſa eſſe, & pravos effectus producere valeat; in aliis autem proficua eſſe poſſit: ſiquidem, ut ſæpe experiendo dignoſcitur, vix unquam ſolicitatus adduci poſſet, ut ſolicitantem denunciaret, niſi liberum illi eſſet eundem antea admonere. Ex quo ſequitur, ut id, non ab Edictis, aut Conſtitutionibus, verum a ſpiritualium directorum prudentia definiri debeat.

X. Diximus autem, nullam hactenus legem, nullumque decretum adeſſe, quo interdictum ſit, ne quis Confeſſarium a ſe denunciandum antea commoneſaciat. Verum duos caſus diſtinguamus oportet. Alter ad illud pertinet, qui denunciare omnino recuſat, quia ſecretam admonitionem ſatis ſuperque eſſe cenſet; vel recuſat ad tempus, propterea quod nondum fraterne reum denunciandum admonuit: idque ab Alexand. VII. damnatur, qui non ideo quemquam ab onere denunciandi immunem fore decernit, quia fraternam correctionem non antea præmiſerit. Alter caſus eſt de eo, qui reum quidem admonet, verum non idcirco ab eodem denunciando ſe abſtinet. Hoc autem eſt, quod nulla adhuc lege, aut decreto vetatur; cum ſic & correctionis naturale præceptum, & ſimul denunciationis poſitivum, adimpleatur. Ita diſſerunt Sanchez *in ſelectis diſp.* 11. *num.* 58. Eſcobar *in tractatu de Confeſſ. ſollicit. part.* 2. *quæſt.* 4. §. 1. *n.* 56. Roccaſull. *in Praxi Theologiæ Moralis part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 96. *&* 97. Thomas del Bene *de officio Inquiſit. part.* 2. *dubit.* 218. *ſect.* 21. *n.* 20. Diana *in edit. coord. tom.* 5. *tract.* 9. *reſolut.* 68. Dandinus *in tract. de ſuſpectis de hæreſi c.* 4. *ſect.* 2. *ſubſect.* 1. *n.* 18. Pignatellus *in noviſſimis Conſultationibus tom.* 2. *conſult.* 143. *num.* 14.

XI. Quod pertinet ad Edictum aliquod, a Superioribus Regularibus promulgatum, de quibuſdam criminibus religioſæ communitati noxiis, etiam abſque prævia ſecreta correctione, patefaciendis, Suarez *tom.* 4. *de Religione tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 31. recte ſapienterque animadvertit duas eſſe quæſtiones, quæ ſuper hoc inſtitui poſſunt: alteram ſcilicet, utrum prævia admonitio in hujuſmodi caſibus neceſſaria cenſeri debeat; & ad hanc negative reſpondet: alteram vero, utrum ſæpedicta admonitio præmitti poſſit; ad hanc autem reſpondet affirmative; ubi potiſſimum non alio conſilio id agatur, quam ut reus, ſe denunciandum ſuperiori non ignorans, & ad emendationem, & ad correctionem recipiendam ſe melius comparare poſſit. Hanc ſententiam plane ſectantur Antonius a Spiritu Sancto *in ſuo Directorio Regularium tract.* 3. *diſput.* 6. *num.* 614. & Caſtropalaus *part.* 3. *tractat.* 16. *diſput.* 5. *punct.* 7. *n.* 13.

XII. Nec obſtare videtur ſupra indicatum juſtitiæ vindicativæ detrimentum. Eccleſiaſtica enim Tribunalia miſericordiam æque, ac juſtitiam fovent, atque id præcipue ſpectant, ut delinquentes ad bonam frugem convertantur.

XIII. Illud præterea, veluti ſignificando, indicavimus, nonniſi canonicis remediis procedendum esse in extirpandis abuſibus, etiam cum revera tales eſſe comprobentur. Utque a ſolicitationis materia, quæ prædictarum Conſtitutionum objectum eſt, minime recedamus, cum olim in quibuſdam regionibus, quæ turbulentis & factioſis hominibus refertæ erant, eveniſſet, ut in ipſa ſacramentali Confeſſione pœnitentes a Confeſſariis ſolicitarentur ad tumultuandum, & rebellandum adverſus legitimum dominum, qui hujuſmodi locis, urbibus, aut regnis actu imperabat; non defuerunt Eccleſiaſtici Præſules, tanta impietate commoti, qui cenſerent, & affirmarent, ac etiam propoſitis Edictis decernere vellent, pœnitentes ita ſolicitatos teneri coram legitimo Eccleſiaſtico Judice Confeſſarios ad prædicta ſolicitantes denunciare: non ſolum quia hujuſmodi Sacerdotes in Fide ſuſpecti habendi erant, propter Sacramenti abuſum; verum etiam quia fundamentum prædictarum Conſtitutionum, quæ ſtatuunt ſolicitatos in Confeſſione ad venerea, ſolicitantem denunciare debere, cum ſit irreverentia, & contemptus, quem hic erga Sacramentum oſtendit; ſimilis cauſa æque militat adverſus eos, qui in Confeſſione pœnitentes ſolicitant ad alterius generis crimina, adeoque etiam ad ſeditiones atque tumultum. *Ille quoque graviter peccat, nec levem contrahit malæ credentiæ ſuſpicionem, qui in Sacramento Confeſſionis vel ad venerem, vel ad quæque flagitia, ſeu peccata, provocat confitentem; & propterea jure etiam optimo judicio Inquiſitorum ſubjectus eſt*: verba ſunt Peniæ in Commentariis ad Directorum Eymerici *part.* 2. *comment.* 81. *ad quæſt.* 56. Cui pariter ſententiæ ſuffragantur Rodericus a Cunha *in tract. de Confeſſ. ſolicit. quæſt.* 2. *n.* 20. *& quæſt.* 8. *num.* 9. Sanchez *in ſuis ſelect. diſput.* 11. *num.* 23. Trimarca *de Confeſſar. abuſ. Sacram. Pœnit. diſput.* 14. *ſect.* 3. *num.* 15. *& ſeq.*

XIV. Sed, cum Pontificiæ Conſtitutiones, ſuperius laudatæ, de Confeſſariis duntaxat, qui ſolicitant ad inhoneſta vel turpia, loquantur; cumque hoc delictum frequentius eſſet, & ſæpius in Tribunali Pœnitentiæ committeretur, quam alias alterius generis (atque utinam adhuc identidem admitti non pergeret), ideoque Pontifices huic potiſſimum occurrere voluerint; denique cum ageretur de extenſione a caſu ad cauſam in re pœnali: hinc factum eſt, ut neque laudari, neque probari meruerit conſilium dictorum Præſulum, qui Conſtitutiones Apoſtolicas ad alia crimina, præter ea, quæ expreſſe in illis enunciantur, extendere cogitabant, atque decernere, ut, ſicuti ſolicitatus ad venerea in Confeſſione, Confeſſarium ſolicitantem denunciare tenetur, nec, niſi expleta hujuſmodi denuntiatione, aut ſaltem data fide de ea adimplenda, peccatorum ſuorum abſolutione donari poteſt; & ſicuti adverſus Confeſſarios ad præmiſſa ſolicitantes proceditur cum teſtium ſingularium depoſitionibus; ita pariter agendum eſſet in caſibus, quibus pœnitentes a Confeſſariis ſolicitarentur ad crimina diverſi generis, quæ ad carnis concupiſcentiam non referuntur. His rationum fundamentis innititur ſententia priori contraria, cui Doctores communiter ſuffragantur. Conſuli poſſunt Carena, Diana, Bonacina, Homobonus, Boſſius, Sanctarellus, & alii, quos allegat, & ſequitur bon. mem. Card. Cozza *in ſuis dubiis ſelectis* de hac ſolicitationis materia *dub.* 1.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

# DE SYNODO DIOECESANA

## LIBER SEPTIMUS.

### DE HIS, QUÆ CAVENDA SUNT IN CONSTITUTIONIBUS SYNODALIBUS.

Ne factæ ab Episcopo Synodales Constitutiones viribus careant, aut interpositæ ab illis appellationes earundem executionem retardent, plurima detegemus vitia, ob quæ sæpius illas aut resciſſas, aut saltem impugnatas vidimus, cum in minoribus constituti sacris Urbis Congregationibus studium, operamque nostram navavimus. Et quoniam hæc præcipua causa fuit, cur huic nostræ lucubrationi manus admoveremus, nimirum ut Episcopos de iis moneremus, a quibus in suis Constitutionibus cavere debeant: idcirco in hac re elucidanda diutius immorabimur.

### CAPUT PRIMUM.

*De cavendis quoad quæstiones nondum definitas: ubi de quæstione, an sit de Jure Divino residentia quoad habentes curam animarum.*

SApienter monet Fagnanus *in Cap. Sicut olim, num.* 82. *de accusat.* ne in Provincialibus Synodis facile quæstiones decidantur, inter Catholicos Doctores controversæ, & a Sede Apostolica hactenus non definitæ: *In rebus dubiis & de jure controversis, non facile definitiones fiant, præsertim ubi grave aliquod præjudicium parari potest, velut in materia Sacramentorum enodanda, aut explicandis casibus usurarum, & aliorum vitiorum, quibus timoratæ conscientiæ irretiri possunt.* Minus itaque erunt illæ definiendæ in Synodis Diœcesanis, aut quidquam in harum Constitutionibus dicendum, quo statui videatur, quid de illis sentiendum sit.

II. Cum sacræ Congregationis Concilii Secretarii munere fungebamur, quidam *Episcopus*, prudentia, ac doctrina præclarus, atque amicitiæ necessitudine nobis conjunctus, suas ad nos misit Constitutiones, quas paraverat, in sua futura Synodo mox promulgandas. In his animadvertimus, Parochis, aliisque animarum Rectoribus continuam inter suas oves residentiam præcipi, & commendari, utpote quæ iis injuncta esset jure naturali, & Divino; quod insuper dicebatur a Concilio Tridentino jam definitum. Præsulem amice admonuimus, ut suos Parochos quidem ad assiduam residentiam pro viribus excitaret, sed abstineret a jure determinando, e quo residentiæ obligatio oriatur: quale enim hoc sit, Divinum ne, an mere Ecclesiasticum, disputant Theologi, & adhuc sub Judice lis est. Nostris monitis morem gessit Episcopus, e sua Constitutione verba expungens, quæ nobis displicuerant; sed simul nobis significavit, sibi innotuisse controversiam jam pridem inter Theologos exagitatam, sed eam existimasse a Concilio Tridentino decisam *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* iis verbis: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum Cura commissa est, oves suas agnoscere; pro his sacrificium offerre; verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere .... quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt &c.*

III. Ut amico Præsuli plene satisfaceremus, hæc nos illi reposuimus. Indubitatum est, assiduæ residentiæ onus cunctis animarum Pastoribus incumbere, illudque a Conciliis, & Patribus frequenter inculcari, quod, longa contexta canonum serie, fuse ostendunt Bartholomæus Caranza *opusc. de resid. Episcop. cap.* 7. & Thomassinus *de vet. & nov. Eccles. discipl. part.* 2. *lib.* 3. *a cap.* 30. *usque ad* 36. sed non ita certum est jus, a quo illud promanet; contendentibus plerisque, residentiam a jure Divino esse Episcopis, & Parochis imperatam; aliis ex adverso ejus obligationem ad jus mere Ecclesiasticum referentibus. De hac controversia acriter disceptatum fuit in Concilio Tridentino ante *sess.* 6. sub Paulo III. sed ea vehementius recruduit sub Pio IV. in conventibus habitis ante *sess.* 19. & 23. ac tanto studio in utramque partem versata est, ut plura pro utraque sententia exarata fuerint opuscula, quæ prodierunt Venetiis anno 1562. impressa typis Jordani Zileti. Cumque dissidentes inter se Patres haudquaquam invicem conciliari potuerint, tandem deliberatum est, ut novo quidem decreto cuncti animarum Pastores ad residentiam adigerentur, ac severæ pœnæ contumacibus infligerentur; nihil tamen definiretur de jure, quo iidem continue *inter suas oves versari* tenentur: quin immo ita decretum concinnandum Patres duxere, ut nihil inde alterutri sententiæ detraheretur: quæ omnia enarrantur a Cardinali Pallavicino *in histor. Concil. Trident. lib.* 7. *cap.* 6. *lib.* 16. *cap.* 4. *lib.* 21. *cap.* 12. Hanc Tridentini mentem cum perspectam habuerit Pius IV. in Allocutione habita ad Cardinales, & Episcopos Kalendis Martii 1564. quæ extat in Actis Consistorialibus, agens de residentia a Concilio Lateranensi sub Innocentio III. atque a Tridentino animarum Pastoribus, novis sanctionibus injuncta, hæc ad rem subdidit: *Licet vero neque in illo, neque in isto Concilio clare definitum sit, an residentia de jure Divino esse censeatur, quod neque etiam nos nunc ex improviso definire audemus.*

IV. Non ignoramus, quosdam præstantissimos Doctores contendere, quæstionem, de qua est sermo, etsi clare & expresse definita non fuerit, esse nihilominus virtualiter, & implicite, ut ajunt, a Concilio Tridentino decisam, quod hac argumentatione manifeste confici arbitrantur. Quo quisque jure obligatur ad finem, ad ea pariter obligatur, quæ ad assequendum finem sunt necessaria: atqui Episcopi, ceterique animarum Rectores, juxta Tridentinum, jure Divino obligantur ad pascendum sibi commissum gregem; atque ad pascendum, uti decet, & oportet, est necessaria residentia, quemadmodum idem Tridentinum declarat: igitur jure Divino iidem ad residentiam obligantur. Sed difficultas est in altera parte secundæ propositionis, quam minorem vocant: etenim non dixit Tridentinum, non posse oves pascere, qui non resident, sed *qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt*: hæc autem verba commode referri queunt ad animum, cum vere intelligatur gregi suo invigilare, assistere, eumque non deserere, qui, etsi absens sit corpore, illius tamen regimini, & tutelæ sedulo excubat animo, juxta illud Apostoli 2.

ad

*ad Corinth.* 11. *Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* Quamobrem aliquot ex Tridentinis Patribus, qui prædictis decreti verbis obstiterant, metuentes, ne illis controversia decidi, & residentiæ præceptum juri Divino adscribi videretur, eorundem verborum sensu penitus inspecto, postea acquieverunt: quod pariter refert laudatus Pallavicinus *cit. lib.* 21. *cap.* 12. *num.* 5. Ad hæc, docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 5. *in corp.* in qualibet obligatione præcipue spectandum esse obligationis finem: cum autem finis, propter quem animarum Pastoribus residentia præcipitur, sit spirituale bonum animarum, quibus præsunt: exinde concludit Angelicus, quod, si eundem finem assequi possint in absentia, tunc licite se a suis ovibus iidem subducere queant. Et profecto, si residentiæ præcepto non satisfacit, qui ita inter suas oves versatur, ut animo ab illis absit, nullam gerens earundem curam; quia tali pacto finem contemnit, propter quem residentia ei imperatur, sicuti sapientissime perpenderunt Patres Concilii Aquilejensis anni 1596. *rubrica* 5. *Quod de Episcoporum residentia a sacro Concilio Tridentino, & summorum Pontificum Constitutionibus cautum est, hoc non est intelligendum, ut præsentia assideant, nihil præterea agant, cum ex sacris canonibus residentia sit accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa; id quod duobus præsertim Tridentinæ Synodi verbis egregie exprimitur, ut pascant, & regant &c.* Collectionis Harduini *tom.* 10. *col.* 1886. ob oppositam rationem censebitur residentiæ præceptum adimplere, qui, etsi a suis ovibus corpus subducat, animo tamen iisdem adest, & finem obtinet illas pascendi, & regendi, ad quem localis Pastoris præsentia dirigitur.

V. Hanc eandem S. Thomæ ratiocinationem prosequentes illi Tridentini Patres, qui residentiæ onus solo jure Ecclesiastico impositum affirmabant, adhuc clarius eam expoliverunt, atque exemplo illustrarunt, apud eundem Pallavicinum *lib.* 16. *cap.* 4. *num.* 15. Contingit aliquando, ajebant, adeo exiguam esse diœcesim, cui Episcopus præest, tamque angustis limitibus coarctari, ut a loco suæ diœcesi finitimo, melius ipse, & commodius suas oves pascere, & regere queat, quam possit alius residens in ampliſſimæ diœcesis centro: si itaque in residentiæ obligatione, juxta doctrinam Angelici, spectandus est obligationis finis, non potest dici quod residentiæ præcepto non obtemperet, qui in prædicto loco degit, unde pusillo suo gregi æque imminere, ac prospicere potest, ac alter, qui in ampliſſimæ suæ diœcesis præcipua urbe commoratur.

VI. Hæc nos amico Præsuli scripsimus eo duntaxat consilio, ut sibi persuasum haberet, non esse a Tridentino definitam quæstionem, de qua loquimur, sicuti ipse opinabatur; non autem, ut illum distraheremus a sententia, quæ residentiæ obligationem jure naturali, & Divino, animarum Pastoribus injunctam defendit; ultro enim fatemur, hanc sententiam communiorem esse, eique fere omnes calculum adjecisse, qui post Tridentinum scripserunt, tam Theologos, quam Canonistas, inter quos Sotus *lib.* 10. *de justitia, & jure quæst.* 3. *art.* 1. Bellarminus *epist. ad Theanensem Episcopum nepotem suum*, post editionem Colonien sem anno 1619. aliasque rursum vulgata, *post Acta Legationis Helveticæ* Cardinalis Passionei, Vasquez *opusc. de Benefic. cap.* 4. §. 2. *num.* 121. Lessius *lib.* 2. *de just. & jur. cap.* 34. *num.* 153. Azorius *Instit. moral. part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 1. Caranza *cit. tract. de resid. Episcop. cap.* 2. Navarrus *manual. cap.* 25. *num.* 121. Gonzalez *in Cap. Relatum, de Cleric. non residen. num.* 6. *& seq.* Fagnanus *in Cap. Ex parte, eod. tit. num* 21. *& seq.* Zoesius *ad eund. tit. num.* 2. Zypæus *num.* 7. Pirhing *num.* 11. aliique innumeri.

VII. Quod autem accidere posse, *numero præcedenti* indicavimus, id re ipsa contingit in sex Episcopis Cardinalibus, Ostiensi, Portuensi, Sabinensi, Albanensi, Prænestino, & Tusculano, qui, ut omnibus notum est, *in* Collegio S. R. E. Cardinalium principem locum obtinent, suppresso per Callistum II. septimo Episcopatu suburbicario, sanctarum videlicet Rufinæ & Secundæ, seu Sylvæ Candidæ olim nuncupato, cujus Cathedram & Diœcesim idem Pontifex Portuensi Ecclesiæ perpetuo univit. Sex hujusmodi Episcoporum Diœceses Urbi Romæ admodum proximæ sunt, ac pene contiguæ; sed tamen a Diœcesi Romana vere distinctæ & separatæ, ut etiam colligere licet ex nostra Constitutione 115. §. 21. *Bullarii nostri tom.* 1. Cum vero prædicti Episcopi Cardinales in ipsis Diœcesibus non resideant, sed Romæ moram ducant, summo Pontifici assistentes, & Apostolicæ Sedis servitiis addicti; licet aliquando ad visitandas easdem Diœceses se conferant, ut *alibi* videbitur, sicque a residentia in propriis Diœcesibus ex dispensatione Pontificia plerumque absint; hinc aliquis argumentum desumere posset, ut sustineret, residentiæ debitum, non a præcepto Divino, sed ab Ecclesiastica institutione provenire. Neque porro ullum nobis onus incumberet huic argumento respondendi; cum nos nec uni, nec alteri ex præmissis sententiis adhærere professi simus. Sed, quoniam diximus, communiorem post Tridentinum esse opinionem illam, quæ residentiæ præceptum a jure Divino desumit, silentio minime prætereundam censemus responsionem, quæ dari posset ab hujus sententiæ propugnatoribus: nimirum, Cardinales Episcopos suburbicarios, dum in Urbe resident, ut Romano Pontifici, & Ecclesiæ universalis negotiis operam præstent, satisfacere debito residentiæ, si non materialis, at saltem formalis; quod quidem summa facilitate adimplent ob parvam Diœcesium sibi commissarum ab Urbe distantiam: Romanum vero Pontificem, dum sciens & prudens id fieri patitur, & tacitam ipsis dispensationem a residentia materiali concedit, non eos quidem a legis Divinæ vinculo absolvere, sed interpretando definire, Divinam legem illos in casu, de quo agitur, ob adjunctas rerum circumstantias, nequaquam adstringere. Et hæc sane responsio conformis est doctrinæ S. Thomæ *in quodlibet.* 9. *art.* 15. cui post Covarruviam, Sotum, & Vasquez, plenissime adhæret Fagnanus *in Cap. Ex parte, num.* 57. *& seq. de Clericis non residen.* quamque etiam late exornat Hurtadus *in suis Resol. Moral. de Residentia tom.* 1. *resol.* 9. *num.* 29. *& seq.* Specialiter autem, pro eo quod pertinet ad prædictos sex Episcopos suburbicarios, plura habet Cardinalis Brancatius in sua dissertatione *de Optione sex Episcopatuum.*

## CAPUT SECUNDUM.

*Iterum de cavendis quoad quæstiones nondum definitas: ubi de ea, an Clerici Beneficiarii sint domini, vel administratores Fructuum suorum Beneficiorum.*

MInus nobis arrisit, quod in alia offendimus Synodo, ubi, illata mentione gravis obligationis, quam habent Clerici Beneficiarii, Beneficiorum, quæ possident, fructus, suæ honestæ, decentique sustentationi superfluos, erogandi in pauperes, aliasve pias causas, ejusmodi obligationis hæc ibidem afferebatur ratio, nimirum *quia Clerici Beneficiarii non sunt prædictorum fructuum Domini, sed meri dispensatores:* quamquam enim commendaverimus consilium Episcopi, renovandi, seu verius inculcandi observationem præcepti, quo singuli obstringuntur Beneficiarii, neutiquam tamen visa est approbanda adjecta præcepti ra-

ratio, qua videbatur assumi, quasi decisa controversia, etiamnum inter Doctores agitata, de qua statim.

II. Quidquid sit, an, juxta priorum Ecclesiæ seculorum disciplinam, Ecclesiasticis Beneficiis gaudere possent, quibus opulentum suppetebat patrimonium, quod negare videntur Hieronymus *epist. ad Nepotianum*, Julianus Pomerius *de vit. contemplat. lib. 2. cap. 9.* aliique Patres, congesti a Thomassino *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 3. lib. 3. cap. 4.* certum est, hac nostra tempestate, etiam Clericis divitiis affluentibus Ecclesiastica Beneficia conferri: neque est, qui dubitet, quin iidem verum dominium habeant reditum, quos ex proprio percipiunt patrimonio; in quorum proinde mala distributione, aut etiam pravo usu, possunt utique contra alias virtutes, perinde ac laici, non vero contra strictam justitiam peccare.

III. Certum pariter est, ante factam divisionem bonorum Ecclesiasticorum, debuisse Episcopum, ad quem pertinebat eorundem administratio, partem singulis assignatam fideliter elargiri, nec potuisse, absque violatione justitiæ commutativæ, pauperes fraudare ea quarta parte proventuum, quæ, juxta ejus ævi disciplinam, erat pauperum indigentiis sublevandis destinata, quod quidem onus, ex eadem profluens justitiæ virtute, iis in locis, in quibus nondum facta est prædicta divisio, etiamnum incumbit Episcopis, Abbatibus, aliisve Beneficiariis, quorum Ecclesiasticis reditibus sunt illi admixti, pauperibus, ac Ecclesiæ fabricæ, juxta priscam institutionem, attributi: ex quibus propterea si aliquid sibi usurpent, sunt injusti rei alienæ detentores, & tenentur ad restitutionem.

IV. Certum denique est, etiam posita Ecclesiasticorum bonorum divisione, & assignata jampridem pauperibus quarta parte fundorum ad Ecclesiam pertinentium, ex quibus, putant Doctores, erecta, & dotata fuisse hospitalia, aliaque instituta opera pia, ad eorundem pauperum commodum; adhuc nihilominus teneri Clericos Beneficiarios, reditus, quos ultra sui honestam sustentationem ab Ecclesia percipiunt, distribuere in pauperes, aliave pia opera erogare, nec posse, absque gravi peccato, in convivia, ludos, venationes, & similes profanos usus impendere, aut consanguineis elargiri, nisi tanquam pauperibus, si vere pauperes sint, & tunc, ut minus egeant, non ut ditescant.

V. Hanc obligationem omnes Ecclesiæ canones aut imponunt, aut omnibus impositam agnoscunt, qui Ecclesiæ militant stipendiis. Canon 37. *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 18. inter Apostolicos, decernit: *Omnium rerum Ecclesiasticarum Episcopus curam gerat, & eas administret, tanquam Deo intuente. Non liceat autem ex eis aliquid sibi vendicare, vel propriis cognatis, quæ Dei sunt, largiri. Sin autem sunt pauperes, ut pauperibus suppeditet: sed non eorum prætextu vendat, quæ sunt Ecclesiæ.* Huic innumeri consentiunt canones collecti a Gratiano *caus.* 12. *quæst.* 1. aliique, quos profert Theophilus Raynaudus *in Opusculo* cui titulus *Mala e bonis Ecclesiæ, lib. 2. sect. 3. cap. 3. num. 12. Oper. tom. 12.* Et, ne quis hasce Ecclesiæ sanctiones ad solum tempus referri credat, quo nondum facta erat prædiorum, aliorumque fundorum, ad Ecclesias spectantium, divisio, audiat Tridentinum *sess. 25. cap. 1. de reform.* ubi, postquam Episcopos monuit, ut modesta supellectili, mensa, ac frugali victu sint contenti, iisdem interdicit: *Ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, iis, ut pauperibus, distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa: immo, quam maxime potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque Beneficia Ecclesiastica tam Secularia, quam Regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione, observari, sed & ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit.* Scimus utique, Magistrum Lorcam hunc Tridentini locum intellexisse, non de Beneficiorum fructibus, seu eorundem portione Ecclesiæ Prælatis, aliisque Clericis attributa, sed de bonis immobilibus mensæ Episcopalis, aliorumque Beneficiorum, quorum dominium est penes Ecclesiam. At ipsamet allegata Tridentini verba turpiter deceptum Lorcam evincunt: etenim Tridentinum loquitur de illis bonis, quibus fas est Beneficiariis sublevare suorum consanguineorum, si qua vere premantur, inopiam: nemo autem dicet unquam, posse in istos conferri bona immobilia Præbendarum, quemadmodum scite ponderat Sylvius *in 2. 2. D. Thom. quæst. 185. art. 7. concluſ. 5.* Quocirca nullus omnino Doctor, præter unicum Lorcam, ausus fuit unquam eximere Beneficiarios a gravi obligatione distribuendi reditus Ecclesiasticos, suæ honestæ sustentationi superfluos, in pauperes, aliave pia, & religiosa opera: quod eruditissimus Raynaudus, quo fortasse nullus accuratius Doctorum placita hac de re perquisierat, testatum reliquit, *cit. loc.* inquiens: *Denique nemo plane Doctorum dissentit, sive inter Theologos scholasticos, sive morales, sive inter Jurisperitos, ita ut quamvis jampridem lites, & dissidia efferbuerint inter Doctores quoad dominium fructuum superfluorum, sitne penes Beneficiarios, an penes alios, tamen quoad peccatum grave in dispensatione superfluorum aliter, quam ad pios usus, nemo plane, plane inquam nemo, dissentiat.*

VI. Hæc, ut diximus, certissima sunt. Verum, quod modo a Raynaudo audivimus, acriter decertatur de titulo, seu causa, e qua prædicta gravis oriatur obligatio. Plerique, præcipue ex antiquioribus, eam oriri arbitrantur ex stricta justitia: docent siquidem, Clericos meros esse administratores, non autem dominos Ecclesiasticorum proventuum, qui honestæ ipsorum sustentationi superſunt; ac proinde eos impendentes in usus profanos, tanquam reos violatæ justitiæ, obligant ad restitutionem aut Ecclesiæ, aut pauperibus faciendam: idemque restitutionis onus imponunt lusoribus, consanguineis, ceterisque pecuniam a Clericis recipientibus, quam certo sciunt ex Ecclesiastico Beneficio illis obvenisse. Ita, præter antiquiores, sentiunt Navarrus *de Ecclesiast. redit. quæst. 1. monit. 21. num. 1.* Azor. *Instit. part. 2. lib. 7. cap. 8. §. Prima igitur, & §. Quod attinet*, Comitolus *Respon. moral. lib. 1. quæst. 70. & 71.* Moneta *de distribut. part. 3. quæst. 1. num. 14.* Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. de Sacram. Ord. lib. 2. cap. 5. regul. 9. & regul. 10.* Genettus *Theolog. moral. tom. 2. tract. 1. de Benefic. cap. 11.* Continuator Prælectionum Honorati Tournely, *tract. de Benefic. cap. 4. art. 3. concluſ. 1.* Cardinalis Capisuccus *in suis Controverſ. theolog. controv. 30. per tot.* sed speciatim §. 5. *& seq.* quorum opinioni præcipuum fundamentum præbent cum Canones asserentes, bona Ecclesiastica esse *Patrimonium Christi*, sicuti habetur *in Cap. Cum secundum, de præben. & dignit. Res Ecclesiæ, & patrimonium pauperum*, ut dicitur *in Can. final. 16. quæst. 1.* tum Ecclesiæ Patres, qui furti, & rapinæ reos faciunt Clericos expendentes reditus Ecclesiasticos in profanos usus, inter quos Hieronymus *in cap. 3. Isaiæ vers. 14. in fin.* ubi ait: *Rapina pauperum in domibus eorum est, quando replent thesauros suos, & Ecclesiæ opibus abutuntur in deli-*

*delicias, publicasque stipes, quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, vel sibi reservant, vel propinquis distribuunt, & alienam inopiam, suas, suorumque faciunt esse divitias:* Bernardus *in epist. 2. ad Fulcon. Canonic. Regul. num. 11. Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est:* aliique relati a Thomassino *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 3. lib. 3. a cap. 26. usque ad 33.*

VII. Alii exadverso, attribuentes Clericis verum dominium etiam superfluorum redituum, quos ab Ecclesia percipiunt, existimant gravem obligationem illos erogandi in pauperes, aliisve piis operibus applicandi, non oriri ex stricta justitia, sed vel ex lege charitatis, & misericordiæ, Clericos Beneficiarios præ aliis adstringente; vel cum Cardinali de Lugo *de justit. & jur. tom. 1. disp. 4. num. 16.* ex virtute religionis: vel cum Lessio *lib. 2. de just. & jur. cap. 4. num. 47.* & Haunoldo *de just. & jur. tom. 1. tract. 4. num. 82.* ex positivo præcepto Ecclesiæ: quamobrem prædictos reditus elargientes consanguineis, aliave ratione dissipantes, a gravi quidem culpa non excusant, sed a restitutionis onere absolvunt. Hanc sententiam inter ceteros, propugnant Bannes 2. 2. *quæst. 32. art. 6.* Dominicus Soto *de just. & jur. lib. 10. quæst. 4. art. 3.* Sylvius *in 2. 2. D. Thomæ quæst. 185. art. 7. concluf. 4.* Molina *tract. 2. de just. & jur. disp. 143.* Vasquez *de reditib. cap. 1. §. 1. dub. 1.* Covarr. *in Cap. Cum in officiis, de testam. num. 7.* Sarmiento *de reditib. Eccles. part. 4. cap. 6. num. 2.* Marsilius *eod. tract. part. 2. cap. 1. 15. & 35.* Gonzalez *in Cap. Si quis sane, de peculio Clericorum, a num. 6. usque ad fin.* Fagnanus *in eod. Cap. a num. 1. usque ad 6.* Barbosa *Jur. Eccles. lib. 3. cap. 17.* aliique ab his allegati, qui suam opinionem duobus potissimum sustentant argumentis. Primum desumunt ex Beneficiorum origine, quod in hunc modum exponunt. Cum Ecclesiæ proventus, inquiunt, in communi administrabantur, & quarta illorum pars, statis temporibus, in Clericos distribuebatur Ecclesiæ obsequiis addictos, nemo facile credet, alterum ex his eveniisse; nimirum vel singulos Clericos adeo exiguam redituum portionem, ubique locorum, atque e qualibet Ecclesia participasse, quæ tantum ad necessariam sustentationem iisdem sufficeret; vel, si aliquid ultra sui honestam sustentationem perciperent, istius portionis dominium non fuisse penes illos, quibus ceteroquin dabatur in pretium, & mercedem laboris. Jam vero, pergunt, cum, post factam bonorum divisionem, quartæ parti, inter Clericos olim dividendæ, subrogatæ sint Præbendæ, & subrogatum induat naturam ejus, cui subrogatur; necessario inde consequi videtur, ut una cum possessione Præbendæ, omnium ejusdem Præbendæ fructuum dominium Beneficiarii consequantur.

VIII. Alterum argumentum eidem opinioni suppeditat Tridentinum *sess. 23. cap. 1. & sess. 24. cap. 12. de reform.* quibus in locis decernit, ut Beneficiarii, qui e Beneficii loco sine legitima causa diu absunt, aut Fidei professionem intra præscriptum tempus emittere negligunt, suorum Beneficiorum fructus *non faciant suos:* hinc enim, per argumentum a contrario, infertur, quod, si in loco Beneficii resideant, & Fidei professionem debito tempore emittant, eosdem fructus *faciant suos.* Facere autem *fructus suos*, idem omnino esse, ac eorundem dominium acquirere, patet *ex Cap. unic. de Clericis non residen. in 6.* ubi Bonifacius VIII. loquens de distributionibus quotidianis, iis duntaxat erogandis, qui Divinis intersunt, ait: *Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit ..... rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas.*

IX. Neque hujus sententiæ patroni aliquid roboris ineſſe putant argumentis in contrarium allatis. Ad primum enim reponunt, bona Ecclesiastica recte dici *Patrimonium Christi*, quia scilicet Christi intuitu, ejusque amore sunt in Ecclesiam collata: nuncupantur etiam *Res Ecclesiæ*, quia Beneficialium fundorum dominium penes Ecclesiam est: ac denique appellantur *Patrimonium pauperum*; tum quia Clericis dantur, qui solis Ecclesiæ stipendiis olim victitabant, eorumque plerique etiamnum, præter id, quod ab Ecclesia percipiunt, aliud non habent, unde valeant sustentari; tum quia singuli Beneficiarii gravi obstringuntur præcepto elargiendi pauperibus quidquid ultra propriam sustentationem ex Ecclesiæ bonis acquirunt. Ad allegata autem Patrum testimonia, eos ita loquutos, respondent, oratoria quadam exaggeratione, qua etiam in divites laicos, pauperum indigentiis non subvenientes, interdum invehi consueverunt: Hieronymus enim, relatus a Gratiano *sub initium distinctionis 42.* ait. *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur:* & Ambrosius, seu quicumque sit Auctor *sermonis 81.* qui inter Ambrosii Opera circumfertur, relatus *in Can. Sicut, dist. 47.* omnes divitiis affluentes ita alloquitur: *Quis tam injustus, tam avidus, tam avarus, quam qui in multorum alimenta, suum non usum, sed abundantiam, & delicias facit? Neque enim minus est criminis habenti tollere, quam, cum possis, & abundes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; & miserorum redemptio est, & absolutio, pecunia, quam tu in terram defodis.*

X. Porro tam Auctores primæ, quam secundæ sententiæ, sibi suffragari contendunt Angelicum Doctorem. Duplici in loco S. Doctor hanc versavit quæstionem, in Quodlibetis nimirum, & in Summa. In Quodlibetis, quæ circa annum 1257. ab eo scripta, testantur Echard *de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum tom. 1. pag. 272.* & Touron *in Vita S. Thomæ pag. 153.* aperte adhæret posteriori sententiæ: etenim *Quodlibet. 6. quæst. 7. art. 12. ad 3.* hæc habet: *Aliter dicendum est de illis Ecclesiasticis bonis, quæ principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitatibus Ministrorum, sicut sunt bona hospitalium, & aliorum hujusmodi; & aliter de illis bonis, quæ sunt principaliter attributa usibus Ministrorum, sicuti sunt Præbendæ Clericorum, & alia hujusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius; & ideo tenetur ad restitutionem, tanquam defraudator rei alienæ. In secundis vero bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut & de bonis patrimonialibus dictum est: unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam peragendam.*

XI. Post exarata Quodlibeta, suadente Clemente IV. qui mense Februario 1265. fuerat Pontifex renuntiatus, operam dare cœpit Angelicus suæ conscribendæ Summæ Theologicæ, & Secundam Secundæ circa annum 1269. absolvit, uti prosequuntur Echard *cit. loc.* & Touron *pag. 203.* In hoc autem postremo Opere, nempe 2. 2. *quæst. 185. art. 7.* sententiam retractasse, quam in Quodlibetis docuerat, contendunt plerique ex iis, qui primam opinionem propugnant. Verum, ut ingenue loquamur, in hoc ipso Theologicæ Summæ loco, quem isti Doctores sibi favere ajunt, videtur Angelicus doctrinam confirmare, quam *in citato Quodlibeto 6.* tradiderat: præmissa siquidem distinctione bonorum, & differens de Ecclesiasticis proventibus, Episcopi sustentationi assignatis, inquit: *De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis.* Nihilominus tamen, quia hic S. Thomas non ita perspicue, sicuti alias solet, mentem suam explicuit, ideo Ge-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nettus, ne ſibi contrarium fateatur Angelicum, cujus doctrinæ eſt addictiſſimus, de ejuſdem, hac in re, ſententia ita *cit. loco* concludit: *Licet autem Angelicus Doctor ſingulari quadam perſpicuitate mentem ſuam ut plurimum aperire ſoleat, nullumque relinquat de veritate opinionis, & mentis ſuæ dubitandi locum; fatendum tamen, illum, in hac quæſtione reſolvenda, verbis ita in ſpeciem ambiguis uſum eſſe, ut, etiamſi inſigniores illius diſcipuli ſignificarint, docuerintque, quod, juxta ejuſdem Sancti Doctoris mentem, Beneficiati non poſſint eſſe domini redituum Beneficiorum ſuorum; attamen nonnulli reperti ſunt, qui contrario plane modo illius mentem interpretati ſunt, & fundamentum ſuæ ſententiæ hauſerunt ex Quodlibeto ſexto.*

XII. Aliud ſuæ opinioni præſidium comparare ſtuduit Natalis Alexander ab auctoritate S. Caroli Borromæi, in cujus Concilio Mediolanenſi I. definitum affirmat, Beneficiarios non eſſe dominos Eccleſiaſticorum redituum, qui ſuæ honeſtæ ſuſtentationi ſuperſunt, eoſque in profanos uſus impendentes, ad reſtitutionem ab eodem adactos. Verum nos, qui nullius partis ſtudio abrepti ſumus, nihil ejuſmodi a S. Carolo deciſum comperimus: etenim in Primo Concilio Provinciali Mediolanenſi, ad reſtitutionem obligantur Beneficiarii non ſatisfacientes oneribus, ſuis Beneficiis impoſitis, quique reditus ad certos uſus, puta ad Templorum ornatum, vel ad dotandas virgines a fundatore deſignatos, ſibi uſurpant, aut propria auctoritate in alios vertunt uſus, de quibus decernitur *Act. Eccl. Mediol. part. 1. pag. 39. Quod ſi facere omiſerint, ſed eos fructus ſibi vindicare, vel ad alios transferre auſi fuerint, vel in quem debent uſum non impenderint, ſe ex ſacris Canonibus, & ſanctorum Patrum ſententia ſacrilegii reos eſſe intelligant, & eorum omnium neceſſaria reſtitutione teneri, neque ulla omnino, etiam immemorabili conſuetudine excuſari.* Sermonem poſtea inſtituit Concilium de Eccleſiaſticis proventibus, quos interdum Beneficiarii uberius percipiunt, quam ad vitam honeſte traducendam propria cujuslibet requirat conditio; & de hiſce eoſdem Beneficiarios in hunc modum alloquitur: *Dubitare non debent ad eum finem hanc copiam illis eſſe attributam, ut præter ea, quæ ad victum, & cultum eorum ſatis eſſent, ſuppeterent etiam, quibus Divini cultus ornatus, & ſplendor conſervaretur, & pauperum inopia, & indigentia ſublevaretur.* Monet deinde, ac per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti obteſtatur Clericos, quibus annui reditus redundant, ne hiſce abutantur in augendis conſanguineis, aut in nutrienda vanitate, & luxu fovendo; ſed ut memores propriæ obligationis, illos pauperibus diſtribuant, nulla tamen facta mentione juſtitiæ, immo potius ſola indicata lege charitatis, qua ad id faciendum obſtringantur: ait quippe: *Ex eo vero, quod ſupererit, ſi neceſſaria pauperibus alimenta denegarint, intelligant, ſe, quos non paverint, occidiſſe; atque ob violatam ſanctiſſimæ charitatis legem, mortale peccatum commiſiſſe, quo ſibi iram in die iræ theſaurizaverunt.*

XIII. Quod tamen a S. Carolo deciſum negamus, ultro concedimus, in nonnullis Diœceſanis aliorum Epiſcoporum Synodis affirmari, & veluti certum aſſumi: in Synodo quippe Nonantulana, anno 1688. habita a Cardinali de Angelis, legimus: *Superfluos Eccleſiæ reditus in pios uſus expendant, memores, illorum non eſſe dominos, ſed tantum commendatarios, & adminiſtratores*: & in Synodo Veliterna, habita a Cardinali Cybo anno 1698. *Quicumque reditus Eccleſiaſticos poſſident, noverint, res Eccleſiæ nihil aliud eſſe, quam vota Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, earumque propterea miniſtros ſe eſſe, non dominos, ut, quod illis ſupereſt, in pauperum neceſſitatibus erogent.* Licet autem nos ejuſmodi Epiſcoporum effata haudquaquam reprehendamus, cum liberum illis fuerit ſententiam amplecti, quam innumeri Theologi laudabiliter propugnant, & tutiorem eſſe, atque in praxi conſulendam, etiam alii, qui pro contraria ſtant, Doctores fatentur, inter quos Leſſius *de juſt. & jur. lib. 2. cap. 4. num. 42.* & Duvallius *in 2. 2. D. Thom. part. 2. Tract. de charitate, & eleemoſyna quæſt. 8. art. 5.* attamen conſultius exiſtimamus, ut Epiſcopus in Synodo abſtineat a quæſtione decidenda, ſuoque calculo adjiciendo alteri ex controverſis inter Catholicos opinionibus. In hoc autem propoſito nos obfirmant Patres Concilii Tridentini; ſcimus etenim, enuntiatum decretum *ſeſſ. 25. cap. 1. de reform.* quo interdicitur Epiſcopis, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſque ſuos augere ſtudeant, ita prius fuiſſe efformatum, ut ejuſmodi prohibitionis hæc ibidem adduceretur ratio, videlicet, quia *Eccleſiaſticorum proventuum diſpenſatores tantum ſunt*: & tamen hæc poſtrema verba in generali Congregatione, habita die 23. Novembris 1563. viſa ſunt Patribus expungenda, & re ipſa expuncta ſunt; quoniam Cardinalis a Lotharingia Archiepiſcopus Remenſis, Petrus Guerrerus Archiepiſcopus Granatenſis, aliique Præſules illis interceſſere, ne detrimentum afferrent ſententiæ, ut ipſi ajebant, valde communi, quæ Eccleſiaſticorum etiam ſuperfluorum proventuum dominium Beneficiariis attribuit. Rem totidem fere verbis narrat Cardinalis Pallavicinus *hiſt. Concil. Trident. lib. 24. cap. 3. n. 4.* neque inficiatur Paulus Sarpi *ejuſdem Concil. hiſt. lib. 8.* quamvis, ut indulgeat ſuo genio aut impugnandi, aut ſaltem obſcurandi veritatem, decreto obſtitiſſe aſſerat, non Cardinalem a Lotharingia, neque Archiepiſcopum Guerrerum, ſed Epiſcopum Sulmonenſem; quod tamen falſum eſſe, fatetur etiam modernus Auctor, qui Sarpi hiſtoriam in Gallicum ſermonem vertit, eodemque, quo Sarpius, infectus veneno, lividis notis aſperſit, uti legere eſt *tom. 2. pag. 724. n. 22.* Quocirca, ſi Concilii Tridentini Patres noluerunt quæſtionem attingere inter Catholicos exagitatam, jure meritoque nos conſulendum duximus Epiſcopis, ne illam in ſuis Synodis definiant, aut tanquam definitam aſſumant.

XIV. Urgeant ipſi, & inculcent ſuis Clericis, ex Eccleſiæ ſtipendiis victitantibus, gravem obligationem, quam habent, elargiendi pauperibus, aliiſve piis uſibus applicandi, ſibi redundantes Eccleſiaſticos reditus; ſed adhuc latentem hujus obligationis originem non inveſtigent: ut enim ajebat Cardinalis Bellarminus in epiſtola ad Theanenſem Epiſcopum nepotem ſuum *controv. 8. & 9.* parum refert determinare, unde illud proveniat gravis obligationis vinculum, quo ceteroquin omnes Beneficiarios obſtringi, indubitanter ſcimus: *Non diſputo* (inquit Bellarminus) *quæſtionem illam, an Prælati ſint vere domini redituum Eccleſiaſticorum, & an teneantur reſtituere, quæ male expenderunt. Parum enim refert, utrum Prælatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra juſtitiam, an quia peccavit contra charitatem, non bene diſtribuendo facultates ſuas. Solum quæro, in quos uſus debeat expendere ſuas Eccleſiaſticas facultates, ut non amittat vitam æternam.*

## CAPUT TERTIUM.

*Regula in præcedentibus capitibus tradita limitatur.*

ACcidit interdum, rem aliquam in quæſtionem adduci nondum ab Eccleſia definitam, & nihilominus integrum eſſe Epiſcopo, aliquid de illa decernere, citra violationem regulæ, quam modo tradidimus: etenim aliquando totius controverſiæ cardo unice vertitur circa jus commune, quo ſolum inſpecto, diſputant Theologi, utrum aliquid fieri liceat, necne; ceterum nullus eorum abjudicat Epiſcopo poteſtatem,

illud

illud ſuo peculiari ſtatuto inhibendi, quod plerique contendunt eſſe a jure communi permiſſum. Rem pandunt, quæ ſubnectimus, exempla. Percurrenti Diœceſanam Synodum Neapolitanam, celebratam a Cardinali Pignatello, poterit, primo aſpectu, deciſa videri controverſia, magnis animorum motibus inter Doctores agitata, de qua nos egimus *in noſtra Inſtit.* 15. *n.* 20. *& ſeq.* In ea quippe Synodo *par.* 1. *cap.* 9. *n.* 4. ſancitum legitur, Eccleſiaſtici jejunii ſanctitatem ab iis quoque ſervandam, quibus, valetudinis cauſa, eſus carnium in Quadrageſima, aliiſque eſurialibus feriis indulgetur; quod tamen apud Theologos eſt in quæſtione poſitum. Verum, re ſedulo examinata, controverſiæ deciſionem ex ejuſdem Synodi verbis minime inferri, animadvertimus: in ea ſiquidem non dicitur, Eccleſiaſticum jejunium cum carnium eſu rite componi, quod plures negarunt Theologi, qui res morales per analogiam ad phyſicas explicantes, ſibi animo fixerunt Eccleſiaſticum jejunium inſtar compoſiti phyſici, quod deſtrui neceſſe eſt, ſi vel una corruat ex partibus, ejuſdem eſſentiam conſtituentibus; ſed, abſtrahendo ab hac quæſtione, jejunium, etſi non integræ, ac ſicuti ab Eccleſia præcipitur, ſuo tamen modo ſervare, in ea Synodo jubentur, quos a carnibus abſtinere ægra valetudo non permittit; quod & ab aliis Diœceſanis Synodis, Lucana videlicet, Adjacenſi, & Alerienſi, ſanctiſſime conſtitutum, ibidem aſſeritur: in quarum præſidium adduci etiam potuiſſent Acta Eccleſiæ Tarantaſienſis, edita ab Athanaſio Germonio, ejuſdem Urbis Archiepiſcopo, in ſua Diœceſana Synodo, ubi *ad tit. de obſervat. jejun. lib.* 3. *cap.* 2. hæc habentur: *Nos autem, qui diſpenſantem hac folum ſpectare intelligimus, ut, quantum fieri poteſt, a male affectis corporibus pericula ex noxiorum ciborum uſu imminentia avertantur, non videmus, cur diſpenſatus (quamvis carnes edere licite poſſit) ab hoc tamen ſaluberrimo Eccleſiæ præcepto excuſari poſſit: immo, cum ex robuſtiore alimento valentior factus, facilius jejunaturus præſumatur, nihil obſtare putamus, quin & ipſe, ſicut ceteri Chriſtiani, tempore jejunii, ſemel tantum in die, horaque ab Eccleſia præſcripta, cibum ſumere debeat; cum & inter celeberrimos Theologos non deſint, qui ſe idem ſentire ſcriptis mandaverint.* Neque vero quempiam inficiari arbitramur, poſſe Epiſcopum ad unicam ſaltem comeſtionem præcepto obſtringere, quos adverſa valetudo ab alia jejunii parte, quæ eſt abſtinentia a carnibus, abſolvit; præſertim cum ſummi Pontifices Clemens XI. Innocentius XIII. & Benedictus XIII. in Edictis, quæ tanquam Epiſcopi Romani per Cardinalem ſuum in Urbe Vicarium ſuper obſervatione Quadrageſimali jejunii, ſingulis annis, ut moris eſt, promulgarunt, id ipſum Romæ fieri præceperint; ad quæ Edicta alluſit laudatus Cardinalis Pignatellus, præfatam Synodalem Conſtitutionem ita exorditus: *Quia vero Apoſtolicæ Sedis, magiſterio Spiritus Sancti edoctæ, præceptionibus, & inſtitutis ſaluberrimis admonemur &c.* Sed ſupervacaneum eſt de hac re pluribus diſſerere; quoniam nos, poſtquam ſupremum Petri ſolium conſcendimus, ſinentes, Theologos in ſuis ſpeculationibus tempus terere, Eccleſiaſtici jejunii, hominum intemperantia, fatiſcentem diſciplinam, quantum fert conditio temporum, pro viribus ſuſtenſtare curavimus, injungentes Epiſcopis, ne ulli permittant diebus Quadrageſimæ, valetudinis cauſa, carnibus veſci, niſi adjecta lege religioſe ſervandi alteram jejunii partem, quæ conſiſtit in unica comeſtione: quod patet ex noſtris Apoſtolicis litteris, quæ extant *in tom.* 1. *noſtri Bullarii*, 19. 27. 55. 99.

II. Simile judicium ferendum eſt de aliis Synodalibus Conſtitutionibus, quibus ſevere interdicitur, ne Dominicis, aliiſque feſtis diebus, exerceantur negotiationes, neve fiant publicæ nundinæ, ſive annuæ, ſive hebdomadariæ, quemadmodum non ſolum cautum reperimus *in* Synodo Provinciali Cameracenſi II. *tit.* 4. *cap.* 2. & Mechlinienſi I. *tit. de feſtis, cap.* 3. verum etiam, teſte Van-Eſpen *Jur. Eccleſ. univerſ. part.* 2. *tit.* 17. *cap.* 4. *num.* 15. *&* 16. ſtatutum legitur in aliis pluribus Synodis Diœceſanis Belgii, nimirum Buſcoducenſi *tit.* 12. *cap.* 2. Tornacenſi anni 1643. *tit.* 3. *cap.* 7. & Yprenſi anni 1609. *tit.* 6. *cap.* 1. quibus ex Italicis addimus Synodum Lauretanam, habitam a Cardinali Roma anno 1626. Senogallienſem, habitam a Cardinali Antonio Barberino 1527. Sutrinam, celebratam a Cardinali Julio Spinola 1671. Farfenſem, coactam a Cardinali Carolo Barberino 1685. Cæſenatenſem, habitam a Cardinali Denhoff 1693. aliaſque non paucas. Etenim, quamquam plures reperiantur nimium fortaſſe benigni Theologi, qui negotiationem, etiamſi publice, & cum ſtrepitu exerceatur, non accenſenda opinentur operibus ſervilibus, feſtis diebus vetitis, atque aliquot præterea ex iis cum inficiari nequeant, nundinas, ſeu mercatus, ne Deo ſacratis diebus fiant, expreſſe ſaltem prohiberi *in Cap.* 1. *de feriis*; huic tamen præcepto derogatum aſſerunt per contrariam conſuetudinem: uti videre eſt apud Cajetanum *in Summ. verb. In feſto prohibita*, Sylveſtrum *in Summ. verb. Negotium* §. 2. Navarrum *manual. cap.* 13. *num.* 8. & Layman *Theolog. moral. lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 6. *verſic. Dico octavo*. Nihilominus nullus unquam auſus fuit negare Epiſcopo poteſtatem, ejuſmodi conſuetudinem abrogandi, ſuaque peculiari ſanctione interdicendi, ne prædicti profani actus, per quos certe Fideles ſummopere diſtrahuntur a Divinis, exerceantur diebus feſtis, quod bene obſervant Ventrigl. *in prax. rer. Eccleſ. tom.* 1. *annot.* 16. §. 1. *num.* 19. Zaul. *ad Stat. Favent. tom.* 1. *lib.* 7. *obſervat. ad rubric.* 2. *num.* 24. Nicol. *in prax. Canonic. tom.* 1. *litt. C.* §. 1. *num.* 44.

III. Quamobrem Epiſcopus removens a diebus, Dei cultui ſpecialiter deputatis, aut ſolemnes nundinas, aut etiam hebdomadarias, nullam definit quæſtionem inter Theologos controverſam, ſed ſuo muneri indubitanter adnexam auctoritatem exerit, ad tuendam dierum feſtorum ſanctitatem, quæ per prædictos actus profanatur. De hac materia uberrime a nobis tractatum eſt in noſtris Apoſtolicis litteris, ad Ordinarios ditionis Eccleſiaſticæ datis 5. Novembris 1745. impreſſis *tom.* 1. *noſtri Bullarii* 144. *in ordine*, in quibus præmiſſa diſtinctione nundinarum annuarum ab hebdomadariis, quas *mercatum* vocant, mercatum diebus feſtis haberi omnino prohibuimus, annuas vero nundinas, non tam permittendas, quam, ad evitanda populorum incommoda, ex quadam conniventia, tolerandas duximus, modo non exerceantur iis matutinis, & veſpertinis horis, quibus Divina Officia in Eccleſiis celebrantur, quod in iiſdem litteris copioſius explicatur.

## CAPUT QUARTUM.

*Præcipue abſtinendum a definiendis quæſtionibus reſpicientibus Sacramenta: ubi de intentione Miniſtri requiſita ad validitatem Sacramenti.*

AUdivimus a Fagnano, illas potiſſimum quæſtiones in particularibus Synodis eſſe relinquendas intactas, quæ circa Sacramenta verſantur. Quoniam autem impoſſibile foret eas omnes hic recenſere, nonnullas libabimus, quæ frequentius occurrunt.

II. Utque id ordinatim conficiamus, a quæſtione exordiamur omnia Sacramenta complectente, alias ſubinde indicaturi ad ſingula pertinentes. Quæſtio eſt inter Theologos, ſæpius a Parochis refricari ſolita, an, & qualis intentio ſit neceſſaria in Miniſtro, ut validum

dum Sacramentum conficiat. Aliquam intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, in eo requiri, Fidei dogma est: etenim Eugenius IV. in suo decreto post Concilium Florentinum, *tom. 9.* Collectionis Harduini *col.* 439. septem novæ Legis Sacramentis singulatim enumeratis, ait: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia:* & Concilium Tridentinum *sess. 7. can. 11. de Sacramentis in genere*, contrarium sentientes anathemate perstrinxit: *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.*

III. Nec vero pauca, nec levia sunt rationum momenta, quibus hoc Fidei dogma fulcitur: nam in primis Christus Dominus, Sacramentorum novæ Legis auctor & institutor, eorundem administrationem esse voluit actionem humanam: actio autem humana esse non potest, nisi sit libera; nec libera nisi fiat ex rationis judicio, & cum intentione voluntatis. Præterea actio Sacramentalis referri potest ad varios fines: infans quippe potest ex. gr. aqua ablui vel ad munditiem corporis, vel ad sanitatem: quamobrem, ut ablutio sit Sacramentalis, necesse est, ut ad finem Baptismi determinetur per intentionem abluentis. Demum, ut Sacramentum valide conferatur, qui illud administrat, gerere se debet ut Christi, & Ecclesiæ Ministrum: ad quod profecto necessarium est, ut illud animo intendat, quod Christus instituit, aut facit Ecclesia.

IV. Ex his porro, quæ late exornant Theologi, præcipue Gregorius de Valentia *tom. 4. commentarior. Theologicor. disput. 3. quæst. 5. punct. 3.* colligitur, eum, qui jocose ac scurriliter Sacramenti ritum celebrat, Sacramentum non conficere, neque valide administrare. Is quippe animum illudendi sibi adesse ostendit, non vero ponendi religiosam actionem, a Christo Domino institutam, ejusque virtute sacratam: quare Lutheri, & Calvini error, *Sacramenta*, per jocum administrata, nihilominus rata esse asserentium, primo confixus est a Leone X. anno 1520. cum, inter ceteras, hanc quoque Lutheri propositionem proscripsit: *Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus:* & deinde expresse damnatus a Concilio Tridentino, cum *citat. sess. 7.* tum *sess. 14. cap. 6. & can. 9. de Sacramento Pœnit.*

V. Nec quemquam movere debet, quod Socrates *lib. 1. hist. Eccles. cap. 15.* Sozomenus *lib. 2. cap. 17.* aliique ex Rufino scribunt de Alexandro Patriarcha Alexandrino; ei nempe, aliisque Episcopis ad Concilium congregatis, ratum visum fuisse, ac validum Baptisma, ab Athanasio nondum ex puerili ætate emerso, cum sociis ludente, collatum. Primo enim, uti nos animadvertimus *Instit. 8.* multi Auctores factum illud non modo revocant in dubium, sed plane inficiantur: quoniam, si Hieronymi Chronico fidem adhibeamus, Alexander ad sedem Alexandrinam non est evectus ante annum 321. & Athanasius, eodem Sozomeno referente, anno 325. Concilio Nicæno, jam Diaconus, interfuit, atque insequenti anno, Alexandro vita functo successit; quocirca explicari non potest, quomodo puer fuerit, Ecclesiam Alexandrinam regente Alexandro: & quamvis Alexandrum anno 313. Episcopum inauguratum dicamus, uti tradunt Papius *ad annum* 311. *num.* 26. & Patres Mauro-Benedictini *in Vit. Athanas. tom. 1. Oper. part. 1. pag. 3.* tunc tamen Athanasium suæ ætatis annum duodevicesimum egisse oportuit, quoniam annorum saltem triginta prædicto anno 326. Alexandrinum Episcopum eundem renuntiatum fere communiter Eruditi consentiunt: nunquam enim ei ab Arianis objectum legimus, quod junior Episcopatum arripuisset, ut de Paulino, Hieronymi fratre, narratur: ætas vero duodeviginti annorum ab illis puerilibus nugis jam abhorret: quibus Socrates, & Sozomenus Athanasium distentum scribunt. Deinde, etsi res ita se habuerit, nihil tamen exinde ad adstruendum hæreticorum errorem conficitur; Athanasium quippe, non irrisorie, sed serio Baptisma contulisse eo ritu, quem ab Alexandro Episcopo adhiberi viderat, ex eo colligitur, quod iidem Historici narrant, eum scilicet, non omnes promiscue socios, sed solum Catechumenos baptizasse: cum autem Athanasium tunc lusisse iidem asserunt, nihil aliud sibi voluisse videntur, quam eundem, in re serio peracta, oblectamentum animi, tanquam extrinsecum finem, sibi proposuisse.

VI. Verum, quanquam apud Catholicos certissimum sit, in Sacramenti Ministro aliquam intentionem requiri, saltem faciendi quod facit Ecclesia; valde tamen inter eosdem disputatur de hujus intentionis objecto, sed quid illud sit, ad quod ferri debeat ejusmodi intentio, quam omnes necessariam fatentur. Ambrosius Catharinus, e Dominicanorum familia, Episcopus Mironensis, & postea Archiepiscopus Compianus, *in Opusc. de Intentione Ministri* contendit, ad Sacramentum valide administrandum, satis esse, ut Minister intentionem habeat serio perficiendi ritum externum, qui ab Ecclesia adhibetur: atque ideo, etiamsi suam intentionem retineat, aut interius dicat, se nolle facere, quod facit Ecclesia, dummodo exterius serio agat, nulloque signo pravam suam voluntatem prodat, ratum, perfectumque Sacramentum ab eo perfici, Catharinus propugnat. Catharino præiverant Petrus Cantor, Robertus Cardinalis Pullus, Paludanus, Sylvester; eumque postea sunt sectati Salmeron *lib. 1. comment. in epist. D. Pauli 3. part. disp. 2.* Joannes Marius Scribonius *in Summ. Theolog. de Sacram. in genere q. 6. & 7.* Vincentius Contemptonius *in suo Tract. de Sacram. in genere*, Hyacinthus Serry *in Vind. Catharin.* Natalis Alexander, Gaspar Juenin, aliique recentiores.

VII. Hæc tamen opinio visa est aliis coincidere cum Lutheri, & Calvini doctrina, a Concilio Tridentino expresse damnata; ac propterea non dubitarunt hæresis notam eidem inurere. Verum hujusmodi censores Concilii Tridentini historiæ se prorsus jejunos ostendunt: etenim Sessio septima, ubi primo impium hæreticorum dogma anathemate confossum fuit, habita est die 3. Maji 1547. & laudatum Catharini Opusculum, Romæ typis impressum prodiit anno 1552. quin Opusculi Auctor, ea occasione, in aliquam erroris suspicionem venerit: quapropter Cardinalis Pallavicinus, cui Tridentini canones, & decreta, eorumque genuinus sensus, ignota profecto non erant, *in ejusdem Concilii historia lib. 9. cap. 6. num. 2.* loquens de sententia a Catharino in eodem Concilio propugnata, hæc habet: *Equidem existimo, Catharini sententiam falsam esse, sed non ideo per Tridentinos canones diserte damnatam: quapropter fas illi fuit affirmare, eam Concilio non contradicere:* & *lib. 12. cap. 10.* exponens decreta Pœnitentiæ Sacramentum spectantia a Concilii Patribus formata, *num. 34.* ait: *Ex hisce postremis verbis conjicere potest quisquis ea legerit, haud esse expunctam sententiam Catharini, aliorumque Theologorum, opinantium, Sacramento, quo ratum sit, sufficere in Ministro voluntatem serio agendi, & obesse tantummodo jocum, quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit.*

VIII. Quamobrem melioris judicii Theologi, Catharini opinionem ab hæretis censura vindicant, latumque inter illam, ac Lutheri, & Calvini doctrinam, discrimen intercedere demonstrant, præsertim Vasquez *in 3. part. tom. 2. disput. 138. cap. 2. & 3.* Cardinalis de

Lugo

Lugo *de Sacram. disp.* 8. *sect.* 2. *n.* 15. Natalis Alex. *Theol. dogmat. & moral. tom.* 1. *lib.* 2. *de Sacramentis in genere cap.* 7. *art.* 3. *reg.* 1. Juenin *de Sacram. dissert.* 1. *q.* 5. *cap.* 2. *art.* 3. §. 1. Quin immo Marcus Antonius de Dominis *lib.* 5. *de republic. Eccles. cap.* 12. §. 12. 13. ubi perversum hæreticorum errorem adstruit, Catharinum a sua sententia prorsus alienum agnoscit, & fatetur. Negari tamen haud potest, grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab Alexandro VIII. a quo die 7. Decembris 1690. hæc inter alias propositio damnata fuit: *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia.* Sed nihilominus a damnationis telo illam defendere conantur Juenin *cit. loc.* Serry *in citatis Vindiciis pag.* 109. Auctor *Oper. de re Sacram. pag.* 113. aliique, confixam propositionem intelligendam rati, cum ritus externus aut non serio, sed joco, & inimice peragitur, aut ab illo exercetur, qui aliunde, hoc est ab aliqua exteriori circumstantia, puta a Sacramenti postulatione, non determinatur ad agendum nomine Ecclesiæ, seu tanquam Ecclesiæ Minister: ultro enim admittit Juenin, non valde baptizare, qui a nemine postulatus domini infantem abluit cum expressa Sanctissimæ Trinitatis invocatione, si intra se deliberet id, quod fert propositio damnata: *non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

IX. Verum, ut ut hæc res coram Deo se habeat, nulla usque adhuc de ea emanavit expressa Apostolicæ Sedis definitio. Quamvis igitur communis sit sententia exigens in Ministro intentionem vel actualem, vel virtualem, faciendi non solum ritum externum, sed id, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia, & hæc, veluti tutior, sit omnino servanda in praxi: non est tamen Episcopi priorem opinionem reprobare, atque ad hanc posteriorem, etiam theorice tuendam, suos diœcesanos adigere: causas quippe majores, difficilioresque quæstiones, Fidem, aut disciplinam spectantes, ad Apostolicam Sedem deferendas, statuit perpetua Ecclesiæ consuetudo, ab Innoc. III. *in Cap. Majores, de Baptismo*, confirmata. Quare, si constet, quempiam aut Baptismum contulisse, aut aliud Sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi, quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate, erit Sacramentum iterum sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum, quemadmodum ad Severum Scholasticum Constantinopolitanum faciendum scripsit Ferrandus, Ecclesiæ Carthaginiensis Diaconus, in difficili quæstione, qua tunc Ecclesia fatigabatur, doctis, indoctisque in varias partes scissis, inquiens: *Interroga, vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis: tom.* 9. *Biblioth. Patrum pag.* 509. Quod semel monitum volumus, ut regula sit etiam pro aliis controversiis, quas mox commemorabimus.

## CAPUT QUINTUM.

*Nonnullæ recensentur quæstiones, spectantes Sacramentum Baptismi, a quibus in Synodo definiendis est abstinendum: ubi de Baptismo collato infanti in matris utero latitanti, necnon infanti, qui aliquam sui partem ex utero matris emisit.*

NEmo sit, qui putet, nos extra propositum vagari, cum de singulis Sacramentis, atque interdum etiam prolixius, differimus: etenim, quamquam nobis in animo non fuerit, tractatum de Sacramentis elucubrare, attamen, quia plerumque Episcopi in suis Synodis de quolibet Sacramento specialem sermonem instituunt, nostri instituti esse arbitramur, difficultatum scopulos, in singulis latentes, iisdem detegere, per quos medii incedere debeant, neque in unam, alteramve partem deflectere, ne secus in legem delinquant, quam a Fagnano didicimus, suamque Synodum eruditorum hominum dicteriis exponant.

II. Post indicatam igitur controversiam, omnibus Sacramentis communem, nonnullas statim offendimus quæstiones, ad Sacramentum Baptismi peculiariter pertinentes, quas in Synodalibus Constitutionibus præstat potius præterire, quam enodare. Certum est, infantem in matris utero ita latitantem, ut nulla ejus pars aqua perfundi queat, baptizari non posse, nec ei quidquam prodesse, quod nonulli hæretici olim sunt arbitrati, si ejus loco, matris corpus abluatur, quemadmodum *lib.* 6. *contra Julianum cap.* 5. diserte tradit Augustinus, relatus *in Can.* 114. *de Consecr. dist.* 4. *Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertineret, itaut ejus pars deputaretur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero. Nunc vero, cum etiam ipse baptizatur, non utique bis baptizatus habebitur. Non itaque ad maternum corpus, cum esset in utero, pertinebat*: & prosequitur D. Thomas 3. *part. quæst.* 68. *artic.* 11. At quæstio est, an, relato materni uteri ostio, quod puerperii initio contingit, valide baptizetur infans, cujus corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus, saltem per siphunculum tingi potest. Mirum est, quantum in hac quæstione varient Doctores. Valide eum baptizari affirmant Victoria *in summ. de Sacram. quæst.* 32. Suarez *in* 3. *part. disput.* 2. *q.* 68. *sect.* 6. *art.* 11. *in comment.* Gregorius de Valentia *tom.* 4. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 2. §. *Tertio sequitur*, Chapeaville *de casibus in peste cap.* 2. *q.* 10. *sub fin.* quibus ex recentioribus adhærent Peguletus *in tract. probabilit. cap.* 41. *& seq.* Piette *in elucidat. difficilior. Theolog. quæstionum part.* 5. *de Baptismo quæst.* 8. Florentius Cocq *de Baptismo sect.* 7. Franciscus Henno *disp.* 3. *q.* 1. *concluf.* 2. Holzmann *Theolog. moral. tom.* 2. *tractat.* 2. *cap.* 2. *art.* 2. §. 1. *n.* 137. Sbogar *in Theologia radicali tractat.* 13. *de Baptismo cap.* 5. *num.* 43. & Gabriel Gualdus in Opusculo de hac re accurate conscripto, Patavii impresso anno 1710. & denuo anno 1712. quorum sententiam Theophilus Raynaudus, etsi contrariam sequatur, dicit communissimam. Negant exadverso idem Raynaudus *Opusc. de ortu infantium per sectionem cæsaream cap.* 6. *num.* 14. *Oper. tom.* 14. Cardinalis de Lauræa *in* 4. *sent. tom.* 1. *de Baptism. disp.* 14. *art.* 4. Martinus Orelli in peculiari de hoc argumento dissertatione, Nicolaus Herminier *de Baptism. cap.* 10. Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *prop.* 2. *in fin.* Juenin *de Sacram. dissert.* 2. *quæst.* 7. *cap.* 1. *art.* 2. *in fin.* Gibet *consult. Canonic. tom.* 2. *consult.* 22. *de Baptismo per tot.* & præsertim *pag.* 242. *& seq.* Cardinalis Gotti *tom.* 13. *pag.* 260. & novissime Joannes Laurentius Berti *in sua Theologia tom.* 6. *lib.* 31. *cap.* 18. Sed non omnes hujus posterioris sententiæ patroni eidem fidunt argumento. Theophilus Raynaudus validum fatetur Baptismum, collatum infanti e matris utero nondum egresso, si ad ejus corpus aqua quomodocunque pertingat; sed hoc nequaquam evenire posse putat: *nam* (inquit) *& ipse uterus est admodum abditus, ac exquisite occlusus a momento conceptionis usque ad tempus partus, & intra ipsius uteri latebras fœtus tot undique secundinis circumsepitur, ut nesciam, qua ratione dici possit, aquam ita esse applicabilem, ut ad fœtum immediate possit pertingere*: neque ad rem facere autumat Raynaudus, quod aqua madefiant secundinæ, quibus infantis corpus involvitur; nemo quippe, ait, censebit, vere baptizatum iri puerum

rum ſacco coriaceo incluſum, ſi aqua ſoli corio affunderetur, per quod ad pueri corpus non pervaderet.

III. Sed ex duobus, quæ Raynaudus tanquam certa ſumit, primum eſt evidenter falſum; ſiquidem ex medicorum, & obſtetricum teſtimonio ſatis conſtat, infantem, puerperii initio, ſecundinarum involucris jam ſpoliatum, poſſe intra matris uterum tangi, & tractari: alterum vero eſt in quæſtione poſitum; quamvis enim fere communiter Doctores concedant, validum non fore Baptiſmum, ſi aqua ſolæ perfunderentur veſtes, quibus baptizandus obtegitur, non omnes tamen idem ſentiunt de ſecundinis, quibus infans a natura circumveſtitur; hæ quippe cenſentur quodammodo pars infantilis corporis, quod propterea videtur immediate ablui, cum illæ madefiunt: uti præ ceteris ratiocinantur Sylveſter *verb. Baptiſmus* 4. *q.* 1. & Vaſquez *in* 3. *part. tom.* 2. *diſput.* 145. *cap.* 4. *n.* 31.

IV. Quamobrem aliud alii argumentum inſtaurant, ad evertendum Baptiſma, de quo eſt ſermo. Baptiſmus (inquiunt iſti) eſt Sacramentum regenerationis, & ſecundæ nativitatis ſpiritualis, cui neceſſe eſt ut prima corporis nativitas præcedat; dixit enim Chriſtus Dominus *Joann.* 3. *Niſi quis renatus fuerit denuo*: & rurſum: *oportet vos naſci denuo*: non poteſt autem denuo naſci, qui nunquam antea natus fuit. Eo autem fidentius huic argumento inſiſtunt, quia ab Auguſtino ſe illud accepiſſe gloriantur: enimvero non ſemel Sanctus Doctor hac ratiocinatione utitur ad probandum, natum eſſe oportere, qui regenerationis lavacro ab originali culpa eſt expiandus; *libro* enim 2. *de peccat. merit. & remiſſion. cap.* 27. *tom.* 10. *Oper. col.* 63. inquit: *Sacramentum Baptiſmi profecto Sacramentum regenerationis eſt: quocirca ſicut homo, qui non vixerit, mori non poteſt, & qui mortuus non fuerit, reſurgere non poteſt: ita qui natus non fuerit, renaſci non poteſt: epiſtol.* 187. olim 57. ad Dardanum *num.* 31. *tom.* 2. *Oper. col.* 688. *Nec renaſci quiſquam poteſt, antequam natus ſit*: & infra: *Non videa, quomodo ædificentur homines in domum Dei, ad habendum in ſe inhabitantem Deum, niſi cum fuerint renati, quod non poſſunt eſſe, antequam nati*: ac tandem *num.* 33. *Si igitur homo regenerari, per gratiam Spiritus, in utero poteſt, quoniam reſtat illi adhuc naſci, renaſcitur ergo, antequam naſcitur, quod fieri nullo modo poteſt.* Idem, quod Auguſtinus, docet Iſidorus *lib.* 1. *ſentent. cap.* 24. relatus *in Can.* 115. *de Conſecrat. diſt.* 4. *Qui in maternis uteris ſunt, ideo cum matre baptizari non poſſunt, quia, qui natus adhuc ſecundum Adam, non eſt, renaſci ſecundum Chriſtum non poteſt.*

V. Verum has, & ſimiles Patrum locutiones facile evadunt Auctores primæ ſententiæ, contendentes, unicum illarum ſcopum eſſe, improbare Baptiſmum collatum matri pro puero, quem in utero geſtat; quod quidem Baptiſma Auguſtinus loco paulo ante producto contra Julianum rejecit. Neque urgeri ſe arbitrantur a ratione petita ex allegatis Chriſti Domini verbis: vere enim, quantum ad rem attinet, natum ajunt, qui ex abditioribus maternæ alvi penetralibus ad uteri oſtium decidit, atque obſtetricis manibus pertractatur. Hanc porro reſponſionem confirmant auctoritate D. Thomæ, qui *cit. q.* 68. *art.* 11. *in corp.* nuper allatis Patrum teſtimoniis rite expenſis, ideo duntaxat infantem intra matris uterum latitantem baptizari poſſe inficiatur, quia ſalutari aqua immediate luſtrari nequit: ex quo apparet, oppoſitum ab Angelico ſtatui, cum infantis corpus poteſt aliquo modo immediate ablui: *Dicendum* (verba ſunt Angelici) *quod de neceſſitate Baptiſmi eſt, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum Baptiſmus ſit quædam ablutio, ut ſupra dictum eſt: corpus autem infantis, antequam naſcatur ex utero, non poteſt aliquo modo ablui aqua, niſi forte dicatur, quod ablutio baptiſmalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre exiſtentem perveniat. Sed hoc eſſe non poteſt &c.*

VI. Hiſce argumentis nimium confiſus Gualdus *in cit. Opuſc. tap.* 12. *num.* 216. Epiſcopos hortatur, ut parvulos intra matris uterum adhuc occluſos, cum in vitæ diſcrimine verſantur, & obſtetricis manibus tractari queunt, omnino baptizari præcipiant, atque edicant. Verum, quoniam ipſemet fatetur, ultimum controverſiæ judicium a Sede Apoſtolica eſſe proferendum, tutius erit, ut Epiſcopus illud expectet, nec interim quidquam ſuis Conſtitutionibus inſerat, quo implexæ iſtius quæſtionis deciſionem ſibi arrogaſſe videatur. Ad Parochos vero pertinebit obſtetrices inſtruere, ut cum caſus evenerit, in quo infantem, nulla adhuc ſui parte editum, mox deceſſurum prudenter timeant, illum baptizent ſub conditione, ſub qua pariter erit iterum baptizandus, ſi periculum evadat, & foras prodeat: quemadmodum, poſt alios, faciendum monet Tournely *in ſuis prælection. de Sacram. Baptiſm. quæſt.* 3. *art.* 3.

VII. Hæc de infante intra matris uterum totaliter abdito. Quid autem de illo dicendum, qui aliquam ſui partem ex utero emiſit? Huic, inſtante mortis periculo, in ea parte eſſe Baptiſmum conferendum, quæ ex utero emerſit, ſtatuit Rituale Romanum *tit. de baptizand. parvulis*: additque, non eſſe Baptiſmum ullo pacto repetendum, ſi ſalutari aqua infantis caput tinctum fuerit; ſecus vero faciendum decernit, cum, non caput, ſed alia quælibet corporis pars aqua perfunditur; tunc quippe puerulum, ſi vivus evaſerit, iterum ſub conditione baptizandum præcipit. Rituali Romano conſentit Rituale Sacramentorum, a Cardinali Julio Antonio Sanctorio, juſſu Gregorii XIII. Romæ evulgato anno 1584. atque utrique reſpondent Inſtructiones Sancti Caroli Borromæi, *Actor. Eccleſiæ Mediolanenſis part.* 4. *pag.* 497. §. *Si vero fœtus*. Hanc eandem doctrinam diſerte tradit D. Thomas 3. *part. q.* 68. *art.* 11. ubi hæc habet: *Ad quartum dicendum, quod expectanda eſt totalis egreſſio pueri ex utero ad Baptiſmum, niſi mors immineat: ſi tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes ſenſus, debet baptizari periculo imminente, & non eſt poſtea rebaptizandus, ſi eum perfecte naſci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcunque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite, videtur quibuſdam, quod propter dubium, quacunque alia parte corporis abluta, puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo.*

VIII. At nihilominus, licet Doctores ſatis communiter admittant, ſub conditione eſſe repetendum Baptiſmum, cum abluta fuit exigua pars corporis, puta digitus, & juxta alios etiam ſola manus, aut pes, quæ ex matris utero erupit; attamen inter ſe diſputant, an repetendus ſit, cum abluta fuit alia pars æque principalis, ac caput, puta humeri, pectus, ſcapulæ, brachia &c. exiſtimantibus pleriſque, tam a D. Thoma, quam a Rituali Romano, caput nominatum eſſe, non reſtrictive, ſed mere demonſtrative, ut ajunt, ſeu exempli cauſa, ac propterea idem judicium eſſe ferendum de aliis partibus æque principalibus; ſicut ratiocinantur Sotus *in* 4. *diſtinct.* 3. *quæſt. unic. art.* 7. *circa medium*, Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 20. *quæſt.* 66. *art.* 4. *ſect.* 2. ubi explicans mentem D. Thomæ, ait: *Si Baptiſmus fieri poteſt in capite, illa eſt certiſſima, & ſufficientiſſima materia, quia illa pars præcipua eſt, & ab ea maxime poteſt totus homo denominari. Quod ſi hoc commode fieri non poteſt propter aliquod gravis nocumenti periculum, ſi fiat ablutio in ſcapulis, aut in pectore, vel in humeris, erit ſatis certa, & indubitata materia. Interdum vero ſolet oc-*

cur-

*currere neceſſitas baptizandi puerum in pede propter periculum mortis, & tunc etiam licite id fit: tamen, quia res eſt dubia, ſi infans evadat periculum, & perfecte naſcatur, iterum abluendus eſt ſub conditione, prout in Ritualibus Eccleſiaſticis Parochi admonentur. Et hæc eſt communis doctrina Theologorum cum Thoma*: & proſequuntur Gregorius de Valentia *tom.* 4. *diſput.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 2. §. *Quamquam recte Sotus*, Coninck *de Sacram. quæſt.* 66. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 79. Gonzalez *in Cap.* 5. *de Baptiſmo num.* 3. & alii.

IX. Idem diſſidium, quod viget inter Theologos, viguiſſe olim deprehendimus inter Eccleſiarum Antiſtites. Etenim ſtatuta Synodalia Eccleſiæ Biterrenſis, a Guillelmo Epiſcopo anno 1342. condita, *num.* 10. *tom.* 4. *Theſaur. nov. Anecdotor.* Martene *col.* 644. validum ſtatuunt Baptiſmum, quæcumque ſit pars corporis, quæ aqua luſtretur: *Præcipimus moneri populum, quod, ſi in ipſo partu mulieris imminеat grande periculum, ipſa muliere multo tempore laborante in editione partus, & caput, manus, vel alia pars infantis appareat, quod in illa baptizetur, & cenſeatur baptizatus.* At antiqua ſtatuta Eccleſiæ Rutenenſis in Aquitania, ratum duntaxat habent Baptiſmum in capite, non vero in alio quovis membro, collatum: *cap.* enim 6. *tom.* 4. *Theſ. Anecdotor.* Martene *col.* 686. ita decernunt: *Si vero, muliere in partu laborante, infans extra ventrem matris caput tantum emiſerit, & in tanto periculo infans poſitus, commode haberi nequiverit, infundet aliquis, vel aliqua de aſtantibus aquam ſuper caput infantis, dicens: Creatura Dei ego te baptizo &c. & erit baptizatus. Si vero, non caput, ſed aliud membrum emiſerit, & ſuper illud membrum aquam effundendo, prædicto modo fuerit baptizatus & poſtea vivus natus fuerit, non judicamus, talem eſſe baptizatum.* Concilium vero Trevirenſe anni 1310. diſcrimen faciens inter membra principalia, & minus principalia, idem ſtatuit, quod nuper laudati Theologi opinantur; *cap.* enim 114. hæc habet, *eodem tom.* 4. *Theſ. Anecdotor. col.* 268. *Si autem, muliere in partu laborante, infans in ventre matris tantum caput emiſerit, & naſci nequeat, mox aliqua de obſtetricibus aquam ſuper caput infantis infundat, dicens: Ego baptizo te &c. & erit baptizatus. Idemque dicendum eſt, prout quidam aſſerunt, ſi major pars corporis, præter caput, appareat, baptizatur, ſecus, ſi minor, ſolus pes, vel ſola manus appareat, baptizari non debet: quod ſi fiat, nihil agitur. Cum enim partus tunc non naſcatur, nec tunc etiam renaſci poteſt.*

X. Cum itaque hæc controverſia hactenus indeciſa remaneat, uti ſcite animadvertit Cardinalis de Rohan in ſuo Rituali Argentinenſi *ad tit. de Baptiſmo* §. 5. inquiens: *Utrum ratus ſit Baptiſmus, non in capite, ſed in aliqua alia corporis parte collatus, multi non immerito dubitant:* idcirco debet Epiſcopus, ne in ſua Synodo aliquid quoad eam decernat; ſed id ſolum curabit, ut Parochi, ceterique, quorum intereſt, illud exacte exequantur, quod in Romano Rituali, præſcribitur, ſicut optime animadvertit citatus Gibertus *in conſult. Canonic. de Sacramento Baptiſmi conſult.* 22. ubi Synodos affert Rituali Romano conformes, ejuſque veſtigiis inhærentes.

## CAPUT SEXTUM.

*De forma conditionata Baptiſmatis, alteriuſve Sacramenti characterem imprimentis: uti de Baptiſmo collato infanti, qui jam indubitanter mortuus, per miraculum ad vitam creditur revocari.*

QUoniam *in præcedenti capite* ſæpius facta eſt mentio formæ conditionatæ Baptiſmatis, neceſſarium ducimus, de eadem hic ex profeſſo agere, ne deinceps Epiſcopales Synodi, de illa loquentes, errent; ſicuti re ipſa non paucas hac in re erraſſe comperimus. Eam a Scholaſticis eſſe adinventam, & in Eccleſiam invectam, plerique viri eruditi exiſtimarunt; ſed eos toto cælo aberraſſe ait Martene *de antiquis Eccleſ. ritib. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *art.* 16. *num.* 9. Siquidem, longe ante Scholaſticos, S. Bonifacius, Archiepiſcopus Moguntinus, in ſuis ſtatutis, circa annum 745. conditis, & *tom.* 1. *Spicilegii* a Luca Dacherio editis *cap.* 28. hæc habet: *Si de aliquibus dubium ſit, utrum ſint baptizati, abſque ullo ſcrupulo baptizentur, his tamen verbis præmiſſis, non te rebaptizo, ſed ſi nondum es baptizatus, ego te baptizo.* Idemque, ac totidem fere verbis, ſtatutum legimus *Capitular. lib.* 6. *cap.* 184. apud Baluzium *tom.* 1. *pag.* 954. e quibus idem decretum excerpſit, ac ſuæ Canonum Collectioni *ſub tit.* 11. *cap.* 17. inſeruit Iſaac Epiſcopus Lingonenſis, apud Harduinum *Collect. Concil. tom.* 5. *col.* 447. Licet porro, ante ſeculum VIII. prædictæ conditionatæ formulæ expreſſam mentionem in Conciliis, & Patribus non inveniamus, quemadmodum, præter laudatum Martene, obſervarunt Juenin *de Sacramen. diſſert.* 1. *quæſt.* 3. *cap.* 5. *art.* 1. & Tournely *prælect. tom.* 6. *de Sacram. in genere quæſt.* 1. *art.* 4. *concluſ.* 2. non recte tamen inde intulit Natalis Alexander *hiſt. Eccl. ſecul.* IV. *cap.* 4. *art.* 12. illam non fuiſſe in uſu: quin immo ex antiqua, & conſtanti Eccleſiæ praxi oppoſitum colligi, putamus: quod hac ratiocinatione oſtendimus. Perpetuum Catholicæ Fidei dogma fuit, unicum eſſe Baptiſma, juxta illud Apoſtoli *ad Epheſ.* 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*: quod propterea ſemel rite collatum, ſine gravi piaculo iterari poſſe, ſemper Eccleſia negavit, uti conſtat *ex can.* 47. *Apoſtolor.* juxta verſionem Dionyſii, *ex can.* 3. Concilii Valentini anni 374. & *ex can.* 38. Concilii Carthaginienſis III. anni 397. quibus in locis temere rebaptizantes gravibus ſubduntur pœnis, & Eccleſiaſtica communione privantur. At eadem Eccleſia, quæ *ita docuit*, eos nihilominus, de quibus dubitabatur, an eſſent in Chriſto regenerati, incunctanter baptizandos præcepit; quod innumeris teſtimoniis comprobatur. Seculo III. diſputatum fuit de Baptiſmo Clinicorum, num ſcilicet validum eſſet Baptiſma per aſperſionem datum ægrotis in lecto decumbentibus: conſulitur Cyprianus: reſpondet Sanctus Doctor *epiſt.* 76. *ad Magnum*, validum quidem ſibi illud videri; iis autem, qui dubitabant, auctorem ſe eſſe, ut illud iterum conferrent: *Si aliquis exiſtimat* (ait Cyprianus) *eos nihil conſequutos, eo quod aqua ſalutari tantum perfuſi ſunt, ſed inanes, & vacui ſunt, non decipiantur, ut, ſi incommodum languoris evaſerint, & convaluerint, baptizentur.* Seculo V. a Legatis Maurorum interrogantur Patres Concilii Carthaginienſis V. (aliis VI.) anni 401. quid agendum foret de pueris, qui an baptizati eſſent, nemo certo ſciret: ad quod reſponderunt Patres *can.* 6. Collectionis Harduini *tom.* 1. *col.* 987. *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui, eos baptizatos eſſe, ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere; abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari*: eundemque canonem renovarunt Synodus Africana anni 401. & alia Synodus Carthaginienſis ſub Bonifacio Epiſcopo anno 525. Idem ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, atque iterum ad Neonam Epiſcopum Ravennatem reſcripſit Leo Magnus. Ad hæc autem precedentium Conciliorum, & Patrum decreta alluſit Gregorius II. cum de eadem re interrogatus a Bonifacio Epiſcopo, *epiſt.* 2. *num.* 9. *tom.* 3. Collectionis Harduini *col.* 1859. reſpondit: *De parvulis, qui a parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati, an non, ignorant; quia interrogaſti; hos ut baptizare debeas, ſecundum Patrum traditionem, ſi non fuerit, qui teſtificetur, ratio poſcit.* Jam vero, cum

ex his, aliisque similibus testimoniis, a laudato Marene prolatis, luculenter pateat, antiquum, atque ipsi Ecclesiæ coævum usum fuisse, eos baptizare, de quibus dubitabatur, num per regenerationis lavacrum ab originali culpa essent expiati, ne dicamus, Ecclesiam in eundem incidisse rebaptizantium errorem, quem ioties detestata erat, & damnaverat, necesse est existimare, non aliter in ea dubietate Baptismum conferri voluisse, quam sub tacita, & mente concepta conditione: *Si nondum es legitime baptizatus*. Hæc autem conditio, quæ prius mente tantum concipiebatur, cœpit seculo VIII. in ipsa Baptismi forma exprimi, & pronuntiari: quam quidem disciplinam, multis jam in locis receptam, Alexander III. seculo XII. non solum approbavit, sed ubique servandam edixit *in Cap.* 2. *de Baptismo*: inquiens: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed, si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* eandemque sanctionem confirmavit Joannes XXII. apud Odoricum Raynaldum *ad annum* 1333. *num.* 42.

II. Non ideo tamen, quod per præfatam conditionem periculum eviteur rebaptizandi eum, qui jam semel fuerit legitime baptizatus, est illa passim, & temere adhibenda; sed tunc solum ea uti licebit, cum prudens, & probabilis subest dubitatio, an quis fuerit rite baptizatus, nec, diligenti præmissa indagatione, potuit rei veritas innotescere: quemadmodum scite perpendit Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. unic. art.* 9. §. *Circa hanc igitur solutionem*, ubi a sacrilegio non excusat, neque ab irregularitate absolvit Sacerdotem sub conditione rebaptizantem, quem scitdomi baptizatum, & nihil est, quod collatum ei Baptisma rationabiliter suspectum reddat. Quare minime sectanda sunt exempla, quæ congesserunt Gobat *tom.* 1. *tract.* 2. *sect.* 3. & Marin. *Theol. tom.* 3. *tract.* 19. *disput.* 1. *sect.* 8. *num.* 140. ubi plures sub conditione baptizatos narrant, qui ob merum scrupulum non tam dubitabant, quam imprudenter suspicabantur, se non *esse rite baptizatos*; quam quidem *conditionatam* Sacramenti iterationem, ob consequutos, seu potius adprehensos effectus quietis *conscientiarum*, iidem Auctores videntur approbare; sed potius aures præbendæ sunt Estio *in* 4. *dist.* 2. §. 15. hæc ad rem adnotanti: *Sciendum est, non quamcumque levem in contrarium suspicionem, vel scrupulum debere sufficere ad hoc, ut sub conditione quis hoc pacto baptizetur; sed requiri dubitationem probabilem..... Ea autem probabilis dubitatio est, quæ, facta etiam diligenti indagine, discuti non potest, ita ut nec moralis certitudo facti haberi queat*. Immo verius obtemperandum est Catechismo Romano *part.* 2. *de sacram. Baptism. n.* 57. ubi de forma conditionata ait: *Ea Baptismi forma ex Alexandri Papæ auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, an Baptismum rite susceperint; aliter vero nunquam fas est, etiam cum adjunctione, Baptismum alicui iterum administrare*.

III. Quæ hucusque diximus, copiosius adhuc, & clarius a nobis exposita, pluribusque sacræ Congregationis Concilii responsis confirmata fuere *in nostra Instit.* 84. ubi non solum ex ejusdem sacræ Congregationis sententia ostendimus, non esse Baptismum, ne sub conditione quidem, iterandum, cum nulla occurrit prudens ratio dubitandi de prioris Baptismi validitate, sed etiam ab irregularitate iterantibus Baptisma inflicta ab Alexandro III. *in Cap Ex litterarum, de apostatis, & reiterantibus Baptisma*, non eximi probavimus, qui, ob solum apprehensum prioris Baptismi vitium, nullaque præmissa veritatis indagatione, illud denuo sub conditione conferunt, quibus certo sciunt jam semel antea fuisse collatum: etenim, quamquam plures Doctores istiusmodi, sub conditione rebaptizantes a gravi culpa, atque ab irregularitate absolvant, eo quod per adjectam conditionem satis consultum existiment reverentiæ debitæ Sacramento, ad quod conficiendum non aliter fertur intentio Ministri, nisi si rite confectum non fuerit aliud antea administratum; hæc tamen sententia rejicitur a Catechismo Romano *cit. loc.* ubi reprobantur asserentes, *nullum scelus admitti, si quemvis sine delectu cum adjunctione illa* ( videlicet conditionis ) *baptizent*: eidemque opinioni refragatur auctoritas S. Caroli, in cujus Instructionibus, *Actor. Ecclesiæ Mediolanensis part.* 4. *pag.* 497. hæc de forma conditionata habentur: *Qua forma utitur, cum infans, aliusve, qui Baptismo offertur, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, aut certe non apparet, eum baptizatum esse, ut de expositis inventisque parvulis dubitari, atque ignorari sæpenumero solet. Quod si, re accurate investigata, exploratum habuerit, illum, forma servata, baptizatum esse, caveat omnino, ne hanc sub conditione baptizandi formam adhibeat: cum sacrilegium committat, si contra fecerit, & illud impedimentum contrahat, quod sacri canones irregularitatem vocant*.

IV. In alia itidem nostra *Instit.* 8. hanc eandem materiam tractantes, diximus cum Cardinali Albitio *de Inconstantia in Fide cap.* 33. *a num.* 14. *usque ad.* 16. improbandas esse Synodos, in quibus generatim, atque indistincte, iterum sub conditione in Ecclesia baptizari jubentur, quicumque privatim fuere ab obstetricibus domi baptizati. De hisce Synodis, ac Ritualibus idem decernentibus, agit Holzmann *in sua Theologia moral. tom.* 2. *tract.* 2. *cap.* 2. *art.* 2. qui, licet eorundem Auctores hoc nomine excuset, quod scilicet dubium illis visum fuerit Baptisma ab obstetrice collatum, fatetur nihilominus, minus caute, ac nimium *indefinite* eos loquutos; cum *debuerint potius* rerum circumstantias distinguere, easque determinare, quæ incertam reddunt validitatem collati Baptismi, quem propterea tunc oporteat sub conditione iterari. Enimvero, si obstetrices de Sacramenti materia, forma, & necessaria in Ministro intentione sint legitime edoctæ, sicuti nos *in cit. Instit.* 8. eas per Parochos solerter edoceri jussimus, priusquam ad obstetricum officium excercendum admittantur, eæque in speciali eventu, quo Baptisma periclitanti infanti privatim contulerint, ab eodem Parocho interrogatæ, omnia rite a se adhibita testentur, quæ ad Sacramentum valide conficiendum requiruntur; nulla sane subest probabilis ratio, cur Baptismus debeat, aut licite possit sub conditione repeti. Scimus utique, in aliis Synodis relatis a Giberto *cit. tom.* 2. *consult. Canonicar. consult.* 16. cautum reperiri, ne plena fides habeatur solius obstetricis testimonio, nisi comprobetur assertione aliorum, qui Baptismo præsentes fuerint. Verum, quamquam ex plurium attestatione major profecto hauriatur rei gestæ certitudo, attamen sacri canones sufficienter probatam habent collationem Baptismatis per unicum testem, præcipue si is testificetur de facto proprio, hoc est si affirmet, illud fuisse a se legitime administratum, nec quidquam in contrarium occurrat, quod illius testimonio fidem detrahat; uti diserte decernitur *in Can.* 110. *&* 112. *de Consecrat. dist.* 4. *& Cap. Nuper, de testibus*, ubi Interpretes omnes.

V. Aliud est, cum collati Baptismi testimonium præbetur a persona incerta: etenim, cum juxta rescriptum Imperatoris Hadriani ad Junium Rufinum, Proconsulem Macedoniæ, relatum a Callistrato *in l. Testium* 3. *ff. de Testibus, Testibus non testimoniis, sit credendum*, non debemus rem adeo gravem committere fidei personæ ignotæ, cujus qualitates, uti Callistratus *in cit. leg.* faciendum monet, explorare non possumus. Quare sacra Congregatio Concilii interroga-

ta,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ta, an iterum baptizandi essent infantes, vulgo *expositi*, ad hospitale S. Spiritus in Saxia de Urbe delati, etiamsi habeant collo appensam schedulam attestantem, eos fuisse Baptismate ablutos, die 15. Januarii 1624. respondit, esse denuo baptizandos sub conditione, nisi certa habeatur notitia personæ, a qua schedula sit exarata, aut aliunde indubitatum desumatur indicium Baptismatis rite eisdem collati: quod nos *in cit. nostr. Instit.* 8. animadvertimus, & videre est *in Thesauro Resolut. tom.* 2. *pag.* 412. *& tom.* 3. *pag.* 2.

VI. In eadem sententia fuerant Patres Concilii Provincialis Tolosani, habiti a Cardinali Francisco de Joyosa anno 1590. in cujus *part.* 2. *cap.* 2. decernitur: *Cum projectis expositisque puerulis, licet affixa reperiatur schedula, quæ eos baptizatos esse testetur, in id tamen, an verum, fictumque sit, Parochi diligenter inquirent: si certi nihil compererint in scripto chartulæ nomine, eos sub conditione baptizabunt: tom.* 10. Collectionis Harduini *col.* 1798. Cumque minorem fidem collati Baptismatis, quam schedula incerti auctoris, faciant alia signa exposito infanti apposita, puta sal; ideo rectissime a Richardo Poor, Episcopo Sarum, cautum legitur: *Si vero pueros cum sale, vel sine sale expositos contingat inveniri, baptizentur*, sub conditione tamen, ut statim ibidem explicatur: *tom.* 2. *Concilior. Britan.* Henric. Spelman. *pag.* 143.

VII. Itaque, si Episcopus in sua Synodo loqui velit de Sacramentorum forma conditionata, quod profecto nedum utile, sed quandoque etiam necessarium reputamus, omnia præ oculis habeat, quæ hactenus enarravimus, atque, ad eorum normam, congruam formet institutionem, ad quam Parochi, in illa adhibenda, se debeant conformare. Quod si diœcesi præsit, in qua sæpe contingat, baptizatos ab hæreticis, ejurata hæresi, qua erant imbuti, in Catholicæ Ecclesiæ gremium se se recipere, & dubitetur, uti alicubi dubitatum scimus, an ii iterum sint sub conditione baptizandi, antequam in re admodum sane gravi & ardua quidquam decernat, diligenter investiget, oportet, num in illa hæreticorum secta, de qua agitur, aliquid innovatum fuerit circa Baptismi materiam, & formam a Christo Domino institutas. Si enim utramque ab ejusdem sectæ pseudoministris rite adhiberi deprehenderit, non potest permittere, ut Baptismus ullo pacto iteretur, quin veniat in suspicionem erroris rebaptizantium, a S. Stephano I. atque, uti affirmat Augustinus *lib.* 2. *cap.* 8. *de Baptismo contra Donatistas, Oper. tom.* 9. *col.* 103. *a Concilio plenario* proscripti, sive ejusmodi Concilium fuerit Arelatense I. sive magnum Nicænum, de quo litigant Eruditi. Si autem certo compererit, aut baptizandi corpus ab illis non perfundi aqua naturali, aut formam pronuntiari sine expressa invocatione Sanctissimæ Trinitatis, sive alia ratione, ab illa diversa, quam Christus instituit, Baptismum absolute renovari jubeat: ob non adhibitam quippe legitimam formam, canon 8. Concilii Laodiceni, *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 781. rebaptizandos decrevit hæreticos Montanistas: & Gregorius Magnus *lib.* 11. *indict.* 4. *epist.* 67. *tom.* 2. *Oper. col.* 1167. scribens ad Episcopos Hiberiæ, universim statuit: *Hi vero hæretici, qui in Trinitatis nomine baptizantur .... cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia Baptisma non fuit, quod in errore positi in Sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt.* Hæc sapienter respexit Cardinalis de Rohan in suo Rituali Argentinensi *ad tit. de Baptismo num.* 6. cum ait: *Baptizati ab iis hæreticis, qui rectam baptizandi formam non retinent, denuo absolute baptizari debent.* Quod si denique, diligetni præmissa perquisitione, rei veritatem certo assequi nequiverit, & dubia sibi atque incerta remaneat validitas Baptismatis, ab hæretico ministro suscepti, illud utique erit sub conditione repetendum, quod *in cit. nostra Instit.* 84. declaratum diximus a sacra Congregatione Concilii, quæ interrogata: *An, & in quibus casibus hæretici debeant sub conditione rebaptizari, si ad Fidem Catholicam convertantur:* die 27. Martii 1683. respondit, non esse rebaptizandos, *nisi dubium adsit probabile invaliditatis Baptismi.*

VIII. Rationabiliter porro Patribus Concilii Provincialis Mechlinensis anni 1607. incertum saltem, & dubium visum est Baptisma collatum ab hæreticis Hollandiæ, finitimarumque regionum, apud quos mos invaluerat, ut, uno aquam fundente, alter Sacramenti formam pronunciaret; ac propterea juste illud iterandum decrevere *tit.* 3. *cap.* 6. *Et quia frequens experientia docet, modernos hæreticos sæpe contra receptam Ecclesiæ consuetudinem, & antiquissimam traditionem, baptizare, uno aquam fundente, alio formam ipsam pronunciante; ab hæreticis (qui non sunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus præsto est) baptizati, similiter sub conditione baptizentur:* Collectionis Harduini *tom.* 10. *col.* 1943. cujus quidem Concilii sanctionem tuto sectari possunt, & debent aliarum Ecclesiarum Præsules, a quibus sint Ecclesiæ reconciliandi hæretici, iis in locis baptizati, ubi eundem erroneum Baptismi ritum plerumque adhiberi, non ex incerto rumore, sed ex fide dignis testimoniis acceperint, atque ideo merito suspicentur, eodem modo fuisse etiam illos baptizatos, qui in Catholicorum numerum petunt aggregari: quod eam ob causam, cum hæreticis Angliæ faciendum, docuere Sylvius *in* 3. *part. quæst.* 66. *art.* 9. Cardinalis de Lugo *in Respons. moral. lib.* 1. *dub.* 2. *num.* 3. Gobat *tract.* 2. *n.* 392. Laurentius Neesen *tract.* 2. *de Baptismo dub.* 5. Ludovicus Michon *in usibus de Sacram. cas.* 8. & la Croix *lib.* 6. *part.* 1. *num.* 322. Idem vero Sylvius *in var. Resolut. verb. Baptismus* III. *Operum tom.* 5. agens de quodam Britanno, baptizato ab hæretico Puritano, de quo valde dubitabatur, num in Baptismatis collatione orthodoxa forma usus fuisset, ait, quod, cum rationabiliter de hoc dubitari posset, sub conditione rebaptizandus erat: *Quia justa prorsus est ratio dubitandi de valore Baptismi collati, attenta hæreticorum nostri temporis (qui, ut testantur Molanus, & Synodus Mechlinensis Provincialis secunda, frequenter deprehensi fuerunt vel formam corrupisse, vel intentionem necessariam non habuisse, vel aliter male baptizasse) malitia .... quoniam saluti consulere oportet: quandoquidem est probabilis ratio dubitandi de remedio, quod constat esse necessarium; id, quod fieri hic potest, etiam expedit, ut fiat.*

IX. Caveat tamen Episcopus, ne incertam & dubiam pronunciet Baptismi validitatem hoc tantum nomine, quod hæreticus minister, a quo fuit collatus, cum non credat per regenerationis lavacrum deleri peccata, illud non contulerit in remissionem peccatorum, atque ideo non habuerit intentionem illud conficiendi, prout a Christo Domino est institutum, siquidem, cum in Galliis disputatum olim fuerit, an ob prædictam rationem rebaptizandi essent baptizati a Calvinistis, S. Pius V. ad quem controversia delata est, minime rebaptizandos definivit. Sacramenti enim validitati non officit privatus ministri error, cui prævalet generalis ejusdem ministri intentio faciendi, quod Christus instituit, seu quod fit in vera Christi Ecclesia: quemadmodum testantur Acta Concilii Ebroicensis anni 1576. ubi hæc ad rem adnotantur: *Ante decisionem Apostolicæ Sedis Romanæ, licuit fortasse cuique in suo sensu abundare. Verum, quoniam, post habitam de hac facultate disputationem, felic. record. Pius V. definivit, verum esse Baptisma, quo uterentur Calvinistæ adhibentes formam, & materiam insti-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*institutam a Christo, cum intentione generali faciendi, quod Christus instituit; licet errarent in particulari interpretatione, & singulari intentione, ut alii fere omnes hæretici errarunt, vel circa intelligentiam formæ baptismalis, vel circa aliquem ejus effectum: ob id baptizatos ab ipsis Calvinistis, non iterum tingendos sub conditione &c. Hinc interdicimus omnibus Curatis, & Presbyteris, sub pœna suspensionis ipso facto a Divinis, ne allatos ad se pueros, jam baptizatos a Calvinistis, audeant iterum tingere, sub illa conditione.* Alia similia Synodorum statuta legi possunt apud Grancolas *in antiquo Sacramentario Ecclesiæ part. 2. pag. 153. & seq.*

X. Quædam exstant in Orbe Catholico Sanctuaria, ad quæ deferuntur infantes sine Baptismate vita functi. Eorum cadavera ante aliquam Imaginem Salvatoris nostri Jesu Christi prodigiis celebratam, quæ ibidem veneratur, a piis parentibus collocantur, ibique aliquantisper relinquuntur, quo interim spatio enixe preces Omnipotenti Deo porriguntur, ut hujusmodi infantes demortuos ad vitam revocare velit, quo possint Baptismatis Sacramentum accipere. Quod si deinde aliquod in eis vitæ signum appareat, salutari lavacro *sub conditione* abluuntur; cumque deinde ut plurimum morti reddantur, tanquam baptizati, in loco sacro sepeliuntur.

XI. De his Sanctuariis, quæ in Germania potissimum existunt, ac de hujusmodi miraculosis eventibus agunt P. Bagatta *in suo Opere de admirandis Orbis Christiani*, P. Gobat *in sua Theologia Morali tom. 1.* ac recentius omnibus P. Amort *tom. 3. suæ Theologiæ in tract. de Sacramento Baptismi*. In Synodis Diœcesanis Lingonensibus, anno 1452. & 1455. habitis, item in statutis Synodalibus Ecclesiæ Lugdunensis, a Cardinali Tournonio Archiepiscopo promulgatis, ac in aliis etiam Synodalibus Bisuntinæ Ecclesiæ statutis, anno 1592. & 1656. editis, præmissa omnia vetita fuerunt sub gravium pœnarum interminatione; dictæque Synodales *sanctiones relatæ* sunt a Thiers in Tractatu *de superstitione tom. 2. tert. edit. Paris. anni 1712. cap. 7. de Superstitionibus, quæ ad Baptismum pertinent*, & a Natali Alexandro *in sua Theologia Dogmatica & Morali l. 2. de Sacram. Baptismi cap. 7. regul. 3.* Fundamentum, quo prædictæ Synodales Constitutiones innituntur, in eo potissimum constituitur, quod nimis ambigua sunt signa, ex quibus ejusmodi infantium resurrectio erui contenditur; quodque levis plerumque fidei & auctoritatis sunt testes, qui de iisdem testimonium perhibent; cum pro certis reviviscentiæ signis habeantur aut pallidi coloris in rubicundum mutatio, aut membrorum, quæ antea rigebant, flexibilitas, aut sanguis e naribus fluens, aut aliqua sudoris gutta, quæ in fronte, vel in stomacho appareat; cumque de his ipsis rudes mulierculæ testes ut plurimum sint: quapropter sapientes illi Episcopi Ecclesiasticæ disciplinæ gravitati convenire existimarunt, e suis diœcesibus hæc omnia removere, ac interdicere, ne Baptismus prædictis infantibus conferatur, neve in locis sacris eorum cadavera tumulentur; idque eo magis, quod supradicti physici effectus facile adscribi possunt calori, qui ex facibus circum infantium cadavera accensis oritur, aliisque ignibus, quibus ipsa Sanctuaria tepescunt.

XII. Inter hujusmodi Sanctuaria, quod ad rem præsentem attinet, omnium fortasse celeberrimum est illud Uspergæ, in Suevia, intra fines diœcesis Augustanæ, sub cura Canonicorum Regularium Præmonstratensium; ad quod nimirum ex remotis etiam regionibus infantium absque Baptismate mortuorum cadavera deferuntur, ut, aliquo in eis vitæ indicio comparente, sacra Baptismatis unda abluantur. Sed, cum ad Congregationem S. Officii delatus fuisset recursus adversus hujusmodi morem baptizandi prædictos infantes *sub conditione*, & quæstio diligenter coram ea examinata fuisset, ipsis etiam Canonicis Præmonstratensibus auditis; die tandem 27. Aprilis anni 1729. decretum fuit, ut hujusmodi consuetudo de medio tolleretur; idemque confirmatum fuit die 19. Decembris ejusdem anni, item die 20. Februarii anni 1737. 30. Januarii 1738. 3. & 6. Junii 1744. ac denique die 11. Maji 1751. Porro qui consuetudinem hanc tuebantur, ac pro illius approbatione instabant, hæc maxime afferebant; quod scilicet, quamvis oculos aperire, colorem mutare, aliquam sudoris guttam emittere, & alia hujusmodi signa resurrectionis haud evidentia essent, probabilia tamen censeri debebant: cumque proinde dubium subesset, an infans revixisset, necne, id satis superque erat, ut baptizari posset, vel potius deberet, sub conditione, *si vivus es*. Verum prædicta Congregatio recte sapienterque animadvertit, quod minime agebatur de infantibus, de quorum vita, aut morte, ambiguis in utramque partem concurrentibus indiciis, disputaretur; sed de infantibus procul dubio vita functis, quique saltem tanto jam tempore vita caruerant, quantum in itinere plurium quandoque dierum, nullo prorsus alimento ipsis dato, impensum fuerat; ac proinde rem esse de vero miraculo resurrectionis; quod sane admitti non debet, nisi perspicuis & plane concludentibus probationibus evidenter demonstretur. Quemadmodum vero, deficientibus hujusmodi probationibus, nec resurrectio admitti, nec Baptismus sub conditione conferri debet; ita, si resurrectio pro certa habeatur (quod tamen ex signis superius enunciatis, aliisque similibus nequaquam inferri potest,) jam, non conditionata, sed absoluta Baptismi forma adhibenda erit. Quod autem innuimus, *resurrectionem ex prædictis signis minime inferri* posse, id sine ulla dubitatione confirmamus, quantumvis eadem signa per testes idoneos atque inter se concordes comprobarentur. Sane, cum aliquando illa in Servorum Dei, aut Beatorum extinctis corporibus conspiciuntur, an, & quibus in casibus miraculosa, aut naturalia censeri debeant, late ostensum per nos est in nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 1. cap. 31.* Sed nunquam ulli hominum in mentem venit asserere, prædictos Servos Dei, atque Beatos, in quorum corporibus id genus signa reperta sunt, a mortuis resurrexisse, vel saltem pro verisimili, aut probabili habendum esse, eosdem fuisse ad vitam revocatos. Illud autem silentio prætereundum non est, quod inter signa, quæ in eorum infantium cadaveribus apparere dicuntur, neque vagitus, neque ejulatus connumerari perlegimus; quæ cæteroquin infantium indoli adeo prona sunt, quæque in resurrectionis materia, utpote minus fraudi ac falsitati subjecta magni quidem momenti existimarentur.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De Sacramento Confirmationis relative ad Presbyteros Græcos, qui illud pueris post Baptismum administrant, & primo de Ministro hujus Sacramenti.*

CUm vetusta apud Græcos consuetudo obtinuerit, ut simplices Sacerdotes Sacramentum Confirmationis administrent, pueroque statim post baptismum sacro Chrismate liniant; Episcopi Latini, in quorum diœcesibus Græci habitant, suorumque majorum institutis utuntur, persæpe dubitarunt de ejusmodi Confirmationis robore. Hanc autem quæstionem potissimum movere, & refricare solent in eorum Synodis, in

in quibus, juxta ſalutare monitum Fagnani *in cit. cap. Sicut olim, num. 91. de accuſat.* ea ſunt accuratius enucleanda, quæ in ſingulis Sacramentis, ut rata ſint, dignoſcuntur neceſſaria. Quapropter in hac noſtra lucubratione, quam ad omnium Eccleſiarum Antiſtitum utilitatem, & commodum exaramus, operæ pretium eſt, præfatis mixti ritus diœceſium Præſulibus viam ſternere, quam tuto calcare queant, quin impediantur innumeris molibus difficultatum, quæ a Doctoribus excitantur circa legitimum Sacramenti Confirmationis Miniſtrum, nullique incertæ, & controverſæ inter Catholicos opinioni adhærentes, veram ſectentur doctrinam, ab Apoſtolica Sede approbatam, quidque de Confirmatione a ſimplici Sacerdote adminiſtrata ſentiendum ſit, pro locorum diverſitate, abſque errandi periculo, in ſuis Synodis ſtatuant. Quo vero clarius id fiat, nonnulla ſunt præmittenda.

II. Ordinarium Miniſtrum Sacramenti Confirmationis eſſe ſolum Epiſcopum, definitum eſt a Concilio Conſtantienſi in damnatione errorum Wiclefi, ab Eugenio IV. in decreto inſtructionis ad Armenos, atque a Tridentino *ſeſſ. 7. de Confirmatione can. 3. Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit*. Hanc veritatem didicit Catholica Eccleſia ab Apoſtolis, qui cum *Actor. 8.* audiviſſent, Samariam recepiſſe verbum Dei, miſerunt illuc Petrum, & Joannem Apoſtolos, ideoque Epiſcopali charactere inſignitos, qui recens a Philippo Diacono baptizatis manus imponerent, ac Spiritum Sanctum traderent. Hinc Innocentius I. in epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, *cap. 3. num. 6.* ex recenſione Petri Couſtant *tom. 1. epiſt. Roman. Pontif. col. 858.* ſcripſit: *De conſignandis vero infantibus manifeſtum eſt, non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet ſecundi ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificium ſolis deberi Epiſcopis, ut vel conſignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit, Petrum, & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum; nam Presbyteris, ſive extra Epiſcopum, ſive præſente Epiſcopo, cum baptizant, Chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradant Spiritum Paracletum*.

III. Neque huic Catholico dogmati illud contrariatur, quod adnotavit Lucas Holſtenius *in diſſert. 1. de Miniſtro Confirmationis cap. 1.* nimirum ab Anania, non utique Apoſtolo, ſed Diſcipulo, manus fuiſſe impoſitas Saulo, uti legitur *Act. 9. verſic. 17.* Etenim ea manuum impoſitio, utpote, quæ Baptiſmum præceſſit, non fuit confirmatoria, ſed curatoria, hoc eſt adhibita ad reſtituendam Paulo viſus ſanitatem; quod *ex ejuſdem capitis 9. verſ. 18.* liquet. De ſimili manuum impoſitione, adhibenda nimirum ad curandos energumenos, loquitur Innocentius I. *in cit. epiſt. ad Decentium cap. 6. num. 9.* ubi eam, ex Epiſcopi delegatione, fieri permiſit etiam a Diacono, inquiens: *De his vero baptizatis, qui poſtea a dæmonio, vitio aliquo, aut peccato interveniente, arripiuntur, eſt ſolicita dilectio tua, ſi a Presbytero, vel Diacono poſſint, aut debeant deſignari. Quod hoc, niſi Epiſcopus præceperit, non licet. Nam eis manus imponenda omnino non eſt, niſi Epiſcopus auctoritatem dederit id efficiendi*. Quem Innocentii locum non recte conſiderarunt Morinus *in diſſertat. de Sacramento Confirmationis cap. 16.* & citatus Lucas Holſtenius, qui inde erui affirmarunt, poteſtatem confirmandi quondam fuiſſe Diaconis delegatam; nam, uti melius obſervavit Morini Editor Moretus, & pluribus confirmat Petrus Couſtant *ad cit. epiſt.* nullus hic eſt ſermo de Sacramento Confirmationis, quod tunc temporis ſtatim poſt Baptiſmum conferebatur, quemadmodum in ſequenti capite oſtendemus; ſed de ritu, quo eis ſuccurrebatur, qui a dæmonio, poſt ſuſceptum Baptiſmum, eſſent arrepti.

IV. At gravis olim exarſit inter Doctores controverſia, an, ex ſpeciali delegatione Romani Pontificis, poſſit ſimplex Sacerdos, ſaltem Chriſmate ab Epiſcopo jam conſecrato, Sacramentum Confirmationis adminiſtrare. Negabant quamplurimi non infimæ notæ Theologi, inter quos Robertus Cardinalis Pullus *part. 5. ſentent. cap. 23.* Hugo Victorinus *lib. 2. de Sacram. part. 7. cap. 2.* Hadrianus *in 4. diſtinct. 7. art. 3.* Durandus ibidem *quæſt. 3. & 4.* quibus ex recentioribus adhæſerunt Eſtius *in 4. diſt. 7. §. 21. & 22.* Sambovius *tract. de Sacram. Confirm.* du-Hamel *tom. 6 Theolog. tract. 2. lib. 2. diſſert. 3. cap. 4.* Herminier *eod. tract. cap. 7.* Affirmant ex adverſo Jacobus Cardinalis a Vitriaco *ſerm. in vigilia Pentecoſtes*, D. Thomas *in 4. diſt. 7. quæſt. 3. & 3. part. quæſt. 72. art. 11.* Sotus *in 4. diſtinct. 7. quæſt. 1. art. 11.* Bellarminus *de Sacram. Confirmat. cap. 12. Oper. tom. 3.* Suarez *tom. 3. in 3. part. diſput. 36. ſect. 2.* Gregorius de Valentia *tom. 4. diſp. 5. quæſt. 2. punct. 1.* Covarruvias *lib. 1. var. cap. 10.* Navarrus *manual. cap. 22. n. 8.* Cardinalis de Lugo *in Reſponſ. moral. lib. 1. dub. 6.* Cardinalis de Lauræa *in 4. tom. 3. diſput. 2. art. 2.* Cardinalis Gottus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 2. de Miniſtro Confirmat. dub. 2. §. 1.* Juenin *de Sacram. diſſ. 3. quæſt. 5. cap. 2. art. 2. §. 3.* Tournely *de Sacram. Confirm. quæſt. 3. art. 2.* Drovet *de re Sacramentaria lib. 3. quæſt. 7.* Boucat *diſſ. 2. de Confirm. art. 4. ſect. 2. tom. 5.* Simonet *tract. 13. diſput. 2. art. 2.* Berti *Theolog. tom. 7. lib. 32. cap. 7.* quorum ſententia, etſi neque a Concilio Florentino, neque a Tridentino fuerit definita, ſicuti contra Gregorium de Valentia obſervant Tournely *cit. loc.* & Vuitaſſe *de Miniſt. extraord. Sacram. Confirm. tom. 2. quæſt. 2. artic. 5. ſect. 1.* attamen non videtur poſſe amplius in controverſiam & dubitationem revocari.

V. Etenim S. Gregorius Magnus, cum *epiſt. 9. lib. 4. indict. 12. tom. 2. Oper. col. 689.* Presbyteris Calaritanis interdixiſſet: *Ne baptizatos infantes ſignare in fronte præſumerent, ſed eos ungerent in pectore, ut Epiſcopi poſtmodum ungere debeant in fronte*: audiens poſtmodum, hac ſua prohibitione multos offenſos, *epiſt. 26. ead. indict. col. 705. tom. citat.* relata *in Can. Pervenit, diſt. 95.* facultatem, quam illis denegaverat, conceſſit, hæc ad Januarium, Calaritanum Epiſcopum, ſcribens: *Pervenit quoque ad nos, quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod, Presbyteros Chriſmate tangere in fronte eos, qui baptizati ſunt, prohibuimus. Et nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus; ſed, ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, concedimus*. Sunt quidem, qui Gregorium loquutum putant, non de unctione Confirmatoria, ſed de mera cæremonia, ſeu Sacramentali quadam unctione, illi ſimili, quæ fit in vertice baptizati, quam Presbyteri Calaritani, contra uſum ceteroquin Romanæ Eccleſiæ, aut ante, aut poſt Baptiſmum, faciebant in fronte. Ita Gregorium intelligendum affirmat Hadrianus *cit. loc.* cujus interpretationem approbat etiam Petrus de Marca *diſſertat. ad can. 28. Concilii Claromontani, anni 1095.* licet enim hic Auctor non neget, poſſe a ſummo Pontifice poteſtatem confirmandi delegari ſimplici Sacerdoti, id tamen ex eo Gregorii loco, & facto, minime confici autumat. Verum hanc interpretationem validiſſimis argumentis refellit Suarez *cit. ſeſſ. 2.* Quoniam in primis Gregorius Magnus *epiſt. 26.* eam ipſam facultatem

tatem Episcopis Calaritanis elargitur, quam *epist. 9.* denegaverat: in hac autem de Sacramento Confirmationis sermonem fuisse, videtur manifestum; solius enim cæremoniæ abolendæ tantam curam, & solicitudinem Pontifex non suscepisset: deinde, si de mera cæremonia quæstio fuisset, *illius* usum non limitasset Gregorius ad solam circumstantiam temporis, quo Episcopus abest: ac tandem Eugenius IV. in laudato decreto, præfatam sane respiciens Gregorii epistolam, certum ponit, in ea potestatem fieri simplici Sacerdoti, non solius *ritus exercendi*, sed verum Sacramentum Confirmationis administrandi, inquiens: *Legitur tamen aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem, ex rationabili, & urgenti admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

VI. Idem privilegium, quod Calaritanis Gregorius Magnus, plures posteriores Pontifices aliis Presbyteris sunt elargiti. Refert siquidem Lucas Wadingus *in Annal. Minorum tom. 11. ad ann. 1444. & 1447. & tom. 16. ad ann. 1521. & 1522.* nonnullos Fratres Minores hoc privilegio donatos fuisse a Nicolao IV. Joanne XXII. Urbano V. Eugenio IV. Leone X. atque Hadriano VI. cujus diploma in Cœnobio Franciscanorum Hispali asservari, idem Wadingus asserit: ex quo colligere licet, Hadrianum, ad Petri Sedem evectum, e sententia recessisse, quam antea docuerat. Narrat pariter Arcudius *Concord. lib. 2. cap. 15.* se accepisse a Patre Ludovico Fonseca, Societatis Jesu, paucis quibusdam ejusdem Societatis Religiosis a Sede Apostolica indultum, ut Christianos Brasiliæ sacro Chrismate inungerent. Eandem facultatem Abbati Montis Casini concessit Sixtus V. confirmavitque Benedict. XIII. *in sua Constitut. 8. post Concilium Romanum.* Recens pariter est exemplum fan. mem. Clementis XI. qui eodem anno 1721. quo summum diem obiit, Patri Custodi Terræ sanctæ, Ordinis Minorum, permisit Confirmationis Sacramentum, Chrismate ab Episcopo confecto conferre. Hæc, aliaque ejusdem *generis exempla* nos congessimus *in quadam causa Americana*, sacræ Congregationi Concilii, cui tum eramus a secretis, proposita die 13. Junii 1722. *tom. 2. Thesaur. Resolut. pag. 187.* eademque repetita fuere a bon. mem. Cardinali Lanfredin, idem munus obeunte, in alia causa pariter *Americana*, eidem Congregationi proposita die 24. Januarii 1733. *tom. 6. Thesaur. pag. 14.* Evectique ad Petri Cathedram, etiam nos potestatem fecimus Patri Custodi, & Guardiano Sancti Sepulcri D.N. Jesu Christi, Ordinis Minorum de Observantia, idem conferendi Sacramentum Confirmationis in locis Terræ sanctæ, *in* quibus actu non degunt Episcopi Latini, & quoad Fideles Græci ritus, ubi desit Episcopus Græcus Catholicus, qui in propria resideat diœcesi, aut ubi istius ibidem residentis accesserit consensus, uti habetur *in nostra Constit. 10.* atque *in Constit. 87. §. 14. nostri Bullar. tom. 1. pag. 28. & pag. 294.*

VII. Quare non videtur hodie fas esse, potestatem, de qua olim disceptabatur, summo Pontifici adjudicare. Quoniam, ut ait Veracrux *in Specul. part. 2. art. 27. De Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare, instar sacrilegii est. Esset enim Christo quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiæ suæ providisset:* & magis ad rem Sotus *cit. dist. 7. quæst. unic. art. 11. Non est dubitandum, quin simplex Sacerdos ex commissione Papæ possit Sacramentum Confirmationis exhibere. Et qui de hoc jam modo hæsitaret, Ecclesiasticis sanctionibus adversaretur. Etenim, quamvis hæc conclusio ex sacris litteris non plane colligatur, sufficere tamen debet orthodoxis, quod Gregorius* (addimus nos, & alii Pontifices) *illam fecerit dispensationem.*

## CAPUT OCTAVUM.

*De adhibendo Chrismate ab Episcopo benedicto, si Presbyter uti minister extraordinarius Confirmationis Sacramentum administret; & an ad solum Pontificem, excluso Episcopo, pertineat jus delegandi simplici Sacerdoti dicti Sacramenti administrationem.*

HActenus expositæ quæstioni, quam Romanorum Pontificum facta enodarunt, alia succedit nondum dirempta controversia. Privilegium, a laudatis Pontificibus inferioris ordinis Presbyteris concessum, Chrismate consignandi baptizatos, semper limitatum audivimus hac lege, modo scilicet Chrismate uterentur ab Episcopo sacrato. Quærunt autem Doctores, an potuisset iisdem fieri etiam potestas conficiendi Chrisma in sacra unctione adhibendum. Nemo est, qui dubitet, Chrismatis benedictionem annumeratam semper fuisse inter propria, & præcipua Episcopalis Ordinis munera. In Concilio enim Carthaginiensi II. anni 390. *tom. 1.* Collectionis Harduini *col. 952. cap. 3. Ab universis Episcopis dictum est; Chrismatis confectio, & puellarum consecratio a Presbyteris non fiant.* Carthaginiense III. anni 397. *cap. 36. ibid. col. 964.* edixit: *Ut Presbyter, inconsulto Episcopo, Virgines non consecret, Chrisma vero nunquam conficiat.* Concilium Bracarense anni 561. *cap. 19. tom. 3.* Collectionis Harduini *col. 352.* deponi jussit Presbyteros, Chrisma conficere præsumentes. In Actis pariter Concilii Toletani II. anni 531. editis a Cardinali de Aguirre *tom. 2. pag. 271.* refertur epistola Montani Episcopi Toletani ad Theoribium, in qua Montanus sacrilegam increpat quorumdam Presbyterorum audaciam, qui contra antiquissimum, ipsique religioni Christianæ cœvum morem, jus sibi arrogabant consecrandi Chrisma: *Quidam*, ait, *ut ad nos perlatum est, Presbyteri, ausu temerario, res sacras non tam consecrare, quam violare præsumunt: & cunctis ab initio Fidei Catholicæ seculis inusitatum summis sui Ordinis hominibus, nisi tantum Pontificibus debitum, jus consecrationis Chrismæ, nescio quo typo, an dementia dicam, indubitanter assumunt: quod quam Sacrilegum sit, piissimam conscientiam tuam latere non credo.* At, cum isti, aliique similes canones de sola loquantur potestate ordinaria, quam nullus unquam simplici Presbytero asseruit, non adimunt quæstionem, quæ versatur circa potestatem extraordinariam: solum enim disputatur, an, sicuti summus Pontifex potest simplici Sacerdoti facultatem impertiri administrandi Sacramentum Confirmationis, ita eidem committere etiam valeat potestatem conficiendi Chrisma, affirmant Cajetanus *in 3. part. q. 72. art. 3.* Gregorius de Valentia *tom. 4. disp. 5. punct. 2. §. At hoc in primis*, Cardinalis de Lauræa *in 4. tom. 3. disp. 2. art. 3.* Berti *in sua Theolog. tom. 7. lib. 32. cap. 5. propos. 4.* quorum sententiam valde probabilem existimant Suarez *tom. 3. in 3. part. quæst. 72. disp. 33. sect. 2. §. Tertia sententia*, Bonacina *de Sacram. disp. 7. quæst. unic. punct. 2. num. 3.* Etenim, si summus Pontifex suprema sua auctoritate potest simplici Sacerdoti munus demandare conficiendi Sacramentum Confirmationis, de se ceteroquin annexum Ordini Episcopali, eo magis poterit facultatem eidem elargiri præparandi ejusdem Sacramenti materiam. Neque desiderantur ejusmodi concessæ facultatis exempla. Nam, si qua fides Wadingo *in Ann. Minor. tom. 11. ad ann. 1444.* Eugenium IV. Fabiano de Bachia Ordinis Minorum, ad Indos proficiscenti, veniam dedit non solum Chrismate consignandi Fidele, sed etiam ipsum Chrisma conficiendi. Apud Mabillonium itidem *tom. 1. part. 2. Musei Italici*, extat epistola Joannis Diaconi hæc ad Senarium scribentis *num. 8. pag. 73. Sed nec illud*

*lud tangat animum, quo sibi aliquando quædam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut Presbyteri sanctum Chrisma conficiant; quod merito moveret, si istam Pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. Unde constat, etiam nunc a Pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum necessitate, ut a Presbyteris effici possit, superior Ordo constituit.*

II. Ultro tamen fatemur ejusmodi exempla, si vera sint, pauciſſima tamen esse, atque ut plurimum non aliter consuevisse a summis Pontificibus simplices Sacerdotes insigniri potestate administrandi Sacramentum Confirmationis, nisi sub expressa conditione adhibendi Chrisma, non a se, sed ab Episcopo consecratum; quemadmodum perpendit Auctor Theologiæ moralis ad usum Seminarii Petrocorensis *tom. 3. lib. 1. tract. 3. cap. 2. quæst. 5.* quare insuetum foret, hac etiam prærogativa, Episcopalis Ordinis propria, inferiorem Presbyterum exornare. Accedit, nullam adesse necessitatem, hanc potestatem faciendi simplici Presbytero; is quippe, quocunque se conferat, potest secum deferre Chrisma ab Episcopo acceptum, & siquidem a sacris Canonibus, præcipue *Can. Litteris, de Consecrat. dist. 3.* & *Can. Si quis de alio, de Consecrat. dist. 4.* vetitus est usus Chrismatis ante annum benedicti, satis erit, ut ab hoc positivo Ecclesiæ præcepto summi Pontificis auctoritate, eximatur; sicuti nos *in cit. nostra Constitut. 10.* ab eodem absolvimus prædictum Custodem sancti Sepulcri, si non in loco degat, ubi novi Chrismatis ei non suppetat copia.

III. Sed omnium in hac materia gravissima controversia versatur circa auctoritatem Episcoporum: adeo enim diversa sunt hominum ingenia, ut eam ipsam potestatem, quam plerique summo Pontifici abjudicarunt, alii cuilibet Episcopo asserere non dubitent. Cardinalis Pallavicinus *hist. Concil. Trident. lib. 9. cap. 7. num. 16.* Christianus Lupus *in notis ad canones octavæ Synodi cap. 5. tom. 2. pag. 1423. & seq.* Thomassinus *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 1. lib. 2. cap. 23. num. 6.* Franciscus Farvacquius *de Sacram. Confirm. cap. 4. quæst. 4. & 5.* Van-Espen *Jur. Ecclesiast. part. 2. tit. 3. cap. 2. num. 5. & seq.* Juenin. *cit. dissert. 3. q. 5. cap. 2. art. 1. §. 3. in fin.* Petrus Coustant *in epistolas Roman. Pontific. tom. 1. col. 857.* aliique recentiores opinantur, sola inspecta institutione Divina, & seclusa Ecclesiæ prohibitione, posse Episcopum simplici Sacerdoti committere, ut Chrismate a se confecto Fideles consignet, ne secus degentes in locis, ad quæ ipse accurrere nequit, Sacramento Confirmationis perpetuo careant. Nec vero pauca, nec levia sunt rationum momenta, quibus hæc opinio innititur. Nam, ceteris prætermissis, quæ videri possunt apud laudatum Lupum, Concilium Toletanum I. celebratum anno 400. cui Patres undeviginti subscripsere, *can. 20.* Collectionis Harduini *tom. 1. col. 989.* ita statuit: *Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die, nullum alium, nisi Episcopum Chrisma facere, & per diœcesim destinare ..... Statutum est, & Diaconum non chrismate, sed Presbyterum, absente Episcopo; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum.* Toletano concinunt Concilium Arausicanum I. anni 441. & Epaonense anni 517. *tom. 1.* Collectionis Harduini *col. 1783. & tom. 2. col. 1049.* quorum primum *can. 1.* ait: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si deest Episcopus, a Presbyteris cum Chrismate, & benedictio ne consignari placuit:* alterum autem *can. 16.* inquit: *Presbyteros, propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis, & decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, Chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.* Ad hæc, Martinus Archiepiscopus Bracarensis *in sua canonum Collect. cap. 51.* non de hac, aut illa regione, sed veluti de consuetudine ubique recepta, ait: *Presbyter, præsente Episcopo, non signat infantes, nisi forte illi ab Episcopo fuerit præceptum.*

IV. Sed, licet hæc momentosa sint, non tamen leviora sunt, quæ in contrarium proferuntur. Etenim Innocentius I. qui statim post allegatam Synodum Toletanam, hoc est anno 402. fuit Pontifex renuntiatus, *cit. epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum*, ex Actis Apostolorum colligi asseruit, solius Episcopi esse baptizatorum frontem inungere, eaque unctione *Spiritum Paracletum tradere*. Non potuisset autem Pontifex, sine ulla hæsitatione, hæc affirmare, si eadem ætate viguisset alicubi consuetudo, ut baptizati infantes a simplici Presbytero confirmarentur; quare, etsi Thomassinus dixerit, se non videre, nec suspicari posse, quidnam aliud, quam Sacramentum Confirmationis, Patres Toletani simplici Sacerdoti permiserint; attamen alii ex hac ipsa Innocentii I. Decretali manifeste confici arbitrantur, eos de sola loquutos unctione, fieri solita post Baptismum ex mera cæremonia, a qua facienda jusserunt Presbyterum abstinere, si Episcopus adesset. Ita Toletanum canonem interpretatur Cinius *in notis ad eundem*, apud Cardinalem de Aguirre *tom. 2. Concilior. Hispaniæ pag. 148.* inquiens: *Hæc verba canonis intelligenda sunt, non de sacramentali unctione Chrismatis in fronte, sed de unctione cæremoniali, quæ in solemni Baptismo in vertice baptizandi adhibetur. Hanc cæremonialem unctionem, olim Presbyteris interdictam, nonnisi cum licentia Episcopi ab iisdem usurpatam fuisse ..... recensuimus.* Hanc vero fuisse mentem præfati Concilii Toletani, suadent etiam Acta Concilii Hispalensis II. habiti anno 619. adversum Agapium, Cordubensem quondam Episcopum, cui, inter cetera, crimini datum est, quod meris Sacerdotibus potestatem delegasset *conficiendi Chrisma, & Chrismate baptizatorum frontem signandi. Hæc enim omnia* (dixerunt Hispalenses Patres *cap. 7.*) *illicita esse Presbyteris, vel Chorepiscopis, quia Pontificatus apicem non habent, quem solis deberi Episcopis, auctoritate canonum præcipitur: tom. 3.* Collectionis Harduini *col. 560.* Minime autem reprehendendus fuisset Agapius, si rem gessisset a Patribus Toletanis Episcoporum arbitrio permissam.

V. Minus porro hujus sententiæ patroni se urgeri opinantur ab allegatis Arausicani, & Epaonensis Conciliorum locis: incertum quippe esse ajunt, num in illis sermo sit de Confirmatione, an potius de unctione, per quam hæretici ad Ecclesiam redeuntes, ritu valde affini ritui Confirmationis, olim recipiebantur, & verosimilius credant, ad hanc solam illa referri; ea siquidem tempestate, qua Confirmatio statim post Baptismum conferebatur, vix evenire poterat, ut hæretici in Ecclesiæ Catholicæ gremium se recipi exoptantes, nondum essent confirmati, ac propterea in mortis articulo sacro Chrismate signandi forent. Ad hæc Theodulfus Aurelianensis Episcopus, cui certe canones Conciliorum Galliæ ignoti non erant, *lib. de ordine Baptismi cap. 17. tom. 14. Biblioth. Patr. pag. 13.* absolute ait: *Quod ergo Presbyteris Baptizatos Chrismate ungere licet, Spiritum vero Sanctum per manus impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab Apostolis Ecclesiæ est traditus.* Nulla autem ratione potuisset Theodulfus id ab Apostolis traditum asserere, si oppositum sciviſſet Galliæ moribus olim usitatum.

VI. Ita ratiocinantur Doctores, jus, de quo agimus, uni vindicantes Romano Pontifici, quorum longum catalogum contexuit Verricellus *de Apost. Mission. q. 130. sect. 1. & duabus seq.* eorumque agmen ducit D. Thomas *3. part. q. 72. art. 11. Ad primum*, ubi hæc habet: *Dicendum, quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem*

*dinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum Ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Ex hac plenitudine potestatis concessit Beatus Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur.*

VII. Ceterum, quidquid sit de hac difficili, & valde implexa controversia, omnibus in confesso est, irritam nunc fore Confirmationem a simplici Presbytero Latino, ex sola Episcopi delegatione, collatam, quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit; quam quidem reservationem non tantum a consuetudine in tota Ecclesia Latina jamdiu recepta tacite inductam arbitramur, sicuti opinantur Juenin *citat. loc.* & Tournely *de Sacrament. Confirmat. quæst.* 3 *articol.* 2. sed jam ante Noni seculi finem expresse facta colligimus *ex epist.* 70. Nicolai Primi ad Hincmarum, & ceteros Archiepiscopos, atque Episcopos, in Regno Caroli constitutos, in qua legitur, Græcorum Imperatores, eosque, qui illis parebant, calumniari sanctam Romanam Ecclesiam, immo omnem Ecclesiam, quæ Latina utitur lingua, *quia Presbyteros sortiri conjuges prohibemus, & quoniam eosdem Presbyteros Chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus: tom.* 5. Collectionis Harduini *col.* 309. Posita autem reservatione facultatis, de qua est sermo, a summo Pontifice sibi facta, nec licite, nec valide potest Episcopus Latinus illa uti: nam, quamvis confimare sit actus Ordinis Episcopalis, cujus firmitas & validitas a Pontificis nutu non pendet, delegare tamen simplici Presbytero potestatem exercendi ejusmodi actum, potius ad jurisdictionem, quam ad Ordinem, pertinet; Episcoporum vero jurisdictio, sive sit immediate a Christo Domino, sive a summo Pontifice, ita semper huic subest, ut, consentientibus omnibus Catholicis, ejusdem auctoritate, & imperio limitari, atque ex legitima causa, omnino auferri possit. *Illud etiam ad rem facit, quod modo audivimus a D. Thoma*, nempe delegationem, de qua est sermo, esse actum potestatis, & jurisdictionis supremæ, a Christo Domino soli suo in terris Vicario commissæ. Quamobrem Clemens VI. priusquam ad Catholicam communionem reciperet Consolatorem, Armenorum Patriarcham, certior fieri voluit, an cum Ecclesia Romana sentiret etiam in hisce articulis expressis in Apostolicis litteris ad eundem Patriarcham datis, quæ habentur apud Raynaldum *ad ann.* 1351. *num.* 12. nimirum *Primo de consecratione Chrismatis, si credis, quod per nullum Sacerdotem, qui non est Episcopus, Chrisma potest rite, & debite consecrari. Secundo, si credis, quod Sacramentum Confirmationis per alium, quam per Episcopum, non potest ex officio ordinarie ministrari. Tertio, si credis, quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non sunt Episcopi, committi. Quarto, si credis, quod chrismati per quoscunque Sacerdotes, qui non sunt Episcopi, neque a Romano Pontifice super hoc commissionem, seu concessionem aliquam receperunt, iterum per Episcopum, vel Episcopos sint chrismandi.* Quæ verba perpendant, oportet, qui potestatem, de qua disserimus, Episcopis attribuunt.

## CAPUT NONUM.

*In quo finis imponitur propositæ quæstioni de pueris, qui post Baptismum a Presbytero Baptizante Confirmantur.*

DIcendum nunc restat de Græcorum consuetudine, quæ nos ad hanc materiam tractandam induxit. Longe ante Photianum schisma, fuisse Græcorum moribus receptum, ut simplices Sacerdotes baptizatos infantes statim sacro Chrismate inungerent, demonstrant Morinus *cit. dissert.* 2. *de Sacram. Confirmat.* & Lucas Holstenius *dissert.* 1. *de Ministro Confirmationis apud Græcos*: eundemque usum invaluisse apud alias Orientales Ecclesias testantur Ambrosiaster *in comment. in epist. Pauli, ad cap.* 4. *epist. ad Ephes. vers.* 12. *tom.* 2. *Oper. edit. Paris. anno* 1690. *col.* 241. *in Append.* inquiens: *Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus:* & Auctor *Quæstion. veter. & nov. Testam.* 101. *in Append. ad* 1. *part. tom.* 3. *Oper.* S. Augustini *col.* 93. *In Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter:* quibus in locis verbum *consignat*, non merum ritum, sed veram Confirmationem denotare, tanquam indubitatum ponit Christianus Lupus *cit. tom.* 2. *pag.* 1424. Sunt qui hanc Græcorum consuetudinem semper ab Ecclesia Latina improbatam affirmant. Etenim, inquiunt, Nicolaus I. vix exorto Photiano schismate, cum audierit, Græcos Presbyteros, auctoritate, & suasionibus Photii, Sacramentum Confirmationis per Bulgariam administrasse, misit illuc Paulum Populoniensem, & Formosum Portuensem Episcopos, Legatos suos, qui omnes Bulgaros a prædictis Presbyteris inaniter confirmatos, iterum sacro Chrismate rite signarent; quod constat tum ex epistola Photii ad omnes Episcopos Orientales, ubi de hoc facto acerbe conqueritur, tum ex epistola Metrophanis Metropolitæ Smyrnensis ad Manuelem Patricium, *tom.* 5. Collectionis Harduini *col.* 1114. testanturque Patres octavæ Synodi in sua epistola Synodali ad Hadrianum II. *ibidem*, ac ipsemet Nicolaus I. scribit ad Hincmarum, apud Baronium *ad annum* 867. *num.* 50. Adhuc etiam expressius præfatam consuetudinem damnatam ajunt ab Innocentio III. *in Cap. Quarto*, 4. *de consuet.* ubi Lucio Vicario suo, in Constantinopolitana urbe constituto, scripsit: *Pervenit ad audientiam nostram, quod quidam simplices Sacerdotes apud Constantinopolim ea Sacramenta præsumunt Fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum Confirmationis .... conferre; ad excusandas excusationes in peccatis solam consuetudinem prætendentes &c.* Quam quidem Innocentii III. Decretalem corroboratam dicunt ab Innocentio IV. qui de pluribus interrogatus quæstionibus inter Archiepiscopum Nicosiensem, ejusque Suffraganeos Latinos ex una parte, atque Episcopos Græcos regni Cypri ex altera, subortis, hæc ad Ottonem Cardinalem Tusculanum, Apostolicæ Sedis Legatum, inter alia rescripsit: *Soli autem Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos: quia hujus unctio non debet, nisi per Episcopos, exhiberi:* Collectionis Harduini *tom.* 7. *col.* 364.

II. At, si Doctoribus hæc nobis obtrudentibus assentiremus, cogeremur quoque cum iisdem admittere, vacuam, inanem, atque irritam esse Confirmationem Græcorum; hæc enim a simplici Presbytero administrata, non potest aliunde vires sortiri, quam a delegatione, sive expresse, sive tacite, eidem Sacerdoti facta a Romano Pontifice: hujus autem delegationis nullum haberemus indicium, si Græcorum consuetudini, de qua est sermo, semper Romani Pon-

Pontifices obſtitiſſent. Aſſerere vero cum præfatis Doctoribus, quos citant, & ſequuntur Sambovius *cit. diſput. 7. de Sacram. Confirm.* & du-Hamel *cit. tom. 6. tract. de Sacram. Confirm. cap. 4. in fin.* Sacramentum Confirmationis ab Eccleſia Græca nunc penitus exulare, multis nominibus abſurdiſſimum, recte oſtendit Goarius in ſuis notis ad Euchologium Græcorum *pag.* 367. Equidem ex Concilio Florentino certo conjicimus, Græcorum Confirmationem, etſi a ſimplici Sacerdote adminiſtratam, a Latinis Patribus ratam habitam; cum enim Græci, inter undecim quæſtiones ſibi a Latinis poſt unionem propoſitas, ad hanc quoque juſſi ſint reſpondere: *Quare Epiſcopi non inunguant ſacro Chriſmate, ſed Sacerdotes; cum hoc Pontificibus ſit datum? tom. 9.* Collectionis Harduini *col.* 430. plene, quoad hanc, per Mitylenenſem Præſulem Latinis ſatisfeciſſe, ex eadem hiſtoria colligimus, in qua, poſt undecim illas quæſtiones, habetur: *Hæc a Latinis objecta Mitylenenſis canonice omnia legitimeque diſſolvit, præterquam duo, de quibus Papa ſignificavit Imperatori; cur ſcilicet matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur.* Magis autem diſerte ejuſdem rei teſtimonium nobis præbet Gregorius Protoſyncellus, qui eidem Concilio interfuit tanquam Legatus Patriarchæ Alexandrini, & poſtea creatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus; is quippe ſcribens adverſum epiſtolam Marci Epheſini, apud Harduinum *tom. 9. col.* 641. ait: *Verum Latini etiam noſtros conſignabant, & chriſmatos appellabant. Sed hæc non fuiſſe in æquo, & bono facta conſtat ex eo, quod in noſtra unione nihil habuerunt, quod nobis objicerent; ſed, cum eſſemus orthodoxi, habiti ſumus ab orthodoxis orthodoxi.*

III. Neque Confirmationem Græcorum irritam evincunt facta Romanorum Pontificum in contrarium adducta. Etenim Nicolaus I. iterum Bulgaros conſignari voluit; cum quia Confirmationem receperant a Sacerdotibus, qui Photii errore imbuti, eam contulerant jure ordinario, exiſtimantes nimirum, poteſtatem eam conferendi, & Epiſcopis, & Sacerdotibus, pari jure competere: tum quia iidem Sacerdotes delegati fuerant a *Photio mœcho, & invaſore*, uti loquebantur Apoſtolici Legati, hoc eſt pſeudo-Patriarcha, cui propterea legitimi Patriarchæ jura non conveniebant: tum denique, & præcipue quia Bulgaria pertinebat ad Patriarchatum Occidentalem, quod pluribus oſtendit Chriſtianus Lupus *cit. tom. 2. pag.* 1404. *& ſeq.* atque ideo delegatio, de qua eſt ſermo, a Romano Pontifice Græcis Presbyteris ſive expreſſe, ſive tacite facta, miniſtrandi Confirmationem in Patriarchalibus Orientis, nequaquam iiſdem Presbyteris id ipſum in Bulgaria peragere permittebat. Decretalis autem Innocentii III. ſolos reſpicit Sacerdotes Latinos: etenim, cum tunc temporis urbs Conſtantinopolitana ſubjecta eſſet imperio Francorum, ejuſque Patriarcha eſſet Venetus, ex Francis, & Venetis incolis magna ex parte conflabatur: cum autem audierit Innocentius, Sacerdotes Latinos, inibi degentes, Græcorum ritus adoptaſſe, Græcorumque more Confirmationem auſos conferre, hunc Latinorum abuſum compeſcuit, ſcribens ad Lucium: *Volentes igitur hæc, & alia, quæ oculos Divinæ majeſtatis offendunt, de agro Dominico extirpari, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris, apud Conſtantinopolim conſtitutis, diſtricte prohibeas, ne talia de cetero ſua temeritate præſumant.* Ita quippe habet integra Decretalis apud Baluzium *tom. 1. epiſt. Innoc. III. pag.* 480. & Gonzalez. Sed, quia in compilatione Decretalium, qua in ſcholis, & foro utimur, omiſſum eſt verbum illud *Latinis*, hinc Auctores contrarii anſam acceperunt aſſerendi, Innocentium irritam pronuntiaſſe Confirmationem a Græcis etiam Sacerdotibus collatam; ſicuti ſcite animadvertunt Morinus *cit. diſſer. cap. 22.* & Van-Eſpen *Jur. Eccl. univerſ. part. 2. tit. 3. cap. 2. num. 4.* Innocentius IV. viribus carere voluit Confirmationem adminiſtratam a ſimplici Sacerdote, ſed unice quoad regnum Cypri, in quo prævalere inceperat ritus Latinus ob multitudinem Latinorum Antiſtitum ibidem degentium: ut enim idem ritus per totum regnum propagaretur, & foret perpetuus, neceſſarium duxit Innocentius IV. revocare delegationem a Romanis Pontificibus tacite ſaltem factam Sacerdotibus Græcis conferendi Sacramentum Chriſmatis. Ceterum in aliis locis, in quibus Chriſmatio data a Sacerdotibus Græcis, non eſt a Sede Apoſtolica expreſſe improbata, ea pro valida eſt habenda, ob tacitum ſaltem privilegium a Sede Apoſtolica illis conceſſum: cujus quidem privilegii præſumptionem inducit ipſamet conniventia, & tolerantia Romanorum Pontificum, qui prædictum Græcorum morem ſcientes, non contradixerunt, nec unquam illum damnarunt; ſicuti poſt Goarium, & alios, recte ratiocinatur Arcudius *de Concord. Eccleſ. Occident. & Orient. lib. 2. de Confirm. cap. 15. pag. 96.* inquiens: *Tutiſſimum eſt dicere, Græcorum Presbyteros, per ſuos Patriarchas, & Antiſtites ejuſmodi facultatem a ſummo Pontifice obtinuiſſe, a quo omnis juriſdictio, quaſi a Capite, in alios, veluti membra, immediate, vel mediate derivatur, & diffunditur.*

IV. Sed, quoniam omnis præſumptio cedit veritati, eadem Confirmatio eſt irrita reputanda in locis, in quibus certo novimus talem facultatem Græcis, alteriuſve Orientalis ritus Sacerdotibus, eſſe ab Apoſtolica Sede expreſſe ademptam. Præter autem Sacerdotes in Bulgaria, quibus eam ademptam audivimus a Nicolao I. & Sacerdotes in regno Cypri, quibus eandem abſtulit Innocentius IV. ſcimus, a Clemente VIII. ſevere interdictum Sacerdotibus Italo-Græcis, ne baptizatos Chriſmate conſignare præſumant, cujus decretum nos confirmavimus in noſtra Conſtitutione 57. *Bullar. noſtri tom. 1. pag. 167.* in cujus §. 3. hæc ad rem ediximus: *Epiſcopi Latini, infantes, ſeu alios in ſuis diœceſibus baptizatos a Presbyteris Græcis abſolute Chriſmate in fronte conſignatos confirment; cum neque per Prædeceſſores noſtros, neque per nos Græcis Presbyteris in Italia, & Inſulis adjacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum Confirmationis conferant, facultas conceſſa ſit, aut concedatur: quin immo uſque ab anno* 1595. *a ſel. record. Clement. VIII. Prædeceſſore noſtro fuit Presbyteris Italo-Græcis expreſſe interdictum, ne baptizatos Chriſmate conſignent. Secus ſub conditione, & cum cautela eos confirmare debent, de quibus veroſimiliter dubitari poteſt, utrum ab Epiſcopis Græcis, ordinem Baptiſmi juxta eorum Euchologium ſervantibus, fuerint baptizati.* In alia pariter noſtra Conſtitutione 129. §. 4. *cit. tom. ejuſdem Bullar. pag.* 513. illata mentione ejuſdem Græcorum conſuetudinis, hæc addidimus: *Quemadmodum enim Græcis incolis Italiæ expreſſe vetita eſt adminiſtratio utriuſque Sacramenti, ab eodem Miniſtro contemporanee facienda; ita patientia quadam, & facilitate Sedis Apoſtolicæ factum eſt, ut unum, & alterum Sacramentum ab eodem Sacerdote in Oriente Græcis conferretur:* & §. 5. permittendum duximus Cophtis perſeverare in eodem ritu, jamdiu ab ipſis recepto, atque ab Apoſtolica Sede tolerato.

V. Hæc non incaſſum ſunt prænotata; ex omnibus quippe ſimul conſideratis optima, & ſecura conflatur regula, ad quam dirigi debeat judicium Epiſcopi, in cujus Synodo accidit diſputari de robore Confirmationis, a ſimplici Sacerdote Græci ritus adminiſtratæ. Antequam is quidquam definiat, diligenter inquirat, oportet, num in tali loco, ejuſmodi Græcorum mos fuerit unquam ab Apoſtolica Sede expreſſe improbatus; an potius ex ejuſdem Sedis con-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

niventia, & lenitate toleratus. Si primum, Confirmationem irritam pronuntiabit, atque a Sacerdote Græco inaniter confirmatos, absque scrupulo iterandi Sacramentum, iterum sacro Chrismate inunget: si alterum, Confirmationem ratam habebit. Quod si res dubia sit, nec possit certo dijudicari, num ejus regionis Sacerdotibus aut expresse, aut saltem tacite data sit ab Apostolica Sede facultas conferendi Sacramentum Confirmationis, se abstinebit a proferenda sententia, eamque expectabit a Romano Pontifice, cui decet adeo grave negotium significari. Omnes ejusmodi circumstantias prudenter examinatas invenimus a pluribus Synodis, & pro earundem diversitate diversam ab *illis* prolatam deprehendimus de Confirmatione, Græco ritu administrata, sententiam. In Synodo Maronitarum, habita tempore Gregorii XIII. eodem Pontifice jubente, Synodi Præses, liberum esse, declaravit, confirmatis a simplici Sacerdote, denuo idem Sacramentum recipere ab Episcopo; quia non satis constabat, an Presbyteris Ecclesiæ Jerosolymitanæ, cui subduntur Maronitæ, concessum fuerit unquam ab Apostolica Sede tacitum saltem privilegium, Sacramentum illud administrandi, quemadmodum referunt Verricellus *de Apost. Mission. tit. 7. de Confirmat. quæst.* 131. *num.* 1. & Thomas a Jesu *de conversione omnium Gentium lib.* 3. *cap.* 5. *pag.* 484. *& pag.* 508. In Synodo Provinciali, seu Nationali Albana, habita anno 1703. atque a summo Pontifice confirmata, decisum videtur, solius Episcopi esse, baptizatorum frontes Chrismate linire; *cap.* enim 3. ubi de Confirmatione est sermo, hæc habentur: *Tanti porro Sacramenti, quod sola Episcopalis persona suæ vindicat dignitati &c.* Contra in Synodo Provinciali Ruthenorum, celebrata Zamosciæ anno 1720. cujus Acta a nobis, qui Congregationis Concilii Secretarii munere tunc fungebamur, diligenter antea recognita, fuere pariter ab Apostolica Sede approbata, sancitum est, validam habendam fore, neque idcirco sine sacrilegio posse iterari Confirmationem receptam a simplici Sacerdote, quia scilicet compertum est, ad ea quoque loca extendi tacitam delegationem, Græcis Sacerdotibus factam a Romano Pontifice: *Sacramentum Confirmationis* (verba sunt præfatæ Synodi) *a Christo Domino institutum, quod Parochi in Orientali Ecclesia extraordinario jure, & delegata ab Episcopo facultate, ex Apostolicæ Sedis dispensatione, statim post Baptismum administrare solent, in genere visibilium signaculorum, sacrosanctum est, ut ipse Baptismus, illudque nefas est iterare, propterea quod indelebilem characterem imprimit.* Denique in nupera Synodo Nationali Maronitarum, coacta in Monte Libano anno 1736. atque a nobis confirmata anno 1741. ut in nostra Constitutione 31. *Bullar. tom.* 1. *pag.* 74. hæc ad rem edita sunt decreta: videlicet *cap.* 2. *de Sacramento Baptismi can.* 15. *Majores nostri, sicut & ceteri Orientalium Ecclesiarum filii, statim post Baptismum tam infantes, quam adultos consueverunt sacro Chrismate perungere, atque adeo Sacramentum Confirmationis illis conferre, idque per simplices etiam Sacerdotes, quibus Patriarcha, & Episcopi hanc facultatem concesserant, quemadmodum a Ritualibus apparet. Quia vero Patriarchæ nostri, ut eo, quo par est, obsequio Romanis Pontificibus, qui frequentes ad illos hac de re litteras dederant, morem gererent, Latino ritui consentientes, decrevere, ut deinceps nemo, nisi Episcopali dignitate præditus, Sacramentum Confirmationis administraret; ideo mandamus, ac præcipimus omnibus Parochis, Archipresbyteris, Chorepiscopis, ceterisque dignitate Episcopali carentibus, ne audeant in posterum baptizati frontem sacro Chrismate perungere, & verba illa, quæ ad Confirmationis Sacramentum, adeoque ad Episcopum tanquam ordinarium illius Ministrum spectant, recitare; sed illis omissis, intingant pollicem in sacro Chrismate, & ungant baptizatum in summitate capitis in modum Crucis, dicentes Orationem ex Rituali Romano desumptam, quæ sequitur: Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi &c. si vero adfuerit Episcopus, & ipse, vel simplex Presbyter adultum quempiam baptizaverit, poterit idem Episcopus post Baptismum, si velit (ac præcipue cum contigerit ab illo baptizari adultum, seu infantem in mortis periculo constitutum,) prosequi cetera, quæ ad collationem Sacramenti Confirmationis in Rituali pertinent, ita tamen, ut patrinus, vel matrina adhibeatur, & nomen confirmati in libro ad id destinato a Parocho, vel Episcopo adnotetur. Hinc in Rituali, quod auctoritate Reverendissimi Domini Patriarchæ propediem est edendum, ante illa verba, quibus, juxta ritum nostrum, Confirmationis Sacramentum confertur, apponenda est admonitio ad simplices Sacerdotes, cum supradicta oratione: Deus omnipotens &c. & altera admonitio ad Episcopos cum ritu conferendi Sacramentum Confirmationis, quem omnino a ritu Baptismi distingui, & separari præcipimus.*

VI. Et *cap.* 3. *de Sacram. Confirm.* §. 2. *Quia vero tam in nostra, quam in reliquis Orientalibus Ecclesiis, antiquus mos obtinuerat: ut statim post Baptismum etiam Sacramentum Confirmationis conferretur, quemadmodum & in Ritualibus continetur, & a Concilio Laodiceno his verbis præscribitur, quod oportet eos, qui illuminantur, post Baptismum inungi super cælesti Chrismate, & esse regni Christi participes; hac tamen in re servandum præcipimus, ac mandamus, quod dudum a Reverendissimis Dominis Patriarchis injunctum est, nosque supra de Baptismo monuimus, ne simplices Sacerdotes de cetero præsumant hoc Sacramentum administrare; sed illud Episcopi duntaxat conferant, illum sacrosanctæ Tridentinæ Synodi canonem præ oculis habentes: Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

## CAPUT DECIMUM.

*Rursus de Sacramento Confirmationis, de quo in quadam constitutione Synodali cautum est, ut pueris mox decessuris administretur.*

NOn multis antea annis dubitatum & disceptatum fuit, an sustineretur quædam Synodalis Constitutio, in qua Episcopus declaraverat, paratum se esse ad Sacramentum Confirmationis administrandum pueris mox decessuris ne privarentur incremento gratiæ, & gloriæ, quod certo forent ab eodem consecuturi: quapropter operæ pretium erit, hanc controversiam, utpote quæ ad Synodum pertinet, hic elucidare.

II. Catechismus Concilii Tridentini, jussu S. Pii V. editus, *part.* 2. *de Confirm. num.* 15. observandum statuit, ut omnibus, post Baptismum, Confirmationis Sacramentum administretur; sed minus expedire, addit, hoc fieri, priusquam pueri usum rationis adepti fuerint: atque ideo decere, ut sacro Chrismate non inungantur, nisi cum ad septimum suæ ætatis annum pervenerint. Contra Pontificale Romanum, Clementis VIII. primum, deinde Urbani VIII. auctoritate recognitum, *tit. de Confirmandis*, tanquam certum ponit, Sacramentum Confirmationis etiam infantibus ab Episcopo administrari; ait enim: *Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris.* Pugnare proinde inter se videntur Catechismus, & Pontificale: sed omnis cessabit antinomia, si res accuratius, uti decet, expendatur.

III. Extra omnem controversiam est, Sacramentum

tum Confirmationis valide conferri omnibus baptizatis, abſque ulla ætatis differentia, quod colligitur *ex Can. De his, de Conſecrat. diſt. 5.* notatque Sotus *in 4. diſt. 7. q. unic. art. 8.* Certum inſuper eſt, olim tam adultos, quam pueros, ſtatim poſt Baptiſmum fuiſſe confirmatos. Diſerte id teſtatur Tertullianus *lib. de Baptiſmo cap. 7. & 8.* ubi ait: *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione ..... dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans, & invitans Spiritum Sanctum:* Cyprianus *epiſt. 73. ad Jubajanum: Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur:* Cyrillus Jeroſolymitanus *catechеſi 21. myſtag. 3. n. 1. Vobis quoque ſimiliter, poſtquam ex ſacrorum latticum piſcina adſcendiſtis, datum eſt Chriſma:* Gennadius *de dogmat. Eccleſ. cap. 52. Si parvuli ſunt, vel hebetes, reſpondeant pro illis, qui eos offerunt, juxta morem baptizandi; & ſic manus impoſitione, & Chriſmate communiti, Euchariſtiæ myſteriis admittantur.* Baluzius *in ſuis notis ad Reginonem lib. 1. cap. 69.* duos exhibet antiquos codices manuſcriptos Pontificales ex ſeculo IX. & X. in quibus ordo confirmandi infantes ſtatim poſt Baptiſmum continetur: in eorum enim altero ſic legitur: *Statim autem confirmetur infans:* in altero vero: *Si Epiſcopus adeſt, ſtatim confirmari eum oportet Chriſmate.* Hæc eadem diſciplina ſeculo XIII. licet in Eccleſia Latina nonnihil remitti cœpiſſet, nondum tamen penitus obſoleverat, quod pluribus monumentis demonſtrat Martene *de antiq. Eccleſ. ritib. tom. 1. lib. 1. cap. 2. art. 1. num. 3.* ſed ſubſequenti ætate congruentius viſum eſt, expectare, ut confirmandus rationis uſum adeptus fuerit. Concilium Provinciale Mediolanenſe I. a Sancto Carolo Borromæo anno 1565. celebratum, *part. 2. Actor. Mediol. Eccl. part. 1. pag. 7.* decrevit: *Minori ſeptennio Confirmationis Sacramentum nemini præbeatur.* Concilium Turonenſe anni 1583. *cap. 7. tom. 10.* Collectionis Harduini *col. 1403.* loquens de eodem Sacramento: *Quod ut decentius conferatur, ſtatuit, ne ad illud facile minores ſeptennio ..... admittantur.* Concilium Cameracenſe anni 1586. *tit. 7. cap. 2. tom. 9.* ejuſdem Collectionis *col. 2160. Non infra ſeptimum, aut octavum annum pueri confirmentur.* Concilium Toloſanum anni 1590. *part. 2. cap. 3. num. 4. tom. 10.* Collectionis ejuſdem *col. 1799. Ni ſumma quædam impellat neceſſitas, ſeptennio minores pueri nequaquam veniant ad Confirmationem admittendi.* Tandem Catechiſmus Romanus *loc. cit.* hæc habet: *Illud obſervandum eſt, omnibus quidem, poſt Baptiſmum, Confirmationis Sacramentum poſſe adminiſtrari, ſed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint. Quare, ſi duodecimus annus non expectandus videatur, uſque ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differri maxime convenit.*

IV. Hanc tamen diſciplinæ mutationem, juſtis de cauſis in Eccleſiam Latinam invectam, non eſt amplexa Eccleſia Orientalis; ea quippe retinet etiam nunc veterem morem Sacramentum Confirmationis ſtatim poſt Baptiſmum miniſtrandi, ſicut ex iis colligitur, quæ in præcedenti capite diximus, teſtanturque Allatius *de perpet. conſenſ. Eccleſ. Occid. & Orient. lib. 3. cap. 18.* Thomas a Jeſu *de converſion. Gent. lib. 7. cap. 7.* ac Joſeph Vicecomes *in obſervat. Eccleſiaſtic. de antiquis Baptiſmi ritibus lib. 5. cap. 32.* atque de Maronitis, & Syris aſſerit Naironus *in Evoplia Fidei Catholicæ part. 2. cap. 3.* Diverſam utriuſque Eccleſiæ hac in re conſuetudinem conſiderans P. Drovet *tom. 2. de re Sacramentaria q. 9.* inquit: *Habent ſuæ conſuetudinis idoneas cauſas Græci, habent & ſuæ Latini. Illi ſubjecti magis, quam Sacramenti, reſpectum habentes, voluerunt, Confirmationem ſtatim poſt Baptiſmum conferri; ut nimirum, quidquid gratiæ poterant, promptius neophytis procurarent: iſti decori magis, ac dignitati Sacramenti, quam exigentiæ Fidelium, conſulentes, eouſque differendum ſtatuerunt, donec inſtructionis capaces eſſent, & poſſent Divini beneficii pretium pro meritis æſtimare.* Hanc eandem rationem reſpexerunt Patres Concilii Colonienſis anni 1536. *part. 7. cap. 9.* ajentes: *Cum enim hoc Sacramentum Confirmationis non ſit neceſſitatis abſolutæ, convenientius, & utiliùs dabitur, ſi addatur admonitiuncula. At antequam infans ſupra ſeptimum ætatis annum progreſſus fuerit, parum, aut nihil horum, quæ aguntur, intelliget, ne dicamus meminerit: tom. 9.* Collectionis Harduini *col. 2004.* Prædictas diverſas utriuſque Eccleſiæ diverſi ritus cauſas nos præ oculis habuimus, cum *in cit. noſtra Conſtit. 129.* relinquendos diximus Cophtos in ſua antiqua conſuetudine recipiendi Confirmationem ſtatim poſt Baptiſmum, ſed ſimul ſummopere reprehendendos, quod a Baptiſmo, ritu Latino collato, hoc potiſſimum nomine abhorreant, quod ſcilicet ſeorſum a Confirmatione adminiſtretur, quod *in eiuſdem Conſtit. §. 5. & 6.* legitur.

V. Verum, ut ad propoſitum redeamus, quamvis Catechiſmus Romanus non expedire dicat, ut Sacramentum Confirmationis pueris ante ſeptennium conferatur, non tamen prohibet, ne ullo unquam in eventu iiſdem conferri queat: quod ſcite perpendentes Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp. 35. ſect. 2.* Sylvius *in 3. part. Divi Thomæ q. 72. art. 8.* Layman. *Theol. moral. lib. 5. tract. 3. cap. 5. num. 2.* Dian. *part. 3. tract. 4. reſolut. 19.* Cotonius *lib. 2. de Sacrament. controv. 3. cap. 3.* Juenin *de Sacrament. diſſert. 3. quæſt. 8. cap. 1.* Sylveſter Maurus *tom. 3. Theolog. lib. 11. q. 119. num. 4.* Roncaglia *de Sacrament. tractat. 3. cap. 3. numer. 5.* bon. mem. Cardinalis Gottus *tom. 13. Theolog. pag. 336. num. 6.* aliique plurimi, affirmant, ſancte, ac licite, etiam juxta præſentem diſciplinam, ſacro Chriſmate inungi pueros ante ſeptennium, cum aut prævidetur futura diutina abſentia Epiſcopi, aut iidem verſantur in diſcrimine vitæ, aut alia urget neceſſitas, ſeu juſta cauſa.

VI. Et profecto, quod Confirmatio non ſit deneganda pueris ante ſeptennium, ſi tali morbo laborent, ut deceſſuri prævideantur, aperte deducitur ex D. Thoma *3. part. q. 73. artic. 8. ad 4.* ubi docet, etiam pueris morituris hoc Sacramentum dandum eſſe: *Ut confirmati decedentes, majorem gloriam conſequantur, ſicut & hic majorem obtinent gratiam:* quod nos ipſi advertimus, & cum Angelico Præceptore tradidimus *in noſtra Inſtit. 6.* ac pluribus proſequitur recens Auctor Catalanus *tom. 3. in Pontificale Romanum pag. 227. n. 22.* Licet enim Confirmatio non ſit pueris ante uſum rationis neceſſaria ad pugnam tunc ſubeundam pro Fide Chriſti, non eſt tamen inutilis; tum quia auget illis gratiam; tum quia eis jus tribuit ad accipienda gratiæ auxilia, quibus ſuo tempore roborentur ad ſuſtinendam pugnam pro caſu, quo ex morbo convaleſcant: quamobrem du-Hamel *tom. 5. Theolog. Tract. de Sacram. diſſert. 3. cap. 1.* poſtquam docuit, expedire, ut Sacramentum Confirmationis conferatur habentibus uſum rationis, id limitat in infantibus conſtitutis in mortis articulo, quibus laudabiliter conferri affirmat.

VII. Quod vero, præter periculum mortis, alia inſuper adeſſe poſſit juſta cauſa, ob quam Confirmatio pueris ante uſum rationis miniſtretur, aſſerunt Patres Concilii Mediolanenſis V. *par. 1. Actor. Eccleſ. Mediolan. part. 1. pag. 220.* ubi explicantes decretum editum in Concilio I. Mediolan. quod nos ſupra retulimus, hæc habent: *Alio decreto, quod in Concilio Provinciali primo ſancivimus, cautum eſt, ne Confirmationis Sacramentum iis præberetur, qui annis ſeptem minores*

*natu sunt: si tamen Episcopus, ob aliquam causam justam, atque adeo necessariam, parvulo, & infanti, qui non modo eam ætatem expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum.* Idemque ab aliis Synodis sancitum esse, refert Vuitasse *de Sacram. Confirmat. tom. 2. q. 4. art. 1.*

VIII. Ex his porro plane conficitur, nullam esse contrarietatem, nullam antilogiam inter Catechismum, & Pontificale Romanum. Catechismus prohibet, ne regulariter Sacramentum Confirmationis conferatur pueris ante septennium: Pontificale supponit, quod in aliquo extraordinario casu, justaque urgente causa possit idem conferri. Quæ traduntur in Catechismo, constituunt regulam: quæ adduntur in Pontificali, constituunt limitationem regulæ. Quibus positis, si Episcopus in suis Constitutionibus diceret, paratum se esse ad conferendum Sacramentum Confirmationis pueris, & infantibus baptizatis, sed constitutis in mortis periculo; aut juberet, ut sibi, Sacramentum Confirmationis ministraturo, in hoc, aut illo loco suæ diœcesis, exhibeantur pueri, & infantes, cum facilis ad eos in posterum sibi non sit futurus accessus vel propter sui ingravescentem ætatem, vel propter eorum distantiam a civitate, aut propter itineris difficultatem: nihil profecto in hujusmodi Constitionibus Synodalibus videretur reprehendendum: cum in præfatis circumstantiis non sit locus regulæ traditæ in Catechismo, sed potius limitationi ejusdem regulæ de qua in Pontificali. Cujus quidem limitationis exemplum præbuit Concil. Parisiense anni 829. *can. 33. tom. 4.* Collectionis Harduini *col.* 1318. ubi a lege decernente, ut Baptismus, & Confirmatio duntaxat conferrentur tempore Paschatis, & Pentecostes, excepit infirmos, & periclitantes, quibus, ait, *sicut Baptismatis gratia succurrendum, ita incunctanter donum Spiritus Sancti est tradendum*: de qua re plura Gibert *consult. Canonic. tom. 2. consult. 2. de Sacramento Confirmationis.*

IX. Tria tamen advertere debet Episcopus: primo, ne in sua Constitutione quidam dicat, quo insinuare videatur necessitatem, seu præceptum suscipiendi Sacramentum Confirmationis in ea ætate, & statu: secundo, ut Sacramentum administret ea dignitate, cui consulere voluit Ecclesia, cum illud denegavit infantibus ante adeptum usum rationis, quemadmodum supra audivimus a Drovet: tertio tandem, ne, postquam paratum se dixit ad Confirmationem conferendam omnibus pueris, positis in vitæ discrimine, libenter accurrat ad nobiliores, sibique bene visos, & ire detrectet ad pauperes, aliosve de infima plebe: hoc siquidem fieret cum acceptione personarum, & multorum scandalo; a qua quidem personarum acceptione quantum sit abhorrendum, præcipue in Sacramentorum administratione, ex iis colligitur, quæ habentur *in nostra Constit. 107. pag. 410. & pag. 417. Bullar. tom. 1.*

## CAPUT UNDECIMUM.

*De evitandis in Synodo quæstionibus Theologicis circa Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum: ubi de Viatico exhibendo, necne, his qui eadem die Eucharistiam susceperunt: item de Communione danda reis capite damnatis, & deneganda peccatoribus publicis, & manifestis.*

NEminem Episcoporum adeo desipere putamus, ut velit in sua Synodo ne leviter quidem quæstiones attingere, quæ de sanctissimæ Eucharistiæ effectibus moventur a Scholasticis, atque in utramque partem versantur. Ejusmodi esset illa ex. gr. utrum Eucharistia æqualem conferat gratiam, ex opere operato, eam sumentibus sub utraque specie, quam sub una tantum accipientibus. Hanc quippe controversiam, teste Francisco Blanco, Archiepiscopo Compostellano, qui Concilio Tridentino interfuit, & cujus, tacito nomine, meminit Henriquez *de Sacram. lib. 8. cap. 44. §. 5. in margine*, declinare voluere Patres Tridentini, cum *sess. 21. de Communione &c. cap. 3.* differentes de fructu, quem Fideles e sanctissima Eucharistia percipiunt, caute dixere: *Nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt*: noluerunt siquidem definire, an isti tota ubertate participes fierent gratiæ, qua donantur illam sub utraque specie degustantes. Non solum autem inutile, sed incongruum esset, in Diœcesana Synodo quæstionem tractari, quam Tridentini Patres reliquerunt intactam. Similis naturæ, & adhuc sub opinione posita est alia controversia, quam Theologi examinant: num scilicet sanctissima Eucharistia causet *per accidens* primam gratiam; hoc est, an Fidelis prudenter existimans, se esse in gratia, si ad Eucharistiam saltem attritus accedat, consequatur remissionem lethalium, quorum est invincibiliter oblitus. Enimvero irrisionibus se exponeret Episcopus, qui inter hasce Scholasticorum tricas se se implicaret, præsertim cum de rebus agatur, quæ unice pendent a Divina institutione, nobis hactenus per Ecclesiam non manifestata. Satius igitur erit, ejusmodi inutilibus quæstionibus prætermissis, unice insistere, ut Parochi, ceterique animarum Rectores crebro in Fidelium memoriam revocent præceptum Apostoli 1. *ad Corinth. 11. Probet autem se ipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*; simulque declarent, *eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat*: quemadmodum definivit Tridentinum *sess. 13. cap. 7. de Eucharistia.*

II. Verum aliqua interdum occurrunt, de administratione sanctissimæ Eucharistiæ, in Synodo statuenda, quæ ceteroquin summam exigunt circumspectionem; ne secus Synodale statutum ad difficultatis scopulum allidat, quem in præsens suademus evitandum. Rem, ne ab instituto deflectamus, quod hucusque servavimus, exemplis patefacimus. Recte, ac sancte in plerisque Synodis commonitos legimus Parochos, ut soliciti sint de sanctissimo Viatico iis statim porrigendo, quos vita periclitari deprehenderint: in aliis gravem insuper pœnam iisdem inflictam invenimus, si, ipsorum inertia evenerit, ut aliquis, sine sanctissimi Christi Corporis Viatico, ex hac vita decesserit. At fingamus, Sacerdotem, corpore sanum, mane Missam celebrasse, aut laicum, ex mera devotione, sanctissimam Eucharistiam percepisse: corripitur eadem die subito morbo, aut lethali percutitur vulnere, ita ut, medicorum judicio prudenter timeatur, ne ea ipsa die intereat: cupit ægrotus refici sanctissimo Viatico, illudque a Parocho instanter exposcit, quod tamen Parochus ad eum deferre renuit: non tamen idcirco damnandus erit Parochus, tanquam transgressor Synodalis statuti; nec quidquam de hac re, quæ forte sæpius in diœcesi acciderit, erit in Synodo deliberandum, nisi maxima adhibita circumspectione, & cautela. Etenim, licet communiter Theologi cum Sancto Thoma *3. part. q. 80. art. 11.* in illis Christi Domini verbis *Joann. 6.: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: contineri existiment præceptum obligans omnes Fideles ad Eucharistiam percipiendam aliquoties in vita, atque imminente mortis periculo, neque

ulli

ulli fas ſit, ſine temeritatis nota, contrarium opinari, uti probant Valentia *diſp. 6. q. 8. punct. 4.* & Vincentius Baronius *2. part. manuductionis pag.* 258. atque ex iis liquet, quæ ad prædictum præceptum comprobandum adducunt Suarez *de Euchariſt. diſp. 69. ſect. 1.* Vaſquez *diſp. 213. cap. 2.* & Cardinalis de Lugo *de Euchariſt. diſp. 16. ſect. 1. & ſect. 2. n. 17. & n. 33.* nihilominus tamen iidem Theologi diſſident inter ſe, num, adveniente repentino mortis periculo, ſanctiſſimi Chriſti Corporis Viatico ſit etiam illi ſuccurrendum, qui eadem die, cum ceteroquin nondum ulla laboraret corporis infirmitate, Euchariſtiam accepit. Docent plerique, etiam hunc, inopinato incidentem in mortis periculum, teneri denuo ſe reficere Euchariſtico cibo, quo fiat validior ad ultimam ſuſtinendam cum dæmone luctam: neque enim, inquiunt, per Communionem ante vulnus, vel morbum peractam, potuit ſatisfieri præcepto, quod nondum urgebat, Euchariſtiam ſumendi in mortis articulo. Ita Hurtadus *de Euchariſt. diſp. 11. diff. 2.* Pellizarius, Dicaſtillo, Quintanaduenas, aliique relati a Diana *part. 10. tract. 11. reſol. 40.* Alii ex adverſo cum Suarez *cit. diſput. 79. ſect. 3. §. Rogabis*, Coninck *q. 80. art. 11. dub. 3. n. 100.* Cardinali de Lugo *cit. loc. num. 52.* aliiſque a nobis allegatis *in noſtro Opere de Canoniz. Sanctor. lib. 3. cap. 38. numer. 22.* ubi aliquid de hac quæſtione delibavimus, ſentiunt, in prædicto rerum eventu non ſolum non urgere præceptum ſumendi Viaticum, ſed recipi non poſſe ſine piaculo: ſiquidem ex una parte, Divinæ Legi, qua jubentur Fideles ſanctiſſimam Euchariſtiam percipere, cum in ultimo verſantur vitæ diſcrimine, veluti prævia quadam ſolutione, jam ſatisfactum autumant per Communionem mane peractam: ex alia vero parte, nemini licet bis eadem die Chriſti Corporis participare myſteria: ſolumque id permittitur Parocho, in aliquo extraordinario eventu, de quo nos pariter egimus *cit. cap. 38.* cum ſcilicet duas adminiſtrat parochias, & in utraque debet eadem die celebrare. Inter has duas, e diametro oppoſitas, opiniones, mediam viam ineuntes alii, quos tacito nomine citat de Lugo *eod. cit. loc. num. 50.* & ſequuntur Gobat *Theolog. experim. tract. 8. n. 175.* & Marin. *tom. 3. diſp. 9. ſect. 1. num. 13.* dicunt prædictum hominem, qui mane bene valens ad Euchariſtiam acceſſit, & deinde in periculoſum incidit morbum, poſſe, ſi velit, denuo Euchariſtiam ſumere per modum Viatici, nullo tamen præcepto ad id faciendum obſtringi: atque huic ſententiæ adſtipulatur praxis quorumdam Religioſorum, a quibus, uti referunt Diana *part. 8. tract. 2. reſol. 87.* Hurtadus *de Sacram. diſp. 10. de Euchariſt. difficult. 2.* & Card. de Lugo *cit. loc. num. 51.* in prædicto eventu ſanctiſſimum Viaticum porrigi conſuevit Sacerdotibus, qui ea ipſa die celebrarunt. In tanta opinionum varietate, Doctorumque diſcrepantia, integrum erit Parocho, eam ſententiam amplecti, quæ ſibi magis arriſerit, quin fiat reus violati ſtatuti Synodalis, quod certe non potuit caſum iſtum extraordinarium reſpicere, neque fas erit Epiſcopo aut in Parochum animadvertere, qui præfato ægrotanti Viaticum denegavit, aut quidquam de ejuſmodi controverſia in ſua Synodo decernere, ne videatur ſibi arrogare partes Judicis inter graviſſimos hac ſuper re inter ſe contendentes Theologos.

III. In hac eadem materia, nimirum adminiſtrationis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, non ab re erit aliquid dicere de eo, quod alicubi in dubium revocatur, an ſcilicet concedenda, vel deneganda ſit Communio Corporis Chriſti iis, qui ob grave delictum ultimo ſupplicio damnati ſunt. De hac quæſtione fuſe egimus in noſtro Tractatu *de Sacrificio Miſſæ ſect. 2. §. 175.* ubi indicatis variis locorum conſuetudinibus, eam ſequendam eſſe inſinuavimus, quæ in unoquoque loco reſpective obtinere dignoſcitur; tametſi innuere non omiſimus, Chriſtianæ pietati magis conforme eſſe, ut vivifici Sacramenti participatio iis etiam, qui ob grave delictum ſententia capitali damnati ſunt, petentibus, & alioquin recte diſpoſitis, non denegetur. Nunc autem addendum merito cenſemus, Epiſcoporum partes eſſe, hanc diſciplinam in ſuis diœceſibus invehendam curare, ut delinquentibus ultimo ſupplicio afficiendis Euchariſtia præbeatur, idque in Synodalibus Conſtitutionibus inſerere; auctore nimirum immortalis memoriæ Pontifice S. Pio V. qui in epiſtola ad Archiepiſcopum Roſſanenſem, ſuum in Hiſpaniis Nuntium, quam videre licet, inter collectas a Franciſco Goubeau *lib. 2. numer. 2.* id ipſum ab eo cum Catholico Rege agendum, eique ſuadendum mandat. Quodque earum regionum Judices prohibere ſolebant, ne graviorum criminum reis capite damnatis Communio miniſtraretur, id aperte improbat ſequentibus verbis: *Id nos*, Sacramentum nempe Euchariſtiæ, *minime eſſe denegandum cenſemus; cum Chriſtianæ charitati magis conveniat, eos, ad reſiſtendum tali tempore fortius diabolicis tentationibus ſacra Communione muniri, ut perituro corpore, ſaluti animæ, quantum fieri poteſt, ſubveniatur.*

IV. In eodem Tractatu noſtro *de Sacrificio Miſſæ edit. Latin. ſect. 2. §. 174.* diſſeruimus etiam de ſacra Communione peccatoribus deneganda. Quoniam vero deinceps ſuper hac materia graviſſimæ in quibuſdam regionibus agitatæ ſunt controverſiæ, haud inopportunum duximus, quoſdam hic veluti canones a præſtantioribus Theologis prolatos atque receptos inſerere, quos præ oculis habere poterunt Epiſcopi, ſi forte, pro recto diœceſium ſuarum regimine, neceſſarium putaverint regulas in hoc rerum genere ſequendas Synodali Conſtitutione præſcribere. Porro Salvator noſter, *Matt. cap. 7.* apertis verbis edixit: *Nolite dare ſanctum canibus*. Peccatores autem canum nomine deſignari, ſatis eſt exploratum. Ex his vero aliqui occulti ſunt, alii autem publici & manifeſti. Itaque, cum peccator occultus eſt, & publice Euchariſtiam petit, poterit quidem Sacerdos, ſi occulte id facere valeat, illum monere, ut a ſacra menſa ſe abſtineat; poterit etiam, Euchariſtiam publice miniſtraturus, omnibus in communi edicere, ne quis peccati labe inquinatus, nec antea Eccleſiæ reconciliatus, ad ſacram menſam accedat: verum, ſi nihilominus peccator ejuſmodi ad Sacramentum percipiendum ſe ſe offerat, minime licebit illum repellere, & ſacri doni participationem ei denegare. Ita docet S. Thomas *3. part. q. 80. artic. 6. per tot.* Atque ita agendum demonſtravit exemplo ſuo Dominus noſter Jeſus Chriſtus, dum Judæ, occulto adhuc peccatori, Sacramentum Corporis ſui dare non recuſavit; ut idem S. Doctor advertit *ibid. q. 81. art. 2. in corpore, & in reſponſ. ad ſecundum*. Quamvis enim peccator occultus, coram Deo jus non habeat filiorum pane veſcendi: jure tamen contendere poteſt, ſe publica infamia afficiendum non eſſe; prout eveniret, ſi publice ipſi denegaretur Euchariſtia, cum ad eam percipiendam ſe comparaſſet: ut recte diſſerit Sylvius *in ſuis Commentar. in 3. part. S. Thomæ quæſt. 80. art. 6. quæſt. 2.* & proſequitur bon. mem. Cardinalis Gotti *tom. 3. in 3. part. ejuſdem S. Th. de miniſtro, ſubjecto, & uſu Euchariſtiæ dub. 3. §. 4. num. 12.*

V. Hæc pertinent ad peccatorem occultum, qui Euchariſtiam publice petit. Videndum nunc eſt de peccatore occulto, qui in occulto poſtulat eam ſibi miniſtrari. Quo quidem caſu, ſi illius peccatum Sacerdoti compertum certumque ſit, cum præterea ceſſet infamiæ eidem irrogandæ metus, regula eſt, ut Communio ei denegetur. *Occultos vero peccatores, ſi occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat:*

non

*non autem, ſi publice petant, & ſine ſcandalo ipſos præterire nequeat:* verba ſunt Ritualis Romani: cui ſententiæ non modo conſentanea docet S. Thomas *in 4. ſentent. diſt. 9. art. 5. in reſponſ. ad quintam quæſtionem*; ſed etiam addit, occulto peccatori, Euchariſtiam in occulto petenti, denegandam eam eſſe, licet Sacerdos, de Communionis adminiſtratione requiſitus, requirentis peccatum ex illius Confeſſione ſacramentali cognoverit: *Si Sacerdos ſciat peccatum alicujus, qui Euchariſtiam petit, per Confeſſionem, vel alio quolibet modo; diſtinguendum eſt: quia aut peccatum eſt occultum, aut manifeſtum. Si eſt occultum, aut exigit in occulto, aut in manifeſto. Si in occulto, debet ei denegare, & monere ne in publico petat. Si autem manifeſto petit, debet ei dare.* Verum, cum ſanctus Doctor *in 3. part. Summæ, loco ſuper. cit.*, minime repetiiſſe dignoſcatur id, quod *in 4. lib. ſent.* ſcribens poſuerat, quamvis ibi opportuna illius doctrinæ repetendæ occaſio fuiſſe videatur; oritur hinc quæſtio inter illius ſectatores, utrum id, quod *in 4. ſententiarum* dixerat, in poſteriore Summa confirmaſſe, non retractando, an revocaſſe, prætermittendo cenſendus ſit.

VI. Nos quidem hujus controverſiæ pelagus ingredi noluimus. Sed eam procul dubio ſententiam cautiorem, & magis tutam eſſe, ac merito ſequendam exiſtimamus, ut ſcilicet, quoniam omni ratione vitari oportet ea, quæ Pœnitentiæ Sacramentum odioſum Fidelibus reddere poſſunt, & adeo diſtricta eſt lex ſigilli Confeſſionis ſacramentalis, ut Confeſſarius ne cum ipſo quidem pœnitente extra Confeſſionem loqui poſſit de illius delicto, quod per Confeſſionem unice novit, niſi ipſe pœnitens expreſſam ei licentiam tribuerit; ut, inquam, debeat Sacerdos Euchariſtiam miniſtrare peccatori occulto, eandem in occulto petenti, quoties illius peccatum ex audita duntaxat ejuſdem Confeſſione ſacramentali cognoverit. Quod ſi præterea delictum illud aliunde, quam ex ipſa delinquentis Confeſſione, compertum *habeat*, & *propterea* eidem delinquenti, licet occulto, & Communionem in occulto petenti, denegandam hanc eſſe duxerit; non omittat eidem ſignificare, ſalvo ſemper notitiæ auctore, *cognitum* ſibi eſſe illius ſtatum alia ratione, quæ nihil commune habeat cum Sacramento Pœnitentiæ. Hæc ſententia deducitur *ex Cap. Si Sacerdos, de officio Judicis Ordinarii*; eamque inſinuat Sylvius *loc. cit. §. Singularis tamen difficultas*, pluribus autem illuſtrat & firmat Cabaſſutius *in Theor. & Praxi Jur. Canon. lib. 3. cap. 7. n. 4.* Denique P. Maurus Societatis Jeſu Theologus, qui plures annos in Romano Societatis Lyceo magno cum plauſu Theologiæ Cathedram moderatus eſt, *tom. 3. lib. 12. q. 170. n. 11.* poſt relatam opinionem ab Angelico Doctore prolatam *in 4. ſent.* quam etiam magni nominis Theologi, Suarez, & Vaſquez, amplexi ſunt, eam quidem ſpeculative ſuſtineri poſſe, dicit; ſed, in eadem ad praxim deducenda non parum periculi fore, ait, ne forte in aliquem ſcopulum incidatur ex iis, quos ſupra innuimus.

VII. Hactenus de peccatore occulto, qui vel publice, vel occulte Euchariſtiam petit. Jam vero dicendum eſt de publico peccatore, qui Sacramenti Communionem poſtulat ſive in publico, ſive in occulto. De hoc autem tutiſſima & generalis regula eſt, ut a ſacra menſa repellatur. *Si peccatum eſt manifeſtum, debet denegari Euchariſtia, ſive in occulto, ſive in manifeſto petat.* Ita S. Thomas *loc. cit. in 4. ſent.* qui etiam alibi *in 3. part. q. 80. art. 6. Ad primum*, Salvatoris ſententiam repetens, ait: *Sancta prohibentur dari canibus, ideſt peccatoribus.* Idem ſentit S. Bonaventura, aliique Theologi communiter docent, poſt Sanctum Cyprianum, cujus ſententia relata eſt *in Can. Pro dilectione, de Conſecrat. diſt. 2.* Plena ſunt autem hujuſmodi prohibitionum Synodalia Epiſcoporum ſtatuta; ut videre eſt in iis, quæ S. Carolus Borromæus edidit, & in aliis, quæ indicantur a Genetto *Theolog. Moral. tom. 3. tract. 4. de Sacram. Euchariſt. cap. 9. q. 3.* Quare nil aliud in hac materia quærendum ſupereſt, niſi ut ſtatuatur, quinam ſint publici & manifeſti peccatores, quibus deneganda eſt Euchariſtia, & ſive eam publice, ſive in occulto petant.

VIII. Quæſtionem tractat Angelicus Doct. *in cit. art. 6.* ubi *in corp.* hæc habet: *Quidam ſunt occulti peccatores, quidam vero manifeſti, ſcilicet per evidentiam facti, ſicuti publici uſurarii, aut publici raptores, vel etiam per aliquod judicium Eccleſiaſticum, vel ſeculare.* Cumque deinde *in quæſt. 82. art. 9. in reſponſ. ad tertium* ſtatuat, aſſiſtendum non eſſe Miſſæ concubinarii Sacerdotis, ita ſubdit: *Sed hoc intelligendum eſt de notorio vel per ſententiam, quæ fertur in convictum, vel per confeſſionem in jure factam, vel per evidentiam facti, quando non poteſt factum aliqua tergiverſatione celari.* Itaque hoc tuto aſſerendum videtur cum Sylvio *loc. cit. ad art. 6. dictæ q. 80. quæſit. 1.* manifeſtos peccatores, ad effectum, de quo agitur, cenſeri eos, *quorum peccata noſcuntur aut per Judicis ſententiam, aut per propriam confeſſionem in judicio factam, aut per evidentiam facti, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari:* quod etiam ante illum ſtatuerat Sotus *in 4. ſent. diſt. 12. quæſt. 1. artic. 6. §. Ambiguitas*, & recte deducitur *ex Cap. Tua nos, & ex Cap. Quæſitum, de cohabit. Clericorum.* Eorum autem opinio eſt rejicienda, qui aſſerunt, neminem publici peccatoris cenſura notandum, aut ab Euchariſtica menſa ſegregandum eſſe, præter eum, quem Judicis ſententia talem eſſe declaraverit; cum ex præmiſſis conſtet, manifeſti quoque peccatoris nomine, ad hunc effectum, cenſeri eum, qui notorie talis eſt, quamvis nec ipſe in judicio delictum confeſſus ſit, nec ſuper eo Judex Eccleſiaſticus, aut Laicus ſententiam tulerit: ut probe etiam animadvertit Juenin *de Sacramentis diſt. 4. q. 6. cap. 7. art. 1.* Continuator Operis Tournely, *tract. 3. de Cenſuris part. 1. cap. 5.* Genett. *tom. 3. de Sacram. Euchar. pag. 182. quæſt. 8. editionis Latinæ*, Gamachæus *tom. 3. quæſt. 79. cap. 2. pag. 445.* quibus conſonant deciſiones relatæ in Collationibus Andegavenſibus anni 1716. *tom. 2. pag. 236.* & in Rhotomagenſibus *de Sacramento Euchariſtiæ.* Ita denique intelligenda eſſe Synodorum decreta, & Ritualium præſcripta, quibus, ut ſupra innuimus, publici peccatores a Communione arcentur, ſine dubitatione cenſuit Van-Eſpen *Jur. Eccl. Univer. part. 2. tit. 4. cap. 2. num. 20.* ita ſcribens: *Cum ergo Ritualia, atque Synodalia decreta velint univerſim, publicos & notorios peccatores a Communione repelli, manifeſtum eſt a verbis, & mente Eccleſiæ omnino deviare, qui hujuſmodi peccatores non prius volunt eſſe repellendos, quam per ſententiam Judicis ſint ut notorii peccatores declarati; quaſi non poſſent per notorietatem facti eſſe vere notorii, & publici peccatores, antequam per ſententiam tales eſſent declarati. Num forſan ſcandalum non eſſet, aut Sanctum non daretur canibus, ſi notoriis peccatoribus notorietate facti adminiſtraretur publice Euchariſtia, quamvis necdum per ſententiam domini Officialis ut tales condemnati eſſent?*

## CAPUT DUODECIMUM.

*In quo agitur de Viatico pueris exhibendo: item de iis, qui, perſeverante eodem morbi periculo, inſtant, Viaticum ſibi exhiberi: & aliqua de frequenti, aut quotidiana Communione.*

RE&cte tamen, & ſine reprehenſione poterit Epiſcopus Synodali Conſtitutione Parochos compellere ad adminiſtrandum ſanctiſſimum Viaticum pueris mox deceſſuris, ſi eos compererint tantam aſſequutos judicii maturitatem, ut cibum iſtum cæleſtem, & ſuper-

pernum, a communi, & materiali diſcernant: haud enim leviter delinquere, credimus, qui pueros etiam duodenes, & perſpicacis ingenii, ſinunt ex hac vita migrare ſine Viatico, hanc unam ob cauſam, quia ſcilicet nunquam antea, Parochorum certe incuria, & oſcitantia, Euchariſticum panem deguſtarunt. Ad ejuſmodi autem gravem abuſum radicitus extirpandum, quem nulla profecto cohoneſtare valet probabilis Theologorum opinio, ad quam Parochi confugiunt, ut ſuam aut prorſus excuſent, aut ad minus elevent culpam, nonnulla ſunt breviter præmittenda. Cuilibet antiquitatis ſtudioſo notiſſimum eſt, antiquam Eccleſiæ conſuetudinem obtinuiſſe, ut ſanctiſſimæ Euchariſtiæ participes fierent infantes ſtatim poſt Baptiſmum; quod pluribus monumentis demonſtrat Martene *de antiq. Eccleſ. ritib. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *art.* 15. §. 11. iiſdemque infantibus, perinde ac adultis, conſueviſſe frequenter ſacra Myſteria miniſtrari, teſtantur Cyprianus *tract. de lapſis*, Auctor *Conſtit. Apoſt. lib.* 8. *cap.* 12. & 13. Dionyſius, ſeu quicunque ſit Auctor *Eccleſiaſt. Hierarch. cap.* 2. & 7. Auguſtinus *ſerm.* 8. *de verbis Apoſtoli*, & *epiſt.* 106. *ad Bonifac.* & conſtat ex Sacramentario, quod inſcribitur nomine Sancti Gregorii, *tit. de Sabbato ſancto*, aliiſque teſtimoniis adductis a Cardinali Bona *Rer. liturg. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 11. a Martene *cit. lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 10. §. 14. a Juenin *de Sacram. diſſ.* 4. *quæſt.* 6. *cap.* 2. atque etiam ab hæretico Binghamo *Origin. Eccleſ. tom.* 4. *lib.* 12. *cap.* 1. §. 3. & *tom.* 6. *lib.* 15. *cap.* 4. §. 7. & *cap.* 7. §. 4. Hic mos, quem a Græcis, ſua ætate, retentum obſervat D. Thom. 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 9. *ad* 3. & etiamnum apud eoſdem perſeverare, tradit Arcudius *lib.* 3. *de Sacram. Euch. cap.* 11. quandonam in Eccleſia Latina obſoleverit, incertum eſt: hoc unum certo ſcimus, ejuſdem ritus veſtigia inveniri apud Hugonem a Sancto Victore, qui ſeculo XII. ſcripſit, *de Sacram. lib.* 1. *cap.* 20. & apud Guibertum Abbatem, Auctorem XII. ſeculi, *lib.* 1. *de Pignoribus Sanctorum cap.* 2. §. 1. Sed ſubſequenti ætate ea deprehendimus omnino deleta, nec quadringentis abhinc annis uſquam legimus fuiſſe infantibus ſanctiſſimam Euchariſtiam in Eccleſia Latina adminiſtratam. Utramque diſciplinam, habita ratione diverſitatis temporum, commendavit Tridentinum *ſeſſ.* 21. *de Communione cap.* 4. ubi hæc habentur: *Denique ſancta Synodus docet, parvulos, uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem . . . . . Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit; ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam, pro illius temporis ratione, habuerunt; ita certe, eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.*

II. Facta porro prædicta diſciplinæ mutatione, Innocentius III. *in Cap. Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* omnes Chriſtifideles, *poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint*, obligavit ad Euchariſtiam, ad minus in Paſchate, reverenter percipiendam. Hinc vero orta eſt inter Scholaſticos diſſenſio in determinando tempore, quo ejuſmodi præcepto urgeri incipiant pueri. Plerique Doctores non improbabiliter docent, omnes pueros, ſtatim ac ſunt doli capaces, ſicuti adſtringuntur ſacramentalis Confeſſionis præcepto, ita obligari ad communicandum in Paſchate, niſi forte, ut decernitur *in cit. Cap. Omnis utriuſque ſexus, de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum*. Allegata enim Decretalis Innocentii III. utrumque præceptum conjungit, & abſque ullo inter unum, & alterum diſcrimine, utrumque onus imponit omnibus utriuſque ſexus Fidelibus, *poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint*. Ita Paludanus, S. Antoninus, Tabiena, quos refert, & ſequitur Joannes Sanchez *in ſelectis diſp.* 26. quibus adde Caſtropalaum *tract.* 21. *diſp. unic. punct.* 10. *n.* 11. & Philippum de la Crux *in Theſaur. Eccleſ. tract.* 1. §. 11. *num.* 3. atque huic ſententiæ patrocinatur Manuale Henrici Epiſcopi Siſtaricenſis, in Synodo Siſtaricenſi approbatum, *in cujus can.* 16. habetur: *Moneant autem Sacerdotes parochianos ſuos, ut pueros a ſeptennio, & ſupra, Pater noſter, & Credo doceant, ac in die ſancto Paraſceven ad Eccleſiam adducant ad oſculandum Crucem, & in die ſancto Paſchæ, ut Corpus Chriſti, prius tamen confeſſi, recipiant: tom.* 4. *Anecdot.* Martene, & Durand. *col.* 1082. At alii, quos citant, & ſequuntur Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. quæſt.* 80. *diſputat.* 70. *ſect.* 1. Vaſquez *diſp.* 214. *cap.* 4. Dicaſtillo *tractat.* 4. *diſp.* 10. *dub.* 5. *num.* 110. perfectiorem uſum rationi expectandum cenſent, ut pueri ad annuam Communionem conſtringantur: non omnis quippe diſcretio, quæ ſufficiens habetur ad ſe expiandum ſacramentali Confeſſione, ſatis eſt ad rite percipiendam Euchariſtiam, cujus excellentia majorem exigit in ſuſcipiente judicii maturitatem, ut debita religione, ac reverentia ad eam accedat. Quo vero ætatis anno eam maturitatem adveniſſe ſit præſumendum, non poteſt certa regula definiri; cum alii tardius, alii citius perfectum rationis uſum, rerumque ſpiritualium intelligentiam aſſequantur: id autem intra decimum, & decimum quartum ætatis annum, communiter evenire, notat citatus Suarez.

III. Verum, etſi Doctores ita inter ſe diſſentiant, fere tamen communiter fatentur, tantam non deſiderari ætatem, ut quis in mortis articulo & poſſit, & debeat ſanctiſſimo Viatico muniri: quin immo laudatus Suarez expreſſe docet, omnibus, qui ſunt doli capaces, poſitis in vitæ diſcrimine, illud eſſe, ex Divino præcepto, porrigendum; citatam quippe ſectionem in hunc modum abſolvit: *At vero de Communione facienda in articulo mortis non eſt eadem ratio ..... Unde exiſtimo, in illo articulo dandam eſſe Communionem cuicumque homini habenti uſum rationis ad peccandum, & capaci Confeſſionis, & extremæ Unctionis. Quod Navarrus quidem fatetur eſſe omnibus conſulendum: ego vero exiſtimo, eſſe obligationem tam ex parte petentis, quam diſpenſantium &c.* Suareſii ſententiam pluribus comprobat Cardinalis de Lugo *de Euch. diſp.* 13. *ſect.* 4. *n.* 37. eidemque ſuffragatur Auctor anonymus in Carmine Ms. prolato a Martene *de antiq. Eccl. ritib. cit. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 10. §. 14. inquiens.

*Non pueris infra bis quinque manentibus annos*
*Des Corpus Domini, quamvis ſint corpore puri:*
*Quid ſumant, cum ignorent, ergo prohibentur.*
*Excipe quos urget fera mors, anni licet bis ſint*
*Octo, ſive novem, vel ſeptem, dum ſibi conſtet*
*Scire Pater noſter, & eorum vita probata.*

Quare nulli controverſæ opinioni calculum adjicit Epiſcopus, qui in ſua Synodo Parochos ſerio adhortatur, & monet, ne patiantur, omnes pueros indiſcriminatim interire ſine Chriſti Corporis Viatico, illudque iis præbendum præcipit, quos iidem Parochi, diligenti præmiſſo examine, tanta compererint pollere ingenii perſpicacia, ut latentem ſub ſpeciebus ſacramentalibus Chriſtum & firmiter credant, & reverenter adorent: tunc vero ſecurius id in Synodo decernitur, cum non determinatur certa ætas, in qua deceſſurus puer ſit Chriſti Corpore reficiendus, circa quam unice vertitur Theologorum diſſenſio, ſed ipſiuſmet prudentis Parochi judicio permittitur definire, an moriturus puer, ſpectata ejus indole, ſit tanti Sacramenti capax; hoc ſiquidem adhibito temperamento, nemo facile contradicet Synodali Conſtitutioni, cui pene omnes Theologi ſuffragantur.

IV. Si-

IV. Similiter, abſque formidine ſe aliqua *involvendi* controverſia, & poteſt, & interdum debet Epiſcopus conſtituere, ne Parochi renuant ſanctiſſimam Euchariſtiam iterato deferre ad ægrotos, qui, etiam perſeverante eodem morbi periculo, *illam* ſæpius, per modum Viatici, cum naturale *jejunium* ſervare nequeant, percipere cupiunt. Quamvis enim Vaſquez *in* 3. *part. diſp.* 214. *cap.* 2. *in fin.* doceat, Divino præcepto ſatisfieri per unicam perceptionem ſanctiſſimi Viatici in eadem ægritudine; nullum tamen invenimus alicujus nominis Theologum, qui neget, & licitum, & pium, ac laudabile eſſe, illud ſæpius repetere. Ita quippe expreſſe tradunt Sylveſter *verb. Euchariſtia* 3. §. 6. Tabiena *verb. Communicare num.* 48. Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 8. Toletus *in Summa lib.* 10. *cap.* 15. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 1. & *cap.* 50. *n.* 1. Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 5. Layman *lib.* 5. *Summ. tract.* 4. *cap.* 6. *quæſt.* 6. *n.* 20. Diana *tom.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 57. Card. de Lugo *diſp.* 15. *ſect.* 3. *num.* 64. qui male traducit Vaſquez, quaſi Auctorem contrariæ ſententiæ, cum hic de ſola loquatur obligatione, ut diximus, & legenti patebit.

V. Aliqua duntaxat diſſenſio eſt in præfiniendo temporis ſpatio, quod debeat intercedere, ut, intra eandem infirmitatem, poſſit iterum non jejuno dari Euchariſtia. Aliqui enim, cum Navarro, multum temporis interfluere debere exiſtimant inter unam, & alteram Communionem; quam indefinitam Navarri aſſertionem, de ſpatio triginta dierum, explicat Villalobos *in Summ.* 1. *part. tract.* 7. *dub.* 38. Alii cum Suarez *cit. loc.* decem, aut octo dies expoſcunt. Alii cum Ludovico a Sancto Joanne in Summa Hiſpano ſermone edita *tom.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 10. *difficult.* 4. *de Sacram. Euch.* poſt elapſos tres dies, Viaticum iterari concedunt. Alii demum cum Layman *cit. cap.* 6. *num.* 20. etiam inſequenti die illud repeti permittunt, ſi videatur inſtare mortis periculum, & ægrotus, qui, cum ſanus eſſet, frequenter conſueverat Euchariſticum panem deguſtare, eo denuo nutriri, & roborari cupiat. Abſtrahat igitur Epiſcopus *ab hiſce* quæſtionibus; ſolumque Parochis *inſinuet*, poſſe, & debere ſanctiſſimum Viaticum in eadem infirmitate iterum, & tertio adminiſtrari, præſertim ſi ipſimet ægrotantes iterum cæleſtem illum panem eſuriant; & ſi velit, pœnam etiam in Parochos decernat, qui, poſt plurimum temporis, Euchariſtiam ad eundem infirmum, eam devote efflagitantem, falſis quibuſdam, & emendicatis prætextibus, denuo deferre obſtinate detrectant: nihil quippe in hac ſaluberrima Conſtitutione invenietur cenſura, & caſtigatione dignum.

VI. Quod ſi in Synodo aliquid etiam dicendum occurrat de ſacramentalis Communionis frequentia, caveat Epiſcopus, ne aut univerſim improbet, aut omnibus indiſcriminatim ſuadeat quotidianum ad ſacram menſam acceſſum. Etſi enim priſci Fideles conſueverint quotidie Euchariſticum panem deguſtare, quod diſcimus ex Sancto Juſtino *in apologia* 1. quam pro Chriſtianis obtulit Imperatori Antonino: ex Sancto Cypriano *in expoſitione Orationis Dominicæ*, ex Sancto Hieronymo *epiſtol.* 50. ex *Can. Omnes Fideles, de Conſecrat. diſt.* 1. & *Can. Peracta ibid. diſt.* 2. quidquid ſit, an ad quotidianam Communionem ex Eccleſiæ præcepto adigerentur, quemadmodum opinatur Vaſquez 3. *part. diſp.* 214. an potius ex mera devotione, & charitatis ardore quotidianus ejuſdem uſus fuerit a Fidelibus receptus, quod exiſtimant Suarez *cit. diſp.* 69. *ſect.* 3. & Juenin *de Sacram. diſſert.* 4. *quæſt.* 9. *cap.* 3. *art.* 1. *in fin.* indubitatum eſt, poſterioribus ſeculis, poſtquam ſcilicet elanguit Fidelium charitas, non ſolum *intermiſſam* fuiſſe Communionis frequentiam, ſed jamdudum, hoc eſt a ſeculo XII. inter pios, & doctos vehementer dubitatum, an conſulendus eſſet Fidelibus quotidianus Chriſti Corporis eſus: ſiquidem apud Innocentium III. *de myſter. Miſſ. lib.* 4. *cap.* 42. legimus: *Dixerit ergo quiſpiam, communicandum eſſe quotidie; dixerit alius, quotidie communicandum non eſſe:* quæ certe verba indicant rem poſitam in quæſtione, quam Innocentius non ſolvit, ſubjungens: *Faciat unuſquiſque, quod pie crediderit faciendum:* atque ad id comprobandum affert Auguſtinum relatum *in Can. Quotidie, de Conſecrat. diſtinct.* 2. ubi ait: *Dixerit quiſpiam, non quotidie accipiendam Euchariſtiam: alius affirmet quotidie: faciat unuſquiſque, quod, ſecundum fidem ſuam, pie credit eſſe faciendum.* Eandem quæſtionem diſtincte, & perſpicue, ſuo more, pertractavit D. Thomas 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 10. in qua docet, eſum quidem Euchariſtici panis, in ſe ſpectatum, ſemper eſſe ſalutarem, & nihilominus non ſemper cuicumque expedire illum ſumere, quia non ſemper reperitur in ſumente diſpoſitio requiſita ad dignam illius comeſtionem, ex quo concludit: *Et ideo, ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt, quod quotidie ſumat. Unde Auguſtinus, cum dixiſſet: Accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit: ſubjungit: Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed, quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indiſpoſitionem, vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus, quotidie ad hoc Sacramentum accedere.*

VII. Hæc perpendentes ſanctiſſimi Tridentini Patres duobus a ſe editis decretis, Fideles hortati ſunt ad ſanctiſſimæ Communionis frequentiam, ſibique in votis eſſe demonſtrarunt, ut quilibet tanta emineat morum integritate, ut digne poſſit etiam quotidie Chriſti carnibus paſci; conſulto tamen abſtinuerunt ab univerſali regula hac de re tradenda, cum ſatis exploratum habuerint, eam unice deſumi poſſe *a cujuſlibet peculiari ſtatu*, devotione, & charitate. Primum decretum habetur *ſeſſ.* 13. *de Euchariſtia cap.* 8. eſtque hujuſmodi. *Paterno affectu admonet ſancta Synodus: hortatur, rogat, & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut omnes, & ſinguli qui Chriſtiano nomine cenſentur . . . . . hæc ſacra Myſteria Corporis, & Sanguinis ejus, ea Fidei conſtantia, & firmitate, ea animi devotione, ea pietate, & cultu credant, & veneventur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint.* Alterum extat *ſeſſ.* 22. *cap.* 6. *de Sacrific. Miſſ. Optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.*

VIII. Sed nihilominus hæc ſaluberrima Tridentini decreta non extinxerunt antiquam, quam innuimus, controverſiam; quin immo hæc, ſeculo elapſo, acrius inter Theologos recruduit: plures quippe quotidianæ Communioni plus æquo patrocinantes, eam omnibus, ſine ullo perſonarum delectu, ſuadendam dictitarunt: e quorum numero fuit, qui hanc etiam propoſitionem non eſt veritus aſſerere, quam die 2. Martii 1679. Apoſtolicæ damnationis telo confixit Innocentius XI. *Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis:* alii contra frequentiorem, multoque magis quotidianum ad ſacram menſam acceſſum, nimium imprudenter, univerſim damnarunt. Utriuſque claſſis Auctores referunt Rhodes *diſput.* 1. *quæſt.* 4. *ſect.* 1. §. 2. & 3. Joannes Sanchez *diſp.* 22. Cardinalis de Lugo *de Euchar. diſp.* 17. & Cardenas *Criſis Theolog. tom.* 3. *diſp.* 66. Ad hanc vero litem præcidendam, jubente, atque approbante Innoc. XI. die 12. Februarii 1679. promulgatum eſt decretum, quod integrum legitur apud citatum Cardenas *cap.* 1. & la-Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 665. e quo hæc verba, ad Epiſcopos maxime pertinentia, tranſ-

transcribimus. *In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut a quotidiana sacræ Communionis sumptione, unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unusquisque digne, pro devotionis, & præparationis modo, rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet .... Proderit etiam, præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut, cum Fideles ad sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant; generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem, devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini judicii formidine, discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere.*

IX. Si itaque in Synodo instituatur sermo de frequenti, aut etiam quotidiano sanctissimæ Eucharistiæ usu, non est deviandum ab hujus decreti semita; sed, si qua Parochis tradenda sit instructio, curandum est, ut hæc illi adamussim respondeat: præcipue vero monendi sunt Confessarii, ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant, aut permittant, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de pœnitentia peragenda, suaque vita emendanda sunt soliciti; sicuti nec illis, qui etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem: qua de re legendi sunt Sanctus Franciscus Salesius *Philotheæ part. 2. cap. 20.* & Joannes Thaulerus *serm. 4. in festo Ven. Sacramenti*.

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

*De pertinentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ, & signanter de Quæstione, ejusque usu in Synodalibus constitutionibus, quod necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu Gehennæ concepta, aut dictæ necessitatis exclusionem.*

SAncta Tridentina Synodus *sect. 14. cap. 4. de Pœnitentia* duplicem distinguens Contritionem, utriusque virtutem, & efficaciam in hunc modum explicat: *Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando de charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem perfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et, quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.*

II. Ex his Concilii Tridentini verbis celebris orta est quæstio, qualis sit illa Attritio, quæ ad Dei gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, disponit. Atque, ut in primis de ipso Attritionis vocabulo aliquid dicamus, illud non esse antiquissimum, neque ante annum 1220. in scholis vulgari cœptum, Eruditi omnes optime norunt, cum Morino *de Pœnit. lib. 8. cap. 2. num. 14.* Quod tamen per nomen significatur, & Patribus, & Theologis semper perspectum fuisse, nemo dubitat: omnes quippe duplicem semper agnoverunt Contritionem; unam perfectam, quæ ex se justitiam, & sanctitatem affert; alteram imperfectam, quæ sola homini justificando impar est. Hanc vero Contritionem imperfectam visum est Scholasticis, congruo vocabulo, appellare Attritionem. *Sicut enim* (inquit Estius *in 4. distinct. 16. §. 9.*) *in corporalibus attritum dicitur, quod aliquo modo, nempe forinsecus tantum, læsum est, aut comminutum; contritum vero, quod totum intus, & foris fractione in minima resolutum est: ita in spiritualibus Attritio ab illis dicta est imperfecta quædam, & aliquo usque tantum progressa pœnitentia: Contritio vero pœnitentia intima, & perfecta.*

III. Porro ex multiplici capite potest hæc Contritionis imperfectio dimanare: & primo loco valde imperfecta est Contritio, quæ non est supernaturalis, sed unice movetur ab objecto naturali, aut non elicitur viribus gratiæ. Hanc sufficientem non esse ad justificationis gratiam, tam extra, quam intra Sacramentum consequendam, omnes fatentur: est enim similis pœnitentiæ Antiochi, qui peccatum deflebat, non quod esset offensa Dei, sed propter gravissimum morbum, quo cruciabatur; qua de causa veniam a Deo non est consequutus, 2. *Machab. cap. 9.* & quamvis aliquot ex veteribus Scholasticis visi sint huic naturali Attritioni vires tribuere ad hominem Deo reconciliandum, eorum tamen opinio proscripta est ab Innoc. XI. qui anno 1679. hanc propositionem *n. 57.* damnavit: *Probabile est, sufficere Attritionem naturalem, modo honestam.* Advertendum tamen, ne quis confundat motivum pœnitentiæ, cum occasione, qua ad pœnitentiam excitatur: etenim multi, morbo, aliove temporali malo vexati, perpetrata crimina mente revolvunt, & Dei gratia auxiliante, *illa ex motivo* superno serio detestantur; sicut accidit Ninivitis, qui timore mortis temporalis, ac subversionis urbis, quam Jonas prænuntiabat, commoti, per veram, sinceram, & supernaturalem Contritionem ad Deum conversi sunt.

IV. Imperfecta pariter est Contritio, quæ ab aliquo duntaxat peccatorum genere, non ab omnibus, voluntatem avertit: evenire enim potest, ut quis, ex speciali affectione erga aliquam virtutem, peccata eidem opposita detestetur, quin tamen propositum habeat cetera præcavendi, quæ aliis virtutibus adversantur. Ac demum imperfectissima erit, nec Contritionis nomen ea merebitur, quæ non procedat ex deliberata voluntate, sed potius sit quædam velleitas, seu sterilis, at inefficax displicentia de peccato, absque absoluto proposito in posterum non peccandi. Evidens porro est, neutram ex his posterioribus Contritionibus ad justificationem prodesse, quia neutra excludit voluntatem peccandi, sicuti Tridentinum exposcit, neque ad illam pertinet pœnitentiam, quam a nobis exigit Dominus, *Ezechielis cap. 18. Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.*

V. Alia est Contritio supernaturalis, & efficax, omnem excludens voluntatem peccandi, quæ nihilominus, aliis nominibus, dicitur imperfecta, & in quam unice cadit controversia, quam proposuimus. Et primo quidem potest Contritio esse imperfecta, imperfectione *mere negativa*; quia scilicet, etsi concipiatur ex eodem motivo charitatis, seu amoris Dei super omnia, ex quo concipitur Contritio perfecta, ad illius tamen intentionis gradum non pertingit, sed est debilis,

bilis, tenuis, & remissa. Secundo dicitur *imperfecta*, quia peccata detestatur propter Deum *dilectum*, non tamen amore amicitiæ, sed concupiscentiæ, hoc est dilectum, non quatenus est in se summe bonus, sed quatenus est bonus nobis, seu quatenus nostra felicitas, beatitudo, & finis ultimus. Tertio, & plerumque, nomine Contritionis *imperfectæ* intelligitur dolor de peccatis, unice conceptus, atque elicitus propter eorundem turpitudinem, aut solum metum pœnarum, & gehennæ, absque ulla Dei dilectione. Verum hæc eadem Contritio *imperfecta* potest ita moveri ex timore gehennæ, ut simul conjungatur cum aliquo Dei amore initiali; quatenus scilicet voluntas, quæ peccata odit propter supplicia, simul fertur quodammodo in Deum, ut objectum diligibile, eumque incipit amare, quamvis nondum amet amore perfecto charitatis. Difficile tamen est explicare hunc amorem initialem, nisi dicamus, eum esse verum actum amoris, sed debilem, tenuissimum, atque in minimo gradu: ac proinde hæc quarta species Contritionis imperfectæ videtur fere coincidere cum prima ex nuper enumeratis, neque in alio ab ea differre, nisi quod illa sit ex solo charitatis motivo, hæc vero admixtum etiam habeat timorem pœnarum.

VI. His positis, quamvis ante Tridentinum communiter Theologi docuerint, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, satis esse Contritionem imperfectam, quam jam tum *Attritionem* nuncupabant; Attritionis tamen nomine nunquam dolorem intellexerunt de peccatis, aliunde excitatum, quam ex motivo charitatis, seu omnino sejunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore benevolo Dei: sicuti testatur doctissimus Morinus *cit. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 2. Omnium autem primi Franciscus Victoria, & Dominicus Soto, ambo ex Ordine Dominicanorum, docuerunt, ad peccatorum remissionem, virtute Clavium, assequendam, satis esse Attritionem mere servilem, seu conceptam ex solo metu gehennæ; modo tamen hæc *a pœnitente* bona fide reputetur Contritio, *ad quam* ceteroquin eliciendam eum pro *viribus conari* debere affirmarunt. At Melchior Canus, *Victoriæ*, & Soti sententiam sequutus, eam præterea extendit ad Attritionem mere *servilem*, sic cognitam, hoc est, quæ a pœnitente non existimetur vera Contritio, sed talis esse cognoscatur, qualis revera est. Enimvero, si materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ esset vera Contritio, error pœnitentis, bona fide se contritum reputantis, cum revera contritus non sit, eum quidem excusaret a culpa, sed non disponeret ad gratiam assequendam in Sacramento, quod, ex defectu materiæ proximæ, esset irritum: eo pacto, quo, qui, solo elicito actu doloris mere naturalis, quem tamen credit supernaturalem, ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, non fit utique sacrilegii reus, sed Sacramenti effectu privatur: quemadmodum recte ratiocinatur Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 16. *& seq.* Quamobrem, si ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficit Attritio servilis, quæ reputetur Contritio, ut voluit Sotus, necessario inde consequitur, sufficientem etiam esse Attritionem mere servilem, ut docuit Melchior Canus.

VII. Melchioris Cani sententia, vix nata, scholas omnes pervasit, & tanto plausu excepta est, ut plurimos, ac magni nominis statim invenerit patronos: *Sed præ cæteris* (inquit Morinus *loc. cit.*) *hanc opinionem celebrem reddiderunt duo Theologiæ scholasticæ clarissima & famosissima lumina, Franciscus Suarez, & Gabriel Vasquez, quos innumeri nunc sequuntur Theologi.* Verum, qui inter istos doctiores, & sapientiores habentur, pavidi quodammodo, & meticulosi, ac magna cum cautela, illi recenti opinioni subscripserunt, quam ipsemet Canus nonnisi dubitanter astruxerat *part.* 5. *relect. de Pœnit.* inquiens: *Contritio ponitur pars Sacramenti, quia est certa & indubitata materia. Quod autem Attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est adeo certum & indubitatum; & ideo Concilium Florentinum, communisque sententia, tenens certum, relinquens incertum, ponit, Contritionem partem esse hujus Sacramenti.* Hac eadem moderatione loquitur Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. quæst.* 90. *art.* 4. *disp.* 15. *art.* 4. *sect.* 4. *numer.* 17. ubi obligans Fideles, qui lethalem culpam admiserunt, ad habendam Contritionem charitate perfectam in articulo mortis, hanc affert rationem: *Nam, licet sit probabilis opinio, Attritionem cognitam cum Sacramento sufficere ad justificationem, tamen non est certa, & potest esse falsa. Quod si fortasse in re ita est, probabilis ista existimatio non sufficit, ut homo salvetur. Ergo qui sciens, & videns, ita se mori permittit, voluntarie exponit se periculo morali æternæ damnationis. Nam, ubi est morale dubium, est morale periculum, præsertim in re tam gravi. Hic autem est morale dubium, cum illa opinio nec valde antiqua, nec multum communis sit.* Suaresii monitum confirmat Philippus Gamachæus *Summ. Theol. cap.* 8. *de Pœnit.* inquiens: *Etiamsi agnoscamus, Sacramentum Pœnitentiæ revera facere ex attritis contritos, non tamen id omnino indubitatum ..... Ergo debet tunc conari ad veram Contritionem, ut hoc modo Attritio saltem evadat certior.* Et Paulus Comitolus *Respons. moral. lib.* 1. *quæst.* 32. licet absolvi posse doceat, qui, ex sola formidine æternæ pœnæ, de peccatis dolet, hæc tamen prudenter addit: *Plures, magnique Theologi, in pœnitente, antequam absolvatur, Contritionem veram, charitate formatam, requirunt, neque usque adeo certum est, Attritionem pœnitenti esse satis. Quocirca Sacerdotis partes præcipue esse debent, veræ Contritionis motum in corde pœnitentis, auxiliante Deo, elicere, ardentique eum cohortatione urgere, ut propter Deum peccata admissa execretur omnia.* Sed, quod isti, tanta adhibita circumspectione, affirmarunt, posteriores Doctores, ob auctum sibi consentientium numerum, animosiores facti, non solum absque ulla dubitatione, & limitatione asseruerunt, sed contrariam sententiam, requirentem in pœnitente aliquem charitatis amorem, saltem initialem, carpere, & censura afficere non dubitarunt, eam omnino improbabilem, periculosam, Tridentini menti contrariam, atque implicite, & virtualiter quodammodo ab eodem Tridentino proscriptam, dictitantes. Verum istos redarguit Cardinalis Pallavicinus, diserte affirmans, unicum Tridentini scopum fuisse, damnare hæreticos improbantes timorem servilem, tanquam inhonestum, neutiquam vero definire controversiam, jam tum inter Doctores Catholicos agitatam: *lib.* enim 12. *hist. Tridentini cap.* 10. *num.* 25. hæc ad rem apposite scribit: *Quantum ex actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tanquam inhonestum improbantium pœnæ timorem; non item, ut ferret sententiam de scholastica quæstione, an hujusmodi timor non solum absque Contritione animi perfecta (de quo controversia vix fuit, sicut patebit); sed etiam absque eo, quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem in Sacramento. Id vero clare liquet ex ipsa probatione Concilii, qua hujus articuli doctrinam firmat cap.* 4. *nimirum Ninivitarum pœnitentiam ex timore profectam ipsis profuisse, cum certum esset, eo tempore, quo Sacramentum Pœnitentiæ adhuc non extabat, eam formidolosam pœnitentiam minime suffecisse per se ipsam ad peccatum delendum, sed vim tantummodo habuisse ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur charitas.* Testatur deinde idem probatissimus Historicus, supra citatum decretum *cap.* 4. *sess.* 14. fuisse prius ita concinnatum, ut in eo diceretur, Attritionem ex metu gehennæ, & pœnarum, *sufficere* ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam, sed, inter-

tercedente Joanne Æmiliano, Tudertano Episcopo, ablatum fuisse verbum illud *sufficere*, ejusque loco subrogatum verbum *disponit*, quod profecto æquivocum est, & referri potest cum ad dispositionem proximam, tum ad remotam, sicuti opportune observant Petrus Lambertus le Drou *in Tract. de Contrit. & Attrit. dissert.* 1. §. 1. *& seq.* Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. lib.* 2. *de Sacram. Pœnit. art.* 3. *propos.* 5. Juenin *de Sacram. dissert.* 6. *quæst.* 4. §. 3. Tournely *de Pœnit. quæst.* 5. *art.* 2. Vuitasse *eod. tract. quæst.* 3.

VIII. Ad hæc, ut observant Launojus in dissert. de mente Concilii Tridentini circa Contritionem, & Attritionem *part.* 2. *cap.* 2. & citatus le Drou §. 3. ex ipsismet Patribus, & Theologis, qui Concilio Tridentino interfuerant, eodem Concilio absoluto, aliqui propugnarunt necessitatem inchoatæ Contritionis, seu amoris initialis, ad Sacramentum Pœnitentiæ, inter quos Fridericus Nausea, Episcopus Viennensis in Austria, in suo Catechismo, & Franciscus Sonnius Episcopus Antuerpiensis *tract.* 4. *de Pœnit. cap.* 6. alii pro sufficientia Attritionis mere servilis dimicarunt, uti Andreas Vega, & citati Dominicus Soto, & Melchior Canus. Non autem fuissent Præsules, & Theologi in has oppositas sententias distracti, si quid a Concilio Tridentino de hac re definitum sciissent.

IX. Cum itaque versemur in quæstione ab Ecclesia hactenus non definita, jure ac merito Alexander VII. die 5. Maji 1667. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ reservatæ, præcepit *cunctis, & singulis Fidelibus ..... ut, si deinceps de materia Attritionis scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares, eteroſve erudient, non audeant alicujus theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem; donec ab hac sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum*. Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis, aut in instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant aut de Attritionis mere servilis ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate. Adhuc quippe sub Judice lis est: adhuc impune pro una, & altera sententia dimicatur. Paucis antea annis Cardinalis Gottus *Theolog. tom.* 3. *in* 3. *part. D. Thomæ, quæst.* 4. *de Contritione dub.* 4. §. 1. sententiam propugnavit non requirentem in pœnitente amorem Dei, ne initialem quidem, ad justificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ assequendam. Hac ipsa in Urbe, opera, & cura P. Caroli Jacobi Romilli, Ordinis Minorum Conventualium Generalis Ministri, Typis recusum est Opus Claudii Frassen inscriptum *Scotus Academicus*; cujus Auctor *tom.* 10. *pag.* 563. strenue defendit, Attritionem ex solo metu pœnarum, & gehennæ, atque ex amore concupiscentiæ, seu affectu spei, conceptam, modo supernaturalis sit, omnemque excludat voluntatem peccandi, esse sufficientem dispositionem ad Sacramenti Pœnitentiæ fructum in se derivandum. Contra vero Cardinalis Denhoff, Episcopus Cæsenatensis, *in sua Instructione Pastorali de Pœnit. Sacram. pag.* 33. aliqualem amorem in Attritione requirit, ut sit sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ materia, Franciscus Maria Campioni anno 1698. doctam elucubravit Dissertationem Theologico-Scholasticam, in qua totis viribus conatus est demonstrare necessitatem aliqualis amoris Dei, saltem imperfecti, & initialis, ad impetrandam gratiam in Sacramentis, quæ dicuntur *Mortuorum*. Et laudatus Petrus Lambertus le Drou, Episcopus Porphyriensis, Apostolici Sacrarii Præfectus, cum per Urbem evulgatam vidisset Dissertationem, a Bartholomæo Rivio, ejusdem sui Augustiniani Instituti Theologo, exaratam, in qua Auctor decertat pro sufficientia Attritionis, omnis charitatis expertis, ad valide, & cum fructu recipienda Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, eidem statim contradictorem se præbuit, aliisque editis Dissertationibus, san. mem. Clementi XI. nuncupatis, nullum non adhibuit argumentum, quod aptum putaverit ad prædictam opinionem refellendam; contendens, Attritionem mere servilem, ne a Sacramento quidem vires sortiri, quibus valeat hominem proxime disponere ad Dei gratiam vel primo obtinendam, vel amissam recuperandam. Hinc recte intulit Berti *Theolog. tom.* 7. *lib.* 34. *cap.* 5. nihil hactenus a Sede Apostolica de hac quæstione decisum, sed libertatem cuique datam, ex præfatis opinionibus eam eligendi, & docendi, quam maluerit.

X. Sed non ideo prohibentur Episcopi Confessarios monere, ut pœnitentes ad veram, & perfectam Contritionem hortentur, & excitent: id siquidem faciendum suadent etiam præcipui Auctores, qui pro sufficientia doloris, ex solo metu gehennæ, steterunt, uti Suarez, Gamachæus, Comitolus, quorum testimonia supra retulimus. Et, quod magis est, ita fieri præcipit Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, *tit.* 18. Confessario injungens, ut, audita pœnitentis sacramentali Confessione, ejusque peccatis diligenter expensis, *opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibeat, & ad dolorem, & Contritionem efficacibus verbis adducere conetur*: cui consonat Rituale Argentinense, editum a Cardinali de Rohan, *tit. de Pœnit.* §. 1. ubi hæc habentur: *Ceterum pœnitentes suos admonere non cessent Confessarii, ne se putent securos in Sacramenti Pœnitentiæ perceptione, si præter fidei, & spei actus, non incipiant diligere Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, ut loquitur sacrosancta Synodus Tridentina*.

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

*De Confessione, quam nonnullæ Synodi excipiendam prohibent Confessario, qui est in opere carnali complex criminis cum Pœnitente peracti.*

UT jam, post dispositionem requisitam in pœnitente, aliquid de Confessarii jurisdictione, quod ad propositum pertineat, dicamus, unum animadversione dignum censemus. Quamvis Sacramentum Pœnitentiæ sit a Christo Domino institutum per modum judicii, & nemo esse queat Judex in causa propria; nihilominus communiter existimant Theologi, duce D. Thoma, sola spectata natura Sacramenti, posse Confessarium, sui criminis socium, a secum perpetrato peccato, cujuscumque speciei illud sit, in foro Sacramentali absolvere: siquidem tunc, non de propria, sed de aliena culpa judicium profert: neque, secluſa legum prohibitione, repugnat, ut quis Judicis personam assumens, de commisso ab altero delicto sententiam dicat, licet ejusdem delicti ipse, tanquam privatus, particeps fuerit. Ita D. Thomas *in supplem.* 3. *part. quæst.* 20. *art.* 2. *Ad primum ergo dicendum, quod in tali casu nec Sacerdos debet audire Confessionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato, sed debet ad alium mittere, nec illa debet ei confiteri, sed debet petere licentiam ad alium eundi, vel ad Superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret, tum propter periculum, tum quia est minor verecundia. Si tamen absolveret, absoluta esset. Quod enim Augustinus dicit, quod non debeat esse in eodem crimine, intelligendum est, secundum congruitatem, non secundum necessitatem Sacramenti*. An vero non solum valide, sed etiam licite id fiat, non consentiunt Auctores. Aliquam certe la-

bem in ea Confeſſione D. Thomam agnoviſſe, ex citatis ejuſdem verbis palam eſt, & S. Petrus Damiani *opuſc. 7. cap. 7.* adeo vehementer in eandem Confeſſionem invehitur, ut certe videatur, illam non ſolum illicitam reputare, ſed tanquam *irritam* rejicere; ait enim: *Legis præceptum eſt, ut, cum quis lepra perfunditur, Sacerdotibus oſtendatur: tunc autem, non Sacerdotibus, ſed leproſo potius oſtenditur, cum immundus immundo peractam communem nequitiam confitetur. Sed, cum Confeſſio utique manifeſtatio ſit; quid, obſecro, manifeſtat, qui audienti cognitum narrat? Aut quo pacto Confeſſio illa dicenda eſt, ubi nihil a confitente manifeſtatur, niſi quod jampridem ab audiente cognoſcitur? Et qui ſociali vinculo peractæ iniquitatis adſtringitur, qua lege, quo jure, alterum poterit ligare vel ſolvere? Fruſtra enim quis alium ſolvere nititur, qui & ipſe vinculis irretitur.* His, ex Theologis moralibus aſſentitur Stephanus Fagundez *in ſecundum præceptum Eccleſiæ lib. 4. cap. 3. n. 35.* ubi gravis culpæ reum facit Sacerdotem, excipientem Confeſſionem ſuæ concubinæ. At ex adverſo Sylveſter *in Summ. verb. Confeſſio 1. num. 17.* Joannes Sanchez *diſp. 10. ſelect. n. 16.* Theophilus Raynaudus *tom. 16.* in Opere, cui titulus *Heteroclita ſpiritualia, pag. 128.* la Croix *tom. 2. pag. 227.* aliique affirmant, Confeſſionem factam complici, tam ex parte pœnitentis, quam ex parte Confeſſarii, culpa vacare, modo uterque a perpetrato crimine abhorreat, & longe abſit periculum novi conſenſus in illud.

II. Et tamen in multis Synodis decretum eſt, nedum illicitam, ſed inanem pariter, nullam, atque *irritam* fore abſolutionem, a Sacerdote datam ſocio ſui criminis adverſus ſextum Decalogi præceptum. Ita quippe ſtatutum legimus in Synodo Leodienſi an. 1662. *pag. 74.* in Veliterna ſub Cardinali Cybo anno 1698. *pag. 36.* in Synodo Fulginatenſi ſub Epiſcopo Baptiſtello anno 1722. *pag. 76.* in Bononienſi ſub Cardinali Jacopo Boncompagno *lib. 2. cap. 6.* in Anconitana ſub Cardinali Maſſæjo anno 1738. *pag. 11.* atque in Synodo Lucana, quam refert Roncaglia *in ſua morali Theologia tom. 2. tract. 19. cap. 3.* Nunquid igitur prædicti Epiſcopi peccarunt contra regulam, quam hucuſque inculcavimus, & elucidavimus, nihil in Synodo decernendi de rebus dubiis, atque inter Theologos controverſis, materiam præcipue Sacramentorum reſpicientibus?

III. Nihil illos peccaſſe ex eorundem ſtatutis deprehendimus: illi ſiquidem non deciderunt quæſtionem, an Confeſſarius, generali ceteroquin juriſdictione inſtructus, valide, & licite pœnitentem abſolvat a crimine ſecum perpetrato; ſed eundem privarunt juriſdictione, ſeu facultate abſolvendi ſocium ſui, ſeu complicem in peccato impudicitiæ. Quam vero ſapienter & ſancte id præſtiterint, ex iis fas eſt judicare, quæ Doctores, de hac re agentes, mature ponderarunt. Atque, ut ea prætermittamus, quæ a S. Petro Damiani, & D. Thoma nuper audivimus, Baſilius Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 38. n. 3.* illata mentione Confeſſionis, de qua agimus, gravia mala deſcribit, atque exaggerat, quæ ex ea proveniunt, præcipue cum Confeſſarius in ſacramentali foro feminam audit, cum qua, non ſemel tantum, & diu antea peccavit, ſed in turpi contubernio perſeverat. Verjuys *tom. 9. art. 5.* affirmat, longa experientia compertum, ejuſmodi Confeſſiones plerumque ſacrilegas eſſe, noviſque peccatis fœdatas. Theophilus Raynaudus, quamvis *cit. loc.* eandem Confeſſionem in ſe licitam dixerit, periculoſam tamen fatetur. Et Natal. Alexand. *Theolog. dogmat. & moral. tom. 1. lib. 12. de Pœnit. cap. 5. art. 10. regul. 66.* hæc ad rem adnotavit: *Vix contingit, ut peccatores, qui apud ipſos hujuſmodi crimen deponunt, ſinceram illius pœnitenti amagant; vix contingit, ut criminoſi illi Sacerdotes ſalutaria dent conſilia, & convenientem ſatisfactionis modum præſcribant: & ſi peccata ſint impudicitiæ, periculum eſt, ne nova cum pœnitenti, tum Sacerdoti, in ipſa Confeſſione peccati naſcatur occaſio.* Quare Sanctus Carolus Borromæus, ne ſordidis hiſce maculis illud fœdaretur Sacramentum, quo Chriſti Sanguine perfundimur, ut a peccatorum lepra mundemur, in ſua Synodo Diœceſana XI. *Act. Eccl. Mediol. part. 2. pag. 409.* Confeſſariis generatim, atque univerſim facultatem interdixit ſui cujuſcumque criminis ſocium, ſeu quoquo modo participem, abſolvendi: *Confeſſario* (inquit) *qui cujuſcunque criminis, etiam minimi, ſocius, particepſve ullo modo fuit, munere interdictum ſit Confeſſionis eorum audiendæ, quos illius ſocios habuerit ..... Nec vero abſolutio, ſi quam impartierit, ullius roboris ſit, ſed irrita plane, ac reſciſſa, nullaque omnino, tanquam ab eo impartita, qui juriſdictionis, & facultatis expers eſt. Et vero, ſi quis Confeſſarius culpæ ſocius, particepſve aliquid contra auſus erit, excommunicationis ſententiam ſtatim ſubeat: cujus vinculo irretitus, ab alio Sacerdote, niſi a nobis, abſolvi non poſſit.*

IV. Quamquam autem hæc ſanctiſſimi Præſulis ſtatuta, etiam generatim, uti ſonant, ſint ſummopere commendanda, & quilibet Antiſtitum ſancte queat eorundem veſtigiis inſiſtere; negari tamen haud poteſt, majorem quamdam, & graviorem inhoneſtatem in eo adeſſe, ut Sacerdos illius perſonæ Confeſſionem excipiat, cum qua impudicitiæ ſcelus admiſit: ac proinde, ſtatim ac nos ad Petri Cathedram evecti, totius Dominici gregis curam ſuſcepimus, univerſali lege ediximus, ne ullus Confeſſarius, *extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem ſacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, excipere audeat, ſublata propterea illi, ipſo jure, quacunque auctoritate, & juriſdictione ad qualemcunque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam:* ut legi poteſt in noſtris Apoſtolicis litteris, datis Kalendis Junii 1741. quæ extant *Bullarii noſtri tom. 1. Conſtit. 20. §. 4.* Ut porro conſcientiarum tranquillitati conſuleremus, aliis ſimilibus litteris, datis die 8. Februarii 1745. quæ habentur *cit. tom. Bullarii Conſtit. 120.* declaravimus, ad rem, de qua agimus, perinde eſſe, nullum adeſſe Sacerdotem, præter illum, cum quo pœnitens inhoneſte peccavit, aut eum tantum adeſſe, quem idem pœnitens conſtitutus in mortis articulo, eligere nequit ſine periculo ſe ipſum infamandi, aliiſque malam ſui ſuſpicionem ingerendi; atque ideo, in eo rerum ſtatu, non prohiberi, diximus, Sacerdotem, ſuæ impudicitiæ complicem abſolvere: eundem tamen ſimul monuimus, ne prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi confingat, quæ revera abſint: quin immo voluimus, ut ea, cum poteſt, antevertat, & removeat; ſecus enim pœnas non effugiet, in noſtra prima Conſtitutione inobedientibus inflictas.

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

### *De forma conditionata in Sacramento Pœnitentiæ.*

CUM in ſuperiore capite ſexto hujus libri, de Sacramento Baptiſmatis, quod in anima characterem imprimit, ageremus, plura diſſeruimus de forma conditionata, quæ in ejus adminiſtratione adhibetur, deque ejuſdem vetuſtate, necnon de circumſtantiis neceſſariis, ut quis ea licite uti poſſit: quæque ibi tradidimus, congrua congruis referendo, ceteris etiam Sacramentis, quæ characterem imprimunt, facile aptari poſſunt. Ut autem aliqua dicamus de

iis,

iis, quæ non imprimunt characterem, cum in his Pœnitentiæ Sacramentum adnumeretur, disputant Theologi, an absolutio sub conditione in illo impertiri possit: quod idem est, ac dicere, an in hoc Sacramento, quod non imprimit characterem, quodque idcirco reiterari potest, quibusdam concurrentibus circumstantiis, conditionata forma admitti, & adhiberi valeat.

II. Qui eam nullatenus admittendam existimant, asserere solent hujusmodi formam conditionatam in Sacramento Pœnitentiæ nunquam in Ecclesia adhibitam fuisse longo XVI. seculorum spatio, quibus nec Concilium ullum, nec ullus ex Patribus eam commemorasse dignoscitur, nec ulla ipsius mentio reperitur in Ritualibus Latinis, aut Græcis, nec etiam in Rituali Romano, quod a Paulo V. confirmatum fuit, licet in his de forma conditionata agatur, quæ in Baptismi, ac extremæ Unctionis administratione adhibetur; præterea Sanctum Carolum Borromæum accuratissimam Instructionem pro Confessariis composuisse, in qua loquitur de modo, quo teneriores pueri, atque puellæ ad Confessionem admitti debent, quin ullum de conditionata forma verbum faciat; item Albertum Castellanum, Ordinis Prædicatorum, anno 1497. quoddam edidisse Opus, *Sacerdotale Romanum* inscriptum, a summis Pontificibus approbatum (quod idcirco dici potest auctoritatem legis habere), ubi *pag.* 11. *a tergo cap.* 4. *edit. Venet.* 1585. postquam egit de conditionata Baptismi forma, & casuum circumstantias indicavit, quibus ea adhiberi potest, sequentia verba in margine adnotavit: *Secus in Sacramento Pœnitentiæ, quod non licet*. Contra conditionatam sacramentalis Pœnitentiæ formam clamat Cardinalis Cajetanus *in sua Summa verb. Absolutio primo*, sequentibus verbis: *Errat Sacerdos sic faciens, quia præsumit sub forma dubia tradere, quod Christus mandavit sub forma certa ministrari*: ac paulo infra. *De nullo magis debet curare absolvens, quam de contritione, & satisfactione pœnitentis; & tamen Ecclesia, absque conditione aliqua, credit pœnitenti dicenti, se contritum, & habere propositum satisfaciendi, & absolutionis beneficium impartitur absque conditionali nota. Unde exterminanda est hujusmodi superstitio ab Ecclesia Dei.*

III. Utque eo magis sententiam suam confirment, qua usum conditionatæ formæ in Sacramento Pœnitentiæ rejiciunt, casum proponunt de Confessario, qui ita absolveret: *Te absolvo, si habeo potestatem absolvendi*: vel hoc modo: *Si tu es vere pœnitens*: vel hoc alio: *Si restitues alienum, aut tale aliquid feceris*: & absolutionem quidem duobus priobus modis impertitam, validam esse, affirmant: at conditionem inutilem prorsus, atque superfluam esse, utpote quæ nihil aliud efficiat, nisi ut Minister incertus remaneat, utrum Sacramentum administraverit, pœnitens vero, num illud susceperit: absolutionem autem tertio modo impertitam, nimirum sub conditione de futuro, nullam omnino, ac irritam esse; cum Ministri voluntas, absoluta, & efficax *de præsenti* esse debeat, quo tempore ponitur materia, & forma Sacramenti. Sicuti enim propositio conditionata *nihil ponit in re*; ita conditionata voluntas, quamdiu talis est, in suspenso remanet, & nihil prorsus operatur. Ita differunt Genett. *tom.* 4. *suæ Theologiæ Moralis tract.* 6. *de Sacramento Pœnitentiæ cap.* 12. *quæst.* 6. Tournely *in Prælectionibus Theologicis de Sacramento Pœnitentiæ tom.* 2. *art.* 3. *quæst.* 8. *pag.* 200. *edit. Paris.* 1728. Gibert *tom.* 2. *Consultationum Canonicarum de Pœnitentia consult.* 1. *& tom.* 3. *consult.* 39. *sive ultima*.

IV. Alii tamen, qui formæ conditionatæ in Sacramento Pœnitentiæ favent, præmissis rationibus nihil moventur; eamque licite & recte adhiberi posse, statuunt, dummodo necessariæ adsint circumstantiæ, ac de conditionibus *de præterito*, vel *de præsenti* agatur, minime vero *de futuro*. Animadvertunt siquidem, nihil esse in forma conditionata, quod Sacramentum irritum faciat. Si enim conditiones illæ *de præterito*, vel *de præsenti*, adsunt, dum forma adhibetur, Sacramentum non secus perficitur, ac si forma absoluta adhibita fuisset; si vero desunt, tunc, licet ob earum defectum absolutio irrita sit, id tamen formæ conditionatæ, qua Sacerdos usus est, adscribi non debet; quoniam idem omnino contingeret, si forma absoluta, dum impertiebatur absolutio, adhibita fuisset. His addunt, per hujusmodi conditionatæ formæ usum, reverentiæ Sacramento debitæ maxime consuli, dum per eam protestatur Minister, si aliquod intersit obstaculum, se nolle Sacramentum perficere, & simul eundem Ministrum a gravibus angustiis se expedire, quibus aliquando vexatur, dum ex una parte veneration erga Sacramentum deesse nollet, ex altera vero necessarium periclitantibus animis auxilium denegare veretur. Ita disserunt Theologi Scholastici, ac etiam Morales, qui formam conditionatam recte adhiberi tuentur, dummodo tamen necessariæ, ut supra dictum est, adsint circumstantiæ, ad quas nimirum, dum agitur de illius usu in Pœnitentiæ Sacramento, veram redigi difficultatem affirmant.

V. Et quoniam hæc eorum opinio tanquam XVI. seculis incognita traducitur, & nulla in Conciliis, ac Ritualibus mentio de ipsa reperiri dicitur; quin immo in Sacerdotali prædicti Alberti Castellani expresse reprobata apparet: aliquis ex ipsis non deest, qui formam conditionatam in Sacramento Pœnitentiæ ab Henrico Gandavensi, qui seculo XIII. floruit, *in suo Quodlib. de Pœnitentia*, admisam esse contendat. Sed, quia Henrici textus non satis clarus, nec ad rem conficiendam idoneus videri potest, ad Joannem Gersonium confugiunt, qui scripsit ineunte seculo XV. quique de absolutione conditionata in Sacramento Pœnitentiæ pluries in suis Operibus verba facit, nimirum *in Responsionibus ad Carthusianorum interrogationes tom.* 2. *pag.* 461. *litt. A. in Tractatu de Unitate Ecclesiæ, eodem tom.* 2. *pag.* 118. *litt. A. in Tractatu de Schismate, tom.* 2. *pag.* 79. *littera C. Tenendum est hic pro certissima conclusione Theologiæ, quod, sicut potest fieri Confessio in multis casibus dubiis, vel scrupulosis, sub conditione, tam in eis, quæ sunt de jure, quam quæ sunt de facto: sic potest dari absolutio conditionalis*: ubi tamen docet, opus non esse, ut quis conditionem verbis exprimat (id quod aliquibus in more positum erat), sed satis esse, ut eam duntaxat mente concipiat: quod etiam de Baptismi forma conditionata asseruerat *eod. tom.* 2. *pag.* 406. *B.* juxta ejus Operum editionem Amstelodami cusam, qua nos usi sumus.

VI. Iidem vero, qui formæ conditionatæ in Pœnitentiæ Sacramento favent, fatentur quidem, nullam illius mentionem in aliquo Rituali, aut Concilio, vel Canone factam reperiri; verum advertunt, in nullo quoque Rituali, Concilio, vel Canone illam damnari: quod quidem prætermissum non esset, si prædictam conditionatam formam adhibere, minus rectum, aut illicitum visum esset; siquidem complures occurrunt libri, in quibus legitur sententia conditionatæ formæ favens. Albertus duntaxat Castellanus *in suo Sacerdotali Romano*, quod a summis Pontificibus approbatum fuisse asseritur, eam expresse in Pœnitentiæ Sacramento condemnat. Verum egregius hic Ordinis Prædicat. Profes. qui, exeunte seculo XV. ac ineunte XVI. floruit, eximiis quidem dotibus conspicuus fuit, idemque *Sacerdotale Romanum* concinnavit, quod ab ipso dicatum Leoni X. Pont. Max., deinde Pii IV. Pontificis jussu emendatum fuisse dicitur, juxta ea, quæ leguntur *tom.* 2. *Scriptor. Ord. Prædicat.* P. Jacobi Echard *pag.* 48. Sed hujusmodi Opus legis auctoritatem & vim obtinere,

tinere, admiſso etiam, quod Pii IV. auctoritate correctum fuerit, admodum ad probandum *difficile* judicatur. Gratiani enim Decretum, quantumvis pluries Romanorum Pontificum cura emendatum fuiſſe non ignoretur, vim ac pondus legis non habet; quin immo inter omnes receptum eſt, quidquid in ipſo continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex ſe habuiſſet, ſi nunquam in Gratiani Collectione inſertum foret, ut videre eſt in noſtro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 17. num. 10.* Et hæc quidem reſpondendi ratio prudentibus viris facile arridebit; cum & firmo rationis fundamento innitatur, & magnam præferat modeſtiam, dum aſſertam Operis reviſionem, de mandato Pii IV. factam, nullo modo attingit; cujus tamen Pontificii mandati probatio valde difficilis eſſet. Conſulatur Berti *tom. 8. Theolog. lib. 34. cap. 8. §. Ultimo.*

VII. Nos quidem in hac, atque in aliis hujuſmodi controverſiis, neutri ex partibus nos addicimus, atque ita ab Epiſcopis in Synodis agendum exiſtimamus; quin immo de illa ne verbum quidem a nobis factum eſſet, niſi, præter connexionem materiæ cum conditionata Baptiſmi forma, de qua nuper ſermonem habuimus, hujus controverſiæ notio neceſſario præmittenda nobis viſa fuiſſet, antequam de quibuſdam caſibus practicis in hoc capite ageremus, de quibus aliqui Epiſcopi in ſuis Synodis decreta & ſtatuta edere, opportunum duxerunt.

VIII. Accidit ſæpe, ut aliquis, gravi morbo ſe opprimi ſentiens, Confeſſarium arceſſi jubeat; verum interea temporis, antequam Confeſſarius adveniat, loquelam & cognitionem amittit; attamen, etiam ſine verbis, aliqua dat pœnitentiæ ſigna tum ante adventum Confeſſarii, tum in illius conſpectu; aliquando etiam nullum coram Confeſſario pœnitentiæ ſignum oſtendit, quamvis antea nonnulla ipſius indicia dederit. Hæc porro quotidie contingunt: ſicut etiam quotidie fit, ut, poſtquam ægrotus duo, vel tria peccata confeſſus fuerit, Confeſſionem proſequi amplius non poſſit. In his omnibus caſibus impertiri abſolutio debet. Ita enim in antiquo Carthaginienſi Concilio decretum fuit, relato *In Can. Is, qui, 26. quæſt. 6. Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam.* Item in epiſtola S. Leonis, a Gratiano pariter relata *in Can. Multiplex, de pœnitent. diſt. 1. Quod ſi ægritudine aliqua ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant; teſtimonia eis Fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & Pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.* Et, ut ad recentiora tempora deſcendamus, addenda eſt conſtitutio Synodi Nemauſenſis, anno 1284. habitæ, relata a Grancolas *tom. 3. veterum Liturgiarum pag. 772. Si infirmus petierit Sacerdotem pro pœnitentia recipienda, vel aliqua ſigna pœnitentiæ fecerit, & interim, dum Sacerdos veniret, obmutuit infirmus, vel factus eſt amens, aut phreneticus; Sacerdos veniens, ſive ad nutum infirmi, ſive ad teſtimonium eorum, qui audierunt ipſum petentem pœnitentiam, vel Presbyterum, vel aliqua ſigna pœnitentiæ facientem, debet ei, quicquid humanitatis vel conſolationis poterit, impendere, abſolvendo eum, & reconciliando, & orationes dicendo, & Crucis oſculum, ſi præſens Crux fuerit, ſibi dando.* Cum his concordat Rituale Romanum *tit.* 18. ubi de infirmo loquens, ait: *Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægro deficiat, nutibus, & ſignis conetur* ( loquitur de Confeſſario ) *quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiamſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.* Cumque nonnulli exiſtimarent, ægrotum illum abſolvendum non eſſe, qui coram Confeſſario nullum pœnitentiæ ſignum dedit, quantumvis antea dederit coram aliis, qui id ipſi Confeſſario teſtificantur; ſuamque opinionem ea ratione fulcirent, quod Clemens VIII. Pont. Max. anno 1602. ſequentem propoſitionem, veluti ſcandaloſam, ac temerariam, damnavit: *Licere per litteras, ſeu internuncium, Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere:* uti videre eſt in Conſtitutione 87. ejuſdem Pontificis *Bullar. tom. 3.* eorum tamen error ab aliis facile deprehenſus eſt. Longe enim diſcrepat unus caſus ab alio. Conſulantur Cardin. de Lugo *de Sacramento Pœnitentiæ diſput. 17. ſect. 5. §. 2.* Cardinalis Gotti *tom. 14. Theologiæ, de Sacramento Pœnitentiæ quæſt. 8. dub. 3. §. 2. num. 9.* Diana *edit. coord. tom. 1. tract. 3. reſolut. 74.* Elbel *Theolog. Moral. part. 2. de Sacram. Pœnitent. conferent. 8. §. 1. num. 207.* Narrat hic Auctor, prædictum Clementem VIII. interrogatum fuiſſe, an, prohibendo Confeſſionem in abſentia, ſive per litteras, ſive per nuncium factam, in animo habuerit, hanc quoque Confeſſionis ſpeciem, de qua loquimur, prohibere, & conſequenter abſolutionem, quam Sacerdos impertitur ægroto jam jam morituro, & nullum pœnitentiæ ſignum, aut Confeſſionis deſiderium in ſui præſentia demonſtranti, de quibus tamen ſignis antea editis certior fit per teſtes; eundemque Pontificem negative reſpondiſſe, aſſerit. Et, quamvis ipſe nullum hujuſmodi reſponſionis documentum afferat; nihilominus, ita ſe rem habuiſſe, conſtat ex teſtimonio Petri Lombardi, Archiepiſcopi Armacani, qui cum hoc idem audiviſſe ſe affirmat ex ore ipſius Pontificis, cum quo de hac quæſtione tractaverat. Id autem reſponſum non ſolum relatum legitur in Operibus P. Coninck *de abſolutione moribundi, in fin.* verum etiam in laudato Opere Cardin. de Lugo *ſect. 4. n. 76. & 77. Quare*, cum olim Major Luſitaniæ Inquiſitor ſupremæ Inquiſitioni Romanæ hanc propoſuiſſet quæſtionem: *An cenſuram, & quam, mereatur hæc propoſitio: valide impenditur abſolutio, quando ægrotus coram uno, vel altero teſte ſigna contritionis exhibet, deinde, ſuperveniente Confeſſore, nullo externo ſigno confitendi voluntatem oſtendit; conſtat tamen ex relatu internuncii, ægrotum oſtendiſſe ſigna contritionis, & confitendi voluntatem:* ſummus Pontifex Urbanus VIII. in Congregatione coram ipſo habita die 24. Febr. 1632. non ſolum abſolutionem impertiri poſſe, reſpondit: *Sanctiſſimus dixit, huic ægroto poſſe impertiri abſolutionem:* verum etiam, ne laudatum decretum Clementis Papæ VIII. negotium ullum faceſſere poſſet, addidit: *nec id repugnare decreto Clementis VIII. cum diverſam contineat rationem.* Uno verbo, in caſu, de quo agimus, pœnitens per alios oſtendit ſuum confitendi propoſitum; idque ſatis eſt, ut in eo ſtatu, in quo poſitus eſt, abſolutionem conſequi poſſit, ut in ſupra citato Rituali ſtatuitur. Nec diſputandi locus eſt, utrum in hoc caſu abſolutio conditionata, an ſimplex, & abſoluta eſſe debeat. Hæc enim controverſia locum non habet, niſi cum ſigna ab infirmo edita, ſeu quæ Confeſſario a teſtibus referuntur, dubia prorſus, ac æquivoca per ſe ipſa ſint, aut fuerint. In his namque circumſtantiis, ſunt qui putant, abſolutionem ſub conditione impertiendam eſſe. Ita legitur in Inſtructione pro Sacerdotibus ad Confeſſarii miniſterium recens deputatis, Romæ edita per quemdam Presbyterum Congregationis Miſſionis, ac pluries etiam alibi typis excuſa, & præſertim Papiæ anno 1720. *par. 2. cap. 12. §. 1. num. 191. & ſeq.* Et Cardinalis de Lugo, ſupra laudatus, explicans modum impertiendi abſolutionem conditionatam, quando dubia ſint ſigna, quæ ab infirmo oſtenduntur, aut oſtenſa ſunt, ita proſequitur in dicto Tractatu *de Sacramento Pœnitentiæ diſp. 17. ſect. 3. §. 2. num. 91. Si dubitat Sacerdos, an ſigna ab infirmo exhibita fuerint*

*rint ad ſignificandum dolorem de peccatis, & voluntatem abſolutionis, an vero ex dolore morbi; item an, quando dixit, ſe velle confiteri, eſſet compos ſui, an impos, & ſine rationis uſu: in his enim & ſimilibus caſibus, propter reverentiam Sacramenti, abſolutio impendi debet ſub conditione explicita, interius concepta.*

IX. Quæ hactenus dicta ſunt, ad eos pertinent, qui in mortis articulo conſtituti, pœnitentiæ ſigna, aut confitendi votum oſtenderunt vel coram Confeſſario, vel coram aliis ſibi adſtantibus, qui hoc ipſum Confeſſario teſtificantur. Nunc agendum eſt de abſolutione illorum, qui gravi aliquo, & repentino caſu oppreſſi, vel morbo correpti, extremum agunt ſpiritum, abſque eo quod ulla dederint, vel dare valeant pœnitentiæ ſigna. Quod cum & iis contingere poſſit, qui vitam ex Chriſtianæ legis præſcripto ſemper duxerunt, & Sacramenta frequenter ſuſcipere conſueverunt; atque illis etiam, qui de æterna ſalute ſua plerumque nihil cogitantes, flagitiis ſæpe ſe contaminaſſe noſcuntur: de prioribus potiſſimum intelligenda ſunt ea, quæ ſubjicimus. Antiquorum Theologorum communis opinio fuit, quam multi adhuc tuentur, quod nullis editis a pœnitente actibus, abſolutioni Sacramentali impertiendæ locus eſſe non poſſit. Ita Natalis Alexander *in Theologia Dogmatico-Morali lib. 2. de Sacramento Pœnitentiæ art. 7. regula* 17. & Pontas *in verb. Abſolutio caſu* 4. ob eam nempe rationem nuper indicatam, quod ſcilicet, cum pœnitentis actus non adſunt, deeſt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ; cumque præterea Sacerdoti notus non ſit præſens pœnitentis ſtatus, ejuſdemque voluntas, non poteſt is, judicantis in modum, abſolutoriam ſententiam proferre. Afferunt etiam in hujus ſententiæ confirmationem, quod Sorbonæ facultas Theologica anno 1665. propoſitionem damnavit ex quodam libro excerptam, quæ ſequentibus verbis concepta legitur: *Qui amiſerit loquelam, vel uſum rationis, ſi bene vivebat, ut bonus & fidelis, & frequentabat Confeſſionem, & Communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt, debet præſupponi contritus, &, faciente aliquo confeſſionem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia & peccato*: quam quidem prædicta Pariſienſis facultas ſequenti cenſura notavit: *Doctrina hujus propoſitionis, univerſim, & abſolute ſumpta eſt in praxi periculoſa.*

X. Adverſus hanc, quæ communis appellari poterat opinio, inſurrexit celebris Auctor Joannes Morinus *in ſuo Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ lib. 10. cap. 10.* hac innixus ratione, quod, ſi jam receptum & ratum eſt, ut qui loquelæ uſu deſtituitur, nullumque pœnitentiæ ſignum coram Sacerdote exhibet, abſolutione donetur, quoties adſtantes Sacerdoti teſtificantur, eundem, ante illius adventum, vel confeſſionem ſuam audiri poſtulaſſe, vel, dolorem de peccatis ſignificando, abſolutionem conſequi expetiiſſe; eo fortius abſolvi poterit, vel potius debebit is, cui licet nemo teſtimonium reddat, quod ante adventum Confeſſarii pœnitentiæ ſigna dederit, tot tamen teſtes ſunt de ejus propoſito recipiendi Sacramenta in ſupremo vitæ diſcrimine, quot ſunt actus Chriſtianarum virtutum, quot Confeſſiones ſacramentales, & Communiones Corporis Chriſti, quot demum religionis, & pietatis opera, quibus in univerſo ſuæ vitæ curſu manifeſtum probitatis ſpecimen præbuit. Ad hanc vero opinionem roborandam, Morinus ipſe quoddam Clementis VIII. Pontificis factum refert, qui fabro murario e Vaticanæ Baſilicæ faſtigio forte decidenti, ita abſolutionem impertitus fuiſſe dicitur: *Si es capax, abſolvo te a peccatis tuis*: ut legitur apud Homobonum *in exam. Eccleſ. part. 1. tractat. 7. cap. 18. quæſt.* 84. Præterea affert Gregorii Papæ XV. auctoritatem, qui, dum Bononienſem Archiepiſcopatum obtinebat, *in ſuo Memoriali Confeſſ. cap. 1. de forma Sacram. Pœnitentiæ num.* 16. S. Antonini doctrinæ adhærens, docuit, *poſſe etiam abſolvi moribundum aſſuetum frequentare Confeſſionem, quamvis repentino caſu oppreſſus Sacramentum non petierit.* Ac denique in medium profert Eccleſiæ Lemovicenſis Conſtitutiones editas anno 1620. in Synodo, cui undecim Abbates, Decani tres, Præpoſiti ſeptem, ac decem Priores, totidemque Archipresbyteri interfuerunt: *Poterit quoque idem applicari remedium*, videlicet ſacramentalis abſolutionis, *ei, qui judicio, omniumque ſenſuum uſu ſtatim captus eſt, non petita pœnitentia, nulloque ſigno contritionis edito, cum violentia morbi judicatur de repente & ex improviſo præventus, & oppreſſus, & Chriſtiane vixit; ferrique poteſt judicium ex actionibus vitæ, & moribus, eum libenter Pœnitentiæ Sacramentum petiturum fore, ſi tempus, & morbi violentia permiſiſſent; licet hoc in caſu nihil de abſolutionis effectu promittere poſſimus; ſed, animarum ſalvandarum cauſa, nullum remedium omittere debemus, quod Deus poteſtati noſtræ commiſit, Deum orantes, ut immenſa bonitate, & miſericordia, quod deeſt ægrotorum diſpoſitioni, ſuppleat, cetera inſcrutabilibus Dei judiciis commendantes.*

XI. Morini opinio complures ſectatores invenit ex his, qui poſt eum ſcripſerunt, quos inter numerandi ſunt Merbeſius *diſſert. 4. de Pœnit. quæſt.* 85. item Juenin *de Sacrament. diſſert. 6. de Pœnit. quæſt. 7. §. 3.* qui obſervat, hoc idem in Rituali Eccleſiæ Tullenſis, juſſu Cardinalis de Biſſy, olim Tullenſis Epiſcopi, edito præſcriptum fuiſſe: cui nos addimus etiam illud bon. mem. Cardinalis de Rohan Argentinenſis Epiſcopi, in cujus Proœmio *num.* 4. ita legitur: *Si qui Fidelium ſubito obmuteſcerent, vel omni rationis uſu deſtituerentur, iis ultimo caſu correptis, non neganda abſolutio, & extrema Unctio; modo, cum ſani eſſent, vitam duxerint homine Chriſtiano dignam. Tunc enim præſumi debent habere ſufficientem ad illa Sacramenta recipienda intentionem:* Genett. *tom. 4. Theologiæ Moralis tract. 6. de Sacram. Pœnit. cap. 12. quæſt. 5.* Tournely *in Prælectionibus Theologicis de Sacram. Pœnit. tom. 2. pag. 175. & ſeq. edit. Pariſien. anni* 1728. Vanroy *in Theologia Morali part. 4. tom. 5. cap. 9. quæſt. 3.* Witaſſe *de Sacram. Pœnit. part. 2. pag.* 836. Henricus a S. Ignatio *tom. 3. lib. 5. cap.* 196. & 197. Neeſen *tom. 2. tract. 5. de Sacram. Pœnit. dub.* 14. Auctor vero, qui Opus citati Pontas, Latine redditum, additionibus locupletavit, *præd. caſu* 4. animadvertit, non tanti quidem faciendam eſſe rationem illam ab adverſariis celebratam, quod ſcilicet, cum Pœnitentis actus non adſunt, materia deſit Sacramenti Pœnitentiæ. Nec enim certum eſt, materiam Sacramenti eſſe hujuſmodi Pœnitentis actus, cum Trident. Concil. illos, haud præciſe *materiam, ſed quaſi materiam Sacramenti* appellaverit, uti videre eſt *ſeſſ. 14. de Pœnit. cap. 3.* Quod ſi etiam neceſſaria Sacramenti materia in hujuſmodi actibus conſtitui deberet, ipſi jam antea præceſſiſſe dicendi eſſent, & tunc pro præſentibus haberi poſſent: non ſecus ac petitio abſolutionis, quam pœnitens ante Confeſſarii adventum emiſit, ſed coram eo amplius exprimere, aut repetere non poteſt, pro præſenti habetur ad eundem effectum, ut ſcilicet Confeſſarius ejuſmodi pœnitentem, jam ſenſibus, & loquela deſtitutum, abſolvere non dubitet.

XII. Et hæc quidem ſententia inter Theologos noviſſimis temporibus tantum invaluit, ut Auctor Theologiæ Moralis ad uſum Seminarii Petrocorenſis, dum eam ſibi nequaquam probari ſignificat, ad ultimum tamen admittat, ejuſmodi moribundis abſolutionem dari poſſe *ſub conditione*; ut videre eſt in illius *tom. 4. lib. 2. tract. 1. quæſt. 10.* Similiter P. Berti *loco ſuperius*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

*xius citato* aperte docens, quod, juxta ſcholæ rigorem, ejuſmodi infirmi minime dici poſſent abſolutionis capaces (id quod etiam fuſe comprobat Cabaſſut. *in Theor. & Praxi Jur. Can. lib. 3. cap. 11. num. 10.*) cum tamen tot eſſe videat doctiſſimos viros, qui eorum capacitatem admittunt, eamque conſtituunt in retroacta illorum vitæ probitate, ac pietate, conditionatam abſolutionis formam cum ipſis adhiberi poſſe, non inficiatur. Hanc vero licet aliqui nec rejiciendam putent, ubi agitur de hominibus in mortis articulo conſtitutis, qui neque recenter pœnitentiæ ſignificationes ediderunt, & diſſolutam, flagitioſamque vitam, ſceleribus ſemper inquinatam, egiſſe palam dignoſcuntur, quive etiam in actuali peccato moriuntur, dummodo Catholicam Fidem retinuerint, & pro Catholicis ſe geſſerint; ut videre licet in ſupra *dicta* Inſtructione pro Confeſſariis Tyronibus *part. 2. cap. 10. §. 1. n. 193.* *id* tamen nullo pacto probatur *iis*, qui cum Morino putant, rectam, & religioſam vitæ rationem, & Sacramentorum frequentiam, qua ægrotus ipſe in omni vita fidem ſuam ex operibus comprobavit, juſtam præbere cauſam, ut, quamvis idem in mortis articulo, morbi vi oppreſſus, nullum pœnitentiæ ſignum dederit, aut dare valeat, nihilominus ſacramentali abſolutione vel ſub abſoluta, vel ſub conditionata forma, donari poſſit.

XIII. Hæc ſunt, quæ circa uſum formæ conditionatæ in Sacramento Pœnitentiæ ea, qua fieri poterat, brevitate, ac diligentia colligere nobis datum eſt. Et quoniam hæc omnia, quemadmodum hucuſque narravimus, in utramque partem a Theologis diſputantur; optimum factu judicaremus, ut Epiſcopi in ſuis Synodis intra Ritualis Romani terminos ſe continerent; relinquentes nimirum ſcholis, & Conferentiis, ſeu Collationibus, quæ de Caſibus Moralibus haberi ſolent, totam hanc quæſtionem de conditionata abſolutionis forma, & de peculiaribus caſibus, quibus adhiberi illa poſſit, aut debeat. Porro in Synodo Montis Faliſci, quæ anno 1710. habita fuit, *cap. 6. de Pœnitentia num. 6.* decernitur, *ut abſolutione ſaltem ſub conditione moribundus donetur, quamvis nullus adſit, qui illius pœnitendi vota ſignis aut verbis prodita teſtetur.* In Synodo Iſclana habita anno 1716. *part. 2. de Sacram. Pœnit. cap. 1. n. 19.* legitur etiam de eo, qui in mortis articulo reperitur, ſi *nulla ſigna præſtiterit, ſaltem ſub conditione abſolvatur, modo in actuali peccato non decedat.* In Synodo Feltriæ celebrata anno 1627. *tit. 10.* decernitur, ut etiamſi adſtantes Sacerdoti aſſerant, infirmum ſuorum peccatorum pœnitentiam demonſtraſſe, & confitendi propoſitum oſtendiſſe, *abſolvatur in Domino ſub conditione*; hoc tamen addito: *cognitis ejuſdem moribus, ac vita, vel ſi in Deum, a Fide diſcedendo, non peccaverit.* Si hæc Synodalia ſtatuta cum Theologorum nuper indicatis opinionibus comparentur, facile erit agnoſcere, aliqua ex ipſis alteram ab altera circumſtantia non recte ſecernere, alia vero rem totam nimis ampliare, alia denique eandem nimis in arctum conſtringere. Quod ſane propoſitam a nobis agendi rationem magis magiſque confirmat; ut nempe, controverſiarum deciſione Theologorum diſputationibus relicta, prudens Epiſcopus ea duntaxat Synodalibus ſtatutis inſerere ſtudeat, quæ in Ritualibus Libris, ab Eccleſia Romana propoſitis, indicantur, & præſcribuntur.

## CAPUT DECIMUM SEXTUM.

*De reprobatione doctrinæ, quæ in nonnullis Synodis legitur, Confeſſionis videlicet factæ in mortis articulo Laico, aut etiam mulieri, deficiente Sacerdote, aut Diacono, vel Subdiacono.*

BErnardus Lemovicenſis an. 1374. factus Bononienſis Epiſcopus, ſuam Synodum coegit, pluresque edidit Conſtitutiones, quas etiam Bernardi Succeſſores religioſe, ac ſancte cuſtodiri, & ſervari juſſerunt; uti teſtatur Sigonius *lib. 3. de Epiſcopis Bononienſibus, in dicto Bernardo.* Illas eaſdem Conſtitutiones, in poſterioribus Bononienſibus Synodis iterum, iterumque publicatas, Auguſtinus Zannetus Epiſcopus Sebaſtenus, Laurentii Cardinalis Campegii, Epiſcopi Bononienſis, Vicarius Generalis, & Suffraganeus, anno 1535. typis editas vulgavit. In harum Conſtitutionum *rub. 5. de Pœnit.* hæc habentur: *Nullus alieno Sacerdoti peccata ſua confiteatur, niſi prius a proprio petita licentia, & obtenta, quam nullus requiſitus, doloſe, vel malitioſe denegare præſumat. In quibuſdam tamen caſibus poteſt quis alieno Sacerdoti confiteri, a ſuo non petita licentia: primo, ſi Epiſcopus aliis ſpecialiter delegaverit: ſecundo, ſi peccans in aliena parochia, iterum vult de peccato illo Sacerdoti illius parochiæ confiteri: tertio, ſi ſuum domicilium ad aliam tranſtulit parochiam: quarto, quando quis eſt vagabundus: quinto, ſi periculum mortis ſibi imminet, nec habere poteſt proprium Sacerdotem, quo caſu, deficiente alieno Sacerdote, confiteri poſſet laico, & etiam mulieri.* Id ipſum dictum comperimus in Diœceſana Synodo Sabinenſi, habita anno 1312. ab Arnaldo de Faugeriis S. R. E Cardinali, Epiſcopo Sabinenſi, quam ex *codice bibliothecæ Othobonianæ*, publici juris fecit Annibal Cardinalis Albanus in Appendice ad ſuam Synodum pariter Sabinenſem, habitam anno 1736. Andreas quoque Minorita, Epiſcopus Megarenſis, *in Lumine Confeſſorum*, quod anno 1429. obtulit Jordano Urſino, Epiſcopo Albanenſi, S. R. E. Cardinali Pœnitentiario, eandem tradidit doctrinam; uti videri poteſt in Diſſertatione, quam Conſtantinus Ruggerius attexuit citatæ Synodo Sabinenſi Cardinalis Albani, *pag. 324.* In Commentariis Pii II. *lib. 6. pag. 151. editionis Francofurtenſis anni 1614.* refertur concio, quam habuit Henricus Angliæ Rex ad milites ſuos, dum eos ad confligendum cum Gallorum exercitu cohortaretur; ubi, inter alia, ſic eos admonet: *Verum non tam veſtris ex manibus, quam Dei dextra ſalutem ſperate: quæ ut nobis ſecunda ſit, peccata noſtra confiteamur, humilique corde Divinam miſericordiam imploremus.* Sed in antiquioribus, & non adhuc correctis editionibus, hæc alia verba leguntur: *Alter alteri peccata noſtra confiteamur, & Euchariſtiæ loco, cujus copiam non habemus, terram ſumentes.*

II. De Confeſſione, hoc eſt de doctrina illa, ſeu conſuetudine, ut laici cum laicis confiterentur, mox agemus. Ad illud autem, quod ibidem de Euchariſtia dicitur, breviter obſervaſſe juvat, teneri nos jure Divino Euchariſtiæ Sacramentum in mortis periculo ſumere, juxta communiorem Theologorum ſententiam, quam aliis compluribus allegatis, referunt, & tuentur Sylvius *tom. 4. in 3. part. S. Thomæ diſp. 80. art. 11. quæſt. 1.* Cardinalis de Lugo *de Sacram. Euchariſtiæ diſput. 16. ſect. 2. num. 25. & ſeq.* Cumque duobus modis Sacramentum hoc percipiatur, vel ſcilicet re ipſa, & facto, vel ſpiritualiter, & in voto, hoc eſt, vel ipſum Euchariſticum panem ore manducando, & deglutiendo, vel, ſi hoc fieri nequeat, id ipſum enixis votis deſiderando; forte evenit, ut, ad hujuſmodi deſiderium externa aliqua actione ſignifican-

candum, simplices aliqui, & rudes terram ore sumendam excogitaverint: quod tamen aliorum judicio subjicientes, id unum addimus, quod in Libello Benedicti XI. alias XII. *de erroribus Armenorum*, quem edidit Raynaldus *ad annum Christi* 1341. *n.* 48. inter alios Armenorum errores, hic etiam *sub n.* 107. refertur: *Item Armeni tenent, quod, si aliquis sit in periculo moriendi, & non habeat tempus recipiendi Communionem, quod faciunt Crucem cum manu in terra, & de quolibet brachio dictæ Crucis accipiunt modicum de terra, & comedunt: & hæc comestio terræ habetur per eos pro Communione.* Interim ad propositam materiam Confessionis a laico cum alio laico peragendæ regrediamur.

III. Plerique ex hæreticis dixerunt, non solum Sacerdotem, sed quemcunque Fidelem, etiam laicum, posse esse Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, præsertim si probus sit, & justus. Hoc errore imbuti fuerunt Flagellantes, qui spreto Sacerdotum tribunali, peccata sua laicis confitebantur, & ab eis absolvebantur; ut videre est *in lib. 3. de gestis Baldewini de Luczenburch cap. 9. Miscellaneor.* Baluzii *tom.* 1. eundemque docuit Wiclefus, teste Waldensi *tom. 2. cap. 135.* & 145. a quibus illum hausit, iterumque excitavit Lutherus apud Rosensem *art.* 13. Quare Henricus VIII. Angliæ Rex, in suo Opere *de septem Sacramentis adversus Lutherum*, *de Confessione*, postquam necessitatem adstruxit peccata sua aperiendi Sacerdotibus, quam non solum ex pluribus sacræ Scripturæ textibus, sanctorumque Patrum testimoniis, sed ex ipsa Fidelium antiqua, & constanti praxi evidenter ostendit, inquiens: *Verum de Confessione si verbum nullum neque nominatim, neque in figura legeretur, neque quidquam a sanctis Patribus diceretur, tamen, cum videam, totum populum tot seculis peccata sua patefacere Sacerdotibus, cum ex ea re tam assidue videam tantum boni proventum, tam nihil enatum mali, aliud neque credere, neque cogitare possem, quam eam rem, non humano consilio, sed Divino plane mandato & constitutam esse, & conservatam. Neque ulla humana auctoritate populus unquam potuisset adduci, ut occultissima scelera, quorum tacitam conscientiam horrebant, quæ ne prodirent in lucem, tanti referebat ipsorum, in alienas aures (qui posset, cum vellet, prodere) tanto cum pudore, tanto cum periculo, tam incunctanter effunderent: neque fieri potuisse, cum tam numerosi Presbyteri, boni, malique, qui promiscue Confessiones audiant, ut audita continerent etiam hi, qui alias nihil continent, nisi Deus ipse, qui Sacramentum instituit, rem tam salubrem speciali gratia defenderet. Mihi ergo, quidquid ait Lutherus, non ex aliqua populi consuetudine, nec ex institutione Patrum, sed ab ipso Deo videtur instituta, & præservata Confessio*: postquam, inquam, de sacramentalis Confessionis institutione hæc contra Lutherum scripserat, eundem alio etiam nomine exagitat, quod nimirum Confessionem cuicunque laico, immo etiam feminæ fieri permitteret, addens: *Nunc igitur judicet quisque, quam vere sentit Lutherus, qui, contra Sanctorum omnium sententiam, Claves Ecclesiæ trahit ad laicos, trahit ad mulieres, & ait, verba Christi, Quæcumque ligaveritis &c. non Sacerdotibus tantum, sed omnibus dicta Fidelibus.*

IV. Ecclesiæ itaque Catholicæ certissimum dogma est, solos Sacerdotes posse Pœnitentiæ Sacramentum administrare, & a peccatis absolvere; quoniam ad sacramentalem absolutionem, qua anima solvatur a culpæ nexu, necessaria est potestas Clavium, quam Christus Dominus solis contulit Sacerdotibus, cum *Joann.* 20. solis Apostolis, eorumque successoribus, riteque ab his ordinatis, dixerit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quamobrem Sanctus Ambrosius *lib.* 1. *de Pœnit. cap. 2. num. 7. tom. 2. Oper. col.* 392. loquens de potestate absolvendi a peccatis: *Jus hoc* (inquit) *solis permissum Sacerdotibus est*: & Sanctus Basilius *in Regulis brevius tractatis Oper. tom. 2. pag. 516. ad interrogat.* 288. *Qui confiteri vult peccata sua, debetne confiteri omnibus, & quibuslibet, aut quibus?* respondet: *Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est*: ac S. Leo Magnus *epist.* olim 91. nunc 83. *cap.* 2. ait, Divinitus esse ordinatum, *ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.* Atque, ut missa faciamus alia plurima sanctorum Patrum testimonia, quę congerunt Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 21. sect.* 1. Vasquez *tom. 4. in 3. part. quæst. 93. art.* 1. Gregorius de Valentia *tom.* 4. *disp. 7. quæst. 10. punct.* 1. Natalis Alexander *hist. Eccl. tom. 3. ad secul. III. dissert.* 4. Juenin *de Sacram. diss. 6. quæst. 5. art. 2.* & alii: Eugenius IV. in decreto unionis Armenorum *tom. 9.* Collectionis Harduini *col.* 440. definivit: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem ad absolvendum vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.* Et *in Constit.* 44. Leonis Papæ X. *Bullar. tom. 3. part. 3. pag.* 489. inter ceteros errores Lutheri, hic etiam proscribitur, quod videlicet, *in Sacramento Pœnitentiæ, ac remissione culpæ, non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos; immo, ubi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.* Ac demum sancta Tridentina Synodus *sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 6. hæc habet: *Declarat sancta Synodus, falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, Clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini, Quæcunque alligaveritis &c. & Quorum remiseritis &c. ad omnes Christifideles indifferenter, & promiscue, contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata*: & *can.* 10. *ejusdem sessionis*, anathema profert adversus eum, qui asserit, *non solos Sacerdotes, sed omnes Christianos esse Ministros absolutionis.*

V. At, primo aspectu, oppositum sensisse videtur Sanctus Cyprianus *epist.* 12. ubi permittit, Confessionem fieri Diacono, cum Sacerdos abest: ait enim: *Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud Presbyterum quemcunque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesin facere delicti sui possint, ut, manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt.* Cypriano adstipulantur tum antiquissima Synodus Eliberitana *can.* 32. Collectionis Harduini *tom.* 1. *col.* 253. inquiens: *Apud Presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud Episcopum: cogente tamen infirmitate, necesse est, Presbyterum communionem præstare debere, & Diaconum, si ei jusserit Sacerdos*: tum Concilium Triburiense anni 895. relatum *in Cap. Fures, de furtis*, ubi sic legitur: *Fures, & latrones, si in furando, vel deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum; sed, si comprehensi, aut vulnerati, Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus*: tum demum alia plurima veterum testimonia, congesta a Martene *de antiq. Eccles. ritib. tom. 1. lib. 1. cap. 6. art. 6. num.* 7.

VI. Attamen hæc, quæ fucum faciunt, rite expensa minime pugnant cum veritate Catholica. Etenim, prætermissis ceteris responsionibus, quæ videri possunt apud nuper laudatos Doctores, & Du-Hamel *tom.* 7. *Theolog. tract. 7. de Pœnit.* hæc sola, quam subnectimus, sufficere posse videtur ad omnem eluendam difficultatem. Nomen *Exomologesis* non semper apud Patres si-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

gnificat Confessionem arcanam, auricularem, & sacramentalem, sed frequenter usurpatur pro ultimo illo ritu, seu actu externo, qui *totius* publicæ pœnitentiæ clausula erat, & complementum, cum nimirum publice pœnitentes, humi substrati, flentes, atque ingemiscentes, se *ipsos* inculsabant, veniam exposcebant, & Ecclesiæ tandem reconciliari, atque iterum ad Sacramenta admitti petebant: quemadmodum fuse demonstrat Albaspinæus *lib. 2. observationum observat. 26.* Morinus *lib. 2. de Pœnitentia cap. 2. num. 4. & seq.* Petavius *suis in Sanctum Epiphanium animadversionibus, ad hæresim 59.* quæ est Novatianorum; & plane constat cum ex Tertulliano *lib. de Pœnitentia cap. 9.* ubi ait: *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est*: & *lib. de Oratione cap. 7. Exomologesis est petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur*: tum ex eodem laudato Cypriano *epist. 55.* ad Cornelium Papam, ubi de lapsis agens, qui publicam pœnitentiam subire detrectabant, hanc pariter Exomologesin appellat, inquiens: *Sublata pœnitentia, nec Exomologesi criminis facta, despectis Episcopis, atque calcatis, pax a Presbyteris verbis fallacibus prædicatur*: atque in eodem sensu *epist. 11.* ait: *Cum in minoribus delictis, quem non in Deum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore, & Exomologesis fiat*. Hanc porro publicam Exomologesin, deficiente Sacerdote, & urgente necessitate, excipere poterat Diaconus, isque potestatem habebat publicum pœnitentem Ecclesiæ reconciliandi eo pacto, quo etiam nunc posset, facultate ab Episcopo accepta, excommunicatum absolvere, & Ecclesiæ communioni restituere.

VII. De hac Exomologesi loquitur Cyprianus *in cit. epist. 12.* & de ea intelliguntur ceteri Patres, & Concilia, cum idem, quod Cyprianus, affirmant. Quodque hic sit proprius & genuinus Cypriani, aliorumque Patrum sensus, aperte insinuant posteriores Ecclesiarum constitutiones, quæ eandem potestatem faciunt Diacono, excipiendi scilicet pœnitentium Confessiones, absente Sacerdote, sed simul aperte denegant eidem potestatem Clavium, & auctoritatem absolvendi a peccatis. Concilium Eboracense anni 1195. *decret. 4. tom. 6. part. 2.* Collectionis Harduini *col. 1931. Decrevimus* (ait) *etiam, ut, nonnisi summa, & gravi urgente necessitate Diaconus pœnitentiam confitenti imponat, ut juxta paternorum tenorem canonum huic Ordini Sacerdotali proprie convenire decernit antiquitas*. Constitutiones Odonis Parisiensis Episcopi circa annum 1198. *cap. 56. tom. 6. part. 2.* Collectionis Harduini *col. 1946.* inquiunt: *Prohibetur districte, ne Diaconi ullo modo audiant Confessiones, nisi in arctissima necessitate; Claves enim non habent, nec possunt absolvere*. Constitutiones Walteri, Episcopi Dunelmensis, anni 1255. *tom. 7.* Collectionis ejusdem *col. 492.* ajunt: *Et quia solis Sacerdotibus est potestas ligandi, & solvendi commissa, prohibemus, ne Diaconi Confessiones audiant, aut admittant, pœnitentias injungant . . . . . nisi necessitas urgeat, aut compellat, ut in casu mortis, per absentiam Sacerdotis*. Videri poterunt de hac re differentes Estius *in 4. distinct. 17. §. 13. in fin.* Natalis Alexander *cit. dissert. 4. ad sec. III.* & Card. de Aguirre *tom. 1. Concil. Hispaniæ pag. 729.* ubi loca, quæ in contrarium objici possunt, ita explicanda censet, ut sensus sit. *Absente Sacerdote, & urgente extrema necessitate, Diaconos olim interdum, & aliquibus locis solitos, ex delegatione Episcoporum, audire Confessiones lapsorum pœnitentium, non quidem ad absolvendum illos (non enim unquam id facere potuerunt, aut possunt adhuc per delegationem Episcopi, immo nec Romani Pontificis,) sed ad explorandum illorum statum, & veram contritionem, sive plenam conversionem ad Deum*.

VIII. Quod autem specialiter attinet ad Concilium Eliberitanum, illud, nomine *communionis*, vel intellexit Communionem Eucharisticam, vel Canonicam reconciliationem cum Ecclesia, uti prosequitur Cardinalis de Aguirre *loc. cit.* Similiter & textum *in Cap. Fures*, nonnulli intelligendum existimant de absolutione ab excommunicatione, qua irretiti erant publici latrones: alii vero eum interpretantes de Eucharistia, dicunt, allegatum textum id unice permittere, nimirum, ut Diaconus præbeat furi vulnerato Eucharistiam, si ei constet de illius contritione; cum inter ceteros casus, in quibus sufficit contritio, sine sacramentali Confessione, ad percipiendam Eucharistiam, enumeretur etiam ille hominis constituti in mortis articulo, cui deest Sacerdos, a quo Sacramentalem absolutionem obtineat. At Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretalium *ad Cap. Fures, de furtis*, contendit, verba illa: *vel Diacono*: non esse authentica: & revera in antiquis manuscriptis codicibus illorum loco legitur: *vel Deo*. Quod si hoc secundo modo legendum sit, tunc allatus textus Concilii Triburiensis concordat cum Capitularibus Theodori Cantuariensis *cap. 35. Spicilegii tom. 1.* & cum *can. 30.* inter eos, quos Gregorius III. ex variis Patrum sententiis excerpsit, apud Harduinum *tom. 3. col. 1876.* quibus in locis dicitur, in casu necessitatis, cum scilicet Sacerdos deest, Confessionem faciendam esse *soli Deo*.

IX. Majorem difficultatem faciunt, quæ apud antiquos Patres, & Theologos legimus de Confessione facienda laico, urgente necessitate: *Tanta itaque vis Confessionis est, ut, si deest Sacerdos, confiteatur proximo*: verba sunt textus *in Can. Qui vult, de Pœnit. dist. 6.* excerpto ex libro *de vera, & falsa Pœnitentia*, inter Opera Augustini: ex quibus Petrus Cantor *in Sum. de Sacram. fol. 203.* Concludit: *Ecce ex hac auctoritate habemus, quod in necessitate confitendum sit laico, si Sacerdos desit, & non solum venialia, sed etiam mortalia*. Idem docuere antiquiores Theologi, inter quos D. Thomas *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæst. 2.* ubi ait: *Minister Pœnitentiæ, cui Confessio est facienda ex officio, est Sacerdos: sed in necessitate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei Confessio fieri possit*. Hæc, aliorumque testimonia collecta sunt a Morino *de Pœnit. lib. 8. cap. 24.* Juenin *de Sacram. diss. 6. quæst. 5. art. 2.* Martene *cit. lib. 1. cap. 6. art. 6. num. 8.* quibus addi potest, ex Canonistis, Ostiensis *lib. 5. Summæ tit. de pœnit. & remiss. num. 14.* ubi casus explicans, in quibus licet alieno, & non proprio Sacerdoti, seu Parocho, peccata sua sacramentali Confessione aperire, ait: *Tanta est vis Confessionis, quod, si immineat necessitatis articulus, ut quia infirmatur ad mortem is, qui vult confiteri, vel oportet eum intrare bellum, & deest Sacerdos, non solum proprius, sed & quilibet, in tali articulo potest etiam laico, vel etiam mulieri, si non adsit alius, confiteri*.

X. Verum hæc omnia facile explicantur. Duobus modis Confessio fieri potest homini laico: primo, ut ab eo tanquam a Judice, & Christi Ministro, habente potestatem Clavium, obtineatur sacramentalis absolutio; & sic esset inutilis, perniciosa, & conjuncta cum errore contra Fidem: altero modo posset quis confiteri laico, ut ipsa animi demissione, seu humilitate, atque erubescentia Confessionis, magis flectatur Deus ad ei elargiendum uberem gratiam, qua excitetur ad perfectam contritionem, & justificetur; atque ejusmodi Confessio esset in se proficua, eaque multo tempore in usu fuit. De hac loquuntur textus, & Doctores supra allegati, quemadmodum se, aliosque explicando, tradit D. Thomas; qui, postquam dixerat, posse, deficiente Sacerdote, Confessionem fieri laico, statim addit, ejusmodi Confessionem esse quidem aliquo modo sacramentalem, quia est conjuncta cum voto Sacramenti; non tamen esse perfectum Sacramen-

mentum, nec gratiam causare ex opere operato, ac propterea reiterandam docet coram Sacerdote. Et Angelici verba *in responsione ad primum: Confessio laico ex desiderio Sacerdotis facta, sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum, quia deest ei id, quod est ex parte Sacerdotis*. Et clarius *in responsione ad tertium: Quamvis ille, qui laico confessus est in articulo necessitatis, consecutus sit veniam a Deo, eo quod propositum confitendi, secundum mandatum Dei, quod concepit, sicut potuit, implevit, non tamen adhuc Ecclesiæ reconciliatus est, ut ad Sacramenta Ecclesiæ admitti debeat, nisi prius a Sacerdote absolvatur: sicut ille, qui Baptismo flaminis baptizatus est, ad Eucharistiam non admittitur: & ideo oportet, quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere potuerit, & præcipue quia, ut dictum est, Sacramentum Pœnitentiæ perfectum non fuit*. Hanc D. Thomæ explicationem confirmat, ac præterea quænam fuerit ea in re Ecclesiæ doctrina, nobis patefacit D. Thomæ coævus, ejusdemque condiscipulus, Thomas Cantipratensis; hic siquidem *lib. 2. de apibus cap. 53.* postquam narravit, Ludovicum Comitem Leodiensem, in extremis constitutum, Christianam Virginem arcessiviſſe, *eique omnia peccata sua maximis cum lacrymis recitasse*, statim addit: *& hoc quidem, non pro indulgentia, quam dare non potuit, sed ut magis ad orandum pro se, tali piaculo moveretur*. Morem istum pandendi peccata laico, cum instabat mortis periculum, & deerat Sacerdos, perduraſſe usque ad seculi XV. initium, discimus ex Guillelmo Lyndevvode, qui per idem fere tempus, uti ex Operis præfatione desumitur, glossemata adjecit ad Constitutiones Angliæ: is quippe Glossator *ad tit. de Sacramentis iterandis, vel non*, verb. *Pœnitentia pag. 32.* hæc habet: *Laico posset quis confiteri in necessitate, ut per hoc appareat Ecclesiæ de sua contritione. Non potest tamen laicus absolvere, vel ligare, cum non habeat Claves Ecclesiæ*.

XI. Sed posteriori ætate ea consuetudo justis de causis cœpit pedetentim remitti, donec tandem penitus obsoleverit. In supra citato *Sacerdotali Romano* Alberti Castellani *cap. 26. de pœnitentia imponenda infirmo*, sequentia verba leguntur: *Si autem haberi non possit copia Sacerdotis, quamvis bonum sit in hujusmodi periculis, in mari videlicet, bello, vel in infirmitate, vel morte violenta, laico confiteri, tamen non est necessarium. Quod si fiat, & evadit, tenetur talis iterum de illis peccatis confiteri, quia non habebat ille Claves Ecclesiæ*. Dominicus Soto, celebris Theologus Ordinis Prædicatorum, in sua Relectione *de ratione tegendi, & detegendi secretum*, edita Romæ anno 1574. *pag. 159. & seq.* agens de Confessione, quæ in necessitate fit laico, inquit: *At Confessionem fieri laico, ubi non est copia Sacerdotis, multo minus necessarium est in quacunque necessitate: nam quamvis Augustinus dicat, tantam esse vim Confessionis, ut, ubi non est copia Sacerdotis, facienda sit proximo, de Pœnitent. distinct. 1. Cap. Quem pœnitet, dist. 6. Cap. 1. non tamen insinuat, esse præceptum; sed solum id consulit, ut merito verecundiæ majorem gratiam consequatur apud Deum. Immo vero jam non est tanta consuetudo hujusmodi Confessionis, quanta in primitiva Ecclesia. Nec forsan est consilium, tametsi eam non damnaverim; mansit enim consuetudo solum inter nautas*. At, quidquid sit de assertione tanti viri, hodie neque quoad nautas ejus doctrina videtur recipienda; multa siquidem ex ejusmodi Confessione imminent damna, multa timentur pericula, quæ ponderat Clericatus *de Pœnitentia decis. 18. sub num. 13.* neque ea evitantur, aut ideo contemni possunt, quod laicus Confessionem audiat, ut illam, ex confitentis mandato, referat Sacerdoti; quoniam, ut capite præcedenti dictum est, a summo Pontifice Clemente VIII. nedum illicita, sed invalida declarata fuit Confessio facta Sacerdoti per internuntium. Merito propterea Navarrus *Manual. cap. 21. num. 41.* Gregorius de Valentia *supra cit. disp. 7. quæst. 10. punct. 1.* aliique ab hoc allegati, concludunt, nisi excusetur ab ignorantia, in præsenti rerum statu, graviter eum peccare, qui etiam in casu necessitatis peccata sua confitetur laico: quia sine ulla causa semetipsum infamat, & fortasse præbet aliis occasionem de se suspicandi, quod adhæreat Lutheranorum hæresi.

XII. Quibus stantibus, ut illuc redeamus, unde digressi sumus, etsi in supra relatis Constitutionibus Synodalibus tam Bononiensibus, quam Sabinensibus, insinuata fuerit Confessio facienda laico, deficiente Sacerdote, quia nondum hæc consuetudo extincta erat tempore, quo illæ conditæ sunt; attamen merito in subsequentibus utriusque Ecclesiæ Constitutionibus, neque ad titulum de Pœnitentia, neque in ullo alio loco, facta est mentio necessitatis, aut utilitatis prædictæ Confessionis, sed communis doctrina tradita est de actu contritionis in eo rerum eventu eliciendo.

# DE SYNODO DIOECESANA

## LIBER OCTAVUS.

### DE PERTINENTIBUS AD SACRAMENTA EXTREMÆ UNCTIONIS, ORDINIS, ET MATRIMONII.

### CAPUT PRIMUM.

*De Sacramento extremæ Unctionis: ubi de materia hujus sacramenti, de olei benedictione ab Episcopo peragenda, nulla tamen in Synodo facta prohibitione Presbyteris Græcis illud benedicendi, & Catholicos Græci ritus inungendi, si in Latinorum diœcesibus Græci inhabitent.*

QUamvis immemores haud simus nostri propositi, quod jam semel, atque iterum significavimus, neutiquam scilicet nobis in animo esse, tractatum de Sacramentis hic exhibere; attamen innumeræ difficultates, quibus hoc Sacramentum scatet, nos vel nolentes cogunt aliquantum prolixius de eo disserere: quo fecurius possit Episcopus e tot senticetis pedem subducere, suamque de Sacramentis administrandis Synodalem Institutionem ita adornare, ut communem, receptamque ab Universa Ecclesia doctrinam contineat, nullamque adoptet inter Catholicos controversam opinionem.

II. Extremam Uuctionem verum esse novæ Legis Sacramentum, a Christo Domino institutum, apud Marcum quidem insinuatum, sed per Apostolum Jacobum Fidelibus commendatum, & promulgatum, definivit Tridentinum *sess. 14. de extrema Unctione cap. 1.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

inquiens: *Inſtituta eſt autem ſacra hæc Unctio infirmorum, tanquam vere, & proprie Sacramentum novi Teſtamenti, a Chriſto Domino noſtro apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini Fratrem, Fidelibus commendatum, ac promulgatum. Infirmatur (inquit epiſt. cap. 5.) quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſalvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Conſulto autem dixere Tridentini Patres ejuſmodi Sacramentum fuiſſe apud Marcum inſinuatum; quamvis enim Marci *cap. 6.* de Apoſtolis a Chriſto ad prædicandum miſſis dicatur: *Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*: ſecum tamen contendunt Theologi, num talis unctio eſſet illa Sacramentalis, de qua eſt ſermo, an potius tantum adhibita ad reſtituendam corporum ſanitatem; quod poſterius, non ſine gravi fundamento, poſt Hugonem a Sancto Victore, Alenſem, S. Bonaventuram, alioſque antiquiores, opinantur Dominicus Soto *in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 1.* Bellarminus *de Sacram. extrem. Unct. lib. unic. cap. 2. Controv. tom. 3.* tum quippe Apoſtoli nondum erant Sacerdotes, omneſque ægrotos promiſcue inungebant, qui ceteroquin, cum nondum Baptiſmum ſuſcepiſſent, non erant aliorum Sacramentorum capaces. Quia vero Tridentini Patres tanta ſemper circumſpectione ſua concinnarunt decreta, ut nullam vulnerarent Catholicorum opinionem, ideo adhibuerunt verbum illud *inſinuatum*, quod ſane referri poteſt tam ad inſtitutionem, quam ad figuram, typum, & ſymbolum Sacramenti extremæ Unctionis, quod Chriſtus Dominus in ea unctione, de qua Marcus loquitur, voluerit præmonſtrare: quemadmodum ex iis conſtat, quæ Pallavicinus narrat *hiſt. Concil. Trident. lib. 12. cap. 12.* ac recte expendunt Bellarminus *cit. loc.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 39. ſect. 2. num. 4. & 5.* Eſtius *in loca difficiliora ſacræ Scripturæ ad cap. 6. S. Marci, & in 4. ſent. diſt. 23. §. 2.* Tournely *de Sacram. extrem. Unct. quæſt. 1. art. 2.*

III. Pergunt deinde Tridentini Patres, atque ex allegatis Sancti Jacobi verbis colligunt, nobiſque pandunt hujus Sacramenti materiam, formam, Miniſtrum, & effectus, ajentes: *Quibus verbis, ut ex Apoſtolica traditione, per manus accepta, Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium Miniſtrum, & effectum hujus Salutaris Sacramenti: intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum; nam unctio aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat: formam deinde eſſe illa verba: Per iſtam Unctionem &c.* Quibus Tridentini veſtigiis inhærentes, ſingula diſertius explicabimus. Itaque extremæ Unctionis materia remota eſt oleum, liquor videlicet ex baccis olivarum expreſſus, qui ſolum in communi modo loquendi, abſolute, & ſine addito, *oleum* nuncupatur; quemadmodum cum communi ponderat Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 40. ſect. 1. num. 1.* Debet autem ejuſmodi oleum, ſaltem ex Eccleſiæ præcepto, eſſe ſimplex, hoc eſt abſque ulla alterius liquoris admixtione. Diximus, *ſaltem ex Eccleſiæ præcepto*; quoniam Suarez *cit. loc. num. 10.* defendit, non ſolum non eſſe contra Domini inſtitutionem, alium liquorem huic oleo admiſcere, ſed inſuper opinatur, aliquando fuiſſe illi balſamum admixtum; ſiquidem Innocentius I. *epiſt. ad Decentium*, allegata exponens Apoſtoli Jacobi verba, infirmorum oleo Chriſmatis nomen attribuit, inquiens: *Quod non eſt dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt*: ac ſub eadem Chriſmatis nomenclatura idem infirmorum oleum a pluribus deſignatur Conciliis, wormatienſi præſertim, atque Aquiſgranenſi, ex quibus conjicit Suarez, aliquid balſami tunc conſueviſſe illi admiſceri. At melius alii, quos ſequuntur Juenin *de Sacram. diſſ. 7. quæſt. 3. cap. 1.* & Tournely *cit. quæſt. 1. art. 3.* hanc admixtionem, ex Chriſmatis nomenclatura, nequaquam colligi arbitrantur: Chriſma quippe frequenter appellatum, advertunt, omne unguentum, ſeu liquorem, quo corpus inungitur. Omnes tamen Suareſio concedunt, nihil detractum iri Sacramenti validitati, ſi contra communem ceteroquin, & perpetuam Eccleſiæ praxim, infirmorum oleo admiſceatur aliquid balſami; modo admixtio tanta non ſit, ut deſtruat exteriorem olei ſpeciem, itaut, non amplius oleum, ſed potius unguentum, aut alterius generis mixtum artificiale cenſeatur.

IV. Debet præterea oleum, in extrema Unctione adhibendum, eſſe Epiſcopi benedictione antea ſacratum; quod ab antiquiſſima Patrum traditione accepimus: etenim Innocentius I. *in cit. epiſtol. ad Decentium*, ægros inungendos dixit *oleo Chriſmatis ab Epiſcopo confecto*. Beda quoque *in Comment. ad cap. 6. Marci lib. 2. cap. 24. in fin. Oper. tom. 5.* affirmat, *ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctæ Eccleſiæ morem traditum, ut ..... ægroti ungantur oleo, Pontificali benedictione conſecrato.* Et Concilium Cabilonenſe II. anni 813. *cap. 48.* ait: *Secundum beati Apoſtoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum conſonant, infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent*: *tom. 4.* Collectionis Harduini *col. 1040.* Ac denique, ut cetera prætermittamus antiquiorum Patrum teſtimonia, ita nos docuerunt Eugenius IV. *in decreto pro inſtructione Armenorum*, & Tridentinum *cit. loc.* Sed quæſtio eſt, num Epiſcopi benedictio ſit neceſſaria ex Chriſti Domini inſtitutione, an ſolum ex Eccleſiæ præcepto. Diverſæ ſunt hac in re Theologorum ſententiæ. Victoria *in Summ. de Sacram. num. 216.* Emmanuel Sà *verb. Extrema Unctio*, Sambovius *tract. de extrem. Unct.* Juenin *de Sacram. diſſert. 7. quæſt. 3. cap. 1. concl. 3.* putant, benedictionem fuiſſe oleo ſuperadditam ab Eccleſia, non vero inſtitutam a Chriſto Domino; ac proinde illicitum quidem, ſed validum pronunciat Sacramentum oleo non conſecrato adminiſtratum: quin immo, urgente neceſſitate, etiam abſque culpa ita adminiſtrari poſſe, tradit citatus Victoria. Iſtis e diametro opponuntur Suarez *cit. diſput. 40. ſect. 1. num. 3. & 4.* Eſtius *in 4. diſt. 23. §. 9.* docentes, olei conſecrationem, non tantum præcepti, ſed etiam Sacramenti neceſſitate requiri; eamque præterea conſecrationem ita a Chriſto Domino Ordini Epiſcopali annexam ajunt, ut ſimul aſſeverent, ne a ſummo Pontifice quidem eam poſſe ſecundi Ordinis Presbyteris delegari. Inter haſce duas extremas ſententias, medii quodammodo incedentes Cajetanus *3. part. quæſt. 72. art. 3.* Sotus *in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 3. §. De oleo ergo*, aliique, quos citant, & ſequuntur Gregorius de Valentia *tom. 4. diſp. 8. quæſt. 1. punct. 2.* & Tannerus *tom. 4. diſp. 8. quæſt. 1. dub. 1. num. 10.* tria ſtatuunt: nimirum primo, aliquam conſecrationem, ex Chriſti inſtitutione, requiri, ut oleum fiat apta materia Sacramenti extremæ Unctionis: ſecundo, nunquam in Eccleſia Latina fuiſſe ægrotantes oleo inunctos, ab Epiſcopo antea non conſecrato: tertio denique, ad Sacramenti validitatem ſatis eſſe affirmant, oleum a ſimplici Sacerdote benedictum. Et profecto poſſe, ſaltem ex commiſſione ſive expreſſa, ſive tacita Romani Pontificis, a ſimplici Sacerdote præparari materiam aptam ad conficiendum Sacramentum extremæ Unctionis, res videtur exploratiſſima, quam nemini liceat in quæſtionem adducere: ſiquidem in Eccleſia Orientali mos viget, a mille & amplius annis in ea receptus, ut ipſimet Presbyteri, cum ſe accingunt ad infirmum inungendum, oleum, in ea ſacramentali Unctione adhibendum, benedicant;

uti

uti teſtantur Joannes Nathanael *in epiſt. ad Epiſcopum Anagninum*, *apud Arcudium*, Arcudius *lib.5. cap.2.* Allatius *de conſenſu utriuſque Eccleſiæ cap. 16.* & legitur in Græcorum Euchologio, a Goario notis illuſtrato, *pag.436.* Eundemque morem ab Armenis retineri, aſſerit Joannes XXII. ad Oſſinium Armeniorum Regem ſcribens, in hæc verba: *Ipſi etiam Sacerdotes oleum, quod infirmorum dicitur, conſecrant pro Sacramento Unctionis extremæ: cum tamen id, apud nos, ad Epiſcopos ſolos ſpectet.* Hanc autem Orientalium conſuetudinem Eccleſia Latina non ſolum non improbavit, ſed ratam habuit: refert quippe citatus Goarius, a ſacra Congregatione de Propaganda Fide approbatam, ejuſque impenſis Romæ editam *Synopſin Vernaculam* Neophyti Rhodini, in qua hæc habentur: *Materia Sacramenti extremæ Unctionis eſt oleum oliva expreſſum, a Pontifice, vel Sacerdotibus, qui præſentes fuerint, juxta Eccleſiæ morem, benedictum.* Conſulto ait: *a Pontifice vel a Sacerdotibus*: quia, uti narrat Arcudius, etiam Epiſcopi Græci, perinde ac Latini, feria quinta majoris hebdomadæ, ſolemni pompa, & apparatu oleum infirmorum conſecrant, quamvis poſtea ſuis Sacerdotibus non diſtribuant, ſed iiſdem curam relinquant illud conſecrandi, quo mox in Sacramenti adminiſtratione utantur: de qua re jure miratur laudatus Auctor *Theolog. moral. ad uſum Semin. Petrocorenſ.* Sed, quod adhuc clarius oſtendit, ab Eccleſia Latina validum haberi Sacramentum extremæ Unctionis a Sacerdotibus Græcis, oleo tunc a ſemetipſis benedicto, adminiſtratum, eſt Decretum editum a Clemente VIII. in quo permittuntur Italo-Græci in prædicto ritu perſeverare: *Circa oleum ſanctum infirmorum* (ſunt verba Decreti) *non ſunt cogendi Presbyteri Græci olea ſancta, præter Chriſma, ab Epiſcopis Latinis diœceſanis accipere: cum ejuſmodi olea ab eis, in ipſa oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, ac benedicantur*: quod Clementis Decretum fuit a nobis totidem fere verbis renovatum, & confirmatum *in noſtra Conſtit.57. §.4. noſtri Bullar. tom. 1. pag.* 172. Neutiquam autem id tolerandum fuiſſet, ſi oleum, ſimplicis Sacerdotis benedictione ſacratum, ne per poteſtatem quidem a Romano Pontifice ſive expreſſe, ſive tacite eidem Sacerdoti factam, eſſet materia idonea ad conficiendum Sacramentum extremæ Unctionis. Quare Epiſcopi Latini, partem populi Græci ritus ſibi ſubjectam habentes, etſi teneantur feria quinta ſacratioris hebdomadæ, una cum ceteris ſacris oleis, etiam illud infirmorum Latino ritu conſecrare, Latiniſque Parochis diſtribuere, ceteraque implere, quæ nos ediximus *in noſtra inſtit.* 81. ubi de infirmorum oleo, ejuſque benedictione ex profeſſo egimus, quoad Sacerdotes Græci ritus nihil innovent, ſed ea exequantur, quæ a Clemente VIII. iterumque a nobis decreta ſunt. Legi etiam poteſt Diſſertatio Benedicti de Gaetanis *de ſuprema Unctione*, poſt hæc jam ſcripta, a nobis viſa, *cap.* 7.

## CAPUT SECUNDUM.

*De forma Sacramenti extremæ Unctionis, de qua multa in Synodis, & inſtructionibus Epiſcopalibus.*

I. In Diſſertatione de Gaetanis nuper citata, plura erudite collecta legi poſſunt de forma hujus Sacramenti, deſumpta ex variis Eccleſiarum Ritualibus tum Latinis, tum Græcis. Lectorem ad eum allegamus: & nunc tantum animus eſt ea ſubdere, quæ Epiſcopi in ſuas Synodos inſerere poſſunt, ſi in eis de forma Sacramenti loqui velint.

II. Formam Sacramenti extremæ Unctionis, non eſſe a Chriſto Domino inſtitutam *in ſpecie infima*, ut ajunt, hoc eſt certis verbis præſcriptam, Theologi omnes admittunt, atque ex mox referendis diverſis formulis, etiam in Eccleſia Latina in illius adminiſtratione uſurpatis, evidenter demonſtratur. Quæ nunc in Eccleſia Latina ſit adhibenda, jam a Tridentino accepimus, & clarius in Rituali Romano explicatur; neque eſt, qui non intelligat, eam eſſe deprecativam: quemadmodum deprecativam pariter eſſe, quæ adhibetur a Græcis, liquet ex eorundem Euchologio *in Officio Olei ſancti*, teſtanturque Gabriel Philadelphiæ Metropolita *in ſuo de Sacramentis Opere*, Arcudius *lib. 5. cap.5.* & Neophytus Rhodinus *in cit. Synopſi vernacula*. Sed quæſtio eſt, an neceſſario debeat eſſe deprecativa; ita ut indicativo modo pronuntiata, irritum reddat Sacramentum. Deprecationem pertinere ad Sacramenti eſſentiam, docent S. Thomas *in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art.4. quæſtiunc. 2. & in ſuppiem. quæſt. 29. art.8.* S. Bonaventura *ead. diſt. art.1. quæſt.4. cit. diſp.40. ſect. 3.* Valentia *cit. diſp. 8. quæſt. 1. punct. 2.* Henriquez *de Sacram. lib. 3. cap. 8.* aliique plurimi, præſertim ex antiquioribus; id manifeſte confici exiſtimantes ex allegatis S. Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ..... & oratio fidei ſalvabit infirmum &c.* quibus certe tota Sacramenti efficacia Sacerdotis orationi tribuitur. Nihilominus Albertus Magnus *ead. diſt. 23. art. 4.* atque ibidem Richardus, Durandus, Paludanus, quibus ex recentioribus adhærent Tannerus *cit. diſput. 7. dub. 1. num.* 22. Eſtius *in 4. diſt. 23. §. 10.* Menardus *in notis ad lib. Sacramentorum S. Gregorii*, Juenin *cit. diſſert.7. quæſt. 4.* Tournely *de Sacram. extrem. Unct. quæſt. 2. art. 2.* Martene *de antiq. Eccleſ. ritib. lib. 1. cap. 7. art. 3. §. 9.* nihil Sacramenti ſubſtantiæ detrahi arbitrantur per formam modo abſoluto, non deprecativo prolatam, dummodo per eam ſignificetur, Unctionem fieri in nomine Domini. Ad hanc autem ſententiam comprobandam innumeras exhibent formas abſolutas, & non deprecativas in variis Eccleſiis Latinis olim uſurpatas, quin majores noſtri eas tanquam inſufficientes reſpuerint. Non ignoramus quid ad hoc, efficax certe argumentum, repoſuerit Cardinalis Sanctorius *in ſuo Rituali pag. 324.* ubi ad illud refellendum hæc ſcripſit: *Sciat autem (Sacerdos,) formam hujus Sacramenti eſſe verba illa deprecatoria, quæ in Unctionibus proferuntur, veluti, ſecundum uſum Romanæ Eccleſiæ: Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti. Tum etiam noverit, formam non ſervari, & nihil agi, per verba indicativa tantum, puta, Ungo oculos tuos, vel manus tuas, & ſimilia, ſine verbis deprecativis, cujuſmodi hactenus ego non reperi. Et quamvis ea occaſione aliqui Theologi referant, quod multæ Eccleſiæ habent pro forma verba indicativa, ut, Ungo oculos tuos &c. & ideo quæſierint, an valeat, & de ea re plura extra rem dixerint; cum nuſquam reperiatur talis forma per verba indicativa tantum, ſeu per orationem indicativam tantum, ſine verbis deprecativis, hoc Sacramentum conferri: ſed & libri, & ritus Eccleſiarum, qui pro ea parte citantur, quod habent verba indicativa, paulo poſt habent etiam verba deprecativa &c. Quare quæſtio inanis, & fruſtranea eſt. Quoniam autem hujuſmodi forma variis verbis traditur in diverſis Eccleſiis, etiam præmittendo verba indicativa, & ſubjungendo deprecativa, unaquæque Eccleſia ſuam poteſt retinere formam, modo ſemper adhibeantur verba deprecativa &c. Ceterum apud ſanctam Romanam Eccleſiam, unam tantum in hoc Sacramento deprecandi formulam traditam, & paſſim in Italia, & toto orbe receptam eſſe, compertiſſimum, & exploratiſſimum eſt.* Verum, etſi Sanctorio concedamus, aliquam deprecationem poſſe deprehendi cum antiquiſſima illa forma

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ma Ambrosiana, quam refert S. Bonaventura *cit. loc. quæst.* 4. *Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatur ad certamen, aereas possis superare potestates*: tum in alia desumpta ex illo Sacramentali Venetorum, a Leone X. ut fertur, approbato: *Ungo te oleo sancto, ut hac Unctione protectus, fortiter stare valeas adversus aereas catervas, in nomine Patris &c.* tum demum in ea, quæ ex vetustissimo libro Sacramentorum Ecclesiæ Catalaunensis profertur a Martene *cit. loc. In nomine Patris &c. sit tibi hæc porrectio olei sanctificati, ad purificationem mentis, & corporis*: etenim verba illa *ut*, & *sit*, optativa cum sint, non incongrue referre possunt proferentis votum, orationem, & preces; at nescimus, quo pacto possit deprecatio inveniri in aliis formis, ex pluribus antiquis Ritualibus a Menardo, & Martene productis, in quibus solum adhibetur verbum *ungo*, absque alio additamento, e quo deprecatio colligi, aut fingi queat: nec facile erit ad deprecativum sensum hanc detorquere, quæ extat in antiquo Pontificali Narbonensi: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti regnantis in secula seculorum, accipe sanitatem corporis, & remissionem peccatorum tuorum*. Sed, utcunque hæc res se habeat, cum nihil de ea ab Ecclesia definitum habeamus, non decet in Synodo, seu Synodali Institutione, ejusmodi quæstionem commemorare; sed duntaxat injungendum est Parochis, ut formam adhibeant in Rituali præscriptam, quæ certe, sine gravi flagitio, non potest privata auctoritate immutari.

## CAPUT TERTIUM.

*De Corporis partibus inungendis: de quo multa in nonnullis Synodis, & Ritualibus habentur.*

SEd, quoniam in Decreto Eugenii pro institutione Armenorum, in hujusce Sacramenti administratione septem Unctiones fieri jubentur, videlicet: *In oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem*: earumque singulis respondere debeat forma, tunc a Ministro pronuntianda, hoc est: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti*, cum inunguntur oculi; *quidquid per auditum deliquisti*, cum inunguntur aures; & sic deinceps, quemadmodum fuse exponitur in Rituali Romano: hinc alia gravis suboritur controversia, utrum omnes prædictæ Unctiones, & formæ prolationes sint de Sacramenti substantia: de qua controversa multa habentur in citata Dissertatione *de suprema Unctione* Benedicti de Gaetanis *cap.* 8.

II. Ultro Doctores omnes fatentur cum Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 40. *sect.* 2. *num.* 6. duas postremas Unctiones, pedum scilicet, & renum, necessarias non esse ad validam Sacramenti confectionem; tum quia non sunt in usu apud omnes Ecclesias; tum quia illa renum, honestatis, & pudoris causa, semper omittitur in feminis, & interdum etiam in viris, qui propter labefactatas corporis vires, morbique languores, dimoveri nequeunt sine gravi incommodo: quod adnotatur a Rituali Romano, atque a Cardinali Sanctorio *in suo Rituali pag.* 325. Haud difficulter quoque iidem admittunt, ceteras quinque sensuum Unctiones, necessarias esse necessitate præcepti: sed dissentiunt, & disputant, num etiam necessariæ sint necessitate Sacramenti. Antiquiores Scholastici existimarunt, omnes pertinere ad substantiam, & integritatem Sacramenti, quod ex singulis, tanquam ex suis partibus essentialibus, constitui, atque integrari, sunt opinati. Ita *in* 4. *dist.* 23. docuerunt S. Bonaventura, Richardus, Paludanus, Scotus, quibus subscripsere Bellarminus *de extrem. Unct. lib. unic. cap.* 10. Gregorius de Valentia *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 2. §. *Secundo asserimus*, Gonetus *tom.* 5. *pag.* 466. aliique plurimi, præcipue ex Thelogis moralibus. Citatur etiam pro hac sententia S. Thomas: sed Auctor *supplem.* 3. *part. quæst.* 32. *art.* 6. exponens Angelici Præceptoris mentem, dubitanter loquitur, inquiens: *Illa Unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti*: & dubitanter quoque loquitur Suarez *cit. disp.* 40. *sect.* 3. *numer.* 16. quamvis *sequenti disp.* 41. *sect.* 2. *in fin.* videatur in sententiam propendere, tunc temporis fere communiter a Scholasticis receptam.

III. Alii ex adverso validum censent extremæ Unctionis Sacramentum, si vel una tantum inungatur corporis pars, unica prolata, mox referenda, forma universali, omnes sensus complectente. Ita Sylvius *in supplem. quæst.* 32. *art.* 6. *quæst.* 2. Nicolaus Serarius *tract. de extrem. Unct. cap.* 7. Becanus *in Summ. Theolog. de Sacram. in specie cap.* 27. *quæst.* 7. Estius *in* 4. *dist.* 23. §. 15. Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. tom.* 5. *lib.* 2. *cap.* 5. *regul.* 6. Juenin *cit. dissert.* 7. *quæst.* 3. *cap.* 2. Tournely *cit. quæst.* 2. *art.* 1. *in fin.* Vanroy *in sua Theolog. moral. part.* 4. *tom.* 2. *de Sacram. tract. de extrem. Unct. quæst.* 3. Piette *Quæst. Theolog. part.* 6. *quæst.* 3. *vers. Dico septimo*, aliique recentiores passim. Huic opinioni validissimum fundamentum præbet diversa in Unctionum numero disciplina, quam in diversis Ecclesiis sua ætate viguisse, affirmat Albertus Magnus *in* 4. *dist.* 23. *artic.* 16. inquiens: *Diversarum Ecclesiarum, & Ordinum, diversus est usus, quia in quibusdam Ecclesiis unguntur loca plura, & in quibusdam pauciora*. Atque exordiendo ab Ecclesia Orientali, licet Græci, teste Arcudio *Concord. lib.* 5. *cap.* 7. nunc inungant frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus, & pedes; attamen, ineunte seculo IX. tres tantum Unctiones ab iisdem fieri consuevisse asserit Theodulphus, Aurelianens. Episcopus, *Capitular.* 2. apud Baluzium *tom.* 7. *Miscellan.* In Ecclesia vero Occidentali, invenimus quidem in S. Gregorii Sacramentario, edito a Menardo, præscriptas Unctiones quinque sensuum: at in codice Abbatis Rotaldi illis additas legimus unctionem colli, pectoris, & scapularum: in veteri Pontificali Prudentii, Episcopi Tricassini, imperatam insuper reperimus *Unctionem umbilici, seu loci, ubi plus dolor imminet*: antiquus codex Turonensis, Unctionem fieri mandat *in genibus quoque, & in cruribus, suris, pedibus, ac plantis, & pene in omnibus membris, seu in loco, ubi dolor plus imminet*: quæ omnia videri possunt apud Morinum *in appendic. ad tract. de Pœnit.* & Martene *de antiq. Eccles. ritib. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *art.* 4. Tanta autem in Unctionum numero difformitas non fuisset singularum Ecclesiarum arbitrio permissa, si certum earundem numerum Sacramenti validitas exposceret.

IV. Majus adhuc argumentum huic eidem opinioni suppeditant recentiora peculiarium Ecclesiarum Ritualia, unicam Unctionem fieri permittentia, si omnes perfici nequeant: siquidem Pastorale Mechlinense, cujus non levis est auctoritas, tum quia ab Academia Lovanienſi anno 1588. approbatum, tum quia ab Octavio Frangipanio, Episcopo Tricarienſi, per Germaniam, ac Belgium Nuntio Apostolico, ad diœcesis quoque Colonienſis usum protractum, hæc de extrema Unctione statuit: *In morbis contagiosis & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad Unctionem expositum, aut detectum, dicendo: Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam mi-*

*misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum.* In antiquo codice Remigio Remensi, a Sambovio laudato, legitur ritus *abbreviatus* conferendi hujus Sacramenti, ubi unius pariter unctionis fit mentio. In Rituali Parisiensi, prolato a Tournely *cit. art.* 1. dicitur: *Si non possit super infirmum fieri, nisi unica Unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, & ceteris precibus prætermissis, dicatur: Per istam sacri olei Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus.* Eandemque praxim approbant Cameracensis, Atrebatensis, aliarumque Ecclesiarum Manualia, apud citatum Natalem Alexandrum.

V. Sed, quoniam neque de hac quæstione, quæ sane gravissima est, ulla hactenus ab Apostolica Sede prodiit sententia, non debet Episcopus in sua Synodo aliquid de illa decernere; sed duntaxat Parochos monebit, ut, cum prudenter timent ægrotum decessurum, priusquam omnes absolvantur quinque sensuum Unctiones, unicum sensum inungant, formam universalem pronunciando, quam ab allegatis Ritualibus audivimus: quin immo in prædicto eventu consultius esse, ut caput, e quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem forma universali inungatur, non immerito advertit Coninck *de Sacram. dis.* 19. *dub.* 3. *num.* 2. Ne vero Parochi hac libertate abutantur, expedit, ut Episcopus simul serio eosdem admoneat, a gravis culpæ reatu non excusari, qui, extra casum veræ necessitatis, vel unam ex quinque sensuum Unctionibus prætermittit.

## CAPUT QUARTUM.

*De Sacramenti extremæ Unctionis Ministro tum quoad Ecclesiam latinam, tum quoad Ecclesiam græcam: quidve Episcopi latini, in quorum Diœcesibus Græci inhabitant, statuere valeant de eorum ritu hac in re.*

SAcramenti extremæ Unctionis Ministros solos esse Sacerdotes, contra Novatores, definivit Tridentinum *citat. sess.* 14. *can.* 4. *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed etiam seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremæ Unctionis Ministrum, non esse solum Sacerdotem, anathema sit.* Neque ullam difficultatem facit, quod de hujus Sacramenti administrandi ritu legitur apud Guidonem *in Disciplina Farfens.*, nempe: *Tunc sint quatuor Conversi, quorum unus accipiat Aquam sanctam, alius Crucem, tertius thuribulum, quartus Oleum sacrum:* hic quippe *Conversus* oleum deferebat, quo infirmus, non a se, sed a Sacerdote inungeretur; sicuti ibidem postea adnotatur, & scite animadvertit Monachus Benedictinus Congregationis S. Blasii in Sylva nigra, *cap.* 127. præfationis ad Opus inscriptum *Vetus Disciplina Monastica*, quod anno 1726. evulgavit. Aliquid tamen negotii facessit Innocentius I. in sæpius laudata epistola ad Decentium, in qua videtur omnibus Christianis facultatem asserere, se ipsos, aliosque infirmos inungendi; loquens quippe de sacro oleo, ait: *Quod ab Episcopo confectum, non solum Sacerdotibus, sed & omnibus uti Christianis licet, in sua, aut in suorum necessitate, ungendum*, seu ut melius alii legunt, *ungendo*, aut *ad ungendum*. Verum ab Innocentii mente perquam longe aberrare, qui eum hoc loco omnes Christianos Sacramenti extremæ Unctionis ministros facere arbitrantur, optime advertit Petrus Constant *in notis ad eand. epist. tom.* 1. *col.* 863. Siquidem ibidem ad aliam statim progrediens quæstionem, de qua fuerat a Decentio interrogatus, an scilicet ita Presbyterorum proprium sit, Sacramentum extremæ Unctionis administrare, ut illud conferre Episcopis non liceat; hanc opinionem, quæ plurimorum mentes invaserat, confutat Pontifex, respondens: *Ceterum illud superfluum esse videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non est dubium. Nam idcirco Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt.* Quinam autem in mentem veniat, potuisse Innocentium omnibus Christianis potestatem tribuere, quam plerique per eam ætatem ex verbis Apostoli Jacobi inferebant, adeo propriam esse Presbyterorum, ut eam etiam Episcopis abjudicarent?

II. Quocirca allegatum Innocentii textum, quem totidem verbis repetitum legimus a Beda *in cit. epist. Jacobi cap.* 5. *Oper. tom.* 5. atque ab Anonymo Scriptore, qui Canonicorum regulam, e Crodogango, atque ex Capitularibus Aquisgranensibus anni 816. confarcinavit, *tom.* 4. Collectionis Harduini *col.* 1207. plerique intelligendum censent de unctione, non sacramentali, sed quæ unice fieret ad medendos corporis languores, ideoque, non de Unctione Jacobi, sed de alia, cum illa magis comparanda, de qua *Marci* 6. Etenim, cum viderent Fideles, extremæ Unctionis beneficio plures infirmos in pristinam restitui sanitatem, cœperunt eodem sacro oleo uti ad sui, aliorumque curandas infirmitates: cujus rei fidem faciunt Rufinus *lib.* 11. *hist. Eccles. cap.* 4. Palladius *hist. Lausiacæ cap.* 20. Severus Sulpitius *in Vita S. Martini cap.* 21. Gregorius Turonensis *in Vitis Patrum cap.* 4. & clarius constat ex Vita S. Gothardi Episcopi apud Surium die 4. Maji, qui Presbytero jussit, ut cujusdam mulieris, oculorum morbo laborantis, *sacro oleo, quod infirmorum dicitur, ejus ungeret oculos; quæ quidem unctio, & sancti viri preces, ab illo dolore, usque ad vitæ finem, eam immunem conservarunt.* Hunc autem morem, sua ætate maxime vigentem, voluisse Innocentium *cit. loc.* approbare, interpretantur Alphonsus de Castro *lib. de hæres. verb. extrema Unctio*, Sotus *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 1. Gregorius de Valentia *cit. tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 2. *punct.* 1. quorum explicationem probabilem putant Estius *in* 4. *dist.* 23. §. 12. & Tournely *cit. quæst.* 2. *art.* 4.

III. At melius fortasse Jansenius Gandavensis *in cap.* 6. *Marci*, Maldonatus *ibid.* Bellarminus *cit. lib.* 1. *cap.* 9. Baronius *ann.* 63. *num.* 14. Suarez *cit. tom.* 4. *disp.* 43. *sect.* 1. *num.* 6. *in fin.* Estius *cit.* §. 12. *versic. Potest & aliter*, quos sequitur laudatus Constant, Innocentium loquutum arbitrantur de Unctione, non *activa*, sed *passiva*, hoc est, non de collatione, sed de receptione Sacramenti: cum enim aliquibus persuasum forte fuerit, oleo sancto solos inungi posse Sacerdotes, a quibus conficitur, eo pacto, quo in veteri, atque etiam in nova lege, quædam aliæ sacræ unctiones sunt Regum, & Sacerdotum propriæ; ad hunc refellendum errorem, docet ibidem Innocentius, oleum sanctum confici quidem ab Episcopo, aliis adjuvantibus inferioris Ordinis Sacerdotibus, non tamen ut subinde ipsi soli, verum etiam ut omnes Christiani, positi in vitæ discrimine, ungantur.

IV. Posito jam, hujus Sacramenti administrationem solis esse commissam Sacerdotibus, dubitare quis posset, num ad illud valide conficiendum unus sufficiat, vel plures requirantur Presbyteri. Rationem dubitandi præbent sæpius allegata verba Apostoli Jacobi ajentis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* At nihilominus firmiter tenendum est, per unum tantum Sacerdotem valide Sacramentum confici: quod & definivit Alexander III. *in Cap. Quæsivit, de verbor. significat. Nos itaque tibi taliter duximus respondendum, quod Sacerdos, uno præsente Clerico, & etiam solus, potest infirmum ungere:* hodieque

vigens

UAB Biblioteca de Ciències Socials



vigens in Ecclesia Latina usus confirmat. Neque refragantur verba S. Jacobi, qui dixit *Presbyteros Ecclesiæ*, significavit aliquem ex Presbyteris Ecclesiæ: novum quippe non est, in sacris litteris numerum pluralem poni pro singulari, quemadmodum advertit Augustinus *lib. 3. de consens. Evangelist. cap. 16. Oper. tom. 3. part. 2.* cujus auctoritate fretus S. Thomas *lib. 4. contra Gentes cap. 73.* scripsit: *Jacobus dicit: Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & oratio fidei sanabit infirmum. Si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus Minister existit, & cujus personam gerit.*

V. Sed, quanquam unus certe sufficiat, plures nihilominus Sacerdotes fuisse olim in Ecclesia Latina adhibitos, ex pluribus antiquis Ritualibus colligit Menardus *nota 909. ad Sacramentarium S. Gregorii*; quibus alia ejusdem generis, præcipue Cadurcense, Rutenense, & Tutelense, addit Martene *de antiq. Eccles. ritib. lib. 1. cap. 7. art. 3. §. 3.* eundemque morem nobis exhibent Constitutiones Angliæ, collectæ a Guillelmo Lyndevvode, in quibus *ad tit. de extrema Unctione pag. 26.* legimus: *Cum magna reverentia deferatur oleum infirmorum ad infirmos, & ipsos inungant Sacerdotes cum magna devotione, & orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ*: ubi adnotavit Glossator *verb. orationum*, a singulis Sacerdotibus pronunciatam fuisse formam deprecativam, cuilibet Unctioni accommodatam. Cumque eandem Constitutionem totidem prorsus verbis repetitam inveniamus inter Constitutiones Odonis Episcopi Parisiensis, *tom. 6.* Collectionis Harduini *part. 2. col. 1941.* inde conjicimus, eam disciplinam in Galliis adhuc perduravisse seculo XII. quo illæ sunt editæ: quin immo sequenti etiam seculo XIII. & ultra, retentam alicubi eandem disciplinam, non obscure significant posteriora Synodalia statuta tum Ecclesiæ Ædensis *cap. 19.* tum Ecclesiarum Carducensis, Rutenensis, & Tutelensis *cap. 17. tom. 4. Anecdotor.* Martene, & Durand *col. 470. & 714.* Recte tamen observat laudatus Martene *cit. art. 3. §. 5.* hanc ipsam Ecclesiæ Latinæ consuetudinem non fuisse firmam, constantem, atque universalem, cum ex aliis æque antiquis monumentis, ab eodem productis, constet, sæpius infirmos ab unico Sacerdote inunctos. Nam, Artemium febre correptum ab unico *sancto Nepotiano visitatum, atque oleo sancto perunctum*, narrat S. Gregorius Turonensis *lib. 1. hist. cap. 41.* & S. Eugendum *ab uno de fratribus* pariter inunctum legimus in ejus Vita apud Bollandum *1. Januarii*. Hic vero ritus sacræ Unctionis, ab unico recipiendæ Sacerdote, a paucis tunc, nec fortasse extra casum necessitatis usurpatus, adeo postea in Ecclesia Latina invaluit, ut Theologi Scholastici cum Suarez *cit. disp. 43. sect. 2. in fin.* & Cardinali de Lauræa *in 4. sent. tom. 3. disp. 11. art. 9. num. 114.* illicitum nunc reputent, secluſa necessitate, ejusmodi Sacramentum a pluribus simul administrari: quoniam nemini integrum est, in Sacramentis administrandis, a norma recedere in Rituali præscripta. Si autem plures simul Sacerdotes re ipsa Sacramentum hoc conficiant, nemo ambigit, illud esse ratum, modo singuli diversos inungant infirmi sensus, & quilibet congruentem inuncto sensui formam pronunciet; quemadmodum iidem Auctores scite animadvertunt. Sed de hoc fusius alibi differemus. Præterea, etiam spectata hodierna Ecclesiæ disciplina, nedum licitum, sed valde laudabile est, ut uni Sacramentum administranti alii plures assistant Sacerdotes, ob rationem, quam adducit S. Thomas *citat. cap. 73. lib. 4. contra Gentes*, ubi ait: *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, quod multi Sacerdotes interſint, & quod oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet.* Et, si plures Sacerdotes interesse nequeant, alios arcessendos probos viros, qui commode haberi valeant, ob eandem rationem, adnotavit Cardinalis Sanctorius *in sæpe citato Rituali Sacramentorum pag. 324. in sæpe citato Rituali Sacramentorum pag. 324.* inquiens: *Sacerdos, ubi commode fieri potest, ut in Ecclesiis Collegiatis, plures secum adhibeat Presbyteros, cum ungit infirmum; in aliis vero Ecclesiis, saltem uno Clerico præsente, aut aliis pluribus scholaribus, vel confratribus Ecclesiæ.*

VI. Si porro causam investigemus, cur Ecclesia Latina, quamvis etiamnum plures adesse cupiat, per unicum tamen Sacerdotem velit Sacramentum administrari, quantum ex conjecturis assequi licet, non aliam, nisi hanc fuisse suspicamur. Cum plures simul Sacerdotes ad infirmum inungendum advocabantur, quilibet pro sua opera haud exiguam exposcebat mercedem; cui solvendæ cum pauperum vires non sufficerent, ii sine extrema Unctione decedebant: quamobrem hæretici Waldenses, seu pauperes de Lugduno, uti narrat Reinerus Ordinis Prædicatorum in Opere contra eosdem circa annum 1254. exarato, inter ceteras falsas rationes, propter quas Sacramentum extremæ Unctionis reprobabant, hanc etiam adducebant, *quia tantum divitibus datur*. Curaverant sane Ecclesiarum Præsules prædictam turpem Sacerdotum avaritiam reprimere, severisque sanctionibus interdixerant, pro sacramentali Unctione quidquam exigere; quod potissimum statutum reperimus ab Odone Episcopo Parisiensi *in cit. cap. 8. suarum Constitutionum*, atque in Synodis Andegavensi anni 1283. Remensi, & Trecensi, habitis initio seculi XV. Verum, cum hæc repagula haud sufficientia comperta sint ad compescendam Sacerdotum petulantiam, visum est deliberandum, ut deinceps extrema Unctio, nulla petita mercede, a solo conferretur ægrotantis Parocho.

VII. Enimvero, etsi quilibet Sacerdos possit illam valide conferre, solus tamen Parochus est ordinarius ejusdem Minister, nec ulli fas est, extra necessitatis eventum, sine ejusdem Parochi licentia, sacro Oleo ægrotantes inungere, uti diserte statuitur in Catechismo Romano *part. 2. de Sacram. extrem. Unct. §. 21.* Quin immo Religiosi, qui nulla petita a Parocho venia, Sacramentum extremæ Unctionis administrare præsumunt, præter gravis culpæ reatum, in excommunicationem incidunt Sedi Apostolicæ reservatam, uti habetur *in Clementina 1. de privilegiis*: quam quidem Clementinam cum tanta severitate, post Archidiaconum, accipit Navarrus *manual. cap. 27. num. 102.* ut asserat, eadem censura irretiri Regulares extremam Unctionem ministrantes ægroto, etiam constituto in mortis articulo, cumque Parochus abest. Sed jure ac merito Navarri opinionem refellunt Sotus *in 5. dist. 23. quæst. 2. art. 1.* Saintebeuve *de Sacram. extrem. Unct. disp. 6. art. 2.* Natalis Alexander *eod. tract. lib. 2. cap. 5. regul. 10.* Tournely *cit. quæst. 2. art. 4.* Juenin *cit. dissert. 7. quæst. 6. cap. 2.* aliique passim: etenim, cum Ecclesia, urgente mortis periculo, cuilibet Sacerdoti potestatem fecerit absolvendi a quibuslibet censuris, & peccatis, verosimile certe non est, quod cuipiam Sacerdoti interdixerit, ne in eodem statu, ac vitæ discrimine constituto, cum Parochus abest, administret extremam Unctionem, quæ est perfectio, & complementum Pœnitentiæ, neque ad sui validitatem requirit in Ministro potestatem jurisdictionis, sicuti Sacramentum Pœnitentiæ. Quare S. Carolus Borromæus, etsi Parochorum jura studiose semper tutatus fuerit, nihilominus in Concilio Mediolanensi V. *part. 1. Actor. Eccles. Mediolan. part. 1. pag. 223.* deficiente Parocho, cuilibet Sacerdoti integrum esse voluit sacro oleo inungere infirmum in mortis periculo constitutum, inquiens: *Ne alius Sacerdos, nisi Parochus, hoc Sacramentum ministret: si porro is impeditus, aut alias in mora est, mortisque*

*tisque periculum instat ; tunc Sacerdos alius ministret, licet.*

VIII. Quæ autem diximus de extrema Unctione, per unicum Sacerdotem administranda, locum tantum habent in Ecclesia Latina, non vero in Græca, in qua antiqua retinetur consuetudo septem adhibendi Sacerdotes in hujusce Sacramenti collatione, uti legitur in eorundem Euchologio, testanturque Simeon Thessalonicensis apud Saintebeuve *cit. tract. de Sacram. extrem. Unct.* & Arcudius *Concord. lib. 5. cap. 3.* qui insuper ejus numeri rationes, & causas adducunt. Quod si septem Sacerdotes præsto non sint, tres saltem ad Sacramentum conficiendum ab *ipsis* adhiberi, iidem Arcudius, & Thessalonicensis enarrant: neque Ecclesia Latina hanc Græcorum disciplinam, quam & ipsa pluribus seculis religiose servavit, unquam improbavit, modo Græci nobiscum credant, & fateantur, valide posse idem Sacramentum ab unico Sacerdote administrari; quemadmodum adnotarunt Goarius *in comment. ad Græcorum Euchologium*, Leo Allatius *de consens. Eccles. Occid. & Orient. lib. 3. cap. 16.* Arcudius *cit. cap. 3.* & Auctor *Theolog. moral. ad usum Sem. Petrocorens. tom. 4. lib. 2. tract. 2. cap. 2.* Quamobrem, si Episcopus Latinus, diœcesi præpositus, quam Catholici Græci ritus inhabitant, velit aliquid de hac re in sua Synodo delibare, vestigia sectetur superius citatæ Synodi Provincialis Ruthenorum, habitæ Zamoscie an. 1720. atque a Benedicto XIII. 1724. confirmatæ, in qua hæc habentur : *quamquam in Græca Ecclesia receptum fuerit, prout aliquando etiam in Latina, ut septem Sacerdotes, hisque deficientibus, tres saltem advocarentur ad ministrandum hoc Sacramentum, iique omnes & materiam subministrarent, & formam proferrent, sciant autem Pastores, plures ea de causa adhiberi solitos Sacerdotes, tum ob reverentiam ejusdem, ac gratiæ copiam, quam confert, tum ut plurimum Sacerdotum preces effectum Sacramenti coadjuvent: qua de causa sancta Synodus statuendum censet, ut, si septem, aut tres Sacerdotes haberi commode non possint, unus, qui totius Ecclesiæ personam gerit, & cujus virtute hoc Sacramentum perficit, illud conferat, ac infirmo ministret.* Poterit etiam Synodo inserere §. 5. *cit. nostræ Constitutionis* 57. ubi hæc ad rem diximus: *Nec refert, utrum extrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo, dummodo credant, & asserant, illud Sacramentum, servata debita materia, & forma, ab uno Presbytero valide, & licite confici. Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronunciare respective debet, ac præterea qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, & alius formam pronunciet.*

## CAPUT QUINTUM.

*De subjecto hujus Sacramenti, & præsertim de more Græcorum sanos oleo inungendi: & quid de eo Episcopi Latini, in quorum diœcesibus Græci inhabitant, in Synodo differere possint.*

A Sacramenti Ministro ad Subjectum progredientibus, statuendum primo loco occurrit, quibusnam personis illud conferri valeat. Ecclesiæ Latinæ perpetua, & constans traditio fuit, extremam Unctionem solis infirmis esse exhibendam, & quidem tali morbo laborantibus, unde, peritorum judicio, mors sequutura prudenter timeatur: eamque traditionem, ex sæpius allegatis Apostoli Jacobi verbis deductam, omniumque Theologorum consensione firmatam, cum D. Thoma *in 4. distinct. 23. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2.* explicarunt, & inculcarunt Eugenius IV. in Decreto *tom. 9.* Collectionis Harduini *col. 440.* inquiens: *Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cujus morte timetur dari non debet:* Concilium Tridentinum *cit. sess. 14. cap. 3. Declaratur etiam, esse hanc Uctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur:* ac demum Cathechismus ejusdem Concilii §. 18. *de extrema Unctione*. Hinc vero fit, ut extrema Unctio illis denegetur, qui cum sano sint corpore, probabile, aut etiam certum adeunt vitæ periculum, puta quia mare transgressuri, prælium commissuri, aut ultimo supplicio plectendi sunt, sicuti statuunt Concilium Mediolanense IV. anni 1576. sub Sancto Carolo *part. 2. tit. 6.* & Cameracense anni 1586. *tit. 12. cap. 3.* & docuerat S. Thomas *cit. lib. 4. contra Gentes cap. 73.* inquiens: *Hoc Sacramentum non debet dari propinquis ad mortem absque infirmitate, puta damnatis ad mortem:* quibus tamen postremis etiam alio nomine denegari, perpendunt Maldonatus *tractat. de Jejunio cap. 9. tom. 2. pag. 337.* & Martene *de antiq. Eccles. ritib. tom. 1. lib. 1. cap. 7. art. 1. num. 1.* quia nimirum damnati ad ultimum supplicium recensentur quodammodo inter publicos peccatores, quos, ante reconciliationem, sicuti a ceteris Sacramentis, ita & ab hoc arceri, respondisse visus est citatis Doctoribus Innocentius I. *in cit. epist. ad Decentium: Pœnitentibus istud infundi non potest... Nam quibus cetera Sacramenta negantur, quomodo unus genus putatur posse concedi ?* Sed consulendus est Petrus Constant *in notis ad hanc epistolam col. 864. litter. b.* Hinc etiam extrema Unctionem uniri nequeunt feminæ partui propinquæ, nisi alia insuper iisdem accesserit extraordinaria, & lethalis corporis ægritudo; quod bene ponderant Doctores, apud Clericatum *de extrem. Unct. decis. 79. num. 22.*

II. Neque huic Ecclesiæ Latinæ doctrinæ, & praxi adversantur exempla ex probatis Historicis prolata a Martene *cit. loc.* videlicet Odiliæ, filiæ Comitis Herimanni, & Mathildis, quæ a Ricardo Abbate monasterii S. Vitoni, de futura, sequenti die, ejus morte prænonita, licet corpore sana *nullam gravedinem pateretur*, attamen *liquore sancti olei inuncta ..... inter verba orationis læta spiritum efflavit*, sicut narrat Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi; & cujusdam Monachi, apud Mabillonium *secul. VI. Benedict. part. 2.*, qui, post Nocturnos festi Sancti Martini, divinitus admonitus de proxima sua ex hoc seculo migratione, revelationem Abbati manifestavit, cujus venia sacro oleo unctus, & *Dominicis munitus mysteriis, sanus, & incolumis cum ceteris in conventu versatus*, sequenti die obiit; necnon cujusdam Cinguriani Fratris laici, qui similiter corpore sanus, *oleo sancto*, uti rogaverat, *unctus*, mox decessit: quod habetur in Vita Sancti Gildasii *secul. I. Benedict. pag. 151.* neque demum adversatur exemplum, quod allatis a Martene adjicimus, videlicet Sanctæ Hedvvigis, quæ, referente ejus Vitæ Scriptore *cap. 8.* priusquam ægrotare cœpisset, voluit extremæ Unctionis Sacramento muniri. Hæc inquam, & si qua sunt alia hujus generis exempla, communi Latinæ Ecclesiæ, doctrinæ, & praxi non adversantur : nam, præterquamquod extraordinaria sunt, & derivata e speciali afflatu Spiritus Sancti, qui interdum homines solvit ab ordinariæ providentiæ legibus; quod opportune adnotavit laudatus Auctor Vitæ Sanctæ Hedvvigis, scribens : *Hoc tamen, quod diximus, admirandum potius est, quam imitandum, cui Spiritus Domini per revelationem tribuit efficaciam, & in quo, ut pie creditur, sancta devotio dispensavit:* atque ad rem prosequitur Thiers *de superstitione circa Sacramentum extremæ Unctionis lib. 8. cap. 6. pag. 377. & seq.* possumus prudenter existimare,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

in prædictis rerum circumstantiis, eos, qui sunt divinitus admoniti de sibi instante vitæ interitu, jam tum cœpisse lethali morbo interius laborare, quo citò perducerentur ad mortem, quanquam exterius viderentur sani, & incolumes: quamobrem sint illis administranda extrema Unctio ob eandem rationem, propter quam a citato Concilio Mediolanensi IV. *part.* 2. & Aquensi anni 1585. *tit. Quæ pertinent ad Sacramentum extremæ Unctionis, tom.* 10. Collectionis Harduini *col.* 1535. atque a Theologis cum Suarez *cit. disp.* 42. *sect.* 2. *num.* 11. *in fin.* conceditur senibus, qui præ decrepita ætate, licet nulla alia speciali afficiantur ægritudine, in dies morituri creduntur; ipsa enim gravis, & annosa senectus, infirmitas est, quæ interiora vitæ organa labefactat, & mox ducit ad interitum.

III. Verum ab expositа Latinæ Ecclesiæ traditione deviarunt Græci: hi siquidem etiam sanos, & bene valentes, solent sacro oleo inungere in remissionem peccatorum; quod liquet ex corundem Euchologio, asseruntque Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus *in sua censura adversus Augustanam Lutheranorum confessionem lib.* 1. *cap.* 7. Leo Allatius *de consens. Eccl. Occid. & Orient. lib.* 9. *cap.* 16. & Arcudius *Concord. lib.* 5. *cap.* 4. *& cap. ult.* Quin immo ipsemet Episcopus, postquam feria v. majoris hebdomadæ infirmorum oleum solemni ritu consecravit, non jubet illud asservari ad ægrotos suo tempore deferendum, sed totum statim insumit omnes inungendo astantes, quod accepimus a Goario *in suis ad Euchologium notis*. Ac denique Joannes Nathanael, Presbyter, ac magnus Œconomus Cretensis, apud citatum Arcudium *lib.* 5. *cap* 4. respondens ad quæsita sibi facta Viviano, Episcopo Anagnino, circa mores Græcorum, inter cetera narrat, Græcos Sacerdotes, loco satisfactionis, in sacramentali Confessione pœnitentibus imponendæ, solere interdum, haud exigua tamen accepta mercede, eosdem sancto oleo inungere, ut tali pacto a peccatorum reliquiis, pœnisque pro iis subeundis absolvantur; quem abusum ipse Nathanael, & cum eo Arcudius *cit. cap.* 4. acriter reprehendunt, & damnant.

IV. Hæc certissima & exploratissima sunt, sed non æque certum, *an ejusmodi* Unctio, sanis adhibita, habeatur a Græcis pro vero Sacramento. Goarius *in cit. comment. pag.* 432. illam fieri contendit, tanquam meram cæremoniam sacram, seu sacramentalem quamdam benedictionem, per quam Sacerdotes unice intendant inunctos sublevare ab aliqua levi corporis infirmitate, aut etiam a graviori morbo præservare; quod etiam in Ecclesia Latina olim factitatum, in præcedentis capitis initio prænotavimus. Arcudius contra affirmat, sanos ac vegetos corpore a Græcis Sacerdotibus, perinde ac infirmos, sancto oleo perungi, animo verum conficiendi Sacramentum: in cujus rei confirmationem plures affert Græcorum Auctores, docentes, etiam sanos esse capaces Sacramenti extremæ Unctionis. Quodque magis mirandum est, hæc doctrina, quam Arcudius exagitat, nec defendere ausus Goarius, negavit unquam Græcorum menti insedisse, suos invenit inter nostros Latinos defensores, nempe Juenin *cit. diss.* 7. *quæst.* 7. *cap.* 3. & Saintebeuve *de Sacram. extrem. Unct. disp.* 7. *art.* 1. qui triplici argumento illam defensare conantur. Etenim, ajunt, de prædicta consuetudine, quam antiquissimam esse nemo ambigit, nulla lis fuit Græcis intentata in Concilio Florentino, in quo ceteroquin jussi sunt de omnibus rationem reddere, in quibus a Latinis differrent. Secundo, etsi ex Apostolo Jacobo habeamus extremæ Unctionis Sacramento esse infirmis succurrendum, non tamen inde legitime infertur, solos infirmos esse illius capaces; quocirca Eugenius IV. in citato Decreto, non dixit: *Hoc Sacramentum, nisi infirmo, dari non potest*: sed *dari non debet*: quod sane verbum merum præceptum denotat, cui contraria consuetudine potest derogari, non absolutam importat necessitatem: similiter Concil. Trident. decrevit, extremam Unctionem *esse infirmis exhibendam*, de quo nullus dubitat, sed non dixit *solis infirmis*, de quo est quæstio. Tertio demum, pergunt iidem Doctores, cum a Græcis Sacerdotibus sancto oleo inunguntur homines perfecta fruente valetudine, nihil prorsus desideratur ad veram Sacramenti confectionem: siquidem a legitimo Ministro idonea, & apta adhibetur materia, debita simul pronunciatur Sacramenti forma, nec illi deest necessaria intentio, cum eam Unctionem facere intendat ad detergendas animæ sordes; quemadmodum testatur Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus *in cit. censura lib.* 1. *cap.* 7. scribens: *Illis vero, qui post Baptisma peccaverunt, Pœnitentia, & consecrati olei Unctio conducunt. Hæc aut remissionem peccatorum largiuntur, aut sordes animæ inhærentes expurgant*.

V. At ejusmodi argumenta frivola sunt, nulloque labore evertuntur. Ad hoc quippe postremum, ut singula inverso ordine expendamus, respondetur, ad validam Sacramenti confectionem, satis non esse, a legitimo Ministro debitas adhiberi materiam, & formam, cum intentione illud administrandi, si desit subjectum illius recipiendi capax, quod inter Sacramenti causas merito annumeratur a Suarez *cit. tom.* 4. *disp.* 42. *in princ.* Id autem in re nostra evenire periculum est, nisi illud ipsum tanquam certum assumatur, quod esset probandum, nimirum hoc Sacramentum etiam pro sanis fuisse institutum; sicuti assumere videntur citati Juenin, & Saintebeuve, qui cetera recensentes ad Sacramentum perficiendum requisita, subjecti capacitatem silentio prætereunt. Quod autem soli infirmi sint extremæ Unctionis capaces, licet clare & expresse non sit a Conciliis definitum, ex eorundem tamen definitionibus legitime infertur: quoniam Eugenius IV. definiens, eam, *nisi infirmis, de quorum morte timetur, dari non debere*, sanos profecto excluſit: quamvis enim verbum *non debet*, possit de se merum præceptum inducere, plerumque tamen absolutam denotat necessitatem, uti observant Doctores allegati a Barbosa *tract. de usu freq. dist.* 77. *num.* 1. atque in decretis dogmaticis, in quibus Sacramentorum doctrina ab Ecclesia explicatur, ut plurimum denotare necessitatem non tantum præcepti, sed etiam Sacramenti, observat Suarez *cit. disp.* 42. *sect.* 2. *num.* 2. Idem vero, quod Eugenius, sibi voluit Tridentinum, cum dixit, *esse hanc Unctionem infirmis adhibendam*: integram quippe hujusce Sacramenti *credendam, & tenendam* doctrinam nequaquam nobis tradidisset, quod ceteroquin in fine ejusdem capitis se fecisse protestatur, si etiam non infirmis posset illa adhiberi. Accedit consensus omnium Theologorum, qui verba S. Jacobi ita sunt interpretati, ut inde plane confici existimaverint, solum infirmum esse subjectum capax extremæ Unctionis: unanimem quippe Theologorum consensum efficax esse argumentum ad Catholicum dogma stabiliendum, docet Melchior Canus *de Locis Theologic. lib.* 8. *cap.* 2. *& seq.* A silentio denique Concilii Florent. rectius deducimus, sapientissimis illis Patribus fuisse persuasum, sanctam Unctionem a Græcis Sacerdotibus non adhiberi hominibus bene valentibus tanquam Sacramentum, sed veluti meram cæremoniam, & sacramentalem quamdam benedictionem: Græci enim, qui de singulis suis ritibus coacti sunt rationem reddere, gravem utique reprehensionem non evasissent, si comperti fuissent hac in re a communi, & constanti Ecclesiæ Latinæ traditione, & praxi aberrare.

VI. Jure itaque Græcorum morem, ita explicatum, uti volunt Arcudius, gravis erroris insimulant, & damnant Theophilus Raynaud. *in heteroclitis sect.* 1. *punct.* 12. *Oper. tom.* 16. *pag.* 164. Gonzalez *in c. Quæsivit, de verb. signific.*

n. 2. Tournely *de Sacr. extrem. Unct. cit. quæst.* 3. Benedictus de Gaetanis *in sæpe cit. Dissertat. cap.* 13. §. *Ex adverso*, aliique, quibus, post quæstionem sedulo examinatam, tandem adhæret Herminier *de Sacram. tom.* 3. *cap.* 5. Quocirca Episcopi Latini, in quorum potissimum commodum hanc materiam prolixius tractavimus, diœcesibus præsidentes, quas Fideles incolunt Græci ritus, diligenter invigilent, ne iidem in eo versentur errore, ut credant, per unctionem, de qua loquimur, Sacramentum conferri; & severe interdicant, ne ea unctio, loco satisfactionis per Confessarios imponendæ, pœnitentibus injungatur. Id illis vetitum est a nobis *in cit. nostra Constit.* 57. §. 5. ubi decrevimus: *Nulli per Sacerdotes, vel Confessarios, pro satisfactione pœnitentiæ unctio aliqua solummodo injungatur; infirmis vero juxta verbum Jacobi Apostoli, unctio exhibeatur extrema.*

## CAPUT SEXTUM.

*De eodem subjecto extremæ Unctionis, & signanter de ætate, in qua eadem pueris exhiberi potest: ubi etiam de amentibus, & furiosis: ac nonnulla de Synodis, in quibus de prædictis rebus disseritur.*

QUod autem diximus, hoc Sacramentum esse pro infirmis institutum, non est ita accipiendum, quasi omnes omnino Fideles, graviter decumbentes, sint illius recipiendi capaces: illud siquidem alio nomine denegatur pueris ante usum rationis, etiamsi in gravi versentur vitæ discrimine, quia nimirum, cum nondum potuerint ulla, vel levi culpa fœdari, illis non congruit Sacramenti forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti &c.* quod bene perpendit D. Thomas *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 2. inquiens: *Nulli debet dari Sacramentum, cui non competit forma hujus Sacramenti: Sed forma hujus Sacramenti non competit pueris, qui non peccaverunt per visum, & auditum, ut in forma exprimitur: ergo eis non debet dari hoc Sacramentum.* Recte propterea S. Carolus Borromæus in suis Instructionibus, communem sequutus Theologorum doctrinam statuit *part.* 4. *Act. Eccl. Mediol. pag.* 543. *Ministratur hoc Sacramentum extremæ Unctionis adultis periculose ægrotantibus.... at non infantibus, puerisve, qui nullum adhuc rationis usum habent, neque peccata admittunt.* Neque aliam unquam fuisse Ecclesiæ doctrinam, & praxim, ostendit Martene *cit. lib.* 1. *de antiquis Eccl. ritib. cap.* 7. *art.* 1. §. 2. Quamvis enim Nicolaus Cusanus *epist.* 3. *ad Bohemos*, & Maldonatus *de Sacram. tom.* 2. *de extrem. Unct. col.* 389. asserant, olim consuevisse etiam infantes infirmorum oleo inungi; eos tamen sine fundamento loquutos, affirmat Cornelius a Lapide *in comment. ad epist. S. Jacobi cap.* 5. *vers.* 14. atque ex iis liquet vetustis monimentis, quæ citatus Martene adducit: nisi forte Cusanus, & Maldonatus sint intelligendi de unctione, absque forma sacramentali, quam olim fuisse in usu præmonuimus.

II. At quæ ætas erit in pueris expectanda, ut censeantur hujus Sacramenti capaces? Certe non est expectanda ætas quatuordecim annorum, quam videntur exigere plures Synodales Constitutiones, relatæ ab eodem Martene, ac Provinciale Anglicanum, editum a Lyndevvode *lib.* 1. *de sacra Unctione*; quamquam revera, si rite expendantur, tantam ætatem non absolute requirant, sed eos *maxime* inungendos statuant, qui ad eam pertigerunt: in hunc quippe modum loquuntur Constitutiones Odonis Episcopi Parisiensis *cap.* 8. Synodalia statuta Ecclesiæ Meldensis *cap.* 28. Nannetensis *cap.* 50. & citatum Provinciale Anglicanum §. *Cum magna*. Multoque minus expectanda est ætas octodecim annorum, quam expresse exposcunt cum antiquus codex manuscriptus S. Martini Turonensis, a Martene pariter prolatus, tum Fredericus Nausea Episcopus Viennensis *in suo Catechismo lib.* 3. *cap.* 107. Sed, statim ac pueri, rationis compotes, judicantur doli, & culpæ capaces, si in gravem incidant morbum, poterunt infirmorum oleo liniri: quod rectius sancitum legimus inter Synodalia statuta Ecclesiarum Cadurcensis, Rutenensis, & Tutelensis *cap.* 17. *tom.* 4. *Anecdotor.* Martene, & Durand *col.* 714. & nuper a Cardinali de Rohan in Rituali Argentinensi *tit. de extrem. Unct.* §. 2. *part.* 174 ubi edicitur: *Non denegetur etiam pueris, si septimum attigerint annum, nec iis, in quibus malitia supplet ætatem, etiamsi septenarii non sint.* Quamobrem minime approbandam censemus Synodalem Constitutionem, a Germano Valente Guellio, Episcopo Aurelianensi, anno 1587. promulgatam, in qua decernitur: *Non detur hoc Sacramentum pueris, qui nondum communicaverunt*: etenim quandocumque censentur capaces Sacramenti Pœnitentiæ, sunt pariter idonei reputandi ad extremam Unctionem, quæ est illius complementum, quamvis nondum tanta polleant judicii maturitate, ut videantur apti ad rite participandam Eucharistiam, de cujus ineffabili excellentia, & sanctitate, non ita facile edoceri queunt. Quare scite, & appposite Pastorale Mechlinienſe, apud Van-Espen *part.* 2. *tit.* 8. *cap.* 2. *num.* 9. postquam retulit hæc Rituales Romani verba: *Non ministretur pueris rationis usum non habentibus*: addit: *Secus de pueris periculose ægrotantibus, qui peccati mortalis, ac Confessionis capaces sunt, licet sint solum octo, aut novem annorum, & quamvis nunquam communicaverint.*

III. Ob eandem rationem, propter quam ab ejusmodi Sacramento arcentur pueri, quibus nondum rationis lumen effulsit, illud pariter denegatur perpetuo amentibus, & furiosis, qui nullum ab ortu lucidum intervallum obtinuerunt: quod expresse cautum est a S. Carolo Borromæo *in Actis Eccles. Mediolanen. loc. cit.* atque a Concilio Cameracensi anni 1586. *tit.* 12. *num.* 3. *tom.* 9. Collectionis Harduini *col.* 2164. & communiter tradunt Doctores apud Henriquez *de Sacram. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 9. quia nec isti potuerunt ulla gravi, aut levi culpa se contaminare, ad cujus abstergendas reliquias institutum est hoc Sacramentum. Quamvis enim Suarez *cit. disp.* 42. *sect.* 2. *num.* 8. opinetur, extremam Unctionem etiam illi posse conferri, qui nullum unquam actuale peccatum admisit, atque idcirco ea non caruisse censeat Beatissimam Virginem; id tamen de iis duntaxat intelligendum, ait Tannerus *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 3. qui, quantum est ex parte sui status, & adepti usus rationis, peccare potuerunt, etsi per accidens, atque ex speciali Dei privilegio, nunquam re ipsa peccarint: secus nulla esset ratio, cur eodem Sacramento fraudentur infantes, quibus certe, contra S. Thomæ doctrinam, & communem Ecclesiæ praxim, illud ministrari non permittet Suarez. Quod vero speciatim attinet ad Beatissimam Virginem, res valde dubia, & controversa est, an ea, utpote omnis peccati expers, fuerit capax, & particeps Sacramenti extremæ Unctionis. Affirmant S. Antoninus 3. *part. tit.* 14. *cap.* 8. & 13. Canisius *lib.* 1. *de Beata Virgine cap.* 9. Henriquez *de Sacram. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 7. & modo laudatus Suarez; quia habebat potentiam, quam vocant *antecedentem* ad peccandum, etsi, ob singularem Dei erga ipsam providentiam, illa potentia nunquam proditura erat in actum; eo plane modo, quo dicimus, nunquam fore, ut prædestinatus ex hac vita decedat cum lethalis culpæ reatu. Contra Victoria *in Summ. num.* 222. Vasquez *in* 3. *part. disp.* 119. *cap.* 8. & citatus Tannerus, Beatissimam Virginem extremæ Unctionis incapacem pronunciant: licet enim, inquit Tannerus, absolute loquendo, potuerit peccare, attamen ex privilegio, non utcumque eidem concesso, sed veluti consentaneo, & quasi debito excellentiæ, & dignitati

gnitati, qua præstabat, Divinæ maternitatis, fuit ab omni peccato præservanda; ac proinde non potuit ullo pacto eidem aptari extremæ Unctionis forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti &c.* Sed, quidquid sit de hac quæstione, quam Scholasticis relinquimus,

IV. Indubitatum sit, extremam Unctionem exhiberi non posse perpetuo amentibus, & furiosis. Aliud vero est de adultis, qui aliquando usum rationis habuerunt, & postea in phrenesim, aut amentiam inciderunt: his quippe Unctionem tribuendam, juxta illud Concilii Arausicani *can.* 13. *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 1785. *Amentibus quæcumque pietatis sunt conferenda*, declaravit Theodulphus Episcopus Aurelianensis *in secundo Capitulari*, apud Baluzium *Miscell. tom.* 7. docetque S. Thomas *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. cui, teste Suarez *cit. disp.* 42. *sect.* 1. *num.* 6. omnes Theologi consentiunt. Necesse tamen est, ut cetera adsint, quæ requirit Navarrus *in manual. cap.* 22. *num.* 13. inquiens: *Cuilibet tamen ejusmodi infirmo est ministrandum, etiamsi jam sit amens, & phreneticus, si, absque irreverentia Sacramenti id fieri possit, & potuerit ante peccare, & antequam insanire, expresse, aut tacite petierit illud, aut, si meminisset, petiturus fuisset, nec in peccata mortali notorio insanierit.*

V. Porro de quolibet Fideli, de quo contrarium non constat, præsumendum est, fuisse hoc Sacramentum petiturum, si potuisset: passim siquidem videmus, extrema Unctione muniri, qui subita vi morbi oppressi, sensibus destituuntur, nec ullum Sacramenti desiderium significare valent: eorum quippe perspecta pietas, ac fides, non obscurum præbet argumentum desiderii, quod, si possent, demonstrarent. Hanc vero praxim approbat S. Thomas *loc. cit.* cui, præter Ritualia omnia, suffragantur etiam apud Natalem Alexandrum *de Sacram. extrem. Unct. cap.* 5. *regul.* 16. Concilium Parisiense anni 1557. & S. Carolus Borromæus *in laudatis Instructionibus pag.* 543. inquiens: *Infirmis, qui sana mente dum erant, illud petierunt, aut verisimile est quod petiissent, etiamsi postea in amentiam ineiderint, vel ratione, sermoneve uti desierint, ministrabitur item.* Quin immo observat Suarez *cit. disp.* 42. *sect.* 1. *num.* 6. maxime oportere, ut prædicto ægroto, sensibus destituto, qui aliorum Sacramentorum est incapax, subveniatur remedio extremæ Unctionis: *Quia* (ait) *inter fines præcipuos hujus Sacramenti est supplere vices Sacramenti Pœnitentiæ, quando vel illud applicari non potest, vel de facto non satis utiliter applicatum est.* Quamobrem plerique Theologi, inter quos Chapeaville *de Minist. Sacram. tempore pestis cap.* 1. *quæst.* 12. Layman *Theolog. moral. lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 7. Thomas Tamburinus *in methodo celebrandæ Missæ lib.* 2. *cap.* 7. §. 7. permittunt Sacerdoti Missam interrumpere, ut extremam Unctionem administret infirmo morti propinquo, cui nullum aliud Sacramentum potuit conferri; quoniam in hoc eventu ab unica extrema Unctione potest ille, si sit sufficienter attritus, obtinere primam gratiam justificantem, qua forte indigeat; atque in prædictis circumstantis, sive primario, & per se, sive secundario, & per accidens, ab extrema Unctione causari, docent Theologi in sequenti capite referendi.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De tempore quo infirmis Extrema Unctio est exhibenda: & quid in Synodis, & instructionibus Episcopi de dicto tempore statuere debeant.*

QUamquam demonstratum jam sit, extremam Unctionem solis infirmis esse conferendam, qui decessuri prudenter timentur, attamen dubitare quis potest, quonam infirmitatis tempore sit administranda: statim ne, detecto gravi, in quo versantur, vitæ discrimine; an potius, cum iisdem mox imminet interitus? Abusus olim in plerasque irrepserat regiones, ut sancto oleo tunc tantum linirentur infirmi, cum, prorsus desperata salute, jam jam essent extremum spiritum exhalaturi. Huic abusui ansam præbuit falsa persuasio, quæ seculo XIII. plurimorum invaserat animos, nempe, post semel receptam extremam Unctionem, non amplius licere conjugatis, si convalescerent, ad conjugale opus reverti, nullique fas esse carnes deinceps comedere, nudisque pedibus incedere: quod narrant Martene *sæpius cit. lib.* 1. *cap.* 7. *art.* 2 §. 2. & Thiers *in suo tract. de superstitione tom.* 2. *cap.* 7. Quocirca plures Synodi, eodem seculo XIII. celebratæ, populum de hoc errore, quo a Sacramento percipiendo deterrebatur, solerter dedoceri curarunt; inter quas Synodus Wigornienſis, anni 1240. *cap.* 19. *tom.* 7. Collectionis Harduini *col.* 337. ubi statuit: *Sunt quidam, ut audivimus, qui, post perceptionem hujusmodi Sacramenti, sanitati pristinæ restituti, nefas reputant vel uxores suas cognoscere, vel carnes comedere, vel etiam aliqua ratione nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem, utpote doctrinæ sanæ contrarium, exsecramur, & eos excommunicationibus, & monitionibus duximus corrigendos*: & Synodus Exoniensis anni 1287. *cap* 6. *tom.* 7. ejusdem Collectionis *col.* 1081. inquiens: *Quoniam quidam laici imperiti, de hoc Sacramento nequiter sentientes, illud abhorrent in tantum, quod vix velint illud suscipere etiam in extremis, fatue æstimantes, post ipsius susceptionem, carnis esum, nudis pedibus incessum, copulam carnalem etiam cum uxore legitima, sibi fore penitus interdicta; præcipimus parochialibus Presbyteris, ut ubi noverint tantam hæresim pullulare, contrarium prædicent.* Quibus præiverat Richardus Episcopus Sarum in Anglia, qui in suis Constitutionibus anni 1217. *cap.* 68. relato in citato Provinciali Anglicano *Cap. Cum magna, de sacra Unctione*, infirmum secreto moneri jusserat, *quod post Sacramentum susceptum licite posset reverti ad opus conjugale.* Prædicto errore eliminato, alia, insequenti ætate, alicubi invaluit opinio, quæ Fideles pariter remorabatur ab extrema Unctione recipienda, nisi jam essent in ultimo agone constituti: putabant quippe, per sacram Unctionem sibi adimi testamenti factionem, hoc est potestatem condendi testamenti. Hunc vero errorem, præcedentis seculi initio in Belgio perseverantem, proscripsit Concilium Mechlinienſe anni 1607. *tit.* 8. *cap.* 2. *tom.* 10. Collectionis Harduini *col.* 1946. inquiens: *Falluntur qui existimant, suscepto hoc Sacramento, vel testamentum condi non posse, vel spem convalescendi ob id imminui. Ideoque Pastores contrarium subinde populum doceant. Et, si forte alicubi usu introductum sit, ut testamentum a susceptione hujus Sacramenti conditum non subsistat, declarat hæc Synodus, ejusmodi consuetudinem pro corruptela habendam esse.*

II. Hac nostra ætate liberi profecto sunt Fideles ab enarratis præjudiciis: & nihilominus humani generis hostis hanc plerisque rudibus, & ignaris mentem injecit, ut credant, actum esse de vita illius, qui sancto oleo est inunctus, & solum ei superesse sepulcrum; ex quo fit, ut a sacra Unctione, perinde ac ab ipsa morte abhorreant. Opportunum idcirco, & perutile erit, ut Episcopus in sua Synodo, aut Synodali Instructione, hunc detestandum errorem, e rudium hominum mente evellere satagat: quod nos, pro nostro Pastorali munere, præstare curavimus *in nostra Instit.* 22. Quo vero facilius propositum sibi finem assequatur, suæ Synodali Instructioni rationes inferat, propter quas non decet ejusmodi Sacramentum ad tempus differri, quo *jamjam anima in primoribus*

*ribus labris laborat*; ſicuti nobis exprobrabat impius Calvinus *lib. 4. Inſtit. cap. 19.* occaſionem inde arripiens nobis illudendi, quia, *non infirmos*, ut ipſe calumniabatur, *ſed ſemimortua cadavera pinguedine inficimus*. Prima autem ratio illa eſt, quam, ad rem, de qua agimus, Fidelibus inſinuari voluit Synodus Burdigalenſis anni 1583. *tit. 13. tom. 10.* Collectionis Harduini *col.* 1347. Parochis præcipiens: *Curent etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani, & impia opinione abducere, qua plerique ſiniſtre de hujus Sacramenti virtute ſentiunt, perinde ac ſi mortem ægris acceleret; cum certum ſit, ex Apoſtoli doctrina, Deum non animæ tantum, verum etiam corpori, ſi expedierit, virtute hujus Sacramenti, ſalutem conferre*: & nuper Cardinalis de Rohan *in ſuo Rituali Argentinenſi §. 2.* inquiens: *Solantur Sacramenta, non occidunt; hoc ſæpe ſæpius Paſtor mentibus Fidelium inculcet*. Enimvero, cum inter ceteros, quos extrema Unctio producit effectus, cauſet etiam corporis valetudinem, ſi hæc conferat ad animæ ſalutem; quod non ſolum eruitur ex ſæpius allegatis verbis Apoſtoli Jacobi, ſed liquido conſtat ex Sacramentario S. Gregorii Magni, ubi ad olei infirmorum conſecrationem hæc præſcribitur Oratio: *Ut tua ſancta benedictione ſit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis, & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omneſque infirmitates, omnem ægritudinem corporis*: ac diſerte declararunt tam Eugenius IV. in citato Decreto inquiens: *Effectus eſt mentis ſanatio, &, in quantum autem expedit, ipſius etiam corporis*: Quam Tridentinum *cit. ſeſſ. 14. cap. 2.* ubi de effectibus hujus Sacramenti diſſerens, ait: *Sanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, (infirmus) conſequitur*: idcirco ad inungendum infirmum expectanda non eſt ultima ejus vitæ periodus, qua extremum agat ſpiritum: hunc enim effectum non operatur Sacramentum per modum miraculi, quod in illis circumſtantiis eſſet neceſſarium, ſed virtute quadam, ſupernaturali, quidem, ſed quodammodo ordinaria, quæ cauſas naturales adjuvat; ſicuti ratiocinatur Suarez *cit. tom. 4. diſp. 41. ſect. 3. num. 5.*

III. Altera ratio, qua efficacius alliciendi ſunt Fideles ad extremam Unctionem celeriter petendam, & recipiendam, priuſquam ſenſibus, & mente deſtituantur, deſumenda eſt ex aliis nobilioribus effectibus, quos eadem in decumbentium anima operatur, quorum haud faciliter particeps eſſe poteſt ægrotus, jam ſenſibus, & rationis uſu carens. Concilium Tridentinum *loc. modo cit.* extremæ Unctionis Sacramento non ſolam attribuit virtutem cauſandi corporis ſanitatem, ſed ceteros ejuſdem effectus ſingulatim enumerans, hæc habet: *Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur; & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; ſi in peccatis ſit dimittentur ei. Res etenim hæc gratia eſt Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi qua ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur*. Porro inter hos extremæ Unctionis effectus, a Tridentino enumeratos, curioſe magis, quam utiliter, inveſtigant Scholaſtici, quinam ſit dicendus hujus Sacramenti proprius, & primarius; & in diverſas ſcinduntur opiniones, quas ſupervacaneum eſſet hic recenſere: ſed legi poſſunt apud Suarez *cit. tom. 4. diſp. 41.* Gregorium de Valentia *cit. diſp. 8. quæſt. 1. punct. 3.* Eſtium *in 4. diſt. 23. §. 4.* Juenin *cit. diſſert. 7. quæſt. 8.* & Tournely *cit. tract. quæſt. ultim. art. 1.* Apud omnes tamen indubitatum eſſe, per ejuſmodi Sacramentum deleri peccata venialia, teſtantur Navarrus *man. cap. 22. num. 13.* & Suarez *cit. loc. ſect. 1. n. 1. & 3.* Fere etiam communiter admittunt, ejuſdem virtute interdum remitti peccata lethalia; cum ſcilicet peccator, ſufficienter ceteroquin attritus, alia Sacramenta recipere nequit, aut, poſt illa ſuſcepta, peccato irretitur, quod invincibiliter ignoret; quidquid ſit, an in hujuſmodi eventu illa remittat directe, & per ſe, ſicuti opinantur Bellarminus *de extrem. Unct. lib. unic. cap. 8. §. Dicet aliquis*, Maldonatus *de Sacram. extrem. Unct. quæſt. 2.* & Saintebeuve *de extrem. Unct. diſp. 5. art. 1.* ſive indirecte, & per accidens, uti arbitrantur Suarez *cit. loc. num. 16.* Cardinalis de Lugo *de Sacram. diſp. 9. ſect. 1. num. 7.* & Coninck *diſp. 19. de extrem. Unct. dub. 5. num. 19. & 20.* Utramque virtutem extremæ Unctioni attribuit S. Thomas *cit. lib. 4. contra Gentes cap. 73.* ubi ait: *Contingit, quod homo omnium peccatorum, quæ commiſit, notitiam, vel memoriam non habet, ut poſſit per Pœnitentiam ſingula expurgare; ſunt etiam quotidiana peccata, ſine quibus præſens vita non agitur, a quibus oportet hominem in ſuo exitu per hoc Sacramentum emundari*: & clarius *in ſupplem. 3. part. quæſt. 30. art. 1. Si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipſum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis*. Cui S. Thomæ doctrinæ adhæſit S. Carolus Borromæus *in Actis Eccleſ. Mediolanen. part. 4. pag. 541.* ubi, loquens de extrema Unctione, ait: *Prima igitur utilitas, & effectus hujus Sacramenti eſt, quod peccati reliquias tollit, tanquam complementum Sacramenti Pœnitentiæ, quæ reliquiæ peccata eſſe intelliguntur ſive mortalia, ſive venialia, quæ poſt alia Sacramenta remanent: poteſt enim fieri, ut, ignorante eo, qui commiſit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat; in quo delendo, ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri poſſet, eum per hoc Sacramentum ſalvari, qui alioqui fuiſſet damnatus*. Jam vero neutrum effectum poteſt extrema Unctio operari ſine pio aliquo ipſius ſuſcipientis actu: nec enim peccata venialia remittit abſque aliqua eorundem diſplicentia, nec lethalia delere valet ſine eorundem deteſtatione, eaque ſaltem imperfecta contritione, quæ eſt neceſſaria ad veniam, & juſtificationem aſſequendam in Sacramento Pœnitentiæ; quod cum communi advertit idem Suarez *n. 22.* Ejuſmodi autem actus cum certe elicere nequeat, qui eſt ſenſibus, & mente jam deſtitutus, niſi forte eos jam antea elicuerit, utroque ſane Sacramenti effectu fraudatur. Quocirca Catechiſmus Concilii Tridentini §. 18. *de extrem. Unct.* graviter objurgat animarum Paſtores, qui ſe falſæ vulgi perſuaſioni accommodantes, tunc primum infirmum ſacro oleo linire curant, cum vita, & ſenſibus carere incipit: *In quo tamen* (ſunt verba Catechiſmi) *praviſſime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim, ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo liniatur*. Idemque decernunt Concilium Mediolanenſe I. anni 1565. Burdigalenſe, & Remenſe ejuſdem anni 1583. Bituricenſe anni 1584. & S. Carolus Borromæus in ſuis Inſtructionibus, apud citatum Natalem Alexandrum *regul. 14.*

IV. Hæc exempla imitetur Epiſcopus, & in ſua Synodo omnem operam conferat, ut ſui diœceſani, omni, ſi quo ſint imbuti, errore abjecto, ſacram Unctionem expoſcant, ſtatim ac ex morbi violentia ſe ad interitum vergere ſentiunt, tempuſque præoccupent, quo, emota jam mente, nec Sacramenti efficaciam agnoſcere, nec illud eo devotionis affectu percipere valent, quem ad uberem ejuſdem gratiam parti-

participandam requirit S. Thomas *cit. diſt. 23. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. & 4.* & *in ſupplem. 3. part. quæſt. 32. art. 4.* Cum tamen celerem commendat hujus Sacramenti adminiſtrationem, abſtineat a verbis, quæ videantur ſignificare ejuſdem recipiendi abſolutam neceſſitatem; ne ſecus videatur *ipſe* quæſtionem dirimere hactenus indeciſam: adhuc quippe litigant Theologi, num Fideles periculoſo morbo laborantes, quique jam Pœnitentiæ Sacramento ſua peccata expiarunt, & Euchariſtico pane ſunt refecti, teneantur inſuper aut Divino, aut ſaltem Eccleſiaſtico præcepto, extremam Unctionem ſuſcipere. Negant quamplurimi magni nominis Theologi, quos citant, & ſequuntur Suarez *diſp. 44. ſect. 1. num. 4.* Henriquez *de Sacram. lib. 3. cap. 10. num. 3.* Eſtius *in 4. diſt. 23. §. 15.* Cabaſſutius *in theor. & prax. Juris Canonici lib. 3. cap. 15. num. 8.* & Sambovius *cit. tract. pag. 352.* qui tamen hanc addit limitationem, niſi ægrotus gravibus prematur tentationibus, ad quas ſuperandas novo indigeat hujus Sacramenti munimine. Contra, quemlibet, in eo ſtatu, jure tam Divino, quam Eccleſiaſtico, obſtringi ad ſacram recipiendam Unctionem, ſentire videntur Magiſter Sententiarum, & S. Bonaventura *in 4. diſt. 23. circa textum*, Petrus Sotus *lect. 2. de extrem. Unct.* & expreſſe defendunt Juenin *cit. diſſert. 7. quæſt. 9. cap. 2.* ac Tournely *cit. quæſt. ult. art. 2.* quibus non obſcure favet Concilium Colonienſe I. anni 1536. *part. 7. cap. 50. tom. 9.* Collectionis Harduini *col. 2011.* ubi cum dixerit: *Eſt autem Unctio imponenda, cum expoſitione Unctionis, & mandati Apoſtolici, quod ſic habet: Infirmatur aliquis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.* indicavit profecto, ſe in hiſce Apoſtoli verbis verum præceptum agnoſcere. Verum, etſi expediat, ut Epiſcopus hanc controverſiam declinet, indubitanter tamen aſſerere poterit, non poſſe, ſine gravi culpa, ejuſmodi Sacramentum aut contemni, aut cum aliorum offenſione, & ſcandalo negligi, & prætermitti; id ſiquidem a nemine negari fatetur Suarez *cit. loc. num. 5. & 6.* nec præterea incongruum eſſet addere, facile Sacramenti contemptum præſumi in infirmo, qui, cum vita periclitetur, extremam Unctionem, ſciens, & volens, petere negligit, multoque magis, ſi eam ſibi a Parocho exhibitam recipere renuat. Propterea Synodus Colonienſis II. anni 1549. *cap. 38. tom. 9.* Collectionis Harduini *col. 2110.* idem eſſe rata, Sacramentum reſpuere, ac contemnere: *Relatum nobis in Concilio eſt, impios quoſdam homines, infirmitatis ſuæ tempore, Unctionem ſacram reſpuiſſe, ac contempſiſſe:* hujuſcemodi homines Eccleſiaſtica ſepultura privandos decrevit: quod recte ponderant Natalis Alexander *cit. loc. regul. 20.* ac modo laudati Juenin, & Tournely.

## CAPUT OCTAVUM.

*De Ordine, quo extrema Unctio infirmis adminiſtranda eſt; & de reiteratione adminiſtrationis ejuſdem Sacramenti.*

SEd & illud quoque edoceri cupiunt Parochi, quonam ordine debeant extremam Unctionem infirmis adminiſtrare, ante ne, an poſt Sanctiſſimi Chriſti Corporis Viaticum? Nemo, qui Eccleſiaſticæ hiſtoriæ non ſit omnino imperitus, inficiabitur, uſum quondam fuiſſe, ut ſacro oleo linirentur infirmi poſt peractam quidem ſacramentalem Confeſſionem, ſed priuſquam Chriſti Corporis reficerentur Viatico: quod multis exemplis probat Suarez *diſp. 44. ſect. 1. num. 8.* atque ex pluribus Ritualibus, ac Synodorum ſtatutis demonſtrant Launojus *obſervat. 8. tom. 1. Oper. pag. 608.* Hugo Menardus *nota 915. in Sacramentar. S. Gregorii*, Van-Eſpen *Jur. Eccleſ. univ. part. 2. tit. 8. cap. 2. n. 22. & ſeq.* Martene *de antiq. Eccleſ. ritib. lib. 1. cap. 7. art. 2. num. 3.* Saintebeuve *cit. tract. diſp. 8. art. 3.* & fuſe Pouget *Inſtitutionum Catholicarum tom. 2. part. 3. ſect. 1. cap. 6. §. 4.* Neque ad hanc inducendam conſuetudinem, legitimam defuiſſe cauſam, ait citatus Suarez: cum enim extrema Unctio ſit *perfectio, & conſummatio Pœnitentiæ*, uti communiter appellatur a Patribus, quæ peccatorum reliquias abſtergit, uti a Tridentino edocemur; non ſine rationabili cauſa Pœnitentiæ conjungebatur: ut per utrumque Sacramentum homo perfecte expiatus, ſine ulla animæ ſorde cæleſtem panem deguſtaret. At nihilominus prædicta conſuetudo ne priſcis quidem temporibus fuit ubique, atque apud omnes inviolate ſervata: alia quippe præſto ſunt æque vetuſta Eccleſiarum ſtatuta, ſacram Unctionem poſt Viaticum exhiberi præcipientia; nec deſiderantur exempla ſanctorum virorum, qui Viaticum extremæ Unctionis præmiſerunt, quæ pari diligentia congeſta, atque ingenue producta ſunt a citato Martene *eod. art. 2. num. 4.* Hæc vero poſterior praxis adeo poſtea prævaluit, ut Catechiſmus Concilii Tridentini, S. Carolus Borromæus in ſuis Inſtructionibus, ac innumera Ritualia, extremam Unctionem poſt Viaticum præberi decreverint; quemadmodum animadvertit Cardinalis Sanctorius *in ſuo Rituali pag. 323. Quamvis apud veteres aliquando conſuetudo fuerit, ut poſt Pœnitentiam, & reconciliationem infirmorum, extrema primum eis Unctio, ac deinde ſacra Communio exhiberetur (ut ex diverſis Sacris Canonibus, ac vetuſtis codicibus, Pontificalibus, & Ordinibus adminiſtrandorum Sacramentorum manifeſte liquet); poſtea tamen ex generali conſuetudine, quæ & hodie univerſaliter in Latina, & Occidentali Eccleſia viget, factum eſt, ut prius ſacra Communio, poſtmodum vero extremæ Unctionis Sacramentum infirmis exhibeatur. Atque ideo & hunc ordinem hic ſervare oportet.* Hujus porro diſciplinæ mutationis aliam æque rationabilem cauſam affert idem Suarez *num. 8.* quia ſcilicet (ſunt ejus verba) Euchariſtia, *ut cibus ad confortandum in via præbetur, & ideo, ut detur, non eſt expectandum ultimum vitæ periculum: hoc vero Sacramentum exeuntium eſt, quaſi in ultimum ſubſidium inſtitutum.*

II. Sed, licet res ita ſe habeat, aliqua nihilominus Ritualia collecta a Pouget *Catholic. Inſtit. loc. cit.* extremam Unctionem ante Viaticum conferri permittunt, ſi ægrotus, ex pio deſiderio ſe melius ad Euchariſtiam præparandi, ita ſecum fieri expoſtulet. Idem indulget etiam Cardinalis de Rohan *in ſuo cit. Rituali Argentinenſi §. 2.* ubi hæc habet: *Si eodem tempore ægroto detur Euchariſtia, & extrema Unctio, hæc ante illam dari poterit, ſi ita fieri poſtulet ægrotus: & pia illa ægrotorum poſtulatio hiſce fulcitur momentis; quod nempe, quia effectus Unctionis extremæ abſterſio eſt reliquiarum peccati, ipſa Unctio extrema ſpectari poteſt quaſi amplior ad Euchariſtiam præparatio; & quod aliunde eam ante Viaticum conferendi uſus antiquus eſt, & probatur, licet non ubique admiſſus. Faciat autem ſuper ea re Parochus, quod magis expedire videbitur pro aſtantium ædificatione, maxime autem pro temporis opportunitate; ſi enim vis morbi urgeret, Viaticum primo detur, & poſtea extrema Unctio miniſtretur.* Verum nos, quamquam hanc permiſſionem nequaquam improbemus; ſiquidem a laudato Suarez diſcimus, contrariam conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, a Concilii Tridentini Cateſchiſmo pariter approbatam, non eſſe ſub gravi ſaltem obligatione, ab omnibus Chriſtiani orbis regionibus receptam, ac præterea a Natali Alexandro *cit. loc. regul. 21.* accipimus, apud Ciſtercienſes etiam hodie perſeverare antiquum morem ſacram Unctionem præmittendi Viatico: nihilominus in locis, in quibus hic mos obſolevit, vigetque diſciplina a Concilii Tridentini Catechiſmo præſcripta,

non

non facile permitteremus ab hac recedi, ſolum ad indulgendum privatæ, & peculiari infirmi devotioni: ſed potius Parochis injungeremus, ut extremam Unctionem petentibus ante Viaticum, ſuaderent, tutius, & utilius fore, Eccleſiæ Romanæ ritui ac uſui, a majori parte Eccleſiæ Catholicæ jam recepto, ſe accommodare.

III. Dicendum nunc reſtat de hujus Sacramenti iteratione. Labente ſeculo XI. & ineunte XII. hac nonnulli imbuti erant opinione, ut illicitum reputarent, Fidelem ſancto oleo ſemel inunctum, unquam deinceps eodem linire: & ſi vera narrarent Ciaccónius, & Ughellius, eadem opinio, ſaltem apud aliquos, etiam ſeculo XV. perſeveraſſet: ambo enim referunt, ille *tom. 2. in Vita Pii II. pag.* 1005. hic vero *Italiæ ſacræ tom. 2. pag.* 553. diſputatum fuiſſe, an ſummo Pontifici Pio II. graviter ægrotanti, adminiſtrari poſſet extrema Unctio, ſeo quod pluribus antea annis eam recepiſſet Baſileæ, cum peſte laboraret, quæ in ea urbe graſſabatur. Verum, cum hujus memorandi certe facti nulla mentio occurrat neque in Vita ejuſdem Pii II. a Joanne Antonio Campano, Epiſcopo Aprutino, accurate deſcripta, neque in Commentariis Cardinalis Papienſis, qui ceteroquin quam minutiſſime ſcribit, quæ in Pii II. morte contigerunt, illud propterea aut fabuloſis, aut ſaltem ſuſpectis narrationibus accenſemus. Opinabantur alii, extremam Unctionem poſſe iterum eidem conferri, modo tamen a die, qua ſemel inunctus fuerat, tres integri anni effluxiſſent. Hanc falſam perſuaſionem ſibi induxiſſe Monachos Hirſaugienſes, refert Auctor *Veteris Diſciplinæ Monaſticæ in præfat. cap.* 128. ubi poſtquam antiquum exhibuit eorundem Monachorum uſum ponendi infirmum, extrema Unctione jam munitum, & cui mortis momentum inſtaret, *ſuper ſagum cilicinum cinere aſperſum*; hæc ex Guidone Farfenſi addit: *Ceterum Hirſaugienſes exiſtimabant Unctionis Sacramentum ab eodem iterari non poſſe, niſi effluxo triennio: hinc ſtatuerunt, eundem Fratrem, ſi mortem evaſerit, poſt tres annos iterum perungi poſſe.* Cenſuerunt denique alii, apud Petrum Cantorem *in Summ. cap.* 132. & Durandum *lib. 1. Rational. Divin. Offic. cap.* 8. *num.* 25. non licere extremam Unctionem intra ejuſdem anni ſpatium repetere, etiamſi contingeret, quempiam in periculoſum morbum iterato incidere. In hac ſententia fuit ille idem anonymus Auctor codicis Turonenſis, cujus ſupra meminimus; ait quippe: *Nonniſi menſe ſemel tantum communicet æger. Hic idem ſolo non bis ungatur in anno.* Neque eam ſeculo XVI. ab omnium mente delatam, colligimus ex Synodo Iprenſi, eodem ſeculo labente, habita ab Epiſcopo Rithovio, in qua *tit. 17. cap.* 3. poſtquam declaratum fuit, poſſe extremam Unctionem, quandocumque opus fuerit, eidem denuo adminiſtrari, additum legimus: *Proinde conſuetudinem, ſecundum quam non conſuevit hoc Sacramentum intra annum ſecundo ſuſcipi, etiamſi altera gravis obveniat infirmitas, tamquam noxiam abrogemus.* Equidem jamdiu antea prævaluerat, & communi uſu recepta, atque approbata fuerat ſententia, hujus Sacramenti iterationem permittens, quotieſcumque Fidelis in novum incidit morbum, & in diverſum adducitur vitæ diſcrimen. Ideo enim, uti ratiocinatur S. Thomas in *ſupplem. 3. part. quæſt. 33. art.* 1. Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis nequeunt, ſine ſacrilegio, iterari, quia imprimunt characterem, & producunt effectum perpetuum: *Sacramentum autem, quod habet effectum non perpetuum, poteſt iterari ſine injuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia ſanitas corporis, & mentis, quæ eſt effectus hujuſmodi Sacramenti, poteſt amitti, poſtquam fuerit per Sacramentum effecta; ideo hoc Sacramentum, ſine ſui injuria, poteſt iterari.* Idem, quod S. Thomas, docuere Magiſter ſententiarum *in 4. diſt.* 23. Guillelmus Altiſſiodorenſis *lib. 4. Summ. tract. 7. cap.* 2. S. Bonaventura *in 4. diſt.* 23. *art. 2. quæſt.* 4. ceterique Scholaſtici, quorum ſententiam ſua tandem infallibili auctoritate firmarunt Tridentini Patres *ſeſſ. 14. cap.* 3. definientes: *Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt, cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint.*

IV. Verum, adeo diverſa ſunt hominum ingenia, illud idem Sacramentum, quod plerique nunquam iterari poſſe affirmarunt, alii etiam in eadem infirmitate, ſæpius repeti voluere: etenim in antiquo codice manuſcripto S. Remigii, circa annum milleſimum exarato, & prolato ab Hugone Menardo *in notis ad Sacramentar. S. Gregorii* ſtatuitur, infirmos vita periclitantes, per ſeptem continuos dies & Chriſti Corporis Viatico recreandos, & ſancto oleo eſſe perungendos: eundemque ritum clarius adhuc, & magis aperte præſcribunt Theodulphus Aurelianenſis *in ſuo ſecundo Capitulari*, apud Baluzium *tom. 7. Miſcell.* aliique multi antiqui libri rituales, apud Martene *cit. lib. 1. cap. 7. art. 2. num.* 5. Sed uſus poſtea ab univerſa Eccleſia receptus, a Theologis communi calculo approbatus, & Synodorum, ac Ritualium auctoritate roboratus, obtinuit, ut ſemel duntaxat, in eadem infirmitate, extrema Unctio adhibeatur: una ſiquidem neceſſarias ſuppeditat vires ad illa incommoda evitanda, quæ morbus affert, quo actu æger laborat. Atque, ut Theologos prætermittamus, qui innumeri ſunt, ita ſervandum decernunt ſtatuta Synodalia Danielis Nannetenſis, Stephani Pariſienſis Epiſcopi, Synodus Cameracenſis anni 1586. *tit. 12. cap.* 4. Paſtorale Mechlinienſe, Viennenſe, Lemovicenſe, aliaque quamplurima congeſta a Launojo *tom. 1. pag.* 552. & Van-Eſpen *cit. part. 2. tit.* 8. *cap.* 3. *num.* 32. *& ſeq.* Durante autem eadem infirmitate, ſi poſt ſuſceptam extremam Unctionem morbus ita remittat, ut ægrotus mortis periculum evaſiſſe videatur, ſed, antequam convaleſcat, iterum in vitæ diſcrimen relabatur, etiam juxta præſentem diſciplinam, poterit, abſque ſcrupulo, denno ſacra Unctione muniri; quemadmodum diſerte tradit D. Thomas *in 4. diſt.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 4. §. *Ad ſecundam quæſtionem*, inquiens: *Hoc Sacramentum non reſpicit tantum infirmitatem, ſed etiam infirmitatis ſtatum; quia non debet dari niſi infirmis qui ſecundum humanam æſtimationem videntur morti appropinquare. Quædam ergo infirmitates non ſunt diuturnæ: unde, ſi in eis datur hoc Sacramentum, tunc cum homo ad illum ſtatum perveniat, quod ſit in periculo mortis, non recedit a ſtatu illo, niſi infirmitate curata; & ita iterum non debet inungi; ſed, ſi recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero ſunt ægritudines diuturnæ, ut hectica, & hydropiſis, & hujuſmodi: & in talibus non debet fieri inunctio, niſi quando videntur perducere ad periculum mortis: &, ſi homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad ſimilem ſtatum per illam infirmitatem reducatur, iterum poteſt inungi; quia jam eſt quaſi alius infirmitatis ſtatus, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter.* Idem, quod a D. Thoma audivimus, decernunt Synodus Lingonenſis anni 1404. Senonenſis anni 1524. Carnotenſis anni 1526. apud Natalem Alexandrum *ſupra cit. lib. 2. cap. 5. regul. 19.* quibus conſentiunt Rituale Romanum *tit. de extrema Unctione*, Rituale Cardinalis Sanctorii *pag.* 324. ubi legitur: *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, niſi diuturna ſit, & infirmus, cum viſus eſſet melius ſe habere, iterum in periculum mortis incidit:* Rituale Argentinenſe *tit. de extrema Unctione* §. 4. ac omnia Paſtoralia modo commemorata: uti videre eſt apud citatum Van-Eſpen,

qui

UAB Biblioteca de Ciències Socials



qui non inopportune Parochos monet, ne nimium ſcrupuloſe in hoc ſe gerant; ſed, ſi dubitent, an revera morbi ſtatus ſit mutatus, ſeu num idem, vel diverſum ſit vitæ periculum, in quo ægrotus verſatur, expedire ait, ut ad Sacramenti iterationem propendeant, eo quod hæc iteratio conformior ſit veteri Eccleſiæ conſuetudini, & per eam novum ſpirituale ſubſidium, & levamen infirmo obveniat.

## CAPUT NONUM.

*De cautela in conſtitutionibus Synodalibus adhibenda, cum in eis agitur de Sacramento Ordinis. Plura de quæſtione, utrum in cujuslibet Ordinis minoris collatione verum conficiatur Sacramentum, quam nonnulli Epiſcopi in ſuis conſtitutionibus Synodalibus aut decidiſſe, aut ignoraſſe viſi ſunt.*

VIdimus multis in Synodis, cum de Sacris Ordinationibus habetur ſermo, graviter increpari, qui ad Ordines ſuſcipiendos accedere audent cum conſcientia peccati lethalis, eoſdemque ſacrilegii reos denuntiari, eo quod Ordinationis Sacramentum, quod, vivorum cum ſit, exigit in ſuſcipiente ſtatum gratiæ, mortali culpa fœdati participare præſumunt. Equidem ejuſmodi reprehenſionem ſummopere commendamus; multis quippe nominibus illicitum, & turpe credimus, quempiam ullo etiam minori Ordine initiari, qui gravis culpæ reatu ſe non ignorat obſtrictum: cui enim nefas non videatur, inter Eccleſiæ Miniſtros cooptari, ſacriſque addici miniſteriis, qui actu eſt dæmonis ſervituti alligatus? Fatemur præterea, ejuſmodi hominem vix eximi poſſe a ſacrilegii reatu; tum quia plerumque, poſt ſuſceptum etiam minorem Ordinem, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ fit particeps: tum quia, quamvis ab hac percipienda abſtineat, adhuc ſe exponit periculo ſacrilegii: quod recte notavit Juenin *diſſert.* 8. *quæſt.* 7. *cap.* 2. *in princ.* & ex mox dicendis patebit. Sed non itidem approbamus adjectam objurgationis cauſam, quæ diſplicet etiam Navarro *manual. cap.* 22. *num.* 18. *verb. Quare probabilis*: per eam ſiquidem videtur affirmari, & pro certo haberi, in cujuslibet etiam minoris Ordinis collatione verum confici Sacramentum; quod tamen eſſe in quæſtione poſitum, ad rem monuit idem Navarrus, & hic paucis exponemus.

II. Ordinem, ſeu verius ſacram illam cæremoniam, qua inaugurantur Eccleſiæ Miniſtri, cujus effectus eſt ipſe Ordo, eſſe verum, & proprium novæ Legis Sacramentum, perfracte quidem negarunt Lutherus *in lib. de captivit. Babylon. cap. de Ordine*, Illyricus *in confeſſ. Antuerpienſi cap.* 11. Kemnitius *in* 2. *part. examinis Concilii Tridentini diſp. de Sacram. Ordin.* aliique Novatores; ſed omnes Orthodoxi conſtanter aſſerunt, & definitum eſt a Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 3. *Cum, ſcripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram Ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis*; & *can.* 3. Novatorum perſtringens audaciam: *Si quis dixerit, Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere, & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum: vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi Miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema ſit.* Hinc omnes Theologi inferunt, Fide Divina tenendum, ſaltem Ordinationem Sacerdotum eſſe verum, & proprium Sacramentum: ad veritatem enim prædictæ definitionis univerſalis, neceſſe eſt, ut ea ad minimum complectatur Ordinum præſtantiſſimum, quale eſt Sacerdotium. Inter eoſdem etiam communiter convenit, veram Sacramenti rationem participare Epiſcopatum, & Diaconatum; quin immo de Epiſcopatu, etiamſi ab aliquibus non cenſeatur Ordo diverſus a Sacerdotio, cujus tamen, juxta omnes, eſt extenſio, perfectio, & complementum, id eſſe pariter de Fide affirmat Petrus Soto *in Inſtit. Sacerdotum lect.* 4. *de Sacram. Ord.* aut ſaltem non poſſe, ſine periculo, & gravis erroris nota, hoc tempore negari, aſſerunt Medina *lib.* 1. *de ſacrorum hominum continentia cap.* 15. & Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *part. S. Thom. diſp.* 240. *cap.* 4. *in princ.* De Diaconatu vero, quamvis Bellarminus *Controv. tom.* 3. *de Sacram. Ord. cap.* 6. *in princ.* exiſtimet, id non eſſe de Fide: *Quare non poteſt id evidenter deduci ex verbo Dei ſcripto, vel tradito; neque extat ulla Eccleſiæ, de hac re, expreſſa determinatio*: idemque aſſerant Dominicus Soto *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 4. & Eſtius *eadem diſt.* §. 8. *verſ. Ad quæſtionem porro*: attamen ex Tridentini definitione liquido inferri autumat Vaſquez *eodem tom.* 3. *diſp.* 238. *cap.* 2. inquiens: *Ego tamen valde miror, viros non vulgariter doctos aut decretum Concilii Tridentini ſeſſ.* 23. *can.* 6. *non legiſſe, aut plane non intellexiſſe, ubi definitur in hunc modum: Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam, Divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit. Ex quo canone expreſſe liquet, Hierarchiam jure Divino inſtitutam, non ſolum conſtare Epiſcopis, & Presbyteris, ſeu Sacerdotibus, ſed etiam Miniſtris. Per Miniſtros autem, ut minimum Diaconos intelligere oportet: cumque de ceteris inferioribus Ordinibus nemo, etiam probabili conjectura ductus, aſſerere poſſit, canonem eſſe intelligendum, ſupereſt, ut dicamus, de Diaconis non poſſe non intelligi.*

III. Conſulto autem, pergit Vaſquez, Concilium eam vocem *Miniſtris* adhibuit, ut Diaconos denotaret: *de reliquis autem nihil definiret, ſed ſcholæ diſputationi relinqueret*: ſiquidem quæſtio valde admodum difficilis, & implexa eſt, an reliqui Ordines, Diaconatu inferiores, verum ſint Sacramentum. Omnes veram Sacramenti rationem participare, docent S. Thomas *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 3. & *in ſupplem.* 3. *part. quæſt.* 37. *art.* 2. S. Bonaventura *in* 4. *diſt.* 24. *art.* 2. *qu.* 4. Franciſc. Victoria *in Summ. de Sacram. quæſt.* 226. Petrus Soto *de Inſtit. Sacerdotum lect.* 4. *circa medium*, Sylveſter *in Summ. verb. Ordo* 1. *quæſt.* 1. *in fin.* & *quæſt.* 2. *in princ.* Melchior Canus *de Loc. Theolog. lib.* 3. *cap.* 4. Bellarminus *cit. lib.* 1. *de Sacram. Ord. cap.* 7. & 8. quorum ſententiam & communiorem, & probabiliorem vocant Gregorius de Valentia *tom.* 4. *diſput.* 9. *quæſt.* 1. *punct.* 4. §. *Tertia opinio*, Hallier *de ſacris Elect. & Ordinat. part.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. *art.* 2. §. 6. & 7. Cabaſſutius *in theor. & prax. Jur. Canonic. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 3. Auctor Theologiæ moralis ad uſum Seminarii Petrocorenſis *tom.* 4. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *quæſt.* 4. & 5. & Eſtius *in* 4. *diſt.* 24. §. 8. *verſ. Alii denique*, qui etiam paulo inferius *verſ. Ad quæſtionem porro*, ſibi videri addit, in hanc ſententiam propendere Concilium Florentinum, ac Tridentinum. Nec præterea defuere aliquot Juris Canonici Periti, quos refert Vaſquez *diſp.* 237. *cap.* 1. qui etiam primæ Clericali Tonſuræ veram Sacramenti rationem adſcripſerint.

IV. Cenſent alii, ex Ordinibus, infra Diaconatum, ſolum Subdiaconatum pertinere ad Sacramentum Ordinis; ceteros vero, quamvis certum Miniſtrorum ordinem in Eccleſia conſtituant, ad Sacramenti tamen dignitatem non aſſurgere opinantur. Ita ſentiunt Michael Medina *lib.* 1. *de Continent. cap.* 46. Vaſquez *cit. diſp.* 237. *cap.* 2. & *diſp.* 238. *per tot.* & Navarrus *man. cap.* 22. *num.* 18. *verſ. Quare probabilis videtur*: in quorum ſententiam videtur nonnihil inclinare Cardinalis

nalis Bona *Rer. liturgic. lib.* 1. *cap.* 25. ubi *num.* 16. *de Subdiaconis* dubitat, an fuerint a Chriſto Domino inſtituti: *Secundus Miniſtrantium locus Subdiaconorum eſt, quorum licet expreſſa mentio in ſacris litteris non reperiatur, eorum tamen inſtitutio vel ad Chriſtum, ut recentiores Scholaſtici exiſtimant, vel ad Apoſtolos referenda eſt:* ceteros vero inferiores Ordines recentioris eſſe inſtituti, non obſcure affirmat, inquiens *ſeq. num.* 17. *Tertia claſſis Miniſtrantium Clericos minorum Ordinum complectitur; Acolythos ſcilicet, Exorciſtas, Lectores, & Oſtiarios: quos antiquiſſimos eſſe, & ab Apoſtolis, vel ab immediatis eorum Succeſſoribus inſtitutos, Doctores ſcholaſtici aſſerunt, ſed non probant.*

V. Alii denique omnibus Ordinibus, exceptis Presbyteratu, & Diaconatu, veram Sacramenti rationem, virtutem, & excellentiam adimunt. Hanc ſententiam tenuit Scholaſticorum princeps Petrus Lombardus *lib.*4. *diſt.* 24. quem a ſuis diſcipulis pene relictum ſectati poſtea ſunt Habertus *in notis ad Pontificale Græcorum pag.* 48. Goarius *in notis ad Euchologium pag.*247. Morinus *de ſacrar. Ordinat. exercit.*11. *cap.*1. *num.*3. ubi tanta firmitate huic ſententiæ inhæret, ut eidem neminem facile contraire poſſe arbitretur: *Cum ego examino, & perpendo* (ait Morinus) *antiquiorum Patrum de Subdiaconatu, & minoribus Ordinibus teſtimonia, propoſitionem illam, qua aſſeritur, & Subdiaconatum, & quatuor minores Ordines non eſſe Sacramenta, judico tam eſſe certam, & evidentem, ut, qui ea conſideraverit, ire contra vix poſſit.* Morino conſentiunt Juenin *de Sacram. diſſert. 9. quæſt. 6. cap.* 1. Tournely *de Sacram. Ord. quæſt.6. art.* 4. & 5. aliique plurimi recentiores, Boucat *in Theologia Patrum tom.* 5. *diſſert.* 6. *de Ordinis inſtitutione art.* 8. ubi late oſtendere conatur, opinionem hanc eſſe valde probabilem, Vuitaſſe *in tract. de Sacram. Ordinis part.*2. *quæſt.*4. *art.*2. Habert *in Theologia dogmatica & morali tom.*7. *de Ordine part.* 1. *cap.* 6. *per tot.* Herminier *in tract. de Sacramentis tom.* 3. *cap.*3. *concluſ.* 3. & 4.

VI. Ideo autem Doctores in tot diverſas ſciſſi ſunt opiniones, quia obſcura, & incerta eſt Ordinum, infra Diaconatum, origo, a qua unice pendet quæſtionis deciſio: etenim, ſi ea referenda ſit ad Chriſti Domini inſtitutionem, nemo audebit illis detrahere Sacramenti dignitatem, cujus cetera habere requiſita, facile demonſtrabunt: ſi vero adinventi, & conſtituti ſint ab Eccleſia, non poterunt ſane veram participare rationem Sacramenti, ad quod de novo inſtituendum ſola Eccleſiæ auctoritas non protenditur. At hanc originem indagare eſt operoſum, aſſequi vero fere impoſſibile. Fatentur omnes, in ſacris litteris nullam fieri mentionem de Ordinibus Diaconatu inferioribus: ſed non exinde recte inferri, eos non eſſe a Chriſto Domino inſtitutos, ajunt Auctores primæ ſententiæ; potuit quippe evenire, eorundem inſtitutionem fuiſſe a Chriſto Domino Apoſtolis ore traditam; atque ita reapſe eveniſſe, hac ratiocinatione plane oſtendi opinantur. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur:* firmiſſima regula eſt, quam nobis præbet Auguſtinus *lib.* 4. *contra Donatiſtas cap.* 24. *num.* 31. *tom.* 9. *Oper. col.*140. Hanc autem regulam rei noſtræ convenire, eſt manifeſtum: etenim quin ullum reperiatur Concilium, in quo inſtituti fuerint Ordines Diaconatu inferiores, eos nihilominus ſemper, ab Eccleſiæ primordiis, in Eccleſia fuiſſe, ſemperque conſtanter retentos, ſcimus. Equidem, quod ſpeciatim attinet ad Subdiaconatum, expreſſam illius mentionem faciunt Cyprianus *epiſt.* 42. Synodus Eliberitana *can.* 30. *tom.*1. Collectionis Harduini *col.* 253. Laodicena *can.* 21. & 22. *ibid. col.* 785. Athanaſius *epiſt. ad Solitarios*, & Synodus Carthaginienſis IV. anni 398. *cap.* 5. *tom.*1. Collectionis Harduini *col.*979. Quod verò ad alios pertinet minores Ordines, idem Cyprianus *in eadem epiſtola*, præter Hypodiaconum, nominat Acolythum, cujus pariter meminit Auguſtinus *epiſt.* 194. alias 104. quam ſe, per Albinum Acolythum, Sixto miſiſſe ſignificat. Cyprianus itidem *epiſt.*33. affirmat, Aurelium Confeſſorem fuiſſe a ſe in Lectorem ordinatum. Et Confeſſores ad eundem Cyprianum ſcribentes *epiſt.*17. & Lectorem, & Exorciſtam commemorant: *Præſente* (inquiunt) *de Clero & Exorciſta, & Lectore.* Lectoris quoque fit mentio in Concilio Sardicenſi anni 347. *can.* 13. *tom.*1. Collectionis Harduini *col.*645. & Chalcedonenſi *can.*13. *tom.*2. ejuſdem Collectionis *col.*607. Narrat præterea Theodoretus *lib.*3. *cap.*2. Socrates *lib.* 3. *cap.* 1. Julianum, ante apoſtaſiam, fuiſſe Lectorem in Eccleſia, & poſt apoſtaſiam juſſiſſe, ut, ad inſtar Eccleſiæ Catholicæ, in templis Gentilium eſſent Lectores. Sed, quod magis eſt, Cornelius Papa epiſtola ad Fabium, Epiſcopum Antiochenum, circa annum 251. exarata Romanum Clerum enumerans, omnes nominatim & majores & minores Ordines recenſet, Romæ adeſſe affirmans *num.*3. ex recenſione Conſtant *col.* 150. *Presbyteros quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos duos & quadraginta, Exorciſtas autem, & Lectores, cum Oſtiariis, quinquaginta duos.* Et citata Synodus Carthaginienſis IV. *can.* 5. 6. 7. 8. & 9. non ſolum ſingulos prædictos Ordines nominat, ſed modum deſignat, quo eorum quilibet ab Epiſcopo conferretur. Porro recentiores hujus ſententiæ patroni miſſa faciunt antiquiora teſtimonia, quæ ad eandem roborandam aſſertionem olim proferebantur ex Canone Apoſtolorum LXIX. ex Conſtitutionibus Apoſtolicis *lib.*3. *cap.*11. ex epiſtola Ignatii ad Antiochenos, ex Dionyſio *cap.*3. *Eccleſ. Hierarch.* atque ex Synodo Romana ſub Silveſtro, in quibus iidem Ordines ſingillatim pariter enumerantur; quia ſciunt, ab hodiernis Criticis rejici, & ſuppoſititia haberi: neque hiſce dubiis monimentis ſe indigere autumant, cum ex allatis, certo genuinis, ſatis luculenter demonſtratum credant, omnes Ordines ab Apoſtolis ad nos perveniſſe. *Si enim* (concludit Melchior Canus *cit. lib.* 3. *cap.*4. ubi regulam ab Auguſtino acceptam rei, quam verſamus, applicat) *conſuetudinis cujuſquam, diu in tota Eccleſia obſervatæ, originem, & principium nec ad ſummos Pontifices, nec ad Concilia Epiſcoporum referre poſſumus; ſed ea conſuetudo ad Apoſtolorum uſque tempora retrotrahitur: conficitur plane, illam ab Apoſtolis eſſe profectam.*

VII. Verum plura ad hæc reponunt Auctores contrarii. Atque in primis, eſto (inquiunt) omnium Ordinum origo ad Apoſtolos referatur, attamen non inde conficitur, eos eſſe a Chriſto Domino, omnium Sacramentorum novæ Legis primo, & unico Auctore, inſtitutos; ut enim ibidem fatetur idem citatus Melchior Canus, *ipſimet* Apoſtoli pleraque ad Eccleſiæ utilitatem conſtituere poteſtate quidem a Chriſto Domino accepta, ſed quæ ſibi non fuerant ab eodem Chriſto immediate tradita, quæque propterea obnoxia fuere mutationibus, quibus certe non potuerunt ſubeſſe præcepta a Chriſto data, multoque minus Sacramenta ab eodem inſtituta. Hujus autem ſecundi generis eſſe Ordines Diaconatu inferiores, etiamſi Apoſtolis ſuam deberent inſtitutionem, vel ex hoc evidenter conſtat, quod nec ſemper, nec ubique iidem, atque eodem numero ſint habiti. Etenim Eccleſia Græca, quidquid ſit, an proxima ab Apoſtolis ætate omnes habuerit minores Ordines, quod negat quidem Morinus *exercit.* 14. *cap.* 1. ſed affirmat Schelſtratus *ad Concil. Antiochen. diſſert.*4. *cap.* 17. & pluribus probat Hallier *de ſacr. Elect. & Ord. part.*2. *ſect.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. §. 4. *num.* 27. nunc certe alios Ordines infra Diaconatum non admittit, niſi Subdiaconatum,

& Lectoratum, ceteros vero in ſuis Euchologiis, a mille, & amplius annis, nunquam recenſuit. Similem mutationem factam deprædicant in Eccleſia Latina, in qua ultra quatuor minores Ordines, quos retinemus, quondam numerabatur etiam Ordo *Cantorum*, ſeu *Pſalmiſtarum*, de quo fit expreſſa mentio in Concilio Carthaginienſi III. anni 397. *can.* 21. *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 963. *Unum Clericum alienum, niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Eccleſia ſibi credita. Clericorum aut nomen etiam Lectores, & Pſalmiſtæ, & Oſtiarii retinent*: & in citato Concilio Carthaginienſi IV. *can.* 10. ubi ſpecialis ritus præſcribitur ordinandi Pſalmiſtam, ſeu Cantorem: & magis diſerte Iſidorus Hiſpalenſis *etymol. lib.* 7. *cap.* 12. relat. *in Can. Cleros diſt.* 21. inter Eccleſiæ Miniſtros proprium, & diſtinctum locum aſſignat Pſalmiſtis: *Generaliter Clerici nuncupantur omnes, qui in Eccleſia Chriſti deſerviunt, quorum gradus, & nomina ſunt hæc: Oſtiarius, Pſalmiſta, Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Epiſcopus*. Præter Cantores, fuiſſe etiam decantant alios minores Ordines, poſtea obliteratos, præcipue *Foſſariorum*, qui etiam *Laborantes*, & *Copiatæ* ſunt appellati; *Cuſtodum* Martyrum, & *Notariorum*. De Foſſariis, quorum officium erat operam impendere in ſepeliendis Fidelium corporibus, meminit Hieronymus, ſeu quicumque ſit Auctor tractatus *de ſeptem Eccleſiæ gradibus*, ad Ruſticum Narbonenſem: iidemque Clericis annumerantur in Codice Theodoſiano *leg.* 15. *tit. de Epiſcopis lib.* 16. Cuſtodibus Martyrum, ita dictis, quod ipſis concrederetur cuſtodia Eccleſiarum, ubi ſepulta erant Martyrum corpora, peculiarem in Eccleſia gradum attribuit Synodus, quæ dicitur Romana, ſub Silveſtro Papa, ubi de iis, qui in Eccleſia militare, ac proficere deſiderant, decernitur, ut in pluribus gradibus, aliquo temporum intervallo, morentur, ac quinque annis Cuſtodes Martyrum exiſtant, antequam ad Diaconatus, vel Presbyteratus Ordinem aſcendant: quamvis enim hæc Synodus ſpuria *habeatur*, exhibet tamen diſciplinam *ſexti ſeculi*, quo creditur conficta. Notarios *denique*, *qui* curam habebant inſtrumentorum, & tabularum Eccleſiæ, peculiarem conſtituiſſe Clericorum Ordinem, colligunt ex Ennodio Ticinenſi in Vita Antonii Monachi Lirinenſis, quem refert a Coſtantino Antiſtite, inter Eccleſiaſticos Exceptores, ſeu Notarios, cæleſtem militiam juſſum ordiri; atque ex libro Pontificali in Hadriano I. quem Notarium Regionarium, poſtea Subdiaconum, demum Diaconum factum, ad Pontificatum aſcendiſſe, narrat.

VIII. Sed, ut, quod ſentimus, aperte dicamus, nunquam Eccleſiam Latinam alios Ordines agnoviſſe credimus, præter eos, quos ſingulatim recenſuit Cornelius Papa. Quia vero Clericis, aliquo ex iis Ordinibus initiatis, diverſa committebantur officia, ex iſtorum diverſitate diverſam pariter ſortiebantur nomenclaturam, puta Cantoris, Foſſarii, Cuſtodis Martyrum &c. quod bene pondaverit Bellarminus *de Clericis lib.* 1. *cap.* 11. & fuſe probat Hallier *de ſac. Elect. & Ordinat. part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. §. 4. Et profecto, quod Cantores, de quibus videtur eſſe ſpecialis difficultas, merum haberent officium ſine vero Ordine a ceteris diſtincto, eruitur ex ipſomet Concilio Carthaginienſi IV. *cap.* 10. *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 979. in contrarium allegato: ibi enim omnium Ordinum collatio ab Epiſcopo dicitur facienda; Cantoris autem munus ſola Presbyteri juſſione ſuſcipi, atque exerceri permittitur: *Pſalmiſta, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri, officium ſuſcipere cantandi*. Ceterum, ſi ex diverſis officiis, quibus Clerici addicebantur, & diverſa, quam inde aſſequebantur, nominis appellatione, Eccleſiaſticorum Ordinum diverſitas inferretur, nimium ingens ſane fuiſſet, apud majores noſtros, minorum Ordinum numerus. Etenim in Eccleſiaſticis tabulis recenſentur *Catechiſtæ*, veluti ſpecialem gradum in Eccleſia obtinentes; & tamen diſcimus a Cypriano *epiſt.* 24. ad hoc munus obeundum, aliquem inferioris Ordinis Clericum ſeligi conſueviſſe, quin idcirco ad novi Ordinis gradum promoveretur: *Optatum* (ait Cyprianus) *inter Lectores doctorem audientium conſtituimus. In l.* 42. *& l.* 43. *tit.* 2. *cit. lib.* 16. *Cod. Theodoſiani*, commemorantur *Parabolani*, hoc eſt, ut *in ead. l.* 43. explicatur, homines *ad curanda debilium ægra corpora deputati*, quos e Clericorum cœtu fuiſſe, ibidem adnotavit Gothofredus, teſtaturque Baronius *ad annum* 416. quin tamen, eodem Baronio obſervante, novum, & peculiarem Clericorum Ordinem conſtituerent. Erant pariter Defenſores pauperum, & Defenſores Eccleſiarum. De illis ſermo eſt in Concilio Carthaginienſi V. anni 401. *cap.* 9. *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 988. De iſtis mentio fit in Concilio Chalcedonenſi *can.* 23. Utroſque vero quamvis Petavius *in notis ad Epiphanium hæreſ.* 62. *num.* 10. inter laicos collocet, attamen Morinus *exercit.* 16. *cap.* 6. *num.* 16. ex Eccleſiaſticis monumentis conſtare aſſerit, ea munera nonniſi Clericis conſueviſſe committi. E Clericorum inſuper numero eligebantur Eccleſiarum *Oeconomi*, de quibus in Concilio Epheſino *act.* 1. & in Concilio Chalcedonenſi *can.* 2. *& can.* 26. *tom.* 2. Collectionis Harduini *col.* 601. *&* 611. Ex eodem deſignabantur *Apocriſiarii*, de quibus Liberatus *Breviar. cap.* 12. Evagrius *lib.* 4. *cap.* 38. & Juſtinianus Imp. *Novell.* 6. *cap.* 2. quorum id erat officii, ut, tanquam Procuratores, omnes cauſas Eccleſiaſticas, ad eos, a quibus mandatum acceperant, attinentes, in aula Imperatoris agerent. Atque, ut alios hujus generis multos prætereamus, Epiphanius *expoſit. Fid. num.* 21. Eccleſiæ Miniſtris accenſet *Hermeneutas*, ſeu Interpretes, quorum munus erat, ex una in aliam linguam transferre tam lectiones Scripturarum, quam conciones ab Epiſcopis ad populum habitas. Ejuſmodi vero munus fuiſſe ſpeciale, atque ab aliis diſtinctum, liquet ex Actis Paſſionis Procopii Martyris, a Valeſio publicatis in notis ad Euſebium *de Martyr. Palæſtin. cap.* 1. hæc de Procopio narrantibus: *Eccleſiæ tria miniſteria præbabat. Unum in legendi officio; alterum in Syri interpretatione ſermonis; & tertium adverſus dæmones, manuum impoſitione*. Niſi igitur dicamus, omnia, quæ retulimus, & quamplurima ſimilia, quæ referri poſſent, nomina fuiſſe officiorum, non Ordinum, admittere cogeremur in antiqua Eccleſia Ordines fere innumeros: quod nemo facile credet. Quamobrem, quod ex Morino retulimus argumentum, ſuas quidem vires habet, qua parte pervetuſta innititur conſuetudine Eccleſiæ Græcæ, tres minores Ordines jamdiu reſpuentis; ſed ineficax eſt quantum ad variationem, quam factam aſtruit in Eccleſia Latina, quoad eorundem numerum. Majoris ponderis ſunt alia, quæ ab eodem Morino, eique adſtipulantibus Theologis proferuntur; ad ſuam ſuſtentandam opinionem.

IX. Verum Sacramentum, ajunt, gratiam producit ex opere operato; eaque gratia per aliquod ſignum ſenſibile ſignificatur: at in collatione quinque Ordinum inferiorum, nihil fit, quod gratiæ productionem arguat; non enim conferuntur per manus impoſitionem, ſicuti tres Ordines ſupremi, qua gratiam ſignificari, & cauſari, docet S. Thomas *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 1. *art.* 1. *&* 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 4. nec Epiſcopus eos conferens dixit: *Accipe Spiritum Sanctum*: aut his æquivalentia verba pronunciat. Neque in hoc ullum intercedit, aut unquam interceſſit diſcrimen inter Subdiaconatum, alioſque inferiores Ordines: nam laudatum Concilium Carthaginienſe IV. poſtquam *can.* 2. 3. *&* 4.

dixe-

dixerat, Episcopum, Presbyterum, & Diaconum ordinari per manuum impositionem, *can.5.* expresse statuit: *Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, Patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & Calicem vacuum.* Sacramentarium pariter Sancti Gregorii, vetus Ordo Romanus, & hodiernum Pontificale Romanum, Subdiacono denegant manus impositionem; quin immo idem Subdiaconatus olim in Ecclesia Latina accensebatur minoribus Ordinibus, in quorum classem etiamnum a Græcis rejicitur: tum vero primum apud nos cœpit sacris annumerari, cum Urbanus II. in Concilio Beneventano anni 1091. *can.1. tom.6. part.* 2. Collectionis Harduini *col.* 1696. permisit, ut interdum, *sed rarissime, opportunitate exigente, & non sine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia*, Subdiaconus eligi posset in Episcopum, quem ex solo cœtu eorum, qui sunt in sacris constituti, assumendum, veteres Canones sanciverant: quod testatur Innocentius III. *in Cap. A multis, de ætat. & qualitate, & ordin. præficiendorum: Cum hodie Subdiaconatus inter sacros Ordines computetur, sicut Urbanus Papa II. sub his verbis expressit ..... Qui in sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi*: immo observat Thomassinus *de vet. & nov. Eccles. discipl. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 33. non ab Urbano II. sed ab ipsomet Innocentio III. fuisse Subdiaconatum in sacros, & majores Ordines relatum, cum scilicet ipse in citata Decretali statuit, ut absque ulla dispensatione *Subdiaconus in Episcopum valeat libere eligi, sicut Diaconus, vel Sacerdos*: hanc vero sanctionem adscribit Urbano II. quia is illi præluserat, ejusque jecerat fundamenta, permittens ex venia, & indulgentia fieri, quod ne ex venia quidem antea fiebat, & postmodum Innocentius libere fieri permisit. Sed, sive Innocentius, sive Urbanus Subdiaconatum e minorum in majorum Ordinum classem evexerit, sat est, eum quondam locum habuisse inter minores Ordines, ne in re, de qua agimus, ulla inter eundem, & minores Ordines ponenda sit differentia.

X. Sed quid aliunde argumenta quærimus (pergit Morinus) ad probandum, Subdiaconatum, eoque inferiores Ordines, non pertinere ad Hierarchiam Divina ordinatione institutam, cum id clare, & expresse asseruerit idem Urbanus II. *in cit.can.1.* hisce verbis: *Nullus deinceps in Episcopum eligatur, nisi qui in sacris Ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum, ac Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse: super his solum præceptum habemus Apostoli &c.* Urbano concinit Gratianus, qui medio seculo XII. suum compilavit Decretum, scribens initio *dist.21. Levitas ab Apostolis ordinatos legimus ..... Subdiaconos, & Acolythos, procedente tempore, Ecclesia sibi constituit.* Ante Gratianum, & Urban. II. seculi IX. initio id ipsum aperte tradiderat Amalarius *lib.* 2. *de Divinis Officiis cap.* 6. inquiens: *Primo notandum est, eos Ordines, qui potissimum necessarii sunt in Ecclesia, Apostolum Paulum denominasse, & eorum mores depinxisse, sine quibus non potest rite immolatio Altaris celebrari, scilicet sine Sacerdote, & Diacono ..... Ceteri Ordines his adjecti sunt. Crescente Ecclesia, crevit Officium Ecclesiasticum: ut multitudini Ecclesiæ subveniri posset, adjiciuntur inferiores in adjutorio Præpositorum. Unde Ambrosius in tractatu epistolæ ad Timotheum: Illud vero dictis nostris adjici dignum est, quoniam non convenit demirari, si neque Subdiaconorum, neque Lectorum memoriam Apostolus feciſſe videatur: illis etenim gradibus functionum, qui in Ecclesia necessario habentur, isti postea magis sunt adjecti propter utilitatem ministerii.*

XI. Idem affirmavit Magister sententiarum *cit. lib.* 4. *dist.*24. *Canones duos tantum sacros Ordines adpellari censent, Diaconatus scilicet, & Presbyteratus: quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse ..... Subdiaconos vero, & Acolythos, procedente tempore, Ecclesia sibi constituit.* Et, quod magis est, S. Thomas, qui aliis in locis singulis Ordinibus veri Sacramenti, a Christo Domino instituti, excellentiam asserit, *in cap. 3. epist. 1. ad Timoth. lect.* 2. Magistrum sequutus, ait: *In primitiva Ecclesia solum erant tres Ordines ..... Episcoporum, Presbyterorum, & Ministrorum; & non dividebantur per diversos gradus: sed omnia erant in uno Ordine propter paucitatem Ministrorum, & propter novitatem Ecclesiæ:* ex quo colligitur, dubiam saltem fuisse hac in re Angelici Præceptoris mentem.

XII. Dubii pariter & nos hæremus, nec ullam in hac difficillima controversia sententiam ferimus: ideo autem rationes attigimus, quæ in utramque partem adducuntur, & paulo prolixius illas expolivimus, quæ postremæ favent opinioni, ut videant Episcopi, non posse indubitanter sacrilegii damnari, qui cum conscientia peccati lethalis Ordines Diaconatu inferiores suscipere non reformidant. *Durum quippe videtur* (ad rem inquit Navarrus *cit.cap.*22. *man.num.*18. loquens de Ordinibus minoribus) *damnare omnes, qui accipiunt eos, non præmissa Confessione, vel saltem contritione sufficienti, quorum infinitus videtur esse numerus; quod tamen necesse esset facere, si essent Sacramenta vera, gratiam conferentia ex opere operato.* Loquitur vero Navarrus in eventu, quo conferantur extra Missarum solemnia, nec subinde debeant illis initiati sanctissimam Eucharistiam percipere; quod tamen regulariter fieri non solet, nec fortasse sine rationabili causa licet, ut paulo inferius dicetur. Quocirca Episcopus in sua Synodali Institutione, seu Edicto, tuto poterit prædictos temerarios, & pervicaces homines, hoc nomine, sacrilegos declarare, quod peccati sorde contaminati non vereantur immaculatis Christi carnibus vesci; & solum cavere debet ab alia adducenda sacrilegii causa, quod scilicet ad Sacramentum Ordinis accedere, præsumant: ne tali pacto aut controversiam ignorare, aut illam videatur decidere.

## CAPUT DECIMUM.

*Quod nihil in Synodo sit decernendum de trium hierarchicorum ordinum materia, & forma, insinuatur exemplo desumpto ex quadam quæstione Congregationi Concilii proposita.*

SI Episcopus velit in sua Synodo peculiariter disserere de singulis Ordinibus, quod a plerisque, ad ordinandorum institutionem, prudenter factitatum comperimus, diligenter curet, ut omnia adamussim iis respondeant, quæ de iisdem Ordinibus a Catechismo Romano traduntur; atque omnino declinet quæstiones in scholis agitatas maxime circa materiam, & formam trium hierarchicorum Ordinum: ne secus in ea se conjiciat difficultatum dumeta, a quibus vix possit explicari. Quod ne perperam a nobis monitum videatur, ad rem facientem quæstionem subnectimus, de qua, priusquam huic Operi extremam manum admoveremus, fuit in sacra Congregatione Concilii disceptatum. Quidam Sacerdotio initiandus, etsi omnes consuetas manuum impositiones ab Episcopo accepisset, ad Episcopum tamen, solita Patenæ cum hostia, & Calicis cum vino instrumenta porrigentem, ad alia tunc temporis distractus, non accessit. Re postea detecta, quid facto opus esset, dubitatum, atque a sacra Congregatione petitum est. Difficultatis decisio ab illa pendebat gravissima controversia, inter Theologos agitata, circa materiam, & formam Ordinis Presbyteratus.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

II. Antiquiores Scholastici, quos Sotus *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 1. *art.* 3. & teste Goneto *in clypeo disp.* 2. *art.* 3. plerique alii Thomistæ sectantur, aliam non agnoverunt Ordinationis materiam, quam porrectionem instrumentorum, neque aliam formam, quam verba huic porrectioni adjuncta. Eorum præcipuum fundamentum situm est in Decreto ab Eugenio IV. edito in Concilio Florentino ad Armenorum institutionem, ubi, cum singulorum Ordinum materiam, & formam singillatim Eugenius recenseat, solam porrectionem instrumentorum, &, quæ eam comitantur, verba commemorat; inquit enim *tom.* 9. Collectionis Harduini *col.* 440. *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem; Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem; Subdiaconatus vero per Calicis vacui cum Patena vacua superpositi traditionem: & similiter de aliis, per rerum, ad ministeria sua pertinentium, assignationem. Forma Sacerdotis talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.* Cujus quidem Decreti auctoritate suffulti præfati Auctores, adeo tenaciter suæ opinioni adhæserunt, ut interrogati, cujusnam instrumenti traditione, Evangelicæ prædicationis initio, ab Apostolis ordinarentur Diaconi, cum nondum Evangeliorum liber esset conscriptus, sine hæsitatione responderunt, ejus loco, porrectam fuisse ordinando chartam, in qua Fidei nostræ mysteria erant conscripta: quam sane ridiculam, & plane absurdam responsionem explodit Isambertus *de Sacram. Ordinis disp.* 3. *art.* 6.

III. Alii, cum ex una parte prædictum Eugenii Decretum præ oculis habuerint, atque ex alia animadverterint, in sacris litteris, ubicumque de sacra Ordinatione fit mentio, non aliter eam explicari, quam per manuum impositionem; *Act.* enim 6. cum de constituendis Diaconis Apostoli deliberassent, eorumque electionem Discipulorum multitudini permisissent, septem ab his designatis, *orantes, imposuerunt manus*: & *cap.* 13. de Ordinatione Pauli, & Barnabæ dicitur: *Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*: Paulus itidem 1. *ad Timoth.* 4. scribit: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi, cum impositione manuum Presbyterii*: & *epist.* 2. *ad eund. cap.* 1.: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum*: ut hæc testimonia cum prædicto Decreto simul conciliarent, docuerunt, tam porrectionem instrumentorum, quam manuum impositionem, esse Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus adæquatam materiam: formam vero esse verba, quæ in utraque actione ab Ordinante proferuntur. Ex tribus autem mox referendis manuum impositionibus, quæ adhibentur in Ordinatione Presbyteri, tertiam duntaxat, quæ fit sub hac formula: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata &c.* ad Sacramenti essentiam pertinere, isti Auctores autumant. Ita Bellarminus *de Sacram. Ordin. lib. unic. cap.* 9. Maldonatus *de Sacram. Ordin. quæst.* 3. *part.* 2. *prop.* 1. & 4. ubi hanc assertionem quoad manuum impositionem esse de Fide, quoad porrectionem instrumentorum proxime ad Fidem accedere, ait Vasquez *in* 3. *part. disp.* 239. *cap.* 2. 3. & 4. Hallier *de sacris Electt. & Ordinat. part.* 2. *sect.* 2. *cap.* 2. *art.* 1. §. 10. & *seq.* Estius *in* 4. *dist.* 24. §. 24. Isambertus *cit. loc.* Piette *de Sacram. Ord. quæst.* 9. Vanroy *eod. tract. cap.* 3. *quæst.* 1. Simonet. *tract.* 17. *de Ord. disp.* 3. *art.* 1. aliique innumeri.

IV. Alii demum existimant, trium Ordinum hierarchicorum, Episcopatus videlicet, Presbyteratus, & Diaconatus, adæquatam materiam, & formam, solam esse manuum impositionem, cum ei respondentibus verbis; porrectionem autem instrumentorum ritum censent mere accessorium, & integrantem, ab Ecclesia adjunctum ad majorem duntaxat significationem, & expressionem collatæ potestatis. Quoniam vero in Ordinatione Presbyteri ter Episcopus manus imponit ordinando; primo, absolutis litaniis, una cum sibi astantibus Presbyteris, nihil dicens; secundo, immediate post primam, invocans in electum gratiam, & dona Spiritus Sancti; tertio, post Communionem, proferens illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* non primam, neque tertiam, sed tantum secundam, cum adjunctis precibus, totam Sacramenti essentiam perficere, hujus sententiæ patroni contendunt. Non immerito tamen advertit mox citandus Martene, secundam manuum impositionem non differre a prima, sed esse illius continuationem; quod revera utramque inspicienti est manifestum. Ultro porro iidem concedunt, ceteros Ordines, Diaconatu inferiores, per solam instrumentorum traditionem conferri: quoniam, ut ipsi opinantur, non sunt a Christo Domino instituti, sed ab Ecclesia adinventi; ac proinde, cum non participent veram rationem Sacramenti, neque conferant gratiam ex opere operato, potuerunt quocumque alio modo ad Ecclesiæ placitum institui, & conferri. Hanc sententiam propugnant Hugo Menardus *in notis ad lib. Sacramentor. S. Gregorii*, Joannes Morinus *de sacr. Ordinat. part.* 3. *exercit.* 7. *cap.* 1. Martinus Becanus *de Sacram. Ordin. cap.* 26. *quæst.* 4. *conclus.* 3. Goarius *in not. ad Euchologium Græcorum pag.* 250. *num.* 11. Arcudius *Concord. lib.* 6. *cap.* 7. quibus in locis hi duo posteriores Doctores, non de sola Ecclesia Græca, sed etiam de Latina expresse loquuntur, Juenin *de Sacram. disser.* 9. *quæst.* 3. *cap.* 2. & *quæst.* 4. *cap.* 2. & 3. Van-Espen *Jur. Eccl. universi. part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 1. *num.* 9. & *seq.* Martene *de antiqu. Eccles. ritib. lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 9. *num.* 11. 16. & 18. Tournely *de Sacram. Ordin. quæst.* 3. *conclus.* 1. & 2. aliique recentiores, quibus facem prætulerant S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 24. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 4. & Petrus Soto *lib. de Instit. Sacerd. lect.* 5. quorum primum hanc sententiam expresse docuisse, alterum vero maxime in eam inclinasse, fatetur Vasquez *cit. disp.* 239. *cap.* 2. *num.* 5.

V. Duo autem sunt argumenta, quibus hanc assertionem nedum probari, sed evidenter demonstrari, putat Morinus. Primum ex eo desumitur, quod per annos ad minimum nongentos, Ordines hierarchici in universa Ecclesia collati fuerint per solam manuum impositionem, absque ullius instrumenti traditione; quod etiam Doctores contrariæ sententiæ, cum Bellarmino, & Hallier *cit. loc.* coguntur admittere; nulla quippe traditionis instrumentorum occurrit mentio in antiquis Ritualibus, & Sacramentariis, a Menardo, Morino, & Martene diligenter perquisitis, & prolatis: quin immo in supra citato Concilio Carthaginiensi IV. anni 398. cui Episcopi 214. inter quos Augustinus, interfuere, per hoc Sabdiaconatus ab hierarchicis Ordinibus distinguitur, quod isti manuum impositione, ille vero instrumentorum porrectione conferretur, sicuti animadvertimus: eandemque differentiam fieri legimus in antiquo Sacramentario Romano, edito a Cardinali Thomasio *pag.* 229. Nullam etiam instrumentorum traditionem commemorant Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, & Walafridus Strabo, etsi de ritibus conferendi sacros Ordines fuse, atque ex professo agant. Altum similiter apud eosdem Scriptores, atque in vetustissimis libris Ritualibus est silentium de tertia impositione manuum, nunc fieri solita in Ordinatione Presbyteri, cum illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* cujus nullum inveniri monumentum illo antiquius, quod extat in Vita Lietberti, Episcopi Cameracensis, qui vixit seculo x. testatur

Mar-

Martene *cit. art. 9. num.* 12. unde infert idem Martene, hunc ritum, saltem quoad totam Ecclesiam Latinam, esse adhuc recentiorem altero porrigendi instrumenta, quem ceteroquin non ante annos 700. aut ad summum 800. in Ecclesiam Latinam invectum, ex iisdem Ritualibus plane constat. Quare, inquiunt laudati Doctores, ne alterum ex his dicamus, nimirum aut mutatam fuisse Sacramentorum substantiam, quod erroneum, aut antiquam Ecclesiam caruisse vero Sacerdotio, & legitimis Ministris, quod aperte hæreticum foret; necessario dicendum est, etiam nunc Ordines hierarchicos sola manuum impositione, & quidem distincta ab illa tertia, quæ est recentioris ævi, conferri.

VI. Porro, non aliud Ecclesiam sibi voluisse, credendum est, cum prædicta additamenta sacræ Ordinationi fieri præcepit (pergunt iidem Doctores), quam magis diserte explicare potestatem, quæ secunda manuum impositione est abunde ordinato collata; quemadmodum, priusquam Scholasticorum opinio omnium menti altius insideret, fassi sunt Hugo a Sancto Victore *lib. 2. de Sacram. Fidei part. 3. cap. 12.* inquiens: *Accipiunt Calicem cum vino, & Patenam cum hostiis de manu Episcopi, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant, placabiles Deo hostias offerendi:* ac totidem fere verbis Petrus Lombardus *lib. 4. dist. 24. Accipiunt etiam Calicem cum hostiis, ut per hoc sciant, se accepisse potestatem, placabiles Deo hostias offerendi:* quibus consentit antiquum Pontificale Romanum Ms. bibliothecæ Colbertinæ, ubi legitur: *Accipiat Patenam cum oblatis, & Calicem cum vino, & ponat simul in manibus ordinati cujuslibet per se:* etenim, cum dicat *ordinati*, & non *ordinandi*, aperte denotat, ante instrumenti traditionem, absolutam, & perfectam jam esse Ordinationem.

VII. Alterum, nec minus validum argumentum huic sententiæ astruendæ, suppeditat Ecclesia Græca, quæ in sacris Ordinationibus perficiendis aliam non adhibuit, neque adhibet materiam, præter manuum impositionem; uti legere est in Græcorum Eucologio, & testatur Arcudius *cit. lib. 6. cap. 2.* quin tamen Ecclesia Romana ejusmodi Græcorum Ordinationes unquam irritas habuerit, aut ullo pacto improbaverit: immo de illarum validitate non solum nihil dubitatum fuit in Conciliis Lugdunensi, & Florentino, quibus Græci cum Latinis adfuere, sed nihil præterea dubitavit Clemens VIII. qui Russorum Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, ad Catholicam unitatem admisit cum Ordinibus, quibus, secundum ritum Græcorum, insigniti fuerant in suo schismate: uti late prosequuntur Natalis Alexander *in Theolog. dogmat. & moral. lib. 2. de Sacram. Ordin. art. 7. §. 2.* Morinus *de sacr. Ordination. part. 3. exercit. 7. cap. 1. num. 8.* Cabassut. *in Notit. Ecclesiast. seculi IV. in append. ad can. Concilii IV. Carthaginiensis num. 4. & 5.* Tournely *in Prælection. theol. de Sacram. Ordin.* Cardinalis de Lugo *de Sacram. disp. 2. sect. 5. num. 85.* Cardinalis Albitius *de Inconst. in Fide cap. 30. sub num. 374. §. Diverso autem ritu*, Verricell. *de Apostol. Mission. tit. 11. quæst. 168. sect. 3. num. 22.*

VIII. Hoc autem eodem argumento, e Græcorum more petito, Auctores, quorum sententiam in præsens exponimus, antevertunt fundamentum contrariæ opinionis, Eugenii Decreto subnixum: qua enim ratione, inquiunt, potuisset Eugenius IV. definire, in instrumentorum porrectione, eique respondentibus verbis, consistere essentiam sacræ Ordinationis, postquam in eodem Concilio ad communionem admiserat Episcopos, Sacerdotes, & Diaconos Græcos, sola manuum impositione ordinatos? Necesse est igitur fateri Eugenium loquutum de materia, & forma integrante, & accessoria, quam optavit ab Armenis superaddi manuum impositioni, jamdiu ab illis adhibitæ, ut Ecclesiæ Latinæ moribus se prorsus accommodarent, ac, rituum uniformitate, firmius eidem adhærerent: quod bene ponderant Menardus, Becanus, & Morinus. Neque hanc explicationem respuere possunt Auctores contrarii: siquidem in eo Decreto nulla fit mentio tertiæ impositionis manuum, quam nihilominus ad Ordinationis Presbyteri essentiam pertinere, iidem affirmant: atque idcirco fateri coguntur, non fuisse mentem Pontificis *ibidem* explicare, quæ Ordinationis substantiam perficiunt.

IX. Ut hæc argumenta, quibus profecto nimirum se premi sentiunt, declinent, varia prædicti Doctores tentarunt effugia. Dixerunt plerique, etiam nunc in Ecclesia Latina Ordines hierarchicos sola conferri manuum impositione, quia Episcopus suis manibus instrumenta exhibet ordinando. At in primis, si porrectio instrumentorum vera esset manuum impositio, etiam inferiores Ordines dicerentur conferri per manuum impositionem, contra id, quod a Concilio Carthaginiensi IV. audivimus: per manus etiam impositionem perficerentur Baptismus, & extrema Unctio, quia Ministri manibus baptizandi corpus abluitur, & sancto oleo perungitur infirmus, quod tamen nemo unquam dixit. Deinde hac responsione difficultatis nodus non solvitur: nam neque hodie Greci, neque olim Latini, in conferendis Ordinibus hierarchicis, instrumenta adhibuere: ac propterea alia diversa est impositio manuum, in quam cadit præsens controversia.

X. Dicunt alii, revera olim Latinos, sicuti nunc Greci, Ordines hierarchicos sola contulisse manuum impositione; & nihilominus hodie in Ecclesia Latina necessariam esse traditionem instrumentorum, quia Christus Dominus non instituit, neque determinavit materiam, & formam Ordinationis in specie infima, seu *atoma*, uti ajunt, sed permisit Ecclesiæ, illas pro suo libito determinare, justisque de causis mutare, modo & res, & verba semper usurpet, quæ apta sint ad significandum sacræ Ordinationis effectum. Ecclesia autem, quæ solam olim designaverat manuum impositionem, cum verbis eam comitantibus mutatis postea rerum circumstantiis, illa Græcis relicta aliam materiam adhibendam statuit a Latinis. Verum hæc doctrina duas gravissimas offendit difficultates. Primo quippe non satis probatur, quod Christus Dominus prædictam potestatem fecerit Ecclesiæ; immo oppositum videtur evinci ex Tridentino *sess. 21. cap. 2.* ubi declarat, a Christo relictam esse Ecclesiæ potestatem mutandi, quæ Sacramentorum dispensationem respiciunt, *salva illorum substantia*: mutatio vero materiæ, & formæ, non ad ritum, & dispensationem, sed ad substantiam pertinet. Deinde, data Ecclesiæ facultate, de qua est sermo, gratis omnino, & arbitrario fingitur, quod Ecclesia ea usa fuerit: dicant enim, ubi, & quando, quo seculo, in quo Concilio, a quo Pontifice facta sit ejusmodi mutatio? Enimvero, si Ecclesia ab Ordinationis ritu ea ablegasset, quæ antiquitus fiebant, cogeremur utique affirmare, Ordinationis materiam, & formam fuisse, Ecclesiæ auctoritate, mutatas, novasque antiquis subrogatas. Sed, cum omnia, quæ habentur in antiquis Ritualibus, perseverent intacta, ac sancte & integre etiam nunc peragantur; nemo facile credet, illa eadem, quæ jampridem satis erant, nunc, ad Ordinis Sacramentum perficiendum, amplius non sufficere.

XI. Hæc omnia placuit hic exponere, non ut huic postremæ sententiæ calculum adjiceremus, sed eo tantum consilio, ut perspicuum fieret, eam, quamvis habeat contra se universam fere aciem Scholasticorum, ab istorum tamen ictibus nihil sibi metuere, immo & sua jacula habere, quæ in eos intorqueat.

XII.

XII. Quare, ut ad propositum redeamus, cum valde incertum sit, an is, de quo in casu, per secundam manuum impositionem esset rite ordinatus, id utique faciendum erat, quod præscribit Gregorius IX. *in cap. Presbyter, de Sacram. non iteran.* ubi in casu haud absimili decrevit: *Nihil esse iterandum, sed caute supplendum, quod per errorem extitit prætermissum:* quod præcipue in illo rerum statu servandum erat, ne Sacramentum, quod, in multorum sententia, censebatur undique perfectum, iterationis periculo subjiceretur; quemadmodum optime, atque ad rem omnino apposite adnotavit Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. de Sacram. Ord. cap. 1. art. 7. §. 2. in fin.* inquiens: *Unde, si quis horum rituum, qui ad materiam, vel formam pertinent, secundum varias Theologorum opiniones, in Ordinatione fuisset omissus, v. g. manuum impositio prima, vel adjuncta Oratio, aut Calicis cum vino & aqua, & Patenæ cum hostia traditio, adjunctave formula verborum, aut unctio, aut denique manuum impositio postrema, vel hæc verba ipsam concomitantia: Accipe Spiritum Sanctum &c. supplere deberet Episcopus, quod in Ordinatione fuisset incaute prætermissum, ut colligitur ex Cap. Pastoralis, & ex Cap. Presbyter, extra, de Sacramentis non iterandis.*

XIII. Quia autem nonnulli non infimi Theologi dixerunt, impositionem manuum, præambulam porrectioni instrumentorum, simul cum hac, in unam coalescere materiam, qua, una cum verbis ab Episcopo instrumenta exhibente prolatis, prima confertur Sacerdotalis potestatis pars, conficiendi nimirum Corpus Christi; idcirco sacra Congregatio, scite animadvertens, præviam illam manuum impositionem, jamdiu antea peractam, non posse moraliter conjungi cum traditione instrumentorum, quæ postmodum fieret, ut etiam hujus opinionis, in re tanti momenti, rationem aliquam haberet, totam Ordinationem sub conditione iterandam rescripsit.

## CAPUT UNDECIMUM.

*De protestatione in aliquas Synodos inserta, & per Archidiaconum, Episcopi nomine, ante Ordinationem repetita, per quam Episcopus Ordines collaturus protestatur, se intentionem non habere Ordinandi Irregulares, aut Canonico impedimento irretitos: & de Ordinatis ad majores Ordines ab Episcopo in Missa, non ab ipso celebrata, sed a Sacerdote; de qua re in Synodo Episcopali aliquando disceptatum est.*

IN Pontificali Romano habetur edictum, quo Episcopus Ordines collaturus, sub pœna excommunicationis præcipit, ne quisquam canonico impedimento irretitus ad Ordines suscipiendos accedere audeat. Idem solent Episcopi in suis Synodis clarius adhuc edicere, & explicare, ac præcipue solent illorum audaciam censuris compescere, qui, emendicato, & ficto patrimonii titulo, quo revera carent, ad sacros Ordines promoveri præsumunt. Hæc omnia laudabiliter fiunt, neque ulli sunt reprehensioni obnoxia. At plerique Episcopi, his diligentiis nequaquam contenti, alias ulteriores adhibent, quæ non ab omnibus probantur: solent quippe, priusquam sacræ Ordinationis cæremonias incipiant, per Archidiaconum, aliumve, publice denunciare, se intentionem non habere ordinandi irregulares, censuris innodatos, carentes legitimo patrimonio, aut Beneficio, vel litteris dimissorialibus proprii Ordinarii &c. Quamquam autem præsumendum sit, unicum ejusmodi protestationis scopum esse, deterrere, qui aliquo ex enuntiatis vitiis laborans, ad Ordines sacrilege suscipiendos se accingit; ne enim gravis peccati reus fiat, tenetur Episcopus absolutam intentionem habere Ordinem conferendi homini præsenti, cui manus imponit, & consueta porrigit instrumenta, quemadmodum recte animadvertunt Navarrus *consil. 5. de tempor. Ordinat.* Gobat *Theolog. experim. tract. 8. num. 316.* & Cardinalis de Lugo *de Sacram. disp. 8. sect. 7. num. 119.* nihilominus tamen, cum prædictam protestationem Ordinationi præmittit, innumeris scrupulis, & animi anxietatibus occasionem præbet, & quandoque etiam probabilis, & prudens dubitatio exinde excitatur, num revera quis fuerit legitime ordinatus, eo quod aliquo ex enuntiatis impedimentis esset obstrictus. Quare, ne cum maximo totius Christianæ reipublicæ detrimento, & perturbatione, dubii, atque incerti Ministri sacris ministeriis addicantur, præstat omnino, ut Episcopus ab illa generali protestatione abstineat: quod opportune monet citatus de Lugo his verbis: *Ego quidem usum talis protestationis ullo modo probo: tum quia in ritibus Ecclesiasticis fundamentum non habet; nam, licet in Pontificalibus antiquis, & modernis apponatur formula, qua ordinandi moneantur ex parte Episcopi, ne ullus accedat irregularis, absque ætate, vel facultate legitima &c. in nullo tamen Pontificali invenitur talis protestatio de defectu intentionis ..... tum etiam quia, licet existente gravissima causa, posset aliquando Episcopus habere intentionem sub conditione .... Ceterum ejusmodi voluntas conditionata universalis cum omnibus haberi non potest, absque gravissimis inconvenientibus, propter dubia, quæ inde oriuntur circa valorem Ordinis.* Minus itaque decet, aliquid Synodo inseri, quod prædictam protestationem contineat, aut eidem æquivaleat: etenim, cum Synodales sanctiones sint de se stabiles, & perpetuæ, simile edictum, in Synodo promulgatum, incertos redderet etiam Ordines ab Episcopis successoribus conferendos: quamvis enim isti nihil fortasse dicant, quo significent, se non habere intentionem quemquam initiandi, qui canonico detineatur impedimento, semper nihilominus dubitari poterit, an suam intentionem conformaverint Synodali statuto nondum revocato.

II. At quid faciendum, si re ipsa contingat, aliquem canonico impedimento ligatum Ordines recepisse ab Episcopo, qui eam solemnem protestationem sacræ cæremoniæ præmisit? Fuse de hac quæstione a nobis actum est *in nostro Tractatu de Sacrificio Missæ sect. 2. §. 70.* ubi ex sacræ Congregationis Concilii sententia diximus, interrogandum Episcopum, si sit superstes, a quo Ordines sunt collati: & si is asserat, suam intentionem vere alligasse præmissæ protestationi, Ordinationem diximus absolute iterandam: si vero dubia, & incerta remaneat Episcopi intentio, eo quod satis constet, qua mente eam protestationem emiserit, & an illi revera suam aptaverit intentionem, Ordinatio erit sub conditione repetenda. Quare, ad consulendum conscientiarum securitati, & quieti, omnemque dubitationem de re sane gravissima removendam, cavere utique debet Episcopus, ne ullus ad Ordines suscipiendos admittatur, qui diligenti prælabita inquisitione, non fuerit dignus, & idoneus repertus, omnibusque ornatus qualitatibus, quæ a sacris canonibus requiruntur; at, in ipso actu collationis Ordinum, opus est, ut absolutam habeat intentionem initiandi omnes, & singulos, sive a se antea approbatos, sive quoquo modo intrusos, qui ad illos suscipiendos accedunt, & per consuetam materiæ exhibitionem, formæque prolationem, voti compotes fiunt: neque expedit, ut aliquid, ne ad terrorem quidem, tunc dicat, unde fas sit ejus intentionis defectum conjicere, aut leviter suspicari.

III. Aliam ob causam non semel dubitatum fuit de collatorum Ordinum validitate. Quidam Episcopus Græci ritus, cui, ob ingravescentem ætatem, & adversam corporis valetudinem, laboriosum erat Missam celebrare, cum esset Ordines collaturus, eam per

alium

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



alium Sacerdotem fieri curabat; eoque Sacrum peragente, ipse consueto ritu Ordines conferebat. Dubitatum fuit de Ordinationis ita peractæ validitate, & quid de ea sentiendum, ab Apostolica Sede quæsitum. Rei examen commissum fuit sacræ Congregationi sancti Officii, nobisque, qui ejusdem Consultoris officium tunc gerebamus, demandatum, ut in scriptis sensum nostrum panderemus. Mandato obsequentes Dissertationem elucubravimus, qua prædictam Ordinationem, illicitam quidem, sed validam ostendimus. Illicita quod fuerit, saltem quoad Ordines sacros, nullo labore demonstravimus: etenim, si antiquam Ecclesiæ disciplinam respicimus, indubitatum est, primis duntaxat exceptis temporibus, quibus ob ferventes persequutiones integrum non erat Fidelibus in unum locum congregari, Ordinationes, non alibi, nisi intra Ecclesiam fuisse celebratas: quocirca S. Gregorius Nazianzenus *carm. de vita sua*, Maximo Cynico, Constantinopolitanæ Sedis invasori, exprobravit, quod Ecclesia exclusus, in ædibus cujusdam Aulædi fuerit ordinatus; & teste Socrate *lib. 4. cap. 29.* Ursino pariter, seu Ursicino, contra legitimam Damasi electionem, a factiosis quibusdam in Antipapam electo, inter cetera objectabatur, quod, non in Ecclesia, sed in obscuro quodam Basilicæ Sicinii loco ordinatus esset. Intra Ecclesiam vero, non alio unquam tempore fuisse Ordines, saltem sacros, collatos, nisi cum inibi Divina celebrarentur mysteria, pluribus probat Hallier *de sacr. Elect. & Ordinat. part. 3. sect. 8. cap. 5. art. 1.* cui assentitur etiam hæreticus Binghamus *Origin. Ecclesiast. tom. 2. lib. 4. cap. 6. §. 8.* eumque morem ex Apostolica traditione derivatum colligit idem Hallier *ex Auctor. cap. 13.* ubi Ordinatio Sauli, & Barnabæ cum Sacrificio perfecta describitur: *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus; Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Per *ministerium* enim denotari Sacrificium, per *segregationem*, collationem Episcopatus, Interpretes omnes adnotarunt. Eandem disciplinam nobis exhibent antiqui Patres, qui Ordinationes, quas referunt, semper Sacrificii tempore peractas asserunt. Theodoretus *hist. relig. cap. 13. tom. 3.* loquens de Ordinatione Macedonii anachoretæ, eam factam dicit, tempore *mystici Sacrificii*. Epiphanius *epist. 51. olim. 60. ad Joannem Jerosolymitanum, tom. 1. Oper.* S. Hieronymi *col. 241.* Paulinianum fratrem Hieronymi, invitum & reluctantem, a se, sacris Mysteriis operam dante, primum in Diaconum, deinde in Presbyterum ordinatum, narrat. Synodus vero Laodicena paulo etiam accuratius tempus definit peragendæ sacræ cæremoniæ: cum enim *can. 4. tom. 1.* Collectionis Harduini *col. 781.* dixerit: *Quod non oporteat, Ordinationes sub conspectu audientium celebrari:* uti legit Dionysius; vel: *Non licere manus impositionem super ordinandos, præsentibus catechumenis, fieri:* juxta versionem Isidori: significavit profecto, Ordinationes fieri debere tempore oblationis, cui adesse prohibebantur catechumeni, & audientes; quo nomine denotari potuit tam certus ordo catechumenorum, qui ad sermones in Ecclesia audiendos admittebantur, quam cœtus pœnitentium, quibus privilegium erat ingrediendi Ecclesiam; utrosque enim *audientes* appellatos, norunt Eruditi.

IV. Nec solum Ordines sacros, quibus (ut superius diximus) nondum annumerabatur Subdiaconatus, sed etiam istum, ceterosque minores Ordines, intra Missarum solemnia collatos, affirmat Auctor *Constit. Apost. lib. 8.* ubi omnes exhibens ritus, quibus, tempore Collectæ, sacri Ecclesiæ Ministri inaugurabantur, modum etiam recenset ordinandi Lectorem. Neque inter majores, & minores Ordines aliud, quoad hoc, intercedebat discrimen, nisi quod illi in sanctuario ante Altare, isti vero, extra sanctuarium, & longe ab Altari conferrentur: quod testatur Amalarius *cit. lib. 2. de Divinis Officiis cap. 6.* Eandemque consuetudinem etiam nunc a Græcis retineri, post Morinum, observat Martene *de Antiq. Eccles. ritib. tom. 2. lib. 1. cap. 8. art. 4. §. 10.* Ex hac autem consuetudine conferendi Ordines minores extra sanctuarium, & Altare, evenisse arbitramur, ut vetus Ordo Romanus, & Pontificale Romanum severe quidem interdixerint, ne Ordines sacri, inter quos etiam Subdiaconatus fuit postea cooptatus, extra Missarum solemnia conferantur: *minores vero Ordines conferendo* (uti loquitur citatus Hallier) *etiam extra ipsa, favorabiliter indulgent.* Negari tamen non potest, congruum esse, magisque conforme ritui in eodem Pontificali præscripto, ut, quantum fieri potest, etiam hodie omnes Ordines in Missa conferantur: *Quia omnes Ordines* (ut *eodem cit. cap. 5. art. 1. n. 3.* prosequitur Hallier) *ad Sacrificium Missæ, tanquam ad finem suum, & scopum referuntur: omnium ipsum consummatio, ac perfectio est.... Consentaneum est itaque, ut coram Divinis symbolis, quæ Jesum in sacro Altari præsentem continent, Ordinationes perficiantur.*

V. Sed, quod de Ordinibus minoribus congruum diximus, de sacris est, ex gravi præcepto, servandum, nullus quippe a gravi culpa eximeret Episcopum, qui contra communem Ecclesiæ morem, ritumque in Romano Pontificali præscriptum, sacrum Ordinem extra Missarum solemnia conferret. Ad sacram vero cæremoniam licite explendam, Missa, non ab alio, *sed ab eo celebrari, debet*, (inquit Hallier *cit. cap. 5. art. 3.*) *a quo Ordines sunt conferendi:* idemque adnotaverat Glossa *in Cap. Quod sicut, de elect. verb. Dividatur;* & merito, tum quia, ut eadem Glossa ibidem advertit, ita obtinuit constans, & perpetua Latinæ Ecclesiæ consuetudo, cui consonat etiam Græcorum praxis, de qua Arcudius *lib. 6. Concord. cap. 2.* Goarius *in notis ad Euchelog. Græcor. pag. 292.* & Morinus *de sacr. Ordinat. part. 3. exercit. 11. cap. 6.* tum quia, nisi Missa ab eo fiat, a quo Ordines conferuntur, *dividitur mysterium unitatis*, uti loquitur Innocentius III. *in cit. Cap. Quod sicut, de elect.* cum enim omnes ordinati debeant sanctissimam Eucharistiam percipere e manibus Ordinantis, quod ab Ecclesiæ primordiis usitatum, ac severa lege præscriptum, ostendit sæpius citatus Hallier *sect. 8. cap. 11. art. 6.* assertitque Auctor *Eccles. Hierarch. cap. 6.*: *Sub fine eorundem sanctissimæ consecrationis, Divinissimæ Eucharistiæ Communio traditur a Pontifice, qui illos consecravit:* nisi Eucharistia ab illo eodem conficiatur, a quo initiatis porrigitur, non adeo perfecte repræsentatur unio ipsorum cum suo Præsule; quemadmodum exhibetur, cum cælestem panem ab eodem paratum, suaque consecratione in Christi Corpus conversum omnes simul accipiunt: quæ quidem ratio fortius adhuc urget, si agatur de Ordinatione Episcopi, vel Presbyteri, qui, ad eandem Ecclesiæ unionem repræsentandam, debent idem Sacrificium cum Ordinante conficere, seu simul concelebrare. Denique tenetur sacrorum Ordinum collator Missam facere per se ipsum, ut obtemperet Pontificali Romano, Clementis VIII. & Urbani VIII. auctoritate roborato: ibi enim alius non apparet descriptus ritus conferendi sacros Ordines, nisi in Missa conferentis.

VI. Quare hæc, quæ adduximus, ad propositam referentes quæstionem, jure indubitatum diximus, prædictum Præsulem, qui Ordines etiam sacros contulerat, cum, non ipse, sed alter Sacrificium offerret, multis nominibus graviter deliquisse: sed quod attinebat ad collatorum Ordinum validitatem, hanc sustineri, neque ulla probabili ratione posse in dubitationem adduci, affirmavimus. Quamvis enim inventi sint pauci aliqui Auctores, quos commemorat Hallier *cit. cap. 5. art. 2.* qui opinati sunt Sacrificium Missæ esse de substantia consecrationis, seu promotionis ad sacros Ordines,

atta-

UAB Biblioteca de Ciències Socials



attamen in primis nemo unquam dixit, esse de Ordinationis substantia Missam Pontificis ordinantis: deinde ea ipsa paucorum opinio jamdiu rejecta, & exposa fuit ab omnibus Theologis, & Canonistis, quos congerit Sanchez *Consil. moral. lib. 7. cap. 1. dub. 4.* Quocirca Hallier *cit. loc.* indubitanter ratam habendam ait Ordinationem, extra Missarum solemnia factam: *Adeo ut hocce tempore de ea re dubitare, frivolum videatur: nec cum conditione repetendam eam esse sacram Ordinationem censerem, in qua Sacrificium Missæ defuisset; nullus enim canon legitur, qui ad substantiam promotionis ad sacros Ordines Sacrificium Missæ pertinere ostendat.* Minus itaque dubitatum erit de validitate Ordinis collati, non absolute extra Missarum solemnia, sed non intra Missam ab Episcopo celebratam, a quo fuit collatus.

VII. Hæc nos pro veritate tunc scripsimus; nostrumque suffragium approbatum fuit a Congregatione generali, anno 1715. habita coram fel. rec. Clemente XI. Cumque postea ad Sedem Apostolicam delatum fuerit, quemdam Episcopum in Hibernia sacros Ordines contulisse, cum sacra Mysteria, non a se, sed ab alio Sacerdote conficerentur, eadem controversia iterum excitata, atque ad novum examen in eadem Congregatione est adducta: & Cardinalis Petra, tunc ejusdem Consultor, jussus pariter sententiam suam proferre, a nostro sensu non recessit, Ordinumque collationem illicitam & ipse pronunciavit, validamque sustinuit; ejusque sententiam confirmavit fel. rec. Innocentius XIII. in Congregatione generali, habita die 5. Februarii 1722. qui simul prædictum Episcopum per Bruxellensem Internuntium serio moneri jussit, ut conscientiæ suæ consuleret, cum certe graviter in canones peccasset: quemadmodum legere est in ejusdem Cardinalis Petra *Comment. ad Constit. Apostolic. tom. 5. pag. 288.*

VIII. Neque hæc extra propositum dicta censeantur: scimus quippe, non multis antea annis in quadam Synodo disceptatum, an a sacrorum Ordinum exercitio forent arcendi, qui a finitimo Episcopo illos receperant tempore Sacrificii ab alio Sacerdote oblati. Quapropter a nostro instituto minime alienum judicavimus, hujus controversiæ decisionem referre, ut, si in posterum contingat, in aliqua Synodo eandem retricari, sciat Episcopus, quid sit deliberandum.

## CAPUT DUODECIMUM.

*Ad demonstrandum, quam circumspecte sit in Synodo loquendum de Ministro Sacramenti Matrimonii nonnulla præmittuntur respicientia Concilii Tridentini decretum, quo irrita sunt Matrimonia clandestina.*

HAudquaquam satis explicare possumus, quantum intersit, ne in Episcopales Synodos ullum obrepat verbum, quo videatur aliqua approbari opinio, inter Catholicos controversa; quamvis enim illud fortasse ex Episcopi, seu potius Scriptoris calamo, oscitanter excidat, statim nihilominus Auctores stantes pro ea sententia, sibi adstipulari decantant Synodorum auctoritatem, quam omnes jure meritoque plurimi faciunt, privatorumque Doctorum placitis anteponunt. Rem enarrabimus, e qua vel sola apparebit, quanta circumspectione opus sit in concinnandis Synodalibus decretis, ne in ullam deflecti valeant de re aliqua dissidentium Theologorum partem.

II. Concilium Tridentinum *sess. 24. de reform. matrimonii cap. 1.* irrita esse decrevit matrimonia, quæ aliter deinceps contraherentur, *quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus:* simulque statuit, *ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos.* Absoluto, atque ab Apostolica Sede confirmato Concilio Tridentino, quamplurimi Episcopi suas coegerunt Synodos in quibus prædicti decreti promulgationem, uti parerat, urgentes, per singulas Parochias, populo denuntiari jusserunt, firmitate caritura quælibet conjugia in posterum contrahenda, nisi fuerint celebrata *coram legitimo Ministro.* Equidem nobis persuasum est, hanc unam ob causam ab hisce Synodis Parochum appellari legitimum matrimonii Ministrum, quia scilicet ipse est publicus Minister, cui soli Ecclesia auctoritatem tribuit sua præsentia roborandi matrimonii contractum, eique vires & firmitatem adjiciendi: at nihilominus plures Doctores, præcipue Serry *in præfat. ad nov. edit. Operum* Melchioris Cani *cap. 7. §. Novam*, ejusmodi loquutionibus a Synodis inconsiderate, ut nos opinamur, usurpatis, atque a se diligenter collectis, usi sunt ad probandum, etiam ex Synodorum sententia, Sacerdotem esse verum, & proprium Sacramenti matrimonii Ministrum; quod proinde, nisi fuerit Sacerdotali benedictione sacratum, neque gratiam conferre, neque ulla ratione ad Sacramenti dignitatem pertingere, iidem Auctores defendunt. Verum, quot, & quantis difficultatibus hæc opinio sit obnoxia, quotque habeat contradictores, necessarium ducimus hic exponere, ut deinceps cautiores fiant Episcopi in suis conscribendis decretis, atque ut acturi de matrimonio, a prædicta, plerisque Theologis invisa, loquendi formula abstineant.

III. Fidelium matrimonium a Deo in officium naturæ ab initio institutum, fuisse postea a Christo Domino elevatum ad dignitatem veri & proprii Sacramenti novæ legis, causantis gratiam ex opere operato, veritas Catholica est, definita ab Eugenio IV. in Decreto pro Armenis §. *Septimum*, atque a Tridentino *cit. sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1.* quam a Lutheri, Calvini, aliorumque hæreticorum telis vindicat Bellarminus *de Sacram. matrim. lib. unic.* Quamobrem, quo religiosius Fideles matrimonium celebrarent, quod *magnum esse Sacramentum, in Christo, & in Ecclesia*, prædicaverat Apostolus *ad Ephes. 5.* ab Ecclesiæ primordiis cautum est, ne aliter illud inirent, quam coram Sacerdote, cujus benedictione quodammodo obsignaretur. Hujus disciplinæ testimonium nobis perhibent antiquissimi Patres. Etenim S. Ignatius *epist. ad Polycarpum num. 5.* ex recensione Cotelerii *tom. 2. pag. 41.* ait: *Decet vero, ut sponsi, & sponsæ de sententia Episcopi conjugium faciant, quo nuptiæ sint secundum Dominum, & non secundum cupiditatem. Omnia ad honorem Dei fiant:* & juxta aliam editionem: *Decet vero, ut mariti, & maritæ cum Episcopi arbitrio conjugium faciant, quo nuptiæ juxta Dominum sint, non autem juxta cupiditatem.* Tertullianus *lib. 2. ad Uxorem cap. 8. edit. Paris. an. 1634. pag. 191.* scribit: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio?* & *lib. de pudicitia, ejusdem edit. pag. 718. & in Pamelii edit. cap. 4. Ideo penes nos occultæ quoque conjunctiones, id est non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam, & fornicationem judicari periclitantur &c.* Ad quem locum Rigaltius *in notis pag. 114.* animadvertit, iis verbis a Tertulliano prolatis: *Non prius apud Ecclesiam professæ:* indicari conjugia, in quibus non fuerat servata consuetudo, qua solebant Fideles conjugandi per Presbyteros Ecclesiæ offerri, *ut communibus votis conjugia benedicerentur*: quam quidem consuetudinem firmavit Concilium Carthaginiense IV. *can. 13.* relat. a Gratiano *Can. 5. 30. quæst. 5. Sponsus, & sponsa, cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis, vel a paranymphis offerantur.* Ad eundem vero morem alluxit Synesius Cyrenensis, qui floruit initio seculi V. *epist. 105.* ad Evoptium fratrem, & successorem suum in Metropolitana Sede Ptolemaidis in Lybia Pentapolitana, cum scripsit *pag. 248.* ex recensione Petavii: *Mihi & Deus ipse, & lex, & sacra Theophyli* ( Patriarchæ

UAB Biblioteca de Ciències Socials



chæ Alexandrini) *manus uxorem dedit:* ut enim opportune obſervavit Chriſtianus Lupus *in ſchol. & not. ad canones octavæ Synodi tom. 2. pag.* 1421. hæc S. Syneſii verba: *Mihi ſacra Theophyli &c. oſtendunt, Fidelium nuptias palam in Eccleſia fuiſſe ſemper ab Epiſcopo, aut Presbytero benedictas, & ſanctificatas.* Demum in Capitularibus Regum Francorum *lib. 7. cap. 179. tom. 1. col.* 1062. ex recenſione Baluzii, hæc in nuptiis præſcribuntur ſervanda; *Prius conveniendus eſt Sacerdos, in cujus Parochia nuptiæ fieri debent in Eccleſia coram populo; & ibi inquirere una cum populo ipſe Sacerdos debet, ſi ejus propinqua ſit, an non, aut alterius uxor, vel ſponſa, vel adultera: & ſi licita, & honeſta omnia pariter invenerit, tunc per conſilium, & benedictionem Sacerdotis, & conſultis aliorum bonorum hominum, eam ſponſare, & legitime dotare debet.*

IV. Hæc, aliaque hujus generis multa, a viris eruditis congeſta, probant quidem, ſemper ab Eccleſia vetita clandeſtina conjugia; ſed, num ante Tridentinum fuerint inſuper ullo unquam tempore etiam irrita, quæſtio eſt, de qua ſecum contenderunt ejuſdem Concilii Tridentini Patres; uti videre eſt apud Cardinalem Pallavicinum *in hiſt. Triden. lib. 22. cap. 4.* Etenim, cum plerique Patrum abnuerent enunciato decreto *cap. 1. ſeſſ. 24.* eo quod abſonum reputarent, tunc primum irrita decerni matrimonia, aliter quam coram Parocho celebrata, quæ etſi ſemper Eccleſia eſſet deteſtata, nunquam tamen antea firmitate carere voluerat, alii, qui pro decreto ſtabant, illis oppoſuerunt modo a nobis allegatas veruſtiſſimas Eccleſiæ ſanctiones, quibus Sacerdotalem benedictionem præſcriptam contendebant non ſolum ad cohoneſtanda, verum etiam ad firmanda Chriſtianorum conjugia: idque adhuc clarius colligi ajebant ex decreto, Euariſto Papæ adſcripto, & relato *in Can. Aliter, 30. quæſt. 5.* ubi habetur: *Aliter legitimum non fit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam feminam dominationem habere videntur .... uxor petatur ..... & ſuo tempore ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus, & oblationibus a Sacerdote benedicatur .... Ita peracta, legitima ſcitote eſſe connubia: aliter vero præſumpta, non conjugia, ſed adulteria, vel contubernia, vel ſtupra, aut fornicationes.* Aliud addere poterant, & fortaſſe addiderunt, indubitatum teſtimonium Nicolai I. qui, cum reſciviſſet, Lotharium, Imperatoris Lotharii filium, & Caroli Calvi Regis Francorum nepotem, repudiata priore uxore Teuthberga, cui perpetrati inceſtus cum Huberto fratre ſuo crimen affinxerat, aliam duxiſſe nomine Waldradam, ſeu Gualdradam, quam tamen, ad ſuum excuſandum flagitium, ante Teuthbergam, a ſe ductam affirmabat, Concilium Metis celebrandum indixit, ſuiſque Apoſtolicis Legatis, Radoaldo Portuenſi, & Joanni Ficolenſi Epiſcopis, illuc miſſis, ut de hac cauſa judicarent, præcepit, ut diligenter inveſtigarent, an revera Lotharius, priuſquam conjugali fœdere ſe divinciret Teuthbergæ, matrimonium celebraſſet cum Gualdrada *coram teſtibus, ſecundum legem, & ritum, quo nuptiæ celebrari ſolent. Si vero* (ait *in Can. Lotharius, 31. quæſt. 2.*) *minime probatum fuerit, Gualdradam fuiſſe uxorem legitimam, neque nuptiis ſecundum morem celebratis, per benedictionem ſcilicet Sacerdotis, filio noſtro Lothario extitiſſe conjunctam; ſuggerite illi, ut non moleſte ferat, legitimam ſibi (ſi ipſa innocens apparuerit) reconciliari uxorem.* Hinc enim videtur evidenter inferri, medio ſeculo IX. quo Nicolaus I. univerſalem regebat Eccleſiam, ratas non fuiſſe Chriſtianorum nuptias, niſi eſſent *ſecundum morem celebratæ per Sacerdotalem benedictionem*, uti ajebat Nicolaus. Ex quibus omnibus prædicti Tridentini Patres, qui decretum urgebant, quo irrita fierent matrimonia clandeſtina, nihil per illud novi decerni, concludebant, ſed antiquas tantum Eccleſiæ leges inſtaurari, quas, aliquot duntaxat ante Tridentinum ſeculis, ſola contraria conſuetudo abrogaverat.

V. Verum alii Theologi, & Patres, qui decreto obſiſtebant, non ſatis conſtare affirmabant, Sacerdotalem benedictionem fuiſſe ullo unquam tempore neceſſariam ad vires impertiendas Chriſtianorum connubiis. Ad Tertullianum enim quod attinet, alioſque Patres, & Canones, eundem in modum loquentes, eos commode intelligi, ajebant, de ſola neceſſitate præcepti, quo cogebantur Fideles ſuas nuptias celebrare coram ſacro Eccleſiæ Miniſtro, cujus benedictione uberiorem aſſequerentur ſanctitatem. Siquidem Siricius Papa *epiſt. ad Himerium, Epiſcopum Tarraconenſem, cap. 4.* Sacerdotali benedictione obſignari voluit etiam ſponſalia de futuro ſcribens: *De conjugali autem violatione requiſiti, ſi deſponſatam alii puellam alter in matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.* Hic quippe ſermonem eſſe de ſponſalibus de futuro, non dubitat Couſtant *in notis ad epiſt. Pontif. tom. 1. col.* 628. inquiens: *Obvius verborum Siricii ſenſus poſtulat, ut ea potius de prima diſpenſationis fide, qua etiam Virginem conjugem vocari Patres ex Evangelio probant, interpretemur.* Nec tamen inde conficitur, etiam promiſſionem matrimonii inanem fuiſſe ſine Sacerdotis benedictione. Ad Canonem porro Euariſti, de quo ſpecialis erat, & nunc quoque eſt difficultas, non quod genuinus credatur Euariſti fœtus, ſed quia (uti alias diximus de ſimilibus epiſtolis decretalibus ab Iſidoro productis) præſumitur fabricatus ad normam diſciplinæ, quæ in Eccleſia vigebat in fine octavi, aut initio noni ſeculi; Ad Canonem (inquam) Euariſti reponebant, ſi ille accipiendus eſſet, ſicuti verba ſonant, non ſola Sacerdotis benedictio, verum etiam alia quamplurima, ibidem enumerata, faiſſent de forma conjugalis contractus; quod tamen nemo unus aſſeruit: ait quippe Pſeudo-Euariſtus: *Aliter legitimum non fit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam feminam dominationem habere videntur, & a quibus cuſtoditur, uxor petatur, & a parentibus, & propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus, & oblationibus a Sacerdote benedicatur, & a paranymphis, ut conſuetudo docet, cuſtodita, & ſociata, a proximis congruo tempore petita, legibus detur, ac ſolemniter accipiatur, & biduo, vel triduo orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant. Ita peracta, legitima ſcitote eſſe connubia; aliter vero præſumpta, non conjugia, ſed adulteria &c.* Ne itaque tot conditiones ad matrimonii validitatem unquam ab Eccleſia requiſitas putemus, neceſſe eſt ita Pſeudo Euariſtum explicare, ut illis verbis: *Aliter legitimum non fit conjugium*: ſolum ſignificare voluerit, aliter non fieri *licite*, omnibuſque ſervatis ritibus, atque ſolemnitatibus a legibus præſcriptis. Aliter porro facta conjugia, appellanda dixit *adulteria, & contubernia*, quia, uti ibidem adnotavit Gloſſa *verb. Contubernia*, matrimonia clandeſtina occaſionem, & ſecuritatem præbent alia poſtea ineundi, in foro quidem externo legitima, ſed quæ vere, & coram Deo ſunt adulteria, & contubernia. Ceterum ipſemet Canonis Auctor ratas, etſi legitimæ non eſſent, reputavit nuptias, ſine prædictis ſolemnitatibus celebratas: poſtquam enim dixerat, aliter inita conjugia eſſe adulteria, contubernia &c. hanc ſtatim limitationem appoſuit: *niſi voluntas propria ſuffragaverit, & vota ſuccurrerint legitima*: quam limitationem opportune ponderavit, ac Tridentinis Patribus, de allegati Canonis ſenſu inter ſe diſputantibus, conſiderandam propoſuit Didacus Laynez, uti idem Pallavicinus refert *cit. cap. 22. num. 25.* Et ſane, quamquam hodie nomine matrimonii legitimi, & non rati, communiter intelligamus matrimonium Infidelium;

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



olim tamen a Juris Canonici Peritis, *etiam* inter matrimonia Fidelium, fuiſſe hanc adhibitam diſtinctionem, ut alia dicerentur legitima, & rata, alia rata duntaxat, ſed non legitima, teſtis eſt Gratianus, qui *in fine quæſt.* 1. *cauſ.* 28. loquens de conjugiis Fidelium, hæc ſcripſit: *Horum quædam ſunt legitima, veluti cum uxor a parentibus traditur, a ſponſo dotatur, & a Sacerdote benedicitur. Hæc talia conjugia, legitima, & rata appellantur. Illorum vero conjugia, qui, contemptis omnibus illis ſolemnitatibus, ſolo affectu aliquam ſibi in conjugem copulant, hujuſmodi conjugium, non legitimum, ſed ratum tantummodo eſſe creditur.*

VI. Facilius fuit Nicolai I. epiſtolæ genuinum ſenſum aperire. Siquidem Lotharius, minime ſibi conſtans, nunc unam, nunc alteram obtendebat ſui repudii cauſam, quod ex pluribus conſtat ejuſdem Nicolai epiſtolis, præſertim 22. 23. 32. 49. 52. *et* 58. hac ſuper cauſa datis, quæ extant in Collectione Harduini *tom.* 5. *col.* 236. *et ſeq.* & fuſe enarrant Natalis Alexander *diſſert.* 9. *in hiſtor. Eccleſ. ſec.* IX. *et* X. & Pagi junior *in Vitis Nicolai I. et Hadriani II.* Ad Pontificem autem ſcripſerat, ſe Teuthbergam repudiaſſe, quia, priuſquam ei nuberet, jam erat obſtrictus vinculo alterius connubii, initi cum Gualdrada. Videns porro Pontifex, quam parum fidendum eſſet aſſertionibus parum ſibi cohærentis Lotharii, nullam, quoad hoc, ei fidem habendam reſcripſit, niſi probaret, ſe legitime, omnibuſque adhibitis juris ſolemnitatibus, nupſiſſe Gualdradæ, quam ceteroquin aliunde notum erat habuiſſe loco pellicis; ſicuti iidem citati Auctores teſtantur. Ceterum a Nicolao validum habitum Matrimonium clanculum ſolo contrahentium conſenſu celebratum, liquet ex ejuſdem reſponſis ad conſulta Bulgarorum, ubi, poſtquam omnes deſcripſit nuptiales ritus, in Romana Eccleſia uſitatos, illis prorſus reſpondentes, quos nuper a Pſeudo-Euariſto audivimus, inquit *cap.* 3. *tom.* 5. Collectionis Harduini *col.* 355. *Peccatum autem eſſe, ſi hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Græcos vos adſtruere dicitis: præſertim cum tanta ſoleat arctare quoſdam rerum inopia, ut ad hæc præparanda nullum his ſuffragetur auxilium; ac per hoc ſufficiat, ſecundum leges, ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui conſenſus ſi ſolus in nuptiis forte defuerit, cetera omnia, etiam cum ipſo coitu, celebrata fruſtrantur.* Jure autem Bulgari ad Nicolaum ſcripſerant, ſe a Græcis accepiſſe, non poſſe recenſitas nuptiarum ſolemnitates ſine peccato omitti, quoniam Leo Imperator *Novell.* 89. publica lege ſanciverat, ut *ſacræ benedictionis teſtimonio* matrimonia confirmarentur, *adeo ut, ſi qui citra hanc matrimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque illos in vitæ illa conſuetudine matrimonii jure potiri velimus.* Verum hæc Conſtitutio, cum a Principe laico prodierit, non potuit matrimonii validitatem, quoad forum conſcientiæ, infringere.

VII. Hæc in utramque partem a Tridentinis Theologis, & Patribus verſata ſunt, & tandem deliberatum, ut matrimonia clandeſtina, ſive ullo unquam tempore fuerint antea invalida, ſive non, quod dubium profecto, atque incertum remanſit, ad ea nihilominus præcavenda graviſſima mala, quæ in animarum perniciem, ac totius Chriſtianæ reſpublicæ perturbationem ex illis obveniebant, & quibus, experientia docente, haud ſatis occurrere poterat ſola eorundem prohibitio, a Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. *in Cap. Cum inhibitio, de clandeſt. deſponſat.* renovata, deliberatum (inquam) eſt, ut invalida in poſterum decernerentur: quod re ipſa factum legimus per ſæpius laudatum ſaluberrimum decretum *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reformatione matrimonii.*

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

*Ex eo quod præſentia Parochi neceſſaria nunc ſit ad vires tribuendas Chriſtianorum connubiis, recruduit quæſtio, jam antea a nonnullis excitata, an ſcilicet ille ſit Sacramenti matrimonii Miniſter. Secum invicem hac in re pugnantium Doctorum præcipua argumenta proferuntur: concluditurque, non eſſe in Synodalibus conſtitutionibus de hujuſmodi controverſia ferendum judicium, nec aliquid aſſerendum, quod uni, aut alteri opinioni refragetur.*

CUm prædicta controverſia inter Tridentinos Patres ferveret, aliquot Theologi Pariſienſes, duce Simeone Vigorio, in medium protulere ſententiam Guillelmi Pariſienſis, qua rem totam facile componi, arbitrabantur. In unoquolibet matrimonio, etiam Fidelium, diſtinguendam voluit Guillelmus *in ſuo Tract. de Sacram. matrim. cap.* 9. rationem contractus a dignitate Sacramenti; docuitque, illam quandoque ab hac ſeparari: etenim (ajebat) Miniſter Sacramenti matrimonii eſt Sacerdos, qui ſolus poteſt contractum conjugii, de ſe mere civilem, & profanum, ſua benedictione conſecrare, & efficere, ut per eam, tanquam formam, elevetur ad cauſandam gratiam ex opere operato: eo pacto, quo aqua elementaris, quæ eſt materia Sacramenti Baptiſmi, per verba a Miniſtro prolata, quæ ſunt ejuſdem Sacramenti forma, virtutem acquirit abluendi interiores animi ſordes, producendique gratiam: quare, pergebat Guillelmus, ſi contingat, matrimonium ſine Sacerdotis præſentia iniri, validum & firmum utique erit in ratione contractus; nequaquam autem Sacramenti naturam, ac virtutem participabit. Poſita porro hac opinione, omnem explanatam difficultatem deprædicabant Pariſienſes: præjactis quippe Guillelmi principiis, perſpicuum fit, matrimonia clandeſtina, quamvis ſemper ab Eccleſia vetita, ſemper nihilominus firmitatem habuiſſe inſolubilis contractus, ſed Sacramenti natura, dignitate, ac virtute caruiſſe: Canones proinde, & Patres validitatem illis attribuentes, ſolum reſpexerunt civilem contractum: quibus vero eadem viſa ſunt minus rata, conſideratunt in illis rationem Sacramenti, quam ſine Sacerdotis benedictione minime aſſequi, exiſtimarunt.

II. Hæc Pariſienſium doctrina, a Vigorio propoſita, ſi vera narrat Pallavicinus *cit. hiſt. lib.* 20. *cap.* 4. *num.* 1. paucos quidem habuit ſectatores: attamen non erat adeo ſingularis, uti dictitavit Sotus *in* 4. *diſt.* 26. *quæſt.* 2. *art.* 3. ſiquidem, præter Guillelmum, eandem tradiderat Paludanus *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt.* 2. eidemque adſtipulati fuerant Patres Concilii Provincialis Colonienſis I. anni 1536. *part.* 7. *cap.* 40. *tom.* 9. Collectionis Harduini *col.* 2010. ubi non obſcure inſinuarunt, contractum matrimonii nonniſi per Sacerdotis benedictionem Sacramentum effici, ajentes: *Quod Sacramentum, ſi quis, ſicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore caſto, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam:* & clarius id ipſum expreſſit, qui eidem Concilio præfuit, & poſtea ad Lutheranos defecit, Hermannus, Archiepiſcopus Colonienſis, in ſuo Catechiſmo, ubi *pag.* 273. agens de Sacramento matrimonii, hæc habet: *De Miniſtro hujus Sacramenti poſtremo videndum eſt. Ut forſan quidam non improbanda ratione dicant, matrimonium certum Miniſtrum non exigere, quod conjuges in ſe caſto amore, ac religioſe conſentientes Deus ipſe conjungat; tamen videmus, & in veteri lege quoſdam fuiſſe, qui Dei vice conjuges conjungerent: quanto ergo magis putandum eſt, in nova lege Sacerdotes, qui legatione pro Deo funguntur, legitimos hujus Sacramenti Miniſtros eſſe?* Præterea paulo ante, quam Vigorius Guillelmi opi-

opinionem Tridentinis Patribus exponeret, anno nimirum 1562. publici juris factum fuerat, etsi fortasse nondum omnibus innotuisset, celeberrimum Opus Melchioris Cani *de Locis Theologicis*, ubi *lib.8. cap.5.* doctissimus Auctor Guillelmi sententiam instaurat, & validissimis sustentat argumentis: nam, preterquamquod (inquit Canus) nunquam Patres Christianorum matrimonium verum Sacramentum nominarunt, nisi simul meminerint Sacerdotalis in illo intervenientis ministerii, quod percurrenti, quos jam præmisimus, textus, patebit; certum est, quodlibet Sacramentum esse opus Divini cultus, & religionis. Matrimonium autem, solis verbis viri, & feminæ contractum, sine ullo ministerio Sacerdotis aliquam ponentis sacram cæremoniam, licet rei sacræ signaculum sit, non potest tamen dici opus Divini cultus, & religionis. Ad hæc, Augustinus *in epist. ad Bonifacium* tradit, oportere, res ipsas corporeas, quibus Sacramenta constant, imaginem, & similitudinem gerere ejus sanctificationis, cujus sunt signa, & causæ: cum autem connubiale fœdus, sine ullo sacro ritu, & Sacerdotis ministerio contractum, nullam exterius exhibeat speciem interioris sanctificationis, consequens est, ut proprie Sacramentum non sit. Deinde Concilium Florentinum docet, omnia Sacramenta constare rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma; nemo autem sibi facile suadebit, formam Sacramenti matrimonii esse verba, quibus contrahentes suum exprimunt consensum, quæ mere profana sunt, atque etiam ab Ethnicis usurpata. Insuper verba, quæ sunt alicujus Sacramenti forma, non possunt suppleri per nutus, scripturam, aliudve signum, eorum loco substitutum; quod consideranti alia Sacramenta est manifestum: at contrahentes, si, verborum loco, nutus, scripturam, aliudve signum supponant, æque matrimonium perficiunt, ac si verbis uterentur: non igitur eorum verba sunt Sacramenti matrimonii forma. Tandem Auctores, qui tenent, contrahentes esse Sacramenti matrimonii ministros, multum inter se dissentiunt in determinanda ejusdem Sacramenti materia, ac forma. Aliqui enim cum Catharino *de Matrim. quæst.1.* docuere, consensum contrahentium, exterioribus signis expressum, esse materiam; verba vero a Christo Domino semel prolata *Matth.19.*: *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ*: esse formam pro omnibus Fidelium matrimoniis. Alii cum Victoria *in Summ. de Matrim. num.245.* opinantur, verba unius contrahentis, qui primo suum præstat consensum, esse materiam, & verba secundo proferentis esse formam, per quam prima determinantur ad constituendum contractum, & Sacramentum; quam quidem opinionem probabilem putat Henriquez *de Sacram. lib.11. cap.2.* Alii cum Convarr. 2. *part. de Matrim. cap.1. num.8.* Vasquez *in 3. part. tom. 2. disp. 129. cap.3. & disp.3. de Matrim. cap.5.* & Basilio Pontio *de Matrim. lib.1. cap.7. num.12.* existimant, consensus utriusque contrahentis, verbis, seu signis manifestatos, esse formam, corpora esse materiam remotam, eorumque traditionem, & acceptationem (quam nescimus quo pacto a consensu distinguant) esse materiam proximam. Alii cum Cardinali de Lugo *disp.2. de Sacram. num.29.* dicunt, contrahentium verba, seu signa, prout sunt traditio corporum, esse materiam; ut vero significant, & causant personalem obligationem in utroque contrahente, esse formam. Alii demum, magisque communiter, cum Soto *in 4.dist.26. quæst.2. art.1.* Bellarmino *lib.1. de Matrim. cap.6.* Suarez *tom.3. in 3.part. de Sacram. disp.2. sect.1.* Sanchez *de Matrim. lib.2. disp.5. num.6.* & Gonet *disp.2. art.5.* defendunt, utriusque contrahentis consensum, verbis, seu signis expressum, esse materiam simul, & formam, sed sub diversa consideratione: est enim materia, quatenus significat corporum traditionem; est forma, quatenus mutuam exhibet eorundem acceptationem. Jam vero, clamat Melchior Canus, nonne tanta, in re gravissima, varietas, & dissonantia haud leve indicium est falsitatis opinionis, ad quam adstruendam coguntur illius assertores tot diversas assignare unius Sacramenti materiam, & formam, quarum pleræque hæreticis nugatoriæ, ipsisque Catholicis aut commentitiæ, aut certe parum solidæ videntur? Ad tot igitur evitandas ineptias, concludit Canus, a junioribus Theologis excogitatas, teneamus, oportet, Sacramenti matrimonii Ministrum esse Sacerdotem; formam esse benedictionem, seu sacra verba, quibus ille conjugibus bene precatur; materiam vero esse contractum civilem, ab ipsismet contrahentibus mutuo consensu perfectum.

III. Hactenus Melchior Canus, cujus argumenta etsi totis viribus convellere studuerit Bellarminus *cit. lib.1. cap.7.* non ideo tamen a Cani opinione omnes retraxit: siquidem eandem sunt postea sectati Sylvius *in 3. part. D.Thom. tom.4. dist.42. art.1. quæst.1.* Estius *in 4.sent. dist.26. §.10.* Juenin *de Sacram. dissert.11. quæst.3.* Serry *cit. præfat. ad Opera* Melchioris Cani *cap.7* du-Hamel *Theolog.tom.7. tract. de Matrim. cap.6.* Tournely *de Sacram. matrim. pag.120. & seq. edit. Parisien.* Herminier *tract. de Sacram.tom.3.cap.5.* Piette *part.6. Quæstion. theologicar.13.* Gibertus *Consult. Canonic. de Matrim. tom.1. consult.55.* & alii.

IV. Verum, quamquam hucusque explicata Melchioris Cani sententia, tot Doctorum suffragiis communita, sit valde probabilis, ac cuique liberum, absque ulla erroris nota, eam amplecti, uti fatentur Habert *in Theolog. dogmat. & moral. tract. de Matrim. cap.4* Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. de Sacram. matrim. art.5. §.2.* & Genet. *Theolog. moral. tom.5. tract.9. cap.4.* attamen nullus inficiabitur, communiorem esse contrariam aliorum opinionem, qui constanter defendunt, solos contrahentes esse ministros Sacramenti matrimonii; quod proinde necessario ab illis confici docent, simul ac validum inter se ineunt conjugii contractum. Hanc quippe sententiam propugnarunt ferè omnes antiqui Theologi, Jurisque Canonici Interpretes, quos citant, & sequuntur Vasquez *cit. disp.3. de Sacram. matrim. dub.3.* Sanchez *lib.2. de Matrim. disp.5. & 6.* Theophilus Raynaudus *in Heteroclit. spiritual. punct.14. Oper. tom.16.* Fraſſen *in sua Scoto Academico tom.12. tract.3. disp.2. art.1. quæst.3. concluſ.2.* Cardinalis de Lauræa *in 4.tom.3. de Matrim. disp.13. art.6.* Clericatus *decis.6. de Matrim.* Cardinalis Gottus *tom.4. in 3.part. dub.5. §.1. quæst.2.* Nec verum est, quod nonnulli jactitant, hanc opinionem, ultra montes, esse jam fere antiquatam: ex illis quippe, qui ultra montes non diu antea scripserunt, eandem tuentur Van-Espen *Jur. Eccles. univers. tom.1. part.2. tit.12. cap.5. num.4.* Simonet. *Instit. Theologic. tom.3. tract.18. disp.1.& 2.* Boucat *in Theologia Patrum tom.5. disp.7. de institutione matrimonii art.5. sect.1. & sect.2.* Auctor Theologiæ moralis ad usum Seminarii Petrocorensis *tom.4. cap.4.* Merbesius *in Summa Christiana tom.2. de Sacram. matrim. diff.7. quæst.5.* Pontas *in suo Dictionario verb. Matrimonium tertio caſ.1.* aliique non pauci: quocirca Tournely, quamquam Melchiori Cano adhæserit, nihilominus ingenue fatſus est *cit. loc. Si ex auctoritate, & numero Scholasticorum pugnandum hic foret, vinceret haud dubie oppoſita ſententia.*

V. Neque tam ingens Theologorum numerus tanta animi fortitudine pro hac sententia dimicaret, nisi & ipsi validissima haberent argumenta, quæ suis adversariis opponant; inter quæ non contemnendum utique est, quod in hunc modum instaurant. Quidquid sit, an matrimonia clanculum celebrata, fuerint unquam ante Tridentium irrita, apud omnes tamen indubita-

tum est, ea, aliquot ante Tridentinum *seculis*, firmitate non carnisse; id quippe diserte declararunt ipsimet Tridentini Patres *cit. cap.1. hisce* verbis: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant:* & siquidem idem Tridentinum, suum decretum, quo irrita illa fecit, robur habere noluit, nisi post triginta dies a die primæ ejusdem publicationis in unaquaque Parochia factæ numerandos, certum pariter est, etiam nunc matrimonia clandestina vera, ac rata esse in locis, quibus prædictum decretum nunquam fuit promulgatum. Jam autem nunquam Tridentini Patres illa *vera, ac rata* conjugia dixissent, & declarassent, nisi credidissent, ea esse vera Sacramenta: uti enim perpendit Bellarminus *cit.cap.7.* sapientissimis illis Patribus notum erat, a sacris Canonibus, quibus suum loquendi modum conformasse est præsumendum, ea tantum matrimonia dici *vera, ac rata*, quæ non solum sunt contractus civiles, sed etiam Sacramenta religionis: quod potissimum discimus ab Innocentio III. *in Cap. Quanto, de divortiis*, ubi ait: *Etsi matrimonium verum inter Infideles existat, non tamen est ratum: inter Fideles autem verum, & ratum existit, quia Sacramentum Fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum afficit conjugii Sacramentum.* Porro si semel evincitur, matrimonium sine Sacerdotis præsentia clanculum contractum, aliquando fuisse, & alicubi nunc quoque esse Sacramentum; necessario inde conficitur, illius ministros esse contrahentes, & non Sacerdotem.

VI. Præterea, si Sacerdos esset Minister Sacramenti matrimonii, verba ab eodem prolata: *Ego vos conjungo &c.* essent ejusdem Sacramenti forma; quod ultro concedunt Doctores Cano adstipulantes. At, inquiunt adversarii, nec ea verba, nec alia illis æquivalentia, semper, atque ubique *adhibita fuere*, neque eadem, aut illis similia *invenientur* in omnibus Ritualibus; quemadmodum testatur Martene *de antiq. Eccl. ritib. tom.2. lib.1. cap.9. art.3. num.6.* inquiens: *Inaudita apud eos (majores nostros) erant illa verba Parochi: Ego vos conjungo &c. in quibus aliqui ex recentioribus Scholasticis formam hujus Sacramenti constituunt, quæ tamen desideratur in duobus antiquis Ritualibus Mss. Beccensis monasterii, & in Pontificali Senonensi annorum 300. in antiquo Rituali Bituricensi, & in aliis pene omnibus, quæ a nobis postea exhibebuntur*: additque Simonet. *cit. tract.18. disp.2. art. unic. §.3.* alicubi hæc tantum verba a Sacerdote fuisse pronunciata: *Quod Deus conjunxit, homo non separet:* quæ certe nihil commune habent cum illis: *Ego vos conjungo &c.* Et quamvis Tridentinum *cit. loc.* hanc posteriorem formulam indicaverit, quamcumque tamen aliam, juxta cujuslibet regionis usum, adhiberi permisit: *vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Tantam porro varietatem Ecclesia non toleraret, multoque minus cujuslibet provinciæ arbitrio permisisset, si existimasset, per verba a Sacerdote prolata confici Sacramentum matrimonii.

VII. Sunt qui insuper hoc idem argumentum confirment exemplo secundarum nuptiarum, quæ quamquam valide, & licite contrahantur, quidquid in contrarium sentiant aliquot Orientales, quos, hac in re errantes, nos redarguimus *in nostra Constit.57. §.8. num.3. & in alia nostra Constit.129. §.29. Bullarii nostri tom.1.* attamen prohibentur benedici tam apud Latinos, ut habetur *in Cap.1. de secundis nuptiis*, quam apud Græcos, ut *in cit. nostra Constit.57. §.8. num.4.* hinc quippe interum inferri autumant, Sacerdotis benedictionem necessariam non esse ad perficiendum matrimonii Sacramentum. Verum ejusmodi argumentum inane, & fallax est: etenim secundæ nuptiæ non sunt quidem benedicendæ ea solemni benedictione, quæ continetur in speciali Missa pro sponso, & sponsa, de qua nos egimus *in nostra Instit.80.* quamque nullus unquam dixit pertinere ad essentiam Sacramenti matrimonii; sed, ut validæ sint, contrahi debent coram Parocho, qui eodem plane ritu, eademque verborum formula, in quam unice cadit præsens controversia, illis bene precatur. Non ignoramus, Glossam Canonicam adnotasse, ideo secundas nuptias non esse benedicendas, ne Sacramenta iterentur; sed nomine Sacramenti intellexisse arbitramur *Sacramentale*, quod licet in se spectatum semper iterari queat hic tamen obstat specialis ratio, ne iterari permittatur: siquidem, uti scite, atque ad rem ponderat S. Thomas *in 4. dist.42. quæst.3. art.1.* quamvis secundum matrimonium verum Sacramentum sit, deficit tamen ab illa perfecta significatione unionis Christi cum Ecclesia, quæ cum fuerit, & sit unius cum una, melius, & perfectius repræsentatur per primum: propter hunc autem significationis defectum Ecclesia denegat secundis nuptiis eam solemniorem benedictionem, quam primis impertitur.

VIII. Melius, & solidius fulciri potest eadem opinio alia ratiocinatione, quam a suis Auctoribus prætermissam advertimus. In locis, in quibus Tridentinum jam est promulgatum, non raro contingit, virum, & feminam matrimonium inter se contracturos, inopinantem Parochum adire, & coram eo, quamvis invito, & reluctante, ac duobus testibus, ibidem fortuito astantibus mutuum in conjugium consensum exprimere, atque inde statim se subducere, quin Parochus ullum, nisi fortasse objurgationis, verbum protulerit. Ejusmodi matrimonium, in sententia Melchioris Cani, est *validum in ratione contractus*; sed, ob defectum Sacerdotalis benedictionis, non est Sacramentum. Ne itaque sic copulati Fideles perpetuo careant gratia, quæ ex Sacramento matrimonii in contrahentes derivatur, deberet Ecclesia illos compellere, aut saltem hortari, atque inducere ad suum contractum legitime, consuetisque adhibitis sacris ritibus, iterum renovandum coram eodem Parocho, cujus verbis fiat Sacramentum; atque, ob eandem rationem, coram Sacerdote aut præciperet, aut saltem instaurari curaret clandestina conjugia, in locis inita, ubi Tridentini decretum non est receptum. Cum autem in neutro casu conjugii renovationem ab Ecclesia urgeri videamus, non temere inde conjicimus, utrumque contractum, quamquam Sacerdotis benedictione non obsignatum, jam ab Ecclesia haberi pro Sacramento. Ad hanc excutiendam difficultatem, respondere possunt Cani asseclæ, ideo Ecclesiam nequaquam sollicitam esse de prædictis conjugiis, debito ritu instaurandis, quia contractus conjugii semel valide initus, nisi, cum iniretur, Sacramenti naturam induerit, nunquam deinceps poterit Sacramentum effici: quod docent Durandus *in 4. dist.26. quæst.3. num.14.* Vasquez *tom.2. in 3.part. disp.138. cap.5. tom.4. disp.2. de Matrim. cap.10.* aliique, quos citat, & sequitur Basilius Pontius *de Matrim. lib.1. cap.9. num.8.* Verum hac responsione difficultatem non evadunt: siquidem alii longe plures Doctores, quos recenset, & sequitur Sanchez *lib.2. de Matrim. disp.9.* existimat, matrimonium, quod fuit validum solum in ratione contractus, posse deinde renovari, & assequi virtutem Sacramenti, qua prius caruit. In hac porro dubietate non negligeret Ecclesia Fideles urgere, ut in prædictis rerum eventibus sua connubia debito modo renovarent, ne frustrarentur ad minimum spe consequendæ gratiæ, quæ saltem in multorum probabili, & communiori sententia, ex contractus iteratione ipsis obveniret.

IX.

IX. Utriusque opinionis solidiora fundamenta innuimus, non animo quemquam inducendi ad unam, aut alteram amplectendam; sed ut Episcopis sit persuasum, utramque esse probabilem, suosque habere magnæ auctoritatis patronos: atque inde non decere discant, ut ipsi Judicis partes assumant, quæstionemque definiant, de qua Ecclesia nihil hactenus pronunciavit, sed Theologorum disputationi permisit. Quare acturi in Synodis de matrimonio, proponant quidem, explicentque doctrinam a Concilio Florentino, & Tridentino de ejusmodi Sacramento diserte traditam; sed caveant ne aut Parochum, aut ipsos contrahentes, ejusdem ministros appellent: suorum vero Prædecessorum Synodos, in quibus ministri nomen vel istis, vel illi inditum reperient, intactas relinquant; ne, eas corrigendo, aut approbando, in idem incidant vitium alterutri suffragandi ex controversis inter Theologos opinionibus: a quo Diœcesanas Synodos prorsus immunes esse debere, hucusque inculcavimus.

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

*Corrigitur falsa doctrina, quæ in quasdam Synodos irrepsit, quoad idem matrimonii Sacramentum.*

IN Synodo Bononiensi, habita anno 1634. dicitur, non posse viros, & feminas a matrimoniis contrahendis hoc nomine prohiberi, quod doctrinam Christianam ignorent, quamvis deceat, ut Parochus ejusmodi prohibitionem illis commineatur, quo facilius eosdem inducat ad Fidei rudimenta addiscenda. Idem sentit Romaguerra in notis ad Constitutiones Synodales Gerundenses *lib.4.tit.1.cap.2.* ubi, cum in hanc offenderit Synodalem sanctionem: *Renovantes Constitutionem in ultima Synodo editam circa doctrinam Christianam, statuimus, & ordinamus, quod de cetero ad sponsalia, per verba de præsenti, non admittantur, qui doctrinam Christianam nescierint, & confirmati non fuerint*; loco eam illustrandi, uti alias solet, tacite impugnat docens, fas non esse Episcopo, quemquam a matrimonio arcere hanc solam ob causam, quod doctrinam Christianam ignoret; sed duntaxat posse blandis verbis, atque adhortationibus cum inducere ad matrimonium differendum, donec Christianis imbuatur institutis. Nec dissimilia sunt, quæ in hanc rem adduxit Marcellus Severoli *in suo Voto impresso part. 14. Recent. decis.535. n.52. & 53.*

II. Fulcitur hæc opinio quorumdam Theologorum auctoritate, qui, cum ignorantiam doctrinæ Christianæ non invenerint in vulgatis versiculis, in quibus enumerantur impedimenta matrimonium impedientia, asserere proinde non dubitarunt, neminem posse, ob illam solam, a matrimonio celebrando cohiberi. Ita docuit Thomas Sanchez *lib.3. de Matrim. disp. 15. num. 9.* inquiens: *Nescio tamen, qua ratione possit (Episcopus) ob hanc ignorantiam arcere aliquos a matrimonio contrahendo, cum ipsius non sit impedimenta matrimonii statuere, nec hoc impedimentum ab Ecclesia statutum sit:* & sequitur Diana *in edit. coord. tract.6. tom. 2. resolut.95.*

III. Verum huic doctrinæ & Rituale Romanum, & S. Carolus Borromæus, & quamplurimæ Episcopales Synodi, ac summorum Pontificum Edicta adversantur. Etenim Rituale Romanum *tit. de Matrim.* de iis loquens; qui matrimonio sunt jungendi, ait: *Uterque sciat rudimenta Fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.* S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi V. *part. 3 Act. Eccl. Mediol. part. 1. pag. 287.* hæc statuit: *Parochus, quos sponsos experiundo viderit doctrinæ Christianæ rudimenta plane ignorare, ne matrimonio illos ante jungat, quam ea item ratione cognoverit didicisse, quæ eo de genere illos plane scire oportet:* quæ verba advertens Franciscus Amatus Pouget *Instit. Catholic. tom.2. part.3. sect.1. cap.8.§.5.num.6.* inquit: *Non accedendum prius ad connubii legem, quam teneantur præcipua religionis mysteria, Christianæque vitæ ratio; & conjugatorum officia probe noscantur.* In Archiepiscopali Bononiensi Cardinalis Gabrielis Palæoti *part.3. pag.157.* cavetur, ne Parochus ad tertiam deveniat matrimonii denuntiationem, nisi certo noverit, sponsos principalia Fidei nostræ mysteria didicisse, & saltem *Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolicum, & Præcepta Decalogi* memoriæ mandasse. Idem edixere innumeræ Synodi, collectæ a Genetto *Theolog. moral. tom.5. tract.9. cap.2. quæst.17.* quibus addimus Synodum Farfensem, habitam anno 1685. a Cardinali Barberino, Cæsanatensem habitam anno 1693. a Cardinali Denhoff, Neapolitanam habitam anno 1694. a Cardinali Cantelmo, Ariminensem habitam anno 1724. a Cardinali de Via, Neapolitanam habitam anno 1726. a Cardinali Pignatello, Sabinensem habitam anno 1736. a Cardinali Albano, omnes *ad titulum de Matrimonio*. Ac demum in Congregatione habita coram san. mem. Innocentio XII. anno 1697. decretum est, non esse a Parochis matrimonium in Ecclesia proclamandum, nisi antea sponsos repererint in Christianæ religionis rudimentis sufficienter instructos; quod quidem decretum confirmatum fuit a fel. rec. Clemente XI. *in suo Bullario pag.326.* Idem edixit Cardinalis de Rohan *in suo Rituali Argentinensi ad tit. de Matrimonio pag.254.* ubi Parochos diligenter investigare jussit, *an matrimonio jungendi teneant rudimenta Fidei.* Ac denique nos ipsi in nostra encyclica Epistola ad universos Episcopos, quæ est 42. *in nostro Bullario §.11.tom. 1.* hæc scripsimus: *Verum, cum matrimonio jungendi non sint, si Parochus, ut debet, prius interrogando, deprehenderit, marem, seu feminam, quæ ad salutem necessaria sunt, ignorare; vix tantæ, ac tam luctuosæ ignorantiæ locum relinquet Episcopus, qui Pastores animarum admoneat officii sui, &, huic si desint negligentiæ repetat pœnas.*

IV. Quamobrem, cum doctrina tradita in citata Synodo Bononiensi anni 1634. a communi Ecclesiæ sensu, & praxi discordet, est omnino reformanda, & corrigenda sicuti reapse correcta fuit in alia Synonodo Diœcesana Bononiensi, celebrata a Cardinali Boncompagno anno 1698. *lib.2. cap.9.* atque iterum a nobis *Instit.9. & Instit.46.* ubi ad matrimonium contrahendum, neminem admitti, præcepimus, Christianis institutis nondum satis edoctum.

V. Neque in contrarium facit, quod ajebat Sanchez, nimirum non posse Episcopum nova impedimenta, matrimonium impedientia, statuere: huic enim difficultati in primis reponimus, ab Episcopo, repellente a matrimonio contrahendo ignorantes Christianæ religionis necessaria rudimenta, nullum de novo poni impedimentum, sed illud explicari, & inculcari, quo iidem jam detinentur: enimvero, cum matrimonium inter Fideles, unum sit ex septem novæ Legis Sacramentis, a Christo Domino institutis atque e numero eorum, quæ dicuntur *vivorum*, nemo, sine gravi sacrilegio, illud celebrare potest in statu peccati mortalis, quod optime perpendit Didacus Covarruvias *super 4. Decret. part.2. de Matrim. cap.6. in princ.* inquiens: *Existens in mortali crimine, non potest, absque novo peccato, matrimonium contrahere; tractat enim indecenter Sacramentum hoc maximum*: nec Parochus licite eidem matrimonio assistit; quamvis enim, juxta communiorem magisque receptam sententiam, non sit Sacramenti matrimonii Minister, ut *in præcedenti capite* diximus, nihilominus in multis comparatur Ministro, nec licite sua præsentia, & auctoritate firmare potest con-

UAB Biblioteca de Ciències Socials



contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri; quemadmodum prosequitur Cardinalis de Lauræa *in 4. sent. tom. 3. disp. 22. art. 22. num. 549.* & pluribus Franciscus Maria Muscettola, Archiepiscopus Rossanensis, *in sua dissert. de Sponsalibus, & Matrimoniis*, quæ extat post secundam impressionem *Observ.* bon. mem. Zauli *ad Statuta Faventina*, iterumque edita est Neapoli anno 1742. Qui autem Fidei rudimenta ignorat, quæ ex gravi præcepto scire tenetur, quamdiu illa non addiscit, cum potest, versatur in statu peccati mortalis, ac propterea jure ac merito a matrimonio contrahendo arcetur. Deinde idem Sanchez *cit. disp. 15. n. 3. lib. 7. disp. 6. n. 6.* Basilius Pontius *de Matrim. lib. 6. cap. 7.* Gaspar Hurtado *disp. 25. difficult. 1. n. 1.* & Perez *de Matrim. disp. 23. sect. 1. n. 1.* non solum in Episcopo, sed etiam in Parocho facultatem agnoscunt impediendi ad tempus matrimonium ex aliqua rationabili causa, puta ad sedandum scandalum, vel ad detegendam alicujus objecti impedimenti veritatem; nec tamen inde confici autumant, verum, & proprium impedimentum, eorum auctoritate, matrimonio apponi: siquidem illa prohibitio temporaria est, atque, ablato scandalo, & detecta falsitate objecti obstaculi, sine ulla dispensatione, cessat, & extinguitur. Idem autem contingit in re nostra: Episcopus enim ignorantibus Christianæ religionis instituta, & præcepta, matrimonium interdicit, solum ad tempus, donec scilicet illa addiscant: quod si hæc prohibitio diuturna sit, & perseveret, id per accidens est, atque unice oritur ex culpa eorum, qui illis erudiri aut recusant, aut negligunt.

VI. Unum tamen advertendum addimus, quod recte consideravit Giribaldus *de Sacram. matr. tract. 10. cap. 3. dub. 13. n. 111.* nimirum quandoque evenire, ut quis præcipua Fidei nostræ mysteria & sciat, & credat, cetera pariter, quæ necessitate præcepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit; sed, quia hebetis est ingenii, & exilis memoriæ, post omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere, & recitare non valeat: *in hoc* autem rerum statu, non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturæ, & propterea nemini, sine propria culpa, est denegandum; sed curabit Parochus, ut, qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat quæ semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur. Inter celeberrimas Constitutiones Gibertinas, editas a Joanne Matthæo Giberto, Episcopo Veronensi, quas alibi commendavimus, *tit. 5. cap. 23.* legitur: *Cum autem quilibet Christianus Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, & Præcepta Dei, atque Ecclesiæ scire debeat, retinendo saltem sensum, & Sacerdotibus, ac Prædicatoribus munere sibi impositio, prout tenentur, fungentibus, nullus se in veritate excusare poterit, quod, a quo necessaria ad salutem addiscere possit, non habeat. Ideo præmissa nescientes, ut magis confundantur &c. in faciem Ecclesiæ ad matrimonium contrahendum non admittantur:* ubi Cardinalis Augustinus Valerius *in notis* ad rem subdit: *Adverte, non esse arcendos &c. qui, ut necessaria ad salutem perdiscant, faciunt quod in se est, sicuti qui scholas doctrinæ Christianæ frequentant; quia, non ob incuriam, aut negligentiam, sed ob ingenii, memoriæve imbecillitatem, ea non addiscunt.* In Concilio quodam Limano *can. 4. act. 2.* relato per Mendozam *in notis ad can. 42. Concilii Illiberitani* agitur de hisce hominibus, qui, cum adeo crassa, ut vocant, minerva præditi sint, ut Christianam doctrinam, juxta methodum, qua ab aliis memoriæ mandatur, nullo modo addiscere valeant, ad Sacramenta tamen accedere, & signanter matrimonium contrahere cupiunt; atque ita cum his agendum statuitur: *Qui vero iis tantis impedimentis gravati fuerint, ut copiosiorem Catechesim non admittant, doceantur demum pro suo modo præcipua Fidei capita, scilicet unum esse Deum omnium rerum auctorem, qui accedentes ad se vita æterna remuneret, improbos & rebelles æternis suppliciis in alio seculo puniat: deinde hunc ipsum Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, tres quidem Personas, sed unum Deum verum: præterea Filium Dei, propter reparandam salutem hominum, factum hominem ex Virgine Maria, pro nobis passum, & mortuum, ac tandem resurrexisse, & regnare in æternum; hunc esse Jesum Christum Dominum, & Salvatorem nostrum: postremo neminem posse esse salvum, nisi credat in Jesum Christum, & pœnitens de peccatis commissis, Sacramenta ipsius suscipiat; Baptismatis quidem, si infidelis est; Confessionis autem, si lapsus post Baptismum; ac denique statuat ea servare, quæ Deus, & Ecclesia sancta præcipiunt, quorum summa est, ut Deum diligat super omnia, & proximum sicut se ipsum.*

DE

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



# DE SYNODO DIOECESANA

## LIBER NONUS.

De cavendis in Synodo, quæ auctoritati, & juribus Apoſtolicæ Sedis refragari poſſunt: item de non aſſumenda definitione controverſiarum juriſdictionalium inter poteſtatem Eccleſiaſticam, & Secularem: de ſobrio in Synodo uſu Legum Civilium: & de non lædendis Privilegiis Regularium.

### CAPUT PRIMUM.

*Nihil in Synodo decernendum, quod præjudicium inferat auctoritati & juribus Apoſtolicæ Sedis: ubi de falſitate aſſertionis tribuentis Epiſcopo poteſtatem ſtatuendi in ſua Diœceſi, iis duntaxat exceptis, quæ totius Eccleſiæ ſtatum reſpiciunt, quidquid Papa ſibi ſpecialiter non reſervavit; & incidenter de erectionibus Monaſteriorum, & domuum Regularium.*

NIhil, quod juribus Apoſtolicæ Sedis præjudicium afferat, aut ejuſdem auctoritati ſit injurioſum, inveniri debet in Conſtitutionibus ſive Provincialium, ſive Epiſcopalium Synodorum; &, ſi quid ejuſmodi in eas forte irrepſerit, ſtatim erit a Romano Pontifice reſcindendum.

II. Urbanus VI. ſub quo ſchiſma omnium teterrimum, & diuturniſſimum exortum eſt, ut ſuæ obedientiæ Prælatos novis ſibi devinciret beneficiis, & magis magiſque a partibus retraheret Roberti Gebennenſis, qui a nonnullis Cardinalibus, adverſum eundem Urbanum, in Pontificem electus, Clementis VII. nomen aſſumpſerat, & in Galliam ſucceſſerat, inter cetera privilegia, hoc etiam eſt illis elargitus, ut in eorum civitatibus, & diœceſibus Apoſtolicæ litteræ exequutione carerent, niſi ab ipſiſmet Prælatis, vel eorum Officialibus eſſent antea examinatæ, atque approbatæ: idque ſtatim in conſuetudinem, & veluti in legem deductum eſt, pluribuſque Synodalibus ſtatutis firmatum, ac roboratum. E vivis erepto Urbano VI. ejuſdem Succeſſor Bonifacius IX. prædictam conceſſionem, ab Urbano factam, revocavit, & peculiaria locorum ſtatuta, quæ ad illam fulciendam, & ſtabiliendam emanaverant, nullius eſſe roboris, decrevit. Cum vero anno 1417. in Concilio Conſtantienſi ad Petri Cathedram evectus fuerit Martinus V. ejus electione ſublatum eſt ſchiſma, quod quadraginta fere annos Chriſti Eccleſiam dire laceraverat: nam, etſi Petrus de Luna, dictus Benedictus XIII. a Concilio exauctoratus, Pontificiæ dignitatis inſignia, invicta pervicacia, retinuerit; attamen pene ab omnibus, qui ei obedientiam præſtiterant, poſt Concilii ſententiam, & Martini electionem, deſertus eſt. Jam vero probe animadvertens indubitatus Pontifex Martinus V. rationi congruum eſſe, ut, quæ ſchiſmatis calamitas in detrimentum Apoſtolicæ Sedis concedenda ſuaſerat, reſtituta Eccleſiæ pace, & tranquillitate, reſcinderentur; ſacro approbante Concilio, eandem Urbani VI. Conſtitutionem denuo abolevit.

III. Et nihilominus in Toletana, & Carthaginienſi Eccleſiis, obtentu obviandi falſitatibus, conditæ poſtea fuerunt Synodales Conſtitutiones, quibus edicebatur, ne Tabelliones, & Notarii, etiam ab iis, quorum intererat, requiſiti, Apoſtolicas litteras reciperent, a loci Ordinario, ejuſve Officialibus prius non examinatas. Petita eſt hujuſmodi Conſtitutionum confirmatio a Leone X. ſupremum Eccleſiæ clavum tunc temporis tenente: ſed hic, indecens, abſonum, quin immo & temerarium reputans, quod, quæ erant a ſummo Pontifice geſta, ea inferiorum examini, & judicio ſubeſſent, nedum porrectam ſibi ſupplicationem rejecit; ſed, nova inſuper edita Apoſtolica Conſtitutione, memoratas Bonifacii IX. & Martini V. ſanctiones approbavit, & reſtauravit, & quæcumque illis contraria ſtatuta tam in præfatis Toletana, & Carthaginienſi, quam in aliis quibuslibet Synodis facta, & attentata, irrita eſſe voluit: &, ne ulla eorundem memoria ullo unquam tempore extaret, eadem e libris, ſeu codicibus, in quibus ſcripta, atque adnotata reperiebantur, ita obliterari, & radi præcepit, ut amplius legi non poſſent.

IV. Bonifacii IX. Martini V. & Leonis X. veſtigia ſectatus Clemens VII. *in ſua Conſtitutione* 47. *Bullar. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 105. id ipſum ſancivit, quod illi hac de re edixerant: additque, ſe in ſuis litteris, in die Cœnæ Domini lectis, & promulgatis, anathemate perculiſſe, & iterum percellere, quicumque litterarum Apoſtolicarum exequutionem quovis prætextu impe-

impedirent, aut impedientibus consilium, auxilium, & favorem præberent. Hoc unicum exemplum satis esse existimamus ad cautos reddendos Episcopos, ne in suas Constitutiones aliquid obrepere sinant, quod, ulla ratione, Apostolicæ Sedis aut auctoritati injuriam irroget, aut jura imminuat: ob eam quippe conjunctionem, & necessitudinem quam membra cum suo capite habere oportet, maxime decet, ut ipsi primæ Sedis prærogativas, quæ hac præsertim tempestate, multorum invidia, in discrimen vocantur, sedulo defendant, & pro viribus promoveant: suam enim causam agunt, cum supremi Pastoris auctoritatem propugnant, & sustinent; quoniam, si hujus jura evertantur, paulatim pariter inferiorum Præsulum jurisdictio nutabit, & corruet. Hæc optime considerarunt Patres Concilii Diziacensis I. habiti anno 871. cui Episcopi unus & viginti per se, octo per suos Procuratores subscripsere, cum ad Hadrianum II. Papam in Synodali epistola, quæ extat in Collectionis Harduini *tom.* 5. *col.* 1321. ad rem appositè, atque ad posterorum exemplum maxime opportune ita scripsere: *quia ergo nos, quantum scimus, & possumus, privilegium sanctæ ac primæ Sedis Romanæ & conservare, & obaudire, & extollere cupimus, atque satagimus, (pro suo scilicet principatu, quem Beatus Petrus Apostolus, Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet): servet vestra Paternitas, & a Deo in prima Sede constituta auctoritas, nobis filiis, & subjectis sibi Episcopis Ecclesiastica privilegia, a sacris Canonibus, & vestris Decessoribus, ac Prædecessoribus, nostris Decessoribus, ac Prædecessoribus conservata: quatenus & Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, & a se concessa aliis sua non minuat.*

V. Verum accidit interdum, aliquot Episcopos, ceteroquin erga Apostolicam Sedem obsequentissimos, ejusdem auctoritatem, non consulto, sed potius incogitanter sibi usurpare; deceptos nimirum a quibusdam Doctoribus, qui potestatem, uni Romano Pontifici competentem, quarumcumque Ecclesiarum Præsulibus adjudicant. Astruunt scilicet ejusmodi Auctores, & veluti indubitatum axioma venditant hanc propositionem: *Quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias, quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt, uti Fidei articulum definire, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi specialiter Papa sibi illud reservavit:* eoque fundamento præjacto, Episcopalem jurisdictionem mirum in modum extollunt, ac ultra præscriptos ei limites protendunt. Hanc porro opinionem, plurium, & non infimæ notæ Doctorum auctoritate munitam, quos referunt Fagnanus *in Cap. Dilectus, de tempor. Ordinat. num.* 16. *& in Cap. Perniciosam, de offic. Ord. num.* 28. atque Arcudius *Concord. lib.* 2. *de Confirmat. pag.* 110. facile hauriunt Episcopi, eaque imbuti, sibi licere autumant, nonnulla in suis Synodis statuere, quæ ad solam pertinent Apostolicam Sedem. Quamobrem laudatus Fagnanus *cit. loc.* operæ pretium existimavit, præfatam propositionem totis viribus convellere, ejusque falsitatem & ratione, & auctoritate demonstrare.

VI. Ratione quidem: etenim, uti pariter argumentatur Suarez *lib.* 6. *de legibus cap.* 14. *num.* 4. *&* 6. etiam seclusa Superioris prohibitione, nequit inferior legem, ab eodem Superiore latam, aut abrogare, aut relaxare: Superior quippe, statim ac aliquid per suam legem præscribit, aut prohibet, illud subtrahit ab ordinaria potestate inferioris; cui propterea non licet, in illam falcem immittere, nisi velit suam voluntatem anteponere voluntati Superioris, per legem manifestatæ: quod profecto esset suæ subjectionis jugum excutere, &, *qui majoris potestatis est, judiciis suis addicere, aut propriis definitionibus subjugare:* quam intolerabilem insolentiam reprehendit Nicolaus I. in epistola ad Michaelem Imperatorem, relata *in Can. Inferior, dist.* 21. Præterea, si integrum esset Episcopo legem relaxare a Concilio Generali, aut summo Pontifice rogatam, tota everteretur Ecclesiæ disciplina, caput subjiceretur membris, & proinde actum jam effet de Ecclesiastica Hierarchia Divinitus instituta: quod bene ponderavit idem Fagnanus *in Cap. Nimis, num.* 44. *de filiis Presbyterorum*, inquiens: *Unde etiam apparet, longe minus admittendum esse, jure ordinario Episcopum dispensare contra legem Concilii Generalis, vel summi Pontificis, quoties dispensandi facultas illi non adimitur: hæc enim doctrina, nisi temperetur, secundum ea, quæ dicta sunt, falsa, & periculosa est, & nullatenus ad praxim deducenda; nam inferiorem posse contra legem Superioris absolute dispensare, nihil est aliud, quam caput membris, & superiora inferioribus subjicere, & ordinem naturalem invertere, & Ecclesiasticam Hierarchiam confundere, Dei ordinatione institutam: præsertim vero quia mos sacrorum Canonum, & Conciliorum est fere ubique simpliciter præcipere, aut prohibere, quid faciendum sit, vel non faciendum: raro autem descendunt ad prohibitionem dispensationis. Unde, si liceret Episcopis dispensare, quotiescumque dispensatio in specie non prohibetur, consequenter esset in eorum facultate, totum Jus commune, & Concilia universalia subvertere, in singulis casibus dispensando; quod est erroneum asserere.*

VII. Ad auctoritatem quod attinet, Fagnanus *in cit. Cap. Dilectus, de tempor. Ordinat.* ex hoc ipso textu inferri autumat, falsitatem propositionis, quam impugnat: cum enim Episcopus Rossensis in Hibernia tres sacros Ordines eadem die contulisset cuidam Canonico Ymilicensi, in hujus Ecclesiæ Episcopum electo, obtentu mandati sibi facti ab Archiepiscopo Cassellensi, suo Metropolitano, rem gestam improbavit, & Rossensis excusationem respuit Innocentius III. rescribens, etiamsi constitisset de mandato Archiepiscopi, adhuc illi non fuisse obtemperandum, eo quod talis dispensatio nulli sit a canone permissa: *Tum quia* (sunt verba vulgatæ Decretalis, quæ habentur in compilatione, qua utimur), *si de mandato Archiepiscopi constaret, cum illi hujusmodi dispensatio a canone minime sit permissa, ipsi obtemperare non debuit in hac parte.* Ad ligandas igitur inferiori manus, ejusque jurisdictionem coarctandam, non est necesse, inquit Fagnanus, ut sit illi expresse interdictum, ne quidquam, contra Superioris legem, audeat intentare: sed sat est, id ei non esse ab ipsa lege permissum, sicuti ab Innocentio audivimus. Verum, cum in integra Innocentii III. Decretali, quæ refertur a Gonzalez, post verbum *permissa*, hæc alia subdantur: *Quam ad solum Romanum Pontificem non est dubium pertinere:* ex quibus potest quis conjicere, potestatem relaxandi legem, de qua agebatur, fuisse a jure Episcopis ademptam, unique Romano Pontifici reservatam; jam corruit argumentum, quod ex ea Decretali Fagnanus instaurat. Clariores, nullique cavillationi obnoxii sunt alii textus, qui ad Fagnani opinionem roborandam, & contrarium axioma confodiendum, producuntur. Primus est *in Clem. Ne Romani, de elect.* in qua Clemens V. ait: *Nos, inter cetera, præcipue attendentes, quod lex Superioris per inferiorem tolli non potest:* idque ita intelligendum declarat, ut nequeat ab inferiori *corrigi, vel immutari, aut quidquam ei detrahi, sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsam, seu aliquam ejus partem.* Alter textus est *in Cap. Sancta Romana, de religiosis domibus, inter Extravag.* Joannis XXII. ubi legitur: *Quidam autem eorum dictum habitum, & vivendi ritum a quibusdam Episcopis, seu eorum Superioribus, vel aliis Ecclesiarum Prælatis habuisse, profitentur, quos nec eis concedere licuit contra formam Concilii generalis:* ad quem locum opportune notat Glossa *litt. N. Non licet igitur Episcopis contra inhibitionem Generalis Concilii facere, cum sint adstricti ad observantiam canonum:*

idem-

idemque late oſtendunt Innocentius *in cit. Cap. Dilectus, de tempor. Ordinat. num.* 2. & 3. & *in Cap.* 2. *de eo, qui furtive Ordinem ſuſcepit*, Panorm. *in Cap. Tam litteris, num.* 3. *de teſtibus*, Covarr. *in* 4. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 15. Guttierez *Can. Quæſt. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 10. Suarez *cit. cap.* 14. Vaſquez *tom.* 2. *in* 1. 2. *diſp.* 178. *cap.* 2. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 5. *num.* 9. & *lib.* 2. *Summ. cap.* 40. *num.* 1. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 1. Cabaſſutius *in theor. & prax. Jur. Canon. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 3. Diana *in edit. coord. tom.* 3. *tract.* 2. *reſolut.* 25. *per tot.* aliique innumeri, ab his allegati. Et quamvis adverſus hæc afferatur textus *in Cap. Nuper, de ſententia excommunicationis*, ubi dicitur, ab inferiore concedi poſſe cenſuræ relaxationem, ſi conditor canonis eam ſibi non reſervaverit; ſapienter tamen Gonzalez *ad dictum Cap. Nuper, num.* 3. animadvertit, id non eſſe extendendum ad alias materias, in quibus ex eo duntaxat, quod aliquid non ſit expreſſe Epiſcopis prohibitum, non licet inferre, idem eſſe eiſdem poſitive conceſſum: ſpeciale enim illud eſſe, ait, in abſolutione a cenſuris: eademque ſpecialitate gaudere, aſſerunt Doctores, diſpenſationem in impedimentis quibuſdam matrimonii mere impedientibus, de quibus infra loquemur.

VIII. Alius eſt nonnullorum error, qui videntes, Epiſcopi conſenſum, tanquam neceſſariam conditionem, requiri pro alicujus actus validitate, aut legitimitate; ab hujuſmodi conſenſu rem totam pendere putant, eamque Epiſcopali duntaxat auctoritate, inconſulto Romano Pontifice, licite, & valide expleri poſſe, arbitrantur: quamvis adſint Apoſtolicæ Conſtitutiones, aut Conciliaria Decreta, quibus ſupremum, & privativum, ut vocant, jus in id rerum genus Apoſtolicæ Sedi reſervatur. Exemplo ſit res iſta, quam ſubjicimus.

IX. Statuit ſacra Tridentina Synodus *ſeſſ.* 25. *de Regularibus cap.* 3. ne monaſteria, ſeu domus tam virorum, quam mulierum, de cetero erigantur, *ſine Epiſcopi, in cujus diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta*. Hinc vero aliqui inferunt, ad erectionem novi monaſterii in aliqua diœceſi, ſufficere licentiam Epiſcopi Diœceſani, abſque eo quod Romani Pontificis auctoritas ad id requiratur, & maxime ubi agatur de Epiſcopis ultra montes conſtitutis; propterea quod Innocentii X. Conſtitutio, quæ habetur *num.* 27. *in Bullar. Rom. tom.* 4. quæque Romani Pontificis auctoritatem in hujuſmodi erectionibus neceſſariam declarat, de Italia, & adjacentibus Inſulis tantummodo loquitur. At, cum jampridem ante Tridentinum Concilium Regularibus interdicta fuerit novorum monaſteriorum acquiſitio ſine expreſſa licentia Apoſtolicæ Sedis, ut videre eſt *in Cap. Religionum*, §. *Confirmatos, de religioſis domibus, in ſexto*, & *in Cap. Cum ex eo, de exceſſibus Prælatorum, eodem lib.* 6. ſatis patet, nihil a Tridentina Synodo detractum fuiſſe ejuſdem Apoſtolicæ Sedis auctoritati jam præcedenter ſtabilitæ, ſed illud duntaxat ſtatutum fuiſſe, ut, præter eam, Epiſcopalis quoque auctoritas & licentia in iiſdem erectionibus interveniret. Quare communis hodie, & in Tribunalibus recepta eſt opinio, non licere Regularibus tam intra, quam extra Italiam, nova monaſteria, aut conventus, ſive collegia fundare, ſola Epiſcopi localis auctoritate, ſed Apoſtolicæ Sedis licentiam præterea neceſsariam eſse. De monaſteriis autem, ſeu conventibus, aut collegiis tantummodo loquimur; nam, ſi res eſset de aliquo ſimplici hoſpitio, quod pro Regularium iter habentium commodo ædificari vellet, Epiſcopi localis licentia ad id ſufficeret, etiam non accedente Apoſtolicæ Sedis auctoritate. Quæ omnia mature diſcuſsa, & definita fuerunt occaſione cujuſdam cauſæ *Eyſtetten. Fundationis Hoſpitii*, in qua tres deciſiones Auditorii Rotæ emanarunt, una die 10. Maji 1726. altera die 26. Aprilis 1728. coram bo. mem. Gamaches, ac tertia demum coram bo. mem. Ratto, poſtea Epiſcopo Cordubenſi: quæ in illius Deciſionum collectione jam typis edita legitur *tom.* 3. *num.* 258.

## CAPUT SECUNDUM.

*Ex iis, quæ dicta ſunt, decernitur, quibus in caſibus fas ſit, aut non ſit Epiſcopo, relaxare impedimenta dirimentia Matrimonium. Agitur etiam de conſuetudine, ac nonnullis Synodis Gallicanis, eandem Epiſcoporum facultatem ſpectantibus.*

EX iis, quæ hucuſque ſtabilita ſunt, ſequitur, fas non eſſe Epiſcopis, removere impedimenta dirimentia matrimonium, ſeu quemquam ſolvere ab impedimento, quo detinetur, veniamque eidem concedere, ut, impedimento non obſtante, matrimonium contrahat: quoniam ejuſmodi impedimenta ortum habent aut a Concilio Generali, aut a ſummis Pontificibus, quorum decreta nequit inferior infringere, iiſque ulla ratione contraire: quod ex modo dictis liquet, & ad rem perpendunt Sanchez *cit. lib.* 8. *diſp.* 6. *num.* 14. & Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 1. Ne autem hac doctrina, quam communem eſſe citati Auctores aſſeverant, ſuam juriſdictionem nimium coarctari conquerantur Epiſcopi; priuſquam ea uberius explanetur, plura ſunt prænotanda. Et primo animadvertendum eſt, ſermonem hic non eſſe de impedimentis mere impedientibus, quæ nullus dubitat poſſe ab Epiſcopo relaxari, ſi excipias impedimentum ortum ex ſponſalibus cum altero initis, quod, iſto invito, ſine ejuſdem injuria remitti nequit, & illud, quod provenit ex voto aut ingrediendæ Religionis, aut perpetuæ caſtitatis, quæ vota, niſi fuerint conditionata, ſummo Pontifici reſervantur, necnon alterum proveniens ex hæreſi, de quo in capite ſequenti dicturi ſumus: Sotus *in* 4. *diſt.* 37. *quæſt. unic. art.* 1. Navarrus *man. cap.* 22. *num.* 85. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 17. *num.* 15. Salmanticenſes *in Curſu Morali Theologico tom.* 2. *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 13. *punct. unic. num.* 16. & 17. Perez *de Matrimon. diſp.* 23. *ſect.* 8. *num.* 5. Cabaſſutius *in theor. & prax. Jur. Canonic. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 7. Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. de Matrim. lib.* 2. *art.* 13. *reg.* 14. aliique communiter. Neque res eſt de impedimento, quod irritum reddidit matrimonium jam publice contractum: ultro enim concedimus Epiſcopo illud relaxandi facultatem, quam eidem adſcribunt Silveſter *verb. Diſpenſatio* §. 9. Sotus *cit. diſt.* 37. *quæſt. unic. art.* 2. Navarrus *cit. cap.* 22. *num.* 85. Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 40. *num.* 3. Pontius *lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 2. Zerola 1. *part. verb. Diſpenſatio* §. *Ad quintum.* Cabaſſutius *cit. cap.* 27. *num.* 3. Sylvius *Operum tom.* 5. *inter reſolutiones in verb. Diſpenſatio ſecundo*, Fagnanus *in Cap. Nimis, num.* 33. *de filiis Presbyterorum*, Natalis Alexander *cit. loc. reg.* 10. qui tamen unanimiter monent, non poſſe Epiſcopum eam poteſtatem ſibi uſurpare, niſi ſimul concurrant ſex circumſtantiæ: primo ſcilicet, ut jam matrimonium fuerit contractum in faciem Eccleſiæ, omnibuſque adhibitis ſolemnitatibus: ſecundo, ut contractum fuerit bona fide, ex juris, aut facti ignorantia: tertio, ut ſit conſummatum: quarto, ut impedimentum ſit occultum: quinto, ut non poſſit facile adiri prima Sedes, ſeu diſpenſatio a Papa obtineri, ob conjugum paupertatem, ruſticitatem, locorum diſtantiam, aliaſque ſimiles cauſas: ſexto denique, ut non poſſit ſeparatio fieri ſine ſcandalo. *Si vero* (ait Cabaſſutius *loc. cit.*) *aliqua abſit ex præfatis circumſtantiis, & perſonæ ſint pauperes, aut rudes, ac ruſticæ, officium erit Ordinarii proſequi hanc diſpenſationem, in forma pauperum, apud*

*Sedem Apoſtolicam, ut plane gratis, & ſine compoſitione obtineatur.* Notant itidem iidem Doctores, diſpenſationem ab Epiſcopo in prædictis circumſtantiis obtentam, prodeſſe duntaxat pro foro *conſcientiæ*, non autem pro foro externo: non enim plus poteſtatis tribuendum eſt Epiſcopo, quam habeat Major Pœnitentiarius Papæ, qui in prædicto rerum eventu impedimentum aufert, ut matrimonium convaleſcat ſolum in foro interno. Quocirca, ſi impedimentum antea occultum, poſtea detegatur, & deducatur ad forum contentioſum, opus erit nova diſpenſatione, a ſummo Pontifice impetranda.

II. Tandem advertendum eſt, nec quæſtionem hic eſſe de impedimento dirimente occulto, quod obſtet matrimonio nondum contracto, ſed proxime contrahendo. Scimus quippe, non deeſſe Doctores, qui Epiſcopo facultatem aſſerant illud auferendi, cum tales urgent rerum circumſtantiæ, ut nec ſummus Pontifex conſuli, nec matrimonii contractus, ad quem omnia ſunt diſpoſita, differri poſſit ſine ſcandalo, & paratorum ad nuptias infamia; ad præcavenda enim prædicta gravia mala, ſi alius non ſuppetat modus illis occurrendi, præſumendum eſt, ſummum Pontificem delegare Epiſcopo poteſtatem diſpenſandi, quam certe, requiſitus, non eſſet ei denegaturus. Hanc facultatem, nullius præcedentis Doctoris patrocinio fretum, ſe omnium primum Epiſcopis vindicaſſe, gloriatur Sanchez *cit. lib. 2. diſp. 40. num. 7.* ſed eum poſtea ſequuti ſunt Pontius *cit. lib. 8. cap. 13. num. 6.* Hurtadus *diſp. 26. de Matrim. num. 7.* Perez *de Matrim. diſp. 44. ſect. 6. num. 12.* Bonacina *de Matrim. diſp. 3. punct. 15. num. 5. verb. Rurſus addo*, Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi part. 2. allegat. 35. num. 5.* Cabaſſutius *cit. cap. 27. num. 4.* de Juſtis *de diſpenſationibus matrimonialibus lib. 2. cap. 2. num. 129. & plurib. ſeq.* Wieſtner *ad tit. 16. lib. 4. Decretal. num. 66. & ſeq.* Anacletus *in Jus Canonic. tom. 4. in append. de diſpenſat. ſuper impedimentis num. 62. & 63.* Sed, quamvis hæc opinio, teſte citato Bonacina, hodie ſit fere communis, eam tamen acriter reprehendit, & exagitat Fagnanus *in cit. Cap. Nimis, num. 34. & 35. de filiis Presbyter.* fortaſſe quia, ut adnotavit Perez *cit. ſect. 6. num. 13.* eſt moraliter impoſſibile, eas omnes concurrere rerum circumſtantias, quas ſibi fingit Sanchez, in quibus nequeat matrimonium retardari abſque ſcandalo, cum alii plurimi ſemper præſto ſint modi, ab eodem Perez indicati, protrahendi tempus nuptiis, abſque ulla ſuſcipione criminis, & infamia eorum, qui jam erant ad eas celebrandas accincti.

III. Sed, quidquid ſit de ea extraordinaria poteſtate, quæ ex præſumpta ſummi Pontificis voluntate in aliquo eventu, urgentiſſimæ videlicet neceſſitatis, & impedimenti occulti, competat Epiſcopis, nullum in præſens de ea ferimus judicium; ſed tantum differimus de ordinaria poteſtate diſpenſandi in quibuſdam impedimentis dirimentibus publicis. Hanc poteſtatem, communi fere calculo, Doctores denegant Epiſcopo: quin immo ſacræ Urbis Congregationes, Concilii videlicet, ac ſupremæ Inquiſitionis, non ſemel proſcripſerunt, tanquam falſam, & temerariam propoſitionem aſſerentem Epiſcopo jus diſpenſandi ſuper impedimento dirimente publico, quod obſiſtat matrimonio contrahendo, etiamſi gravis urgeat illud contrahendi neceſſitas; uti videre eſt apud Joannem Baptiſtam Rigantium, virum apprime doctum, *tom. 4. Commentarior. in Regul. Cancellar. in notis ad regul. 49. num. 1. & 2.* ubi ſacrarum Congregationum reſponſa, ſumma diligentia congeſta, per extenſum, ut dicitur, referuntur, & Doctorum in hanc rem placita copioſe allegantur. Et nihilominus aliquot Epiſcopi eandem poteſtatem etiam nunc ſibimet ipſis adſcribunt, & contra Juris communis principia, ac communem Doctorum ſenſum, etiam in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus ſibi aſſerere quandoque non dubitant: & quod magis dolendum eſt, non deſunt aliqui, licet pauci Doctores, hac in re Epiſcopis blandientes, quorum nonnulli innituntur prædicto axiomate, cujus falſitatem deteximus; alii vero innituntur diuturna conſuetudine, per quam, acquiſitam decantant quibuſdam Epiſcopis poteſtatem relaxandi aliqua impedimenta dirimentia, qua, ſpectato Jure communi, carerent. Hinc Gibertus *ſuarum Conſultationum tom. 12. conſult. 59. de Matrim.* abſolute docet, Epiſcopos in hoc negotio unice ſpectare debere ſuorum Prædeceſſorum praxim, libereque poſſe, legitima exigente cauſa, eas diſpenſationes indulgere, quas a ſuis Prædeceſſoribus conceſſas deprehenderint. Hinc pariter Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. cit. lib. 2. de Matrim. cap. 4. art. 13.* poſtquam *reg. 11.* auctoritatem diſpenſandi ſuper impedimentis matrimonium dirimentibus, publicis, & notoriis, uni vindicavit Romano Pontifici, inquiens: *Hodierna Eccleſiæ diſciplina, ſecundum quam diſpenſationes in gradibus prohibitis conſanguinitatis, vel affinitatis, aliiſve impedimentis dirimentibus, Romano Pontifici reſervatæ ſunt, cum publicum impedimentum eſt, & de matrimonio contrahendo agitur, non permittit, ut Epiſcopi his in circumſtantiis diſpenſent. Cum enim ab Eccleſia univerſali, ſive illius Capite Romano Pontifice, ſint inſtituta impedimenta matrimonium dirimentia, diſpenſatio ſuper eis, communi Jure, ad Caput univerſalis Eccleſiæ Romanum Pontificem, non ad Epiſcopum, pertinet; et colligitur ex Cap. Cum Inferior, extra, de majorit. & obed. Conciliaque Provincialia plurima, Ritualia Eccleſiarum, Auctores omnes id confirmant, & auctoritatem diſpenſandi competere negant Epiſcopis, cum publicum impedimentum eſt, vel de contrahendo matrimonio agitur:* poſtquam (inquam) hanc communem doctrinam diſerte tradidit, & inſinuavit, *in ſequenti regul. 12.* eandem in hunc modum limitat: *Si tamen antiqua ſit, & legitime præſcripta diœceſis conſuetudo, ut Epiſcopus in quarto gradu etiam de contrahendo, certis in caſibus diſpenſet, quia ejus Deceſſores hac uſi ſunt ab antiquo ad hanc uſque diem facultate, quæ a Sede Apoſtolica conceſſa creditur (quod in quibuſdam Galliarum diœceſibus fieri novimus), de his diſpenſationibus haud movenda lis eſt: ſiquidem conſuetudo legitime præſcripta Juri poſitivo præjudicat, uſuſque longævi non levis eſt auctoritas, ut dicitur in Cap. Cum conſuetudinis, & Cap. Cum tanto, extra, de conſuet.* Hinc denique nonnulli Gallicani Epiſcopi, ut narrant Pontas *in verb. Diſpenſatio matrimonii caſ. 35.* Herminier *de Sacramentis tom. 3. cap. 17.* Auctor Collationum Eccleſiaſticarum Pariſienſium ſub Cardinali de Noailles *tom. 3. lib. 5. collat. 2. cap. 2.* Gerbeſius in Tractatu, quem edidit, *de poteſtate Eccleſiæ, & Principum ſuper impedimentis matrimonii*, & Saintebeuve *tom. 1. reſolut. caſuum conſcientiæ caſ. 66. & 67.* uſum prætexentes ſuorum Deceſſorum, diſpenſant in impedimento quarti, & alicubi etiam tertii gradus conſanguinitatis, ſeu affinitatis; & alii jus ſibi vindicant relaxandi inſuper impedimenta cognationis ſpiritualis, criminis, & publicæ honeſtatis; licet alii ejuſdem Regni Antiſtites, obſervante eodem Saintebeuve, ſibi integrum non eſſe arbitrentur, ab ullo cujuſcumque generis canonico impedimento, matrimonium dirimente, quemquam ſolvere: prout ſcilicet, ſicuti idem Auctor proſequitur, fert diverſa, quæ in qualibet diœceſi inolevit, conſuetudo. Ab eadem quoque conſuetudine, quæ ex privilegio, & indulto Apoſtolico initium ſumpſiſſe cenſenda ſit, contendunt ſimiliter Epiſcopi Leodienſes, ſe poteſtatem adeptos diſpenſandi in quarto, & in tertio, hinc inde, conſanguinitatis gradu: *ſi imminens appareat periculum defectionis partium ad vicinos Fidei hoſtes, mutuæ internecionis parentum, & amicorum inter*

*ter se, ob corruptam puellam, & partes non habeant media recurrendi ad Urbem:* quemadmodum referunt Lessius *in Auctar. verb. Matrimonium caſ.* 9. Gobat *Theolog. experim. tract.* 9. *num.* 596. & Van-Espen *Jur. Eccl. univ. tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 14. *cap.* 1. *num.* 11. quod tamen jus sibi non arrogare alios Belgii Episcopos, ne eos quidem, quorum diœceses auctoritate Pauli IV. a Leodiensi divulsæ sunt, opportune animadvertit Zypæus *ad tit. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris, num.*3.

IV. Verum, sicuti graviter errant, qui potestatem, de qua agitur, Episcopis adjudicant, unice freti illo axiomate, cujus falsitatem plurima Concilia Provincialia, Ritualia Ecclesiarum, Auctoresque omnes agnoscere, fatetur etiam citatus Natalis Alexander *in allegata regul.*11. ita periculum est, ne se, aliosque decipiant, qui eam a consuetudine mutuantur. In primis enim prudenter dubitari potest, an ejusmodi consuetudo, in florentissimo Galliarum Regno, Apostolicæ Sedi obsequentissimo, & sacrorum canonum religiosissimo custode, ullo unquam tempore viguerit; cum non solum contingere potuerit, hunc, illumve Episcopum in hoc, aut illo impedimento dispensasse, ex privilegio sibi a prima Sede specialiter concesso; sed etiam, ita rem se habuisse, constet ex regestis sacræ Congregationis de Propaganda Fide, & sancti Officii, in quibus frequentes adnotatæ reperiuntur hujusmodi speciales concessiones, Episcopis Gallicanis indultæ, dispensandi super impedimentis tertii, & quarti gradus: unde Ducasse, Auctor Gallicanus, *in sua Practica Jurisdictionis Ecclesiasticæ cap.*10 *sect.*7. scribit, timoratæ conscientiæ, & excellentis doctrinæ Gallicanos Episcopos dispensasse post indultum sibi a Sede Apostolica concessum, & a dispensatione abstinuisse, postquam cessaverat, nec fuerat renovatum indultum, quod ad certum tempus obtinuerant. In hac autem dubietate, non licere Successori similes dispensationes elargiri, recte adnotavit idem Natalis Alexander *in fine cit. regul.*12. scribens: *At, si dubitet, vel merito dubitare debeat Episcopus, an dispensationes a suis Decessoribus concessæ sint ex privilegio reali, & perpetuo, an ex previlegio personali, dispensare non potest, nisi & ipse dispensandi previlegium a summo Pontifice obtineat. In re enim Sacramenta spectante non licet minus probabilem, ac minus tutam opinionem sequi, relicta probabiliore, atque tutiore.*

V. Quod autem aliquot Galliarum Episcopi ex privilegio mere personali, non vero ex consuetudine, nacti sint facultatem super aliquo impedimento dispensandi, inde etiam conjicimus, quod ex una parte incredibile videatur, talem consuetudinem intra unius, vel alterius diœcesis limites constitisse, nec conterminas parmeasse; id quippe evenire vix potuit in re Episcopis favorabili, atque in Regno servandæ inter Pastores disciplinæ, morumque concordiæ, & unitatis studiosissimo: ex alia vero scimus, quamplurimos Galliarum Antistites diserte declarasse, sibi fas non esse ullum auferre, seu relaxare impedimentum, matrimonium dirimens: siquidem Concilium Turonense anni 1583.*tit.*9. *de matrim. tom.*10. Collectionis Harduini *col.*1405. definivit: *In quarto consanguinitatis & affinitatis, necnon cognationis spiritualis prohibitis gradibus, Episcopis dispensare non licere declaramus:* in Concilio Tolosano anni 1590.*cap.*8. ibidem *col.*1804. legimus: *Quos cognationis gradus impedit, licet jam legibus solutos, & dispensatos, nisi visa prius summi Pontificis dispensatione, in matrimonii conjunctionem Parochi non recipiant:* Synodus Lingonensis apud Natalem Alexandrum *cit. regul.*12. post enumeratas personas, in aliquo usque ad quartum consanguinitatis gradum, inter se conjunctas, ait: *Inter istos non est legitimum matrimonium, nisi cum eis sit per Sedem Apostolicam dispensatum:* idemque sancitum, declaratumque reperiri in Synodo Trecensi, idem Natalis Alexander testatur. Additque Diot in Opere, cui titulus *Sacramentaria Pastorum, tract.*13. *de dispensationibus matrimonialibus cap.*8. *pag.*213. *edit. Parisien. an.*1709. in generali Congregatione Episcoporum, & universi Cleri Gallicani declaratum esse dispensationes omnes matrimoniales ad solum Papam pertinere, & Parlamentis esse obsistendum, si aliquando Episcoporum dispensationes admittant. Quis autem credat, tot Gallicanos Episcopos, suæ jurisdictionis tenacissimos, sibi sponte abjudicasse eam auctoritatem, quam passim viderent ab aliis finitimarum diœcesium Præsulibus jure ordinario, & non mere delegato, exerceri?

VI. At, etiam dato, in aliquam diœcesim irrepsisse consuetudinem, de qua contenditur, ut per eam collatum dicamus Episcopo legitimum jus auferendi impedimenta, a Conciliis Œcumenicis, aut a summis Pontificibus inducta; diligenter prius examinandum est, an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit prævalere legi Episcopo inhibenti, ne Superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare præsumat. Quin immo, cum talis consuetudo non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollenda, & minuenda jura uni competentia Romano Pontifici; præter ceteras conditiones, necesse est, ut centum ad minus annorum spatio, sine ulla interruptione, perseveraverit. Quocirca citatus Van-Espen *Jur. Eccles. univers. part.*2. *tit.*14. *cap.*1. *num.*11. ut Episcopo Leodiensi auctoritatem astruat dispensandi in tertio, & quarto, & in tertio hinc inde, consanguinitatis, seu affinitatis gradu, eamque ex legitima consuetudine ab eo acquisitam evincat, ejusmodi consuetudinem contendit esse immemorabilem. Ad consuetudinem quoque, cujus initii memoria non extet, confugit citatus Auctor Collationum Parisiensium *tom.*3.*collat.*2.§.2. Verum postremo, & potissimum considerandum est, an per eam consuetudinem, si qua inoleverit, *disrumpatur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ*: in quo eventu, nunquam per eam adversus legem præscribi, declaravit Innocentius III. *in Cap. Cum inter. De consuet.* Num porro prædicta consuetudo ejusmodi inficiatur vitio, potius quam a nobis, præstat audire a Gallicano Auctore Cabassutio, qui *cit. lib.*3. *cap.*27. *num.*6. loquens de auctoritate dispensandi, quam sibi vindicant nonnulli suæ nationis Præsules, hæc habet: *Si, in oppositum reclamantibus Conciliis OEcumenicis, quæ hanc potestatem uni summo Pontifici, Legatoque reservant, sibi ausint vindicare Gallicani ducenti circiter, & quadraginta nimirum Episcopi, cum suis Vicariis seorsim in suis diœcesibus, singuli pro suo arbitrio, hujusmodi licentiam, ingruet profecto tota Gallicana ditione admodum exuberantior, & inordinatior inter tot, tamque diversa sibi, aliisque indulgentium Prælatorum capita, in dispensandis matrimoniis licentia. Quin etiam, si per universum regnum ista invaleseeret consuetudo (quod malum Deus avertat,) contigeret demum, ut quilibet laici, etiam subalternorum tribunalium Judices, per captionem, & distractionem bonorum Episcopalium, ipsosmet Episcopos cogerent, pro suo peculiari, aut amicorum, aut partium postulantium affectu, ad sic dispensandum, sicut jamdudum compellunt invitos ad monitoria, & excommunicationes decernendas; sicque simile quid illis obveniret Divinæ huic apud Isaiam comminationi: Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, propter hoc ecce adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes, & multas. Sic enim renuentes hac in parte summo universalis Ecclesiæ Pontifici subjici, compelluntur indignissime laicorum Judicum infirmorum decretis obtemperare, aut propriorum fructuum, ni pareant, interceptionem, ac privationem pati.* Et post adducta modo a nobis relata loca Conciliorum Turonensis, & Tolosani, inanem decernentia hac in re dispensatio-

tionem, quæ a summo Pontifice non dimanarit, concludit Cabassutius: *Sane istæ ab Episcopis concessæ dispensationes pro contrahendis conjugiis, aut nullitatem, aut incertitudinem causant Sacramenti. At vero in re Sacramentaria unanimes docent Theologi, non esse licitum, quidquam incerti adhibere, eo certo medio prætermisso, quod adhiberi possit. Atque ita licentia ista vel refariam inducit Sacramenti nullitatem, aut ad summum, tutiore simul, & probabiliore opinione rejecta, minus probabilem, nec tutam, in tanti momenti Sacramento, consectatur opinionem.*

VII. Huic Cabassutii monito morem gerant Episcopi, & nullius consuetudinis prætextu eam exerceant facultatem, quam dubiam saltem, atque incertam esse, dissimulare non possunt. Quod si quis eam sibi certo competere obstinate contendat, adhuc abstineat, oportet, ab illa in Synodo ostentanda, & Synodali statuto sibimet ipsi asserenda: etenim (uti inferius suo loco demonstrabitur) ne ea quidem, quæ Episcopis certo licent ex tacita permissione, & conniventia Apostolicæ Sedis, possunt ab iisdem per Edictum, aut Synodalem Constitutionem decerni, & juri suo ordinario quodammodo attribui; id quippe manifestam saperet ambitionem, qua viderentur se quodammodo æquiparare summo Pontifici, ejusque affectare supremam jurisdictionem.

VIII. Quare, si aliquis Antistes, ob nimiam suæ diœcesis ab Urbe distantiam, aliamve legitimam causam, necessariam sibi reputet auctoritatem dispensandi in uno, aut pluribus impedimentis matrimonium dirimentibus, eam exposcat a Romano Pontifice, qui eam petentibus impertiri non renuit, nunc magis, nunc minus amplam, pro temporum, & locorum varietate.

## CAPUT TERTIUM.

*De Pontificiæ auctoritatis læsione in eo, quod pertinet ad dispensationes Matrimoniales inter unam partem Catholicam, & alteram Hæreticam.*

ILlicita esse ea matrimonia, quæ inter partes contrahuntur, quarum altera Catholica sit, altera hæresim profiteatur, dictum in superioribus a nobis est: neque tamen prætermissum, tales interdum circumstantias occurrere, quibus hujusmodi etiam matrimonia licita esse possint. Idem hoc loco asserimus, pariterque confirmamus. Et quidem, quod pertinet ad primam partem, *si aliquis Fidelis cum hæretica baptizata matrimonium contrahit, verum est matrimonium, quamvis peccet contrahendo, si sciat eam hæreticam; sicut peccaret, si cum excommunicata contraheret: non tamen, propter hoc, matrimonium dirimeretur.* Ita S. Thomas *in 4. sentent. distinct. 39. quæst. 1. art. 1. Ad quintum.* Cum autem quæritur quænam sint eæ circumstantiæ, quæ licita reddant hujusmodi matrimonia, non desunt, qui ea permissa esse contendant in iis locis, in quibus notabilis populi pars ex hæreticis constituitur, dummodo a Catholica parte perversionis periculum absit, & gravis aliqua vel privata, vel publica causa intercedat: cujusmodi ab eis reputatur publicæ pacis conservandæ studium, si ea turbari posse prospiciatur intestino aliquo bello, inter Catholicos, & hæreticos excitando, ubi illi animum alienum ostenderent a contrahendis matrimoniis cum hæreticis.

II. Alii præterea hæc matrimonia, de quibus agimus, pluribus in locis licita fore asserunt in vim consuetudinis, quam summis Pontificibus notam, neque ab eisdem (ut ipsi ajunt) improbatam, veræ dispensationi æquivalere, affirmant. Alii demum considerantes, ut hujusmodi matrimonia licita sint, Ecclesiasticæ auctoritatis interventu opus esse, ne vel penes simplicem Parochum vel penes ipsos, quorum perfici negotium interest, arbitrium sit judicandi de sufficientia illius causæ, quæ contrahentem ad ineundum matrimonium inducat, Superioris Ecclesiastici nomine localem etiam Episcopum comprehendunt: idque etiam in quibusdam Episcopalibus ordinationibus insertum reperitur. At vero, si interdictum, quo fit, ut matrimonia hæc illicita sint, ex Concilii Generalis Chalcedonensis lege, aliisque contrariis sacrorum Canonum sanctionibus originem habet; iis insistendo regulis, quas supra posuimus, facili negotio perspicere est, hujuscemodi matrimonia licita aliter evadere non posse, præterquam in vim dispensationis a Romano Pontifice obtentæ, exclusis Episcopis, nisi a Pontifice facultatem acceperint, ut super iisdem dispensare possint: uti fuse demonstrat Henricus a S. Ignatio in Opere, cui titulus *Ethica amoris, seu Theologia Sanctorum, tom. 3. lib. 8. part. 2. cap. 36. num. 296.* Neque est, ut, hac in re, contraria ulla consuetudo opponatur, quoties non adsit positiva Pontificia dispensatio, quæ sane ex sola Pontificum Romanorum scientia, ac tolerantia deduci nullo pacto potest. Ita firmat Natalis Alexander *Theologiæ dogmaticæ & moralis tom. 2. art. 8. in regulis ad praxim spectantibus regul. 10.* Qua de re cum olim in Congregatione S. Officii disceptatum fuerit, ea inter Consultores, & Cardinales Inquisitores sententia vicit, quæ pro Pontificia steterat auctoritate: super quo videndus Cardinalis Albitius *in Tractatu de Inconstantia in Fide cap. 36. num. 164. & seq.* ac præcipue *num. 204. & 205. ac num. 225. & num. 238.*

III. Pontificiæ ergo auctoritati injuria fit ab iis, qui illius interventu opus non esse contendunt, ut matrimonia inter partes, alteram Catholicam, & alteram hæreticam, licite contrahantur: sed non minus graviter eandem auctoritatem *ab illis* lædi dicendum est, qui aliquo *ab hinc* tempore asserere, & jactare cœperunt, dispensationes hujusmodi a Romano Pontifice minime concedi posse, etiamsi gravis causa concurrat, atque omne perversionis periculum absit; ea scilicet ratione ducti, quod, dum pars Catholica cum hæretica parte matrimonio conjungitur, illa Sacramentum huic administret; quod est contra legem Divinam, quæ vetat, Sacramenta indignis administrari, atque iis, qui in lethalis peccati statu versantur, & peccatores notorii dici debent. Hoc modo Gamachæus *de matrimonio cap. 28.* ratiocinatur, cujus sententiam studiose tuetur Saintebeuve *tom. 2. casuum conscientiæ*, ac post ipsum Pontas *in verb. Dispensatio matrimonii casu 33.* Sane in Collationibus Ecclesiasticis Parisiensibus *collat. 2. de matrimonio tom. 3. lib. 1.* pluribus hac super re disputatis, hac denique ratione res tota concluditur, quod, quemadmodum Moyses, dum Judæorum duritie victus, libellum repudii eisdem permisit, non peccavit, nec actum illicitum commisit; ita omnis expers culpæ summus Pontifex dicendus sit, qui gravibus causis adductus, omnique adhibita cautione, ut perversionis periculum removeatur, Catholicum, dispensando, habilem redit ad matrimonium cum hæretico contrahendum.

IV. Verum hujusmodi temperamentum non satis tollit difficultatem tanta ratiocinationum mole propositam. Etenim, quemadmodum non desunt, qui affirment, Moysis permissione non obstante, Judæum illum nihilominus peccavisse, qui libello repudii utebatur; ita facile quispiam existere posset, qui non obstante Pontificia dispensatione, ad exemplum Moysis indulta, matrimonium Catholici cum hæretico peccaminosum esse contenderet. Quare, ad difficultatem illam de medio tollendam, alia via insistendum est. Pontius, gravis Theologus, *in appendice ad tractatum de matrimonio Catholici cum hæretico*, temerarium appellat eum, qui in dubium revocat, an ma-

matrimonium Catholici cum hæretico licitum ſit, ubi præceſſerit Pontificia diſpenſatio, in circumſtantiis ſupra memoratis conceſſa; ut videre eſt *ibi cap. 8. num. 7. Temeritate non carere eum, qui in dubium revocaverit, an licite illud matrimonium poſſit contrahi.* Et Cardinalis de Lugo *in Tractata de Sacramentis diſp. 8. ſect. 14.* ad idem comprobandum plura perſequitur.

V. Nobis profecto propoſitum hoc loco non eſt ſcholaſticam illam quæſtionem attingere, utrum matrimonium unicum Sacramentum ſit, an vero in eodem partialia duo Sacramenta interveniant, adeoque utrum dici poſſit, quod, ubi matrimonium, prævia diſpenſatione, inter partem Catholicam Sacramenti capacem, & partem hæreticam, quæ ejuſdem incapax eſt, contrahitur, ipſum in perſona quidem Catholica Sacramentum ſit, in altera autem contractus mere civilis; quemadmodum docent Fraſſen *in Scoto Academico tom. 12. tract. 3. diſput. 2. art. 1. quæſt. 2. §. Quæres primo*, Henricus a S. Ignatio *in Ethica amoris cit. tom. 3. lib. 8. part. 2. cap. 8.* Tournely *de Matrimonio pag. 95. editionis Pariſienſis anni 1730.* Sed ipſam rei naturam expendentes, hoc affirmandum habemus, quod, ubi excluſum ſit a Fideli perverſionis periculum, quod ſemper excludendum non ambigitur, cujusque rei per conditiones in diſpenſationibus apponendas conſulitur, ubi etiam opportune cautum ſit, ut ſancta Religio in liberis ſive maribus, ſive feminis ex eo matrimonio ſuſcipiendis ſervetur, ſuſcepto item a Catholica perſona onere curandi, ut hæreticam partem ad orthodoxam Religionem amplectendam perducat, iis rationibus adhibitis, quas aptiores, & opportuniores exiſtimaverit, ac præterea intercedente gravi aliqua, ac plerumque publica cauſa, quæ ſi deficiat, licet ceteræ ſupra memoratæ adſint conditiones, diſpenſatio nequaquam impertiri ſolet; ut colligere licet ex Clementis XI. reſponſo ad Epiſcopum Herbipolenſem, qui pro diſpenſatione ad contrahendum matrimonium inter partes, alteram Catholicam, & alteram hæreticam, eidem Pontifici ſupplicabat: *Nos itaque, etſi pro magnitudine ſpiritualis hujuſmodi periculi* (de perverſionis periculo loquitur,) *quod tamen, propitio Deo, averti poſſe conſidimus, intime commoveamur; majoris tamen momenti eſſe, exiſtimamus, Eccleſiæ Dei, Apoſtolicæ Sedis, Prædeceſſorum noſtrorum, ac ſacrorum Canonum, a Catholicorum cum hæreticis conjugio abhorrentium, regulas, niſi id totius Chriſtianæ reipublicæ bonum expoſcat:* ut *in tom. 1. Brevium* ejuſdem Pontificis *pag. 321.* habetur. Cumque in diſpenſatione concedenda neque Divinum, neque naturale Jus ullatenus lædatur, ſed Eccleſiaſtico Juri tantummodo derogetur; nullam ſane cauſam, vel rationem reperire eſt, cur matrimonium, in vim hujuſmodi diſpenſationis contractum, pro illicito, aut peccaminoſo habendum ſit: ut appoſite animadvertit Sylvius *in 3. part. S. Thomæ tom. 4. quæſt. 59. quæſit. 2. art. 1. §. Ceterum.* Et licet objiciatur, partem Catholicam hæreticæ parti occaſionem præbere profanandi Sacramentum, facile reſpondebitur, quod profanatio hujuſmodi per accidens, & præter Catholicæ partis intentionem contingit: hæc enim jure ſuo utens, quoad ſe nihil aliud agit, quam quod ad proprias rationes pertrahit voluntatem partis hæreticæ, cui paratus jam ac certus animus eſt, ut matrimonium in ſtatu peccati contrahat, & contra legis præſcriptum, cum illud idem licite, & fructuoſe præſtare poſſet, ſi vel ante nuptias, vel dum eas contrahit, in Eccleſiæ gremium ſe ſe reciperet. Ita reſpondent Tournely *loco citato pag. 107.* Iſambertus *de Matrimonio pag. 393. n. 7.* Herminier *in Tractatu de Sacramentis tom. 3. tit. Cultus diſparitas §. His non obſtantibus*, Maurus *in Curſu theologico tom. 3. lib. 10. quæſt. 82. num. 4.* qui ad rem noſtram ita ſcribit: *Catholicus miniſtrans Sacramentum, facit actionem ex ſe indifferentem. Nam poſſet alter conjux converti ad Fidem, & per contritionem juſtificari, & recipere Sacramentum digne.* Quod ſi pro vero habendum eſſet, contra Jus Divinum facere Catholicum illum, qui, etiam remoto perverſionis periculo, matrimonium cum hæretico contrahit, ejuſque peccatum in eo conſiſtere, quod perſonæ indignæ Sacramentum miniſtret; dicendum eſſet (quod hactenus a nemine affirmatum eſt,) ſanctas illas Mulieres Catholicas peccaſſe, quæ nedum cum hæreticis, ſed cum infidelibus matrimonium contraxerunt: uti factum conſtat tum a S. Monica D. Auguſtini Matre cum Patritio Ethnico, a S. Anaſtaſia cum Publio Idololatra, a S. Cæcilia cum Valeriano nondum ad Chriſtianam Fidem converſo, atque ab aliis pluribus. Nec replicare juvat, impedimentum *diſparitatis cultus* temporibus illis nondum introductum fuiſſe; nam viciſſim reponere in promptu eſt, in prædictorum Auctorum ſenſu obſtitiſſe ſemper Divini Juris impedimentum, ne Sacramenta indignis miniſtrarentur: *Nec Sanctos, qui cum infidelibus contraxerunt, naturæ legem, Juſque Divinum violaſſe, & in perpetua fornicatione vixiſſe putandum eſt:* ut optime differit Natalis Alexander *in Theologia dogmatica & morali lib. 2. de Sacramento matrimonii art. 8. de cultus diſparitate.* Improvida etiam ratione (quod aſſerere temerarium eſſet) a citato magno Chalcedonenſi Concilio, jam uſque a quinto Eccleſiæ ſeculo, ſtatutum fuiſſet, quod legitur in ejuſdem Concilii canone decimo quarto, ne ſcilicet Catholicus matrimonio jungatur cum parte hæretica, Judæa, aut Ethnica, *niſi forte perſona orthodoxa copulanda promittat, ſe ad orthodoxam Fidem transferre.* Etenim hic etiam dici poſſet, a parte Catholica Sacramentum contrahenti indigno adminiſtrari, dum matrimonium eo tempore contrahit, quo altera pars meram Catholicæ Religionis amplectendæ promiſſionem emiſit; nemo autem ex hoc tantummodo Sacramenti percipiendi dignus evadit, quod ſe perfidiam abjuraturum, aut ſanctam Fidem amplexurum promittat; ſed tunc ſolum, cum, ejuratis re ipſa erroribus, in ſanctæ Eccleſiæ gremium fideliter ingreditur. Dicendum denique eſſet, Catholicos Principes, eorumque Conſiliarios, necnon Romanos Pontifices, & Congregationes ab eis deputatas pro examinandis eorum inſtantiis, qui diſpenſationes petunt ad contrahendum matrimonium cum parte hæretica, non obſtante impedimento gradus, & ſine clauſula, *abjuratæ prius hæreſi*, intervenientibus tamen aliis ſupra memoratis conditionibus, eos (inquam) omnes & irrationabilia poſtulaſſe, & poſtulata non recte expendiſſe, & quæ petebantur, perperam indulſiſſe; nulla ratione habita graviſſimi reatus, quo ſe obſtrinxere tam ii, qui diſpenſationes conceſſerunt, quam, qui eaſdem obtinuerunt: quod ſane affirmare nimiæ audaciæ eſſet, quemadmodum Tournely, Herminier *locis ſupra citatis*, & Chardon *tom. 6. Hiſtoriæ Sacramentorum cap. 13. pag. 402.* probe animadvertunt.

VI. Quæ hactenus dicta ſunt, eo ſpectant ſolummodo, ut Apoſtolicæ Sedis jura integra inviolataque ſerventur; minime vero, ut facilior aperiatur via concedendis Apoſtolicis diſpenſationibus ad contrahenda matrimonia inter Catholicos, & hæreticos: circa quos operæ pretium erit noſtram Conſtitutionem conſulere, cujus initium *Magnæ nobis*, quæque legitur *tom. 2. noſtri Bullarii num. 51.* in qua ſcilicet rectæ diſciplinæ regula indicatur, cui Apoſtolica Sedes conſtanter inſiſtit, quoties hujuſmodi diſpenſationes ab ea requiruntur.

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials



## CAPUT QUARTUM.

*Examen inſtituitur Synodalis conſtitutionis, adſcribentis Epiſcopo facultatem abſolvendi ab hæreſi, quæ, niſi congrue explicetur, jura deturbat Apoſtolicæ Sedis.*

IN nonnullis antiquis Synodis indubitanter adjudicatur Epiſcopo facultas abſolvendi ab hæreſi. Ita quippe diſerte ſtatutum legimus in Synodis Andegavenſibus annorum 1216. & 1493. atque in Synodo Ambianenſi anni 1411. apud Pontas *verb. Caſus reſervati caſ.* 4. Eamque facultatem nullo poſteriori jure eſſe Epiſcopis ademptam, declaraſſe Cardinalem Gàſparem Quirogam, Archiepiſcopum Toletanum, atque in Hiſpaniarum Regno ſupremum Inquiſitorem, in ſua Synodo Toletana anni 1583. referunt Hurtadus *de Fide diſp.* 84. *ſect.* 2. §. 11. Cardinalis de Lugo *de virtute Fidei diſp.* 23. *ſect.* 3. §. 1. *num.* 44. & noviſſime Milante *exercit.* 3. *in tertiam propoſitionem damnatam ab Alexandro VII. pag.* 20.

II. Verum, ne hiſce, aliarumque plurium Synodorum vetuſtis exemplis ſe abduci patiantur Epiſcopi, eamque ſibi vindicent juriſdictionem, qua carent; priuſquam quidquam de hac re in ſuis Synodis ſtatuant, oportet, ut certa ab incertis ſecernant, rerumque, ac temporum varietatem accurate diſpiciant: poteſtas quippe abſolvendi a crimine hæreſeos, quæ olim indiſcriminatim omnibus competebat Eccleſiarum Paſtoribus, neque hodie illis denegatur in aliquibus circumſtantiis: in aliis tamen communiter cenſetur ſummo Pontifici nunc reſervata. Omnia ſingulatim expendamus.

III. Inter præcipuas Paſtoralis muneris curas eſt, ſolerter invigilare, ne ullus contra orthodoxam doctrinam error in ſuam diœceſim irrepat: quod luculenter expreſſit Apoſtolus 1. *ad Timotheum cap.* 3. *& ad Titum cap.* 1. Hinc nemo dubitat, *quin ad Epiſcopum potiſſimum pertineat, in hæreticos inquirere,* atque in illos, *quos in ſuis erroribus pertinaces compererit canonicis* pœnis ſevere animadvertere. Hanc Epiſcoporum obligationem agnovit, & inculcavit Auctor epiſtolæ ad Epiſcopos in Galliis, atque in Hiſpaniis conſiſtentes, quam Lucio Papæ adſcripſit Iſidorus, ita Epiſcopos alloquens: *Ideo, Fratres, hortor dilectionem veſtram, obteſtor, & moneo, ut qua debetis, & poteſtis ſolicitudine, vigiletis ad inveſtigandos hæreticos, & inimicos ſanctæ Eccleſiæ, & a ſanis mentibus, ne peſtis hæc latius divulgetur, ſeveritate, qua poteſtis, pro viribus extirpetis*: *tom.* 1. Collectionis Harduini *col.* 140. Quamquam porro hoc Lucii teſtimonium credatur adulterinum, adulterinum certe non eſt decretum Concilii Remenſis anni 625. vel 630. quod *can.* 4. *tom.* 3. Collectionis Harduini *col.* 572. ab Eccleſiarum Paſtoribus hæreticos diligenter perquiri, & ad Fidem Catholicam pro viribus revocari, mandavit. Et, ne inutiliter tempus teramus in re exornanda apud omnes indubitata, ſatis abunde erit, unam allegare ſanctionem Innocentii III. in Concilio Generali Lateranenſi IV. anni 1215. *in cujus cap.* 3. *de hæreticis*, jubentur Epiſcopi ſingulis annis vel per ſe, vel per Archidiaconos, ſuas circumire diœceſes, & ſedulo indagare, an ullus in ea latitet hæretica contagione infectus: ſocordes vero, & negligentes, in expurganda concredita ſibi diœceſi ab hæretica lue, veluti gravis flagitii reos, & Paſtorali miniſterio indignos, e gradu dejici, ibidem decernitur, *tom.* 7. Collectionis Harduini *col.* 22. *Volumus igitur, & mandamus, & in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, ut ad hæc efficaciter exequenda Epiſcopi per diœceſes ſuas diligenter invigilent, ſi canonicam effugere voluerint ultionem. Si quis enim Epiſcopus ſuper expurgando de ſua diœceſi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit, vel remiſſus, cum id certis indiciis apparuerit, & ab Epiſcopali officio deponatur, & in locum ipſius alter ſubſtituatur idoneus, qui velit, & poſſit hæreticam confundere pravitatem.* Neque per hoc, quod a Sede Apoſtolica inſtitutum fuerit Inquiſitionis tribunal, cujus initium ad ejuſdem ſeculi XIII. initium, poſt tamen abſolutum Concilium Lateranenſe IV. in quo certe nulla de Inquiſitoribus a Sede Apoſtolica delegatis occurrit mentio, refert Ludovicus a Paramo *de Origine ſacræ Inquiſitionis lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 2. non eſt (inquam) per hoc Epiſcopis ſubductum onus, aut adempta facultas in hæreticos inquirendi; ſicuti diſerte declaravit Bonifacius VIII. *in Cap.* 17. *de hæreticis*, *in 6. Per hoc quod negotium hæreticæ pravitatis alicui, vel aliquibus ab Apoſtolica Sede generaliter in aliqua provincia, civitate, vel diœceſi delegatur, diœceſanis Epiſcopis, quin & ipſi auctoritate ordinaria, vel delegata (ſi habent) in eodem procedere valeant, nolumus derogari*: ſed poſſunt, & debent, perinde ac antea, omnem ſuam operam impendere, ut eandem peſtem, e ſua quilibet diœceſi, eliminent; ſolumque cavere, ne delegatos ab Apoſtolica Sede Fidei Quæſitores, ubi ſunt conſtituti, a ſuo munere obeundo impediant, ſed pari ſtudio, animorumque concordia, debent in opus adeo ſalutare incumbere, juxta modum præſcriptum *in eodem Cap. Per hoc*, atque *in Clementina* 1. *eod. tit.* & *in Extrav.* Benedicti XI. *Cap.* 1. *de hæreticis*. Jam vero tam Inquiſitor, quam Epiſcopus poteſt reſipiſcentem hæreticum, aut ſponte coram ſe comparentem, aut ad ſuum forum quoquo modo deductum, Eccleſiæ reconciliare, & pro utroque foro abſolvere a cenſura, in quam propter hæreſim incidit: quod pluribus oſtendunt Cardinalis Albitius *de Inconſtantia in Fide cap.* 25. *num.* 35. *& ſeq.* Farinaccius *de hæreſi quæſt.* 92. §. 4. *num.* 52. Cardinalis de Lugo *de virtute Fidei diſp.* 23. *ſect.* 3. §. 1. *num.* 52. Thomas del Bene *de offic. S. Inquiſitionis part.* 1. *dubitat.* 57. & Cardinalis Petra *tom.* 3. *ad Conſtit.* 18. *Innocentii IV. num.* 27. *& ſeq.* Quin immo uterque poteſt pœnitentem hæreticum, poſtquam ſuos ejuravit errores, ad ſimplicem Confeſſarium remittere, ut ab eo abſolvatur: eamque abſolutionem, licet a Confeſſario datam in foro Sacramentali, prodeſſe etiam pro foro externo, a cujus juriſdictione promanat, recte obſervat idem del Bene. Plura de ordinaria poteſtate Epiſcoporum inquirendi in hæreticos, eoſque Eccleſiæ reconciliandi, congeſta ſunt ab Alteſerra *de Juriſdict. Eccleſiaſt. lib.* 4. *cap.* 3. & noviſſime a P. Joanne Antonio Bianchi *de poteſtate Eccleſiæ tom.* 3. *lib.* 1. §. 10. *num.* 2. *& 3.* Plura itidem ad rem facientia legi poſſunt in Colloquiis Andegavenſibus menſis Maji 1713. *quæſt.* 4. *pag.* 110.

IV. Hæc certa ſunt. Communiter quoque Doctores non tantum Epiſopo, verum etiam cuilibet ſimplici Confeſſario facultatem concedunt abſolvendi ab hæreſi pure interna, & mentali, nullo exteriori ſigno manifeſtata: abſolutio quippe ab hæreſi eſt ſummo Pontifici riſervata ſolum ratione cenſuræ, eidem hæreſi annexæ; Eccleſia autem, ſicuti non poteſt per ſe, directe, & immediate præcipere, aut prohibere actum mere internum, juxta communem Theologorum ſententiam, quam cum S. Thoma 1.2. *quæſt.* 91. *art.* 4. *& quæſt.* 100. *art.* 9. docet Suarez *lib.* 4 *de legibus cap.* 12. *per tot.* ita non poteſt hæreſim, quæ in exteriorem actum non prodit, cenſura perſtingere: uti ad rem tradunt Navarrus *man. cap.* 27. *n.* 56. Suarez *de cenſuris diſp.* 4. *ſect.* 2. *& diſp.* 21. *ſect.* 2. Sanchez *lib.* 2. *in Decalogum cap.* 8. *num.* 1. *& ſeq.* Bonacina *de cenſuris in Bulla Cœnæ contentis diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *num.* 2. *& 3.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi part.* 2. *alleg.* 40. *num.* 6. & *num.* 9. & *in Collectan. ad cap.* 6. *ſeſſ.* 24. *Concil. Trident. num.* 50. *& 51.* Cenſuram pariter evade-

ret,

ret, posſetque pro foro conſcientiæ ab Epiſcopo, aliove ſimplici Confeſſario abſolvi, qui exterius verbo, vel facto, aliquem negaret Fidei articulum, retento tamen interiori aſſenſu circa illum: nam iſte, etſi graviter contra Fidem peccaret, non tamen eſſet formaliter hæreticus, ac propterea non irretiretur cenſuris in hæreticos inflictis; quod bene perpendunt Leſſius *de juſt. & jur. cap.*43. *dub.*2. *num.*11. Suarez *de Fide diſp.*14. *ſect. ult. num.*3. & Sanchez *cit. lib.*2. *cap.*7. *num.*8. In foro autem externo eſſet puniendus tanquam hæreticus, nec ei crederetur aſſerenti, ſe interiori aſſenſu firmiter adhæſiſſe veritati, cui viſus eſt exterius diſſentire; uti proſequuntur Simanca *de Catholic. Inſtit. tit.*13. *num.*15. Rojas *tract. de Hæret.*1. *part. num.*304. *& ſeq.* & Farinaccius *de hæreſi quæſt.*179. *num.*55.

V. Sed difficultas unice circa eum verſatur, qui interius Fidei articulo diſſentitur, ſuumque diſſenſum aliquo exteriori ſigno pandit, quin tamen idcirco fuerit ad forum judiciale deductus: de hoc quippe, quem hæreticum eſſe, cenſuriſque in hæreticos latis innodatum, nemo dubitat; controvertitur, an, quamdiu ejus delictum occultum eſt, poſſit ab Epiſcopo pro foro conſcentiæ abſolvi. Difficultatem faciunt Tridentinum, & Conſtitutio Apoſtolica, que ſingulis annis in die Cœnæ Domini promulgatur. Etenim ex una parte Tridentinum *ſect.*24. *cap.*6. *de reform.* facultatem tribuit Epiſcopis diſpenſandi in qualibet irregularitate proveniente ex delicto occulto, ea tantum excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario, & inſuper abſolvendi in foro conſcientiæ a quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ſolum non excepto, ſed nominatim expreſſo etiam crimine hæreſis: *Liceat Epiſcopis .... in quibuſcumque caſibus occultis* (ſunt verba Tridentini), *etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, deliquentes quoſcumque ſibi ſubditos, in diœceſi ſua, per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine, in eodem foro conſcientiæ, eis tantum, non eorum Vicariis, ſit permiſſum.* Ex alia vero parte ſummus Pontifex in prædicta Conſtitutione, poſtquam anathemate perculit omnes hæreticos, ſibi uni facultatem reſervat eos abſolvendi. Hinc vero oritur controverſia, an per hujuſmodi Conſtitutionem, quotannis renovatam, cenſeatur derogari præfato decreto Tridentini. Enimvero extra controverſiam eſt, per illam ademptum eſſe Regularibus, aliiſve privilegium, ſi quod antea habuerint, quempiam abſolvendi ab hæreſis crimine: quin immo, quamvis ab ipſomet rummo Pontifice, tempore Jubilæi, cuilibet Confeſſario, ex approbatis a locorum Ordinariis, ampliſſima concedatur poteſtas omnia remittendi facinora, atque in foro Sacramentali quaslibet relaxandi cenſuras, ſibi quomodocumque, etiam virtute Bullæ Cœnæ, reſervatas, per eam tamen, aliaſve ſimiles conceſſiones, nunquam collatam cenſeri auctoritatem abſolvendi a crimine hæreſis, niſi hoc fuerit ſpecialiter, & nominatim expreſſum, declaravit Alexander VII. in ſuo decreto, a nobis relato, & accurate expenſo *in noſtra Inſtit.*4. quod eſt ejuſmodi, *Sanctiſſimus Dominus noſter Alexander Papa VII. ſub die Martii* 1656. *inhærendo declarationibus aliàs a Prædeceſſoribus ſuis factis, ad removendam omnem dubitandi occaſionem, & ne circa id in poſterum ullo tempore hæſitari contingat, cum crimen hæreſis, præ ceteris graviſſimum, ſpeciali nota dignum ſit, decrevit, facultatem abſolvendi ab hæreſi, in Jubilæis, vel aliis ſimilibus conceſſionibus, non cenſeri comprehenſam, niſi expreſſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi.* Et ſiquidem hæc facultas non exprimitur in Bulla Cruciatæ, idcirco Gregorius XIII. jam antea edixerat, neminem poſſe, illius tantum obtentu, ſolvi a cenſura, in quam propter hæreſim incidit; quod videre eſt apud Emmanuelem Rodericum *in addit. ad Bullam Cruciatæ §.9. num.*66.

VI. Sed nihilominus ſpecialis eſt ratio dubitandi, num per eandem Bullam Cœnæ ſit ablata etiam Epiſcopis poteſtas abſolvendi ab hæreſi occulta, iiſdem tributa a Concilio Tridentino: huic quippe exiſtimant plerique cum Sanchez *de Matrim. lib.*3. *diſp.*26. *num.*7. *circa medium*, non derogari, ſine expreſſa ejuſdem mentione, qualis in Bulla Cœnæ non occurrit. Accedit, incredibile videri, Pium IV. qui decreta Concilii Tridentini approbavit, omnemque adhibuit operam, ut per omnes orbis Chriſtiani provincias promulgarentur, eodem ipſo anno, quo hoc negotium urgebat, atque eorundem decretorum acceptationem, & religioſam obſervationem impenſe commendabat, in Bulla Cœnæ, quam conſueto more evulgavit, voluiſſe derogare præfato decreto Epiſcopis favorabili; indignati enim fuiſſent Epiſcopi, ſi audiviſſent, ſe compelli ad ſubeunda onera ſibi a Tridentino impoſita, eo ipſo tempore, quo privabantur privilegio ſibimet ipſis ab eodem Tridentino indulto: Cum autem Bulla Cœnæ etiam tum munita eſſet iiſdem clauſulis derogatoriis, quibus nunc eſt referta, præſumendum eſt, per iſtas voluiſſe, & velle Pontifices revocare duntaxat facultates abſolvendi ab hæreſi, a ſuis Anteceſſoribus conceſſas, non vero illam, qua juſtis de cauſis ſunt Epiſcopi a Concilio Tridentino donati. Ita ratiocinatur Bannes *in* 2.2. *quæſt.*11. *art.*3. Aragonius *idib. art.*1. *col.*10. Hurtadus *diſp.*84. *ſect.*2. Gutierrez *Canonicar. Quæſt. lib.*1. *cap.*13. Fagundez *in* 2. *præceptum Eccleſiæ lib.*8. *cap.*8. *num.* 33. Campegius in additione ad Zanchinum *de hæreſi cap.*34. Boſſius *de Jubilæo ſect.*1. *cap.*10. §.5. Leander *part.*4. *tract.*2. *diſp.*17. *quæſt.*45. aliique, quos referunt Sanchez *lib.*2. *in Decalogum cap.*11 *num. ult.* & Diana 1. *part. tract. de abſolutione ab hæreſi reſolut.*2.

VII. Verum utrumque argumentum nullo labore refellunt Auctores contrarii, quos citant, & ſequuntur Sanchez *lib.* 2. *moral. diſp.* 3. §. 2. *n.* 22. Garcias *de Benef. part.* 11. *cap.* 9. *n.* 121. Barboſa *ad dict. cap.* 6. *ſect.* 24. *de reform. & de offic. & potaſt. Epiſc. allegat.* 40. *n.* 3. Cardinalis de Lugo *de virtute Fidei diſp.* 23. *ſect.* 3. §. 1. Roſignolus *de cenſuris to.* 1. *quæſt.* 1. *cap.* 15. *n.* 7. Duard. *in Bullam Cœnæ lib.*3. §. 2. *quæſt.*11. *n.* 43. Clericatus *de Pœnit. deciſ.* 45. *n.* 4. *& ſeq.* Anacletus Reiffenſtuel *lib.* 5. *Decretal. tit.*7. §. 7. *n.* 351. *& ſeq.* aliique quamplurimi. Meliori ſane, & veriori judicio contendunt iſti, facultatem, de qua loquimur, eſſe Epiſcopis per Bullam Cœnæ ademptam, & Romano Pontifici reſervatam; nec multum negotii ipſis faceſſunt argumenta in contrarium adducta. Ad primum quippe ajunt, ſufficienter derogari Concilio Tridentino per illam generalem clauſulam, in Bulla Cœnæ contentam: *Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, & cujuſvis Concilii decretis*: etenim, cum nullum, præter Tridentinum, reperiatur Concilium, a quo data ſit Epiſcopis poteſtas abſolvendi ab hæreſi, allegata verba, quibus Pontifex eandem poteſtatem ſibi deinceps reſervat, unice alludere queunt ad enuntiatum Tridentini decretum, cui in hac parte ſe derogare declarat. Ad hæc, ut Papa deroget Concilio Tridentino, non eſt neceſſe, ut expreſſam faciat ejuſdem mentionem, ſed ſatis eſt, ut aliquid ſtatuat, quod Tridentini decretis adverſetur: ſiquidem, cum ipſimet Tridentini Patres *cap. ult. ſect.* 25. *de reform.* ſua decreta ſubjecerint judicio, & voluntati ſummi Pontificis: *Omnia, & ſingula, ſub quibuſcumque clauſulis, & verbis, quæ ..... in hoc ſacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat, ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur*: idcirco Pontifex aliquid edicens contra aliquam Tridentini ſanctionem, non operatur contra mentem ejuſdem Concilii,

cilii, neque illam exerit ſupremam auctoritatem, ſibi a Chriſto Domino collatam, relaxandi, & immutandi, cum opus fuerit, quamcumque legem Eccleſiaſticam; ſed potius eo utitur arbitrio, a cujus nutu voluit idem Tridentinum ſuarum ſanctionum firmitatem pendere: quod appoſite expendunt Garcias *de Benefic. part. 4. cap. 5. n. 32. et 33.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 6. n. 120.* Bonacina *de cenſur. in Bulla Cœnæ diſp. 1. quæſt. 2. punct. 2. num. 8.* & Fagnanus *in Cap. Nulla, num. 86. de conceſſ. Præbendæ*.

VIII. Alterum, quod proferunt argumentum, ut aliquid haberet roboris, in primis probandum eſſet, quod gratis aſſumitur, nimirum Bullam Cœnæ, a Pio IV. de more promulgatam, iiſdem fuiſſe munitam clauſulis, quæ leguntur in ſimilibus Conſtitutionibus, a poſterioribus Pontificibus editis. Enimvero enuntiata verba: *Non obſtantibus cujuſvis Concilii decretis*: non leguntur in Bulla Cœnæ promulgata a Martino V. quæ refertur a S. Antonino *3. part. tit. 24. cap. 72.* neque in Bulla Cœnæ promulgata a Paulo III. quæ eſt 10. inter Conſtitutiones ejuſdem Pontificis *Bullar. tom. 1.* quin immo Cardinalis de Lugo *de virtute Fidei cit. diſp. 23. ſect. 3. §. 1. n. 48.* teſtatur, ſe ea verba non inveniſſe in ulla Bulla Cœnæ ante Gregorium XIII. ex quo conjicit, neque a Pio IV. fuiſſe adhibita; ac proinde corruit potiſſimum argumentum, cui plurimum fidunt Auctores ſtantes pro contraria opinione.

IX. Deinde, cum hæc controverſia non verſetur circa jus, ſed circa factum; nemo quippe Catholicorum dubitat, potuiſſe Pontificem facultatem, de qua agitur, Epiſcopis adimere, ſed ſolum diſputant, an re ipſa ademerit: non eſt ex meris præſumptionibus, & conjecturis colligenda voluntas ſummorum Pontificum, quam ipſimet diſerte explicuerunt. Etenim S. Pius V. & Gregorius XIII. de hac re interrogati, indubitanter reſponderunt, nulli, præter Papam, hodie integrum eſſe, quemquam abſolvere ab hæreſi, etiam occultiſſima; eo quod Papa, per Bullam Cœnæ, ejuſmodi facultatem *ſibi reſervet*: ſicuti totidem verbis refert Navarrus *man. cap. 27. nu. 275.* addens, ab iiſdem Pontificibus ne Cardinali quidem ſummo Pœnitentiario fuiſſe talem facultatem tributam, niſi multis limitationibus circumſcriptam. Præterea in Vita S. Franciſci Saleſii, deſcripta a Petro Hyacintho Gallizia *lib. 2. cap. 32.* atque in alia alterius Auctoris, relata a Gobat *Theolog. experim. tract. 7. caſ. 8. nu. 370.* legitur, eum ad Epiſcopatum promotum, coram Clemente VIII. examen ſubiiſſe, promovendis ad Epiſcopatum ab eodem Pontifice indictum, atque inter quæſtiones eidem propoſitas de hac fuiſſe a Pontifice interrogatum: *Poſſent ne Epiſcopi ab hæreſi abſolvere?* Reſpondit Saleſius: *Poſſe, virtute facultatis iiſdem factæ a Tridentino*. At, aliam ſibi mentem, aliam eſſe voluntatem, mox ſubjecit Pontifex. Ad quod Saleſius: *Siquidem hæc eſt mens Sanctitatis veſtræ, eidem acquieſco, atque e mea ſententia recedo*. Idem, nec ſemel, deciſum eſt a ſacris Urbis Congregationibus, quarum miniſterio ſolent Pontifices mentem ſuam manifeſtare. Ita quippe declaratum a ſacra Congregatione S. Officii teſtantur Penia, Romanæ Rotæ Auditor, in notis ad Eymericum *3. part. quæſt. 92. comment. 141. §. Equidem*, & Cardinalis Albitius, qui ejuſdem Congregationis Aſſeſſoris munus obierat, *in ſuo Tract. de Incoſt. in Fide cap. 25. num. 4. & ſeq.* idemque reſponſum datum a ſacra Congregatione Concilii, narrant Fagnanus *in Cap. Quoniam, num. 29. de Conſtitutionibus*, & *in Cap. Dilectus, num. 30. de tempor. Ordinat.* ac Cardinalis Petra *in comment. ad Conſtit. 18. Innocentii IV. tom. 3. nu. 19. & ſeq.* Quocirca Suarez, qui *in tract. de cenſuris diſp. 21. ſect. 3. nu. 5.* probabilem cenſuerat opinionem, Epiſcopis favorabilem, cum poſtea diligentius expenderit allegata ſummorum Pontificum, ſacrarumque Congregationum reſponſa, e priori ſententia receſſit, & *in tract. de Fide diſp. 21. ſect. 4. num. 13.* aperte docuit, nulla probabili ratione poſſe hodie aſtrui Epiſcopis poteſtatem abſolvendi ab hæreſi. Et Cardinalis de Lugo *cit. ſect. 3. §. 1. num. 46.* poſt quæſtionem in utramque partem verſatam, eadem reſpiciens decreta, concludit: *Mihi moraliter certa eſt Pontificis mens, & ſenſus Romanæ Curiæ, in qua omnes Pontificis miniſtri pro certo ſupponunt, ſingulis annis denuo eam facultatem Epiſcopis auferri, & ea ſolum de cauſa, ad eumque finem addita eſſe in Bulla Cœnæ verba illa, quibus revocantur facultates conceſſæ etiam per cujuſvis Concilii decreta*. Ac denique Fagnanus *in cit. Cap. Dilectus, num. 31.* poſtquam indicatam retulit declarationem editam a ſacra Congregatione Concilii, ait: *Unde fruſtra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controverſiam adducunt, cum habeamus claram determinationem ſacræ Congregationis*.

X. Sed majorem adhuc firmitatem huic ſententiæ adjecit Alexander VII. cum die 24. Septembris 1665. hanc inter ceteras propoſitionem proſcripſit: *Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio ſacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt*. Fatemur equidem, damnationis telum non directe confodere opinionem aſſerentem Epiſcopis auctoritatem abſolvendi ab hæreſi occulta, ſed ſolum directe perſtringere quorumdam audaciam, & impoſturam, qui, ut eandem opinionem validiſſima fulcirent auctoritate, in vulgus jactabant, eam, a ſacra Congregatione examinatam, omnem evaſiſſe cenſuram; uti advertunt Salmanticenſes *in Curſu morali tom. 4. tract. 18. de privilegiis cap. 4. §. 1. num. 163.* & Milante *exercit. 3. in tertiam propoſitionem damnatam ab Alexandro VII. pag. 19.* At nihilominus nemo facile inficiabitur, damnationis ictum grave vulnus indirecte inflixiſſe etiam opinioni, quam ſui Auctores prædicta impoſtura tutabantur: parum enim ſolicitus fuiſſet Pontifex de præcipuo evertendo argumento, quo ea fulciebatur opinio, ſi illam quoquo modo probabilem, ac tolerabilem reputaſſet; quemadmodum ratiocinatur Dominicus Viva *in eandem tertiam propoſitionem Alexandri VII.* recte inde inferens, præfatam opinionem e ſua probabilitate, ſi quam antea haberet, plurimum ſaltem fuiſſe deturbatam.

## CAPUT QUINTUM.

*Alia evertuntur argumenta, quibus ſpeciatim ſuffulti nonnulli Auctores Gallicani, facultatem abſolvendi ab hæreſi, quam aliis ablatam haud difficulter admittunt, in ſuæ nationis Epiſcopis intactam perſeverare, aſſeverant.*

POteſtatem, de qua hactenus diſſeruimus, aliis innixi argumentis, ſuæ gentis Epiſcopis vindicare conantur plures Doctores Galli, quos ſequuntur Tournely, ſeu, verius, Continuator *Theol. moral. ejuſdem tom. 2. tract. 3. de cenſuris part. 1. pag. 471. edit. Venet.* & Pontas *verb. Caſus reſervati caſ. 4.* Aliqui enim, teſte Thomaſino *de vet. & nov. Eccleſ. diſcip. part. 1. lib. 2. cap. 13. num. 8. §. Acceſſit*, eam in Galliarum Præſules derivatam volunt a conſuetudine, tacito Romani Pontificis conſenſu roborata, quæ jamdiu obtinuit, ut Epiſcopi occultos hæreticos in foro Sacramentali abſolvant: *Abſolvunt tamen ab hæreſi* (ait Thomaſſinus) *Epiſcopi Galliarum non contradicente, adeoque, ut ex regulis Juris ipſi interpretantur, conſentiente Pontifice.*

Alii

Alii vero, cum Gibert *in suo tract. de usu Ecclesiæ Gallicanæ in materia censurarum tit.* 17. ideo per Bullam Cœnæ non revocatam defendunt Gallicanis Episcopis auctoritatem absolvendi ab hæresi occulta, iisdem concessam a Tridentino, quia præfata Bulla, ut ipsi ajunt, & pluribus suadere conatur Gibert, nunquam fuit in Galliis recepta.

II. Verum neque ejusmodi argumenta tantæ sunt efficacitatis, ut illud evincant, quod prædicti Auctores contendunt: etenim, quod spectat ad non acceptationem Bullæ Cœnæ, mirum est, non vidisse Gibertum, ejusmodi argumentum in ipsum retorqueri: nam, sicuti in Galliis, uti Gibertus, ejusque assecłæ ajunt, neque promulgata, neque usu recepta unquam fuit Bulla Cœnæ, ita pariter, iisdem asserentibus, nec publicatum, nec receptum ibidem fuit Concilium Tridentinum quoad decreta respicientia disciplinam: *Episcopi illarum regionum, in quibus Concilium Tridentinum adhuc receptum non est, non possunt uti hac facultate concessa in hoc decreto*, scilicet *cap. 9. sess.* 24. de quo disputabatur, rescripsit sacra Congregatio Concilii, apud Cardinalem de Lugo *cit. disp.* 23. *sect.* 3. §. 1. *num.* 54. Equidem cum facultas absolvendi ab hæresi occulta, unice ex Concilio Tridentino, in Episcopos dimanaverit, non potuit illam participare, qui Tridentino aditum in suam diœcesim occlusit; neque æquum est, ut id commodi ex Concilio reportent, qui ejus onera subire detrectant: quemadmodum cum eodem de Lugo ad rem prosequuntur Doctores congesti a Sanchez *cit. lib.* 2. *in Decalogum cap.* 11. atque a Barbosa *ad cit. cap. 6. sess.* 24. *n.* 3.

III. Quod vero attinet ad consuetudinem, tacito Romani Pontificis consensu approbatam, quam in plerisque Galliarum diœcesibus jamdudum obtinuisse, ajebat Thomassinus, ut earundem Præsules passim ab hæresis crimine suos subditos absolvant: Thomassinum confundere suspicamur hæresim occultam, de qua est quæstio, cum hæresi ad Episcopi forum jam deducta, a qua, jam prænonuimus, jus esse cuilibet Episcopo resipiscentem reum in utroque foro absolvendi. Hanc porro suspicionem nobis injiciunt Comitia Cleri Gallicani, anni 1585. ab eodem Thomassino indicata, quæ, teste du Taix, communi suffragio rogandum statuerunt Pontificem, ut Episcopis, eorumque Officialibus veniam daret absolvendi hæreticos ad Ecclesiæ Catholicæ gremium redeuntes: necessarium etenim non fuisset, hanc facultatem pro omnibus Regni Episcopis a Pontifice efflagitare, si nam plerique illam consuetudine, aliove modo a se acquisitam ibidem exercuissent. Idem privilegium, quod omnibus concedi exoptarunt Cleri Comitia, non diu antea sibi fieri curaverunt Patres Conciliorum Provincialium Rotomagensis, anni 1581. & Turonensis, anni 1583. Primi siquidem, postquam decretum ediderant, quo astruebatur Episcopis potestas absolvendi ab hæresi, iisdem a Tridentino tributa, re melius considerata, eam potestatem, post Bullam Cœnæ, dubiam saltem, atque incertam agnoverunt, ac proinde sibi fieri a Pontifice postularunt, ita ad Gregorium XIII. scribentes: *Circa decretum de casibus reservatis, ubi dicitur ex Concilio Tridentino, Episcopos absolvere ab hæresi, videtur contra Bullam de Cœna Domini, & reservationem factam per Dominos Pios Quartum, & Quintum. Sed plures potius manebunt in hæresi, quam propter eam mittant ad Sedem Apostolicam; & interea, dum mittitur, & expectatur absolutio, multæ incidere possunt tentationes, & mutationes. Ideo humillime supplicant Episcopi, ut dignetur sua Sanctitas illis potestatem ex decreto Tridentino concedere.* Hisce vero precibus indulgendum censuit Pontifex, sed solum ad tempus, rescribens: *Pro necessitate provinciæ concedetur ad tempus hæc facultas absolvendi, juxta decretum Concilii Tridentini, cui magis visum fuerit: tom.* 10. Collectionis Harduini *col.* 1266. Patres aut Turonenses *eodem tom.* 10. *col.* 1393. in Synodi proœmio *cap.* 2. fanxere: *A sua Sanctitate, cujus judicio, & censuræ omnia in præsenti Concilio sancita, & definita subjiciuntur, supplex Synodus, quam potest efflagitat obnixe, ut Episcopis Provinciæ, eorumque Vicariis, Officialibus, & Pœnitentiariis facultatem ab hæresi absolvendi, ac hæreticos Ecclesiæ restituendi iis interdictam, concedere dignetur; quo facilius hæresis labe infecti, eadem ejurata, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium revertantur.* Habemus igitur viginti Patres Gallos, septem videlicet, qui Concilio Rotomagensi, & tredecim, qui Turonensi, vel per se, vel per suos Procuratores interfuere, præter plures Abbates, & Procuratores Capitulorum; qui eorundem Conciliorum decretis subscripsere, quibus persuasum fuit, virtute Bullæ Cœnæ, vetitum sibi esse uti facultate Episcopis facta a Tridentino, & occultos hæreticos, sine speciali Pontificis venia, Ecclesiæ restituere. Idem universim sentiunt aliarum nationum Episcopi, qui non audent hæreticos a censurarum nexu absolvere sine speciali privilegio summi Pontificis, a quo illud & petere, & impetrare solent: quod de Episcopis Germaniæ testantur Gobat *Theolog. experim. tract.* 7. *cas.* 8. *num.* 371. & Reiffenstuel *ad cit. tit.* 7. *lib.* 5. *Decretal. num.* 397. de Episcopis vero degentibus in Anglia, Hibernia, & Hollandia, refert Arsdekin *Theolog. tripartit. tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 5. §. 1. 5. *& 6.*

IV. Judicent nunc alii Antistites, an ipsi valeant, sine temeritatis nota, tot illustrium & amplissimorum Præsulum exemplis contraire, eamque auctoritatem sibi arrogare, atque etiam in Synodo ostentare, quam primæ Sedi reservatam sacræ Urbis Congregationes, ac ipsimet summi Pontifices non semel declararunt, omnesque fere Theologi, sacrorum Canonum Periti, paucis quibusdam exceptis, Episcopis per Bullam Cœnæ ablatam docent. Neque quoad hoc postpositos se credant Inquisitoribus, sicuti nonnullos Episcopos conqueri audivimus, quasi Inquisitoribus illa detur facultas, quæ ipsis denegatur. Etenim (uti jam prænotavimus, aut sermo est de hæretico ad forum judiciale deducto, sive sponte suum delictum ad idem forum deferente; & tam Episcopus, quam Inquisitor potest illum pro utroque foro absolvere, & in Ecclesiæ gremium recipere: aut sermo est de hæretico occulto; & illum neque Episcopus, neque Inquisitor potest solvere a vinculo excommunicationis, qua coram Deo, atque in foro conscientiæ est innodatus: ac propterea Cardinalis Albitius *cit. cap.* 25. *n.* 16. opportune, & fortasse ad prædictam præoccupandam Episcoporum querimoniam, scripsit: *Quod dictum est de Episcopis, idem dicendum est de Inquisitoribus, qui nullo modo habent facultatem absolvendi hæreticos in foro conscientiæ:* idemque animadvertit Cardinalis Petra *loc. cit. num.* 28. *tom.* 3. *pag.* 180. inquiens: *Quamvis autem Inquisitores ab hæresi in foro judiciali absolvere possint, & talis absolutio pro utroque foro suffragetur, uti dixi, in foro tamen conscientiæ ejusmodi facultatem nec habent, nec expedit, ut habeant.* Equidem non ignoramus, quod refert Pallavicinus *in hist. Concil. Trident. lib.* 23. *cap.* 10. *num.* 4. optasse nimirum Oratores Hispanos, & Lusitanos, ut in eo ipso decreto *cap. 6. sess.* 24. quo data est Episcopis potestas absolvendi ab hæresi occulta, prohiberentur iidem hac potestate uti in regnis, & locis, ubi est tribunal Inquisitionis: ex quo plerique conficiunt, Inquisitoribus Hispaniæ, & Lusitaniæ idem jus jam antea fuisse, quod a Tridentino fuit etiam Episcopis concessum; secus quippe (ajunt) nulla fuisset ratio, cur præfati Oratores vellent, a decreto excipi loca, in quibus viget tribunal Inquisitionis. Scimus præterea, nonnullos Doctores, congestos

a Diana *in edit. coord. tom. 5. tract. 8. resolut. 19. & 20.* opinari, eandem facultatem in iisdem Inquisitoribus etiamnum perseverare. Verum, quidquid sit, an Inquisitores, præsertim Hispaniæ, & Lusitaniæ, auctoritatem vuquam habuerint absolvendi in foro Sacramentali ab hæresi occulta, quod probabilius negat Thomas del Bene *de offic. S. Inquisit. part. 1. dub. 57. num. 11. & seq.* certum est, eam per Bullam Cœnæ esse revocatam, nec posse ab iisdem usurpari, nisi speciale privilegium obtineant a Sede Apostolica: quemadmodum ex iis, quæ de Episcopis diximus, plane deducitur, aliisque allegatis docent Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat. 40. num. 28.* del Bene *num. 13. & seq.* ac Cardinalis Petra *cit. loc. num. 29.*

## CAPUT SEXTUM.

*Eadem jura Romani Pontificis læduntur etiam per Synodalem constitutionem, infligentem degradationis pœnam Clericis quorumdam atrociorum criminum reis.*

TAm in antiquis, quam in nuperis Synodis, quo magis Clerici a delictis deterreantur, recensentur pœnæ canonicæ in delinquentes infligendæ, & fit specialis mentio *degradationis*, cui fiunt obnoxii quorumdam atrociorum criminum rei. Hæc prudenter sane, & laudabiliter in Synodos inferuntur: sed iterum periculum hic est, ne Episcopus, cum degradationem Clericis hujus, aut illius delicti fontibus comminatur, suæ potestatis terminos prætergrediatur, & jura invadat Romani Pontificis; quod qua ratione contingere queat, paucis ostendimus.

II. Adeo indecens semper, & probrosum visum est, sacris addici ministeriis hominem non integræ famæ, ut, qui grave scelus admisit, in ceterorum Fidelium offensionem incurrens, si laicus adhuc sit, juxta vetustissimas, & sanctissimas Ecclesiæ leges, in perpetuum arceri debeat a sacris suscipiendis Ordinibus; si vero jam fuerit inter Clericos cooptatus, sit e Clericali gradu dejiciendus. *Primum* ex Apostolo Paulo tradit Augustinus *tract. 41. in Joann. n. 10. tom. 3. Oper. part. 2. col. 575.* ubi, præmissa distinctione, inter leviores culpas, quas *peccata* vocat, & graviora flagitia, quæ *crimina* appellat, ea singulatim enumerat, quorum Apostolus prorsus insontes esse voluit sacris initiandos Ordinibus: *Apostolus Paulus, quando elegit ordinandos vel Presbyteras, vel Diaconos, & quicumque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ, non ait, si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur: sed ait, si quis sine crimine est, sicuti est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cetera hujusmodi.* Alterum præscribunt innumeri canones, e quibus paucos exhibemus. Canon 25. ex Apostolicis, ex recensione Cotelerii, statuit: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur; non tamen communione privetur:* & Canon 30. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipse, & ordinator ejus, & a communione modis omnibus abscindatur.* S. Basilius *epist. ad Amphilochium de Canonibus can. 3. tom. 3. Oper. pag. 271. Diaconus post Diaconatum fornicatus, Diaconatu ejicietur quidem, sed in laicorum detrusus locum a communione non arcebitur.* Concilium Aurelianense III. anni 538. *can. 7. Si quis adulteraſſe aut confessus fuerit, vel convictus; depositus ab officio, communione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore retrudatur: tom. 2.* Collectionis Harduini *col. 1425.* Et ibidem *can. 8. Si quis Clericus furtum, aut falsitatem admiserit, quia capitalia & ipsa sunt crimina, communione concessa, ab Ordine degradetur.* Ex his, aliisque hujus generis multis, quæ in antiquis Synodis passim occurrunt, non solum crimina addiscimus, propter quæ Clerici e gradu deturbabantur, sed etiam colligimus, ejectionem e Clericali gradu minorem fuisse pœnam, quam esset segregatio e consortio Fidelium, seu excommunicatio: aliquos enim audivimus e gradu deponendos, quin tamen idcirco essent communione privandi; quod adhuc clarius liquet *ex can. 29.* Apostolorum, ubi Clericus Ordinis ministerium exercere præsumens, a quo esset depositus, veluti gravioris criminis reus, severiori anathematis pœna plecti jubetur: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus depositus juste super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab Ecclesia penitus abscindatur.* Placuit autem id obiter animadvertere, ut vel ex hoc appareat, quam gravis pœna sit excommunicatio, qua majores nostri longe leviorem existimarunt ejectionem e gradu, atque hanc regulariter illi præmiserunt, ut delinquentes Clericos corrigerent: neque faciles fuerunt in ferenda anathematis sententia, quam plerique nostri temporis Antistites in Synodalium decretorum transgressores immoderate quandoque decernunt, de quo abusu plura suo loco.

III. Quamquam porro insequenti ætate nonnihil remissa fuerit antiquæ disciplinæ severitas, non tamen exolevit degradationis pœna; sed etiamnum viget, & fertur in Clericos aut cujusdam atrocioris criminis reos, aut inemendabiles. Hanc pœnam Theologi morales, & Canonistæ sæpe confundunt cum simplici depositione: sed revera, licet fortasse antiquioribus Ecclesiæ seculis nullum intercederet inter utramque discrimen, attamen illud aut induxit, aut jam inductum agnovit Clemens III. sive (uti habetur in Collectione, qua utimur) Cælestinus III. *in Cap. Cum non ab homine, 10. de judiciis*, ubi Clericum homicidii, furti, perjurii, seu alterius gravis criminis legitime convictum, primo jubet deponi, deinde excommunicat, &, crescente contumacia, anathematis, hoc est solemnioris excommunicationis, cum execratione, mucrone feriri: ac demum, si in profundum malorum venerit, degradari, seu Curiæ seculari puniendum tradi, præcipit. Differentia vero inter simplicem depositionem, & degradationem, in hoc sita est, ut scilicet per simplicem depositionem Clericus perpetuo quidem removeatur aut a suscepti Ordinis exercitio, aut ab officio, & Ecclesiasticæ jurisdictionis usu, aut a Beneficio, aut denique ab Ordine simul, officio, & Beneficio; non tamen spolietur privilegio canonis, & fori, sed remaneat subjectus foro Ecclesiastico, neque ulla ratione subjiciatur jurisdictioni laicali: quod *ex modo cit. Cap. Cum non ab homine*, inferunt Abbas *in Cap. At si Clerici, 4. §. De adulteriis, num. 2. de judiciis*, Suarez *de censuris disp. 30. sect. 1. num. 8.* Engel *ad tit. 37. lib. 5. Decretal. num. 11.* Wiestner *ibidem num. 73.* Schmalzgrueber *num. 135.* nec obscure etiam inde colligitur, quod Clerici depositi, plerumque a sacris canonibus jubeantur detrudi in arctum monasterium, sicuti de Sacerdote revelante peccatum, sibi in sacramentali Confessione manifestatum, statuit Innocentius III. *in Cap. Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* nemo enim facile credet, Sacerdotem in Monasterium detrusum, esse extra forum Ecclesiasticum, laicali jurisdictioni obnoxium. At per veram degradationem Clericus non solum arcetur in perpetuum ab omni Ecclesiastico ministerio, omnique privatur Ecclesiastico officio, & Beneficio, verum etiam exuitur privilegio fori, & subjicitur potestati seculari, a qua post degradationem judicari, in carceres detrudi, secundum leges civiles puniri, & condemnari potest, perinde ac si esset laicus. Ante degradationem tamen *realem*, & *actualem*,

retinet privilegium canonis, ita ut injiciens violentas manus in Clericum, solum *verbaliter* degradatum, & nondum *actu* traditum Curiæ seculari, incidat in excommunicationem *Can. Si quis suadente*, 17. *quæst.* 4. quod docent Glossa *in Cap. Degradatio*, *verb. Privilegio*, *de pœnis*, *in* 6. Panorm. *in Cap. Ad abolendam*, *num.* 11. *de hæreticis*, Barbosa *in cit. Cap. Degradatio*, *num.* 9. Wiestner *ad cit. tit.* 37. *lib.* 5. *Decretal. num.* 78.

IV. Enimvero duplicem degradationem distinguit Bonifacius VIII. *in cit. cap. Degradatio*; unam vocat *verbalem* & est ipsa prolatio sententiæ, per quam Judex Ecclesiasticus Clericum ejicit e gradu, & foro laicali addicit: aliam nominat *actualem*, seu realem, & est actus ipse, seu solemnis cæremonia, qua Episcopus Clericum, verbali sententia antea degradatum, sacris spoliat insignibus, & re ipsa tradit Curiæ seculari. Degradatio verbalis olim fiebat in Provincialibus Episcoporum Synodis, ad quas Presbyterorum, aliorumque Ecclesiæ Ministrorum criminales causæ referebantur, ut ibidem discuterentur, & deciderentur, juxta canonem quintum Nicænum. Verum, cum haud faciliter, & quotiescumque opus erat, ejusmodi Synodi congregarentur, propterea, ne Clericorum enormia facinora diu manerent impunita, in Concilio Carthaginiensi II. anni 390. *can.* 10. relato a Gratiano *Can.* 4. 15. *quæst.* 7. statutum est, ut in posterum quæcumque Clericorum causæ etiam extra Synodum agitari, & terminari possent; hac tamen adjecta limitatione, ut, si ageretur de delicto exauctorationis sententiam merente, hæc in Episcopum, nonnisi a duodecim, in Presbyterum a sex, in Diaconum a tribus simul congregatis Episcopis ferri posset: quem canonem renovavit Concilium Carthaginiense III. anni 397. *can.* 8. relato *eadem causa*, & *quæst. Can.* 5. ac proinde Concilium Hispalense II. anni 619. *can.* 6. relato pariter a Gratiano *cit. loc. can.* 7. ait: *Episcopus Sacerdotibus*, *ac Ministris solus honorem dare potest*, *auferre solus non potest*. Statutum a priscis canonibus Episcoporum numerum, ad verbalem degradationem Clericorum majorum Ordinum, præscripsit etiam Bonifacius VIII. *in cit. Cap. Degradatio*; solumque permisit, ut Clerici minorum Ordinum possent sola proprii Episcopi sententia exauctorari. At, quoniam nonnulli maledici Ecclesiam calumniabantur, quasi tot Episcopos ad degradationis sententiam requireret, quod haud facile possent congregari, ut tali pacto majoribus Clericis, quocumque enormi flagitio conspurcatis, impunitatem daret, quod videre est apud Boehmerum *Jur. Eccles. Protestantium tom.* 5. *tit.* 37. *de pœnis num.* 118. cumque insuper ea de re conquesti essent etiam Principes Germaniæ, qui inter centum gravamina, quibus levamen, & remedium afferri ab Hadriano VI. summo Pontifice postulaverant, hoc *art.* 12. exposuerant: *Et tandem*, *ut in peccatis*, *maleficiisque perpetrandis magis adhuc foveantur*, *præter omnem æquitatis rationem*, *aliquatenus interdictum est Archiepiscopis*, *& Episcopis*, *ne malefactores hos publice criminali judicio reos agere possint*, *nisi prius degradatos*: *id quod tantis sumptibus*, *tantaque pompa celebrari oportet*, *ut propterea perquam rarissimum unctis illis malefactores merita plectantur pœna*: idcirco Tridentini Patres *sess.* 13. *cap.* 4. *de reform.* ad obstruendum os malignantium, sanxere, ut deinceps liceret Episcopo per se, vel per suum Vicarium Generalem, ad verbalem Clerici degradationem *in casibus*, *in quibus aliorum Episcoporum præsentia in numero a canonibus definito requiritur*, *etiam absque illis procedere*; *adhibitis tamen*, *& in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus*, *usum Mitræ*, *& Baculi ex privilegio Apostolico habentibus*, *si in civitate aut diœcesi reperiri*, *& commode interesse possint*; *alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis*, *quæ ætate graves*, *ac Juris scientia commendabiles existant*. Ejusmodi porro sive Abbates, sive alias personas in Ecclesiastica dignitate constitutas, non adhiberi tanquam meros consiliarios, sed esse Judices assessores, quibus competit suffragium decisivum, recte docent Suarez *de censuris disp.* 30. *sect.* 1. *num.* 20. & Barbosa *ad cit. cap. Tridentini num.* 8. sunt enim suffecti in locum Episcoporum, quos veros fuisse Judices, constat ex allegatis juribus, & adhuc clarius *ex Cap.* 3. *de sententia*, *et re judicata*, ubi dicitur: *Non potest quemquam a Sacerdotali gradu* (*nisi justis ex causis*) *concors Sacerdotum sententia submovere*: quin immo ex hoc textu inferri arbitrantur Maranta *de ord. Judic. part.* 4. *dist.* 11. *num.* 71. Barbosa *de offic. et potest. Episc. allegat.* 110. *num.* 28. Reiffenstuel *ad cit. tit. de pœnis num.* 44. Schmalzgrueber *ibidem num.* 146. aliique ab his citati, necesse esse, ut in degradationem Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi, omnes prædicti, Episcopo assidentes, unanimiter consentiant.

V. Post degradationem verbalem, si procedendum sit ad realem, Clericus degradandus, sacris vestibus indutus, ac si celebrare, vel, si infra Sacerdotium sit constitutus, alium sui Ordinis actum exercere deberet, adducitur ad Episcopum, præsentibus aliis Episcopis, seu Abbatibus, aliisve, qui degradationis sententiam protulerant, atque adstante etiam Judice seculari: Episcopus vero cum gradatim exuit singulis Ordinum insignibus, incipiens ab illo, quod eidem in Ordinatione ultimo loco traditum est, ceterisque adhibitis cæremoniis, quæ præscribuntur *in cit. Cap. Degradatio*, & habentur in Pontificali Romano: quibus expletis, degradatum tradit Judici seculari, secundum laicorum leges, puniendum; sed simul eundem Judicem ferio, atque ex animo rogat, ut sententiam moderari, atque a pœna sanguinis abstinere velit: sicuti habetur *in Cap. Novimus*, 27. *de verb. significat.* Eædem cæremoniæ, & solemnitates, juxta laudatam Decretalem Bonifacii VIII. & Pontificale Romanum, essent adhibendæ in actuali degradatione Clerici minorum Ordinum, aut etiam primæ Tonsuræ; sed multis saltem in locis, teste Van-Espen *Jur. Eccles. universi. part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 2. *num.* 61. *& seq.* quoad Clericos ejusmodi non sunt in usu.

VI. Actualis degradationis, per quam Clericus Sacerdotali, & Clericali dignitati quodammodo denudatur, & quasi redigitur ad laicalem conditionem, rudimenta habemus *in Novella* 83. ubi Justinianus Imperator ait: *Illud palam est*, *si reum esse putaverit eum*, *qui convenitur*, *provinciæ Præses*, *& pœna judicaverit dignum*; *prius hunc spoliari a Deo amabili Episcopo Sacerdotali dignitate*, *& ita sub legum fieri manu*. Verum Gothofredus *ad leg.* 39. *tit.* 2. *lib.* 16. *Cod. Theodosian.* observat, Clericos exauctoratos non semper tum fuisse traditos Curiæ seculari, ut afficerentur morte, vel alia capitali pœna, uti nunc fit, sed ut jam dejecti ab Ecclesiastici gradus honore, ac Clericalibus exuti prærogativis, addicerentur *Curiæ*, id est Collegio alicujus civitatis, in quo, perinde ac laici, subire cogerentur officia, ad quæ ceteri cives tenebantur: ipsis autem, utpote qui se indignos præbuerant Clericatu, & ob morum improbitatem fuerant ex Ecclesiæ Ministrorum albo expuncti, plerumque demandabantur humiliora, magisque abjecta Curiæ ministeria, iisque in perpetuum addicebantur, ut tali pacto omnem amitterent spem pristinum recuperandi in Ecclesia gradum. Quare Honorius Imperator eam tulit legem, quam Gothofredus exornat, ubi de Clericis ab officio depositis in hunc modum statuit: *Quemcumque Clericorum indignum officio suo Episcopus judicaverit*, *et ab Ecclesiæ ministerio segregaverit*, *aut si qui professum sacræ Religionis sponte dereliquerit*, *continuo sibi eum Curia vindicet*; *ut liber illi ultra ad*

*Ecclesiam recursus esse non possit: & pro hominum qualitate & quantitate patrimonii, vel Ordini suo, vel Collegio civitatis adjungatur, modo ut, quibuscumque apti erunt, publicis necessitatibus obligentur.*

VII. Sed, ut ut res tunc se habuerit, hodie nullus Clericorum solemniter degradatus re ipsa traditur Curiæ seculari, nisi qui ob grandia delicta meretur pœnam capitalem. Quin immo, non ob quodlibet crimen, cui est a legibus inflicta pœna ultimi supplicii potest Clericus exauctorari, & seculari foro subjici; sed debet esse crimen, cui a Jure communi Ecclesiastico, aut a Pontificiis sanctionibus sit expresse, & nominatim annexa degradationis pœna. Ejusmodi autem crimina sunt: Primo, hæresis, & multo magis apostasia a Fide, saltem cum quis in illam relapsus, aut in ea pertinax est, *Cap. Ad abolendam*, §. *Præsenti*. *Cap. Excommunicamus*, 1. §. *Damnati*, *de hæreticis*, *Cap. Quoniam*, & *Cap. Super eo*, *eod. in 6.* Inter hæreticos vero magis adhuc specialiter actuali degradatione puniendi decernuntur negantes mysterium Sanctissimæ Trinitatis, vel Christi Domini conceptionem opera solius Spiritus Sancti, seu intactam Deiparæ virginitatem, aut ejusdem Christi Domini mortem, juxta Constitutionem Pauli IV. innovatam a Clemente VIII. *Constit. 97. Bullar. tom.* 3. Secundo falsificatio litterarum Apostolicarum *Cap. Ad falsariorum*, 7. *de crimine falsi*, & *Cap. Novimus*, 27. *de verb. signific.* Tertio, gravis contumelia, vel calumnia proprio Episcopo illata, seu structæ eidem insidiæ, & in ejus necem conspiratio, *Can. Si quis*, 11. *quæst.* 1. Quia tamen plerique Auctores, ac præsertim Glossa *in cit. Cap. Novimus*, *verb. Tradatur*, Panormitanus *in Cap. At si Clerici*, *de judiciis*, *num.* 37. & Sylvester *verb. Degradatio num.* 4. docent, non posse Clericum ob ejusmodi crimen degradari, nisi fuerit incorrigibilis, si eorum doctrina admittatur, non poterit illud recenseri inter specialia delicta, quæ in præsens enumeramus: nam, ut ad rem advertit Oliva *de foro Ecclesiastico part.* 2. *quæst.* 12. *num.* 14. quæcumque alia enormia Clericorum flagitia poterunt actuali degradatione animadverti, si in illis Clerici obstinate perseverent, quod paulo inferius declarabitur. Quartum est, quod vulgari nomine dicimus *assassinium*, *Cap.* 1. *de homicidio*, *in 6.* Quintum est nefandum crimen, frequentatum, hoc est non semel tantum commissum, ex Constitutione 95. S. Pii V. quæ incipit *Horrendum*, *tom.* 4. *part.* 3. *Bullar. pag.* 33. Sextum est solicitatio ad turpia in Confessione sacramentali; si enim eam aggravent peculiares quædam circumstantiæ, Sacerdos illius reus degradari permittitur in Constitutione 34. Gregorii XV. *Bullar. tom.* 3. Notandum tamen, quod ab eo tempore, quo hæc Constitutio edita fuit, nullum exemplum reperire datum est, quo hujusmodi solicitationis, cum circumstantiis etiam quantumcumque aggravantibus, reus, degradatione punitus, & foro seculari traditus fuerit; quod etiam observat Cardinalis Albitius *in cit. Tractatu de Inconstantia in Fide part.* 1. *c.* 15. *num.* 13. Unde Constitutio ipsa ad terrorem præcipue incutiendum facta fuisse videtur. Septimum est celebratio Missæ, aut exceptio Confessionis sacramentalis, temere præsumpta ab eo, qui sacro Presbyteratus Ordine non est initiatus ex Constitutionibus Clementis VIII. atque Urbani VIII. a nobis innovatis in nostra Constitutione 97. *nostri Bullar. tom.* 1. *pag.* 342. Octavum est fabricatio, tonsio, aut adulteratio monetæ aureæ, vel argenteæ, ejusque adulteratæ erogatio, vel expositio in regnis, provinciis, & civitatibus Italiæ, ex Constitutione Urbani VIII. quæ incipit *In suprema*, *Bullar. tom.* 4. Nonum est sacrilegum, & execrabile furtum sanctissimæ Eucharistiæ, sive cum sacra Pyxide, sive sine illa, quis sacram Hostiam surripiat, & apud se retinere, aut alio transferre præsumat, juxta Constitutiones Innocentii XI. & Alexandri VIII. a nobis confirmatas in nostra Constitutione 93. *nostri Bullar. tom.* 1. *pag.* 314. Decimum est illius crimen, qui abortum fœtus animati vel per se, vel per alium procurat, effectu sequente, ex Constitutione Sixti V. quæ incipit *Effrenatam*. Diximus autem fœtus animati, licet Sixtus pari jure habendum statuerit inanimati, ac animati fœtus abortum, quia Gregorius XIV. per aliam suam Constitutionem, quæ incipit *Sedes Apostolica*, Sixtinam prædictam moderando, illius sanctionem ad abortum fœtus animati restrinxit; & hoc etiam casu facultatem absolvendi ab incursa excommunicatione, quam Sixtus Apostolicæ Sedi reservaverat, locorum Ordinariis concessit.

VIII. Undecimum ab aliquibus recensetur maleficium, seu sortilegium, ex quo unius, aut plurium personarum mors sequuta comprobetur; hujusmodi enim maleficii, seu sortilegii reus, etiam primo lapsu, Curiæ seculari tradendus decernitur in Constitutione 46. Gregorii XV. data die 20. Maji 1623. quæ incipit *Omnipotentis Dei*, *Bullar. tom.* 3. Verum hæc Constitutio de Clericorum degradatione non loquitur, ut observat, & probat Cardinalis Albitius *in dicto Tractatu de inconst. in Fide part.* 1. *c.* 32. *num.* 150. Nos autem hic agimus de Clerici degradatione, ejusque traditione brachio seculari. Duodecimum pariter ab aliquibus numeratur polygamia, cum quis nimirum, saltum professus nomen, & cognomen, uxore vivente, aliam ducit; quem scilicet Urbanus VIII. per suam Constitutionem, quæ incipit *Magnum*, die 20. Junii 1637. editam, Curiæ seculari tradendum sanxit. Sed, cum nec in ea Constitutione degradationis mentio ulla fiat, evidens est, Clericos in ipsa comprehensos non esse. Præterea dici potest, hanc etiam Constitutionem ad terrorem potissimum editam fuisse; siquidem Congregatio S. Officii anno 1647. nimirum vix annis decem ab illius promulgatione elapsis, ab Archiepiscopo Beneventano interrogata, qua pœna puniendus esset polygamus, ita respondit: *Polygamorum pœna, si falsos testes ad suum liberum statum comprobandum non induxerint, post abjurationem de vehementi, solet esse damnatio ad triremes per quinquennium; si vero induxerint, per septennium. Falsi testes ipsi quoque damnantur ad triremes per quinquennium, aut brevius tempus, pro delicti sui qualitate.*

IX. Præter præmissa igitur nominatim excepta, alia etsi æque gravia, aut etiam graviora Clericorum scelera, tum demum actuali degradatione vindicari permittit Cœlestinus III. *in cit. Cap. Cum non ab homine*, *de judiciis*, cum Clericus, depositionis, & excommunicationis pœnis antea coercitus, non resipiscit, sed *in profundum malorum veniens contemnit*: tunc quippe (uti textus loquitur,) *cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per secularem comprimendus est potestatem.* At nihilominus plures Doctores ita hanc Decretalem interpretantur, ut per eam minime prohiberi opinentur, ne Clericus parricidii, homicidii insidiosi, aut sacrilegii, vel alterius atrocissimi criminis reus, prædictis pœnarum gradibus non servatis, statim tradi possit Curiæ seculari. Ita *ad præd. Cap.* docuere Ancharanus *num.* 10. Alciatus *num.* 22. Martinus del Rio *Disquisit. magicar. lib.* 5. *sect.* 16. §. *Si quæras quid Judici liceat*, aliique relati a Farinaccio *Prax. crim. quæst.* 8. *num.* 81.

X. Verum communis Doctorum sententia indubitanter affirmat, ad actualem Clerici, cujuscumque criminis rei, degradationem, præter enumeratos casus, a Jure speciatim expressos, non posse procedi, nisi ille sit incorrigibilis, hoc est, uti a Cœlestino audivimus, nisi Ecclesiæ monita, sibique gradatim inflictas canonicas depositionis, & excommunicationis pœnas, pervi-

pervicaciter contempserit; superfluum quippe fuisset, in quædam pecularia Clericorum flagitia degradationis pœnam nominatim decernere, si hæc potuisset cuicumque Clerico flagitioso statim irrogari. Neque ad rem facit, immanius scelus esse parricidium, quam forte sit aliquod ex iis exceptis, ob quod Clericus, nulla præmissa canonicarum pœnarum gradatione, permittitur statim tradi Curiæ seculari: etenim leges pœnales non complectuntur delicta, quæ non exprimunt, etiamsi sint expressis graviora; quod argumento *Cap. in pœnis, de regul. jur. in 6.* probant Castro *de lege pœnali lib.1. cap.7. docum.3.* & Suarez. *lib.6. de legib. cap.3. num.5.* Quare Innocentius III. qui statim post Cælestinum III. Pontificatum tenuit, interrogatus ab Episcopo Londinensi, quid agendum foret de Clericis in latrociniis, aliisque magnis sceleribus deprehensis; eos deponendos quidem, seu verbaliter tantum degradandos, non tamen Curiæ seculari tradendos, rescripsit *in Cap. Tuæ, 6. de pœnis: Ad illud, quod a nobis tertio requisisti, qualiter Clerici in latrociniis, vel aliis magnis sceleribus deprehensi, puniri debeant; respondemus, quod a suis Ordinibus degradati detrudi debeant in arctis monasteriis ad pœnitentiam peragendam.* Et Bonifacius VIII. *in Cap. Felicis, eod. tit. in 6.* etsi hostiliter insectantes, aut percutientes S. R. E. Cardinalem, reos declaret criminis læsæ majestatis, & veluti tales infames, atque intestabiles pronunciet, variisque pœnis addicat, non tamen, si fuerint Clerici, actuali degradatione plectendos statuit.

XI. Instar igitur regulæ sit, neminem Clericorum, quantumvis flagitiosum, posse ab Episcopo actu degradari, & Curiæ seculari tradi, nisi post ei inflictas alias pœnas *in cit. Cap. Cum ab homine* præscriptas, deprehensus fuerit inemendabilis; aut nisi sit reus alicujus ex enumeratis criminibus, a Jure communi, vel a Pontificiis sanctionibus nominatim expressis: quemadmodum docent Ostiensis *in Cap. 1. num.2. de homicid.* Berojas *in Cap. At si Clerici, nu.181. de judiciis, verb. Mihi autem*, Covarr. *lib.2. var. cap.20. nu.7.* Farinaccius *cit. Prax. criminal. quæst.8. nu.81.* Fagnanus *in cit. Cap. Cum non ab homine, num.6.* Pignatellus *tom.7. consult.33. nu.25. & seq.* aliique apud Raynaldum *ad Bannimenta Bonon. cap.5. §.1. a nu.154.* Ab hac regula, communi usu recepta, non recedat Episcopus, neque ad compescenda scelera, quæ frequenter a suæ diœcesis Clericis forte perpetrantur, fas sibi esse putet, in sua Synodo, solemnis, & actualis degradationis pœna in illorum fontes decernere: id quippe cum sit contra canones, unice pertinet ad Romanum Pontificem, cujus certe supremam jurisdictionem invadit, qui sua auctoritate maleficis Clericis eandem pœnam irrogare præsumit. Quod si alicubi tanta sit alicujus enormis criminis frequentia, & experientia compertum jam sit, alias pœnas haud sufficientes esse ad Clericos ab illo deterrendos; poterit Episcopus summum Pontificem rogare, ut in Clericos, vel semel illud deinceps prepetrantes, decernat actualis degradationis sententiam, eamque a summo Pontifice latam, in sua Synodo, ad omnium terrorem, promulgare: sicuti faciendum monent Farinaccius *cit. quæst.8.* & Panimol. *decis.14. adnot.1. num.25.*

## CAPUT SEPTIMUM.

*De læsione jurium Apostolicæ Sedis in unione beneficiorum, quæ Seminario fit ab Episcopis in vim Decreti Concilii Tridentini Cap. XVIII. Sess. XXIII. de reformatione.*

SAcrum Tridentinum Concilium inter alia adjumenta, quæ Episcopis attulit, ut Clericorum Seminaria, prout vehementer optabat, sustentari possent, facultatem ipsis concessit uniendi Seminario *Beneficia aliquot simplicia, cujuscumque qualitatis & dignitatis fuerint &c. etiam ante vacationem, sine cultus Divini, & illa obtinentium præjudicio &c. quod locum habeat, etiamsi Beneficia sint reservata, vel affecta;* uti legitur *in cap.18. sess.23. de reform.* Siquidem compertum est omnibus, aliqua existere Beneficia Ecclesiastica, quorum collatio reservata semper est Romano Pontifici aut in corpore Juris communis, uti videre est *in Cap. Licet*, & *in Cap. Statutum, de præbend. in 6.* aut in Extravagantibus communibus, ut *in Cap. Injunctæ, tit. de electione*, in Extravaganti *Execrabilis, de præbendis, & dignitatibus*, in Extravaganti *Ad regimen, eod. tit.* aut in Bullis S. Pii V. Gregorii XIII. aliorumque Romanorum Pontificum, aut in Regulis Cancellariæ, inter quas celebris est regula mensium reservatoria, in qua sibi reservat Pontifex collationem omnium Beneficiorum, quæcumque per octo anni menses vacare contigerit, quorum deinde mensium duos Episcopis in residentiæ præmium remittit, quæ omnia efficit in vim plenariæ fuæ auctoritatis; ut videre est apud Auctores, qui materiam hanc plene cumulateque pertractant.

II. Necessarium quidem non est, ut Beneficiorum Seminario uniones in Synodo fiant: quin immo satius videtur, ut, si faciendæ sint, extra Synodum expleantur cum consilio quatuor Seminarii Deputatorum, de quibus alibi verba facimus; quorum quidem consilium a Tridentina Synodo in unionibus hujusmodi *pro forma*, ut dici solet, requiritur, ut observat Lotterius *de re beneficiaria lib.1. quæst.29. num. 60.* & ut resolutum fuit a Congregatione ejusdem Concilii Interprete in causa *Giennen.* 14. Februarii 1544. *lib.8. Decretor. pag.14. Sacra &c. censuit, uniones factas Seminario absque consilio eorum quatuor, quos jubet Concilium adhiberi, minime valere:* & in alia *Ferrarien.3.* Martii ejusdem anni, *eod. lib.8. Decretor. pag.16. a tergo: Sacra &c. censuit, in unionibus Beneficiorum faciendis Seminario, satis esse, servare formam traditam a Concilio cap.18. sess.23. de reform. nec requiri consilium Capituli.* Verum, quia aliquando in Synodis actum vidimus de unionibus Beneficiorum Seminario factis, aut faciendis, ad hoc ut Clerus Episcopalem hac etiam in re solicitudinem agnosceret, ideo opportunum existimamus, aliquid hic de unionibus Beneficiorum Seminario factis, aut faciendis, attingere, ne eas invalide fieri contingat, neque Apostolicæ Sedis jura ex unione Beneficiorum affectorum, aut ipsi reservatorum aliquid detrimenti capiant.

III. Porro, ut Seminarii sustentationi provideatur, initium minime ducendum est a Beneficiis Ecclesiasticis ipsi uniendis, sed dismembratio prius fieri debet, seu detractio aliqua portionis fructuum tum mensæ Episcopalis, tum mensæ Capitularis, ac Dignitatum, Canonicatuum, & Beneficiorum, etiamsi de jurepatronatus existant: *Ex fructibus integris mensæ Episcopalis, & Capituli, & quarumcumque Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Præbendarum &c. & Beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium, etiamsi jurispatronatus cujuscumque fuerint:* verba sunt Concilii *loc. cit.* eaque dismembratio vulgo dicitur *Taxa*. Et quidem recitata Concilii verba satis indicant, Seminarium jam erectum præsupponi, scilicet paratam jam domum, Præceptores conductos, Deputatos electos, designatosque Consultores ad Taxam statuendam: ex quo sequitur, unionem Beneficiorum, que fieret Seminario, non adhuc, uti supra dictum est, erecto, sed erigendo, irritam fore, juxta resolutionem Congregationis Concilii in causa item *Gennen.* 1588. que a Sixto V. Pontifice confirmata fuit per litteras in forma Brevis datas die 29. Octobris ejusdem anni, ut videre est apud Garciam *de Benefic. part.12. cap.2. num.193.* Præterea Concilium faciendam decernit Seminario unionem simplicium aliquot Beneficiorum: *necnon Beneficia aliquot simplicia.* Hinc est,

quod

quod Episcopi non omnia Beneficia, nec majorem ipsorum partem, Seminario unire possunt. Cumque aliquis id efficere præsumpserit, & ipse reprehensus est, & uniones abrogatæ fuerunt, ut patet ex monumentis fideliter a Rigantio collectis, relatisque *in tom.2. ad Regulas Cancellar.* & speciatim *regul.13. num.88. & seq.*

IV. Sed jam ad jurium Apostolicorum læsionem gradum faciamus, quæ aliquoties in hisce unionibus contingit, quæque cuilibet Episcopo effugienda omnino est. Retroactis temporibus Episcoporum aliquis Beneficium affectum, aut Apostolicæ Sedi reservatum, Seminario univit, postquam illud jam vacaverat, & qui de eo ab Apostolica Sede provideri meruerat, jam expediverat Bullas, aut Beneficii possessionem nactus fuerat. Id quidem, ut par erat, minime tolerandum visum fuit; ac propterea Congregatio Concilii jure ac merito decrevit, ut ab Episcopis Beneficia hujusmodi ante illorum vacationem Seminario unirentur. Ita ipsa respondit anno 1586. mense Augusto, ut videre est *lib.4. Decretor. pag.169. a terg. & seq.* in causa *Caputaquen.* sequentibus verbis proposita: *Seminarium Caputaquense humiliter petit sibi declarari, postquam Episcopus auctoritate Concilii Tridentini potest unire Seminario Beneficia simplicia cujuscumque qualitatis, an Episcopus, vel ejus Vicarius, potuerit unire dicto Seminario Beneficia simplicia, quæ vacarunt in mense Pontificis.* Responsum vero fuit: *Sacra &c. censuit, uniri posse, modo uniantur ante vacationem.* Huic alia concors est resolutio in causa *Palentina* 1588. mense Junio, *lib.5. Decretor. pag.150. Sacra &c. censuit, uniones de Beneficiis vacantibus in mense reservato non esse validas, cum factæ fuerint post eorum vacationem, & provisos a Sede Apostolica debere mitti in possessionem Beneficiorum:* cui sequens etiam addi potest edita in causa *Elboren.* 31. Augusti 1600. *lib. 9. Decretor. pag. 102. a terg. Sacr. &c. censuit, si hujusmodi beneficia, quo tempore vacarunt, erant reservata, vel affecta, minime potuisse post vacationem ab Archiepiscopo Seminariis uniri, & provisos Apostolicos in eorundem Beneficiorum possessionem esse mittendos.*

V. Hoc itaque constituto, & satis ubique cognito, quod Beneficia affectioni, & reservationi subjecta, antequam vacarent, Seminario unienda essent, aliquid ulterius excogitari cœpit, quod in Apostolicorum jurium detrimentum cedere inventum est. Quædam existunt affectiones, quæ beneficiatorum personas comitantur, quocumque mense, & quocumque loco decedant; uti est, exempli gratia, alicujus Cardinalis familiaritas. Nonnulli Episcopi in Beneficia sic affecta potissimum oculos injicientes, eaque, antequam vacarent, Seminario unientes, certum Datariæ Apostolicæ damnum inferebant, quæ, eveniente eorum vacatione, de ipsis, utpote jam Seminario unitis, disponere non poterat. Hanc jurium Apostolicorum perturbationem recte animadvertit Congregatio Concilii; atque idcirco censuit, viam aliquam arcendis in posterum fraudibus excogitandam esse: uti legitur *lib.9. Decretor. pag. 117. a terg.* die 26. Februarii 1601. *Sacra &c. censuit, de cetero ad obviandum fraudibus, oportere decerni, ut non possint etiam ante vacationem uniri Seminario Beneficia, quæ obtineant personæ, quæ vel ob familiaritatem Cardinalium, vel aliam rationem, tales sint, ut quocumque mense decedant, certum sit, ea fore affecta Sedi Apostolicæ. Ceterum in præteritum nihil statuendum, sinendumque, ut causa suo marte decurrat.* Consilium hoc a Clemente VIII. Pontifice approbatum fuit, ut videre licet apud Fagnanum *in cap. Sicut unire, num.37. de excessibus Prælatorum.* Jamque id jus obtinet, ut Beneficii affecti unio, ne quidem ante illius vacationem, per Episcopum Seminario fieri valeat, quando affectio stabilis est, continua, atque immutabilis, hujusmodi est illa Familiarium Pontificis, & Cardinalium, Protonotariorum, aliorumque Apostolicæ Sedis Officialium; relicta tamen ei facultate Beneficium affectum affectione non continua, sed fortuita, qualis est illa mensis, aut loci, ante vacationem uniendi; ignoratur enim, dum unio fit, ubi, aut quo mense beneficiatus obiturus sit.

VI. Cujus legis ratio cum in eo posita sit, ut supra attigimus, ne fraus fiat Apostolicæ Datariæ juribus; consequens est, ut nec illa quidem unio sustineatur, quam Episcopus Seminario fecerit de beneficio non ita constanter affecto, & nondum vacante, si appareat, expectatum ad id fuisse tempus, quo beneficiatus ægrotans proximus erat obeundæ morti, quam re ipsa in mense reservato obiit; sicuti nec illæ sustineantur, quas fecerit Episcopus aliquis, quem constet nullum unquam Beneficium ex his, quæ in suo mense vacarunt, Seminario univisse, sed ad illa duntaxat unienda animum intendisse, quæ in mense Apostolico vacare poterant. Hæc omnia accuratissime exposita sunt a Rigantio *loc. cit. num.110. & seq.* cujus quidem Scriptoris auctoritate libenter utimur, quod & ipse, dum vixit, nos omni amici hominis officio est prosequutus, & nos testes sumus incredibilis illius laboris, ac diligentiæ in colligendis, & discutiendis iis omnibus, quæ suis Operibus inseruit.

VII. Refert præterea idem Auctor *ad prædictam regulam 13. num.117. & seq.* controversiam exortam post Clementis VIII. decretum; cum scilicet dubitatum fuit, utrum S. R. E. Cardinales, aliique, qui Indulta habent conferendi Beneficia Apostolicæ Sedi reservata & affecta, possent hæc, licet non eventuali duntaxat, & variabili reservationi obnoxia, sed fixa & immutabili affectione reservata, Seminario unire. In favorem siquidem Cardinalium dicebatur, quod, cum ipsi in decreto Clementis VIII. expresse nominati non fuerint, illius lege minime tenebantur. Pro omnibus autem Indultariis illud in genere afferebatur, quod nempe, sublata per indultum reservatione, libera in ipsis reviviscebat auctoritas ordinaria, qua poterant, juxta Tridentini præscriptum, Beneficia quæcumque, liceat antea Apostolicis reservationibus & affectionibus subjecta, Seminario unire. De hac quæstione in Congregatione Concilii disputatum est; & quidem Cardinalis Ubaldinus prolixo suffragio edito, quod, suppresso illius nomine, refert Fagnanus *in cit. Cap. Sicut unire, a num. 38. ad 46. de excessibus Prælatorum*, intentioni Cardinalis Lantes tunc Episcopi Tudertini adstipulatus, reliquos Collegas, in ea causa judicantes, in suam sententiam pertraxit; ut colligitur ex resolutione ejusdem Congregationis in *Tudertina unionis* 20. Januarii 1622. *lib.12. Decretor. pag.88.* ubi sic legitur: *An Cardinalis Episcopus, habens Indultum, possit, non obstante decreto san. memor. Clementis VIII. unire Seminario ante vacationem ea Beneficia, quæ, si eodem Cardinali vivente vacarent, non obstantibus reservationibus, vel affectionibus Apostolicis, ad suam collationem pertinerent. Sacra &c censuit, posse.* Cum tamen non eadem semper fuerit dictæ Congregationis opinio, ac etiam in tribunali Rotæ aliqua fuerit super hoc sententiarum varietas, summus Pontifex Urbanus VIII. in sua Constitutione 165. quæ incipit *Quamvis fel. rec. Clemens Papa VIII.* confirmato prius Clementino decreto, declaravit in illo non solum Patriarchas, Metropolitanos, Archiepiscopos & Episcopos, verum etiam S. R. E. Cardinales comprehensos fuisse, & esse; neque illis in vim Indultorum Apostolicorum licuisse, aut licere Beneficia, tempore unionis affecta, & reservata, Seminario unire, nisi ad formam decretorum ejusdem Clementis VIII. uti copiosius legitur in dicta Constitutione, relata etiam per extensum ab eodem Fagnano *in cit. Cap. Sicut unire, num.49. & 50. de excess. Prælator.*

VIII.

VIII. Hæc itaque statuta, ac definita habentur, pro eo quod pertinet ad unienda Seminariis Beneficia Ecclesiastica Apostolicæ Sedi reservata, aut affecta: nec aliud quidquam hic addere necesse esset, nisi fel. rec. Pontifex Benedictus XIII. pro Episcopis Italiæ, & Insularum adjacentium, Constitutionem edidisset, quæ incipit *Creditæ nobis*, quæque ordine 27. extat in Appendice ad Concilium Romanum ab ipso habitum in Basilica Lateranensi anno 1725. Per eam siquidem Constitutionem prædictis Episcopis jus tribuit uniendi Seminario *Beneficia simplicia cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, etiam juris patronatus Ecclesiastici, vel quomodocumque affecta, & dispositioni Sedis Apostolicæ reservata &c. fel. rec. Clementis VIII. ac Urbani pariter VIII. necnon aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutionibus vel Decretis, in contrarium facientibus, non obstantibus &c.* Quæ verba nonnullis Italiæ Episcopis ansam dederunt, ut sibi tributam putarent facultatem uniendi Seminario quælibet Beneficia simplicia nondum vacantia, licet quocumque modo Sedi Apostolicæ affecta, & reservata; sublatis nimirum de medio per verba superius recitata, contrariis Clementis VIII. & Urbani VIII. decretis, in supra citatis eorum Constitutionibus contentis. Verum advertendum est, præfatum Benedictum Pontificem in eadem Constitutione *Creditæ nobis*, decrevisse, ut antequam ad Beneficiorum unionem procedatur, non solum statuta & imposita esse debeat Taxa a Concilio Tridentino præscripta, & quidem ad rationem saltem trium annuorum scutorum pro quolibet centenario fructuum; verum etiam, si hæc ad Seminarii, & Clericorum in eo alendorum sustentationem satis non sit, ut eadem taxa usque ad summam quinque scutorum augeatur; & quidem cum approbatione Congregationis ab ipso Pontifice super Seminariis institutæ. Quod si in aliqua diœcesi, computatis omnibus Seminarii proventibus, etiam illis, qui ex Beneficiis antea unitis, aliisque reditibus eidem applicatis obveniunt, necnon ipsa Taxa ad prædictam rationem aucta, non adhuc ejusdem Seminarii, & Alumnorum necessariæ sustentationi sufficienter provisum esse constiterit; *tunc, & eo casu, ac in subsidium tantum*, prædicta Beneficia affecta, & Sedis Apostolicæ dispositioni reservata, non tamen jam vacantia, Seminario uniantur. Ex quibus simul sumptis clare patet, Episcopos Italiæ, & adjacentium Insularum, qui Benedictinam Constitutionem exequi, ac privilegio sibi per eam elargito uti velint, id agere minime posse, nisi cetera superius indicata præcesserint: quod & ex ipsa Constitutione colligitur, & clarius etiam ex Edicto, ipsius Pontificis jussu publicato, & ad locorum Ordinarios transmisso per organum Cardinalis Corradini tunc Pro-Datarii, quod per extensum legi potest apud Rigantium *loc. cit. num.* 127.

## CAPUT OCTAVUM.

*Quomodo se gerere debeant Episcopi erga Apostolicam Sedem, si quam forte Pontificiam Constitutionem de aliquo disciplinæ capite pro suis Diœcesibus minus opportunam esse censeant.*

IN superioribus capitibus demonstravimus, nihil ab Episcopis in Synodis statuendum esse, quod Apostolicæ Sedis juribus, ac prærogativis adversetur: ex quo sequitur, ut debita illius Constitutionibus obedientia præstari debeat etiam in iis, quæ ad disciplinam pertinent. Verum, quia disciplina varia est pro locorum, & temporum ratione, ac fieri potest, ut aliqua Constitutio, licet plerisque Orbis Christiani Diœcesibus utilis, alicui tamen provinciæ, aut peculiari diœcesi minus opportuna dignoscatur; idcirco operæ pretium duximus hic explicare, qua ratione se gerere debeant Episcopi, qui aliquam Pontificiam Constitutionem diœcesis suæ rebus minime conducere arbitrantur, ne debito erga summos Pontifices, & Apostolicam Sedem obsequio desint.

II. Non hic agimus de peculiaribus rescriptis, aut mandatis; in quorum concessione, sive expeditione, nihil facilius est, quam ut aliquando Pontifices decipiantur vel falsa rerum enarratione, vel occultatione alicujus veritatis, quam si notam habuissent, nunquam ea concessissent, aut mandassent, quæ alicujus vitii arguuntur. Verum in hisce casibus; quidquid ab eis per subreptionem, aut per obreptionem impetratum est, ipsi haud inviti abrogant; uti apparet *ex Cap. Super litteris, de rescriptis:* nec ullo modo ægre ferunt, si exequitores, quibus mandatum commissum est, exequutionem suspendant, atque interim accuratas rei mittant notitias, quibus certiorem reddant Pontificem, cur illius mandatum non duxerint exequendum. Celebris est Decretalis Alexandri III. *in Cap. Si quando, de rescriptis*, cujus hæc sunt verba: *Sicut vir providus, & prudens, & discretus, qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, sufficientem, & rationabilem causam prætendas; quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Congruit sententia alterius Decretalis, nimirum *Cap. Cum teneamur, de præbendis*, ubi sequentia leguntur verba: *Si non potest ei sine scandalo provideri, æquanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum.* Non solum autem Episcopis id petentibus, sed aliis etiam quibuslibet, quorum interest, & quorum res agatur, si damnum exponant aut jam obventum, aut proxime obventurum ex Pontificio decreto, litteris etiam Apostolicis roboratо, conceditur (ut omnibus notum est) aperitio oris, ut jura sua deducere possint; quod alioquin ipsis interdictum esset, propter consuetas clausulas, ejusmodi litteris, dum nemini damnum inferri credebantur, adjectas.

III. Multo minus hic agitur de Pontificiis Constitutionibus dogmaticis, quæ ad Fidem pertinent; cum in his irreformabile sit Romani Pontificis judicium. Agitur itaque de Constitutionibus ad disciplinam pertinentibus; at non ad illam, quæ sacros respicit ritus, cæremonias, Sacramenta, Clericorum vitam: namque illæ omnia a Pontificia pariter auctoritate omnino pendent: ideoque Apostolicæ Sedis decreta, quæ circa ea prodire contingat, inferiorum judicio, & censuræ nullo modo subjecta esse debent: ut ipse etiam Petrus de Marca recte perpendit *de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. 2. cap. 7. num.* 8. Sed alia extat Ecclesiasticæ disciplinæ pars, de qua aliquando a Romanis Pontificibus generaliter statuitur. Verum nonnunquam experientia demonstrat, aliquod ex hujusmodi generalibus statutis, licet plerisque provinciis, ac diœcesibus utile atque proficuum, alicui tamen provinciæ, aut diœcesi opportunum non esse: id quod Legislatori compertum non erat, cum ipse peculiares omnes locorum res, atque rationes perspectas habere nequeat: quemadmodum fatetur Pontifex *in Cap. 1. de Constitutionibus, in sexto.* In his itaque rerum circumstantiis Episcopus intelligens, Apostolicæ Sedis legem in diœcesi sua noxium aliquem effectum producere posse, non modo suas Romano Pontifici rationes repræsentare non prohibetur, quin potius ad id omnino tenetur: ut copiose differit Suarez *lib. 4. de legibus cap. 16. num.* 7. & optime ad rem prosequitur Layman *notab. 1. in Cap. Si quando, de rescriptis.* Neque Romani Pontifices unquam renuerunt inferiorum

rum rationibus autem præbere; &, quoties has satis validas esse agnoverunt, minime recusarunt aliquas provincias, aut diœceses a generalium Constitutionum suarum lege, quoad disciplinæ genus illud, de quo nunc agimus, eximere: uti laudati Auctores prosequuntur. Aliquando etiam legum ipsarum rigorem generaliter moderantes, pœnas adversus illarum transgressores minuerunt. Horum exempla in hoc ipso Opere nostro complura suppetunt. Sed unum hic afferre juvat, quod alibi a nobis relatum non meminimus. Pius II. Pontif. Max. in Constitutione *Cum ex sacrorum*, decrevit, ut illi, qui ad sacros Ordines extra tempora a jure statuta, vel absque litteris dimissorialibus, aut ante legitimam ætatem promoverentur, ab Ordinum susceptorum exercitio suspensi ipso jure forent: si autem in illis ministrare præsumerent, irregularitatem incurrerent. Ulterius progressus est Sixtus V. in Constitutione, quæ incipit *Sanctum & salutare*, qua scilicet Antistitem illum, qui aliquem minus idoneum, aut legitima ætate minorem, vel Patrimonio destitutum, ad Ordines etiam minores promovisset, a collatione omnium Ordinum, atque ab Ecclesiæ ingressu suspensum fore decrevit. Verum Clemens VIII. in Constitutione, quæ incipit *Romanum Pontificem*, totum id ad sacri Tridentini Concilii, Constitutionisque Pianæ terminos revocavit. Nec alia deessent exempla, quæ in hanc rem adduci possent.

IV. Hæc autem innuisse sufficiat, ut intelligant Episcopi, licitum sibi esse proprias rationes Romano Pontifici exponere, ut vel recessum a peculiari aliquo decreto, vel suæ diœcesis exemptionem obtineant ab aliqua generali lege, quæ tamen ad illud pertineat disciplinæ genus, quod supra indicavimus: neque putandum, eorum petitiones rejectum iri, si justis rationibus innixæ comperiantur. Illud autem omnino tenendum est, ut & in hujusmodi recursibus debita Apostolicæ Sedi reverentia semper servetur; & cum ipsa, omnibus auditis, judicium suum protulerit, illius sententiæ obtemperetur, ejusque jussa promptæ exequutioni demandentur. Constat enim, aliquando procacem agendi modum in culpam adducere eum, qui alioquin bonum jus fovet quoad rei substantiam: æquum autem non esse, Apostolica Decreta libenter accipi tunc solum, cum propriis intentionibus congruunt: at in sententia obfirmate persistere, cum summus Pontifex, reclamantis rationibus auditis, atque libratis, easdem tanti esse non reputat, ut mandata sua revocare, vel generales leges moderari opportunum censeat.

V. Nota sunt in Ecclesiasticis historiis dissidia, quæ inter S. Leonem Magnum Pontificem, ac S. Hilarium Arelatensem Episcopum intercesserunt. Cum nempe hic Celidonium in Gallia Episcopum e Sede sua deturbasset eo obtentu, quod ante Episcopalem Ordinationem, cum laicus esset, viduam in matrimonio habuisset, & capitis sententiam in aliquot reos pronunciasset; Celidonius ad Sedem Apostolicam provocavit, &, S. Leonis sententia in Episcoporum Concilio prolata, in pristinam Sedem restitutus est. S. Hilarius ad Urbem se contulit, ut judicium suum tueretur. In quo si justos defensionis limites non excessisset, nec contentionis ardore abreptus, nimis audacter erga Apostolicæ Sedis Præsulem se gessisset, non utique hujus indignationis pondus, nec asperam reprehensionem, & castigationem, quam accepit, in se derivasset: cujus rei monumenta videre est *in epist.* 10. ejusdem S. Leonis *cap.* 4. quam quidem epistolam Valentinianus Augustus summa veneratione suscepit, ut apparet ex his, quæ ipse sancivit in sua Novella Constitutione relata inter Novellas Theodosii in calce Codicis Theodosiani, titulo *de Episcopal. Ordinat.* Monumenta hæc capitalia sunt, & nulli exceptioni obnoxia; adeoque his potius standum est, quam iis, quæ ad S. Hilarii defensionem scripta leguntur in ejus Vita a S. Honorato Massilienſi Episcopo, aut ab alio incerto Auctore, triginta ferme annis post factum, exarata. De his etiam a nobis actum fuit *in nostro lib.* 2. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 41. *num.* 8. *& seq.* ubi silentio minime prætermisimus gloriosam pœnitentiam, quam deinde S. Hilarius, quoad vixit, in Lirinensi Monasterio egit, & cujus merito in Sanctorum numerum post mortem relatus fuit. Iis autem, quæ a nobis ibi dicta sunt, modernus quoque Guadicensis Episcopus consentit *in sua Bibliographia tom.* 2. *edit. ann.* 1740. *verb. S. Hilarius Arelatensis*, sicut etiam Auctor Observationum in Historiam Ecclesiasticam Claudii Fleury, editionis Avenionensis anni 1737. *tom.* 2. *lib.* 27.

VI. Non multo post, S. Mamertus, Viennæ in Gallia Episcopus, Marcellum Diensibus Episcopum ordinavit, quantumvis Diæ urbs in divisione provinciæ, quam fecerat S. Leo Magnus, Arelatensi Metropolitæ attributa fuisset. Quod cum intellexisset S. Hilarus Pontifex Maximus, ad quem viginti Galliarum Episcopi rem detulerunt, in S. Mamertum nonnihil commotus, illius factum Apostolica auctoritate cohibere non distulit; ut patet ex duabus ejus epistolis, quæ extant apud Cardinalem Baronium *ad annum Christi* 463. *num.* 4. *& seq.* in quarum altera, quæ data est VI. Kal. Martias anno 464. reprobato Mamerti ausu, per quem Leontii Arelatensis jus violatum fuisse declarat, ita subjungit Pontifex: *Si transgressor remediis abutitur satisfactionis, & veniæ, nec culpam præsentis excessus curandam futuræ observantiæ sedulitate promittit, redeunte querimonia, eo privilegia Viennensis Ecclesiæ ad Arelatensem Antistitem transferantur exemplo, quo migravere principio:* denique jubet, novum Diensem Episcopum confirmationem accipere a Leontio, *a quo rite debuit consecrari*. Binius in notis ad has Hilari epistolas relatas *tom.* 4. Collectionis Labbeanæ Conciliorum *col.* 1043. existimat, falsis relationibus adductum fuisse Pontificem, ut adversus S. Mamertum ita se gereret; ut videre est *ibi col.* 1047. Tillemontius in Vita S. Hilari Papæ *art.* 4. *tom.* 16. *pag.* 44. affirmat, nullam, aut levem admodum S. Mamerti culpam fuisse. Pagius *in Vita ejusdem Sancti Pontificis*, quæstionem in medio relinquit. Nullibi autem apparet, S. Mamertum Apostolicis decretis restitisse. Unde Godefridus Henschenius *in actis Bollandianis ad diem* 11. *Maji tom.* 2. *pag.* 629. *num.* 1. referens Pontificium præceptum, S. Mamerto indictum, *ut ab Ordinationibus indebitis, Ordinis sui, & privilegiorum periculo, in posterum abstineat, utque qui Diensibus a Mamerto consecratus fuerat, Leontii Arelatensis Episcopi, a quo consecrari debuit, arbitrio confirmetur*, ita prosequitur: *quod debita cum animi submissione feciſſe S. Mamertum, & acquievisse decreto summi Pontificis, plane arbitramur*.

VII. Bulgariæ regionem ad Illyricum Orientis pertinere, universum vero Illyricum, tam Orientale, quam Occidentale, jam usque a quarto Ecclesiæ seculo Romanæ Sedi immediate subjectum fuisse, constat inter Ecclesiasticæ Historiæ peritos. Nihilominus Orientalium Patriarcharum Vicarii in Urbe Regia adunati, ubi tunc Concilium Generale Constantinopolitanum quartum celebrabatur, contra jus & fas, reclamantibus frustra Apostolicæ Sedis Legatis, definierunt, Bulgariam Constantinopolitanæ Ecclesiæ subesse debere; unde & S. Ignatius, tunc Patriarcha Constantinopolitanus, Theophilactum Bulgariæ Archiepiscopum constituit. Hadrianus II. & Joannes VIII. Romani Pontifices, adversus S. Ignatii factum Apostolice zelo insurgere non omiserunt; eorumque litteræ

teræ ad hanc rem ſpectantes extant *in tom. 9.* Collectionis Labbeanæ Conciliorum *a col. 59. ad 65.* In earum altera, quæ etiam legitur apud Cardinalem Baronium *ad annum Chriſti* 878. *num. 5. & ſeq.* Joannes VIII. Ignatium arguit, tanquam conſultatorem decretorum Sanctorum Fratrum, & erga Apoſtolicam Sedem, a qua multa ipſi beneficia præſtita fuerant, ingratum. Unde, poſt primam, & ſecundam commonitionem eidem jam factas, iterum tertio eum monet, eique denuntiat, ut quoſcumque per Bulgariam ipſe, vel alii ex ejus auctoritate conſecraſſent, inde revocare non differat: ita ut, ſi illi intra triginta dierum ſpatium a Bulgariæ finibus re ipſa egreſſi non fuerint, ipſeque Ignatius ab omni Eccleſiaſtico jure in eam diœceſim non ſe abſtinuerit, poſt duos menſes, a die, quo epiſtolam acceperit, numerandos, Dominici Corporis & Sanguinis communione privatus ſit; & ſi adhuc in contumacia, pervicaciaque perſtiterit, Patriarchatus tandem dignitate, & Epiſcopali gradu dejiciatur.

VIII. Cardinalis Baronius *ad prædictum annum* 878. *num.* 42. de S. Ignatii reſiſtentia loquens, eundem excuſat, quod & jura Eccleſiæ ſuæ defendere tenebatur, & quod ipſe in ea opinione erat, ut Bulgariæ Provincia, non ad Romanam, ſed ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam pertineret: *Probatum vas igne erat ipſe, excoctumque fornace, omni rubigine carens.* Veruntamen judicare non omittit, aliqua culpæ macula ex hujuſmodi reſiſtentia eundem aſperſum fuiſſe: *At vero nullum penitus contraxiſſe unquam vel levem pulverem ipſum S. Ignatium ex hac, vel alia cauſa, dici non patitur humana conditio, quo ſanctorum neminem caruiſſe, Dei Genitrice excepta, æque fatentur omnes.* Denique animadvertit, peremptorias illas Joannis Papæ litteras, miſſas per Paulum Anconitanum, & Eugenium Oſtienſem Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Legatos, ut indicat eorum data, nunquam redditas fuiſſe ſancto Patriarchæ Ignatio, qui, cum dicti Legati Conſtantinopolim venerunt, jam ex hac vita migraverat, ut conſtat ex epiſtola Styliani ad Stephanum VI. Pontificem, quam idem Cardinalis Baronius integram refert *ad annum Chriſti* 886. *num.* 17. *& ſeq.* Ita etiam loquitur de S. Ignatii agendi ratione Spondanus *ad annum* 878. *num.* 8. Natalis autem Alexander *diſſert. 4. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi* IX. *&* X. §. 23. ita ſcribit: *Ignatio redditæ non fuerunt acres illæ Joannis VIII. litteræ; obierat enim, cum ejus Legati Conſtantinopolim pervenere, ut teſtatur Stylianus in epiſtola ad Stephanum VI. Pontificem Maximum. Ignatii vero ſanctitati non obſtat illa de Bulgarorum diœceſi contentio; quia jura Eccleſiæ ſuæ, ut ipſe exiſtimabat, tuebatur, ſperabatque, Romanum Pontificem tandem ceſſurum. Ignorantiæ itaque vitium fuit in cauſa, quam ipſi ſtudium de Sedis ſuæ juribus vindicandis ferventiſſimum obſcuram fecit: quem nævum in candore ſanctæ animæ charitatis uberæ contexere.*

IX. Hæc ſunt exempla graviorum diſſenſionum, quæ inter aliquot eximiæ ſanctitatis Epiſcopos, & Apoſtolicæ Sedis Pontifices, interceſſiſſe, memorant Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. In quibus agitandis controverſiis, ſi quis putaret, eam mentem fuiſſe ſanctiſſimis illis Epiſcopis, ut debitam obſervantiam, & obedientiam denegarent Romano Pontifici, quem, ut Eccleſiæ Caput, ſuprema in omnes Eccleſiarum Antiſtites juriſdictione præditum, reverebantur, non modo falſum, ſed ipſiſmet glorioſis Epiſcopis injurioſum judicium ferret. Eorum quilibet pro certo habuit, tam ſolidas rationes ſuæ cauſæ favere, ut eam omni ſtudio tueri licite poſſet. In quo tamen cum aliqui ex illis, ultra, quam fas erat, in ſenſu ſuo obfirmati perſtiterint, eorum agendi ratio reprehenſa, & correpta fuit. Quod ſi, non obſtante eorum vitæ innocentia, ac meritorum magnitudine, vitio illis datum eſt, quod Apoſtolicis decretis aliquandiu reſtiterint; ipſique deinde hujuſmodi vitium præclara pœnitentia expiandum judicarunt; nil aliud profecto ex relatis exemplis colligere poterunt reliqui Epiſcopi, quam quod interdictum quidem ipſis non eſt, Romanum Pontificem adire, eique rationes exponere, quibus vel edita ab eo mandata revocanda, aut immutanda, vel generalem legem, utpote eorum diœceſibus minus utilem, aliquo pacto moderandam ſuadeant; ſed ita tamen hoc agere debent, ut & probabilibus cauſis ſe ad id adductos oſtendant, & debitam Apoſtolicæ Sedi reverentiam ſervent, utque demum, ſi Pontifex, auditis eorum rationibus, in priori ſententia perſeveraverit, prompti ſint ac parati tum exequendis mandatis, tum legum obſervantiæ in ſuis diœceſibus præcipiendæ. Pulcherrimum hac in re, ut in ceteris omnibus, exemplum dedit S. Carolus Borromæus; quod quidem nunc indicare ſatis erit; nam alibi fuſius de eo ſermonem habebimus. Cum in ejus Mediolanenſi diœceſi quædam ab antiquo tempore exiſteret Congregatio ex delectis, peritiſque viris compoſita, quæ bonorum Eccleſiaſticorum alienationes examinabat, ac pro caſuum varietate alienandi facultatem aut concedebat, aut denegabat; idcirco ſanctus Archiepiſcopus perſuadum habebat, diœceſim ſuam exemptam eſſe debere a generali lege, qua id genus cauſæ Apoſtolicæ Sedi reſervatæ ſunt, gravibus conſtitutis pœnis in eos, qui ejuſmodi alienationes, dicta Sede inconſulta, facere, aut permittere præſumant. Suas itaque rationes Romano Pontifici accurate, & efficaciter, ſimulque reverenter exponi curavit: at, ubi compertum habuit, prætenſam illam exemptionem Pontifici non probari, ſtatim acquievit: quin immo in Catalogo cenſurarum Apoſtolicæ Sedi reſervatarum eas quoque deſcribi juſſit, quas incurrunt alienantes bona Eccleſiaſtica ſine auctoritate ejuſdem Apoſtolicæ Sedis; idque ad univerſæ Mediolanenſis diœceſis ſuæ notitiam perduxit.

## CAPUT NONUM.

*Nulla in Synodo decidatur controverſia, quæ in materia juriſdictionis vertatur inter poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſecularem: ubi multa de cauſis nunc & olim pertinentibus ad Eccleſiaſticam poteſtatem.*

QUem ſupra laudavimus, Pagnanus *in Cap. Sicut olim, de accuſat. n.* 86. ea pergens enumerare, quæ in particularibus Synodis non ſint ſtatuenda, ait: *In materia juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & ſecularis, conſultius erit, nihil ſtatuere, quam ut appareat, ex juribus Eccleſiæ aliquid eſſe imminutum, vel uſurpatum.* Prudenter, ſuo more, id monuit Pagnanus; ſed æque ſapienter eam adjecit limitationem: *niſi appareat, aliquid eſſe imminutum, vel uſurpatum ex juribus Eccleſiæ.* Aliud quippe eſt, jus controverſum ſibi aſſerere; aliud, jus ſibi certo competens tueri, atque ab injuſto uſurpatore vindicare: a primo omnino abſtinendum; alterum eſt Sacerdotali fortitudine præſtandum: quod a pluribus Synodis laudabiliter factum comperimus. In Diœceſana Synodo Meldenſi anni 1365. *cap.* 8. diſtricte Parochis præcipitur, ut diebus Dominicis, & feſtivis, inter Miſſarum ſolemnia denuntient, *quod omnes, qui juriſdictionem Eccleſiaſticam impediant manifeſte, vel occulte, directe, vel indirecte, & qui impedientibus impendunt auxilium, conſilium, & favorem declarantur excommunicati.* In Synodo incerti loci, ſed in Hiſpania, anno 1215. habita, *cap.* 11. decernitur, ut Clericus in flagitio deprehenſus, atque a ſecularis fori adminiſtris detentus, Eccleſiaſtico Judici illico tradatur. In Synodo Trecorenſi *cap.* 60. excom-

UAB Biblioteca de Ciències Socials



municatione innodati declarantur *seculares, qui per se, vel per alios, a personis Ecclesiasticis exigunt, & extorquent pedagia, guidagia, vel costumas, pro rebus suis, quas, non causa negotiandi, vel mercandi, deferunt, aut transmittunt: tom. 4. Thesaur. nov. Anecdot.* Martene, & Durand *col. 926. 171. & 1106.* Hæc, aliaque sexcenta hujus generis statuta, quæ cum in antiquis, tum in recentioribus Synodis passim occurrunt, plurimum sunt commendanda; quoniam alienam jurisdictionem non invadunt, sed, quæ foro Ecclesiastico est a Jure communi indubitanter adscripta, firmant magis, & sustentant.

II. Verum, ne Episcopus in hoc difficili, & arduo negotio erret, ac nimio, atque indiscreto zelo abreptus, graves inter Sacerdotium, & Imperium discordias imprudenter excitet, priusquam quidquam in hac materia faciendum aggrediatur, temporum, & locorum circumstantias, sed & potissimum rerum, causarumque naturam diligenter consideret, oportet. Ex causis Ecclesiasticis, aliquas ratione sui, alias ratione personarum, ad forum Ecclesiasticum pertinere, dicitur *in Cap. 4. de immunit. Eccles. in 6.* Inter primas principem locum obtinent causæ, quæ versantur circa res mere spirituales, puta circa Fidem, Sacramenta, religionem, seu cultum Divinum; quas in solo foro Ecclesiastico esse pertractandas, nullus Catholicorum ambigit: potestas quippe illas cognoscendi pendet a jure Clavium, quod solis Sacerdotibus est a Christo concreditum. Quamobrem Joannes VIII. relatus *in Can. 11. dist. 96.* scripsit: *Si Imperator Catholicus est, filius est, non Præsul Ecclesiæ: quod ad Religionem competit, discere ei convenit, non docere..... Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad seculi Potestates; quas, si Fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas.* Et Innocentius III. *in Cap. 8. de Arbitris*, severe prohibuit, ne in causis hujusmodi compromittatur in laicum, qui, ex defectu potestatis Clavium, incapax est, *judicium* de illis ferendi. Huic doctrinæ constanter adhærent etiam Doctores Galli, quos proinde immerito aliqui traducunt, quasi hac in re Potestati Ecclesiasticæ adversentur. In primis quippe Regni Optimates in illa ipsa solemni protestatione, relata a Matthæo Parisio *ad annum* 1247. qua jurisdictionem Ecclesiasticam plurimum coarctare tentarunt, nequaquam ausi sunt ab ea subducere causas Fidei, matrimonii, & usurarum, quas ultro admiserunt ad solum forum Ecclesiasticum pertinere: *Nos omnes* (ajebant *pag. 483.*) *Regni Majores attento animo percipientes, quod Regnum, non per jus scriptum, nec per Clericorum arrogantiam, sed per sudores bellicos fuerit adquisitum, præsenti decreto, omnium juramento statuimus, & sanximus, ut nullus Clericus, vel laicus alium de cetero trahat in causam coram ordinario Judice, vel delegato, nisi super hæresi, matrimonio, vel usuris.* Deinde eandem Ecclesiasticam jurisdictionem, cui nimium angustos limites præscribi voluerant Regni Optimates, ad omnes alias causas aut spirituales, aut spirituali annexas, protendi, declararunt Christianissimi Reges, Franciscus I. Henricus II. & Carolus IX. in suis Constitutionibus relatis in Codice Henricæo, & in Collatione Regiarum Constitutionum, atque insuper Henricus IV. in Edicto anno 1606. *art.* 12. Idemque pronunciatum fuit a Parlamento Parisiensi die 29. Decembris 1562. præsidente Thuano. Quæ omnia collecta sunt a Gabassutio *in theor. & prax. Jur. Canon. lib. 1. cap. 9. num. 15. & 16.*

III. Quia porro matrimonium Fidelium, etsi contractus civilis sit, est tamen a Christo Domino elevatum ad dignitatem Sacramenti, idcirco causas matrimoniales ad Judices Ecclesiasticos spectare, pronunciato anathemate in contradicentes, definivit Tridentinum *sess. 24. can. 12. de matrim.* Ex Judicibus vero Ecclesiasticis nullum, Episcopo inferiorem, posse illas cognoscere, idem Concilium decrevit *ead. sess. 24. cap. 20. de reform.* inquiens: *Causæ matrimoniales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini, & jurisdictioni relinquantur.* Non exinde tamen, quod causæ matrimoniales fori sint Ecclesiastici, fas erit Episcopo, quidquid matrimonium tangit, sibi, suoque tribunali adjudicare; sed causarum naturam attente inspicere, & distinguere debet. Tria sunt causarum matrimonialium genera. Aliquæ versantur circa initi conjugalis fœderis firmitatem; & hæ, nullo Catholicorum contradicente, in solo Ecclesiæ foro, sunt pertractandæ: quin immo, quæstiones ejusmodi in Episcoporum Concilio fuisse olim decisas, colligitur ex fragmento epistolæ ab Alexandro II. ad quemdam Guillelmum de de Monasteriolo scriptæ, atque ab Ivone *part. 9. cap. 32.* & Gratiano *Can. 10. 35. quæst. 6.* relatæ, in qua Pontifex eidem Guillelmo interdicit, ne propriam uxorem, consanguinitatis prætextu, *præsumat dimittere, vel aliam ducere, donec Episcoporum religiosorum Concilium causam istam examinaverit.* Audivimus etiam superius, litem, quæ vertebatur inter Lotharium, & Teuthbergam, super validitate connubii inter eos antea contracti, discussam fuisse in Synodo Aquisgranensi; cumque ab istius sententia Teuthberga appellasset ad Nicolaum I. eodem Pontifice jubente, fuisse iterum examinatam in Synodo Metensi. In Actis itidem Concilii Remensis, habiti anno 1119. cui præfuit Callixtus II. relatis ab Orderico Vitale *lib. 12. pag. 859.* legimus, Comitissam Hildegardem, uxorem Wilhelmi, Comitis Pictavorum, ad Synodum accessisse, & *alta, claraque voce querimoniam eloquenter enodasse, quam omne Concilium diligenter auscultavit. Se, siquidem dixit, a marito suo esse derelictam, sibique Malbergionem, Vicecomitis de Castello Araldi conjugem, in thoro* (seu verius *toro*) *subrogatam.* Pontifex vero, cum non posset causam definire inaudito Comite, qui infirmitate præditus non potuerat se Synodo sistere, ad quam fuerat a Papa vocatus, *ei inducias dedit, certumque terminum constituit, quo Consul ad placitum in Curiam Papæ veniret, ac ut legitimam uxorem reciperet, aut pro illicito repudio sententiam anathematis subiret.*

IV. Aliæ sunt causæ excitatæ aut super validitate sponsalium, aut super jure instituendi divortium quoad torum, & cohabitationem, & istæ pariter, ob illum respectum, quem habent ad matrimonii Sacramentum, ad solum Judicem Ecclesiasticum deferuntur: quod deducitur *ex Cap. 10. Ex litteris, de sponsalibus*, & *ex Cap. Porro, de divortiis.* Sponsalia quippe prævia sunt ad matrimonium celebrandum obligatio; & per divortium jura relaxantur, utrique conjugum ex matrimonio quæsita. Aliæ demum sunt causæ, quæ connexionem quidem habent cum matrimonio, sed res mere politicas, & temporales directe, atque immediate respiciunt; uti sunt lites, quæ frequenter moventur super dote, donatione propter nuptias, hæreditaria successione, alimentis, & similibus: & istas ad Judices seculares pertinere, ex communi Doctorum sensu, recte docent Bellarminus *lib. unic. de Matrim. cap. 32.* & Tannerus *tom. 4. disp. 8. num. 166.*

V. Verum, si, cum de hujusmodi controversiis in foro laicali disceptatur, quæstio incidat de jure connubii, puta de præcedenti ad nuptias impedimento, Judex secularis supersedere debet, atque incidentem causæ articulum ad Judicem Ecclesiasticum examinandum remittere: quod non solum a Jure communi sancitum est, sed & in Senatu Neapolitano, post maturam rei discussionem, conclusum refert Matthæus *decis. Neapolit. 219.* ac religiose servari in Gallia, testantur Annæus Robertus *lib. 3. rerum judicat. cap. 5. &*

*lib.*

*lib.4. cap.10.* ac Renatus Choppinus *de facr. polit. lib.2. tit.1. num.16.* notatque Alteſerra *de Juriſdict. Eccleſiaſt. lib.6. cap.3. §. Supereſt.* Non idem tamen locum viciſſim habet in Judice Eccleſiaſtico: etenim hic, cum cauſam cognoſcit aut de matrimonii validitate, aut de jure ad divortium, incidentem etiam quæſtionem dirimit de alimentis, aut dote: quod plane eruitur *ex Cap.1. Qui filii ſint legitimi, ex Cap. de prudentia, 3. & ex Cap. Per tuas, 7. de donat. inter vir. & uxor.* ubi id notant omnes Interpretes. Sed, quamquam, Jure communi ſpectato, ita res ſe habeat, attamen, ſi vera narrat Feuretius *de abuſu lib.5. cap.5.* in Gallia uſus invaluit, ut ejuſmodi acceſſoriæ controverſiæ de re mere temporali a Judice Eccleſiaſtico ad laicum illico remittantur.

VI. Idem accidit in aliis pleriſque cauſis, quæ licet vere, & proprie ſpirituales non ſint, ob connexionem tamen, quam habent cum re ſpirituali, a Jure communi foro Eccleſiaſtico addicuntur; nihilominus alicubi ſive ex privilegio, ſive ex conſuetudine inductum eſt, ut in tribunali diſcutiantur. Ejuſmodi ex. gr. eſt cauſa juriſpatronatus, de qua Alexander III. *in Cap.3. de judic.* generatim edixit: *Cauſa vero juriſpatronatus ita conjuncta eſt, & connexa ſpiritualibus cauſis, quod nonniſi Eccleſiaſtico judicio valeat definiri:* & nihilominus, in Gallia receptum eſſe, ut de jurepatronatus mere laicali in judicio tam poſſeſſorio, quam petitorio, non Eccleſiaſticus, ſed ſecularis Judex ſententiam ferat, narrant Franciſcus de Roy *in proleg. de jur. patron. cap.29.* Van-Eſpen *Jur. Eccleſ. part. 2. tit.25. cap. 4. num. 16.* & citatus Alteſerra *Juriſdict. Eccleſ. lib. 7. cap. 11.* ubi hæc habet: *Moribus noſtris, cauſa juriſpatronatus ſpectat ad Judicem laicum; quia, depravato fere rerum omnium ſenſu, juſpatronatus, ratione perſonarum, quæ hujuſmodi jure utuntur, vel prædiorum, quibus cohæret, magis ſpectatur ut temporale, quam ut ſpirituale.*

VII. Haud abſimile infortunium obvenit aliis cauſis fori Eccleſiaſtici, quas paulatim Judices laici ſibi uſurparunt. Communis Doctorum doctrina, jure communi ſubnixa, fert, ut lites motæ ſuper poſſeſſione, ſeu quaſi poſſeſſione juris annexi rei ſpirituali, atque ab hoc profluentis, puta ſuper poſſeſſione exigendi decimas Eccleſiaſticas, non minus, quam cauſæ proprietatis, verſentur, & dirimantur in tribunali Eccleſiaſtico: quod pluribus argumentis demonſtrarunt Antonius de Butrio *in Cap. final. de judic. num. 20.* Ripa *in Cap. Decernimus, eod. num. 17.* Gutierrez *Canon. Quæſt. lib. 1. cap. 34. a num. 26.* Garcias *de Benefic. part. 1. cap. 2. num. 50.* Marta *de juriſdict. part. 4. cent. 1. caſ. 24.* aliique congeſti a Ranbech *Panopol. immunit. diſp. 2. cap. 5. a num. 9.* Et tamen pleriſque in locis, enumeratis a Barboſa *Jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 39. num. 161. & ſeq.* ſive expreſſo privilegio Apoſtolico, ſive diuturna conſuetudine, ab Eccleſia tolerata, inductum eſt, ut cauſæ Beneficiales, decimarum, & ſimiles in judicio petitorio remittantur quidem ad Judicem Eccleſiaſticum, ſed in judicio poſſeſſorio in foro ſeculari audiantur, & definiantur: quod etiam in Belgio ſervari, præſertim cum agitur de quaſi poſſeſſione juris percipiendi decimas, affirmat citatus Van-Eſpen *part. 2. tit. 33. cap. 9. num. 14.* Diximus, ſive ex privilegio, ſive ex conſuetudine: fertur quippe Carolum VII. Francorum Regem, privilegium impetraſſe a Martino V. ut cauſæ poſſeſſoriæ Beneficiorum agitari poſſent apud Regias Curias, ſolo reſervato petitorii judicio Eccleſiaſticæ cognitioni. Pontificium diploma refertur a Guidone Papa *in deciſionibus Parlamenti Delphinatus quæſt. 1.* atque a Joanne Feralto *de juribus, & privilegiis Franciæ Regum privileg. 11.* Verum citatus Alteſerra *de Juriſdict. Eccleſ. lib. 3. cap. 8.* ejuſdem diplomatis verbis diligenter perpenſis, contendit, Martinum V. non conceſſiſſe de novo Regibus Francorum, eorumque tribunalibus jus cognoſcendi, & terminandi cauſas Beneficiales ſuper poſſeſſorio, ſed tantum declaraſſe, ſuæ mentis neutiquam fuiſſe, per alias ſuas præcedentes Conſtitutiones derogare juri, quod iidem Reges, ex antiqua conſuetudine, cujus initii non extaret memoria, a ſe, ſuiſque Judicibus acquiſitum aſſerebant, cognoſcendi de ejuſmodi poſſeſſorio. Et certe, ſi privilegium genuinum ſit, ejuſdem verba id aperte denotant, quod Alteſerra affirmat. Verum tam Alteſerra, quam Cabaſſutius *in theor. & prax. Jur. Canon. lib.4. cap.7. num.3.* aliique Juriſconſulti Galli ab hoc allegati docent, non aſtringi Judicem Eccleſiaſticum eidem parti petitorium decernere, cui regius Judex poſſeſſorium antea adjudicaverit: teſtanturque, eam ipſam Galliarum conſuetudinem limitari ad interdicta retinendæ, aut recuperandæ, nec complecti interdicta acquirendæ poſſeſſionis.

VIII. Ob adjecti quoque jurisjurandi religionem, cauſas reales, quæcumque forent, & quaſcumque reſpicerent perſonas, ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectaſſe, & conſtat *ex Cap. 23. de judiciis*, ubi Innocentius III. ait: *Numquid non poterimus de juramenti religione cognoſcere, quod ad judicium Eccleſiæ non eſt dubium pertinere?* ac tanquam certum ponit Bonifacius VIII. *in Cap. 3. de for. competen. in 6.* ubi reſpondet, potuiſſe Clericum, laicum, pro quo fidejuſſerat, quique, juramento interpoſito, promiſerat fidejuſſorem ſervare indemnem, convenire coram Judice Eccleſiaſtico, *ad cujus forum, ratione juramenti cauſæ hujuſmodi cognitio noſcitur pertinere.* Hoc porro titulo omnes fere quæſtiones ſuper civilibus contractibus ad Judicem Eccleſiaſticum olim devolvebantur; quoniam, inquit Mornacius *ad leg. 8. Cod. de Epiſcopali audientia, nunquam fere omittebant Tabelliones adjicere præſtitum a contrahentibus ſacramentum de ſervandis, quæ pepigiſſent.* Et nihilominus tam ſancte hæc diſciplina pluribus ſeculis retenta eſt, ut Principes laici non auſi ſint illam infringere; nec alium ſibi modum ſuppetere exiſtimaverint impediendi, ne hac ratione omnes cauſæ a ſuis foris ablegarentur, quam prohibere, ne deinceps contractus, pacta, aliaque negotia firmarentur juramento: quod in Luſitania, aliiſque in locis, legibus cautum, refert Felicianus de Oliva *for. Eccleſ. part. 1. quæſt. 30.* ubi ſimul has leges irritas contendit. In Gallia tamen, ſi vera narrat ſæpius citatus Alteſerra *de Eccleſ. Juriſdict. lib. 6. cap. 10.* non ſolum interdictum fuit, ne deinceps juramentum apponeretur contractibus, ſed ſimul ſancitum, ut contra legum prohibitionem appoſitum vires amplius non haberet cauſam pertrahendi ad forum Eccleſiaſticum: *Olim tanta erat* (ſcribit Alteſerra) *jurisjurandi religio, ut jusjurandum omnibus contractibus apponeretur, quo fides contractus religione jurisjurandi tutior eſſet.... Hac occaſione uſu evenit, ſi fides ſecularibus, ut Epiſcopi cognoſcerent de contractibus, & de feudis, propter juramenti vinculum in his interpoſitum, Cap. Novit, de judiciis. Hac de cauſa vetitum, ne jusjurandum contractibus apponeretur, neve ulla ejus ratio in judiciis haberetur, ne hoc obtentu ſecularis juriſdictio evacuaretur, quoniam jusjurandum non debet eſſe vinculum iniquitatis.* Hæc de cauſis ratione ſui, Eccleſiaſtico foro deſtinatis. Aliæ ſunt cauſæ eidem foro addictæ ratione perſonarum, quas tangunt. Non vacat hic illam examinare quæſtionem, quo jure, Divino ne, an humano, Clerici in cauſis mere temporalibus exempti ſint a juriſdictione ſeculari: ſuperfluum quippe videtur indagare primigeniam originem ejus exemptionis, qua ceteroquin certo ſcimus Clericos potitos, ubi primum Eccleſia, ſedatis perſecutionum procellis, Chriſtianos Principes nacta eſt. Enimvero narrat Nicephorus *lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 46. Conſtantinum Magnum, Clericos om-*

*omnes, Conſtitutione lata, immunes, liberoſque eſſe permiſiſſe, judicumque, & juriſdictionem in eos Epiſcopis, ſiquidem civilium Judicum cognitionem declinare vellent, mandaſſe.* Cujus quidem exemptionis tuendæ adeo Epiſcopi ſoliciti fuere, ut Patres Concilii Carthaginienſis III. habiti anno 387. *can.* 9. relato a Gratiano *in Can.* 43. 11. *quæſt.* 1. ſtatuerint, Clericos, judicia ſecularia in cauſa criminali adeuntes, ejiciendos e gradu, in cauſa vero civili, illud amittere debere, quod evicerunt, ſi priſtinum locum in Eccleſia obtinere vellent: *Item placuit* ( dixerunt Patres ) *ut quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ſeu Clericorum, cum in Eccleſia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi derelicto Eccleſiaſtico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat. Et hoc in criminali actione. In civili vero perdat, quod evicit, ſi locum ſuum obtinere voluerit.* Eandem immunitatem, atque exemptionem, inſequentibus ſeculis & ſummos Pontifices, & Principes, ſumma inter ſe conſenſione, Clericis confirmaſſe, liquet *ex Auth. Hodie, Authen. Clericus, Authen. Statuimus, Cod. de Epiſcop. & Cleric.* atque ex Decretalium rubricis *de judiciis, & de for. competen.*

IX. Neque duntaxat, ſi Jus commune inſpiciamus, ſolus Epiſcopus eſt Judex competens in quibuslibet Clericorum cauſis, ſed ejuſdem tribunal adire permittuntur etiam laici in controverſiis, cujuſcumque generis ſint, inter eoſdem exortis: idque non tantum de communi litigantium conſenſu, uti ſtatutum legimus ab Arcadio Imperatore *in leg.* 7. *Cod. de Epiſcopali audientia*, ſed etiam, altero eorum refragante, quemadmodum expreſſe decernitur *in Extravag.* 1. *de Epiſcopi judicio*, in Appendice ad Codicem Theodoſianum. Etſi enim demus Gothofredo, eam legem non eſſe Conſtantini Magni, cujus nomen præfefert; nemo tamen inficiabitur, editam ſaltem eſſe a Theodoſio, ſub cujus nomine citatur a Carolo Magno, a quo eſt renovata, ſuiſque Capitularibus inſerta *lib.* 6. *cap.* 366. eidemque Theodoſio adſcribitur ab Innocentio III. eam approbante *in cit. Cap.* 13. *de judiciis*, ubi hæc habet: *Nec illud humillimum omittamus, quod Theodoſius ſtatuit Imperator, & Carolus innovavit ..... Quicumque videlicet litem habens, ſive petitor fuerit ſive reus, ſive in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſive cum negotium peroraturus, ſive cum jam cœperit promi ſententia, ſi judicium elegerit ſacroſanctæ Sedis Antiſtitis, illico, ſine aliqua dubitatione* ( *etiamſi pars alia refragetur* ) *ad Epiſcoporum judicium cum ſermone litigantium dirigatur.* Hæc autem facultas, ab utroque Jure laicis facta, deferendi ſuas cauſas temporales ad judicium Epiſcoporum, intacta perſeverabat in fine ſeculi XIII. ſeu verius ineunte XIV. Scribit enim Meyerus *Annalium Flandriæ lib.* 10. a Synodo Provinciali, per Archiepiſcopum Remorum apud Compendium anno 1301. coacta, fulminatos fuiſſe Magiſtratus laicos, *qui non patiebantur, ut laici in foro Eccleſiaſtico convenirentur*: quod reapſe legimus in ejuſdem Concilii actis, quæ ex ms. codice S. Genovefæ Pariſienſis, poſt Labbeum, publici juris fecit Harduinus *tom.* 7. *col.* 1250. ſuæ Collectionis.

X. Potiori jure ad tribunalia Eccleſiaſtica provocare permittuntur viduæ, orphani, pupilli, aliæque miſerabiles perſonæ, quibus opitulari, ab Eccleſiæ incunabulis, non ultimam fuiſſe Epiſcoporum curam, oſtendit Thomaſſinus *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 87. *& pluribus ſeq.* & aperte conſtat *ex Can.* 1. *& 2. diſt.* 87. in quorum primo habetur: *Licet omnibus de nobis* (id eſt ſummis Sacerdotibus) *ſperantibus, non debeamus, in quantum poſſumus, nos negare; plus tamen viduarum, & orphanorum cauſas, & impenſius ducimus exequendas: quas tueri a nobis, vel ab omnibus Divina manifeſtat aſſertio*: & in altero dicitur: *Defenſionis propriæ defolatis auxilio, & qui ſuis actibus adeſſe pro ætatis infirmitate non poſſunt, exoratum Pontificem decet ſubvenire: quia pupillis tuitionem etiam Divinitas juſſit impendi.* Scimus utique, iſtorum Canonum fidem nutare, cum non reperiantur inter genuinas epiſtolas Gelaſii Papæ, cui a Gratiano tribuuntur; at non propterea ſunt contemnendi: uti enim alias obſervavimus, exhibent ſaltem diſciplinam uſu receptam ea ætate, qua creduntur exarati. Præterquamquod certus, & indubitatus eſt canon 12. Concilii Matiſconenſis II. habiti anno 585. *tomi* 3. Collectionis Harduini *col.* 463. ubi idem, quod a Pſeudo-Gelaſio audivimus, hiſce verbis decernitur: *Quoniam proviſioni noſtræ, Deo auctore, cauſæ principaliter viduarum, & pupillorum ſunt commiſſæ, pervenit ad nos, quod a Judicibus crudelibus, pro leviſſimis cauſis, veluti Defenſore carentes, irremediabiliter affligantur. Ob quam cauſam decernimus, ut Judices non prius viduas, & pupillos conveniant, quam Epiſcopo nuntiarint, cujus ſub velamine degunt. Quod ſi Epiſcopus præſens non fuerit, Archidiacono, vel Presbytero cuidam ejus; ut pariter ſedentes, communi deliberatione cauſis eorum terminos figant ita juſte, ac recte, ut deinceps de talibus antedictæ perſonæ non conqueſſentur.* Perperam autem ejuſmodi canones in eum ſenſum nonnulli detorquent, ut meram ſignificent tuitionem & protectionem viduarum, ac pupillorum, Epiſcopis ſpecialiter commiſsam, & commendatam. Nam in primis tuitio, & defenſio, ne ſit inefficax, debet eſſe conjuncta cum juriſdictione: quamobrem, cum Patres Concilii Carthaginienſis V. *can.* 9. relato a Gratiano 23. *quæſt.* 3. *Can.* 10. Imperatores rogarunt, ut Eccleſiis darent Defenſores adverſum potentiam divitum, nomine Defenſorum veros intellexerunt Judices cum poteſtate coercitiva, quorum munus eſset Eccleſiam defendere a divitum violentiis: eademque de cauſa, ne ſcilicet inutiles eſsent Conſervatores, quibus Sedes Apoſtolica munus committit tuendi jura, & privilegia alicui perſonarum cœtui a ſe ſpecialiter conceſsa, neceſsarium reputarunt ſummi Pontifices, veram juriſdictionem iiſdem conferre, exercendam in aliquibus caſibus, de quibus *in Cap.* 1. *& Cap.* 2. *de offic. Jud. deleg. in* 6. Deinde nonniſi violenter, ad meram ſignificandam tuitionem, detorquentur allegata verba Concilii Matiſconenſis. Siquidem Patres non hortantur, non rogant, quod proprium eſt meri defenſoris, & protectoris; ſed diſtricte præcipiunt, nę Judices ſeculares viduas, & pupillos conveniant ſine Epiſcopi ſcientia, iiſdemque Judicibus, abſente Epiſcopo, per Archidiaconum, vel Presbyterum, terminos conſtitui decernunt ad earundem perſonarum cauſas finiendas; contravenientes vero Judices anathemati ſubjiciunt. Hæc autem omnia veram redolent juriſdictionem, videnturque manifeſte innuere viduarum, ac pupillorum cauſas pertinuiſse ad judicium Epiſcoporum, a quibus quodammodo delegarentur Judicibus ſecularibus, certis tamen adjectis legibus, & conditionibus. Eandem juriſdictionem Epiſcopis vindicarunt poſteriores canones, quibus libertas data eſt prædictis miſerabilibus perſonis declinandi forum ſeculare, vetitumque ſecularibus Judicibus, ne illas coram ſe ſiſtere cogerent: Quare Innocentius III. *in Cap. Super quibuſdam, de verb. ſignific.* Comiti Toloſano reſcripſit, ut, ſi quid litium ipſi eſset adverſus viduas, orphanos, & miſellos quoſvis, coram Judice Eccleſiaſtico, ad quem illi provocaſsent, ſtare deberet: *Item viduis* (ait), *pupillis, orphanis, & perſonis miſerabilibus tenearis in judicio Eccleſiaſtico reſpondere.* Tanta præterea fuit hujus rei apud majores noſtros perſuaſio, ut quædam Regina Angliæ hoc ſolum nomi-

mine, quod vidua esset, sibi fas esse putaverit, in causa feudali declinare judicium Domini directi feudi, & ad Papam provocare; uti habetur *in Cap. Ex parte, de for. compet.* ubi Honorius III. totam enarrans hujus rei gestæ seriem, inquit: *Fuit ex parte ipsius Reginæ responsum, quod vidua spoliata, irrequisito feudi Domino, spoliatorem, seu detentorem rei, coram Ecclesiastico Judice poterat convenire, cujus interest viduas defensare.*

XI. Hæc simul collecta, & adnotata Episcoporum oculis subjecimus, ut priora tempora cum hodiernis conferentes, videant, & doleant gravia vulnera suæ antiquæ jurisdictioni inflicta: siquidem seculares potestates, ait Guillelmus Durandus junior *de modo General. Concil. celebrand. tit. 70. part. 2. quasi per quamdam alluvionem, frustatim ad se omnia trahunt. Et sicut frustatim lupus agnum comedit; ita & per ipsos jurisdictio Ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur, quidquid ad Ecclesiasticam jurisdictionem, potissime quoad temporalia pertinet, sibi competere putantes. Et pauci sunt casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus directe, vel indirecte, per eos Ecclesiastica jurisdictio non turbetur in diversis mundi partibus; nec jam constituta remedia proficere possunt, sicut experientia docet.* Hilce Judicum secularium ausibus ab initio obstiterunt Pontifices maximi, & sanctissimi Ecclesiarum Antistites: sed, cum illos a proposito dimovere nequiverint, ad evitanda majora mala, inolescentes in dies contra Ecclesiasticam jurisdictionem consuetudines dissimularunt, & tolerarunt; & quandoque summi Pontifices consultius duxere, id ipsum privilegio Principibus concedere, quod propria auctoritate jampridem sibi usurpaverant.

XII. Jam vero, cum desperandum jam sit, ut potestas secularis intra constitutos sibi ab antiquo limites contineri patiatur, imprudenter ageret Episcopus, si in sua Synodo aliquid decerneret, quo jurisdictionem sibi olim Jure communi attributam recuperare tentaret; rem siquidem impossibilem aggrederetur, & sine ulla Ecclesiæ utilitate graviter apud Principem offenderet. Quare suo muneri satis abunde facturum se credat, si ad hæc tria animum diligenter intendat. Primo, ne Princeps secularis sibi unquam arroget jus sacrorum; hoc est, ne in ullo rerum eventu se immisceat in causis primi generis, mere scilicet spiritualibus, & Ecclesiasticis. Secundo, ne Judex laicus eam quoque partem Ecclesiasticæ jurisdictionis invadat, quæ hactenus perseverat intacta; nisi enim Episcopus ejus vindicem statim se præbeat, hanc pariter pedetentim amittet. Quia tamen plerumque privati Judices, supremi Principis auctoritate suffulti sunt, etiam in hoc negotio summa prudentia, circumspectione, & dexteritate opus est; atque in primis, priusquam Episcopus consueta exerat censurarum arma, debet accurate perpendere, quod monet Augustinus *lib. 3. contra epistolam Parmeniani num. 13. tom. 9. Oper. col. 64.* hæc quæ ad rem optime quadrant, scribens: *Cum quisque fratrum, id est Christianorum, intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est; atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi præcipit, dicens ut inimicum non eum existimetis, sed corripite ut fratrem... Quando ita cujusque crimen notum est, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ.*

XIII. Tertio denique, ubi aut privilegio, aut legitima consuetudine, fori Ecclesiastici limites ultra Juris communis sanctiones ampliati sunt, quod ceteroquin perquam raro contingere scimus, curabit Episcopus, ne sua incuria, aut conniventia contrahantur. Rem unico explicamus exemplo. Jure communi sancitum est, ut actor sequatur forum rei, ac proinde Clericus conveniens laicum in causa mere civili, & profana, illum convenire debeat coram Judice seculari, per textum *in Cap. Si Clericus laicum, de foro competenti.* Attamen alicubi usus inolevit, ut Clericus, etiam in prædictis causis, laicum conveniat coram Judice Ecclesiastico. Ejusmodi consuetudo viget in nostra diœcesi Bononiensi, quam approbavit, & servari præcepit Gregorius XV. cujus Apostolicas litteras nos retulimus *in nostra Instit. 40. in fin.* Eademque etiam in Hetruria ab antiquo tempore introducta reperitur, & manifeste comprobatur ex Synodis tam Provincialibus, quam Diœcesanis illius ditionis, nimirum ex Synodo Florentina, quam habuit Cosmas de Pazzis Episcopus anno 1508. *ad tit. de foro competenti:* ex Concilio Provinciali, anno 1517. habito sub Julio Cardinali Mediceo tunc Archiepiscopo Florentino, mox ad Romanum Pontificatum, assumpto nomine Clementis VII. evecto, in rubrica *de rotulo Judicium delegatorum*; item ex alio Provinciali Concilio, ab Archiepiscopo Altovito celebrato anno 1563. rubrica 15. *de foro competenti*; & ex Diœcesana Synodo, coacta anno 1666. ab Archiepiscopo Nerlio S. R. E. Cardinali; ex alia anno 1710. habita ab Archiepiscopo de Gherardesca; & recentius ex ea, quam bo. mem. Archiepiscopus Martellius habuit anno 1732. Ubi ergo hæc, aut similis consuetudo invaluit, ea utique erit sarta tecta custodienda: neque conqueri poterunt laici, quod Episcopus hoc secularis jurisdictionis minimum frustulum, consuetudine acquisitum, sibi vindicet; cum ipsi, sicuti a Guillelmo Durando supra audivimus, sola consuetudine, quæ ab initio dici potuit abusus, & corruptela, fere integram devoraverint *jurisdictionem* Ecclesiasticam.

## CAPUT DECIMUM.

*Leges civiles cum moderatione, & delectu in Synodo allegandæ.*

VIdetur *etiam abstinendum a mentione legum secularium, præsertim si affines sint illis, quæ a Sede Apostolica improbatæ fuerunt:* verba sunt Fagnani *in cit. Cap. Sicut olim, num. 86.* Ad quorum rectam intelligentiam, meminisse oportet, ex legibus civilibus, aliquas esse a Jure Canonico expresse approbatas, aliquas expresse correctas, atque abrogatas, aliquas vero neque approbatas, neque improbatas, sed silentio prætermissas. Leges primi generis & possunt, & quandoque debent in Synodalibus Constitutionibus allegari: a legibus secundi generis commemorandis est abstinendum: legum tertii generis mentionem fieri, perutile aliquando, & laudabile. Quæ omnia congruis exemplis exornabimus.

II. Atque, ut a primis initium ducamus, aliquas ex iis delibabimus matrimonium respicientes. Olim, juxta Ecclesiæ Romanæ disciplinam, matrimonia minime dissolvebantur ex capite impotentiæ: *Respondemus, quod de ejusmodi expressum Canonem non habemus:* ait Pontifex Lucius III. *in Cap. 2. de frigidis & maleficiatis*, prout jacet in secunda Collectione Decretalium Romanorum Pontificum: quæ tamen verba nequaquam leguntur *in Cap. 4. eod. tit.* novissimæ Collectionis Gregorii IX. jussu adornatæ. Et sane, occurrentibus ejusmodi conjugiis, in quibus impotentia perpetua deprehenderetur, responderi solebat mulieri, ut conjugem suum, quem tanquam virum habere non poterat, in fratris locum haberet; juxta ea, quæ rescripta leguntur ab Alexandro III. *in Cap. 2. & 3.* & a Clemente III. *in Cap. 4. de frigidis & maleficiatis*, in prima Collectione Decretalium. Hodie vero impo-

potentia perpetua recenſetur inter impedimenta matrimonium dirimentia; de quo *in Cap. Fraternitatis, ac toto tit. de frigidis, & maleficiatis*. At, quoniam poſt contractum conjugium frequenter contingit, conſtare quidem de alterutrius conjugis impotentia, ſed valde dubitari, num ea ſit perpetua, vel potius temporaria, ſeu an ſit inſanabilis, vel poſſit naturali arte ſuperari; idcirco leges civiles, quando impotentiæ ſigna aut evidentia, aut indubitata non ſunt, certum conjugibus præſcripſere tempus, intra quod operam dare poſſint rei conjugali, ſuaſque vires experiri, adhibitis etiam opportunis remediis, quæ Peritorum judicio apta ſint ad illas reficiendas, & roborandas, ſi adhiberi queant, citra grave vitæ periculum, & valetudinis detrimentum. Ad ejuſmodi experimentum Juſtinianus Imperator *in l. In cauſis, Cod. de repudiis*, præfinivit biennium; ſed poſtea retus, non poſſe intra biennium certum ferri judicium de impotentiæ perpetuitate, *in Novella* 22. §. *Per occaſionem* illud prorogavit ad triennium. Hanc autem Juſtiniani ſanctionem expreſſe approbavit Cæleſtinus III. *in Cap. Laudabilem*, 5. *de frigid. & malefic.* ac proinde in foris Eccleſiaſticis tanquam lex Canonica allegatur, & ubique religioſe cuſtoditur: neque enim fides habenda eſt quibuſdam Doctoribus Gallicanis, aſſerentibus, prædictam triennalem cohabitationem non eſſe hodie in Galliis uſu receptam; eorum ſiquidem aſſertionem falſitatis redarguit, & valide confutavit Bocchier, Præſes Parlamenti Divionis, in ſuo Tractatu edito anno 1735. *de matrimonii diſſolutione ex capite impotentiæ, pag. 67. & ſeq.*

III. In ſolatium orbitatis filiorum adinventum eſt figmentum adoptionis, per quam filios ſuſcepiſſe videatur, qui illos non procreavit, uti habetur *in l. 1. & in l. Is qui filium, ff. de adoptionibus*. Ad hoc fingendum naturæ ſimulacrum, cujus delineamenta expreſſa reperimus in ſacris litteris, nempe *Geneſis* 48. *Exodi* 2. & *Eſther* 1. varios, & diverſos *ritus*, pro temporum, & locorum diverſitate, *legimus* adhibitos. Atque, ut prætereamus modum illum adoptandi, barbaris uſitatum, quem deſcribit Diodorus Siculus *Biblioth. IV.* 40. inquiens: *Illam adoptionem* (Herculis) *hoc modo factam perhibent. Juno lectum ingreſſa, Herculem corpori ſuo admotum, ut verum imitaretur partum, ſubter veſtes ad terram demiſit, quem in hoc uſque tempus adoptionis ritum barbari obſervant*: apud Romanos peragenda erat coram Prætore, aut Magiſtratu, penes quem eſſet legis actio, trina illa imaginaria venditione per æs, & libram, qua apud ipſos ceteri perficiebantur Actus legitimi: & ſi ageretur de adoptione perfecta, de qua mox, hæc explenda erat in Comitiis Curiatis, acceſſitis etiam Pontificibus, aliiſque adhibitis ſolemnitatibus, quas referunt Vincentius Gravina *Origin. Jur. Civil. tom. 1. pag. 208. & ſeq.* Heineccius *Antiquit. Roman. lib. 1. tit. 11. num.* 15. ſed poſteriori ævo alii a Romanis adinventi ſunt adoptandi ritus, quos iidem Auctores proſequuntur. Aliæ itidem adoptionis formulæ apud alias invaluerunt nationes. A Gothis quippe filios adoptatos per tactum barbæ, narrat Aimoinus *de geſtis Francorum l. 1. cap.* 20. A Francis per barbæ præciſionem, teſtatus idem Auctor *lib. 4. cap. 25*. Sed magis communiter apud Chriſtianos recepta fuit quædam ſpiritualis adoptionis ſpecies, quæ fiebat per inciſionem capillorum: ſiquidem de Pipino miſſo a Carolo Martello ad Luitprandum, Longobardorum Regem, hæc ſcribit Paulus Diaconus *lib. 6. cap.* 53. *Circa hæc tempora Carolus Princeps Francorum Pipinum filium ſuum ad Luitprandum direxit, ut ejus, juxta morem, capillum ſuſciperet, qui ejus cæſariem incidens, ei pater effectus eſt*: & de Pontifice Benedicto II. ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Hic una cum Clero, & exercitu, ſuſcepit mallones capillorum Dominorum Juſtiniani, & Heraclii, filiorum clementiſſimi Principis, ſimul & ejus juſſionem, per quam ſignificabat, eoſdem capillos direxiſſe*: quem Anaſtaſii locum explicans Baronius *ad annum* 684. *num.* 7. ait: *Sic igitur pius Imperator, voluit ut filii ſui ſcirent, ſe Romanum Pontificem peculiarem habere parentem, cujus monitis impenſius parere deberent, eundemque ut patrem diligere, ac revereri*. De hoc peculiari Chriſtianorum adoptandi ritu diſſerit Balſamon *ad Can.* 53. *Synodi Trullanæ* eundemque pluribus illuſtrant Merillus *lib. 3. obſervat. cap.* 40. & Binius *in notis ad Vitam Benedicti II.*

IV. Sed, omnibus hiſce, aliiſque plurimis adoptionis ritibus, quos recenſent Cironius *ad tit. de cognat. legal.* & Gonzalez *ad Cap. 1. eod. tit.* deletis, alium modum adoptioni faciendæ præſcripſere leges civiles, quibus utimur. Diſtinguunt iſtæ, ſicut & etiam olim fuerat apud Romanos, duas ſpecies adoptionis: unam *perfectam*, quæ dicitur *adrogatio*; alteram *imperfectam*, quæ *adoptio ſimplex, & in ſpecie*, etiam appellatur. Prima fit, cum perſona extranea, ſui juris, ex Principis reſcripto, ita tranſit in poteſtatem, & familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus, & naturalis, fiat ejus hæres neceſſarius tam ab inteſtato, quam ex teſtamento, §. *Cum autem* 3. *Inſtit. de adoption. l. Impuberem* 2. *Cod. eod.* Imperfecta fieri dicitur, cum perſona extranea, conſtituta ſub ſui naturalis patris, ſeu avi poteſtate, ſolius Magiſtratus, alteriuſve Judicis competentis auctoritate, in filium, aut nepotem adſciſcitur, quin tamen tranſeat in familiam, & poteſtatem adoptantis, cujus propterea non fit hæres neceſſarius ex teſtamento, quo præteriri poteſt, licet eidem ſuccedat ab inteſtato, §. 2. *verſ. Sed & hodie, Inſtit. de adoption.* Eædem porro civiles leges, turpe, atque inhoneſtum reputantes, matrimonium inter eos iniri, qui etiam imaginaria, & ficta iſta cognationis ſpecie conjunguntur, irritas decrevere nuptias primo inter adoptantem, & adoptatum, atque ab iſto deſcendentes, *l. Quin etiam*, 55. *ff. de rit. nuptiar.* ſecundo inter adoptatum, & filios naturales adoptantis, *l. Per adoptionem*, 17. *ff. eod.* §. *Inter eas, Inſtit. de nupt.* tertio inter adoptantem, & uxorem adoptati, ac viciſſim inter adoptatum, & uxorem adoptantis, *l. Adoptivus*, 14. *ff. cit.* At id diſcriminis inter enumeratas perſonas, adoptione conjunctas, intercedere leges voluere, ut inter prima, quæ ſunt quodammodo in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, nunquam, ne ſoluta quidem adoptione, matrimonium conſiſtere valeat: ut enim dicitur *in cit. l. Quin etiam*, ſemper nefas reputatur, eam uxorem ducere, quæ per adoptionem filia, aut neptis fuit: idemque ſervandum edixere inter perſonas tertii generis, inter quas ſemel ortam ex adoptione affinitatis ſpeciem, quæ matrimonio contrahendo obicem ponit, perpetuam eſſe decernunt. Quocirca *adoptivus filius, ſi emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor fuit, ducere non poteſt, quia novercæ locum habet*: inquit textus *in cit. leg. Adoptivus, ff. de rit. nuptiar.* Sed inter perſonas ſecundi generis, quæ, adoptione interveniente, ſibi e latere jungi videntur, impedimentum durat, quamdiu durat adoptio, ſeu quamdiu filii permanent ſub patria poteſtate; ſicut habetur *in cit. l. Per adoptionem*, 17. *de rit. nuptiar.* Soluta vero patria poteſtate vel per mortem adoptantis, vel per emancipationem filii, ſive adoptivi, ſive naturalis, ceſſat impedimentum, & poteſt filius adoptivus in uxorem ducere filiam naturalem ejus, a quo fuerat adoptatus, juxta apertum textum *in cit. §. Inter eas, Inſtit. de nupt.*

V. Jam vero & cognationem legalem, & quæ ex ea ad nuptias profluunt obſtacula, eo prorſus modo, quo a Jure civili ſtatuta fuerant, univerſim recepit, appro-

*Deo &c. a quibusdam accipiuntur affertive dicta.*

pax est; omnes enim Cœlites Deum glorificant, quod misericors, sapiens, & fidelis promissum Patribus Christum mundo edidit; unde pax in terra proficiscitur: natus est enim Christus, qui Rex pacificus homines, qui filii iræ nascuntur, Deo reconciliat. Ita Toletus, & Maldonatus.

*Alii optative dicta interpretantur.*

50. Alii verò eadem explicant verba *optative*, subaudito verbo *sit*, ut sensus sit: Laus & gloria sit Deo, & benedicant ei omnes beatæ mentes in Cœlo, qui Christum in terram dignatus est demittere, ut natura humana assumpta pacem hominibus & reconciliationem, & gratiam, & salutem, & omnia bona afferat. Ita Jansenius, & Barradius. Ea autem verba, *bonæ voluntatis*, ita exponit Ambrosius; Pax esto hominibus, non quidem omnibus, sed iis, qui bonæ sunt voluntatis. Et S. Leo in hunc explicat modum: Esto pax hominibus, quæ bonam illis voluntatem injiciat, ut legi, Deique arbitrio suam voluntatem subjiciant, & ad ejus voluntatem sese conforment. Vid. Cornel. a Lapide in cap. 2. Luc. vers. 14.

*Pastorum adventus ad præsepe Christi Jesu.*

51. Narrationem Lucas in hunc modum absolvit: *Et factum est, ut discesserunt Angeli ab eis in Cœlum* (illuc videlicet, unde a Deo missi fuerant, & ubi semper adstant, illum aspicientes, amantes, collaudantes, ejusque Majestatem adorantes) *Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes.* Sic enim suam fidem, suumque gratum animum ob tantum a Deo acceptum beneficium declararunt. *Et invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio*, quemadmodum ab Angelo fuerant præmoniti. *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc;* ut illud dicere potuissent, quod postea scripsit Joannes cap. 1. ep. 1. v. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifesta est, & vidimus, & testamur.*

*Beatæ Mariæ fides de Christi divinitate. Mirifica etiam Pastorum fides.*

52. *Et omnes qui audierunt, mirati sunt & de his, quæ dicta erant a Pastoribus ad ipsos.* Sunt verba D. Lucæ loc. cit. Abest a Græco textu, & versione Syriaca particula &. Deinde Lucas loc. cit. ad Beatam Mariam sermone traducto, ait: *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Firmissima quidem fide Beata mater credebat Mysterium Incarnationis Unigeniti Filii Dei; nova tamen illi quotidie lux affulgebat; nova semper ab experientia ipsa accedebat cognitio ex miraculis, quæ identidem edebantur, quæque illam in dies magis in fide confirmabant. Quæ enim Sanctissima Virgo videbat, ea cum Archangeli Gabrielis nuncio, & cum oraculo Elisabeth, & Zachariæ conferebat, mirumque observabat inter ea omnia consensum, quo in ea fide confirmabatur, a se natum fuisse Unigenitum Dei Filium, ut optime animadvertit Ambrosius; cum interea cæteri omnes singularem ejus prudentiam, & modestiam incredibilem mirarentur, cui satis fuit in se omnia hæc tacitam demirari, quin eorum quidquam aliis palam faceret. Lucas denique loc. cit. concludit: *Et reversi sunt Pastores* (ad custodiam gregis) *glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos:* quibus verbis eorum fides heroica comprobatur, ut ostendit Trainitus in citato Opere de Pastoribus &c. §. 3.

*De cæteris miraculis,*

53. Atque hæc vera sunt prodigia, quæ in ortu Christi Domini contigisse tradit sacer textus. Suidas, Cedrenus, aliique scribunt, nato Christo Jesu, diabolum a suis responsis, quæ Delphis edebat, destitisse; sed hoc esse incertum ostendimus lib. 3. de Canonizat. SS. c. 46. n. 8. Quidam scripsere, ea nocte, qua ortus est Jesus, Templum Pacis corruisse; quod tamen a vero abesse ostendit magnus Baronius ad ann. Chr. 1. n. 2. & 12. Templum enim illud multo post Jesu Christi ortum a Vespasiano, Judæa nerdomita, excitatum esse testantur Suetonius, Josephus, Plinius, aliique plures. Celebre etiam est illud ostentum, quod refert Orosius, aliique gravissimæ auctoritatis Scriptores, olei fontem inde, ubi tum erat Taberna meritoria, nunc est templum S. Mariæ Trans Tyberim, erupisse, & dies aliquot per urbem sub Augusto defluxisse. Vide Panvinium de septem Urbis Ecclesiis pag. 81. Donatus scribit lib. 3. de Urbe Roma, cap. 21. *Taberna meritoria, ubi nunc ædes S. Mariæ Trans Tyberim; unde oleum abunde ad fluvium usque fluxisse Ecclesiastica monumenta prodidere, & constans fama, designatusque in templo maximam sub aram locus, veterique hoc titulo notatus:* Fons olei: *abunde testatur.* Locus adhuc ostenditur sub gradu Sacelli majoris, ubi hæc leguntur: *In hac prima Dei Matris Ædc, Taberna olim Meritoria, olei fons emanans Christi ortum portendit.* Nulla de veritate miraculi dubitatio: illud futuri ortus Reparatoris nostri indicium fuisse dicitur, sed cum quadraginta annis ante contigerit, quam Jesus est natus, non recensetur inter ea miracula, quæ in Nativitate Christi edita sunt. Antonius Bineus, Auctor heterodoxus, tract. de Natali Jesu Christi lib. 2. cap. 3. num. 15. aliquot miracula rejicit, quæ in Christi Nativitate dicuntur contigisse, illa, exempli causa, Delphicum oraculum eo tempore obmutuisse; Pacis Templum corruisse; Augustum, qui sublimem in aere vidisset B. Virginem Filium suum in ulnis gestantem, aram in Capitolio dedicasse cum hac epigraphe: *Ara Primogeniti Dei*; ac Baronium increpat, quod in apparatu ad Annales nu. 26. scripserit, in Capitolio aram illam excitatam fuisse contra Rupem Tarpejam, ubi nobilissimum illud Jovi Capitolino dedicatum fuerat Templum, e cujus ruderibus ædificata Ædes, quæ nunc dicitur *Ara Cœli*. Sed tota Binei disputatione nihil plane commovemur. Nam, quod ad Delphicum oraculum attinet, etiam e Catholicis dubitarunt non pauci num conticuerit. Quid autem de Templi Pacis excidio senserit Baronius, paullo ante exposuimus: de ara vero ab Augusto erecta Baronius Suidam, & Nicephorum affert Auctores; quorum fidem suspectam esse monet, nec temere ab iis sumenda esse testimonia. Frater quidam Casimirus Ordinis Minorum Monumenta historica edidit Romæ anno 1736. *de Ecclesia, & Conventu B. Mariæ in Ara Cœli*, & cap. 1. tum de tempore cum Ædes illa fuit ædificata, tum de loco, & an e fundamentis Templi Jovis Capitolini excitata sit, multiplices opiniones recensct.

*Quæ in Christi Nativitate contigisse feruntur quorum nulla mentio in Sacris patrum.*

*De ipsa Solemnitate instituenda sermo.*

54. Iis quæ ad Mysterium pertinent explicatis, instituti nostri postulat ratio, ut de ipsa Solemnitate verba faciamus. Locus hic esset aptissimus ad differendum de Sacro Adventu, ac de Festivitate Expectationis Partus, de qua in secundam Operis nostri Partem sermonem rejicimus; fuse vero de Adventu Institutione XI. disseruimus; quamobrem de Pervigilio hic, & de ipso Natali die tantummodo disputabimus.

*Quid olim essent Christianorum Pervigilia.*

55. Rudem profecto & omnino sacrarum rerum

Gothorum Regis, notis illustravit. Nec mirum, tantam ab Imperatoribus tributam potestatem parentibus in filiorum nuptias; adhuc enim remanebant rudera illius immoderatæ potestatis patriæ, quæ, auctore Romulo, diu viguerat apud Romanos; cujus ratione *licebat parentibus loris cædere filios, carcere coercere, in agros ad opera rustica vinctos amandare, venundare, denique interficere*: quod totidem verbis refert Dionysius Halicarnasseus *lib.* 2. *pag.* 46. Hinc, teste Lactantio *Instit. lib.* 4. *cap.* 3. filii dicebantur *servire patri*. Quin immo, liberorum conditionem in quibusdam fuisse duriorem conditione servili, observant idem Lactantius & Servius *ad Virgil. Æneid.* XI *vers.* 143. Quamvis porro hæc parentum in filios immoderata jura, quæ certe barbariem sapiebant, cultioribus Romanæ reipublicæ temporibus fuerint valde imminuta; nihilominus tamen Justiniani ætate tantam parentes retinebant in filios potestatem, ut idem Imperator §. 2. *Instit. de patria potestate* affirmaverit: *Nulli alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus*. Quocirca, cum leges Cæsareæ viribus carere voluerint matrimonia a servis contracta, non consentientibus dominis, quorum subsunt dominio; mirum non est, earundem edicto, fuisse robur ademptum conjugiis a filiisfamilias celebratis sine consensu parentum, sub quorum potestate existunt.

III. Utraque civiles leges, tam videlicet, quæ servorum, quam quæ filiorumfamilias solo contrahentium consensu inita matrimonia infringebant, quondam ratas habuit Ecclesia: etenim S. Basilius *epist.* 199. *Canonica* 2. *ad Amphilochium can.* 4. *tom.* 3. *Oper. pag.* 296. ait: *Matrimonia sine iis, qui potestatem habent, fornicationes sunt. Neque ergo, vivente patre, neque hero, qui conveniunt, extra reprehensionem sunt; quemadmodum, si annuant cohabitationi, quos penes hujus rei est arbitrium, tunc firmitatem conjugii accipit cohabitatio.* Et Concilium Aurelianense IV. anni 541. *can.* 22. *tom.* 2. Collectionis Harduini *col.* 1439. *Ut nullus per imperium potestatis filiam competere audeat alienam, ne conjugium, quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas judicetur; sed, sicut est prohibitum, non admittatur. In his, qui perpetraverint, excommunicationis severitas, pro modo piaculi, imponatur*: & *can.* 24. loquens de conjugio servorum, decrevit: *Quæcumque mancipia, sub specie conjugii, ad Ecclesiæ septa confugerint, ut per hoc credant, posse fieri conjugium, minime eis licentia tribuatur, nec talis conjunctio a Clericis defensetur*: & paucis interjectis, complectens tam servorum, quam filiorumfamilias matrimonia clanculum, & propria auctoritate, inita, addit: *De qua re decernimus, ut parentibus, aut propriis dominis, prout ratio poscit personarum, accepta fide excusati, sub separationis promissione, reddantur; postmodum tamen parentibus, atque dominis libertate concessa, si eos voluerint propria voluntate conjungere*. Concilium Cabilonense II. anni 813. *can.* 30. relato a Gratiano *in Can. ult.* 29. *quæst.* 2. postquam dixit: *Nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur*: hanc statim limitationem adjecit: *Ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum*. Ac denique, ut alia prætereamus, quæ ad rem congessit Gonzalez *in Cap. fin. de conjugio servorum, num.* 3. & *seq.* Ahyto Episcopus Basileensis in suo Capitulari seculo IX. edito, apud Harduinum *tom.* 4. *col.* 1244. *can.* 21. edixit: *Ubi vero mancipia, non unius, sed diversæ potestatis juncta fuerint, nisi consentientibus utriusque dominis, hujusmodi copulatio rata non erit*.

IV. Verum postea consultius visum est Ecclesiæ præfatas civiles leges, pluribus seculis a se aut approbatas, aut toleratas, corrigere, & abrogare; statuitque, ut deinceps nuptiarum validitas a solo penderet contrahentium consensu, nequaquam autem a nutu eorum, sub quorum dominio, vel potestate contrahentes existunt: quod generatim sancitum legimus *in Cap. Cum locum, de sponsal. & matrim. in Cap. Licet*, & *in Cap. Tua, de sponsa duorum*; speciatim vero de servis rescripsit Hadrianus Papa ad Archiepiscopum Salisburgensem *in Cap. Dignum, de conjugio servorum: Nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi; & si, contradicentibus dominis, & invitis, contracta fuerint, nulla ratione sunt, propter hoc, Ecclesiastico judicio dissolvenda*: ac tandem de filiisfamilias, post alias sanctiones indicatas a Juenin *cit. diss.* 10. *quæst.* 5. *cap.* 3. *art.* 1. definivit Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* ubi anathemate perculit, *qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse*.

V. Quamobrem non licet hodie easdem civiles leges, jamdiu ab Ecclesia rescissas, excitare, earumque obtentu, firmitatem adimere aut servorum, aut filiorumfamilias connubiis, quibus domini, vel parentes non annuerunt. Quod autem affirmat Boehmerus *Jur. Eccles. Protestantium lib.* 4. *tit.* 9. §. 6. nempe in Pomerania, Westphalia, & Bohemia, ubi adhuc remanent vestigia antiquæ servitutis, & etiam hodie reperiuntur *homines proprii*, hoc est existentes sub dominorum proprietate, illorum connubia non aliter esse valida, quam ex dominorum consensu, aut est accipiendum de servorum conjugiis quoad effectus civiles, aut non est admittendum a Catholicis illis in regionibus degentibus, qui sanctioribus Ecclesiæ legibus reguntur. Intra fines pariter pœnarum civilium concluditur edictum a Christianissimo Rege Henrico III. in Comitiis Blesensibus anni 1579. *art.* 40. promulgatum, atque a Ludovico XIII. anno 1629. renovatum, quo nulla, & invalida declarantur matrimonia a filiisfamilias contracta sine consensu parentum: illud siquidem verbum *invalida, non esse aliter explicandum, quam per solam relationem ad contractum civilem*, ejusdem Ludovici nomine, Clero Gallicano responderunt Regii Commissarii; uti habetur *tom.* 3. *rerum*, & *decretorum Cleri Francici*, testaturque Lovetus, in Parisiensi Senatu Consiliarius, *tit.* 6. *litt. M.* scribens: *Nullitas matrimonii proveniens ex defectu conditionum, quas requirit articulus* 40. *Blesensis Constitutionis, nullatenus attingit ipsum Sacramentum, quod nihilominus in isto matrimonio existit: non agitur de Sacramento matrimonii, aut ejus essentialibus cæremoniis; sed de validitate conventionum matrimonalium, de accessoriis matrimonii, de dotis validitate, & communitate inter virum, & uxorem: quæ conventiones non dependent ex theologicis decisionibus, sed ex edictis in Parlamento verificatis*. Idem ostendit Isaacus Habertus, Episcopus Vabrensis, *in libro de justitia connubialis edicti a Ludovico XIII. conditi*, ubi hæc habet: *Non multum laborandum est de conciliandis Regiis edictis cum Ecclesiæ sententia: nullo siquidem unquam edicto, matrimonia filiorumfamilias invalida, ac nulla esse absque consensu parentum, tutorumque, constitutum est, etsi hic error multis imposuerit. Prohibita quidem sunt; sed, invalida, & nulla esse, haudquaquam definitum. Unde etiam Decessorum suorum vestigiis insistens Rex Christianissimus Ludovicus, ea iterum prohibuit, ac austerius interdixit: invalida tamen, ac nulla esse, contra Tridentinæ Synodi decretum, ac Theologorum unanimem etiam in regno suo sententiam, minime sanxit*. Idem tradit Cabassutius *in theor. & prax. Jur. Canon. lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 6. & 7. ubi Brodeum carpit, quod Regium edictum ad ipsam etiam Sacramenti rationem protraxerit. Idem docet Gerbasius in libro, quem inscripsit *Tractatus pacificus &c. pag.* 504. Idem Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. lib.* 2. *de Sacram. matrim. cap.* 2. *art.* 3. *prop.* 1. Quocirca nescimus, qua ratione

Jue-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Juenin *cit. diſſ.* 10. *cap.* 3. *art.* 2. metuerit ſuum calculum adjicere tot Doctorum Gallicanorum ſententiæ, Regia etiam declaratione firmatæ, & decidere noluerit, an revera in Gallia matrimonia inita a filiisfamilias ſine conſenſu parentum, ſint valida quoad ſubſtantiam, etſi civilibus effectibus deſtitui nemo dubitet. Neque extra inſtitutum vagati ſumus, dum hæc prolixius enarravimus; ſiquidem verebamur, ne Epiſcopi, prædicti Juenin, aliorumque contra communem ſapientiorum Galliæ Doctorum ſenſum idem ſcriptitantium, auctoritate decepti, non audeant in ſuis Synodis declarare, matrimonia a filiisfamilias, invitis, ac inſciis parentibus, contracta, etſi illicita, valida tamen eſſe, ac proinde integrum non eſſe contrahentibus, quamdiu eorum alter ſuperſtes eſt, alias nuptias inire: quam profecto Synodalem declarationem, ad contulendum animarum ſaluti, non ſolum utilem, ſed maxime neceſſariam reputamus.

## CAPUT DUODECIMUM.

*Exempla alia legum civilium a Jure Canonico correctarum: ubi præcipue de Adulteriis, & Concubinatu.*

JUxta leges civiles, conjugatus cognoſcens ſolutam, adulterii judicio non tenetur, *l.* 9. §. 1. *ff. de adulteriis*, & *l.* 2. *Cod. eod. tit.* quamvis adulterii crimine damnetur conjugata ſolutum admittens. Aliud ſtatutum eſt a Jure Canonico, quod tam virum, quam uxorem, eadem lege teneri voluit, quia utrobique idem ligat fidei conjugalis vinculum: quare Ambroſius *lib.* 1. *de Abraham*, relatus *in Can. Nemo*, 32. *quæſt.* 4. ait: *Nemo blandiatur ſibi de legibus hominum. Omne ſtuprum adulterium eſt, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab uxore, debetur caſtimonia. Quidquid in ea, quæ non ſit legitima uxor, commiſſum fuerit, adulterii crimine damnatur*: ubi Gloſſa *verb. de legibus*, notat: *Quæ dicunt, quod adulterium non committitur cum ſoluta, ſed cum nupta.* Acrius eas Romanorum leges reprehendit Hieronymus *in epiſt. ad Oceanum de morte Fabiolæ*, cujus fragmentum refert Gratianus *in Can.* 20. *eadem cauſ.* 32. *quæſt.* 5. ait quippe Hieronymus *tom.* 1. *Oper. col.* 455. *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti. Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur, & ſolo ſtupro, atque adulterio condemnato, paſſim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet feminis, æque non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.* Ad eandem inter leges Cæſareas, & Eccleſiaſticas, hac in re diſcrepantiam alluſit Auguſtinus *lib.* 2. *de adulterinis conjugiis cap.* 8. *num.* 7. *tom.* 6. *Oper. col.* 407. ubi quoſdam inducit adulteros, ita ſecum invicem loquentes: *An vero ſexus noſtri dignitas hanc ſuſtinebit injuriam, ut cum aliis feminis, præter uxores noſtras, ſi quid admittimus, in luendis pœnis, mulieribus comparemur?* Eoſque in hunc modum conqueri, addit Auguſtinus, conſiſos juribus forenſibus, diſcrimen ponentibus inter viri, & uxoris conditionem: *Sed iſti* (ait), *quibus diſplicet, ut inter virum & uxorem par pudicitiæ forma ſervetur, & patius eligunt, maximeque in hac cauſa, mundi legibus ſubditi eſſe, quam Chriſti; quoniam jura forenſia non eiſdem, quibus feminas, pudicitiæ nexibus viros videntur obſtringere &c.* Abrogatis autem prædictis legibus civilibus, nimium indulgentibus virorum impudicitiæ, conſequens fuit, ut eadem actio ad divortium daretur uxori contra virum adulterum, quæ huic competit adverſus adulteram uxorem; quemadmodum perpendit Hieronymus *cit. epiſt. ad Oceanum* relatus *in Can. Præcepit*, 32. *quæſt.* 5. *Præcepit Dominus, uxorem non debere dimitti, excepta cauſa fornicationis, & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, hoc conſequenter redundat in feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus*: cui conſonant Auguſtinus relatus *in Can. Idololatria*, 28. *quæſt.* 1. & Innocentius I. *Epiſt.* 3. *ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum cap.* 4. relatus pariter *cit. cauſa* 32. *quæſt.* 5. *Can. fin.* rationem inſuper expendit, propter quam rarius contingit, maritum adulterum ab uxore dimitti: *Et illud deſideratum eſt ſciri* (ſcribit Innocentius), *cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in conſortio adulterorum virorum manere videantur? Super hoc Chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt; & ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur.... Cum ergo par cauſa ſit, interdum, probatione ceſſante, vindictæ ratio conquieſcit.*

II. A legibus civilibus permiſſum eſſe concubinatum cum una, uxoris loco, domi retenta, aſſerit Cujacius: quod ſi verum ſit, nemini dubium eſt, eas leges, utpote juri naturali, & Divino contrarias, eſſe ab Eccleſia reprobatas, præſertim a Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *de reform. matrim.* ubi concubinarios tam ſolutos, quam uxoratos, ſi ter ab Ordinario moniti, *concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe*, decrevit. Diximus, ſi verum ſit, quod ſibi perſuaſit Cujacius; alii enim æque docti, ac eruditi Juris Civilis Interpretes, præſertim Merillus *Obſervat. lib.* 3. *cap.* 15. allucinatum exiſtimant Cujacium, qui concubinam confudit cum pellice: concubina quippe a legibus civilibus permiſſa, erat vera uxor, ducta tamen ſine dote, & nuptiali ſolemnitate; uti colligitur *ex l.* 144. *ff. de verb. ſignif. l. Donationes*, 32. *ff. de donationibus*, & Juſtiniani *Novella* 18. a legitima vero uxore differebat, ſola dignitate, quia ſcilicet concubina, etſi & ipſa uxor eſſet, non tranſibat in familiam mariti, neque illius participabat jura, privilegia, & honores, quorum conſors fiebat uxor legitima; quod conſtat *ex cit. l. Donationes*, & pluribus exornant Merillus *cit. loc.* Antonius Auguſtinus *de emendatione Gratiani lib.* 1. *dialog.* 15. & du Cangius *in Gloſſario verb. Dos*. In hoc eodem ſenſu ſanctiſſimos antiqui Teſtamenti Patriarchas, quibus permiſſa erat polygamia, præter uxores, habuiſſe legimus concubinas, hoc eſt aliud uxorum genus, quæ unice ad procreandos liberos, non ad familiam regendam, reſque familiares adminiſtrandas, eſſent admiſſæ: etenim Cetura *in Cap.* 25. *Geneſis*, dicitur Abrahæ concubina, & uxor; & Agar, quæ ibidem appellatur pariter ejuſdem concubina, *in cap.* 16. vocata fuerat vera uxor: quod bene animadvertit Bellarminus *de Concilior. auctorit. lib.* 2. *cap.* 8. *propoſit.* 11.

III. De ejuſmodi concubinis, & non de pellicibus, loquuntur antiqui canones, concubinas ad Baptiſmum, & concubinarios ad Communionem admittentes. *Concubina cujuſpiam infidelis mancipii* (ait Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, loquens de Baptiſmo, *lib.* 8. *cap.* 32.), *illi ſoli dedita, admittatur; ſi autem etiam cum aliis petulanter agit, rejiciatur.* Et Patres Concilii Toletani I. habiti anno 400. *cap.* 17. relato a Gratiano *in Can. Is qui, diſt.* 34. *Si quis habens uxorem fidelem, concubinam habeat, non communicet. Caterum is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a Communione non repellatur; tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ* (*ut ei placuerit*) *ſit conjunctione contentus: alias vivens abjiciatur, donec deſinat, & ad pœnitentiam revertatur.* Ac denique Iſidorus relatus *in Can.* 5. *ead. diſt.* 34. *Chriſtiano non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi*

*nisi unam tantum aut uxorem, aut certe, loco uxoris (si conjux deest), concubinam.* Omnes, inquam, ejusmodi Canones non loquuntur de pellice, sed de uxore, non adhibitis dotalium tabularum solemnitatibus ducta, quam, vocabulo a Cæsareis legibus usurpato, & communiter tunc usitato, nominarunt *concubinam.* Ita canonem Toletanum interpretatur Gratianus *cit. dist.* 34. ubi ait: *Concubina hic ea intelligitur, quæ, cessantibus legalibus instrumentis, unita est, & conjugali affectu adsciscitur. Hanc conjugem facit affectus: concubinam vero lex nominat.* Gratiani vero interpretationem amplectuntur, & illustrant Correctores Romani *in eod. cit. Can. Is qui*, Antonius Augustinus, & Bellarminus *cit. loc.* Hurtadus *Resolut. moral. tom. 1. tract. 1. de Absolutione Sacramentali cap. 6. per totum*, Binius *in notis ad eundem canonem 17. Toletanum, tom. 2.* Conciliorum Hispaniæ collectorum a Cardinali de Aguirre *pag. 148. num. 22.* Natalis Alexander *dissert. 29. ad sec. 1.* Atque in eundem sensum tam canonem Toletanum, quam locum ex Apostolicis Constitutionibus allegatum, accipiendum asserit etiam hæreticus Binghamus *Origin. Ecclesiast. tom. 4. lib. 11. cap. 5. §. 11. & tom. 7. lib. 16. cap. 11. §. 5.*

IV. Quod si quis Patres Toletanos loquutos velit de vera pellice, hoc est muliere, nullo conjugali fœdere, viro juncta, sed unice ad explendam libidinem ab eodem domi retenta, tunc dicendum esset, eos nomine *Communionis*, quam concubinariis non censuerunt denegandam, non intellexisse *Communionem Eucharisticam*, sed solam *communionem civilem*, a qua, depravatis ejus seculi moribus, quantum fas erat, indulgentes, illos non judicarunt repellendos; uti, post Ferdinandum Mendoza, eundem canonem explicat Cardinalis de Aguirre *cit. loc. num. 23. & seq.* Ecquis etenim credat, novendecim sapientissimos Patres, qui Toletano Concilio interfuerunt, potuisse permittere, ut Divinæ mensæ participes fierent fornicarii, non solum nulla peracta pœnitentia, verum etiam in suo crimine insordescentes, quos Apostolus Paulus 1. *ad Corinthios 5.* e regno cælorum exclusit, & *ad Ephesios 5. non habere hæreditatem in regno Christi, & Dei*, prædicavit?

V. In sensu a nuper expositio diverso, *concubinæ* nomen accepit S. Leo Magnus in responsione ad inquisitiones Rustici Narbonensis, relata *in Can. 12. 32. quæst. 2.* ubi postquam dixerat: *Non omnis mulier juncta viro uxor est viri, quia nec omnis filius est hæres patris:* addit: *Igitur cujuslibet loci Clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi conjugato eam dederit, nisi forte illa mulier & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptiis honestata videatur.* Loquitur nimirum Pontifex de concubina, quam vir sibi devinxerat non solum sine nuptialibus tabulis, sed nexu solubili, seu quam ad individuam quidem vitæ sibi asciverat societatem, sed ad sui arbitrium duraturam. Ejusmodi concubinarum genus, quas alio nomine *ancillas* etiam appellabant, quæque nulla ratione esse poterant veræ uxores, a Paganis inventum, pedetentim fluxisse in Christianos, constat *ex l. 1. Cod. Theod. tit. de naturalibus liberis*, ubi durior fit conditio naturalium liberorum, ut metu pœnæ hominum animi avocarentur a concubinatu *gentili, & admodum solubili*, more Romano inito. Ea nihilominus lex, ab Imperatoribus lata, non valuit eundem detestandum abusum e Christiana republica eliminare: insequenti quippe ætate adhuc plures inventi sunt, qui licere putaverint, unam feminam sibi jungere, quam possent pro libito a se abjicere; quod discimus ex Marculfo *formul. lib. 2. cap. 30.* & ex Mabillonio *tom. 4. Analect.* Jam vero has concubinas, quæ vere erant pellices, respexit Leo, cum Clericis permisit, filias suas nuptui tradere viris habentibus concubinas; cum his quippe, ad tempus duntaxat acceptis, haud consistere potuerat insolubile vinculum matrimonii. Hanc sibi mentem esse, aperte significavit idem Pontifex, inquiens: *Aliud est uxor, aliud concubina:* & paulo inferius: *Ancillam a toro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis.* In eadem temporarias concubinas pluribus in locis invehitur Augustinus, & præcipue *de bono conjugali cap. 14.* relato *in Can. 5. 32. quæst. 2. Concubinæ ad tempus adhibitæ, nec etiamsi causa filiorum concumbant, justum faciunt concubinatum.* De illis pariter expresse loquitur Ecgbertus Archiepiscopus Eboracensis in suis excerptionibus ex sacris canonibus, sanctorumque Patrum dictis, concinnatis, *cap. 127. tom. 1. Collection. Concil. Britann. pag. 109.* ubi hæc habet: *Augustinus dicit: Quale est, quod multi virorum, ante nuptias, concubinas sibi adhibere non erubescunt, quas post annos dimittant, & sic postea legitimas uxores accipiant? Unde coram Domino, & coram Angelis ejus testor, atque denuntio, Deum ista conjugia semper prohibuisse, & nunquam placuisse: & præcipue temporibus Christianis concubinas habere nunquam licuit, nunquam licet, nunquam licebit.*

VI. Infiniti essemus, si ceteras percurrere vellemus leges a Jure Canonico deletas. Duas alias tantum indicabimus. De Jure Civili vidua nubens intra annum luctus, & multis fit obnoxia pœnis, de quibus Cironius *ad tit. Decretalium de secundis nuptiis*: & inter ceteras notatur infamia *l. Liberorum, 81. ff. de his qui notantur infamia*; iisdemque viduis, intra annum nubere, vetitum etiam legimus a Concilio Ænhamensi, habito circa annum 1009. *in cujus can. 16.* præcipitur: *Et sit quælibet vidua, quæ se ipsam recte continuerit, sub præsidio Dei, & Regis, & sedeat 12. menses marito orba; deinde eligat, quem ipsa voluerit: tom. 1. Concilior. Britanniæ pag. 289.* Verum ejusmodi leges abrogarunt Urbanus III. *in Cap. 4.* & Innocentius III. *in Cap. 5. de secundis nuptiis*, quorum postremus ait: *Cum, secundum Apostolum, mulier, mortuo viro suo, ab ejus sit lege soluta, & nubendi cui vult, tantum in Domino, liberam habeat facultatem; non debet legalis infamiæ sustinere jacturam, quæ, licet post viri obitum infra tempus luctus (scilicet unius anni spatium) nubat, concessa sibi tamen ab Apostolo utitur potestate.*

VII. Juxta antiquiores leges, jus erat marito occidendi uxorem in adulterio deprehensam: quod videre est apud Covarr. *in 4. Decretal. part. 2. cap. 7. §. 7. num. 1.* Posteriori vero jure Digestorum, & Codicis Justinianei, facultas quoque data est marito occidendi adulterum turpiter cum uxore agentem, in propria domo deprehensum; uti liquet *ex l. Marito, ff. ad leg. Juliam de adulteriis*, & *ex l. Gracchus C. eod. tit.* Patri quoque facta est potestas interficiendi filiam, in sua potestate existentem, in sua domo, vel in domo generi in adulterio deprehensam, dummodo tamen una cum ipsa adulterum quoque occidat, *l. Quod ait, l. Nihil interest, l. Nec in, l. Patri, & tribus seq. ff. ad legem Juliam de adulteriis.* At omnes ejusmodi leges, utpote quæ impunitatem dabant delinquentibus adversus quintum Decalogi præceptum, quo cuilibet interdicitur, ne quemquam privata auctoritate interficiat, sunt a Jure Canonico rescissæ, uti habetur *in Can. Inter hæc, 33. quæst. 2.* Quare ab Alexandro VII. die 7. Septembris 1665. Apostolicæ damnationis telo confixa fuit etiam hæc propositio, in ordine 19. *Non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Quin immo adeo Jus Canonicum abhorret ab occisione uxoris, etiam

in

in adulterio repertæ, ut virum, id scelus perpetrantem, non solvat ab impedimento, quo *in Can. Interfectores*, & *in Can. Admonere*, 33. *quæst.* 2. ceteros ligavit propriæ uxoris interfectores, ne deinceps possint cum alia matrimonium contrahere; uti perpendit Perez *de Matrim. disp.* 23. *sect.* 6. *num.* 2. quod tamen impedimentum esse tantum impediens, & non dirimens, docet cum communi S. Thomas *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 2. Ad aliquid vero indulgendum humanæ imbecillitati, & subitæ iræ, qua homines exardescunt, cum suo, suæque familiæ honori illatam injuriam propriis oculis conspiciunt, statuit Alexander III. *in Cap. Si vero de sent. excomm.* ut excommunicationi Papæ reservatæ non subjaceat, *qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum, manus injecerit violentas*.

VIII. Quas hucusque enumeravimus, aliasque similes leges, a Jure Canonico correctas, frustra Episcopus in sua Synodo commemoraret, nisi forte ab illis aliquod argumentum desumere vellet ad magis roborandas suas Synodales sanctiones. Sic, si in Synodo agendum foret de adulteriis, posset hujus criminis gravitas vel inde colligi, & ponderanda proponi, quod leges civiles interdum permiserint occisionem adulteri in flagitio deprehensi. Ita pariter ad compescendam effrenatam licentiam filiorumfamilias nuptias contrahere præsumentium, insciis, aut juste, ac rationabiliter renuentibus parentibus, merito decerneretur, ejusmodi connubia non solum esse a naturali, & Divina lege graviter prohibita, sed & insuper legibus civilibus adeo exosa, ut, si illis standum foret, validitate carerent. Is denique servandus est modus, quem tradit sanctissimus Nicolaus Pontifex in epistola ad Concilium in Diœcesi Silvanectensi congregatum, relata *in Can. Lege Imperatorum, dist.* 10. ubi sic legitur: *Lege Imperatorum non in omnibus Ecclesiasticis controversiis utendum est, præsertim cum inveniantur Evangelicæ, ac Canonicæ sanctioni aliquoties obviare*. Deinde vero, nonnullis adductis exemplis, & Prædecessorum testimoniis, quibus id comprobatur, ita concludit: *Non quod Imperatorum leges (quibus sæpe Ecclesia utitur contra hæreticos, sæpe contra Tyrannos, atque contra pravos quosque defenditur) dicamus penitus renuendas, sed quod eas Evangelicis, Apostolicis atque Canonicis decretis (quibus postponendæ sunt) nullum posse inferre præjudicium asseramus*. Sed de legum civilium usu plura inferius, ubi de legibus a Jure Canonico silentio præteritis.

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

*Gravis dubitatio olim exorta, an quædam Lex Civilis esset a Jure Canonico recepta, an potius abrogata; atque ideo an valide contrahi possit matrimonium inter Vitricum, & Uxorem Privigni.*

CUM sacræ Congregationis Concilii Secretarii munere fungebamur, acriter in ea disputatum fuit, an textus Juris Civilis *in l. Uxorem. ff. de ritu nuptiarum*, esset correctus, & abrogatus a Jure Canonico *in Cap. Non debet, de consanguinit. & affinit.* Disputationi autem causam dedit quædam Synodalis Constitutio, cujus firmitas a prædictæ legis civilis pendebat firmitate. Quidam Episcopus in suis Constitutionibus Synodalibus explicans impedimenta matrimonium dirimentia, & speciatim impedimentum affinitatis provenientis ex copula licita, dixit, matrimonium valide contrahi non posse inter vitricum, & uxorem privigni, juxta citatum textum Juris Civilis *in l. Uxorem*, 15. *ff. de rit. nuptiar.* ubi Papinianus ait: *Uxorem quondam privigni conjungi matrimonio vitrici non oportet; nec in matrimonium convenire novercam ejus qui privignæ maritus fuit*: cui quidem textui minime derogatum addebat ab Innocentio III. *in cit. Cap. Non debet, de consanguinit. & affinit.* quoniam, ut ipse ajebat, Innocentius duntaxat revocavit, & abolevit impedimentum secundi, & tertii generis affinitatis in linea collateralium; non autem in linea ascendentium, & descendentium: sicuti utrumque textum, Canonicum scilicet, & Civilem perpendentes, docuerunt Oinotomus *ad lib.* 1. *Instit. tit. de nupt. n.* 14. Arnoldus Vinnius *ad eund. tit. n.* 2. Joannes Schneideunitus *in comment. ad Instit. Civil. lib.* 1. *de nupt. tit.* 10. *pag.* 50. Bruneman *in Comment. ad Pandectas ad cit. leg. Uxorem*, 15. *ff. de tit. nuptiar.* quorum Auctorum judicium non ideo parvi faciendum est, quod ii sint heterodoxi, quoniam & ipsi, quoad matrimonii impedimenta, Jus Canonicum sectantur: quare citatus Schneideunitus affirmat, hanc unicam ob causam matrimonium inter vitricum, & uxorem privigni, ab eorum consistoriis irritum pronunciari: *Quia* (ait) *in hoc casu Jus Civile expresse non reperitur correctum a Jure Canonico*. Idemque in tribunalibus Galliæ sæpius judicatum, refert Antonius Mornaccius *in Observat. ad* 24. *primos libros Digestorum lib.* 23. *ad leg.* 42. *de rit. nuptiar. pag.* 862. Et dato etiam, pergebat Episcopus, quod in casu matrimonio non obstet impedimentum affinitatis, obstabit saltem impedimentum publicæ honestatis; quod consideravit Modestinus Jurisconsultus, cum *in leg. Non facile*, 4. *ff. de gradibus, & affinibus* ait: *Hos itaque inter se, quod, affinitatis causa parentum loco, liberorumque habentur, matrimonio copulari nefas est*. Et profecto matrimonium, de quo est sermo, ob maximam, quam redolet, inhonestatem, a Jure Civili improbatum censuit Faber *in sua Jurisprudentia Papiniana tit.* 10. *de nuptiis prine.* 6. *illat.* 12. inquiens: *Inhonestum autem palam est, eam, quæ aliquando uxor fuerit illius, qui mihi aut filii, aut parentis loco fuerit, uxorem a me duci*. Cui adstipulatur Carpzovius *lib.* 2. *Jurisprud. consist. tit.* 17. *de dispensat. matrim. in gradu prohibito definit.* 119. *pag.* 182. ubi ait: *Privignus a vitrici, & hic rursus a privigni vidua abstinere debet, non solum ob rationem honestatis, quæ in matrimonium multum attenditur, sed etiam propter expressam Juris Civilis dispositionem*.

II. Nihilominus tamen, hujus quæstionis articulo in sacra Congregatione Concilii mature discusso, expensisque rationum momentis, a nobis, qui (ut diximus) ejusdem a Secretis eramus, in utramque partem adductis, quæ legi possunt *in Thesaur. Resolut. tom.* 2. *pag.* 26. eadem sacra Congregatio die 8. Martii 1721. validum pronunciavit Matrimonium inter vitricum, & uxorem privigni contractum. Neque enim ulla habenda fuit ratio prædictarum Constitutionum Synodalium, utpote quæ unice innitebantur Juris Civilis sanctionibus jamdiu correctis, atque abrogatis ab Innocentio III. *in cit. Cap. Non debet, de consanguin. & affinit.* Ad cujus textus expositionem præmittendum est, triplex olim fuisse affinitatis genus, juxta *Can.* 3. *& Can. fin.* 35. *quæst.* 3. & *Cap.* 1. *de sobole ex secundis nuptiis suscepta*, in prima Collectione Decretalium: primum una duntaxat media persona: alterum duabus: tertium tribus personis mediis contrahebatur: quæ omnia exemplis melius, quam ulla alia ratione, explicantur. Si Titius, frater Caji, matrimonium iniisset, & consummasset cum Berta, hæc Caji affinis erat, sicuti nunc est in primo genere affinitatis: si mortuo Titio, Berta matrimonio jungebatur cum Sempronio, Sempronius alter Bertæ maritus, & Cajum, & omnes defuncti Titii consanguineos, secundo affinitatis genere contingebat: si demum, mortua Berta, Sempronius aliud conjugium celebrasset cum Nævia, etiam cum hac & Cajus, & omnes consanguinei Titii, tertio affinitatis genere conjungebantur.

Ex his porro affinitatis ſpeciebus quælibet matrimonio valide contrahendo obſtabat: quod *ex cit. Can. 3. & final.* liquet, & explicant Petrus Bleſenſis *epiſt.* 115. ac fuſe Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſput. 67.* ac Baſilius Pontius *lib. 7. cap. 34.* ſed Innocentius III. *in laudato Cap. Non debet*, ſecundam, & tertiam affinitatis ſpeciem abolevit, & abrogavit; ſtatuitque, ut deinceps ſola affinitas primi generis, uſque ad quartum gradum, matrimonium impediret, & dirimeret. Adeo autem indefinite Innocentius loquitur, ut gratis omnino, atque arbitrario quis ſibi fingere valeat, per præfatam Decretalem abrogatas, & deletas non eſſe ſecundam, & tertiam ſpeciem affinitatis in linea recta aſcendentium, & deſcendentium; quemadmodum *ad tit. de conſanguinit. & affinit.* optime ponderarunt Zeoſius *num. 9.* Engel. *num. 6.* Konig *num. 22.* Schmalzgrueber *num. 77.* & Auctor *Theolog. dogmat. & moral. ad uſum Seminarii Catalaunenſis tom. 7. pag. 853.* unde ab omnibus Canoniſtis, inſtar regulæ nullam habentis limitationem, uſurpatur commune illud effatum: *Affinitas non parit affinitatem.*

III. Jam vero, cum vitricus, & uxor privigni, ſecundo duntaxat, & non primo affinitatis genere, inter ſe conjungantur, neceſſario inde conſequitur, nullo nunc detineri canonico impedimento, quo minus poſſint validum matrimonium inter ſe contrahere; ſicuti egregie raciocinatur Cujacius *ad tit. 14. de conſanguinit. & affinit. Oper. poſthumor. tom. 3. edit. Pariſ. anni* 1658. *pag. 366.* inquiens: *At hodie ex Cap. penultimo ſive Concilio Lateranenſi, habito ſub Innocentio III. in ſecundo genere affinitatis nuptiæ vetitæ non ſunt, & abrogata eſt lex 15. ff. de rit. nuptiar. & in Comment. ad eandem legem Uxorem, 15. tom. 1. Oper. pag. 153.* ubi ait: *At hæc Papiniani ſententia hodie abrogata eſt decreto Innocentii in Cap. Non debet, extr. de conſanguinit. & affinit. quo in primo tantum genere affinitatis nuptiæ prohibentur, non in ſecundo, vel tertio, & perſonæ, de quibus in hac lege agitur, ſunt in ſecundo genere affinitatis, non in primo.*

IV. Remoto impedimento affinitatis, illico corruit aliud, quod ex publica honeſtate oriri fingitur: etenim impedimentum publicæ honeſtatis unice emergit aut ex ſponſalibus validis juxta textus *in Cap. 1. de ſponſal. & matrim. in 6. cap. 3. ſeſſ. 24.* Concilii Tridentini *de reform. matrim.* aut ex matrimonio duntaxat rato, ad normam Conſtitutionis S. Pii V. incipien. *Ad Romanum:* matrimonium autem conſummatum aut veram producit affinitatem, aut certe aliud impedimentum non parit. Præterea publicæ honeſtatis impedimentum, ex matrimonio rato ortum, ſolum contrahitur inter maritum, & conſanguineos uxoris ac viciſſim inter uxorem, & conſanguineos mariti; non autem inter maritum, & affines uxoris, neque inter uxorem, & affines mariti: vitricus vero non eſt conſanguineus, ſed affinis ſui privigni, ac proinde neque affinitate, neque publica honeſtate impeditur, ne matrimonium contrahere valeat cum ejuſdem ſui privigni uxore. Itaque concludendum eſt, male fuiſſe in præfatis Conſtitutionibus Synodalibus allegatas leges civiles, quæ ex Jure Canonico jamdiu fuerant expreſſe abrogatæ. In Synodo Limana decretum eſt, ut Indi Peruani, qui matrimonium contraxerunt cum noverca, vel nuru, non admittantur ad Baptiſmum, niſi prius conjugium præfatum velut jure naturæ irritum ſolvant, uti refert Acoſt. *de procuranda Indorum ſalute tit. 16. cap. 21.* Synodus hæc certum ponit, affinitatem, quæ ex matrimonio cauſatur, jure naturæ dirimere matrimonium in primo gradu lineæ rectæ: id autem certum non eſt, cum probatiſſimi Auctores doceant, nullam affinitatem, ne eam quidem, quæ eſt in primo gradu lineæ rectæ, dirimere matrimonium jure naturæ, ſed jure tantum Eccleſiaſtico, & conſequenter ſuper eo impedimento, graviſſimis urgentibus cauſis, poſſe a ſummo Pontifice diſpenſari: Sylvius *Oper. tom. 5. in verb. Diſpenſatio tertio.* At, quidquid ſit de poteſtate, a ſimili diſpenſatione Romani Pontifices, etſi plures rogati, abſtinuerunt. Legi poteſt Rigantius *cit. tom. 4. ad regul. 49. Cancellariæ a num. 18. & ſeq.* ubi etiam mentionem facit noſtri conſilii reverenter exhibiti, dum in minoribus eſſemus, Benedicto XIII. noſtro Benefactori, ut a ſimili diſpenſatione, pro qua rogabatur, abſtineret, prout abſtinuit.

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

*De legibus Civilibus a Jure Canonico neque correctis, neque expreſſe approbatis, & proinde aliquando opportune in Synodo memorandis.*

ALiquid nunc dicendum remanet de legibus ſecularibus, a Jure Canonico ſilentio prætermiſſis. Ejuſmodi leges, ſi rem ſpectent mere profanam, neque ulla ex parte ſacris canonibus adverſentur, tacite approbatæ videntur *in Cap. 1. de novi oper. nuntiat.* in quo legitur: *Sicut leges non dedignantur ſacros canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta canonum Principum conſtitutionibus adjuvantur:* atque iterum *in Cap. Super ſpecula, de privil.* ubi habetur: *Sancta Eccleſia legum ſecularium non reſpuit famulatum, quæ æquitatis, & juſtitiæ veſtigia imitantur:* ac demum *in Cap. unic. de tranſactionibus*, in Collectione quinta Decretalium, ubi Honorius III. a Joanne Cardinali Columna, ſuo per Orientem Legato, de variis quæſtionibus conſultus, ita reſpondet: *Cum Jura canonica, & Civilia edita ſint ſuper omnibus fere articulis prænotatis, procedas in his ſecundum canonicas, & legitimas ſanctiones.* Unde fit, ut Judex Eccleſiaſticus, ſententiam prolaturus de quæſtione ſuper re mere temporali, de qua nihil a Jure Canonico reperiatur deciſum, non ſolum poſſit, ſed debeat Juri Civili ſe conformare: quod *in Cit. Cap. 1. de nov. oper. nuntiat.* tradunt Abbas antiquus *num. 2.* Joannes Andreas *num. 5.* & cum communi proſequuntur Menoch. *de Arbitrar. lib. 2. caſ. 185. num. 12.* & Fagnanus *in Cap. Cum eſſes, de teſtament. num. 18.* Hinc Gregorius Magnus in ſuis ex regeſto decretis ſæpenumero præcipit, ut ſecundum *leges, & canones, Eccleſiaſtica judicia terminentur*; & Gelaſius Papa *epiſt. 4.* ad Anaſtaſium Imperatorem, *tom. 2.* Collectionis Harduini *col. 893.* ſcripſit: *Quantum ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ, cognoſcentes, Imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſi quoque parent religionis Antiſtites, ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obviare ſententiæ.* Hinc pariter Hincmarus, Archiepiſcopus Remenſis, in ſchedula, ſeu libello expoſtulationis adverſus Hincmarum, Epiſcopum Laudunenſem, quem obtulit Synodo Duziacenſi I. ſæpius, ſed præcipue *cap. 23.* ad leges civiles provocavit, *tom. 5.* Collectionis Harduini *col. 1257.* Quamobrem, ſi Epiſcopus in ſua Synodo cauſam pertractaret, de qua in ſacris Eccleſiæ canonibus nihil inveniret ſtatutum, & poſſet, & deberet leges civiles allegare, eiſque adhærere.

II. Plures etiam leges civiles Eccleſiaſticis conſtitutionibus robur, & firmitatem adjiciunt; puta, quia in illatum contemptores, & refractarios ſeveris pœnis animadvertunt: & eæ pariter, utpote foventes Eccleſiaſticam diſciplinam, perutiliter allegantur. Ita Leo Magnus *epiſt.* olim 93. nunc 15. ad Turribium Aſturicenſem Epiſcopum adducit, & ſummopere commendat leges a Principibus latas contra hæreticos Priſcillianiſtas, inquiens: *Etiam Mundi Principes ita hanc ſacrilegam amentiam deteſtati ſunt, ut, auctorem ejus cum pleriſque diſcipulis, legum publicarum enſe proſterne-*

*sternerent ..... Profuit diu ista districtio Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi Sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum constitutionibus adjuvatur: dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.* Ob eandem rationem, quod nimirum sint Ecclesiæ favorabiles, sine ulla difficultate in medium proferri possunt leges civiles, concedentes privilegia, atque exemptiones Ecclesiis, earumque Administris: ex. gr. *Auth. Item nulla, Cod. de sacrosanctis Ecclesiis*, ubi Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ ab exactionibus, & oneribus, per seculares Magistratus imponendis, liberantur: *Auth. Ingressi, Cod. eod.* ubi bona ingredientium Religionem, si intestati decedant, monasteriis addicuntur: & *Auth. Quas actiones, Cod. eod.* ubi Imperator tempus quadraginta annorum exposcit, ut quis usucapiat res immobiles ad inferiores Ecclesias pertinentes, ac Romanæ Ecclesiæ, tanquam omnium præstantissimæ, ac ceterarum Capiti, privilegium indulget, ne adversus ejusdem bona, vel jura præscribi valeat, nisi centum annorum spatio. Eo autem liberius potest prædicta lex civilis allegari, quia utrumque privilegium est in sacros canones insertum: privilegium etenim inferiorum Ecclesiarum legitur *in Cap. Illud, in Cap. Quia indicante, de præscriptionibus*, & *in Cap. Accedentibus, de privilegiis:* & de privilegio Ecclesiæ Romanæ mentio fit *in Can. penult. & ult. 16. quæst. 3. in Cap. Cum dilecta, de confirmatione utili, vel inutili, in Cap. Cum vobis, in Cap. Ad Audientiam, in Cap. Si diligenti, de præscriptionibus*, & *in Cap. Si qui, de præscriptionibus in 6.* In Annalibus tamen Venerabilis Cardinalis Baronii ad annum Christi 590. *num.* 28. legitur de S. Gregorio Magno, quod, cum misisset Petrum Subdiaconum in Siciliam, qui, præter alia sibi injuncta, Patrimonium Ecclesiæ Romanæ in ea Insula consistens provida cura administraret; *ad eundem Petrum paulo post litteras dedit, cum ipse vendicare vellet Romanæ Ecclesiæ fundum quemdam, præcipiens, ut, si quadraginta annis absque intermissione possessio illius continuata esset, nulla fieret possessori molestia, nolens uti privilegio a Justiniano Ecclesiæ Romanæ concesso centum annorum, ne exordia Pontificatus sui aliorum lacrymis auspicaretur.* Litteræ deputationis prædicti Petri Subdiaconi leguntur inter epistolas S. Gregorii Magni *lib. 1. epist. 1. ad universos Episcopos Siciliæ.* Quæ autem ad ipsum Petrum conscripta memorat Cardinalis Baronius, videri possunt *in epist. 9. cit. lib. 1.*

III. Fas etiam erit Episcopo, aliquid, ad normam ceteroquin sacrorum Canonum, constituenti, innuere, atque in exemplum afferre leges civiles quid simile decernentes. Ita se Innocentius III. *in Cap. Vergentis, de hæreticis*, ubi bona hæreticorum confiscanda edicens, eaquæ in terris Imperii fisco seculari, in terris Ecclesiæ fisco Ecclesiæ addicenda, exemplo utitur legum secularium, eadem pœna afficientium reos læsæ majestatis. Idemque exemplum legum secularium, in aliis etiam delictis, delinquentium bona fisco addicentium, adhibuit Bonifacius VIII. *in Cap. Cum. secundum leges, de hæreticis in 6.* ut inde pariter conficeret, potiori jure confiscanda esse bona hæreticorum. Idem insuper Pontifex *in Extravag. 1. de electione, inter communes*, prohibens, quemquam in Episcopum recipi, qui antea non exhibuerit Apostolicas litteras, testantes, sibi talis Ecclesiæ regimen fuisse commissum, utitur exemplo legum secularium, id ipsum ab iis fieri præcipientium, qui ad aliquam provinciam gubernandam se a Principe missos asserunt. Denique idem Bonifacius VIII. *in Cap. Si judex, de sentent. excomm. in 6.* ad confirmandum quod ibidem decernit, nimirum reum a Curia seculari deprehensum in habitu, & Tonsura clericali, reputandum esse Clericum, *donec constet de contrario*, ac proinde veluti talem Curiæ Ecclesiasticæ tradendum, utitur auctoritate legum civilium, idem in re simili decernentium: *Sicut de illo, qui in possessione ingenuitatis existit, si dicatur ab alio libertinus, legalis sanxit auctoritas, ut probandi necessitate, non ipse, sed adversarius adstringatur:* atque, ut magis adhuc insinuet, unumquemque talem præsumi, qualis ex habitu esse dignoscitur, aliud adducit exemplum, a legibus pariter civilibus petitum: *Justum est enim, ut ipse talis, quem gestat, ex habitu (quousque appareat aliud) præsumatur, qualis is esse, cujus fert habitum, comprobatur. Ex stigmate namque consueto fabricensibus imprimi, latitans fabricensis agnoscitur. Et custodes aquarum (quos hydrophilacas nominant) quæ eis infigi solet, annotatione signati, manifesti sunt omnibus, & angariarum nomine non tenentur.* Fabricenses quippe, hoc est homines deputati ad arma cudenda in publicis fabricis, notabantur stigmate in brachiis, ut, si ab opere se subducerent, qui erant perpetuo alligati, ex eo dignosci possent, nullique liceret fugientes receptare: quod habetur *in lib. Stigmata, Cod. de Fabricensibus lib. 11.* Similiter hydrophilacæ, seu aquarii, homines scilicet, quibus commissa erat custodia publicorum aquæductuum, signandi erant Imperatorio stigmate in singulis manibus, *l. Decernimus, Cod. de aquæductu, eod. lib. 11.* ut inde essent omnibus manifesti, nec unquam a proprio munere distraherentur; in eadem lege cavetur. Erant nimirum tam fabricenses, quam hydrophilacæ, genus quoddam servorum, quibus olim stigma inurebatur in facie: sed Constantinus Augustus *in lib. 17. Cod. de pœnis*, vetuit, ne ullum signum hominum vultibus deinceps imprimeretur, *quo facies* (ait) *quæ ad similitudinem pulchritudinis est cœlestis figurata, minime maculetur*; jussitque, ut deinceps pœna criminum reis inflicta scriberetur in eorundem suris, vel manibus: ex quo factum est, ut etiam illi, qui sponte se publicis operibus in perpetuum mancipabant, non in vultu, sed in brachiis, vel manibus signarentur. Jam vero, ratiocinatur Bonifacius, si recensiti homines, ex civilium legum sanctione, tales præsumuntur, quales apparent ex signo, quod in brachiis, aut manibus habent impressum, ideoque, nulla interjecta mora, sunt ad opus reducendi, ad quod dignoscuntur addicti, ita pariter, qui signa gestat Clericalia, habitum videlicet, & Tonsuram, donec contrarium probetur, pro Clerico habendus est, & tanquam talis Ecclesiastico foro illico restituendus.

IV. Præterea inopportunum quandoque non erit, commemorare severissimas pœnas, a legibus seculi in hujus, aut illius delicti fontes inflictas, puta in homicidas, adulteros, usurarios; ut hac ratione, qui ad ea crimina proclives sunt, eorundem gravitatem magis agnoscant, atque ab illis perpetrandis retrahantur. Denique, si cuipiam nimium asperæ videantur leges Ecclesiæ, quas propterea nonnihil leniri, & temperari, aut ab illis saltem se absolvi exoptaret, salubre consilium erit, ei in memoriam revocare leges civiles, e quarum conspectu mites, & suavissimæ apparere poterunt Ecclesiasticæ sanctiones. Ita Innocentius III. *in Cap. Per venerabilem, qui filii sint legitimi*, scribens ad Willelmum Comitem Montis Pessulani, qui suos filios spurios a Pontefice legitimari petierat, ejus petitioni abnuens, ne hac repulsa Comes offenderetur, opportunum duxit, adducere leges civiles, longe severius, quam Ecclesiasticæ, spurios infectantes, inquiens: *Canone vero vetante tales ad sacros Ordines promoveri, secularibus quoque legibus, non solum repellentibus eos a successione paterna, sed negantibus ipsis etiam alimenta, petitioni tuæ non duximus annuendum.* Denique, si quæ sunt leges civiles Ecclesiasticis sanctionibus adstipulantes, iisque conformes,

haud

haud interdictum erit eas commemorare, uti factum videmus a laudato S. Gregorio Magno *in epist. 54. l. 11.* in qua Joannis Defensori, quem in Hispanias pro Ecclesiastica causa ipsi delegata mittebat, opportuna mandata dans, hæc ait: *De persona Presbyteri hoc attendendum est, quia, si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopus ipsius adiri debuit, sicut Novella Constitutio manifestat, quæ loquitur de sanctissimis, & Deo amabilibus, ac reverendissimis Episcopis, Clericis, & Monachis.* Similiter Joannes VIII. Pontifex *in sua epistola 163.* Episcopis suadere, ac etiam præscribere volens, ut neminem temere excommunicarent, sed solum causa cognita, & accurate discussa, non modo Ecclesiasticos Canones, sed etiam Novellas Constitutiones Justiniani Imperatoris citat, dicens: *Insuper nostra Apostolica intimavit, ut eum sine ratione discussa excommunicare vultis. Quapropter Apostolica auctoritate jubemus, ut nemo vestrum eum excommunicet, antequam ad legis examen perveniat. Scitote, quoniam in centesimo capitulo Concilii Africani legitur, similiter in secundo Novellarum Justiniani libro, ut nemo Episcopus, aut Presbyter laicum excommunicet, antequam causa probetur.*

V. Si hæc omnia diligenter consideret Episcopus, facile deprehendet, quid sibi voluerit Fagnanus, cum monuit, abstinendum esse ab allegandis in Synodo legibus civilibus ab Ecclesia reprobatis: contra vero facilis intelliget, quo sensu, & intra quem modum accipienda sint verba illa Hincmari Remensis *in Opusc.* ubi ait: *Leges Romanas ab Imperatore Justiniano promulgatas probat Ecclesia*: aliaque ab Ivone Carnotensi prolata *in epist. 280.* videlicet: *Instituta legum Novellarum commendat, & servat Romana Ecclesia*: hisque collatis cum textu Nicolai I. *in Can. Lege Imperatorum dist. 10.* cujus verba superius attulimus in calce capitis duodecimi hujus libri, satis, superque edocebitur, quas leges civiles tuto commemorare, atque in suas Synodales Constitutiones inserere valeat.

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

*Nihil in Synodo constituendum, quod Regularium privilegia lædat.*

QUemadmodum inferiori, non licet legem abrogare a Superiore latam, ita nec privilegiis derogare cuipiam a Superiore concessis: quocirca S. Gregorius Magnus *epist. 14. lib. 8. indict. 1. tom. 2. Oper. col. 905. Hæc constitutionis nostræ decreta, quæ pro defensorum sunt privilegiis, & ordinatione dispositæ, perpetua stabilitate, & sine aliqua constituimus refragatione servari, sive quæ scripto decrevimus, seu quæ in eis in nostra præsentia videntur esse disposita; nec a quoquam Pontificum in totum, partemve, qualibet occasione convelli decernimus, vel mutari*: & *epist. 111. lib. 9. indict. 2. col. 1018. Cura est solicitudinis adhibenda, ut ea, quæ pro quiete Monachorum, religiosæque conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. Sed, sicut hoc, quod ratio exigebat utiliter, oportuit definiri; ita, quod definitum est, non debet violari*: & Innocentius IV. in Concilio Generali Lugdunensi relato *in Cap. 1. de privileg. in 6. Volentes* (inquit) *libertatem, quam nonnullis Apostolica Sedes privilegio exemptionis indulsit, sic integram observari, ut & illam alii non infringant, & ipsi ejus limites non excedant.*

II. Hæc, aliaque jura, id ipsum decernentia, Episcoporum oculis subjecit Fagnanus *in Cap. Quod super his de majorit. & obed. a num. 14. ad fin.* ut sibi persuasum haberent nihil Synodalibus Constitutionibus esse inferendum, quod præjudicium inferat privilegiis a Sede Apostolica concessis Regularium Ordinum institutis. Ad uberiorem autem Episcoporum instructionem, in exemplum adduxit idem Fagnanus quandam Synodum Cracovien sem, e cujus Actis, jubente Paulo V. expuncta fuere nonnulla decreta, quibus Regularium exemptio vulnerabatur. Haud absimile exemplum nos adnotatum reperimus *in lib. 14. decret. sacræ Congregationis Concilii pag. 601.* ubi Robertus Cardinalis Ubaldini refert, a sacra Congregatione approbata fuisse Acta, & Decreta Concilii Provincialis Cameracensis, hac tamen adjecta declaratione, ut per illa nihil censeretur derogatum privilegiis Regularium; quibus propterea denunciari mandavit, ut sua privilegia, non clausa in corpore Juris, quantocius ejusdem provinciæ Episcopis exhiberent, ut hac ratione isti cognoscerent, quidnam in Concilii decretis illis adversaretur, & idcirco corrigendum foret.

III. Hisce fortasse exemplis nimirum perterriti plerique Episcopi, nullum, ne minimum quidem, verbum in suis Synodis de Regularibus fecere; quod tamen nos minime probandum censemus: siquidem quamplurima sunt, in quibus Regulares, quantacumque fruantur exemptione, subsunt Episcopo, tanquam Apostolicæ Sedis delegato; & ne hujus subjectionis obliviscantur, necesse est, eam quandoque illis in memoriam redigere, quod certe nusquam commodius, quam in Synodalibus Constitutionibus, fieri potest. Quare saniori consilio alii Episcopi, absque ulla Regularium injuria, aut eorundem exemptionis violatione plura in suis Synodis expresse, & nominatim de illis sanxere. Atque, ut antiquiora hujus rei prætereamus exempla, in Synodo Amerina, habita anno 1595. ab Antonio Maria Gratiano, duo leguntur integra capitula, Regulares respicientia, unum sub *num. 949.* cui titulus *Quando puniendi Regulares Episcopo jus est*: alterum sub *num. 950.* ubi casus enumerantur, in quibus *Episcopi jussis, edictisque Regulares parere debent.* De Regularibus pariter multa speciatim statuta deprehendimus in sæpius a nobis laudatis Synodis, nimirum Cæsenatensi habita a Cardinali Denhoff *lib. 2. cap. 7.* Neapolitana habita a Cardinali Cantelmo *part. 4. cap. 8.* Imolensi sub Cardinali Gozzadino *tit. 3. cap. 10.* Sabinensi coacta a Cardinali Hannibale Albano *cap. 8.* ac Cingulana celebrata a Cardinali Lanfredino anno 1736. *cap. 10.*

IV. Verum, ut Episcopus tuto, & sine ullo offendiculo in hoc negotio procedat, debet omnia bene prænoscere, in quibus Regulares habet suæ jurisdictioni obnoxios. Hæc singulatim recensentur ab Auctoribus de hac materia tractantibus, præcipue ab Erasmo Cokier *de jurisdict. Ord. in exempt. part. 2. quæst. 44.* Fagnano *in Cap. Grave, de offic. Ord. a n. 37. usque ad fin.* Natali Alexandro *in Append. 1. ad tom. 1. Theol. dogmat. & moral.* e quibus pauca quædam seligimus. Et primo quidem Regulares, delinquentes contra Decretalem Innocentii III. *in Cap. 1. de custod. Eucharist.* non solum a suo Superiore Regulari, sed etiam ab Episcopo, cui tanti Sacramenti cura debet potissimum incumbere, corrigi, & puniri possunt; sicuti, approbante Innocentio XIII. die 8. Januarii 1724. rescriptum fuit a sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, cujus decretum refertur *in Appendice* ad citatam Synodum Neapolitanam, habitam a Cardinali Pignatello, *n. 20.* Et quoniam ad SS. Eucharistiæ majorem venerationem confert, ne passim, & sine causa, publicæ Fidelium adorationi exponatur, propterea sacra Congregatio Concilii, apud citatum Fagnanum *n. 77.* censuit, non licere Regularibus, illam in propriis Ecclesiis sine velamine exponere, nisi ex causa publica, a loci Ordinario approbata. *Sacra &c. censuit* (sunt verba decreti editi die 17. Augusti 1630.) *non licere Regularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordina-*

*dinario; ex causa autem privata posse, dummodo sanctissimum Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, & sit velatum ita, ut ipsa sacra Hostia videri non possit.* De quo argumento plura a nobis collecta legi possunt *Instit.* 30.

V. Præterea Concilium Tridentinum in decreto *sess.* 22. *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, postquam plura statuit religiose servanda in celebratione hujus tremendi Sacrificii, addit: *Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi, pro data sibi a sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut delegatis Sedis Apostolicæ prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda, censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, Fidelem populum compellant; non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque.* Ex quibus verbis aperte conficitur, amplam, atque indefinitam auctoritatem datam esse Episcopis compellendi Regulares quoscumque ad plenam, & exactam observationem non tantum eorum, quæ in præfato decreto continentur, verum etiam aliorum, quæ ipsimet Episcopi ad majorem illius ineffabilis Mysterii decorem, & cultum duxerint præcipienda: quocirca laudatus Cardinalis Lanfredinus in citata Synodo Cingulana jure dixit: *Cum etiam Regulares, ex vi decreti sacri Concilii Tridentini, subsint correctioni, & punitioni Episcopi, si commiserint prohibita, vel indecentia in Ecclesiis, etiam suorum Ordinum, circa Missæ Sacrificium (prout alias a sacra Congregatione Concilii declaratum fuit) diligenter caveant eorundem Ordinum Superiores, ne hujusmodi potestate, nobis competente, uti cogamur in sibi subjectos Sacerdotes.* Quoniam vero in eodem Tridentini decreto Episcopis præcipitur, ut *singuli in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat*; jure pariter Joseph Cardinalis Spinelli, Archiepiscopus Neapolitanus, die 5. Januarii 1743. sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrenda, etiam Regularibus injunxit, ne quempiam exterum Sacerdotem *in* suis Ecclesiis celebrare permittant sine prævia Ordinarii licentia: quod & a nobis vetitum fuerat *in nostra Instit.* 34. §. 1. Pro sua quippe rerum Ecclesiasticarum singulari peritia probe noverat idem Cardinalis, prædicti decreti virtute, factam esse Episcopis facultatem etiam censuris animadvertendi in contumaces, & inobedientes Regulares. Enimvero, cum in eodem decreto cautum reperiatur, ne Episcopus quemquam patiatur Missam celebrare extra Ecclesiam in Altari portatili; idcirco sacra Congregatio Concilii die 4. Junii 1672. licuisse censuit Archiepiscopo Toletano, contravenientes Regulares, etiam censurarum inflictione, coercere; uti habetur *lib.* 27. *decret. pag.* 406. generatim loquendo, *in hit, in quibus a Jure communi, a sacro Concilio Tridentino, a Constitutionibus Apostolicis tributa est Episcopo jurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras Ecclesiasticas compellere:* quod totidem verbis ab eadem sacra Congregatione rescriptum legimus ad Episcopum Nebiensem die 7. Februarii 1632. *lib.* 14. *decret. pag.* 571. *a tergo.* Ob eandem rationem, quia scilicet Tridentinum *sess.* 25. *de invoc. venerat. & reliq. Sanctorum*, decrevit, ne in ulla Ecclesia, quomodolibet exempta, ulla exponatur insolita Imago, aut nova Reliquia, ab Episcopo non approbata; minime dubitandum est, quin possit Episcopus inobedientes Regulares quibuscumque pœnis, etiam censurarum, compescere: quod etiam ex decreto colligitur edito a sacra Congregatione Concilii 5. Junii 1700. apud Monacellum *in form. tom.* 1. *tit.* 3. *formul.* 8. *n.* 49.

VI. Eadem porro sancta Tridentina Synodus *sess.* 25. *cap.* 1. *de Regular.* Bonifacii VIII. Constitutionem renovans, quæ legitur *in Cap. Periculoso, de statu Monachorum, in* 6. Sanctimonialium clausuræ exactam custodiam Episcopis commisit, iisdemque mandavit, *ut in omnibus monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis vero, Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes, atque contradictores, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas quacumque appellatione postposita, compescentes.* Hanc vero sanctionem explicavit, ampliavitque Gregorius XV. in sua Constitutione 18. incipiente *Inscrutabili, Bullar. tom.* 3. decernens, quoscumque Regulares, delinquentes in iis, quæ respiciunt clausuram Monialium, etiam ipsismet Regularibus subjectarum, aut personas intra monasterii sepia degentes, corrigi, & puniri posse ab Episcopo loci, tanquam Apostolicæ Sedis delegato. Quo vero sanctius Monialium clausura custoditetur illæsa, Alexander VII. in sua Constitutione 156. quæ incipit *Felici, Bullar. tom.* 5. statuit, Prælato Regulari semel duntaxat in anno, occasione visitationis, fas esse monasterii sibi subjecti sepia ingredi; si autem necessitas urgeat sæpius in anno idem monasterium ingrediendi, id non aliter Prælato Regulari licere voluit, quam cum præsentia Episcopi diœcesani, aut alterius personæ Ecclesiasticæ, ab ipsomet Episcopo specialiter deputandæ.

VII. Et quoniam crebræ allocutiones Regularium cum Monialibus, visæ sunt quodammodo adversari fini perfectæ clausuræ, cujus præcipuus scopus fuit segregare Moniales ab hominum consortio, ut liberius orationi vacent, & Deo unice animum intendant; idcirco pluribus Pontificiis sanctionibus veritus fuit Regularibus accessus ad Moniales, etiam sui Ordinis, suisque Prælatis subjectas, sine expressa licentia non solum ejusdem Prælati Regularis, sed etiam Episcopi. Sancitum id fuerat a Sixto V. anno 1590. cujus decretum Paulus V. Urbanus VIII. aliique posteriores Pontifices confirmarunt, & renovarunt. Verum, quia Regulares varia tentarunt effugia, ut ejusmodi decretum eluderent, *novis* propterea sanctionibus fuit roborandum, & clarius explicandum. Dictitabant plerique, gravis culpæ reos non fieri Regulares, alloquentes Moniales ex rationabili causa, atque ad honestum finem. Alii subtilius ratiocinantes opinabantur, horæ quadrantem cum dimidio, respectu spatii viginti quatuor horarum, quibus dies naturalis absolvitur, exiguam esse materiam, quæ Ecclesiastici præcepti transgressionem plerumque excusat a gravi noxa; ac proinde, per tanti temporis intervallum, quod clepsydra metiebantur, putabant, se posse, sine periculo lethalis peccati, cum Monialibus loqui, nulla petita ab Episcopo licentia. Arbitrabantur alii, saltem prædicto decreto non comprehendi Regulares prædicationis munus obeuntes in Monialium monasteriis, quibus idcirco docebant licere, post expletam concionem, sermonem cum illis habere, præsertim de rebus spiritualibus, in ipsa prævia concione tractatis. Sed istas omnes cavillationes amputavit sacra Congregatio Concilii, quæ die 11. Maji 1669. approbante Clemente IX. declaravit, Regulares quoscumque, *absque legitima facultate* accedentes ad colloquendum, *etiam per quodcumque modicum temporis spatium, cum Monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque contra Regulares accedentes, sine licentia, ad monasteria Monialium statutis pœnis posse ab Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri.* Et die 26. Novembris 1672. respondit, nullam quantumvis honestam, & rationabilem causam eximere a gravi culpa Regulares accedentes ad Moniales sine Episcopi licentia. Ac die 21. Maji 1678. iisdem pœnis affici dixit Regulares, qui, post habitam ad Moniales concionem, de quibuscumque

que rebus cum illſdem loquuntur, niſi ſpecialem quoad hoc facultatem ab Epiſcopo antea impetraverint. Hæc, aliaque ſacræ Congregationis decreta, eandem materiam reſpicientia, ſimul collecta habentur poſt Diœceſanam Synodum Piſanam anni 1708. & in Appendice ad Synodum Lucanam, habitam ab Archiepiſcopo Colloredo anno 1736.

VIII. Ad eandem clauſuræ materiam pertinet translatio Monialium de uno ad aliud etiam ejuſdem Ordinis & Inſtituti monaſterium. Sed hæc Apoſtolicæ Sedi reſervata eſt; ſicuti conceſſio licentiæ egrediendi e monaſterio. Nihilominus, eveniente aliquo repentino caſu, quo haberi nequeat recurſus ad Sedem Apoſtolicam, permitti poteſt Monialibus egreſſus e monaſterii clauſtris. Verum hujuſmodi caſus tres omnino numerantur; nempe magnum incendium, infirmitas lepræ, ac epidemiæ, ſive peſtis. Et quoniam Epiſcopus, ut ſupra dictum fuit, ex Apoſtolicæ Sedis, & Concilii Tridentini delegatione, clauſuræ Monialium cuſtos eſt, etiam quoad monaſteria ab ordinaria ſua juriſdictione exempta; idcirco S. Pius V. Pontifex Maximus in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Decori & honeſtati*, *in Bullario veteri tom.* 2. *n.* 8. & *in poſtrema Romana editione tom.* 4. *part.* 2. *n.* 13. voluit, ut ubi Moniales, etiam Regularibus ſubjectæ, neceſſe habeant, ad evitanda prædictarum infirmitatum pericula, e monaſterio exire, non modo Prælati Regularis, ſed etiam Epiſcopi licentia in ſcriptis accedat. Olim excitata fuit controverſia, an, præter caſus ſuperius expreſſos, Moniales a clauſtris extrahi poſſint abſque auctoritate Apoſtolicæ Sedis; eveniente nimirum caſu aliquo ita gravi, ut aliis ſupra dictis, in S. Pii Conſtitutione expreſſis, quodammodo æquipolleat, ut puta, ſi Monialis aliqua, propter morum pravitatem, ab uno ad aliud monaſterium transferenda judicetur; ſiquidem morum corruptela epidemico morbo æquiparari poteſt. De hac quæſtione inter Doctores Salmanticæ actum fuit, quo tempore Cardinalis de Lugo in ea Civitate morabatur. Et hic quidem *in ſuis Reſp. moral. l.* 3. *dub.* 18. Sententias Theologorum, & Canoniſtarum celebris illius ſtudiorum Univerſitatis exponit: ipſe vero eam amplectitur, quæ docet, minime licere, ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, Monialem ab uno ad aliud monaſterium transferre in pœnam delicti ab ea commiſſi: hoc enim frequentibus nimium translationibus viam aperiret: ſed licitum eſſe ad hujuſmodi translationem procedere, propter evidens periculum ſcandali, & perverſionis aliarum Monialium; hunc etenim caſum vere putat æquipollentem eſſe morbo epidemiæ in Bulla S. Pii V. expreſſo. Hujuſmodi autem ſententiæ innixi quidam, ulterius progreſſi ſunt, contendentes, translationem in hiſce caſibus fieri poſſe ſolo Prælati Regularis judicio, & imperio, non requiſita, aut obtenta Epiſcopi licentia. Quod tamen nullo pacto ſuſtineri poteſt. Si enim Epiſcopi auctoritas neceſſaria eſt pro extrahendis e clauſura Monialibus, etiam ab illius ordinaria juriſdictione exemptis, in ipſis caſibus litteraliter expreſſis in Bulla S. Pii V. quis unquam ſuadere poterit, Epiſcopi auctoritate opus non eſſe, ubi agatur de aliis caſibus, qui in Bulla nequaquam expreſſi ſunt, ſed ad illius diſpoſitionem ſola ratiocinationis ſubtilitate pertracti?

IX. Neque vero prædictis tantum limitibus circumſcribitur delegata juriſdictio Epiſcopi in Regulares, ſed longe ulterius protenditur. Etenim coercitioni Epiſcopi fiunt obnoxii Regulares excipientes Confeſſiones ſecularium ſine accepta ab Epiſcopo facultate, contra decretum Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reform.* Item excipientes Confeſſiones Monialium, etiam ſuo Ordini ſubjectarum, ſine prævia Epiſcopi approbatione, juxta Conſtitutionem 18. Gregorii XV. *Bullar. tom.* 3. & juxta Conſtitutionem 10. Clementis X. §. 4. *Bullar. tom.* 7. *pag.* 30. Hi enim Pontifices juſtis, gravibuſque de cauſis, quas refert Fagnanus *in Cap. Cum Cappella, de privil.* hoc diſciplinæ caput ſtatuerunt, ut, quamvis Prælati Regulares Sacerdotibus Regularibus ſibi ſubjectis, etiam ab Epiſcopo non approbatis, & ſine illius licentia, facultatem tribuant excipiendi Confeſſiones ſuorum collegarum Regularium, minime tamen valeant Monialibus ſui Ordinis, quantumvis eorum gubernio ſubjectis, inconſulto Epiſcopo, & ſine illius approbatione, Confeſſarios ordinarios, aut extraordinarios deputare: ut videre eſt in citatis eorum Conſtitutionibus; quæ licet in Hiſpaniarum regnis ſuſpenſæ fuerint in vim cujuſdam Brevis Urbani Papæ VIII. relati apud Lezanam *conſil.* 40. *n.* 116. in aliis tamen Orbis Catholici regionibus, pro quibus ejuſmodi Brevia ſuſpenſiva non prodierunt, omnimodæ executioni demandari debent; quemadmodum Ultramontani etiam Scriptores fatemur, Thomaſſinus *de veteri & nova Eccleſiæ diſciplina part.* 1. *l.* 3. *cap.* 40. *n.* 7. Van-Eſpen *Juris Eccleſiaſtici tom.* 2. *tit.* 6. *de Sacram. Pœnit. n.* 21. Caballutius *in Theor. & Prax. Juris Canon. l.* 1. *cap.* 11. *n.* 18. Genett. *in Theologia Moral. tom.* 4. *tract.* 6. *de Sacram. Pœnit. cap.* 8. Natalis Alexander *in Theologia Dogmat. & Moral. lib.* 2. *de Sacram. Pœnit. art.* 10. *regul.* 7.

X. Ad idem rerum genus pertinent ea, quæ ſequuntur. Sacra Tridentina Synodus *ſeſſ.* 25. *cap.* 10. *de Regular.* provide conſtituit, ut Superiores etiam Regulares Monialibus ſibi ſubditis Confeſſarium extraordinarium bis, aut ter in anno offerre tenerentur. Sed, quoniam hujuſmodi Confeſſarius ſemper ex ipſo Superioris Regularis Ordine deligebatur, idque puſillos forte mulierum animos in graves ſæpe anguſtias conjiciebat; ſub Innocentio Papa XIII. poſt diuturnum examen circa plura diſciplinæ capita, quæ pro Hiſpaniarum regnis definienda, aut ſtabilienda proponebantur, habitum in Congregatione particulari ad id deputata, cui nos, tunc in minoribus conſtituti, Secretarii officium præſtitimus, hoc etiam conſtitutum fuit, ut Superiores Regulares Monialibus ſibi ſubjectis ſemel ſaltem in anno Confeſſarium extraordinarium deputarent Presbyterum aliquem ad id approbatum, ſecularem, vel alterius Ordinis Regularem: quod ſi id ab ipſis negligeretur, tunc Epiſcopi, pro ſui arbitrio, & conſcentia, deputationem huiuſmodi facere valerent, nec illa quovis titulo, aut prætextu a Superioribus Regularibus impediri poſſet: ut videre eſt in litteris Apoſtolicis ab Innocentio XIII. editis, quarum initium eſt *Apoſtolici Miniſterii*, quaſque deinceps a Benedicto XIII. in forma ſpecifica confirmatas, nos ipſi ad ſupremum Pontificatum aſſumpti, hac in parte, ad univerſum Orbem Catholicum expreſſe extendimus, & ampliavimus per noſtram Conſtitutionem, quæ incipit *Paſtoralis curæ*, quæque extat *tom.* 2. *Bullarii noſtri num.* 56.

XI. Utque alios aliquot caſus enumerando exequamur, in quibus Regulares ſubjecti ſunt Epiſcopis tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, omittendi non ſunt renuentes accedere ad publicas Proceſſiones, contra decretum Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de Regular.* Prædicantes in Eccleſiis ſuorum Ordinum, Epiſcopo contradicente, vel non petita ab eo benedictione, aut in alienis Eccleſiis ſine ejuſdem Epiſcopi licentia, contra decreta ejuſdem Tridentini *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *de refor.* & *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. ac citatam Conſtitutionem *Inſcrutabili* Gregorii XV. Non ſervantes interdictum ab Epiſcopo latum, aut dies feſtos ab Epiſcopo indictos, vel recuſantes promulgare cenſuras, juſſu Epiſcopi denuntiandas, contra decretum *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regular.* Conferentes litteras dimiſſoriales, aut Ordines ſuis ſubditis ſecularibus, contra decretum *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. Publice

blice docentes, non emissa prius Fidei professione coram Episcopo loci, ad normam Constitutionis Pii IV. editam anno 1564. Graviter delinquentes in administratione cujuslibet Sacramenti, quemadmodum expresse sancitum fuit a Gregorio XV. in eadem Constitutione *Inscrutabili* §. 4. Notorie, & cum scandalo deliquentes extra claustra: hi quippe, juxta Constitutionem Clementis VIII. editam 8. Martii 1596. puniri possunt ab Episcopo, nisi superior Regularis, ab Episcopo admonitus, intra ei præfixum ab eodem Episcopo tempus, illos punierit, & de punitione Episcopum certiorem fecerit. Delinquentes in personam ipsius Episcopi, ejusque jurisdictionem impedientes, juxta decretum sacræ Congregationis Concilii, a Gregorio XIII. approbatum, de quo Fagnanus *in cit. Cap. Grave*, *num.* 76. Transgredientes decretum ab Alexandro VII. editum die 27. Septembris 1659. quo privilegia concessa Prælatis, Episcopo inferioribus, quoad usum Pontificalium, intra certos terminos coarctantur, & locorum Episcopis potestas datur, decreti transgressores censuris coercendi. Præsumentes dare habitum sui Ordinis mulieribus Tertiariis, non collegialiter viventibus, inconsulto Episcopo: privilegia enim, quæ ad id faciendum olim Regulares habuerant, ita hodie sunt limitata, ut nulli queant habitum prædictum conferre sine licentia Episcopi; ad quem pariter pertinet præmittere examen conditionum, quas sacræ Urbis Congregationes in mulieribus exigunt, quæ inter prædictas Tertiarias cooptari petunt: de qua re pluribus nos disseruimus *in nostra Instit.* 29. ubi ediximus, Regularibus, priusquam a loci Ordinario facultatem obtineant, de qua est sermo, onus incumbere hæc rite probandi: primo scilicet, se privilegium habere a Sede Apostolica concedendi sui Ordinis habitum feminis non collegialiter viventibus: secundo, feminas habitum actu petentes, esse probatæ vitæ, bonisque moribus præditas: tertio, eas suæ ætatis annum agere quadragesimum: quarto, tot annuos reditus ex propriis bonis percipere, quot sunt ad earum alimoniam necessarii: quinto denique, non cum aliis eas cohabitare, quam cum personis in primo tantum consanguinitatis, vel affinitatis gradu sibi conjunctis: aliqua vero ex his conditionibus deficiente, debet Ordinarius petitam licentiam denegare. Quæ omnia *in prædicta nostra Institutione* præscripta, jam antea expensa a nobis pariter fuerant; occasione cujusdam causæ *Mazarien.* sacræ Congregationi Concilii, cujus Secretarii munere tunc temporis fungebamur, propositæ, & decisæ 10. Maji 1727. *Thesaur. Resolut. tom.* 4. *pag.* 55.

XII. Sed tædet jam cetera prosequi, in quibus Regulares delegatæ subjacent Episcopi jurisdictioni. Qui singula exacte, & minutissime descripta videre desiderat, citatos legat Chokier, & Fagnanum. Interim nos concludimus, integrum esse Episcopo in Synodalibus Constitutionibus hanc suam exerere delegatam auctoritatem in Regulares, & quandoque expedire, ut id faciat, ad illos continendos in officio, & irrepentes abusus cohibendos.

## CAPUT DECIMUM SEXTUM.

*Modus adhibendus in Constitutionibus respicientibus Regulares.*

ETsi Regulares non ignorent, se in prædictis casibus Episcoporum subdi jurisdictioni; cum tamen in Synodalibus Constitutionibus se tangi sentiunt, eas multis nominibus impugnare conantur: quod a longa ejusmodi rerum experientia edocti sumus. Synodale decretum quandoque incusant, eo quod ita conceptum sit, ut videatur plus juris Episcopo tribuere, quam ei competat: reclamant aliquando adversus decreti verba, eo quod ordinariam potius, quam delegatam jurisdictionem, videatur Episcopo asserere: conqueruntur interdum, aliquid in Synodo esse universim, & veluti per modum regulæ statutum, quod solum in certis, & peculiaribus facti circumstantiis poterat ab Episcopo decerni, ne secus Regularium privilegia violaret. Operæ autem pretium erit hæc omnia opportunis exemplis explicare.

II. Episcopus Midensis in sua prima Constitutione Synodali, excommunicationis vinculo ipso facto innodatum voluit, & pronunciavit quemcumque sive secularem, sive Regularem, quovis modo exemptum, qui, sine sui auctoritate, & licentia, quodcumque Sacramentum administraret personis secularibus, aut alia ratione in cujuslibet Sacramenti administratione delinqueret. Conformis profecto videbatur hujusmodi Constitutio superius indicatæ sanctioni Clementis V. *in Clem.* 1. *de privileg.* ubi anathemate percelluntur Regulares Sacramentum Eucharistiæ, aut extremæ Unctionis, sive Clericis, sive laicis administrantes, vel *Matrimonia solemnizare*, hoc est, ut ibidem explicat Glossa, solemnem benedictionem conjugibus impertiri præsumentes, sine licentia Parochi. Cohærere pariter videbatur laudatæ Constitutioni 18. Gregorii XV. *in cujus* §. 4. Episcoporum coercitioni supponuntur Regulares sine legitima facultate se se ingerentes in iis, quæ pertinent ad animarum curam, aut quodlibet Sacramentum ministrantes absque prævia Episcopi approbatione, & licentia.

III. Sed, quamquam hæc ita se habeant, attamen prædicta Constitutio, verbis nimium indefinitis concepta, acriter fuit a Regularibus impugnata, ob rationes, quas subnectimus. Summus Pontifex Paulus IV. in sua Constitutione impressa in Bullario Rodriguez, permisit Fratribus Minoribus distribuere sacram Eucharistiam in suis Ecclesiis omnibus Christifidelibus illam petentibus, sola excepta die Paschatis Resurrectionis Dominicæ. Ejusmodi privilegium, confirmatum a S. Pio V. ad omnes Regulares, *per communicationem*, ut ajunt, extensum est. Verum, quia Eugenius IV. in sua Constitutione *Fide digna*, 24. *pag.* 33. *tom.* 3. *part.* 3. *Bullar.* jampridem declaraverat, tempus Paschale, intra quod integrum est Fidelibus annuæ perceptionis Eucharistiæ præcepto satisfacere, non unius, sed quindecim dierum spatio, hoc est a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, intercludi, dubitatum fuit, an sub limitatione præfati privilegii, Regularibus concessi, sola intelligenda esset dies Paschatis, an potius omnes comprehenderentur prædicti quindecim dies. Controversia, de qua plura Diana *tom.* 2. *edit. coord. de Eccles. Commun. resolut.* 17. *usque ad* 24. Lezana *Oper. tom.* 2. *verb. Eucharistia quoad Regulares num.* 2. & Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 2. *disput.* 3. *quæst.* 3. *num.* 2. & 3. sæpius discussa fuit in sacra Congregatione Concilii, quæ censuit, sola die solemnitatis Paschatis, absolute prohiberi Regulares, ne Eucharistiam in suis Ecclesiis porrigant secularibus, etiamsi isti jam antea annuæ Communionis præceptum in propria Parochia impleverint: aliis vero diebus impediri non posse, quominus illam distribuant, modo seculares, Eucharistico pane in eorum Ecclesiis refecti, non se solutos arbitrentur ab obligatione illum percipiendi a proprio Sacerdote. Ex multis, quæ proferri possent, duo seligimus sacræ Congregationis decreta. Primum prodiit in causa *Burdigalen.* 9. Julii 1644. iterumque confirmatum fuit in una *Senonen.* 11. Junii 1650. *lib.* 19. *decretor. pag.* 54. cujus verba sunt: *Sacra Congregatio Concilii, post maturam discussionem, censuit, Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, ut a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis*

*inclusive non valeant ministrare personis secularibus Sacramentum Communionis; posse tamen iisdem prohibere, ut personis secularibus die Paschatis non administrent dictum Eucharistiæ Sacramentum, etiamsi dictæ personæ seculares satisfeciſſent præcepto Ecclesiæ hac de re edito.* Alterum emanavit in causa *Mechlinien.* anno 1682. quod in sacræ Congregationis Actis ita legitur adnotatum: *Parochi loci Lovanii conquerentes sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum personis secularibus ministrari a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis a Regularibus, & præsertim Societatis Jesu, prætextu privilegiorum, unde arguunt, juribus parochialibus præjudicium inferri, & Ecclesiæ præceptum eludi, cum non desint falso asserentes, se in Ecclesiis Regularium illi satisfeciſſe; libellum porrexerunt Sanctissimo Domino nostro, ut huic malis occurreret, vetando Regularibus, ne præfato tempore dictum Sacramentum audeant ministrare. Cum autem Sanctitati suæ placuerit ad sacram Congregationem Concilii remittere hujusmodi preces, Patri Procuratori provinciæ Belgicæ Societatis Jesu successive communicatas, proponitur dubium: An Patres Societatis Jesu, aliique Regulares possint ministrare sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum personis secularibus a Dominica Palmarum usque, & per totam Dominicam in Albis. Cui dubio die 31. Januarii ejusdem anni 1682. responsum fuit affirmative, excepto die Paschatis; ita tamen, ut in aliis diebus sumentes Eucharistiam a Regularibus intra duas hebdomadas Palmarum, & Paschatis, non satisfaciant præcepto.*

IV. Jam vero hisce decretis, sæpius a sacra Congregatione renovatis, etiam die 14. Januarii 1736. in causa *Suessana Jurium parochialium*, de qua *in Thesaur. Resolut. tom. 7. pag. 161. & 181.* aperte contraire, dicebant Regulares, præfatam Constitutionem Episcopi Midensis, cujus verba adeo generalia erant, ut viderentur liberam facultatem ipsis auferre etiam Eucharistiam in suis Ecclesiis qualibet anni die ministrandi. Et quia, Synodalis Constitutionis verbis rite expensis, justa deprehensa est Regularium querimonia; ideo sacra Congregatio Concilii die 24. Augusti 1686. eandem Constitutionem corrigi, & reformari jussit.

V. Nullus autem Regularium querimoniæ esset locus, si Episcopus illis interdicerit, ne solemni Dominicæ Resurrectionis die ulli secularium sacram Eucharistiam audeant ministrare, aut si severissimis pœnis eorum refrenaret insolentiam, qui eam falsam, nec certe tolerandam doctrinam in vulgus disseminarent, annuæ scilicet Communionis præcepto posse Fideles in eorum Ecclesiis satisfacere: etenim hæc propositio non solum est aperte contraria Decretali Innocentii III. *in Cap. Omnis utriusque sexus*, ejusdemque Decretalis communi, usuque comprobatæ acceptioni, verum etiam contradicit ipsismet Apostolicis, de quibus gloriantur, privilegiis: in his enim facultas fit Regularibus ministrandi in suis Ecclesiis sacram Eucharistiam personis secularibus, expresse, & nominatim excepta die Paschatis Resurrectionis Domini, uti audivimus. Quare, cum circa annum 1630. quidam Patritius Cahil, Parochus Dublinensis, inter ceteras propositiones, quas nonnullis Regularibus in Hibernia degentibus doceri, ac spargi audierat, & quarum judicium a facultate Theologica Academiæ Sorbonensis postulavit, hanc etiam ab iisdem Regularibus prolatam ad eandem facultatem detulisset: *Parochiani non tenentur in propria Parochia communicare in Paschate*: etsi Regulares, qui ceteroquin alias propositiones, de quibus accusabantur, unquam a se assertas negabant, hanc unam, consueto suorum privilegiorum obtentu, pro viribus nisi sint defendere; impedire nihilominus non valuerunt, ne eidem hæc, quam jure merebatur, inureretur censura: *Propositio falsa, scandalosa & temeraria*: quemadmodum refertur in Opere inscripto *Collectio judiciorum &c.* edito Parisiis anno 1727. *pag.* 324. 329. & 356.

VI. Idem Episcopus Midensis in sua Synodali Constitutione octava expresse denuntiaverat, se nulli sive secularium, sive Regularium, Ordines collaturum, qui non servasset temporum interstitia a Concilio Tridentino præscripta; a quibus an quempiam absolvendum Ecclesiæ necessitas, aut utilitas exposceret, id, non a Prælato Regulari, sed a se fore dijudicandum, edixerat. Hæc pariter Constitutio innixa videbatur Tridentino *sess.* 23. *cap.* 11. & 13. *de reform.* quibus in locis solo Episcopo permittitur causam examinare, propter quam sit aliquis citius, quam jura requirant, ad altiorem Ordinem promovendus. Fulciri insuper videbatur pluribus decisionibus sacræ Congregationis Concilii, quæ sæpius censuit, a sacra Tridentina Synodo, soli Episcopo Ordines collaturo, nequaquam autem Prælato Regulari, litteras dimissoriales concedenti suo subdito Regulari, facultatem fieri, hunc, ex justa causa, ab interstitiorum lege eximendi. Ita quippe ab eadem responsum comperimus in *Nullius* 31. Junii 1597. *lib. 9. decretor. pag.* 18. in *Aquen.* mense Julii 1589. *lib. 6. decretor. pag.* 18. & in *N. N.* 12. Septembris 1609. *lib. 11. decretor. pag.* 65. Attamen, quia Sedes Apostolica, post Tridentinum, nonnullis Regularium Ordinum Institutis privilegium concessit exemptionis ab interstitiis, idcirco sacra Congregatio, prædicta die 24. Augusti 1686. rescripsit, etiam hanc Constitutionem Synodalem Midensem, *esse reformandam quoad eos Regulares, qui habent privilegium concessum post Tridentinum.*

VII. Aliud rei, de qua agimus, exemplum spectat facultatem administrandi Sacramentum Pœnitentiæ. Bonifacius VIII. *in Cap. Super Cathedram, de sepulturis, inter Extravag. commun.* statuit, non posse Regulares secularium Confessiones excipere, *sine licentia, gratia, & beneplacito* Episcopi, in cujus diœcesi commorantur. Benedictus vero XI. *in Cap. Inter cunctas, de privilegiis*, pariter *inter Extravag. commun.* decrevit, Superiores Regulares debere quidem significare Episcopo, fuisse a se quosdam sui Ordinis Fratres deputatos ad audiendas secularium Confessiones, non tamen teneri eorundem Fratrum nomina exprimere, nec certum numerum designare; voluitque insuper, ut, nisi Episcopus intra triduum ad Confessiones excipiendas approbasset, quos Prælatus Regularis ita confuse eidem significaverat, iidem nihilominus possent Sacramentum Pœnitentiæ, auctoritate Apostolica, secularibus administrare. Verum hanc Benedicti XI. sanctionem abrogavit Clemens V. *in Clement. Dudum, de sepulturis*, restauravitque Constitutionem editam a Bonifacio VIII. quam denuo renovavit Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.* edicens, nulli Regularium fas esse, secularium, etiam Sacerdotum, Confessiones excipere sine Episcopi approbatione. Hanc porro approbationem, seu licentiam, posse ab Episcopis concedi Regularibus ad certum tempus, & limitari ad certum duntaxat genus personarum, diserte declararunt Clemens X. in sua Constitutione 10. §. 4. Urbanus VIII. in suis Apostolicis litteris in forma Brevis, anno 1639. datis in causa moti litigii inter Cardinalem Sandovalem, & Regulares illius diœcesanos, Innocentius XIII. in sua Constitutione super Ecclesiastica disciplina in regnis Hispaniarum, edita die 13. Maji 1723. & confirmata a Benedicto XIII. die 23. Septembris 1724. alia Constitutione, quæ extat in Appendice ad Concilium Romanum anni 1725. atque opposita doctrina, quam Regularium plerique venditabant, proscripta est ab Alexandro VII. qui, teste Cabassutio *in theor. & prax. Jur. Canonic. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 13. die 30. Januarii 1659. hanc propositionem:

*Non*

*Non poſſunt Epiſcopi limitare, ſeu veſtringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confeſſiones audiendas, neque ulla ex parte revocare*: declaravit *falſam, temerariam, ſcandaloſam, & erroneam*: quæ omnia videri poſſunt *in noſtra Inſtit.* 86.

VIII. His ita per Tridentinum Concilium, & per Apoſtolicas Conſtitutiones decretis atque firmatis, acceſſerunt opportunæ declarationes dubiorum, quibus vexari non deſtitit ſententia textus, licet plana, & aperta, tum ipſius Concilii, tum prædictarum Conſtitutionum; de quibus declarationibus a nobis fuſiore calamo actum eſt *in citata noſtra Inſtit.* 86. Acceſſerunt acquieſcentiæ ſignificationes ſolemniter editæ a Superioribus Ordinum Regularium, qui & agnoverunt, & ultro acceptarunt quæcumque decreta fuerant circa neceſſariam Epiſcopalem approbationem, ubi Regulares excipere velint ſecularium Confeſſiones, ſeque præmiſſis legibus teneri, propria ſubſcriptione profeſſi ſunt; ut accidit Pariſiis in ſolemni actu, relato per extenſum *in tom.* 3. celebris Collectionis Judiciorum *pag.* 45. Poſt hæc omnia, quis crederet, aliquod adhuc reluctantiæ, & contradictionis germen excidendum ſuperfuiſſe? Et tamen ita ſe res habuit. Notæ ſunt Anglicanæ Eccleſiæ calamitates poſt illius regni ſeparationem a Catholica unitate ac Fide; & ſatis compertum eſt, quanta curarum & ſolicitudinum mole Apoſtolica Sedes operam dederit, ut pauci Catholici, qui ibidem relicti ſunt, in ſanctæ Religionis integritate permanerent, & quot, in eum finem, Eccleſiaſtici regiminis formas atque rationes excogitare debuerit, donec Ven. Servus Dei Innocentius Papa XI. per ſuas litteras in forma Brevis, anno 1688. editas, id tandem conſtituit, ut tres Vicarii Apoſtolici, Epiſcopali charactere inſigniti cum titulis Eccleſiarum in infidelium partibus exiſtentium, per diverſas illius regni regiones opportune diviſas conſtituerentur, qui Catholicorum in iis degentium ſpirituale regimen gererent. Adverſus hoſce Vicarios Apoſtolicos controverſiam excitarunt Miſſionarii Regulares, contendentes, Confeſſariorum miniſterium a ſe exerceri poſſe erga ſeculares perſonas, abſque illorum approbatione; tum quia eorundem auctoritas, rigoroſe loquendo, Ordinaria dici nequit; tum quia Conciliaria decreta, & Apoſtolicæ Conſtitutiones de Epiſcopis Ordinariis locorum verba faciunt; tum denique quia retroactis temporibus ipſi Regulares Miſſionarii, annuentibus Romanis Pontificibus, & præſertim Urbano Papa VIII. ſecularium Confeſſiones exceperant ſine approbatione Superioris Eccleſiaſtici, quantumvis Epiſcopi titularis. De hac controverſia non ſemel actum eſt in Congregationibus Urbis: eumque in ipſis animadverſum fuerit, Apoſtolicos ejuſmodi Vicarios deputatos fuiſſe, & adhuc deputari cum iis facultatibus, *quibus Ordinarii in ſuis civitatibus, & diœceſibus utuntur*; ex eo autem, quod, certis concurrentibus circumſtantiis, permiſſum fuerat, non recte inferri quid obtinere debeat, cum immutatus fuerit rerum ſtatus: iteratis vicibus decretum fuit, Regulares Miſſionarios non poſſe ſecularium Confeſſiones audire, niſi impetrata prius approbatione a Vicariis Apoſtolicis, quibus nempe ſubjecti eſſe debebant in concernentibus curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem. Atque hæc decreta Apoſtolica auctoritate confirmata fuerunt tum olim ab Innocentio XII. per litteras in forma Brevis datas die 5. Novembris 1696. tum etiam a nobis ipſis per ſimiles litteras datas die 2. Septembris 1745.

IX. Non defuit tamen, qui in tuenda, exercendaque hac in re Epiſcopali auctoritate, modum excederet. Epiſcopus quidam ſibi licuiſſe autumabat, in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus prohibere, ne ullus Regularium, etſi ceteroquin a ſe approbatus, accederet ad domum ſecularium ægrotantium, ut eorundem Confeſſiones ibi exciperet, ſine ſpeciali licentia Parochi proprii ejuſdem ægrotantis. Diſplicuit hæc conſtitutio Regularibus, eo quod ea non tam imminui, quam prorſus ipſis auferri videretur facultas audiendi ſecularium Confeſſiones; neminem quippe facile reperiri, ajebant, qui velit ſanus Confeſſarium eligere, a quo nequeat ægrotans, & mox fortaſſe deceſſurus, Sacramentalem abſolutionem obtinere: ſuas proinde adverſus decretum querelas ad ſacram Congregationem Concilii detulerunt: eaque, ſive ob prædictam rationem, ſive potius ne ægrotantes privarentur ſolatio peccata ſua aperiendi Confeſſario, quem optarent, die 14. Decembris 1658. Synodalem Conſtitutionem ita temperandam cenſuit, ut liberum quidem eſſet Regularibus, jam ab Epiſcopo approbatis, accedere ad domos ſecularium morbo laborantium, ibique Sacramentum Pœnitentiæ iiſdem adminiſtrare, hac tamen adjecta lege, ut tenerentur exceptæ Confeſſionis atteſtationem, in ſchedula ſcriptam, in eadem domo relinquere, qua certior fieret Parochus de peracta ab infirmo Sacramentali Confeſſione, ut tuto deinde poſſet cetera Sacramenta eidem conferre.

## CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

*Aliæ exponuntur earundem querelarum cauſæ.*

HÆc de prima querelarum cauſa. Alteram, quam, non decretum, ſed potius decreti verba interdum Regularibus ſuppeditant, unicum patefaciet exemplum. Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de Regular.* præcipit. *Ut omnes Regulares, tam viri, quam mulieres, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant, & componant.* Hinc autem factum eſt, ut nonnulli Epiſcopi non dubitaverint, hanc Tridentini ſanctionem in ſuis Synodis renovare, idemque, ac totidem fere verbis iterum decernere. Enimvero, cum Epiſcopi, in ſua quilibet diœceſi, ſacrorum canonum cuſtodiam habere, atque in id potiſſimam incumbere debeant, ut quotquot Deo devincti, atque Eccleſiæ obſequiis ſunt ſpecialiter mancipati, canonum ſtatuta religioſe cuſtodiant; ad eos quoquè pertinet invigilare, ut Regulares ad Regulam, quam profeſſi ſunt, ſuam vivendi rationem componant. Atque, ut miſſa faciamus quamplurima Provincialia Concilia, quæ, ante conceſſam Regularibus exemptionem ab Epiſcopi juriſdictione, exactam propriæ Regulæ obſervationem iisdem & commendarunt, & ſtatutis in tranſgreſſores pœnis diſtricte præceperunt, Synodus Provincialis Bituricenſis, anni 1336. *tom.* 7. Collectionis Harduini *col.* 1609. quamvis non minus, quam Diœceſana, juriſdictione careret in Regulares, nihilominus *cap.* 1. ait: *Statuimus, præcipimus, & ordinamus, quod Religioſi, cujuſcumque ſtatus fuerint, Capitulum* Ne in agro, *& alias Decretales editas ſuper Regularibus Inſtitutis, & Conſtitutiones inviolabiliter cuſtodiant, & obſervent:* & Synodus Burdigalenſis, habita poſt Tridentinum, anno nimirum 1583. *tom.* 10. Collectionis Harduini *col.* 1366. *cap.* 25. inquit: *Superiores, atque Præpoſiti omnium monaſteriorum, & Ordinum, omnem curam, & diligentiam adhibeant, tam in Capitulis Provincialibus, quam in monaſteriorum, etiam commendatorum, viſitationibus, ut ipſorum inferiores, ac ſubditi, ex præſcripto ſuæ profeſſionis vitam inſtituant, & paupertatis, caſtitatis, obedientiæ, ac, ſi quæ ſunt alia cujuſvis monaſterii peculiaria vota, & præcepta, fideliter, & inviolate obſervent.* Sed, quamquam hæc nemo inficiari audeat, attamen ſæpius a Regularibus accuſatum eſt verbum illud *præcipimus*, ſeu *ſtatuimus*, in Synodalibus Conſtitutionibus uſurpatum: eo ſiquidem denotari dice-

dicebant ordinariam Episcopi in ipsos *auctoritatem*, & jurisdictionem, & non meram *custodiam*, atque vigilantiam super observatione eorum, quæ aut a Jure communi, aut a Pontificiis Constitutionibus, aut a propriis cujusque Ordinis Institutis, sunt Regularibus injuncta. Quapropter sacra Congregatio Concilii justam agnoscens Regularium querelam, verbum illud *præcipimus*, seu *statuimus*, nedum a Diœcesanæ, verum etiam a Provincialis Synodi Constitutionibus jussit expungi, & decretum in hunc modum reformari: *Intelligant Regulares, se teneri ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituere*: sicuti testantur Pagnanus *in Cap. Quod super his, num. 25. de major. & obed.* & Matthæucc. *de Official. cap. ultim. num. 3. & seq.*

II. Tertiam demum occasionem impugnandi Synodalia statuta, quam a Regularibus inde arripi diximus, quod nimirum generatim, atque instar regulæ tradant, quæ in peculiaribus facti circumstantiis unice determinari possunt, duo demonstrabunt exempla. Summus Pontifex Clemens VIII. die 15. Martii 1596. prævio consilio sacræ Congregationis Concilii, sancivit, non licere Prælato Regulari litteras dimissoriales concedere suis subditis Regularibus ad Ordines suscipiendos a quocumque Antistite, sed teneri illas dirigere ad Episcopum diœcesanum, in cujus scilicet diœcesi degit Regularis Ordinibus initiandus: si vero Episcopus diœcesanus absuerit, aut non sit Ordinationem habiturus: tunc permisit Prælato Regulari suos subditos dimittere ad quemcunque Antistitem, dummodo non in fraudem, hoc est de industria, litteras dimissoriales illis dare distulerit ad tempus, quo prævidebat diœcesanum Episcopum absuturum, aut Ordinationem non habiturum: quod quidem multis de causis quandoque fieri contigit, & præcipue ut Regularis, ad Ordines promovendus, qui, juxta ejusdem Clementis VIII. sanctionem, suæ scientiæ experimentum subire *debet coram* Episcopo, a quo Ordines *petit*, declinet examen, quod ab Episcopo *diœcesano* severius institui solere novit.

III. Hoc decreto, de quo nos prolixe tractavimus *in nostra Instit.* 23. suffulti aliquot Episcopi, in suis Constitutionibus absolute illicitas pronunciarunt Ordinationes Regularium, qui, cum tempus imminet Ordinationis, e loco recedunt, ubi antea degebant, & ad alteram commeant diœcesim, a cujus Episcopo Ordines suscipiunt, & paulo post ad pristinum locum redeunt: omnes quippe prædictæ circumstantiæ, recessus, & reditus, vehementem inducunt præsumptionem fraudis, quam abesse voluit Clemens VIII. ut Regulares ab alieno Episcopo, & non a proprio loci, in quo commorantur, licite Ordines suscipere valeant. Enimvero, si minor, aut mulier, e patria recedat, alio se conferat, ibique aliter, quam patriæ leges requirant, contractum ineat, ac, stipulatione sequuta, in patriam se recipiat, id in fraudem statuti in patria vigentis factum præsumitur, juxta ea, quæ allegantur a Rota *decis. 17. num. 17. & seq. part. 13. recen.*

IV. Et nihilominus sacra Congregatio Concilii, ejusmodi Episcoporum Constitutionibus ad trutinam positis, in causa *Neapolitana* die 5. Septembris 1682. censuit, non posse in re præsenti universalem regulam constitui, sed judicium eliciendum esse ex peculiaribus factis circumstantiis. Quamvis enim ex iis, quæ enarravimus, vehemens oriatur fraudis præsumptio, hæc tamen præsumptio aliis contrariis præsumptionibus debilitari, & elidi potest. Etenim, quod attinet ad ipsos subditos Regulares Ordinibus initiatos, hi facile se excusare valent prætextu obedientiæ debitæ suis Superioribus, a quibus alio se conferre, & paulo post ad priorem conventum jussi sunt redire, quin rationem sciant, propter quam id fuerit ipsis imperatum: Superiores vero statim obtendunt necessitatem monasterii, quod brevem tantum, & non diuturnam exigebat permanentiam illius Religiosi, quem illuc miserunt. Quamvis autem ejusmodi excusationes interdum falsæ sint in oculis Dei hominum corda perscrutantis, non tamen illico falsæ probari queunt in foro Ecclesiæ. Quamobrem integrum quidem erit Episcopo laudatam Clementis VIII. sanctionem suis Synodalibus Constitutionibus inserere, ejusque exactam observationem Regularibus indicere, atque inculcare, quod in plerisque Diœcesanis Synodis tam Italiæ, quam Galliæ, prudenter factum refert Hallier *de sacris Ordinat. part. 2. sect. 5. cap. 3. art. 8. §. 1.* fas etiam erit eidem illicitam quandoque pronunciare Ordinationem Regularis, quam ex specialibus facti circumstantiis cognoscat vere in fraudem e sua diœcesi abiisse, uti alibi Ordines reciperet; licebit præterea universim declarare, Regularium e diœcesi discessiones, imminente Ordinationis tempore, & subitas ad eandem regressiones, postquam alibi sunt Ordinibus initiati, nunquam carituras fraudis suspicione: verum, propter indicatas rationes, cavendum ei erit, ne generatim, & veluti per modum regulæ illicitas, & fraudulentas statuat habendas omnes omnino Ordinationes Regularium e sua diœcesi discedentium, & post susceptos ab alio Episcopo Ordines iterum in eandem se se recipientium.

V. Alterum ejusdem rei haud absimile exemplum nobis exhibet facultas prædicandi, in Synodalibus Constitutionibus nimium quandoque Regularibus limitata. Evangelicæ prædicationis *ministerium* Episcopis præcipue esse concreditum, nemo dubitat. Apostolis quippe, in quorum vices, & munus Episcopi successerunt, Christus Dominus, cælos conscensurus, peculiarius præcepit: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*: quod illi adeo districte ad se pertinere existimarunt, ut cetera, potius Apostolatus munia, quam prædicationis officium, aliis committenda duxerint: cum *Act. 6.* agentes de Diaconorum electione, discipulorum multitudini dixerunt: *Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Hinc Apostolus Paulus 1. *ad Corinth.* 1. de se ait: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*: & ad Timotheum scribens *epist. 2. cap. 2.* eum ad prædicationis opus, tanquam sui muneris præcipuum, hortatur, inquiens: *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Persuasum id fuit sanctissimis Ecclesiarum Præsulibus, qui non solum prædicationis ministerium per semetipsos religiose explebant, sed illud recensentes inter proprias, & peculiares Pastoris curas, nullum, ne Presbyterum quidem, coram se e suggestu prædicare permittebant, nisi raro admodum, atque ex sui jussione, & singulari quadam delegatione. Colligimus hoc ex Possidio de Augustino *in ejus Vita cap. 5.* narrante, eum a Valerio Hipponensi Episcopo deputatum fuisse ad sui loco concionandum, *contra usum, & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum*, ubi solus Episcopus prædicandi officio fungebatur. Chrysostomo itidem eximiæ, & singulari laudi vertit Palladius, quod nondum Episcopus factus, *vicem Episcopi ageret in prædicatione verbi Dei*. At insequentibus seculis Episcopi, sive aliis curis nimium distenti, sive prædicationis muneri rite obeundo impares, illud etiam coram se peragendum aliis demandare

dare passim consueverunt: quocirca Patres Concilii Valentini III. anni 855. *can.* 16. se se mutuo ad verbi ministerium excitantes, novaque lege adstringentes, illud vel per se, vel per alium ministrare, sibi invicem permiserunt, ajentes *tom.* 5. Collectionis Harduini *col.* 94. *Ut unusquisque nostrum sive per se, sive per aliquem, vel aliquos ex Ministris Ecclesiæ fideliter doctos, ita verbum prædicationis tam in urbe, quam foris in plebibus exhibeat, ut omnino eis admonitio, & exhortatio salutaris deesse non possit*: eandemque permissionem prædicandi per idoneum substitutum, Episcopis fecerat Ludovicus Pius *Capitular. lib.* 1. *cap.* 103. inquiens: *Episcopos monemus, ut sive per se, sive per Vicarios, pabulum verbi Divini sedulo populis adnuntient*. Non proinde tamen unquam Episcopi penitus subtracti fuere ab onere verbum Dei ore proprio annunciandi: id siquidem, utpote a Christo Domino eorum humeris impositum, nunquam a se abjicere valent, juxta doctrinam D. Thomæ 3. *part. quæst.* 67. *art.* 2. *Ad primum*, ubi hæc habet: *Utrumque officium, scilicet docendi, & baptizandi, Dominus Apostolis injunxit, quorum vicem gerunt Episcopi; aliter tamen, & aliter. Nam officium docendi commisit eis Christus, ut ipsi per se illud exercerent, tanquam principalissimum. Unde & ipsi Apostoli dixerunt Act.* 6. *Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Officium autem baptizandi commisit Apostolis, ut per alios exercendum. Unde & Apostolus dicit* 1. *Corinth.* 1. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare, & hoc ideo, quia in baptizando nihil operatur meritum, & sapientia Ministri, sicut in docendo*: sed tunc solum libertas illis data est, aliorum opera, & ministerio uti, cum ipsi, legitimo detenti impedimento, Evangelici verbi panem suis ovibus frangere nequeunt: quod luculenter explicavit Innocentius III. in Concilio Lateranensi *cap.* 10. relato *in Cap.* 15. *de offic. Ordinar.* ubi ait: *Cum sæpe contingat, quod Episcopi propter suas occupationes multiplices, vel invaletudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis reprobandum est omnino, nec de cetero tolerandum) per se ipsos non sufficiunt ministrare verbum Dei populo, maxime per amplas diœceses, & effusas; generali Constitutione sancimus, ut Episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere, & sermone, qui plebes sibi commissas, vice ipsorum, cum per se iidem nequiverint, solicite visitantes, eas verbo ædificent, & exemplo*: & magis diserte Tridentinum *sess.* 5. *cap.* 2. & *sess.* 24. *cap.* 4. *de reform.* quibus in locis definivit: *Prædicationis munus esse Episcoporum præcipuum, eosque teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium*. Cui decreto inhærens S. Carolus Borromæus, *in sua prima Synodo Provinciali Act. Eccles. Mediol. part.* 1. *pag.* 2. Ita Episcopos est alloquutus: *Nos auctoritatem sacrosancti Tridentini Concilii, & veterum Patrum sequuti, in Domino Episcopos hortamur, ut toto pectore in hanc curam incumbentes, greges sibi commissos ipsimet, præsertim in Ecclesia sua, verbo Dei pascant. Quod si levi de causa, aut quodam animi languore impediti, non fecerint, sciant, sibi prætermissi necessarii officii Judici Deo præcipue rationem esse reddendam. Sin autem se interdum vere impeditos cognoverint, per viros idoneos, ex præscripto ejusdem Concilii deligendos, hoc munus studiosissime populo præstent*.

VI. Hanc Episcoporum obligationem præ oculis habentes Bonifacius VIII. Benedictus XI. & Clemens V. certumque simul putantes, eidem, interdum saltem, ab Episcopo satisfieri, cum concesserunt Regularibus privilegium prædicandi in Ecclesiis suorum Ordinum, atque in communibus plateis, omnes unanimiter, primus quidem *in cit. Cap. Super Cathedram, de sepulturis*, alter *in cit. Cap. Inter cunctas, de privilegiis, inter Extravag. commun.* & Clemens V. *in Clem. Dudum, de sepulturis*, horam exceperunt, in qua ipsemet Episcopus prædicat, *vel coram se solemniter prædicare facit*; tunc enim in eadem civitate, seu oppido, quemlibet inferiorem silere jusserunt, nisi Episcopus ipse aliter judicaverit. Et recte quidem; etenim, cum solus Episcopus in sua diœcesi sit publicus Doctor, & Magister, indecens profecto est, ut, eo docente, quisquam discipulorum docere præsumat. Porro ad rem præsentem perinde esse videtur, sive ipsemet Episcopus magisterii cathedram conscendat, sive alium deputet, qui coram se e suggestu verba faciat: hic quippe tunc non reputatur merus coadjutor, & cooperator Episcopi in prædicationis officio, sicuti a citato Concilio Lateranensi ceteros nuncupatos audivimus, qui ad annunciandum Dei verbum ab Episcopo destinantur, sed videtur esse speciale instrumentum, quo præsens Episcopus utitur ad suos animi sensus suo populo manifestandos, eumque ad virtutem, & pietatem informandum.

VII. Jam vero nulla unquam in sacra Congregatione Concilii fuit difficultas circa prohibitionem factam Regularibus, ne ea hora in suis Ecclesiis conciones habeant, qua Episcopus per semetipsum prædicat; sed semper, & firmiter censuit, ejusmodi prohibitionem in suo robore permanere, atque ad unguem esse servandam. Ita quippe respondit in *Pacen.* 26. Aprilis 1607. *ad* 4. *dub. lib.* 89. *Positionum pag.* 170. in *Bituntina* 17. Februarii 1629. *lib.* 14. *decretor. pag.* 32. in *Brundusina* 10. Martii 1645. *lib.* 17. *pag.* 445. quin immo eadem Congregatio semper fuit in sententia licere Episcopo concionem habere ad populum in qualibet suæ diœcesis Ecclesia, etiamsi ad Regulares pertineat, juxta ea, quæ congesta leguntur *tom.* 8. *Bullarii Ord. Prædicatorum*, editi ab Antonio Bremond, nunc ejusdem Ordinis Generali Magistro, *tit.* 5. *quæst.* 1. *num.* 37. Sed sæpius quæstio agitata est super secunda prohibitionis parte, qua interdicitur Regularibus, ne prædicent, quando Episcopus *coram se solemniter prædicare facit*: quoniam, etsi eadem Congregatio olim respondisset, hanc quoque prohibitionem sustineri, attamen Gregorius XIII. vehementer dubitavit, an id esset usu receptum; sicuti adnotatum reperimus *in cit. lib.* 89. *Positionum pag.* 171. Enimvero, cum soleant Episcopi concionibus in sua Cathedrali interesse tempore Adventus, & Quadragesimæ, si prædicta prohibitio vigeret, deberent Regulares ab habendis in suis Ecclesiis concionibus abstinere eo potissimum tempore, quo Fideles illas audire solent, & hac de causa eorundem Regularium Ecclesias frequentant. Hæc autem ratio tantæ efficacitatis visa est sacræ Congregationi Concilii, ut in allegata causa *Pacen.* 26. Aprilis 1607. dixerit, nulli quidem fas esse concionari, quando Episcopus ipse per semetipsum ad suum populum verba facit, sed nequaquam impediri posse Regulares, ne in propriis Ecclesiis conciones habeant, quando Episcopus *coram se solemniter prædicare facit*: at postmodum, eadem quæstione novo examini subjecta, in citata causa *Brundusina* 10. Martii 1645. eadem Congregatio mentem suam clarius explicans, declaravit, id esse intelligendum, cum Episcopus consuetis concionibus interest, quæ per annum fieri solent; sed, si idem Episcopus *ex causa publica, convocatis Clero, Magistratu, & populo, coram se prædicare faciat*, tunc illi licere dixit, præcipere Regularibus, ut a prædicando abstineant, atque inobedientes pœnis etiam censurarum coercere. Equidem omnes prædictæ rerum circumstantiæ videntur efficere illam solemnitatem, quam jura requirunt, ut non liceat eodem tempore Regularibus prædicare: secus vero accidit, cum, tempore Adventus, & Quadragesimæ, Episcopus concioni adest; tunc quippe non videtur Episcopus *facere coram se solemniter prædicare*, sed

po-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

potius concionem audire, quæ etiam eo absente haberetur.

VIII. Quoniam autem in Synodalibus Constitutionibus, seu Episcoporum edictis, non possunt omnia explicari, quæ necessaria sunt ad discernendum, quandonam cum veritate, & proprietate sermonis dici possit, *quod Episcopus faciat coram se solemniter prædicare*; idcirco eadem sacra Congregatio Concilii, ad præcavendas lites, & discordias inter Episcopum, & Regulares, die 12. Julii 1687. censuit, posse quidem Episcopum in peculiaribus eventibus, in quibus opportunum reputet solemnem indicere concionem, coram se ab alio habendam: inhibere Regularibus, ne ea ipsa hora in suis Ecclesiis prædicent: minime tamen expedire, ut constitutione, seu edicto illis generatim prædicare prohibeat, quotiescumque ipse *coram se solemniter prædicare faciet*: inde enim innumeræ orirentur lites, an hæc, aut illa concio, coram Episcopo habita, iis fuerit prædita qualitatibus, seu comites habuerit conditiones, quas sacra Congregatio Concilii ad ejusdem solemnitatem requiri declaravit. Fingite, Episcopum, sola motum curiositate celebrem quemdam Oratorem audiendi, eidem injungere, ut solemni quadam die in sua Ecclesia Cathedrali pium aliquod argumentum e suggestu exponat, atque, ad eundem auditorum frequentia cohonestandum, Clerum convocare, Magistratum, & populum; nulla profecto tunc suberit juxta causa prohibendi, ne in aliis Ecclesiis, præsertim Regularium, concio fiat: & tamen hic casus sub generali constitutionis prohibitione comprehenderetur, a qua ceteroquin fuisset excipiendus.

FINIS TOMI PRIMI.

UNIVERSIDAD NACIONAL DE INGENIERIA BIBLIOTECA FACULTAD DE PETROLEO

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



UNIVERSITAT AUTÒNOMA
DE BARCELONA
FACULTAT DE DRET
09: 2 Ben
R 11477